# ACTA ERUDITOIUM

Digitized by Google

1837
ARTES SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# ACTA ERVDITORVM ANNO M DC XCVI publicata.

*Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Potentiſſimi Electoris Saxoniæ privilegiis.*

*LIPSIÆ.*

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes & JOH. THOM. FRITSCHIUM.

Typis JOHANNIS GEORGII.
A. M DC XCVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

# ACTA ERUDITORUM

## publicata Lipſiæ

*Calendis Januarii, Anno M DC XCVI.*

### *VOYAGES DE MR. DE MONCONYS,*

id eſt:

### Itinera Dn. Monconyſii quinq; voluminibus deſcripta.

Pariſiis apud Petrum de Laulne, 1695. in 12.

Conſtant Alph. 4. plag. 15. & figurarum æneearum plagulis 5.

QUi per exteras regiones, longeque diſſitas gentes, oculos animumque curioſum circumferunt, non unum eundemque ſibi ſemper conſtitutum habent finem. Sunt, qui mores gentium ritusque obſervant; ſunt, qui ſcire cupiunt inſtituta & leges rerumpublicarum, regnantiumque artes: ſunt denique, quibus cognoſcere jucundum eſt, quem quælibet natio de Numine habeat ſenſum, & quo pacto iſtud colat & veneretur. Monconyſius vero, cujus nunc ſiſtimus hic Itinerarium, denuo, ſed a graviſſimis erroribus purgatum, publicæ luci expoſitum, utut nihil temere prætermiſerit, quod obſervatu dignum eſt, doctioremque & meliorem hominem reddere poteſt; præcipue tamen naturæ arcana rimari, adire viros doctrina inclytos & florentes, antiquitatisque perſcrutari monumenta, ſuarum eſſe partium arbitratus eſt. Et dignus utique liber varia multiplicique eruditione refertus fuit, qui nunc altera vice (primum enim Lugduni Gallorum A. 1666 editus fuit) in lucem prodiret. Omnium enim artium & ſcientiarum cultores hinc profutura ſibi capere poterunt. Divinis literis operam navantes non pœnitebit legiſſe, quæ de creatione prolixe Noſter diſſeruit, cum a nonnullis, in Ægypto degens, ut Chriſtianorum ea de re exprometet ſententiam, rogatus eſſet. Judæis quoque quænam de Servatore noſtro Chriſto ſedeat ſententia, quam ridicula ſint & jejuna, & cum veritate æque ac pieta-

Tom. I. p. 309.
Tom. I. p. 306.

pietate pugnantia, quæ perfida gens de eo commenta eſt, itidem Mon-
conyſius exponit, ex Judæorum in Ægypto viventium quæ hauſit ore
Tom. II. referens. Sed nec, quæ tum de Syria & Palæſtina in univerſum, & ma-
p. 10. ſeqq. xime de urbe Hieroſolymitana commemorat, Theologiæ ſtudiis ad-
dictos non poſſunt non aut juvare aut certe delectare. Præterquam
enim quod accurate deſignat, quæ vidit, quo potiſſimum aut Chriſti
aut Apoſtolorum facinore quisque locus olim nobilitatus ſit, itidem
ediſſerit. Hiſtoricis cumprimis & Geographis plena uberrimaque pul-
cherrimarum rerum hic effloreſcit ſeges. Præſtantiſſimas enim Hi-
ſpaniæ, Italiæ, Germaniæ, Belgii, Ægypti, Syriæ, Natoliæque urbes,
tanto ſtudio hic delineatas legent, quanto delineari potuerunt. Sum-
morum quoque Principum non raro injicitur mentio; quin Ibrahimi,
Turcarum Imperatoris, mores & mors accurate & quidem ex inſtitu-
Tom. IV. to deſcribuntur. Sed & meritis in rem literariam maxime illuſtres
& immortale decus jam pridem conſecutos viros, Carolum Dati,
Robertum Boylium, Ottonem Gherikium, & alios hic ſubinde
celebrari videas. Qui vero antiquis monumentis delectantur, hic
campum ampliſſimum invenient, in quo ingenii vires exerceant, aut
Tom. I. feſſam gravioribus curis mentem reficiant. Documento erunt, quæ
p. 361. 473. de pyramidibus Ægyptiis, deque puteo Joſephi, maxime vero de oppi-
Tom. II. do Balbeck copioſe & erudite diſſerit. In oppidorum autem & ædi-
p. 97. ficiorum antiquis ruderibus dijudicandis ita verſatur, ut architectoni-
cæ artis haudquaquam ſe fuiſſe rudem, demonſtret, fidemque ſimul fa-
ciat prudentum præcepto, quo eum demum rite exteras luſtrare gen-
tes docent, qui omnibus artibus ſcientiisque inſtructum probe imbu-
tumque pectus habet. Atque ſane quantum rarioris delicatiorisque
doctrinæ ſuis lectoribus impertiat Monconyſius, vel inde intelligitur,
quod muſæa & gazophylacia curioſa, qua publica, Dreſdenſe, Bru-
xellenſe, Academiæ Lugdunenſis, Magni Ducis Hetruriæ, qua pri-
vata, Feſchii, Peyreſcii, Plateri, Bourrillii, aliorumque inſigni ſtu-
dio deſcripſerit, & quid in quoque viſu obſervatuque dignum con-
ſpiciatur, deſignaverit diligenter. Nec picturas rariores celebrioresque,
quæ Florentiæ, Romæ, Francofurti, Baſileæ, Lugduni, Parmæ, Bru-
xellis, Bononiæ, alibique locorum viſuntur, celeberrimorumque ar-
tificum nomina memoriamque ad ſeros poſteros proferunt, præter-
miſit: quin ita cenſuit de ſingulis, ut pingendi artis, qua omnes lite-

rarum

rarum alumni olim initiari debebant, peritiſſimum fuiſſe, hinc pateſcat. Sed hæc quidem omnia, utut ingenium ſtudiumque Auctoris ſatis arguant, aliud velut agendo obſervaſſe videtur, ſi conferantur cum illis, quæ ad naturalem ſcientiam, matheſin, medicamque artem ſpectant. Hic enim infinitam ſeriem inſtrumentorum & machinarum accuratiſſime deſcriptarum; hic animalia rariora, plantas arboresque, flumina & montes, & quicquid fœcundiſſima rerum mater natura habet, ſive palam iſtud oſtentet, ſive ſinu ſuo intimo abditum reconditumque complectatur, quo in admirationem rapit curioſas mentes, videre & accuratius contemplari licet. Et ad inſtrumenta quidem, quibus ad introſpiciendam aut explorandam rerum naturam utimur, quod attinet, digna cumprimis ſunt, ut legãtur, quæ de conſpicillis & microſcopiis prolixe & erudite diſſerit T. I. p. 245. ſeqq. & in Continuat. T. II. pag. 86. 305 & 310, itemq; de thermometris, in Contin. Tom. II. pag. 13. Tom. I, pag. 261. ſeqq. & Tom. III. pag. 76. Cæterorum autem, ut & animalium, plantarumque curioſarum a Monconyſio commemoratarum nomina & ſeriem, ſubjuncti & hiſce ex inſtituto deſtinati indices exhibent. Neque vero tantum quæ ipſe vidit audivitque refert, ſed in rationes cauſasque ſubinde inquirit, & prolixiori diſcurſu nonnulla proſequitur. De Nili incrementis quam multa diſceptentur, neminem fugit. Sed Monconyſius, cui oculis hocce naturæ miraculum uſurpare licuit, accuratiſſime rem omnem expediviſſe videtur. Sane commenta plurima, quæ hac de re circumferuntur, ſolerter detegit ſeduloque refellit, T. I. p. 316, 389. 490 & ſeqq. Nec de magnete ejusque vi, quæ hinc inde, T. I. p. 222. T. III. p. 455. & alibi tradit, legiſſe quemquam pœnitebit.

Sed plura addere non attinet, cum jam ipſum opus in omnium manibus verſetur. Saltem iſtud non poſſumus non indicare, ultimum tomum præter itinerarium Hiſpaniæ, & relationem de morte Ibrahimi, commentationem etiam de pondere liquorum, ut & de Algebra, aliaque opuſcula mathematica, itemque poemata Monconyſii & epiſtolas, tum ab illo, tum ad illum ſcriptas, nec non proceſſus, quos vocant chymicos, medicamentorum formulas, & alia exhibere.

*ETAT PRESENT DES NATIONS ET EGLISES Grecque, Armenienne & Maronite &c*

 id eſt

id eſt:

## Nationum & Eccleſiarum Græcarum, Armeniarum & Maronitarum, ſub Imperio Turcico Status præſens, deſcriptus a Dn. De La Croix.

Pariſiis apud Petrum Heriſſant, 1695. 12. Pl. 12.

QUam inſtabiles & fluxæ ſint res mortalium, ſi quis forte dubitet, is ſi hodiernam Græcorum fortunam ſtatumque cum antiquo contendat atque componat, aliam mox animo induet ſententiam. Hoc vero ut rite fieri poſſit, juvat ſane eos perluſtrare ſcriptores, qui hodiernam Græcorum conditionem, miſeram utique, maximasque, quibus cum illis colluctandum eſt, calamitates nobis ſiſtunt. Hos inter nunc & Dominus de la Croix comparet, cui res Græcorum non potuerunt non eſſe exploratæ, cum ipſe Galliæ Regis ad Imperatorem Turcicum Legato fuerit a ſecretioribus literis, ſæpiusque cum Græcorum proceribus & epiſcopis miſcuerit ſermones. Non tamen diſſimulat, in hoc maxime ſe intendiſſe, dum hæc de Græcorum ſtatu commentaretur, ut palam faceret, perperam gloriari Reformatæ Eccleſiæ doctores, quod Græcos in pleriſque Chriſtianæ religionis capitibus ſecum conſentientes habeant: quin ſe hoc ipſo evicturum, quod cum Romana potius conſentiant conſpirentque Eccleſia, nullumque adeo Reformati hinc præſidium petere poſſint. Quod ſane conſilium num adduxerit Autorem, ut ſtudio partium quid dederit, alii judicent.

Lib.I.Cap.I. De ſervitute Græcorum dum verba facit, quatuor ſolum ex antiquioribus familiis ſuperſtites eſſe tradit, Cantacuzenorum, Palæologorum, Aſſaniorum, & Raliorum. Cap. II. Succeſſiſſe autem in locum antiquiorum plures recentiores ab illis prognatas, quas Mahometes II. Imperator Conſtantinopolin privilegiis quibusdam conceſſis evocaverat. Cap. III. & IV. Tributa, quæ Græci Turcis pendere olim juſſi ſunt, levia quidem eſſe, aſt avaritia recentiorum Imperatorum, ita in immenſum aucta, ut intolerabile fere ſit, ſub quo gemunt Græci jugum. Quo pacto tamen nonnulli hoc onere leventur, itidem exponit. Hæc de civili ſtatu Græcorum commemorat. Ad Eccleſiam autem eorum V. ad VIII. quod attinet, promeruiſſe illos aſſerit ſuis de Spiritu Sancto gravisſimis erroribus, ut cœleſti luce deſtituti tenebris gravioribus immergerentur: ſed tamen veritatis nondum penitus eos feciſſe jactu-

ram,

ram; quin multos inter eos eſſe, qui erroribus omnibus ejuratis, Eccleſiæ Romanæ diſciplinæ ſe quam lubentiſſime ſubmittant. Convenire autem Græcorum modernorum doctrinam in plerisque capitibus cum Romanæ Eccleſiæ placitis, eundo per ſingulas fere partes adſtruit. Nimirum admittere & Græcos ait ſeptem ſacramenta, Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Matrimonii, Ordinis, & extremæ Unctionis. Eosdem ſtatuere transſubſtantiationem, quam *μετουσίωσιν* vocent; invocare & ſanctos, ac preces fundere pro defunctorum animabus, ut purgatorii cruciatibus liberentur. Quin deteſtari eos omnes cœleſtis doctrinæ depravatores, veteres & recentiores, quos Auctor ſcilicet tales eſſe judicat. Hanc vero eſſe Græcorum ſententiam, ex pluribus confeſſionibus publicæ luci expoſitis comprobat. Nihiloſecius in quibusdam capitibus Græcos abire a decretis Romanæ Eccleſiæ, non diſſimulat, unde forte ſchiſmatis crimen non immerito illis inuratur: ſed facere Romanenſes nihil reliqui, ut erroribus hisce nuntium mittant, plerosque etiam Græcorum haud difficulter ad id adduci poſſe. Hinc eccleſiarum particularium poſtquam inivit numerum, de templis quoque Græcorum, itemque precibus, feſtis ſolennioribus, jejuniis, & aliis ſacris ritibus uberius diſſerit: ſed memoratu præcipue dignum eſt, quod de igne ſacro refert, quem in feria Paſchatos in ſepulchro Servatoris noſtri, ad quod ingenti agmine facto concurrunt, lucere credunt, & ut hoc credant, ab epiſcopis ſuis & monachis, utut probe commenti hujus conſciis, inducuntur. Excommunicationem quoque nondum in deſuetudinem apud eos abiiſſe ait; quin corpora illorum, qui non expiato crimine, ſed ſemoti ſeparatique a cœtu ſanctiorum hominum obeunt, ab infernali indui genio, curſitare noctu per plateas, provocare homines, multaq; horrenda perpetrare, firmiter eos ſibi perſuadere. Quo pacto autē anathematis vinculo iterum liberentur mortui, itidem accurate edisſerit. Hinc de monaſtica Græcorum diſciplina, de Cœnobitis & Anachoretis, de ritu Monachos initiandi, de Baſilii regulis quas Monachis præſcripſiſſe dicitur, itemque de Hierarchia Eccleſiæ Græcæ, de quatuor ejus Patriarchis, eorumque autoritate, jurisdictione & reditibus præcipit: accurate etiam, quæ ditiones cuique Patriarchæ pareant, ediſſerit, ſimulque contendit Conſtantinopolitanum Patriarcham, ex lege ab ipſo Conſtantino data, olim Romano Pontifici fuiſſe

Cap. IX. ad XXVII.

Cap. XXVII & ſeqq.

obnoxium. Moſcoviticas quoque Eccleſias olim Conſtantinopolitano Patriarchæ paruiſſe, aſt hodie illis præeſſe Patriarcham, ab ipſo Principe conſtitutum, obſervat. Quæ ſubſequuntur capita, privilegia a Mahomede II. Patriarchis Conſtantinopolitanis conceſſa enarrant, & de variis artibus, quibus homines improbi, ut Patriarchatus dignitate potiantur, hodie utuntur, deque modo, quo huic muneri admoventur, de miniſtris quoque Patriarchæ, & litibus, quæ Moſcoviæ Duci cum Patriarcha ſuo interceſſerunt, exponit. De Armeniis eadem fere ratione diſſerit. Nimirum, poſtquam de nomine & ſitu Armeniæ, modernisq; incolarum moribus, rebusque huc pertinentibus dixiſſet, Armenicæ doctrinæ habitum in genere ſiſtit, Eutychianique erroris venenum quo pacto illos afflarit, exponit. Sed cum nonnulli ex Armeniis ad ſacra Romanæ Eccleſiæ acceſſerint, hinc Schiſmaticos ab Orthodoxis diſcernit: & de illis obſervat, quod in præcipuis doctrinæ cœleſtis capitibus non diſſentiant, ſed de transſubſtantiatione, de cultu ſanctorum, de ſeptem Sacramentis, eadem quæ Romana Eccleſia doceant: errores tamen illorum de Baptiſmo, quo ab alio quam Presbytero quenquam initiari poſſe negant, de deſcenſu Chriſti ad inferos, cæterosque non diſſimulat: quin & huc illud refert, quod nullum admittant purgatorium. Orthodoxos, quos vocat, ſæpius a Schiſmaticis vexari obſervat, & quæ ad ſtatum eorum modernum rectius intelligendum faciunt, ediſſerit. Multa cumprimis de Schiſmaticorum Armeniorum ritibus, de Sacerdotibus illorumque veſtitu, de Miſſa, de Hierarchia, & ſacri ordinis viris tradit: de litibus etiam, quæ Irivanenſi Patriarchæ ob oleum ſacrum cum cæteris intercedunt, aliquid commemorat. Ad Maronitas quod attinet, illorum originem a Druſis repetit. Druſorum autem nomen inditum eſt ab Arabibus Chriſtianis illis, qui Aladino Imperatore Saracenico victricia arma per Syriam & Palæſtinam circumferente, in Arabiam deſertam ſe receperunt, imminenti ſe ſubducturi tempeſtati. Hic vero cum Arabum exemplo ex rapto viverent, probosque exuerent mores, religionis quoque Chriſtianæ omnem amiſerunt ſenſum, donec tandem a Marone, viro ſancto & erudito, doctrinæ cœleſtis elementis iterum imbuerentur, a quo etiam Maronitarum nomen illis hæſit. Acceſſit deinceps Sacerdotum ab Eccleſia Romana, ad revocandos ad veritatem errantes, huc illuc dimiſſorum induſtria, qua effecerunt, ut plerique Romanæ Ec-

Eccleſiæ ſacra amplecterentur. Maxime autem efflorescere cœperunt res Maronitarum ſub Fecreddino Principe, qui excuſſo Turcarum jugo, novum in Aſia condere imperium, ſed infelici eventu, in animum induxerat. Fata hujus & molimina, cum ad res Maronitarum intelligendas apprime hoc faciat, prolixius enarrat; finem vero & huic parti imponit, de Libano & Anti-Libano montibus, de cedris Libani, de Maronitarum cum Eccleſia Romana unione, de ritibus & ceremoniis ſacris, itemque Patriarcha, Epiſcopis, Presbyteris & Monachis Maronitarum, quædam ſubnectendo. Cap. III. ſeqq. VIII.

Quartus denique liber martyrium Nicolai cujusdam, adoleſcentis Græci, quem Turcæ partim fraudibus, partim vi & cruciatibus, ad ſacra Mahomedana amplectenda fruſtra adducere conati ſunt, deſcribit, ejusque conſtantiam & animi firmitudinem laudibus in cœlum evehit. Additus quoque eſt Dialogus Turcæ cujusdam & Chriſtiani de religione, nullum momentum trahens, & ruditatis ac ignorantiæ Turcicæ teſtis locupletiſſimus; ut & Guilleragii Galliæ Regis ad Imperatorem Turcicum Legati conſilium de ſcholis erigendis, in quibus inſtrui poſſint juvenes, qui Orientales gentes Chriſtiana religione imbuere & in viam veritatis revocare poſſent; id quod haud difficile fore, modo rite graviſſimum hocce negotium inſtituatur, aſſerit. Lib. IV.

*CHRISTIANI KORTHOLTI SS. THEOL. D. UNIVERSITATIS Kilonienſis Pro-Cancellarii & Profeſſoris Primarii, PASTOR FIDELIS, ſive de Officio Miniſtrorum Eccleſiæ Opuſculum, poſt beatum Auctoris obitum ex manuſcripto editum.*

Hamburgi, ſumtibus Gothofredi Libernickelii, A. 1696. in 12.
Conſtat plagulis undecim cum dimidia.

QUi nunc in lucem publicam prodit libellus haud inelegans, materiam forte Collegio alicui privato a beatiſſimo Auctore olim habito ſuppeditavit. Rem tamen procul dubio gratiſſimam permultis præſtitit defuncti parentis ut virtutum ita ſcriptorum quoque hæres filius, Matthias Nicolaus Kortholtus, dum premere illius contenta renuit, & communi potius uſui eadem exponere dignatus eſt. Inveniunt autem heic Eccleſiæ Miniſtri regulas non paucas, ad quas, ubi ſuo rite fungi ſtudent officio, non ſine fructu recurrere, & unde ſat idoneam informationem haurire poterunt. Sive enim de ſua vocatione

ne ſint ſoliciti, ſeu de officio didactico elencticove anquirant, ſeu ad confeſſiones ſacras audiendas vel ad Baptiſmi Cœnæq; adminiſtrationem ſeſe præparent, ſeu ad copulationem neogamorum, ægrotorum item moribundorumque & tentatorum viſitationem ac ſolamen accedant, ſeu vitam denique ac mores ejusmodi perſonas decentes in ſpeculo quaſi contueri deſiderent, nuſpiam ſunt inventuri rationem, cur ſe hinc vacuos dimiſſos conquerantur.

Sumto videlicet ab iis exordio, qui ſe invitos coactosque ad eccleſiaſticum munus pertrahi ſenſerunt ac teſtati ſunt, mox in *primo* capite *vocationem* Miniſtrorum Auctor excutit, & ejus ante omnia neceſſitatem eo, quo & alias Theologi ſueverunt, modo probat, naturamque delineat, utpote quæ electionem, ordinationemque & miſsionem ſub ambitu ſuo complectatur. Quemadmodum vero munus eccleſiaſticum ambire inter licita merito ac laudabilia recenſet: ita non parum in eos invehitur, qui vel idonei ad expetita officia non ſint, vel modis illegitimis, præcipue per artes Simoniacas, aut per conjugia, ſe temere in Eccleſiam ingerant; ubi tamen, quo pacto matrimonium cum defuncti Paſtoris vidua vel filia conceſſum ſit, explanat. Quantum ad vocandi ætatem, olim quidem in V. T. Sacerdotes ante annum trigeſimum officio non fuiſſe admotos, eandemque conſuetudinem & Juris Canonici & quorundam Conciliorum calculo probatam perhibet; hodie tamen non uſque adeo hunc morem obſervandum ſubjicit, modo caveatur, ne illis, qui mente pariter ac mento pueri adhuc ſunt, negotia prudentiam ſenilem requirentia promiſcue demandentur. Delatum Miniſterium a nemine pertinaciter ac temere declinandum, ſed nec invito tamen obtrudendum; in locum Paſtoris injuſte remoti aliquem ſalva conſcientia ſuccedere non poſſe; ab una Eccleſia tranſire ad aliam non eſſe ſimpliciter illicitum, diverſis poſitionibus edocet. Porro, Miniſtrum verbi ſe non ſtatim abdicare poſſe ait officio, ſi collegas habeat incommodos, malosque & ingratos auditores, niſi univerſus cœtus adeo malignus ſit, ut audire ipſum eique obtemperare penitus recuſet. Multo minus illum, qui facultate ſuum munus adminiſtrandi ſatis adhuc inſtructus, ab Eccleſia quoque diutius deſideretur, officium ſacrum deponere debere, vel quod laboris ipſum & moleſtiarum tædeat, vel quod abunde ei, unde ſe ſuosque ſuſtentet, ſuppetat, vel quod de cauſis quibuscunque aliis, at iis carna-

carnalibus, conſultum ejus rationi iſthoc videatur. Aliter tamen ſe habere negotium, ſi ſuam unice perſonam quæri, & in ſe ab hoſtibus fidei machinas omnes, quibus Eccleſiæ eripiatur, dirigi cognoverit. Tunc enim & fuga ſibi talem conſulere poſſe non inficiatur, ſed ſecus ſtatim pronunciat, ſi communis Eccleſiæ perſecutio & ipſum vexet; tunc namque fugam, niſi certo reſpectu eoque ad Eccleſiæ ſalutem unice directó, licitam non eſſe contendit.

Caput *ſecundum*, quod *officio* Miniſtrorum Eccleſiæ *didactico* eſt deſtinatum, orditur ab antiquo more, quo, ſi quid elegantius a Concionatore dictum fuerat, plauſus ab auditoribus excitatos legimus. Eum ad multas Doctorum querelas juſte ait abrogatum, nec hodie revocandum, cum ſane non aliud ſacris ſermonibus intendi debeat, præterquam ſalutaris ædificatio, ad quam promovendam perſpicuitati imprimis ſtudere, precesque ad DEUM pro obtinendo hoc fine ardentiſſimas effundere orator teneatur; quod ipſum prolixiſſimis quorundam Patrum teſtimoniis corroborat, & Lectorem ad Auguſtini aureum de Doctrina Chriſtiana opus remittit, quod, cum in uſum candidatorum Miniſterii unice conſcriptum fuerit, & ſeorſim quoque excuſum hodie habeatur, ſingulis præcipue commendat. Tandem & catechizationem ad hoc officium ſpectare docet, ideoque ad frequens ejus ſtudium ſerio exhortatur.

Ad *elenchum* in capite *tertio* progreditur, illum nempe, qui peccata auditorum redarguit. Heic a privato inchoandum monet, antequam ad publicum tranſeatur; ſi nempe peccata nondum notoria ſint, ſed adhuc occulta. Manifeſta autem coram omnibus corripienda ſtatuit, ipſius quoque Magiſtratus, circa quem tamen caute oſtendit agendum. De cætero res politicas duplici ratione conſiderari, ſemel ut Reipublicæ tantum proſint vel obſint; deinde, ut voluntati DEI patefactæ ejusque honori & charitati Chriſtianæ palam adverſentur. Priori modo ſpectatas civilis Magiſtratus diſpoſitioni permittendas, ſed poſteriori omnino ab Eccleſiæ Miniſtro tangendas arbitratur. Ea, quæ res Miniſtrorum Eccleſiæ privatas reſpiciunt, pro objecto publici elenchi idoneo non habet; ſicuti & in his, quæ nondum ita manifeſta ſint, ut ſatis certo de ipſis conſtet, moram ſibi commendatiſſimam habere Miniſter debeat. Licet autem cuivis tempori elenchum convenire non abnuat, ſemper tamen ex animo pio, ſincero, zeli-

que divini plено ut is proficiſcatur, poſtulat. Et cum elenchum, ſi nihil eo obtineatur, ſequi conſueverit excommunicatio, minorque hæc vel major ſit, quarum illa a ſacræ ſynaxeos uſu, hæc ab omni fidelium communione peccatorem repellat; neutram a ſolo Eccleſiæ Miniſtro ſine Conſiſtorii præſcitu, imo majorem nonniſi conſcia & approbante tota Eccleſia ſuſcipi poſſe addit.

Officiis hactenus enumeratis non incongrue ab Auctore ſtatim in capite *quarto* ea adjunguntur, quæ circa audiendas *confeſſiones ſacras* obſervare Miniſter Eccleſiæ neceſſum habeat. Vitiorum ſcilicet ex rumore non penitus incerto ad notitiam illius perlatorum ſcrutinium eidem injungitur, & quomodo ſe gerere conſtrictus ſit erga abſolutionis cupidum, ſi is objecta crimina aut fateatur aut inficietur, exponitur. Detecta in confeſſione nequaquam manifeſtari debere, ne Magiſtratui quidem ſciſcitanti, contendit; quanquam iſtud libentiſſime concedat, facinus in publicam vergens perniciem ſic aperiri poſſe, ut nominata ſolum re, perſonæ nomen & qualitas ſtudioſe reticeatur. In lite coram ordinario Magiſtratu verſantem non conceſſum eſſe ſimpliciter abs impertienda abſolutione removere; bene autem illum ab hac arceri, qui eandem a conſueto ſuo Confeſſionario ex odio, rancore, ſimilive cauſa petere omittat. Tacemus, quæ in medium profert Auctor de licita correptione confitentis etiam ob illa delicta, quibus ipſemet Miniſter ab eo eſt offenſus; de non omittendo heic examine catechetico; deque abſolutione per interpretem denuncianda ei, qui peregrina lingua utitur. Sub finem hujus capitis theſin, quod in caſu neceſſitatis, & quando copia non detur ordinarii Eccleſiæ Miniſtri, laicus quoque alterum poſſit abſolvere, Lutheri teſtimonio ac rationibus nonnullis adſtruit.

Caput *quintum* conſilia Miniſtro Eccleſiæ in *Baptiſmo* occupato ſuppeditat, eumq; monet Auctor ante omnia, ut circa materiam ejus & formam nihil quicquam immutet. Prudentiam dehinc in baptizandis Judæis, monſtris, expoſititiis, requirit. Prolem niſi plene in hanc lucem editam Baptiſmo tingi prohibet. Infidelium infantes extra Eccleſiam natos ad Sacramentum hoc afferri ſinit, ſi modo illi in noſtra poteſtate ſint, at ſecus, ſi apud parentes remaneant. Patrinos ſive ſuſceptores citra diſcrimen admitti vetat, & ſi forſan ex improviſo huc acceſſerint quidam malæ notæ homines, quid tum facto opus ſit, declarat.

Im-

Impoſitionem nominis non ex abſoluta quidem neceſſitate, ſed boni tamen ordinis cauſa in Baptiſmo non omittendam ſuadet. Ubi Eccleſia in ſtatu preſſo verſetur, Calviniano etiam & Pontificio Miniſtro, dum haberi orthodoxus nequeat, infantem baptizandum tradi poſſe largitur.

Proximum a Baptiſmo locum *Euchariſtiæ Sacramentum* obtinet, de quo in capite *ſexto* monita nonnulla Noſter ſuggerit. Ab ejus participatione arcet hæreticos pertinaces, peccatoresque notorios, qui obſtinate in publicis delictis & ſceleribus contra conſcientiam perſeverent; excommunicatos item, quamdiu publice reconciliati non ſint; nec minus magos, necromanticos, lenones, manifeſtos uſurarios, gladiatores, qui ad mortem uſque invicem depugnent. Qua occaſione eos acriter redarguit, qui jamjam duellum inituris Euchariſtiam impertire nulli dubitent. Poſthæc invitos, & quos in publicis peccatis perſeverare conſtet, ad ſacram cœnam cogi non poſſe ſubdit. Mutos contra & ſurdos ab ejus uſu ſimpliciter non excludendos; abſtemios vero rectius Euchariſtia carere, quam ſub una ſpecie communicare reputat. Animam agentibus & omni uſu rationis deſtitutis ſacrum hocce epulum porrigi vetat. Si conjectus in carcerem morbo quodam vehementiori affligatur, & Euchariſtiæ teneatur deſiderio, hanc ei minime negandam cenſet, etiamſi crimen intentatum nondum confeſſus fuerit. Innocentiam per Euchariſtiæ ſumtionem incongrue probari affirmat. Miniſtrum Eccleſiæ, ſi res ita poſtulet, ſibi ipſi hoc Sacramentum porrigere poſſe docet, ac junctim denique, quomodo is circa elementa poſt conſecrationem remanentia, quomodo circa communionem ægrorum peſte infectorum, quomodo circa alios ejusmodi caſus ſibi queat omnium optime conſulere, declarat.

Caput *ſeptimum* in *copulationem neogamorum* impenditur, ad quam requirit Auctor præviam explorationem conſenſus eorum, qui conjugium iſtud aut approbare valeant, aut rejicere. Poſt cautionem ipſi demandat, ne conjungat, qui ob conſanguinitatem vel affinitatem matrimonium inire prohibeantur, monetque, ut rationem ſupputandi gradus probe ſibi reddat cognitam, ac tandem poſtulat, ne quis temere ſacerdotali copula tales ſociet, qui ad aliam parochiam ſpectent; quæ tamen regula expiret, ſi v. g. ii, qui caſtra ſequuntur, qui peregrinantur, &c. copulationem deſiderent.

 Viſi-

*Viſitationem ægrotorum atque moribundorum* non omittendam eſſe ab Eccleſiæ Miniſtro ſub initium capitis *octavi* probat. Partes autem apud eos obeundas heic non allegat, quandoquidem id in tractatu vernaculo, cui titulus: Vorbereitung zur Ewigkeit/ c. XXVII. abunde præſtiterit: in quo præterea capp. XXIIX & XXIX. rationem cum tentatis converſandi late indicarit. Ut adeo heic nihil addat amplius, quam quod & alias Eccleſiæ Miniſtrorum ſit privata informatione, adhortatione, obteſtatione, comminatione, conſolatione creditis ſuæ curæ animabus conſulere.

Caput *nonum* Eccleſiæ Miniſtrorum *vitam atque mores* concernit, ubi, poſtquam illos nomine hoc indignos Auctor pronunciavit, quorum doctrinæ vita non reſpondeat, quemlibet etiam eorum, qui eccleſiaſtica officia ambiant, de vita improbe transacta ſuſpectum eſſe haud debere, præclaris Patrum celeberrimorum effatis, ac re imprimis ipſa nixus, aſſerit.

## *JULII STERRINGA ANIMADVERSIONES PHILOLOGICO-Sacræ in Pentateuchum, exhibentes veram & limatiorem variorum in quinque Moſis libris locorum, tum verbalem, tum in multis quoque realem interpretationem.*

Leovardiæ apud Heronem Nautam, 1695. in 4. plag. 43.

VOluit clariſſimus Autor, qui Bornbergumanæ in Friſiis Eccleſiæ præeſt, Animadverſiones iſtas ſpecimen eſſe emendationum, quas nova Belgica ſacrorum oraculorum verſio, quam cum nulla non recentiorum de palma contendere poſſe novimus, adhuc admittere videbatur. Cum vero prævideret, vix fieri poſſe, ut iſtud ſtudium eorum, qui ferre non poſſunt, ut verſioni vulgo receptæ aliquis nævus inhærere credatur, cenſuras effugeret; omnem in præfatione lapidem movet, ut eorum judiciis pondus ſuum & autoritatem eripiat. Nec enim ipſos quidem Pontificios eousque ſuperſtitionis proceſſiſſe oſtendit, ut vulgatæ ſuæ, Tridentini Concilii decreto pro authentica declaratæ, medelam adhiberi noluerint: & inter Belgas Reformatos, ante ſe quoque viros eruditos quamplurimos ſimile quid tentaſſe. Ut alios enim taceamus, qui data occaſione paſſim id auſi fuerunt, venerandam Claſſem Leovardianam ex inſtituto emendationi Belgicæ verſionis manum admoviſſe, ex Actis ejus hodienum conſtare poteſt.

Quin

Quin ipſe Auctor noſter ab ea ad Synodum Friſicam, Leovardiæ anno 1689. habitam, delegatus, Claſſis de hoc negotio mentem, quidque in eo præſtitum a Claſſe jam fuerit, coram Synodo ſeſe expoſuiſſe teſtatur. His itaque & aliis hujusmodi cum ſatis munitum ſeſe exiſtimaret, opus hoc ſuum, quod cenſuræ verſionis Belgicæ deſtinavit, aggreſſus eſt. Iſtud autem in tres partes abire juſſit, in quarum prima de ſuperfluis, altera de omiſſis, tertia denique de immutandis diſtincte agit. Ut clarius dicamus, tractat in prima loca, in quibus vocabula quædam Belgica, quæ in verſionem iſtam irrepſere, ſuperflua excutiuntur: quæ ſi forte propter nitorem & perſpicuitatem omitti non poterant, uncinulis ſaltem, ut alibi fecerunt Belgæ interpretes, erant includenda. In parte ſecunda obſervat vocabula textus originalis, quæ verſio omiſiſſe videtur: & in tertia denique ea, quæ ad ſublimiorem e ſacro textu manifeſtius eruendam δεινωσιν originalem, verſionique dilucidius imprimendam facere videbantur. Hoc poſtremum enim Belgicam linguam, quam ullam aliam, felicius præſtare exiſtimat, ob inſignem ejus cum Hebraica convenientiam, quam decem e Scripturis, & quamplurimis aliunde petitis exemplis impræſentiarum ivit aſſertum, prolixius, ſi opus foret, facile demonſtrandam. Talia ſunt, quod איש האדמה Hebræis dicitur, qui Belgis *een Akkerman*; ſic צוארי שלל Jud. V, 30. idem eſt, quod Belgarum *Buijt-halſen*, & ſicuti illi de pudore & ignominia hominibus inhærenti dicunt על עקב בשתם ſic Belgica quoque dialecto *haare ſchaante zy (hen) op de hielen* optime dicitur. Sed de iſtis agere nec noſtri nec Autoris noſtri inſtitutum nunc fert, de cujus libro & libri genio ut melius Lectoribus noſtris conſtet, nil supereſt, quam ut ſpeciminis loco paucas ſaltem ejus obſervationes hic attingamus.

Obſervat itaque in parte prima ad Geneſ. L. 23. verba בני שלשים, p. 15.
quæ Belgæ reddiderunt: *kinderen, des derden gelidts*, parentheſi includendam eſſe vocem *gelidts*, cum vox שלשים eam nativa ſua ſignificatione non involvat. Deinde Comma voci *Kinderen* ſubjectum removeri jubet, quippe quod loci mentem ac ſenſum invertat, ultimam quæ quarta eſt, generationem abſorbendo. Textus nimirum ita habet: וירא יוסף לאפרים בני שלשים eum Belgice ſic reddere jubet Noſter: *Ende Joſeph ſagh van Ephraim kinderen des derden* [*lidts*] i. e. & vidit Joſephus liberos ex Ephraimo tertiæ

generationis. Ordinem autem huncce geneticum ita diſponit: α Ephraim, β בני filii ejus, γ שלשים tertii, nimirum ab Ephraimo, Ephraimi nepotes, Joſephi pronepotes, δ בני שלשים filii tertiorum, Ephraimi pronepotes, Joſephi abnepotes, qui alias רבעים *quarti* nuncupari ſolent, ut adeo quartam ab Ephraimo generationem viderit Joſephus. Magni forte momenti non eſt, quod e literæ ם in voce שלשים productione, in Codd. nonnullis (in quibus nimirum ſpatii ratio id extendi juſſit) obvia, deducit argumentum; quaſi ſcil. Ephraimicæ propaginis productio iſta non obſcure edoceatur. Rectius vero e voce בני in ſtatu conſtructo poſita contra Chaldæum, Vulgatum, & LXX Senes (quibus tamen ſola voculæ ἕως omisſione mederi poſſumus) quartam generationem intelligendam hoc loco eſſe, demonſtravit.

In altera parte, quæ de *omiſſis* agit, Gen. XXIIX, 13. verba:
p. 87. הארץ אשר אתה שכב עליה לך אתננה ולזרעך ita vertit: *Dit landt, daar gy op ligt te slaapen, dat ſal ik u geeven, ende uwen zade*, addita ſcilicet particula relativa *dat*, quæ in verſione Belgica omiſſa eſt, hoc ſenſu: *terram hanc in qua nunc recumbis, illam dabo tibi & & ſemini tuo.* Subminiſtrant illius textus verba: אשר אתה שכב עליה exemplum pronominis relativi ſuperadditi demonſtrativo, quod non Hebræis ſolum, ſed Arabibus quoque & ſacris N. T. Scriptoribus perquam eſt familiare; notat tamen doctiſſimus harum rerum Vorſtius, Hebraiſmum hujusmodi ſolum obtinere, ſi quando pronomen relativum vi ſyntaxeos caſu obliquo foret efferendum. Verum locum eum etiam habere, ubi caſu recto ponendum eſt relativum, Noſter ex Geneſ. XVII, 12. Deuteron. XX, 20. Neh. II, 13. 18. Ruth. IV, 11 15. 1. Sam. X, 19. 2 Reg. XXII, 13. obſervat, in quibus locis pronomen demonſtrativum, caſu recto relativo accumulatum, abſentis verbi ſubſtantivi poteſtatem ſubire exiſtimat. Sed ut ad textum noſtrum redeamus, pleonaſmus ille τῷ עליה plane eſt otioſus; at ſecus ſe res habet in ſequentibus, ubi demonſtrativum in אתננה neutiquam otioſe ſuperadjici clarum eſt. Merito propterea illud in verſione erat exprimendum, præcipue cum ad poſteriorem claſſium pleonaſmi, quas Noſter conſtituit, pertineat, qua demonſtrativum pronomen ὑποκειμένῳ ſuo, non niſi periphraſtica ejus declaratione interjecta ſubjicitur, quæ graviorem δείνωσιν ſcripturariæ enuntiationi

con-

conferre ſolet, quam ubi demonſtrativum *παρέλκον* nomini vel immediate, vel abſque ulteriori periphraſi poſtponitur, quæ prima eſt iſtius pleonaſmi Auctori noſtro ſpecies.

Ut ex tertia parte unicum quoque exemplum adducamus, quid ad Geneſ. VII, 14. notaverit, exponere liceat. Redditur ibi צפור diminutive *vogelken*, obſervaturque in nota, minorum avium genus hac voce exprimi, quemadmodum contra majores voce העוף denotentur: *μὴ ἀκριβῶς* id fieri ait Noſter. Genericam enim eſſe illam dictionem, tum ex etymologia ejus oſtendit, cujus ratione a צפר i.e. *aurora* deſcendere Glaſſio aliisque obſervatum fuit; tum autoritate Aben Ezræ, Talmudis Hieroſolymitani aliorumve Rabbinicorum ſcriptorum, imo ipſius Scripturæ Deuteron. XIV, 11-19. Sed eſſe tamen aliquam differentiam fatetur, nimirum illam, quod voce עוף aves ſylveſtres hominibusque magis inſuetæ, voce צפור vero cicures manſuetioresque deſignentur, licet eam quoque differentiam in univerſum non obtinere agnoſcat. Et hoc ſenſu צפור etiam opponi τῷ עיט Geneſ. XV, 10. 11. putat, licet iſta quoque oppoſitio perpetua non ſit; amicam enim utriusque conjunctionem Ezech. XXXIX, 4. obſervare ſe ait. Multo minus vero concedit Viris quibusdam doctis, paſſerem per צפור intelligendum eſſe; contradicit enim Deuteron. XIV, 11. ubi צפור טהרה dicitur, cujus additi non opus, ſi צפור paſſer eſt; nulla enim paſſerum ſpecies impura in Scripturis uſpiam memoratur: imo quis paſſeres rapaci avium generi aſſociari unquam audivit? cum tamen צפור Ezech. XXXIX, 4. לעיט ſive rapacium avium ſpeciei manifeſte jungatur. 150.

*GEORGII FRIDERICI FRANCI DE FRANKENAU Med. D. & P. P. Onychologia curioſa, ſeu de Unguibus Tractatio Phyſico-Medica.*

Jenæ ſumptibus Joh. Bielkii, A. 1695. in 4. plag. 8.

CUm præmonuiſſet clariſſim⁹ Auctor, magni Parentis celeberrimiq; Viri *Georgii Franci de Frankenau*, Potentiſſimi Regis Daniæ h.t. Archiatri, Filius paternarũ dignitatum ac virtutum æmulus, abjectos videri ungues, nec eſſe tamẽ tales, ſed diſquiſitione æque ac nobiliores corporis humani partes dignos, varias hinc unguiũ acceptiones delibat, in ſola parte cornea, convexa, flexili & pellucida extremorum digitorum

occu-

occupatus. Diviſione pro ſitu terminorum radicali, laterali, extimo viſa, in partium corporis ſimilarium numerum adſerit, ſui generis, non tam induratorum nervorum extremitates, vel ex oſſis, nervi & cutis portione, quam ex pluribus pelliculis tenerrimarum fibrillarum papillaceis coalitis & protractis gigni ſtatuens. Idque exemplo affinium maxime cornuum in brutis, e plurimis ſimiliter filamentis ex omni cutis ſuperficie productis, & ungularum, a protractis e cutaneo corpore nerveis papillulis ſenſim ſolidatis magis oriundarum; unde & per membranam reticularem prolongatis papillulis filamenta & ſtriæ corneæ longitudinales efformentur in ungue, confirmante idem microſcopii examine. Uniri vero illas ope humoris lenti & viſcidi, ſalino-oleoſi, in quem modum & cornua animalium efformentur, ad quorum inſtar & ungues gelatinam coctione præbeant. Mature admodum in fœtu apparere unguium primordia, citra ligamentum aliquod quoad radicem, ſola cute ſufficiente, cui adnaſcatur unguis ſemper, non item oſſi, carne ſubſtrata non muſculoſa, ſed ſpongioſa & levi, tum membrana nervoſa & tendinea, paronychiæ ſede. Nutrimentum unguium derivat ab univerſalis fluidi purpureo latice, ejusque imprimis gelatinoſa & unctuoſa portione, particulas ſalino-ſulphureas volatiles alcalinas ſub ſe complexa; concinente analyſi chimica, per deſtillationem unguium, indeque inſtitutis experimentis; e ſucco cutis, ubi radices agunt, illuc derivata. Hinc & vaſculorum ſanguiferorum huc pertingentium fit mentio, facta nutritione proportionata, per omnes dimenſiones, & nervorum, unde ſenſus, ſaltim juxta radices, proprius, communicatur in reliqua parte. Relatum huc quoque augmentum unguium ac pilorum poſt mortem, propria fide & aliorum probatum, ex reſidua humidi unctuoſi ſalino-volatilis portione; regeneratio item & figura unguium ſemicircularis, uſibus eorum perapta, addita differentia in ſimiis, rapacibus & aliis. Hinc numerus, magnitudo & conſiſtentia expenditur, ſingula uſui congrua, color item nativus & morbis vitiatus, vel tingentibus quoque extrinſecis, etiam alicubi ornatus cauſa, non minus ac elongatio ſtudio facta, alendo ungues, nec reſecando. Uſus aſſignatur præcipuus apprehenſioni rerum durarum ſervire in manibus, tutari & firmare extrema, aliaque præſtare pro lubitu & exigentia. Vires ciendi vomitum unguibus aſſeruntur, autoritate & experientia, diluendo ratio-

nes

nes in contrarium allatas; aliæ etiam laudantur, aſſignatæ ab Autoribus. A ſtatu naturali ad præternaturalem digreſſus, varios morbos memorat, in figura, magnitudine, inæqualitate, ſcabritie, craſſitie, decidentia, aliisque, interſperſis obſervationibus & remediis; a venenis & lepra inprimis mirum quantum immutari. Non abſcindi aliquando tuto excreſcentes, niſi præmiſſis evacuantibus; a liberaliori vero reſectione & improvida, periculum majus, qui in mortem aliquando ſubſequi poſſe. Docet &, quomodo ad latera incurvati poſſint corrigi. Afferuntur exempla monſtroſorum unguium, tum aliis ex cauſis, tum a gravidis impreſſa idea peregrina; & defectu motus ſufficientis. Coronidis loco adducuntur, quæ ex phyſiognomia, chiromantia, tranſplantatione morborum, moribus & traditionibus ungues reſervandi, reſecandi, & alia illuſtrare hæc potuere. Qam in rem & quædam ſubjunguntur in præfatione a G. W. Wedelio, Viro illuſtri, ſcripta.

*MELCHIORIS LEYDECKERI DE HISTORIA JANSENISMI Libri VI, quibus de Cornelii Janſenii vita & morte, nec non de ipſius & ſequacium dogmatibus diſſeritur.*

Trajecti ad Rhenum, apud Franciſcum Halmam, A. 1695. in 8. Alphab. 2.

MAgnam omnino Hiſtoriæ præſentis ſeculi partem facit *Janſeniſmus*, qui tamen hucuſque nondum claris adeo coloribus depictus, nondum tam egregio cum apparatu ab aliis excuſſus eſt, quin præcipui in hoc ſcriptorum genere laboris gloriam vindicare ſibi celeberrimus LEYDECKERUS valeat. Is enim cum probe perſpiceret, non eſſe omnium hanc facultatem, ut folia, quæ ajunt, volantia optato cum ſucceſſu colligant, doctrinasque Janſenii & res easdem attinentes, prout ſparſim & carptim modo heic modo illic delineatæ ſunt, ad informationem idoneam conjungant, ſuum ideo hoc Opus, quod dudum inceperat, inque nonum, & quod excurrit, annum prellerat, publico diutius invidere noluit; maxime, cum orti nuper in Belgio motus ex Janſeniſmi & Jeſuitiſmi diſſidiis non mediocre ipſi calcar adderent. Prodiit nimirum ſub anni nonageſimi quarti primordia Innocentii XII. decretum, quo prædeceſſorum, ac imprimis Innocentii X. & Alexandri VII. Bullæ iterantur in Janſenium, quod in Bel-

gio ipſius differerentur dogmata, atque a Jeſuitis damnati erroris, id eſt Janſenitici, poſtularentur, quicunque dogmata de efficacia gratiæ ex Auguſtino fortius aſſererent. Horum primipili ab Auctore noſtro Epiſcopi quidam appellantur, ipſorumque præ cæteris Primas, Mechlinienſis Archiepiſcopus, Guilielmus Humbertus a Præcipiano, qui eo totus allaborarit, ut Janſeniſtas omnes, etiam illos, qui ſuſpecti modo Janſeniſmi eſſent, muneribus arceret vel ejiceret; qua de cauſa ſuas de Novatorum erroribus & motibus querelas ad Pontificem detulerit, decretumque in eosdem poſtulaverit. Imo, quæ in literis jam memoratis queſtus fuerit, expoſuiſſe ipſum inſuper Paſtorali ad ſibi ſubditos epiſtola, quam quoque ex Latino ſermone in vernaculum verti præceperit. Ejus ſummam Lectori Auctor in Præfatione exhibet, ac, ut querelas auxerint Antverpienſis, Brugenſis, Gandavenſis & Ruremondenſis Epiſcopi, ut non defuerit Profeſſor Regius & Vicarius Generalis Apoſtolicus Sylvæducenſis, Martinus Steyartus, declarat. Cum præterea Jeſuitæ aliique, quos inter Auguſtiniani quidam & Thomiſtæ, ingentem errorum Janſeniticorum farraginem oculis ſubjecerint, data in hunc finem geminata Tabula, quarum prior hunc præ ſe ferat titulum: *Janſeniſmus omnem religionem deſtruens*; poſterior iſtum: *Janſeniſmus plurimas hæreſes & errores damnatos pertinaciter defendens*; idcirco utramque cum ſuis theſibus itidem annectit. Interea Lovanio Romam ablegatum Hennebelium, Doctorem Theologum, ſingularisque prudentiæ ac eruditionis virum, qui accuſatorum ibi cauſam ageret. Et egiſſe ipſum eandem ſtrenue, & oſtendiſſe manifeſte, quam intolerandum ſit, quemvis eruditum Janſeniſmi poſtulari, qui non Jeſuitarum dogmatis lubenti animo aſſurgeret. Negotio autem ſat diu coram Pontifice diſceptato, tandem editum refert decretum, quo quidem famoſæ V. Propoſitiones Janſenii damnentur, at ſimul prohibeatur, ne promiſcue in Eruditos tanquam Janſeniſmi ſuſpectos Jeſuitæ inveherentur. Ipſam deinde Pontificis Maximi Bullam producit, nec literas omittit, quibus ad hoc Innocentii monitum Epiſcopus Antuerpienſis & Martinus Steyartus ſubjectis ſibi omnibus præceperint, ut, quicunque publicis fungerentur muneribus, jurejurando Formulæ adverſus quinque propoſitiones conceptæ ſubſcriberent. Quamobrem ut & Reformatam Auctor tueretur Eccleſiam, & ipſam Janſeniſmi panderet hiſtoriam, Janſenii ante omnia vitam, geſta,

ſta, ſcripta, honores, munera, & mortem cum neceſſariis animadverſionibus; ipſius deinde dogmata theoretica & practica, nec non fautorum, Abbatis Sancyrani, Arnaldi, aliorumque, maxime Jeſuitis adverſa, & exagitata ab adverſariis, in hoc volumine recenſere ſtuduit, ac de cætero fortaſſis abs ſe impoſterum edendam dicit fuſiorem de Janſeniſmi fortuna & fato hiſtoriam, ſi & vires animumque DEUS conceſſerit, & Viri docti, ſi quæ habeant in Bibliothecis huic uſui inſervitura, ſuppeditaverint.

Et uti cuncta, quæ hactenus a nobis recenſita ſunt, limitibus Præfationis continentur: ita nunc ad ipſum opus Auctorem inſequimur. Et in parte quidem prima libri tres de vita ac morte Janſenii emetiendi occurrunt. Meminit autem Noſter in ipſo ſtatim limine, alium eſſe ab hoc, circa quem tractatus hic verſetur, Cornelio Janſenio, cognominem illum quidem, ſed aliquot ante hunc natum annos defunctum, primum Gandavenſium Epiſcopum, Virum magnæ utique apud Pontificios laudis, nec vulgaris eruditionis, quod edita ab eodem Concordia Evangelica affatim demonſtret. Hunc namque A. 1576. ſenio laboribusq; confectum III. Id. Aprilis obiiſſe, cum noſter anno demum 1585. lucem primo vitalem aſpexerit. Unde mirum ſit, quosdam eruditos Virorum, uti nomina, ſic munera & ſcripta confundere. Gandavenſi itaque illo poſtpoſito ad noſtrum reflectemus oculos. Batavum fuiſſe eum dicit Autor, natumque in Comitatu Leerdamenſi aſſerit. Falli autem operis ejus poſthumi Editores, quando ipſum oppidum Leerdamum (Lingerdamum alias, quod ad Lingam fluvium ſit ſitum,) natale ejus conſtituant. Has enim vices ſubiiſſe potius pagum Accoy, & quando Leerdamenſem ſe ipſum dixerit Janſenius, caſæ eum ruſticæ aut proſapiæ nimium ignobilis fortaſſis puduiſſe reputat. Parentes Pontificiæ religioni addictos, contra Hazardum, Calvinianos eos facientem, oſtendit. Patrem dictum Jan Otthe, & fabrili opere victum quæſitaſſe, matrem autem vocatam Lyntje Gysberts, filiumque appellatum Cornelis Janſen, antiquo vulgi in Belgio more, at Latina vel erudita terminatione Cornelius Janſenius. Primis literarum rudimentis eum imbuit Sacerdos quidam Leerdamenſis, ſed pædagogeum, quod tunc Ultrajecti floruit, ampliori ipſum ac Latinæ imprimis linguæ ſcientia inſtruxit. Annos natus ſeptendecim Lovanium ſe contulit, ut ad Academica animum appelleret; ubi quidem Jeſuitis

eum Doctoribus ab initio addictum, ſed eorum diſciplinæ pertæſum, tandem in Collegio Adriani VI. (in quo ſtudioſi inopes ali conſueverint,) Jacobum Janſonium (qui ſummus extiterit Auguſtini admirator, ſed non levis viciſſim Jeſuitarum adverſarius,) magiſtrum veneratum fuiſſe Auctor aſſerit. Lauream Philoſophicam A. 1604. primus in ordine retulit, licet non absque tumultu. Cum enim ſe ipſi opponeret quidam Nobilis Antverpienſis, ut ceu dignior præferretur, ſciſſi ſunt in partes promotores, ſaxaque volarunt, & armis dimicatum eſt, aſt pugnis ceſſantibus palma tamen Janſenio remanſit. Contraxit paulo poſt amicitiam cum J. Vergerio, quæ, cum & hic primum Jeſuitis addictus, ſed poſtea Janſonio magis amicus factus fuerit, cauſa videtur Auctori, cur ſoliti ſint Janſenii hoſtes Vergerium parentem Janſeniſmi primum appellare. Hinc cum Noſter e continuis ſtudiorum laboribus morbi contraxiſſet moleſtias, ad ſuaſum Medicorum in Galliam profectus eſt, ac Pariſiis aliquantum commoratus, Bajonam ſeceſſit, ubi Vergerius evaſerat Templi Cathedralis Canonicus, Janſeniusque moderator Collegii ab Epiſcopo Bajonenſi, Bertrando d' Eſcaux, inibi erecti. Sed cum Bajona avocaretur Vergerius, nec ibi commorari porro Noſter voluit, Lovaniumque reverſus & Collegio S. Pulcheriæ præpoſitus eſt. Philoſophicam, quæ ipſi mox offerebatur, Profeſſionem abnuit, Papiſticæ Philoſophiæ parum amicus. Doctoris autem Theologiæ gradum A. 1619. aſſumſit, & monitus, ut M. Antonium de Dominis, qui tunc adverſus Pontificem calamum ſtrinxerat, refutaret, eo adigi non potuit, ac ſuſpicantur ideo ipſius hoſtes, quod eo jam tum tempore de edendo Auguſtino, & convellenda Pontificum autoritate, qui ſuis bullis Michaelem Bajum, Auguſtinianæ fidei defenſorem, damnaſſent, cogitaverit, & cum Vergerio inito fœdere convenerit, ut ſacra Romanæ religionis uterque mutaret. Renunciatus eſt interim Theologiæ Profeſſor, mox juſſu Hiſpaniarum Regis A. 1630. ſacras literas interpretari ſuſcepit, unde natum dicit Autor in Deuteronomion Commentarium, nec non in Proverbia, Eccleſiaſten, Sapientiam & Sophoniam Analecta, quæ poſthuma tamen in Eruditorum Bibliothecis aſſerventur. De cætero lectioni Patrum, præſertim Auguſtini, animum applicuit indefeſſum; quanquam approbare iſtud Auctor haud ſuſtinet, quod ad eum preces interdum direxerit. Virtutes contra ejus dotesque celebrat, ingenium acerrimum,

judici-

judicium graviſſimum, memoriam tenaciſſimam, magnanimitatem quoque, diligentiam indefeſſam, pietatem, taciturnitatem, amorem veritatis, quam in charitate quæſiverit, Symboli in locum hæc verba eligens: in veritate & charitate. Jeſuitis autem nunquam non adverſantem ſeſe præbuit, cumque Societatis Patres id agerent, ut Lovanii libertate docendi philoſophica fruerentur, omnibus repugnavit viribus, adeo ut & bis in Hiſpaniam proficiſceretur legatus academicus, quo id impediret. Cæterum ad ſententiam Auguſtini de gratia uberius excutiendam, occaſionem ipſi ſubminiſtraſſe putat Auctor litem inter Dominicanos & Jeſuitas de gratia exortam, quam ſtudioſe ex hiſtoria recenſitam heic videre licet. Prolixius quoque indicatur illius opera, quam navaverit Academiæ Lovanienſi, in defendenda Auguſtini ſententia; quo in negotio aſſeclas invenerit imprimis Libertum Fromondum, Florentiumque Conrium, non paucos item amicos alios, promotioni ejus ac ſaluti deditiſſimos. Accidit interea, ut Sylva Ducis a Friderico Henrico, Naſſoviæ Principe, capta, negotium Religionis ita ibi inſtrueretur, ut in parœciis Sacra Romanenſibus prohiberentur, & tandem edicto publico reditus eccleſiaſtici in uſum Reformatæ Religionis converti juberentur. Heic ſe acriter quidem oppoſuit Janſenius, ſed impetitus a Voetio, qui anſam quoque Deſperatam Papatus Cauſam publicandi inde arripuerat, conticuit, ſubſtituto in reſpondentis vicem Liberto Fromondo, qui tamen & ipſe edita a Martino Schookio Deſperatiſſima Cauſa Papatus ſiluit. Nec veretur Leydeckerus noſter injuſtam ejus appellare methodum, qua in diſputatione adverſus Reformatos uſus ſit, prout & atrocem illius in Reformatos animum colligi poſſe autumat ex iſta diſputatione, quam cum Theodoro Simonis, Holſato, homine antea Pontificio, ſed nunc ad Reformatos tranſire meditanti, inſtituerit, ubi, cum ſe argumentorum laqueis expedire non poſſet Janſenius, Theodorum viciſſim captivitati injuriisque aliis implicare nullus dubitaverit.

Hactenus in vita potiſſimum muneribusque Academicis Janſenium conſpeximus; nunc qua via ſibi acceſſum ad Epiſcopatus honorem is paraverit, ad Autoris noſtri ductum exponi ordo poſtulat. Non parum nempe huc contulit liber, quem abs ſe conceptum Janſenius (nomen interea Alexandri Patricii Armacani adſciſcens) ſub titulo *Martis Gallici* A. 1630. in lucem publicam emiſit, & in quo multa im-

pugnavit, quæ pro juſtitia armorum & fœderum Regis Galliæ Ludovici XIII. arduo conatu dixerat Doctor quidam Pariſienſis Facultatis Eccleſiæque Lugdunenſis Theologus, Beſianus Arroyus. Ipſa libri ſumma a Leydeckero recenſetur, & ſicuti is minime diſſimulat, quod Gallis ille plurimas irarum cauſas dederit, Hiſpanos contra, utpote quorum jura inibi aſſerta legantur, eo impenſius delectarit; ſicuti præterea Antonii Richardi, alteriusque alicujus Jeſuitæ, (quem Annatum fuiſſe credit,) judicia, & eorum, qui fœtum hunc Janſenio penitus abjudicarint, Petroque potius Roſæo acceptum retulerint, ſuſpiciones commemorat: ita magnam quoque in eodem Batavis illatam prolixe queritur injuriam, Suecosque ab eo pariter inique habitos, quod laborantibus in Germania Proteſtantibus a Ludovico XIII. ſuppetias aſſumſerint, defendit. Nos circa hæc haudquaquam diu commorandum ducimus, ſed iſtud tantum obſervamus, conceſſum dici in Hiſpania Janſenio quaſi in laboris præmium Yprenſem Epiſcopatum, conſecrante ipſum Bruxellis d. 28. Octobris A. 1636 Mechlinienſi Archi-Epiſcopo, unde poſt deductus Ypras fuerit d. 30. Novembris, exceptusque ſingulari epithalamio, (cum Pontificiis Epiſcopus Eccleſiæ ſponſus audire ſoleat,) quod per diſcipulos Collegii Jeſuitici Rector offerri curavit. Prolixum ſatis illud eſt, ſed inſertum tamen huic volumini, quin imo adjecta etiam ſub Partis primæ finem Belgica verſio, quam Janſenitæ A. 1688, cum de perſecutione admodum dolerent, divulgaverint. Ac, ut nihil deeſſet eorum, quæ huc pertinent, ſtatim a Præfatione ad Lectorem, Diplomata tum Pontificis Urbani VIII, tum Philippi IV. Regis Hiſpaniarum, quibus Janſenio confertur & confirmatur Yprenſis Epiſcopatus, adjunxit, non alii quidem uſui magis inſervitura, quam ut, qualis ſit hodie in Eccleſia Romana Epiſcopatus conferendi mos, edoceant. Expoſito autem, quidnam ad illa elogia reſpondeant Jeſuitæ, ipſa Janſenii acta Epiſcopalia recenſet, dum præcipue iſta in ſua diœceſi correxerit, quæ diſplicerent. Parum tamen illa probantur Noſtro, ac tanto proin citius ad curam properat, qua ultimam expoliendo Auguſtino ſuo manum addiderit. Datum tamen eruditis hunc denique poſt ejus mortem, & talem quidem, ut excuſus ſubin a manuſcripto differat, editoribus, Fromondo & Caleno, ob curiæ Romanæ metum multa expungentibus. Annum de cætero unum ac menſes fere ſex Epiſcopatu functus fuerat, cum pridie Nonas Majas A. 1638. ætatis

ſuæ

ſuæ LIII, peſte ſubito correptus occumberet. Solicite imprimis Auguſtinum ſuum amicis commendavit ante obitum & Pontificio curatus more animam exhalavit. Mortuus monumentum ſumtu multo, arte varia, gratisque civium votis extructum adeptus eſt, cujus inſcriptionem laudes Viri egregie deprædicantem apponit Auctor, ſed illud quoque ſuperaddit, quod juſſu Alexandri VII. A. 1655. turbatum monumentum, epitaphiumque ablatum, & aliud viciſſim (quod itidem in medium adducitur,) ab hoſtibus in ejus vituperium conſcriptum fuerit.

Jam tertius Auctoris noſtri liber varia complectitur judicia, quæ ſuper rebus hactenus enarratis ipſe efformat, & Janſenium certe, cum Belga fuerit, in Batavis natus, ſupine & ingrate neglexiſſe avitam ait libertatem, dum ſe Papali ſubmiſerit imperio; cum Profeſſor ſacrarum literarum fuerit Lovanii, magis eum Scripturam fidei principium venerari debuiſſe; talem occupaſſe ipſum Epiſcopatum, qui ad jugum Belgis imponendum cum cæteris fuerit inſtitutus, quemque is nequaquam ita adminiſtrarit, ut Fromondi de eo ſpem, quod optimos antiquitatis Præſules repræſentaturus eſſet, parum impletam dicere neceſſum ſit, præcipue, quod non tam ædificando per verbi miniſterium Dei vivi templo, quam ſuo, quod habitaret, palatio intentum ſeſe geſſerit. Mox laudandum iſtud cenſet in Janſenio ſummopere, quod in ordinem monachalem invectus, eundem ad priſtinum antiquitatis inſtitutum reduci voluerit. Sed & inſuper ipſum debuiſſe agnoſcere, quod Monachorum vota, dogmataque de ſatisfactionibus & operibus ſupererogationis, Theologiæ Auguſtinianæ de gratia repugnent. Merito quoque ipſum improbaſſe communem pœnitentiæ, confeſſionis, & euchariſtiæ uſum, quanquam in his aliisque tollendis parum profecerit. Animum ejus a Belgarum de gratia doctrinis, quas prolixe recenſet, haudquaquam alienum, ſed tamen hinc inde non parum hallucinantem, uti ſuo loco dicturus ſit, pronunciat. Recte eum aſſeruiſſe teſtatur, vitam ſpiritualem formari non poſſe, niſi ad doctrinæ Auguſtinianæ normam; unde ex fide de Chriſti gratia Ethicam deduxerit longe ſublimiorem, quam quæ in Papatu obtinuerit. Etenim vidiſſe ipſum, quam vana eſſet de viribus humanis præſumtio, nec non ſuperba meritorum venditatio; unde in eo totus fuerit, ut humilitatem commendaret, quæ in altiſſima ſui demiſſione ſita profundiſſimam creaturæ a ſuo Creatore dependentiam recte agnoſceret. De

cæte-

cætero abuſu dependentiæ ab ipſo gratiæ influxu atque efficacia, Molinoſum ex Janſeniſmo, formaſſe Quietiſmum exiſtimat. Utut vero præclara multa de converſionis gratia ſcripſerit Janſenius, vituperium tamen mereri ipſum in eo, quod ad fidem, ceu vocat, Evangelicam de Juſtificatione non pervenerit, imo Reformatæ religionis odio procedere ad eam noluerit; prout & iniquiſſimam adverſus Reformatos inimicitiam paſſim prodiderit, quam veluti hæreditariam nunquam non exercuiſſe deprehendantur Janſenitæ, quod teſtimonio non uno comprobat, ac præ cæteris allegat eorundem iras in Gisb. Voetium exercitas ideo, quod ille ſe oppoſuiſſet Carteſii doctrinæ, quam plerumque amplectantur ipſi, ſed ad multa exin prolapſi præcipitia; id quod methodo recentiorum Philoſophorum in Theologicis, e qua Janſeniſtæ nonnulli in Gallia dicantur in caſtra Arianorum tranſiiſſe, declarat. Circa ipſius teſtamentum graviter hoc reprehendit, quod ſe ſuamque mentem Eccleſiæ Romanæ ſubjecerit, pronus mutare omnia, ſi placeret Romanæ ſedi. Prodere hoc ipſius Scepticiſmum, in quo recentiores quidam Janſenitæ paria cum eo fecerint. Judicium interea ſuum de ſtatu Janſenii poſt mortem vix ferre ſuſtinet; cogitat tamen de ipſo meliora, cum quis neſciat, a quo tenui filo, quando gratiæ veritas agnoſcitur, ſalus queat ſuſpendi. Alia aliorum de Janſenio judicia, ſive ea fautorum ſint, ſive hoſtium, heic præterit, & ulteriori de varia Janſeniſmi fortuna commentationi reſervat. Unicum tamen, & per integram ejus vitam ſe diffundens teſtimonium Valerii Andreæ ſubnectit, & denique Janſenii gratiam Chriſti adverſus Jeſuitas Pelagianos aſſerentis icona verſibus depictam elegiacis ſuppeditat, prout & iis, qui vultum ejus noſſe cupiunt, tabella ænea ſub univerſi operis frontiſpicium comparente conſuluit.

Sed age, quid videtur Noſtro de dogmatibus Janſenii? Expreſſit ea hic magno opere, quod Augustinus dicitur, quia totius Theologiæ Auguſtinianæ theſaurus eſt, edendoque mox a Janſenii fato operi ſe accinxerunt Reginaldus Lamæus, mortui Sacellanus, qui amanuenſis fuerat & chartarum corrector, Henricus Calenus Archipresbyter Bruxellenſis Mechlinienſisque Canonicus, & Libertus Fromondus Profeſſor Lovanienſis. Prodiit Volumen A. 1640. opera Zegeri, Lovanienſis typographi, ornatum Cæſaris & Regis Hiſpaniarum privilegiis, dedicatumque Sereniſſimo Principi, Ferdinando, Hiſpaniarum

Infan-

Infanti, Cardinali, & Belgarum Gubernatori. Non autem deeſſe dicit Autor, qui Editores id ſtuduiſſe referant, ut clam Janſenii opus excuderetur, dediſſeque operam typographum, ut ne quis ea de re quicquam comperiret; mire tamen arcanum revelaſſe ventum, qui chartis aëri, ut ſiccarentur, expoſitis, unum alterumque folium in manus Adriani Crommii, Collegii Jeſuitici Præfecti, detulerit: & hunc implorata Superiorum opera effeciſſe quidem, ut Jeſuitæ libri venditionem impedire moliti fuerint, ſed fruſtra, cum mox proſtaret Francofurti ac Coloniæ, & Rotomagi in Galliis recuderetur. Licet vero titulum *Auguſtini*, quem dari ſuo huic libro ipſe Janſenius præceperit, non imprudentem dicere audeat; non defuiſſe tamen aſtum ſuperaddit, quaſi Lectorem ipſe dubium relinqueret de ſua mente, ac ſi Auguſtini doctrinam exponendo non ſimul eam adſtrueret, probaret, demonſtraret, vindicaret; quaſi non Jeſuitas condemnaret, ut palam Auguſtinianæ fidei adverſarios. Apud eos ergo, qui Jeſuitarum oderint effata, atque Hipponenſem Præſulem ut gratiæ præconem contra Pelagium adamarint, magnas hoc opus laudes meruiſſe; verum iis, quos petierit, horridum fuiſſe & maximopere inviſum; quandoquidem vel ſolo titulo atque omni pagina damnarit Jeſuitas ceu Pelagianos, maxime illos, qui Molinam ſequerentur. Igitur mox ab eo edito auditos clamores & convitia in Virum, in volumen poſthumum, in dogmata, primum theſibus, deinde libellis ac concionibus ad plebem, ac denique querelis libelliſque ſupplicibus ad Reges, ad Cardinales, ad Pontifices, eo eventu, ut tandem ſequeretur libri interdictum, doctrinæque Auctoris Romana condemnatio. Reformatos autem ſemper tuitos Auguſtini ſcripta, prout & Calvinus doctrinam ejus de gratia laudaverit. Refert dehinc ſummatim, quid in toto opere Janſenii ſinguliſque ejus tomis & partibus contineatur; refert etiam, quomodo ſui hujus Patriarchæ mentem explicaverint in Catechiſmo Gratiæ edito A. 1650. Janſenitæ. Mox duodecim dogmata Janſenii primaria & vulgaribus Romanorum effatis oppoſita velut in tabella exhibet, ejusque Theologiam de natura & gratia ipſius eſſe Auguſtini probat. Porro quid Auguſtinus a Manichæis & Pelagianis omnino alienum docuerit, declarat. Iniquiſſime autem Calvinianos accuſatos perhibet, quaſi eſſent Manichæi, ac libertatis arbitrii peremtores; unde & Janſenius Calvinianus audire præter rem horruerit, Lutherumque etiam citra

D funda-

fundamentum inſectatus fuerit, quaſi qui arbitrium liberum negaret. Cæterum dubium Auctori non eſt, quin veſtigia preſſerit Janſenius Michaelis Baji, Lovanienſis Profeſſoris, Academiæque Cancellarii, cujus viri propoſitiones novem & ſeptuaginta adponit, & Paparum Pii V. Gregoriique XIII. latas in easdem ſententias condemnatorias recenſet; at non niſi Jeſuitarum ſimiliumque conſilio cuncta peracta judicat. Sat manifeſte autem Janſenium ſe amicum Baji declaraſſe, unde mirum adeo non ſit, quod fata cum eo perquam ſimilia experiri neceſſum habuerit. Iſtud autem mirum ſibi videri affirmat, cur Jacobum Benignum Boſſuetum, qui nuper in ſua Expoſitione fidei dogmáta Bajanis utique, ut oſtendit, æqualia propoſuerit, Romæ tamen laudatum, toleratum ad minimum, cum ſuis aſſertis intelligamus.

Verum licet iſtam accuſationem, qua Janſenius Jeſuitas ceu Pelagianam ſobolem introduxerit, & præcipue inter ipſos ac Gallos Maſſilienſes jam ab Auguſtino refutatos parallelíſmum formaverit, pro ſola fere & unica cauſa malorum, eidem quæ obtigerint, haberi poſſe moneat; non eſſe tamen iſtam adeo ſonticam declarat, utpote cum ſatis notum, quomodo jam diu atram Pelagianiſmi notam æmulis Jeſuitis Dominicani inuſſerint, ipſique e Jeſuitis aliqui veſtigia eorum preſſerint. Imo & in Bellarmino, quanquã is Molinæ, Vaſqueſii, Leſſiiq; opiniones tanquam Auguſtino adverſantes notet, Pelagianiſmi labem reperiri probare nititur. Joannem etiam Caſſianum, qui Semi-Pelagianiſmum condiderit, a Jeſuitis extolli tanquam celeberrimum ſui ſeculi vitæ ſpiritualis directorem, nec defuiſſe, qui in eum Commentaria ceu orthodoxum ſciberent. Fauſtum Rhegienſem, qui ſecutus ſtatim ſit Caſſianum, apologiis defendi, ipſo ob id Baronio indignante. Denique quo animo Dominicani Jeſuitas Pelagianiſmi accuſaverint, palam eſſe dicit ex Congregationum de auxilio ſub Clemente IIX & Paulo V. hiſtoria. Ibi enim Valentiam, Arrubalem, & Vaſtidam ſe reos peragi Pelagianiſmi perſenſiſſe. Et cum Valentia ibi conceſſiſſet, Pelagianos admiſiſſe reipſa aſſenſum ſupernaturalem fieri naturaliter, etiamſi verbis id negarent, ſubſumſiſſetque Thomas Lemos: atqui idem facit Molina; hæſiſſe illum reum commotis conſultoribus. Unde in exitu a Generali acrem hanc cenſuram retulerit: deſtruxiſti Societatem, deſtruxiſti Societatem conceſſione illius majoris. Quo facto, & Papæ indignatione velut fulmine paulo poſt percuſſus, tanquam Auguſtini depravator & Pelagianorum ſequax, fere exanimatus, Neapolim-

limque advectus, ex dolore confeſtim mortuus fuerit. Hæc autem ut demonſtret paulo clarius, ipſam harum congregationum hiſtoriam late recenſet. Incepiſſe eas refert A. 1598. ſub Clemente VIII protractasque ad annum uſque 1605, quo Papa hic mortuus, imo lite nondum definita continuatas ſub Paulo V. Occaſionem earum fuiſſe hanc, quod Molinæ opiniones de Gratia & Libero Arbitrio, quæ antiquæ eſſent Franciſcanorum, probatæ hactenus a Jeſuitis & auctæ Luſitaniam, Hiſpaniam, Belgium, aliasque orbis Pontificii partes turbarent, non ferentibus Jeſuitarum molimina Doctoribus Lovanienſibus, ac Duacenis, atque in Hiſpania Salmanticenſibus, quorum primarius Dominicus Bannez, cui ſe in Luſitania Thomas Lemos adjunxerit. Itaque negotium delatum ad Inquiſitionis tribunal, mox a Jeſuitis ablegato F. Suarez, qui motus componeret, invidiamque amoliretur. Sed cum non feliciter ſatis procederet negotium, Clementem ipſum, de his diſſidiis cognoſcere cupidum, has Congregationes inſtituiſſe. Heic vero diu nimis ſubſiſtendum nobis & prolixe admodum extendenda eſſet hæc relatio, ſi Acta harum Congregationum ſingula ad ductum Auctoris, qui cum cura in iisdem verſatus eſt, commemorare ſtuderemus. Hoc ſaltim allegamus, cuſum eſſe in Jeſuitas velut Pelagianiſmi reos decretum Pontificium, ſuppreſſum iſtud quidem & in Romanis ſcriniis, ne innoteſceret, concluſum, uſque dum Janſenitarum Legati Romæ iſtud fideliter deſcriberent, appoſita publica fide & inſtituta collatione, ex quo tempore a Sanctamoreo publice ſit editum. Nec deſideratur in hoc opere, cui totum, licet paulo ſit prolixius, Auctor inſeruit, eum maxime in finem, ut Janſenianæ cauſæ contra Jeſuitas æquitatem hinc oſtenderet. Cuncta autem, quæ in Jeſuitis ille notarit ac perſtrinxerit, ad hos articulos reducit: ad doctrinam de ſtatu primi hominis, de ſtatu naturæ lapſæ, de gratia Servatoris, de prædeſtinatione, & ad Scholaſticorum, præcipue Jeſuitarum, docendi methodum. Recte vero hactenus & ad Autoris noſtri placitum ſe geſſit Janſenius; nunc tamen, quid in eo deſideret, exponere is non omittit. Videlicet non ſatis apte ipſum compegiſſe dicit ſuum de natura & gratia Syſtema. Neque potuiſſe aliter, quando Romana communione excedere nollet, Tridentinis decretis obnoxius. Præterea doctrinam Auguſtini obſequio nimis ſervili eum probaſſe ubique, ut etiam nævos imitaretur, quos evitare Reformati caute de-

creverint. Imo vero in quibusdam viſum infra Dominicanos ſubſidere, probatis etiam quibusdam Jeſuitarum & Pelagianorum principiis. Quamvis autem prolixiorem de dogmatis Janſenii falſis diſſertationem in aliud volumen reſervet, paucis tamen aſſertorum ſuorum fidem adſtruit. Grandem igitur Janſenii errorem facit, quod prædeterminationem phyſicam, qualem præcipue Dominicani aſſeruerint, licet profundam creaturæ a Creatore dependentiam veneraretur, negaverit; imo vero a ſtatu angelorum & primi hominis ante lapſum ipſius gratiæ prædeterminationem plane excluſerit; quod nimium in gratia delectante & morali ſuavitate movente hæſerit, atque in illa ſtatuerit dari gradus; quod gratiæ interiori cuidam reſiſtere quem poſſe dixerit; quod quoad peccatum originale, rejecto fœdere primo, & ex eo imputatione peccati Adamitici, metuens ſibi a Jeſuitico dogmate, quod peccatum originale fere in imputato reatu conſtituat, unice intentus fuerit in propugnationem illius per libidinoſam concupiſcentiam; quod debuerit ex principiis Romanæ fidei de efficacia Baptiſmi, qua, quicquid eſt peccati in baptizatis, eluatur, ſtatuere, concupiſcentiam poſt illud Sacramentum in iis remanentem etiamque in regenitis non eſſe peccatum, niſi illi conſenſerint; quod aſſeruerit, in renatis, manente licet concupiſcentia, dari facultatem, qua legem Dei perfecte implere queant, licet talia quoque ſcripſerit, quæ viciſſim oſtendant, quod aliqua ſenſerit mandata Dei quoad vires datas per gratiam eſſe fidelibus impoſſibilia; quod liberius de bonorum operum meritis locutus fuerit, quam deceat gratiæ Chriſti adſertorem; hujus autem erroris hunc eſſe fontem, quod ad Juſtificationem gratuitam ſine operibus per gratiam Chriſti fide receptam non penetraverit. Hallucinatum præterea Janſenium in extenſione mortis Chriſti. Quamvis enim fateatur, ſingulari modo Servatorem pro electis ſolis ad ſalutem eſſe mortuum, attamen ut fulmen Tridentinum evitaret, ſtatuiſſe, etiam reprobis ex morte Chriſti gratiam dari, quæ veram regenerationem & fidem producat, nec tamen perſeverans ſit, Deo ſubtrahente certis de cauſis gratiam; unde quoque affirmarit, vere ſanctos & fideles plurimos plane & in æternum deficere; quem errorem, ut vocat, comitatus fuerit alius, neminem de ſalute ſua certum eſſe poſſe, licet foret de ſua converſione & fide perſuaſus. Has putat Janſenii ſequaciumque doctrinas Scripturis & veritati fidei neutiquam conſonas, & quæ ſatis indicent,

dicent, Janſeniſmum longe diſſidere a Reformata fide, quamvis ad eam cauto Moliniſmi, utique Pelagiani, evitandi ſtudio accedere viſus ſit. Reformatos etiam longius abire a Pelagianis, quam Janſenium, qui ſubinde his aliquantum ſimilis appareat, dum v.g. Pelagii morales ſuaſiones non ſatis rejecerit, dum ſanctos ſæpius deficere conceſſerit, communem adeo gratiam electis & reprobis attribuens &c. qua occaſione binas de *Pelagianiſmo* & *Semi-Pelagianiſmo* diſſertationes ſubnectit, & utriusque naturam ac hiſtoriam fuſe explicat; nosque, dum Lectorem eo ablegamus, ſpem ſimul facimus, quod citra fructum inde receſſurus nemo ſit.

Atque hæc de dogmatibus Janſenii theoreticis commentari Auctor voluit. Nunc ad practica progreſſus, Ethicam illius ex ſanioribus Auguſtini fontibus profluentem laudat. Laudat quoque ejus animum, Scholaſticorum, præſertim Jeſuitarum, Ethicam adverſantem, utpote cum & in hac Pelagium illi pariter ſecuti deprehendantur. Ipſum contra in eo eſſe totum, ut ex principiis de origine boni & mali, ſeu de corruptione naturæ lapſæ per ignorantiam & concupiſcentiam, & de oppoſita gratia, qua amor Dei peccatori inſpiretur, rationem peccati & veræ virtutis exponeret. Unde ille ſic: ſummum bonum eſt ſolus DEUS; omne bonum in creatis eſt a DEO, præſertim in peccatore reſtituto; non eſt aliquod bonum, niſi tendat ad Deum, qui eſt finis boni. Ergo omne opus bonum debet deduci ex DEO, ejusque gratia, qua in peccatore bona operandi principia producuntur, debetque rurſus tendere in Deum, id eſt, neque eſſe poteſt aliquod bonum opus, quod non ex illo amore proceſſerit: contra non poteſt non illa actio eſſe peccatum, in qua amor Dei deficit, aut quæ iſti virtuti adverſatur. Deficit autem per amorem creaturæ inordinatum, id eſt, per concupiſcentiam & ἀυτοφιλίαν, quibus animus a Deo autore & fine omnis boni avertitur. Ut vero Deus amari poſſet, opus erat fide, qua Deus recte cognoſcitur, intentio animi in debitum finem dirigitur, & auxilium ad bene operandum ex amore ab ipſo Deo petitur & impetratur. Inde ergo ortam Janſenii Ethicam, cujus quoad peccatum & virtutem ſolidas omnino baſes, ex magno opere collectas & variis articulis incluſas, Auctor ſigillatim exhibet. Paria autem in hoc negotio tradidiſſe notat J. Vergerium, Abbatem Sancyranum, qui pares etiam expertus fuerit adverſariorum inimicitias. Utriusque inſuper, Vergerii

pariter ac Janſenii, Theologiam Moralem circa euchariſtiam & pœnitentiam amplius expoſitam ab A. Arnaldo, libro de frequenti communione, cujus ſummam exhibet, & quomodo illius dogmata ab adverſariis exagitata reperiantur, indicat. Non interim Viris ſuffeciſſe perhibet, meliorem docuiſſe Ethicam, quin & Jeſuitiſmi themata morali ſuæ doctrinæ adverſa ab iisdem impugnari perhibet, ac ſpeciatim decantatiſſimam illam probabilitatem, ignorantiam peccata excuſantem, doctrinas: mandata DEI obſervari poſſe absque reſpectu ad DEI gloriam, ipſumque Chriſtum potuiſſe virtuoſas præſtare actiones ſine reſpectu ad gloriam ſui Patris, quin etiam ſatisfieri poſſe divinis præceptis, non tantum absque intentione ea obſervandi, ſed etiam cum intentione contraria & criminoſa; varia itidem eorum dogmata ad amorem proximi & ſecundam Tabulam ſpectantia. Praxin præterea Jeſuitarum circa Chriſtianiſmi religionem, circa Sacramenta euchariſtiæ & pœnitentiæ, circa devotionem, a Janſenitis corrigi. Reprehendi eorum cultum B. Virgini Mariæ exhiberi ſolitum, reprehendi dogmata Principum juribus & axiomatibus perquam infeſta, quæ ad ductum Sanctarelli aliorumque ex Hiſtoria in medium producit, tandemque claudit hoc volumen fidei & pietatis Janſeniano-Sancyranæ ſpecimine, quod dedit G. Gibieuf, in fine libri de libertate DEI & creaturæ, quodque, dum rarus ille liber ſit, ut heic locum inveniret, dignum utique exiſtimavit.

Sed nondum dimittendus Lector eſt: ſequitur enim Appendix, quæ varia in ſe ſcripta ab aliis profecta continet. Et primo quidem loco comparent *duæ* illæ *tabulæ* a Jeſuitis in odium Janſenitarum efformatæ, quarum ſupra nudos modo gradus in præfatione exhibuerat, heic vero integram, qua conſtant, deductionem pleniſſime legendam concedit. Ac refertæ illæ ſunt creberrima errorum plurimorum imputatione, refertæ multo apparatu argumentorum, exitium in Janſenitas decernendum eſſe flagitantium. Porro, cum Janſenitæ ſe vulgaribus, maxime Jeſuiticis erga B. Virginem honoribus oppoſuerint, edito (a Janſenita, ut putat, Mechlinienſi,) libello, cui titulus: *Monita ſalutaria B. Mariæ Virginis ad cultores ſuos indiſcretos*; idcirco eum integrum ſubjungit ex editione Leodienſi apud Nicol. de la Rache A. 1674, (ſed habetur, id quod obſervamus obiter, exemplar prius Gandavenſe A. 1673. typis Franciſci d'Erckel impreſſum, juxta quod ante

annos

annos aliquot in Germania noſtrâ ſuperiore repetita vice excuſa monita hæc ſunt. Bina vero hæc exemplaria inter ſe contendentibus aliqua equidem occurret in lemmatibus diſtinctionibusque diſcrepantia, ſed levior, unde nonniſi ἐν παρόδῳ iſthæc memorare placuit;) nec minus alterum illi oppoſitum, Duacique mox editum eodem anno, Latine & Gallice, apud Mariam Serrurier, hac ſub inſcriptione: *Jeſu Chriſti monita maxime ſalutaria de cultu dilectiſſimæ matri Mariæ exhibendo*, cujus autor fuerit Theologus quidam Duacenſis. Denique liberali manu communicat colloquium cum Janſenitis, qui A. 1653 damnati & Roma Pariſios redituri Tigurum tranſiverunt, habitum a celeberrimo Viro, Joanne Henrico Hottingero, quod hujus manu deſcriptum, miſſumque ad Gisb. Voetium dono ſibi datum celebrat a Gisberti nepote, Paulo Voetio, qui Illuſtriſſimis Provinciæ Ultrajectinæ Ordinibus a Secretis eſt. Exponit autem in eo Hottingerus, quid ſecum quilibet illorum Legatorum diſſeruerit, & ex effatis ſingulorum hoc denique judicium elicit: Papam parti utrique gratificaturum publice damnaſſe Janſenitas, privatim Auguſtini doctrinam approbaſſe: Janſenitas mediam ex Auguſtino inter Reformatos & Moliniſtas viam quærere, quæ non detur; captioſe & calumnioſe Reformatorum doctrinam ab iis proponi: multum tamen eos lucis habere, puta quod ab Auguſtino in controverſia de gratia non recedant, & eundem, ut faſſi ſint coram Pontifice, vita ſua chariorem habeant; quod de articulis fidei a gratia DEI dependentibus ſuum in multis præbeant aſſenſum; quod determinationem ultimi actus & gratiæ divinæ concurſum ad omne opus bonum tam maſcule urgeant; quod tandem Jeſuitarum ſtudia & mores plane improbent.

*NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS ECCLESIASTIQUES.*

hoc eſt:

## Novæ Bibliothecæ Autorum Eccleſiaſticorum

Tomus VII. Autore L. E. Dupinio.

Pariſiis, apud Andream Pralardum, 1696. in 4.

Conſtat Alphab. 1. plag. 11.

ALia plane facie ſeptimus hic Bibliothecæ Eccleſiaſticæ tomus, quam præcedentes, in orbis eruditi theatrum prodit. Illi enim cum vitas ſcri-

ſcriptaque Autorum Eccleſiaſticorum, ea, quam ætas eorum præſcribebat, ſerie, exhibuerint, iisque Conciliorum hiſtoriam, brevemque doctrinæ & rituum delineationem ſubtexuerint; in hoc arbitraria prorſus methodo, potiſſimæ ſeculi noni controverſiæ & materiæ eccleſiaſticæ pertractantur. Quamobrem ipſum titulum quoque mutare clariſſimo Autori viſum fuit. In Pariſienſi enim editione, quæ anno 1694 lucem aſpexit: *Hiſtoire des Controverſes & Matieres Eccleſiaſtiques traiteés dans le neuvieme Siecle*; H. e. *Hiſtoria controverſiarum & materiarum Eccleſiaſticarum, ſeculo poſt C. N. nono agitatarum*, inſcribitur. Quamvis in illa, qua nunc uti nobis licet, editione, Huguetanorum ſumtibus procul dubio iterata, priorum tomorum titulus harmoniæ ſervandæ gratia retentus fuerit. Septendecim autem ſive capitibus ſive titulis totum hoc opus abſolvitur, quorum primo, quid tam in Orientali quam Occidentali Eccleſia circa initium hujus ſeculi in cauſa imaginum actum fuerit, explicatur. Defendebat imaginum cultum cum Patriarcha ſuo, quem A. 806. ad hanc dignitatem provexerat, ſibi cognomine Imperator Nicephorus; quod etiam ejus faciebat ſucceſſor, Michael Curopalates. Poſt ejus exceſſum vero Leo Armenius Iconoclaſtis favebat, quo interfecto pacem Michael Balbus, qui poſt eum anno Chriſti 820 in thronum Imperatorium evectus eſt, inter Iconoclaſtas & partem iis adverſam meditabatur; quamobrem adorationi earum ſerio interdicebat, omnibus quoque ſuperſtitioſis cæremoniis, quæ tendere eo videbantur, abrogatis, quamvis plane ſacris locis eas exturbari non vellet. Quod conſilium ſuum ut Pontifici Romano probaret, ſolennem ad eum legationem adornabat, Ludovico Pio quoque Imperatore occidentali in partes vocato. Verum cum nihil fere a Curia Romana obtineri poſſet, libertatem ſaltem per legatos ſuos Ludovicus flagitabat convocandi ſuper hac re in Gallia concilium; qua impetrata, anno 824 de hisce rebus conſultabant in Concilio Epiſcopi Galli, adorationemque imaginum plane rejiciebant, imo & honorem earum ob ſcandalum, quod infirmis inde naſci poterat, diſſuadebant.
p.3. Acta hujus Concilii Papæ Eugenio Ludovicus Imperator transmittebat; nullo tamen civilitatis genere omiſſo, quod ad bene ea accipienda, & pacem cum Orientalibus ineundam eum disponere poſſe videbatur. Non equidem conſtat, quomodo omnia iſta ab Eugenio accepta fuerint; mittebat tamen interea Ludovicus Legatos

tos ad Michaelem in Oriente imperantem, Alitgarium Cameracenſem Epiſcopum & Alfridum Nonantulæ Abbatem; quos tamen vix quicquam effeciſſe inde manifeſtum eſt, quod eadem rerum facies in Oriente, quamdiu Michael imperavit, obtinuerit, poſt mortem vero ejus a Theophilo filio perſecutio contra imaginum defenſores fuerit renovata. Quamvis poſt hujus obitum, in Concilio Conſtantinopolitano anno 842 ab ejus uxore Theodora convocato, earum cultus reſtauratus fuerit, evecto quoque ad Patriarchatus faſtigium Methodio in locum Joannis, qui Iconoclaſtarum partibus faverat; quo ipſo etiam finis huic controverſiæ in Oriente impoſitus fuit. Vigebat ea interea in Occidente inter Claudium Epiſcopum Taurinenſem, & Theodemirum Abbatem, quorum ille plane abrogari imagines, hic retineri omiſſa tamen earum adoratione volebat. Scripta prioris juſſu Ludovici Pii refutanda ſuſcepit Jonas Epiſcopus Aurelianenſis, cujus liber contra Claudium, poſt hujus denique mortem, Carolo Calvo dedicatus prodiit. In illo uſum imaginum, ſanctorumque invocationem, cultum & interceſſionem operoſe defendit, Gallos tamen non adorare imagines dicit, nec probat divinitatem rebus corporeis repræſentari. Antequam hic liber prodiret, Dungalus Diaconus Claudium refutavit libro p. 4. Ludovico Pio dedicato. Minus autem, qui circa hoc tempus eadem de re ſcripſit, favit imaginibus Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus, utpote cui ſub ſignis hujusmodi viſibilibus inviſibilia coli diſplicere videtur. Sed alia mens eſt Walafrido Straboni Fuldenſi Monacho, qui paulo poſt eum ſcripſit, & poſt quem etiam in Occidente p. 5. controverſiæ de hoc negotio ceſſaſſe videntur: ſiquidem non Germania & Gallia tantum, ſed reliquæ etiam Occidentis provinciæ cultum imaginum recipere non dubitarunt. Nihil itaque ſupereſſe videtur clariſſimo Autori, quam ut de Viris eccleſiaſticis, quorum aliquæ in his controverſiis fuere partes, nonnulla adjiciat. De Nicephoro igitur primum Patriarcha Conſtantinopol. agit, eadem fere methodo, qua in præcedentibus tomis Scriptores eccleſiaſticos recenſuit: ut ſcilicet vitam primo ejus exponat, quomodo in aula nimirum vixerit, ſolitariam poſtmodum vitam, quamvis non monaſticam, duxerit, ad Patriarchalem demum thronum, laicus licet, quomodo ſit evectus. Exponit inde quam fecit ab eo ſeceſſionem Theodorus Studita aliique monachi, ob legitimum, in favorem Nicephori Imperatoris, pronun-

ciatum Conſtantini Copronymi cum Theodota, repudiata priore uxore, conjugium, reſtabilitumque Joſephum Oeconomum, qui Theodotam coronaverat: & quomodo ſanatum fuerit hoc ſchiſma a Michaele Curopolata; quomodo denique a Leone Armenio anno 814 ob controverſiam imaginum relegatus, & in exilio anno 828 mortuus ſit, a Michaele Balbo cum cæteris extorribus non revocatus. Opera poſtmodum ejus recenſet, ſummamque eorum breviter exponit, lato quoque critico, ubi opus eſt, de iis judicio. Eadem ratione de Theodoro Studita, de Joſepho Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, de altero Theodoro, Studita paulo juniore, Theoſterićto Monacho, Claudio Taurinenſi, & Dungalo Diacono agit. Quæ omnia ideo prolixius e primo hoc capite excerpere placuit, ut Lectoribus ſtatim de novæ Autoris noſtri methodi ratione conſtaret, quibus patere nunc exiſtimamus, non eſſe ut vereantur deterius hoc opus factum nunc eſſe, cum ea non tantum omnia præſtentur, quæ tomis prioribus fuerunt præſtita, ſed plura etiam, quibus denuo orbem literatum ſibi obſtringit Vir inter præclare de eo meritos, non poſtremo loco a nobis reponendus.

p. 10. Hiſtoriam controverſiæ de gratia & prædeſtinatione caput alterum complectitur, quæ inter Gotteſchalcum, qui & Fulgentius dicicitur, hæreticas de ea opiniones foventem, & Rabanum orthodoxæ veritatis aſſertorem, circa medium hujus ſeculi agitari cœpta fuit. Proponit hanc controverſiam ita clarisſimus Autor, ut facile appareat, de verbis ſolum eam ex ejus ſententia fuiſſe. De re enim ſatis inter Gotteſchalcum & Rabanum conveniſſe ait; in eo ſolum eos diſcrepaſſe, quod hic rejecerit phraſin, qua Deus ad pœnas æternas prædeſtinare dicitur, quam tamen ille obtrudere adverſæ parti voluerit, in Concilio Moguntino anno 848 propterea condemnatus. Cum vero Orbacenſis in Gallia monaſterii eſſet Monachus, quod ad Sueſſionenſem diœceſin, quæ Archiepiſcopum Remenſem Metropolitam habet, ſpectabat, literas de ejus condemnatione ad Hincmarum Remenſem eo tempore Archiepiſcopum, Rabanus perferri curabat. Naſcitur inde occaſio de Hincmaro diſſerendi, quem cum viros doctos Flodoardi autoritate, in Ebbonis locum, poſtquam per integrum decennium
p. 12. ſedes Remenſis vacaſſet, ſubrogatum ſtatui videamus; non abs re fore exiſtimavimus ex Autore noſtro notaſſe, non Ebboni immediate

Hinc-

Hincmarum ſed Fulconem, huic vero Notonem ſucceſſiſſe, quorum ille novem, hic unicum ſaltem annum cum dimidio ſedem illam tenuerit; poſt Notonis vero demum exceſſum, Hincmarum locum ejus occupaſſe. Quemadmodum vero Hincmari magnæ in controverſia Gotteſchalci fuerunt partes, quas toto hoc capite clariſſimus Autor perſequitur: ita non minus ipſi faceſſiverunt negotii cum Rothado Epiſcopo Sueſſionenſi lites, quas Nicolaus Papa tandem compoſuit, quibus totum III caput impenditur; nec non Vulfadii aliorumque Clericorum cauſa, quorum ordinationem, ab Ebbone Epiſcopo depoſito factam, pro canonica agnoſcere Hincmarus nolebat, quæ prolixe capite IV exponitur. Multum quoque eum turbarunt nepotis ſui, beneficio ipſius ad Epiſcopatum Laudunenſem evecti inquieta contra illum conſilia, quæ c. V referuntur, ut & alia maximi momenti negotia tam civilia quam eccleſiaſtica, in quibus ejus conſpicua fuit dexteritas, quæ totum VI caput hujus operis impleverunt. Talia fuerunt p. 52.
divortium Thietbergæ & Lotharii III Lotharingiæ Regis, quod publico ſcripto, ſecus ac a quibusdam credebatur, ſe deteſtari teſtatus eſt: raptus Judithæ, Caroli Regis filiæ, & Angliæ Regis viduæ, a Balduino p. 54.
perpetratus: ſeparatio Ingeltrudæ a marito ſuo Boſone: conjugium p. 55.
Stephani cum Raimundi Comitis filia, cui debitum conjugale negabat ille, quod inceſtum cum ea ſe commiſſurum vereretur, cum aliqua e conſanguineis ejus ſe turpiter olim conſueſſe memor; quam ob cauſam etiam illud dirimi juſſit Hincmarus, ſi tamen vera eſſe dicta ſua Stephanus probaverit. Huc referuntur etiam ſtudium ejus & epiſtolæ ad p. 56.
conciliandos fratrum Ludovici Germaniæ Regis & Caroli Calvi animos ſcriptæ; proteſtationes contra Anſegiſi Agendicenſis Archiepi- p. 57.
ſcopi privilegium, quem in præjudicium Remenſis Eccleſiæ ſuum per Gallias & Germaniam vicarium fecerat anno 876 Papa Joannes VIII, & alia quamplurima, nunc a nobis prætereunda. Capite VII. controverſiæ nono ſeculo circa Sacramentum euchariſtiæ motæ examinantur, quibus Paſchaſium Ratbertum libro ſuo de corpore & ſanguine Jeſu Chriſti occaſionem dediſſe, nulli juxta Autorem noſtrum dubium eſſe poteſt. Id vero non æque perſpicuum eſt, quis controverſiæ ſtatus præciſe fuerit. Eum itaque, poſtquam brevem libri Paſchaſiani recenſionem inſtituiſſet, Mabillonii verbis ita explicat, ut dicat, ante Paſcha- p. 63.
ſii librum confeſſos quidem fuiſſe Catholicos omnes, verum Chriſti

corpus & verum ſanguinem revera exiſtere in euchariſtia, itemque panem & vinum in illa converti; at neminem Paſchaſii tempore, illud corpus eſſe idem, quod ex Maria virgine natum eſt, directe aſſerere auſum fuiſſe. Propterea hunc Paſchaſii librum primus invaſit Autor anonymus, cujus librum ad calcem Erigerii in manuſcripto Gemblacenſi Mabillonius invenit, hoc titulo ornatum: *Dicta cujusdam ſapientis de corpore & ſanguine Domini adverſus Ratbertum*. Credidit Mabillonius, eſſe hunc librum Epiſtolam Rabani ad Egilonem, nullo tamen, ſi audiendus eſt Noſter, fundamento: nam neque titulus id patitur, neque Epiſtolæ formam hoc ſcriptum præfert. Non dubitari tamen poteſt, Rabanum quoque inter Paſchaſii antagoniſtas fuiſſe, præterquam enim, quod Ratramno adverſario Paſchaſii eum jungit Erigerius, ipſemet id profitetur, adverſusque eum Epiſtolam ad Egilonem Abbatem a ſe ſcriptam teſtatur in literis ad Heribaldum: quamvis realem corporis Chriſti præſentiam Rabanum non negaſſe, ex variis ejus
p. 67. locis probari poſſit. Nihil vero de quæſtionis tunc agitatæ ſtatu melius inſtruere nos clariſſimus Autor exiſtimat, quam librum qui ſub Bertrami nomine de corpore & ſanguine Chriſti extat. Iſtum librum neque cum *Sixto Senenſi* & aliis pro ſuppoſititio habet, nec cum *Petro de Marca*, & *P. Paris* in diſſert. de hoc libro, ut & *Jo. Harduino*, pro Joannis Scoti Erigenæ fœtu, ſed cum *Uſſerio* & *Mabillonio*, cujus poſterioris argumenta pro demonſtrationibus habet, Ratramnum ejus
p. 69. autorem credit. In illo autem ſtatus controverſiæ ſic fere exponitur. Cum aliqui Chriſtianorum nullam figuram in myſterio corporis & ſanguinis Chriſti locum habere, ſed illud nudæ veritatis ſimplici manifeſtatione peragi dicant: alii contra corpus & ſanguinem Chriſti figura myſterii repræſentari exiſtiment, ita ut differat id quod corporis ſenſibus ſubjicitur, ab eo quod fides amplectitur; ad opinionum differentiam & ſchiſma fere res rediiſſe videtur. Non itaque quæri putat Dupinius, an præſens ſit corpus Chriſti? id enim ſupponi ait. Sed an ſine velo & figura præſens ſit, ita ut corporis oculis appareat? an ita præſens ſit palpabile & viſibile, ac in ſepulcro, in ſtemmate crucis,
p. 72. in utero matris denique fuiſſe credendum eſt? Hoc ſaltem, non illud in Paſchaſio refutaſſe Ratramnum exiſtimat. At longius proceſſiſſe fatetur Joannem Scotum Erigenam; ille enim manifeſte præſentiam realem impugnat, quod etiam jam olim ab Hincmaro Remenſi c. 31. libri de

de Prædeſt. ei objectum fuiſſe legimus. E reliquis qui obiter ſaltem has controverſias attigerunt, Amalarium, Florum & Drutmarum a Ratramni, Haimonem Halberſtadienſem vero, & Remigium Antiſſiodorenſem a Paſchaſii partibus ſtetiſſe videmus, cui injuriam factam, male acceptis ejus loquendi formulis, noſter quoque Autor exiſtimat. Sed alia quoque hoc ſeculo circa Euchariſtiam orta eſt quæſtio, an ſcilicet aliqua ejus pars reliquorum corporis alimentorum naturam induat? Qui affirmabant quæſtionem, odioſo Stercoraniſtarum nomine appellabantur, feciſſeque illud videntur Rabanus, Amalarius & alii nonnulli, quos tamen Erigerius, Guitmundus & alii refutarunt. Inter Paſchaſium & Ratramnum præter controverſiam de modo præſentiæ Chriſti in ſacra cœna, alia quoque mota eſt, de modo quo Chriſtum pepererit virgo mater, an ſcilic. aperto an clauſo utero? quæ capite IIX a clariſſimo Autore exponitur; in quo ſimul prolixius de Autoribus in hactenus enarratis controverſiis occupatis, eorumque ſcriptis & vita agitur, de Ratramno nimirum, Joanne Scoto Erigena, quem a Joanne Scoto Æthelingenſi Abbate diſtinguit, & denique Paſchaſio Ratberto. Sequentia duo capita celebri Photii Conſtantinopolitani Patriarchæ hiſtoriæ impenduntur: ita ut c. IX ejus cum Ignatio de Patriarchatu Conſtantinop. contentiones, c. X vero controverſiæ in Eccleſia Latina ab eo excitatæ enarrentur. Priori loco ſimul prolixa de Concilio generali VIII, in cauſa Photiana poſt Ignatii reſtitutionem convocato, inſtituitur enarratio, ut & controverſiæ, quæ Pontifici Romano cum Conſtantinopoleos Patriarcha de Bulgaria poſt id concilium interceſſit, utpote quam uterque ſuæ poteſtati in eccleſiaſticis ſubjectam eſſe volebat; Synodi item Photianæ, poſt hujus reſtitutionem ad abrogandam concilio modo dicto VIII auctoritatem inſtitutæ, & diſſidiorum inter orientalem & occidentalem eccleſiam originis, quibus prima ſemina dediſſe videtur Græcorum cum iis quos Photius ordinaverat, licet a Romanis Pontificibus fuiſſent excommunicati, pax & communio. Tandem etiam ſcripta Photii prolixe commemorantur tam edita quam inedita, quorum quæ poſterioris generis ſunt non dividiæ erit hic quoque appoſuiſſe. Eſt nempe in Bibliotheca Auguſtana, Vaticana & Colbertina tractatus ejus *Amphilochia* inſcriptus, qui centum quæſtiones ab Amphilochio Cyziceno ei propoſitas earumve reſponſiones complectitur. Commentarius in Epiſtolas Paulinas in Bibliotheca

p. 73. p. 77. p. 87. p. 96. p. 103.

bliotheca Cantabrigienſi extat,ſicutNotæ in Prophetas in Vaticana: Librum contra Leontium hæreticum Suidas citat. Habentur præterea ab eo ſcripta ſed inedita, opus contra Latinos, collectio de Epiſcopis & Metropolitis,& tractatus de Manichæis cujus editionem Hinckelmannus meditabatur, commentarius in Categorias Ariſtotelis. Lexicon quoque ejus memorat Dupinius, quod in Bibliotheca Gudiana integrum deliteſcere fama quidem fuit; novimus tamen Virum doctum, qui per literas ea de re cum Gudio aliquoties, dum in vivis adhuc eſſet, egit, nunquam tamen tale quid in ſcriniis ejus extitiſſe, multis argumentis perſuaſum habet. Poſſidet autem partem ejus inſignem Vir de Rep. literaria optime meritus,Thomas Gale,qui ut communicare eam aliquando cum orbe erudito velit, etiam atque etiam eſt orandus; e re enim literaria fore inſignis hujus operis editionem, jam olim magnus harum rerum æſtimator Scaliger cenſuit. Cæterum iſtis manuſcriptis Photii Odas ejus IX, quæ in Bibliotheca Claramontana inveniuntur, addimus; de quibus a clariſſimo Colomeſio in ſuis ad Cartophylacem Caveanum Paralipomenis admonitos nos fuiſſe fatemur. Concluditur denique caput hoc IX Theodori Abucaræ hiſtoria, qui Photianis primum partibus addictus, in concilio octavo errorem ſuum agnoviſſe dicitur. Capite X,quod itidem ad Photium ſpectare diximus, decem capita, in quibus erroris Eccleſiam Latinam notavit,exponuntur,quidque a Ratramno & Ænea,Papæ Nicolai I. monitu,ad ea repoſitum fuerit. XI capite eorum, quæ circa diſciplinam Eccleſiæ in conciliis & ſynodis hoc ſeculo habitis ordinata fuerunt, inſtituitur enarratio, quæ cum nuda fere canonum repetitione abſolvatur, non eſt, quod hic diu moremur. Capite vero XII conſtitutiones tum Epiſcoporum, tum aliorum,canonumque collectiones ad eandem pertinentes recenſentur. Inter Epiſcopos qui de diſciplina formanda ſoliciti fuerunt,
p. 141. poſt Hattonem Epiſcopum Baſileenſem, refertur Agobardus, utpote cujus ſcripta tantum non omnia ad eam ſpectant. Eum primo Coepiſcopum Leidradi Archiepiſcopi Lugdunenſis fuiſſe Viri docti ajunt, poſtmodum vero, cum hic in Sueſſionenſe monaſterium ſeceſſiſſet, ſolum ſedem illam tenuiſſe. Verum fruſtra id Adonis autoritate affirmant: ſi enim Coepiſcopus fuiſſet, poſt ejus ſeceſſum denuo non fuiſſet ordinatus, quod tamen factum fuiſſe legimus; corrigendus itaque Ado eſt, ex Hugone Flaviniacenſi, & pro *Coepiſcopus*, *Chorepi-*

*ſcopus*

*ſcopus* legendum. Opera autem Agobardi ab interitu vindicavit Maſſonius, qui eā ex manuſcripto primus edidit, a librorum compactore, niſi ille interveniſſet, lacerando. De *Auxilio* quoque hoc loco agit, cujus geminum opus in favorem Formoſi Pontificis Romani conſcriptum prolixa recenſione dignatur. Ignoratur vulgo, cujas ſit iſte Auxilius, nec Autori noſtro aliquid amplius de eo conſtat, quam quod Romam e diſſitis regionibus eum appuliſſe, & a Formoſo ordinatum eſſe Presbyterum, e ſcriptis ejus colligat. Capite XIII quæſtiones de ritibus & cæremoniis eccleſiaſticis hoc ſeculo agitatas exhibet, ubi in recenſendis Rabani Mauri & Walafridi Strabonis operibus imprimis prolixus eſt. Monaſticis vero conſtitutionibus caput XIV. impenditur, in quibus tradendis celebris cœnobita Benedictus, Ardo Smaragdus ejus diſcipulus, Hildemarus, & Lupus Servatus in epiſtolis, hoc ſeculo præcipuam operam poſuerunt. De hoc poſtremo diverſa Domini De la Trappe & doctiſſimi Mabillonii judicia adducere ex Autore noſtro liceat, quorum ille improbat in illo profanarum literarum ſtudium, quod monachus ex ejus ſententia aliis rebus rectius impendiſſet; hic vero propter illud ipſum pro ornamento monaſtici ordinis eum declarat, quam ſententiam Noſter quoque potius quam De la Trappii ſequi videtur. Capite XV. catalogus commentatorum, qui in S. Scripturas hoc ſeculo prodierunt, texitur, quos tamen omnes compilare potius Patrum opiniones, quam ipſos aliquid ad Scripturam lucis afferre deprehendimus. Venit in horum cenſum præter Rabani & Paſchaſii commentarios, ut & gloſſam ordinariam a Walafrido Strabone compoſitam, de quibus in antecedentibus dictum jam fuit, Flori commentarius ineditus in epiſtolas S. Pauli e XIV Patribus Latinis compilatus; cujus præter alia quæ recenſentur, etiam opus eſt alius in S. Paulum commentarius, e ſcriptis Auguſtini concinnatus, qui Bedæ vulgo tribuitur, inter opera quoque ejus excuſus, ut & poemata quæ ſub Drepanii Flori nomine in Bibl. Patrum exhibentur, cum inter illa unum habeatur ad Moduinum Epiſcopum Auguſtodunenſem, & aliud ad Wulfinum, qui ſeculo IX ambo floruerunt: ut taceamus ejusdem fere genii illa eſſe cum iis, quæ ſub noſtri Flori nomine T. II Anal. Mabillonius edidit. Præter hunc Haimo quoque Halberſtadienſis Patrum notas in Scripturas fere integras compilavit. Commentarius ejus in Epiſtolas Pauli, ſub Remigii Archiepiſcopi

p. 150.

p. 174.

ſcopi

ſcopi Remenſis nomine a Villalpando primum editus eſt Romæ anno 1598. Sed omnibus hodie conſtat, ab illo, ſeculo VI quippe defuncto, eum proficiſci non potuiſſe, cum plurimi ſeculi IX autores in eo allegentur. Haimonem itaque ejus eſſe autorem plerisque probabile videtur, Sigeberti & Trithemii autoritate, nec non ſtyli ſimilitudine ductis, cui & centum poſt mortem ejus annis, Fulberti ſcilicet & Yvonis Carnutenſis temporibus, adſcriptus fuit: quamvis nonnulli Remigio ſive Antiſſiodorenſi ſive Lugdunenſi eum tribuere malint. Angelomi Luxovienſis quoque, Sedulii, Druthmari & Remigii Antiſſiodorenſis commentarios Autor recenſet, ſed de iis non eſt, cur pluribus Lectores noſtros moremur. Ad ſequentia igitur capita pergimus. Horum XVI Paparum qui hoc ſeculo in Petri cathedra ſederunt, complectitur hiſtoriam & ſcripta, a Stephano nimirum IV us-
p.193. que ad Joannem IIX. De ultimo hoc notatur, voluiſſe quidem Labbeum literas ejus, quas 320, præter fragmenta, integras habemus, quarundam acceſſione augere: verum quas ille addidit, aut ſuppoſititiæ ſunt, uti tres priores, aut privilegia a Joanne IIX ſolo non profecta, quales quarta & ſexta, aut jam inter reliquas editæ extant, ut ſexta Labbeana quæ eadem eſt cum 313, & ſeptima quæ nihil aliud eſt quam inſtructio data Legatis, Conſtantinopolin in cauſa Photiana miſſis. Capite denique XVII, quod ultimum eſt totius operis, de iis autoribus agitur, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam hoc ſeculo ſcripſerunt, vel vitam aut martyrium alicujus ſancti literarum monumentis conſignarunt. Locum hic habet inter alios Anaſtaſius Bibliothecarius, de cujus vitis ſummorum Pontificum ita cenſet Autor noſter, ut Pontificum Anaſtaſio antiquiorum vitas uſque ad Damaſum alii antiquiori Autori tribuat qui Damaſo eos ſuppoſuerit, ſequentium vero Paparum hiſtoriam Anaſtaſio adſcribat, qui priorum ſimul emendationem in ſe ſuſceperit. Adriani autem II vitam omnino ſcripſit ex mente illius Anaſtaſius, utpote cui non huic tantum, ſed & quatuor ejus ſucceſſoribus ſuperſtiti eſſe, eorumque hiſtoriam ſcribere, per ætatem licuit. Me-
p.199. moratur inter hoſce Scriptores Ottfridus etiam Weiſſemburgenſis, qui Hiſtoriam evangelicam e quatuor Evangeliſtis lingua vetere Francica ſive Theotiſca concinnavit. Præfationem iſtius libri Latinam ad Luitbertum Moguntinum Archiepiſcopum e Bibliotheca Patrum citat, ipſum vero opus nunquam lucem adſpexiſſe exiſtimat. Verum edidit illud

illud omnino ſuperiori ſeculo Flacius Illyricus cum præfatione ſua, in forma, quam octavam vulgo vocant; præmittiturque illi, præter præfationem Latinam, alia ad Salomonem Conſtantienſem Epiſcopum Francicis rythmis, cui hoc opus ad plebis ſuæ ædificationem transmittitur. Deſunt tamē in editione Flaciana priora duo capita, quæ una cum tertio introductionis loco fuiſſe videntur; quarto enim denique Hiſtoria Evangelica incipit. Venit in Scriptorum horum cenſum etiam ob Martyrologium ſuum Uſuardus, qui S. Germani monachus fuiſſe ex manuſcripto illius monaſterii evincitur, quamvis Fuldenſem Abbatem alii, alii S. Salvatoris eum fuiſſe dicant. Dedicavit ille librum ſuum Carolo, per quem non Carolum *Magnum*, ſed *Calvum* intelligendum variis argumentis clariſſimus Dupinius evincit, qui tomum hunc nonum ita denique concludit, ut cum Bernardo fructum laboris ſui apud DEUM ſibi polliceatur, ſi apud homines forte quod optavit non impetraverit. p. 200.

Cæterum indices huic tomo ſubjiciuntur ejusdem plane generis quam prioribus, utpote in quo eundem quoque nitorem, eandem eruditionem ac in illis invenias. Cautiorem forte doctiſſimum Autorem Romanæ curiæ cenſuras effeciſſe, faciem item & habitum forſan hujus operis propter easdem mutatum fuiſſe dicas; animam & genium libri eundem, eundem ſemper & ſibi ſimilem Dupinium facile deprehendas.

*BERNARDINI RAMAZZINI M. P. EPHEMERIDES BAROmetricæ Mutinenſes Anni 1694, una cum Diſquiſitione cauſæ aſcenſus & deſcenſus in Torricelliana fiſtula, juxta diverſum aëris ſtatum, &c. ad illuſtriſſimum & celeberrimum Virum D. Lucam Schröckium Academ. Cæſareo-Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſidem.*

Mutinæ apud A.A. Capponi & H.H. Pontiroli, 1695. 8. plag. $8\frac{1}{2}$.

CUm clariſſimus experientiſſimusque Ramazzinus, Borelli præceptoris ſui motus auctoritate, (qui in libro de Motionibus naturalibus a gravitate pendentibus prop. 115 Mercurium in fiſtula Torricelliana dicit altius elevari, dum aer nebulis pluvioſis prægnatur, at poſtquam pluvia delapſa eſt, denuo deprimi,) putaret imminente pluvia aſſurgere debere Mercurium in Barometro, redeunte vero ſerenitate

 ſubſi-

ſubſidere; contrarium fieri deprehendit obſervationibus anno 1694 ſingulis diebus cum cura habitis, ſumſitque inde occaſionem in præſenti opuſculo (quod Auctoris liberalitati, induſtriæ vero celeberrimi Magliabechii debemus) in hujus phænomeni rationem paulo accuratius inquirendi. Conſtat autẽ ex Ephemeridibus, depreſſiorem ſemper fuiſſe Mercurium nebuloſa, pluvioſa aut nivoſa tempeſtate, & cum Auſtrales flarent venti; ſublimiorem vero ſereno cœlo, & plerumque ventis ſpirantibus Borealibus; niſi quod menſe Decembri, dum continuabantur pluviæ, ad maximam altitudinem adſcendit, & in ea per aliquot dies conſtitit, rediturae ſerenitatis nuncius. Apparet quoque ex illis, nullam contigiſſe in Noviluniis, Pleniluniis, Solſtitiis, Eclipſibusque Lunaribus Barometri alterationem; in Æquinoctiis tamen & viſibili Solis eclipſi non accidiſſe nullam mutationem, nonnunquam etiam creviſſe altitudinem Mercurii, nulla ejus cauſa in aere adparente. Quæ quidem phænomena omnia quoniam ab aeris cum Mercurio in tubo Torricelliano æquilibrati gravitate variata dependent, communi recentiorum Philoſophorum conſenſu; non levis reſtat, Auctore judice, difficultas, quomodo ſcilicet dici poſſit, aerem leviorem eſſe imminente pluvia vel dum ruunt imbres, graviorem ſerenitate reſtituta; cum perinde videatur, ac ſi quis aſſereret, mulierem poſt editum fœtum graviorem eſſe, quam cum prægnans erat. Hanc ergo difficultatem ut amoliatur clariſſimus Auctor, ſupponit, ex globo terraqueo non vapores ſolum, qui ſunt pluviarum materia, ſed alias quoque exhalationes diverſæ indolis, terreas ſcilicet, ſalinas, &c. protrudi, ac præſertim hyeme, flante Borea, nitro aerem abundare, & has quidẽ in humiliori aeris regione conſiſtere, illos autem altius evehi, & a ventis contrariis in nubes denſari, ut diu ante Carteſium Hippocrates docuit. Conjicit deinde, cum vapores in nubes & nebulas coguntur a ventis contrariis, eos humectare exhalationes, præcipue nitroſas, ita ut graviores factæ ex aere deturbentur; ac proinde ob harum particularum præcipitationem & excluſionem ab aeris poris, aerem ipſum reddi leviorem: diſcuſſis autem per effuſos imbres nebulis ac vaporibus, ſeu per ventos alio delatis, & ſerenitate reſtituta, terreas & minerales particulas denuo exaltari, ventoſque Boreales nitroſam materiam convehendo novam aeri gravitatem addere. Unde etiam patet, cur ab Auſtro levior apud nos reddatur aer, a Borea gravior, quia ſcilicet ille hu-

humiditatem ad nos affert præcipitantem exhalationes in aere hærentes, hic nubes diſſipat nitroſasque partes advehit. Cujus tamen contrarium procul dubio aliis in locis contingit; ſiquidē ex Lucæ cap. XII verſ. 55. Auſtrum in Palæſtina æſtum, non pluvias excitare conſtat. Cæterum mutationes reliquas Barometri, quæ tempore v. g. Æquinoctiorum, Eclipſis, aut contra vulgatum morem contingunt, refert doctisſimus Ramazzinus ad effluvia cœleſtia, quæ ab aere in ſinum ſuum recipi & gravitatem ejus variare ſupponit. Subjiciuntur autem jam commemoratæ diſquiſitioni duæ epiſtolæ de eodem argumento, quarum altera eſt D. Joh. Baptiſtæ Boccabadati J. U. D. & Sereniſſimi Ducis Mutinenſis Mathematici, altera D. Franciſci Torti in Mutinenſi Lyceo Medicinæ Profeſſoris. Prioris Auctor aerem leviorem fieri putat pluvioſo tempore, quia tunc aqua calore in vapores attenuatur, qui agitati majus ſpatium requirunt, ſicque concretum ex aere & vapore levius, quām ſolus aer eſt, conſtituitur; qui, ſi ſolus a calore moveatur, tam rarus non fit, ut ſenſibilis levitas oriatur. In poſteriori epiſtola id agitur, ut oſtendatur Borelli ſententiam non repugnare obſervationibus, cum huc redeat: Aerem ipſum tamdiu graviorem reddi & Mercurium altius urgere, quamdiu intra ejusdem ſpatiola ſuſpenduntur vapores aquei, quod in ſerenitate contingit: eundem vero aerem minus gravitare, & Mercurium in minori altitudine ſuſtinere, quamdiu illi vapores incipiunt ab aere excuti & terræ inniti, quod in ipſa pluvia & paulo ante pluviam ſenſibilem fieri ſolet.

*AONII PALEARII VERULANI OPERA, AD ILLAM EDItionem, quam ipſe Auctor recenſuerat & auxerat, excuſa, nunc novis acceſſionibus locupletata.*

Amſtelodami, apud Henr. Wetſtenium, 1696. 8.

Conſtat 1. alph. 20 plag.

ELoquentiæ laude ſuperiori ævo Italiam potiſſimum effloruiſſe conſtat. Nam ſub exortum ſeculi decimi ſexti præclara ibi extiterunt ingenia, quæ eloquentiæ cultu eximiam ſuam eruditionis vim exornarunt, & e barbarie præteritorum temporum eluctata, orationem exquiſita diligentia, ad veterum Auctorum rationem expoliverunt, & rerum præſtantiſſimarum copiam verborum ſplendore illuminarunt. Nota ſunt Politiani, Longolii, Bembi, Sadoleti, Victorii,

Sacrati, Sigonii, Manutii, Mureti, Bonciarii, aliorumque clara eloquentiæ laude nomina, qui humaniorum literarum ſcientiæ facultatem eleganter & copioſe dicendi junxerunt, inque ſtudiis ſuis id operam dederunt, ut quum in omnibus vitæ partibus non ea modo, quibus nullo modo carere poſſumus, verum etiam quibus ſatis commode non caremus, ſectemur, & ornatus rationem plerisque in rebus habendam eſſe ducamus; in literis quoque eum adhibendum exiſtimarint, dicendi facultate & elegantia nihil liberali homine dignius cenſentes. Plurimos horum ab oblivione vindicarunt ſæpius edita in vulgus eloquii ac facundiæ ipſorum monumenta; *Aonii Palearii* autem, iſtis in dicendo magiſtris & eloquentiſſimis viris accenſendi, memoria tantum non cum combuſti doctiſſimi viri cineribus difflata fuit & extincta, a civibus certe ipſius negligenter perquam & faſtidioſe habita. In Italia enim nunquam ea prodierunt excuſa, ac niſi Lugdunenſes & Baſileenſes annis 1536 & 1552, & Bremenſes anno 1619 typi in lucem ſcripta ejus produxiſſent, actum foret de eorum memoria. Cauſa hujus invidiæ non alia, quam ingenuitas & candor ac libertas ſcriptoris hujus extitit, qua Curiæ Romanæ adverſatus eſt. Ob quam ſtyli libertatem, inſuper habito ejus nitore, non modo ipſe Auctor ignominioſum pariter ac crudele ſupplicium vivicomburii perpeſſus eſt, ſed ejus etiam ſcripta abolita, & ſi per cives ejus ſtetiſſet, prorſus extincta ac deleta fuiſſent: aliorum certe eloquentium virorum ſcriptorum inſtar neutiquam aſſervata, nec per iteratos typos diſſeminata fuerunt.

Quæ nunc demum in nitorem & decus, quod iis debebatur, evexit doctiſſimi bibliopolæ *Henrici Wetſtenii* induſtria: qui indigne ferens, eloquentiæ inſignibus his monumentis lucem invideri, cultiſſimæ editionis beneficio eam iis veluti redonandam conſervandamque cenſuit. In qua non ſolum exhibuit, quas Baſileenſes & Bremenſes dederant conſpiciendas *Orationes* quatuordecim, & *Epiſtolarum* libros quatuor, ac *Carmen de immortalitate animorum*, quod ad Lucretii rationem compoſitum tribus abſolvitur libris; verum etiam *Actionem in Pontifices Romanos & eorum aſſeclas*, teſtimoniis viginti ſuffultam, & longo tempore occultatam, anno demum hujus ſeculi ſexto typis Vogelianis apud nos Lipſiæ, incertum quo auctore, in publicam lucem prolatam: præterea *Poemata* nonnulla, quæ in prioribus editionibus non comparebant, adjecit, nullumque omiſit eorum

quæ

quæ temporum injuria & hominum malevolentia ſupereſſe reliquit, eloquentiſſimi hujus viri ſcriptorum volumine hoc complecti. In cujus frontiſpicio eximiam præfationem Editor poſuit, qua paucis multa complexus, Paleariæ gentis, & ex ea orti Aonii patriæ, quam Verulos nactus eſt, ſtudiorum Romæ, Senis, Lucæ ac Mediolani exercitorum, matrimonii, liberorum, adverſariorum, & crudeliſſimæ tandem mortis hiſtoriam, breviter & eleganter exponit. Nimirum Franciſcanorum & Dominicanorum, potentiſſimarum partium, graviſſima odia eum expertum eſſe ait, quod auſus fuerit res ſacras tractare ſtylo puro ac Latino; quodque e ſanctis Patribus, ac vetuſtis religionis Chriſtianæ monumentis, multa depromſerit, quæ extare in rerum natura ipſi ignorarunt; & quod aperte oſtenderit, ſe non favere Eccleſiæ Romanæ; denique quod librum lingua vernacula ſcripſerit *de meritis mortis Chriſti*, huic ea tribuens quæ propriorum meritorum fiduciæ ipſi imputant. Quod Vatinianum in Palearium odium eo valuiſſe narrat, ut circa annum M D LXVI, juxta Thuanum Lib. 39. (nam alii alium annum morti ejus adſcribunt) a Pontifice Pio V. Mediolani vinciri, & Romam abduci fuerit juſſus, ubi vivus in ignem conjectus ſit, æternæ veritatis fideliſſimus teſtis, a Flacio etiam propterea Catalogo ejus Teſtium illatus. Hujus autem exitii ſui crebra edidiſſe præſagia, idque ipſum ſibi veluti prædixiſſe, in Orationum aliquot locis obſervavimus. In tertia ſane p. 91 libere profitetur: *Si ignis pœna mihi ſubeunda eſt pro teſtimonio* fidei Chriſtianæ, *nihil eſt me beatius. Neque enim puto Chriſtianum eſſe hoc tempore, in lectulo mori. Parum eſt accuſari & deduci in carcerem, virgis cædi, reſte ſuſpendi, inſui in culeum, feris objici; ad ignem torreri nos decet, ſi his ſuppliciis veritas in lucem eſt proferenda.* In Præfatione Actionis ſimilia profert p. 207: *Quid eſt, quod timeamus? quid eſt, quod ludibrio eſſe hominibus, virgis cædi, in ignem conjici, pro teſtimonio ſancto recuſemus?* Adde p. 203. 208. 228. ac alibi, ubi præ conſtantia fidei ſe æquo animo omnia vitæ præſidia amiſſurum, uxorem, liberos, propinquos, amicos relicturum, Italia exceſſurum, in ſolitudines abiturum, in carcere habitaturum, in ſuppliciis denique moriturum profitetur, modo profeſſione ſua aliquid ad defenſionem fidei accedat. Præclara etiam ejus vox eſt p. 84. *Res domi anguſta eſt;* (qualem etiam liberis ſuis epiſt. 30. Lib. IV. p. 533. eam depingit) *at conſcientia in animi penetralibus auguſta, læta, ala-*

*cris, quam neque interdiu agitant Furiæ, neque terrent noctu tedis ardentibus. Sedeant illi in cathedra, diademata imponant, dibaphum veſtiant, textili ſtragulo triclinia ſternant: ego cum tripode iligneo abdam me in bibliotheca, cui ſatis laneus amictus eſt ad frigus, linteum ad ſudorem, lectulus ad quietem.* Plura in Orationibus & Epiſtolis ejus hujusmodi inveniuntur loca, bene conſtituti ipſius animi indicium quæ præbent; ſed quæ congerere non vacat. Id tamen omitti minime fas duximus, Germanis eum admodum faviſſe, & hunc ſuum erga eos amorem, non ſine inſigni eorum laude, ob literarum merita, adverſus obtrectatores tuitum eſſe. Quam in rem adducere juvat candida ejus verba ex Orat. II. p. 84. 85: *Nihil ad veritatem intereſſe arbitror, cujas quisque ſit. Et ut alia prætercam, quod obſita multa barbarie, obvoluta nonnulla paupertate incredibili orationis, ſpinoſa olim & offuſa quædam tenebris, nunc Latinis litteris illuſtrata ſint; non modo laudo, ſed gratias etiam agendas Germanis puto, qui in ea re fuere diligentes. Jacebant divina ſtudia, ſtrata in cellulis hominum otioſorum, qui licet in ſylvas ſe abſtruſiſſent, ut in hæc incumberent, ita ſtertebant tamen, ut nos in urbibus & vicis audiremus: erecta prope ſunt ab iſtis, cum Chaldaicis, tum Græcis, tum Latinis bibliothecis reſtitutis, typis pulcherrime adinventis, Theologis perhonorifice ſtipendiis decretis. Quæ res clarior, quæ glorioſior, quæ commendatior eſſe poteſt memoria hominum ſempiterna?* Pag. 83. e Germanis potiſſimum Oecolampadium, Eraſmum, Melanchthonem, Lutherum, Pomeranum, Bucerum extollit, & permulta ab his digna prorſus omni laude, graviter, accurate & ſincere ſcripta fuiſſe profitetur. Quæ ipſa candida profeſſio procul dubio infortunii cauſa extitit, mortemque adeo crudelem ipſi acceleravit, & effecit, ut præclara ingenii & eloquentiæ ejus monumenta perdita & deleta cuperent Romanæ Curiæ devoti; ſed a quo interitu ea ſolertiſſimi Amſtelodamenſis Bibliopolæ cura nunc vindicavit. Hæc ut *Marci Antonii Flaminii* etiam opera complectatur, eorumque editionem in Præfatione promiſſam acceleret, noſtrum eſt votum commune cum omnibus, quibus nitida excultaque eloquentiſſimorum hominum ſcripta præ cæteris arrident.

## Die Epiſteln und Evangelia an Sonn- und Feſtagen durchs gantze Jahr/ ꝛc.

Hoc

Hoc eſt:

*TEXTUS EVANGELICI AC EPISTOLICI PER TOTUM ANNUM, una cum Hiſtoria Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis JESU CHRISTI, nec non everſæ Hieroſolymæ, autoritate publica Illuſtrium Luſatiæ ſuperioris Statuum in linguam Wendicam ſeu Sorabicam verſi.*

Budiſſæ, apud Joh. Wiliſch / A. 1695. in 8.
Conſt. 2. Alphab. & plagul. $4\frac{1}{2}$.

QUærere quis poſſet, unde factum ſit, quod umbilicum Luſatiæ ſuperioris incolant reliquiæ gentis Wendicæ, mediæ inter Germanos vere germanos, qui latus utrumque longe lateque claudunt? Sed omen ſubeſt, divina dirigente providentia, ut hi de plebe homines, qui ſeipſos regere non ſatis poſſint, curæ cordique ſint Proceribus illius provinciæ; ſicut præcordia ejus occupare inhabitareque longo jam tempore potuerunt. Specimen hujus gratiæ ac benevolentiæ ſuæ nuper dederunt illi lucūlentiſſimum, quando Pericopas Evangelicas & Epiſtolicas per totum annum, nec non Hiſtoriam Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Dominicæ, everſæque Hieroſolymæ, in lingua Wendica typis elegantibus imprimi curaverunt; ut haberent ex hac gente tum docentes in templis & ſcholis eadem, quæ prælegerent ubique exponerentque authentica quaſi verba, tum diſcentes, quæ ante oculos habere ſemper, ſibique familiaria magis magisque privata diligentia reddere poſſent. Enimvero non defuere jam ante hæc tempora, qui vel optarunt idem, vel etiam tentarunt haud infeliciter, eoque nomine in Præfatione laudantur jure meritoque. Quinque-Viri tamen illi, quibus hoc negotium publica autoritate jam commiſſum erat, Viri admodum Reverendi Clariſſimique, Dn. *M. Paulus Prætorius*, Archidiaconus Budiſſinenſis, Dn. *Tobias* Zſchuderly / Paſtor Lohſenſis, Dn. *Joh. Chriſtoph.* Crüger / Eccleſiaſtes Milckdenſis, Dn. *Georg. Matthæi*, Parochus Colmenſis, & Dn. *Mich.* Rätze / Diaconus Budiſſinenſis, id dederunt operam quam maxime, ut non tantum Verſiones, Cichorianam & Scherzianam aliasque, præterea vero Bohemicam, Polonicam & Slavonicam, Germanicam autem imprimis, quæ Megelandrum Lutherum autorem habet, & ab iis merito ſuo extollitur præ omnibus, ſed & fontes ipſos, quod eſt, textum Græcum, & ubi opus

opus erat, Hebraicum conſulerent, non neſcii, quin & ipſo facto jam experti, quod ex illis lingua etiam Wendica ſeu-Sorabica bibantur aquæ dulcius exprimanturque; Verſione tamen Germanica Divi Lutheri ſemper e regione poſita, cum & hæc ſit accuratiſſima, ideoque digniſſima quæ quaſi agendo aliud a Venedis ſeu Wendis illis attendatur, & ſiquidem plerique hodie Germanicæ linguæ non ſunt ignari, ſimul in ſuccum & ſanguinem vertatur. Compenſet (ita cum Dnn. Autoribus in fine præfat. nos etiam optamus,) Illuſtribus Luſatiæ Statibus hanc pro ſubditorum ſuorum ſalute curam largiſſime DEUS, ut habeant in ſpiritualibus non minus quam temporalibus bonis, de quo ſibi poſterisque ſuis ſemper poſſint gratulari.

*NIC. BÆRII ORNITHOPHONIA, SIVE HARMONIA MElicarum Avium, juxta naturas, virtutes & proprietates ſuas, Carmine Latino-Germanico decantatarum.*

Bremæ impenſis Jo. Weſſelii, 1695. in 4. Alph. 2. plag. 2.

QUæ ſub veris initium, & per æſtatem, ſuavisſimo concentu auras implent, & aures noſtras demulcent, dulciſonas oſcines aviculas ſuavi carmine prædicandas, eoque cantus varietatem & gratiam, qua iſtæ mentem noſtram exhilarant, quodammodo imitandam ſibi propoſuit Auctor. Earum certe naturam, varios canendi modos, habitacula, paſtum, educationem, colores, & alia ad iſtas ſpectantia ſic perſecutus eſt, ut non minorem ex hoc libro phyſices & hiſtoriæ animalium ſtudioſus utilitatem, quam jucunditatem poetices cultor conſequi posſit. Siquidem in notulis etiam, quas ſubinde attexuit, ex rerum naturalium doctoribus, Geſnero, Jonſtono, Franzio, nec non Hiſtoricis & Poetis veteribus, multa profert ad cognoſcendam earum naturam & indolem proficua. Septem autem præ cæteris decantandas ſumſit, & Germanicis ac Latinis carminibus prolixis proſequendas e volucrum oſcinum genere præſtantisſimas: Luſciniam ſeu philomelam, Canariam ſeu luteolam, Alaudam ſive casſitam, Carduelem, Linariam, Acanthidem, & Fringillam: quibus annumerandas & poemate prædicandas cenſuit Merulam & Rubeculam. Quicquid de aviculis his a veteribus ſcriptoribus in literas relatum fuit, aut fama ipſe accepit, easque tractando & obſervando animadvertit, Auctorem diligenter annotaſſe, & indolem earum ac dotes exculto carmine decantaſſe,

vocu-

voculas etiam quas edunt & ſonos expresſiſſe, deprehendet, qui deliciis his capitur ſtudioſus Lector: qui in primo de Luſcinia melydrio, rhythmorum Latinorum venuſtate, a qua nec ſancti priſcæ Eccleſiæ Patres abhorruerunt, cumprimis afficietur, dulcedine etiam elegiarum, queis cæteras aves decantavit, non minus animum oblectabit, quam oſcinum harum cantu aures capiuntur. Quarum, ut & oculi ſatientur, imagines cuilibet carmini præfigere voluit Poeta.

## NOVA LITERARIA.

PRæter duumviros celeberrimos, *Hugenium* & *Puſendorſium*, anno ſuperiori defunctos (quorum obitum dudum in Actis hiſce noſtris non ſine luctu commemoravimus) plures alii viri docti eodem anno e vivis exceſſerunt. Ex his nonnullos, quorum forte nunc recordamur aut opera in Actis Eruditorum recenſuimus, hoc loco indicaſſe, non alienum erit ab inſtituto noſtro. In Italia immaturo fato, ætatis nempe anno quadrageſimo quinto, diem obiit Vir non literarum gloria minus quam ſplendore generis illuſtriſſimus, ſæpiusque in Actis noſtris ex merito laudatus, Dn. *Carolus Maria Caraffa*, Buteræ, Roccellæ ac S. R. Imp. Princeps, inter Dynaſtas titulis claros in Regno Siciliæ dignitate Primus, atque in Regno Caſtellæ e Magnatibus primi ordinis. Grandior natu, ætatis quippe annum agens octogeſimum, mortem cum vita commutavit Neapoli *Leonardus Capuanus*, cujus poſtremum opus, vitam Dn. Andreæ Cantelmi complexum, in Actis anni ſuperioris pag. 157. recenſuimus. In Anglia *Henricus Wharton*, cui luculentum opus ſub titulo Angliæ Sacræ An. 1691 editum, & a nobis in Actis hiſce Tomo II Supplementorum Sect. III. & IV. pag. 105. 153. juſto ſtudio recenſitum debemus, in ætatis, cujus annum trigeſimum primum nondum attigerat, flore, die 5. Martii obiit, Hiſtoriæ Epiſcoporum & Decanorum Londinenſium & Aſſavenſium, de qua proxime dicturi quædam ſumus, immortuus. Exeunte Novembri Oxoniæ defunctus eſt *Antonius a Wood*, vir dudum vel ob Hiſtoriam & Antiquitates Univerſitatis Oxonienſis, cujus vivum quaſi repertorium videri potuit, jam anno 1674 magno volumine editas celeberrimus, Athenarum etiam & Faſtorum Oxonienſium, ex quorum parte prima anno 1691 vulgata in Actis A. 1692. pag. 35 ſeqq. pauca quædam excerpta dedimus, plura fortaſſe ex ſecunda parte propediem daturi,

 auctor.

auctor. Nuperrime vero, die nimirum $\frac{1}{10}$ Decembris, ut ex ſchedis publicis rerum novarum nuntiis accepimus, poetarum Anglicorum princeps *Drydenius*, de quo dicendi occaſio proxime ſe nobis offeret, expiravit. In Gallia celeberrimum Eccleſiæ Romano-Catholicæ promachum *Nicolium*, die 16. Novembris, ætatis anno ſeptuageſimo defunctum nuper cognovimus. Ejus Præjudicia, quæ vocat, Legitima contra Calvinianos in Actis noſtris A. 1683. pag. 438. ſeqq. recenſuimus: quod opus tum quidem conjectura non omnino vana ducti Antonio Arnaldo tribueramus, ſed de errore admoniti genuino auctori Nicolio, in Auctorum primi Actorum Decennii Indice generali, ut par erat, reſtituimus. Quos poſtea idem edidit libros de Reformatis ſchiſmatis convictis & de Unitate Eccleſiæ, fatemur ad manus noſtras non perveniſſe: utriusque tamen contenta bona fide dedimus, quando Petri Jurii Theologi Reformati Syſtema de Eccleſia & Analyſi fidei in Actis A. 1687. pag. 142. 182. ſeqq. & Tractatum de Unitate Eccleſiæ & Articulis fundamentalibus A. 1688. pag. 603. 625. ſeqq. (quibus nimirum ſcriptis Nicolio reſponſum fuit) recenſuimus. Hollandia luget hodieque Botanicum inſignem *Paulum Hermannum*, etſi jam ſub anni ſuperioris initium, die 29. Januarii vivis ereptum. Patriam is Halam Saxonum, aut ſi mavis, Magdeburgicam habuit, ſed exteras regiones viſendi ſumma cupiditate ductus, in Hollandiam primum, inde in ipſam Indiam Orientalem profectus, Medici munus in inſula Zeylanica aliquot annis ſuſtinuit, ab Illuſtriſſimis denique Academiæ Lugdunenſis Curatoribus A. 1679. ad Botanices profeſſionem publicam obeundam in Hollandiam revocatus: quam ſpartam quod exornaverit, vel Horti Academici Lugduno-Batavi Plantarum Catalogus, & Floræ Lugduno-Batavæ Flores, de quorum illo in Actis A. 1687, p. 245, his autem A. 1691. p 217. diximus, dubitare neminem patiuntur. In Germania Tubingenſis Academia decus haud exiguum, *Eliam Rudolphum Camerarium* amiſit, Primarium Medicinæ Profeſſorem ac Sereniſſimi Würtenbergiæ Principis Conſiliarium & Archiatrum, die 7. Junii, nondum abſoluto quinquageſimo quarto ætatis anno defunctum: imo ſuperſtitem, ſed in filio Elia, Medicinæ itidem in Academia patria Profeſſore, cujus eruditionis ſpecimen inſigne, Diſſertationum Medicarum trigam, anno ſuperiore pag. 165. exhibuimus. Vinariæ in Thuringia die 19. Octobris inexpectatam mortem obiit Theo-

Theologus Confeſſionis Auguſtanæ graviſſimus *Johannes Guilielmus Bajerus*, ex merito in Actis noſtris non ſemel laudatus; qui poſtquam Theologiæ Profeſſoris in Academia Jenenſi munus dexterrime multis annis ſuſtinuiſſet, in nova Univerſitate Fridericiana, Halæ Saxonum auſpiciis Potentiſſimi Electoris Brandenburgici fundata, primariam Theologiæ profeſſionem meruit, primus etiam iſtius Academiæ Pro-rector Magnificus conſtitutus; inde vero cum in Vinarienſem Aulam ad Superintendentis Generalis munus obeundum revocatus eſſet, obire illud fato fuit prohibitus. Hamburgi Theologus ac Polyhiſtor haud incelebris, *Abrahamus Hinckelmannus*, cui Alcorani editionem in Actis hiſce A. 1694. p. 381. memoratam debemus, morte ſua ſpem Erudito Orbi ademit, quam de edendis ab eo monumentis orientalibus compluſculis aliis conceperat. Addimus unicum (nec enim juſtum demortuorum catalogum contexere animus eſt) *Johannem Fauſtum* SS. Theol. Doctorem & in Academia Argentoratenſi Profeſſorem clariſſimum, die 30 Junii apoplexia extinctum.

## LIBRI NOVI.

*THe Hiſtory of the Troubles and Tryal of the Moſt Reverend Father in God and Bleſſed Martyr, William Laud, Lord Arch-Biſhop of Canterbury. Wrote by Himſelf. London for Ri. Chiſwel, 1695. fol.*

*The Poetical Works of Mr. Iohn Milton, containing Paradiſe Loſt, Paradiſe Regain'd, Samſon Agoniſtes, and his Poems. Together with explanatory Notes on each Book of the Paradiſe Loſt. London for Iacob Tonſon, 1695. fol.*

*Camden's Britannia, newly translated into English; with large Additions and Improvements. Publiſh'd by Edmund Gibſon. London for A. Swalle, 1695. fol.*

*Prince Arthur. An Heroick Poem: by Richard Blackmore. London for A. and I. Churchil, 1695. fol.*

*The Anatomy of the Brain, containing its Mechaniſm and Phyſiology: by H. Ridley. London for Sam. Smith and Benj. Walford, 1695. 8.*

*Of Sincerity and Conſtancy in the Faith and Profeſſion of the true Religion, in ſeveral ſermons: by Dr. Iohn Tilletſon late Lord Arch-Biſhop of Canterbury. London for Ri. Chiswel, 1695. 8.*

*Anicius Manlius Severinus Boetius of the Conſolation of Philoſophy,*

*made English and illuſtrated with Notes, by Richard Lord Viſcount Preſton. London for I. Churchill, 1695. 8.*

*Notitia Monaſtica, or a ſhort Hiſtory of the Religious Houſes in England and Wales: by Thomas Tanner. Oxford, and London by A. and J. Churchill. 1695. 8.*

*A Commentary upon the firſt Book of Moſes, called Geneſis. By Symon, Lord Biſhop of Ely. London for Ri. Chiswel, 1695. 4.*

*De Arte Graphica. The Art of Painting, by C. A. Du Freſnoy; tranſlated into Engliſh, Together with an Original Preface containing a Parallel betwixt Painting and Poetry, by Mr. Dryden. London for W. Rogers, 1695. 4.*

*The Store-houſe of Phyſical Practice: being a general Treatiſe of the Cauſes and Signs of all Diſeaſes &c. by Iohn Pechey. London for Henry Bonwicke, 1695. 8.*

*A Diſcourſe concerning the Autority, Stile, and Perfection of the Books of the Old and New Teſtament: by Iohn Edwards. London for Ion. Robinſon, 1695. 8.*

*A Diſcourſe of the Government of the Thoughts, by George Tullie. London for Ric. Chiſwel, 1695. 8.*

*Some Thoughts concerning Education. The third Edition enlarged. London, for A. and I. Curchill, 1695. 8.*

*Claudii Ptolemæi Tabulæ Geographicæ Orbis Terrarum veteribus cogniti. Franequeræ apud Leonh. Strick, 1695. fol.*

*J. C. Barckhauſen Pharmacopœus Synopticus. Ultrajecti apud Franc. Halmam, 1696. 8.*

*Siria ſacra Deſcrittione Iſtorico-Geografica, Chronologico-Topografica. Opera dell' Abb. Biagio Terzi di Lauria. In Roma nella ſtamperia del Bernabò alle Muratte, 1695. fol.*

*La Meridiana del Tempio di S. Petronio tirata e preparata per le Oſſervazioni Aſtronomiche l'Anno 1655, riviſta e reſtaurata l'Anno 1695, di Gio: Domenico Caſſini. In Bologna, per l'Erede di Vittorio Benacci, 1695. fol.*

*La Natura della Proporzione e della Proporzionalita ſpiegata da Angelo Marchetti. In Piſtoia nella ſtamperia di Stefano Gatti, 1695. 4.*

*Inſtitutio Phyſico-Aſtronomica, adjecta in fine Appendice Geographica, authore P. D. Cajetano Fontana. Mutinæ apud A Capronum & H H. Pontirolum, 1696. 4.*

Fir-

*Firmamentum noviſſime denudatum, in quo ſupputantur omnia ſidera fixa usque adhuc obſervata. Bononiæ apud Petrum-Mariæ de Montibus, 1695 4.*

*Synopſis Collectionis Maximæ Conciliorum omnium Hiſpaniæ & Novi Orbis, Romæ A. 1694. editæ: cura & ſtudio Joſephi Saenz De Aguirre, S. R. E. Presb. Cardinalis &c. Romæ, ex typographia Antonii de Rubeis, 1695, 12.*

*Officium Dominicæ Paſſionis Feria ſexta Paraſceve majoris Hebdomadæ ſecundum ritum Græcorum. Nunc primum Latine editum cura & ſtudio I. M. C. Presbyteri. Romæ typis Joh. Vannaccii, 1695. in 8.*

*M. Abr. Frencelii de Originibus linguæ Sorabicæ Libri II Caput II. Sittaviæ apud Joh. Williſch, 1695. 4.*

*Io. Baptiſtæ Santolii Victorini Opera Poëtica. Amſtel. apud G. Gallet,* 1696. 12.

*Phalaridis Agrigentinorum Tyranni Epiſtolæ. Ex MSS. recenſuit, verſione, annotationibus & vita authoris donavit Car. Boyle. Oxon. e Theatro Sheld. 1695. in 8.*

*Catoptricæ & Dioptricæ Sphæricæ Elementa. Auctore Davide Gregorio. Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1695. 8.*

*Nehemiæ Grew Tractatus de Salis Cathartici amari in Aquis Ebeshamenſibus contenti natura & uſu. Londini apud S. Smith & B. Walford, 1695. 12.*

*Henrici Hamelow I. C. Imperatores Romani a Julio Cæſare usque ad ſacratiſſimum Imperatorem qui nunc rerum potitur, carmine perpetuo deſcripti. Trajecti ad Rhenum, 1696. fol.*

*D. Junii Juvenalis & A. Perſii Flacci Satyræ, cum ſcholiis veterum & commentariis integris fere omnium Eruditorum. Lugd. Bat. apud P. vander Aa, 1696. 4.*

*Bernardi Connor Diſſertationes Medico-Phyſicæ de Antris lethiferis, de Montis Veſuvii incendio, de ſtupendo oſſium coalitu, de immani hypogaſtrii ſarcomate. Oxonii ex Theat. Sheld. 1695. 8.*

*Martini Liſter Exercitatio Anatomica altera, in qua maxime agitur de Buccinis fluviatilibus & marinis. His accedit Exercitatio de variolis. Londini apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1695. 8.*

*Oeconomia Corporis Animalis, autore Guilielmo Cockburn, Londini apud Hugonem Newman, 1695. 8.*

*Hiſtoria de Epiſcopis & Decanis Londinenſibus ac Aſſavenſibus, autore Henrico Wharton. Londini apud Rich. Chiswell, 1695. 8.*

*Richardi Morton Opera Medica, de Phthiſi, de Morbis univerſalibus acutis, & de Febribus inflammatoriis. Amſtelod. apud Donatum Donati, 1696. in 8.*

*Moſis Prophetæ Libri IV. Exodus, Leviticus, Numeri & Deuteronomium, ex translatione Joannis Clerici, cum ejusdem paraphraſi perpetua &c. Amſtelodami apud Henr. Wetſtenium. 1696. fol.*

*Io. Wilh. Stuckii Antiquitatum Convivalium Libri III. & Sacrorum Sacrificiorumque Gentilium Deſcriptio. Lugd. Bat. apud Iac. Hackium, & Amſtelodami apud Boomios, 1695. fol.*

*Burcheri de Volder Defenſio Philoſophiæ Ren. Carteſii adverſus P. D. Huetii cenſuram. Amſtelod. apud Arn. van Raveſtein, 1695. in 8.*

*Bartholomæi de Moor Cogitationes de Inſtauratione Medicinæ. Amſtel. apud Gerh. Borſtium, 1695. 8.*

*Arcana Naturæ detecta ab Antonio van Leeuwenhoek. Delphis Batav. apud Henr. a Krooneveld, 1695. 4.*

*Campegii Vitringa de Synagoga Veteri Libri III. Franequeræ. 1696. 4.*

*Elegantiſſimorum Emblematum Corpusculum, Latinis Belgicisque verſibus elucidatum. Lugd. Bat. apud P. Vander Aa. 1696. 4.*

*Apologia pro Actis Sanctorum contra Adm. R.P. Sebaſtianum a S. Paulo, Provincialem Carmeli Flandro-Belgici; auctore Conrado Janningo e Soc. Jeſu. Antverpiæ apud Henr. Thieullier, 1695. 8.*

*Io. Clerici Phyſica, ſive de Rebus Corporeis libri V. Amſtel. apud Georgium Gallet, 1696. 12.*

*Verhandeling van de Twee eerſte Hooft-geſchillen. I. Over het Avontmaal des Heeren. II. Over de Over-al-tegenwoordigheyt van Jeſus Chriſtus na ſijne Menſcheyt: door Zacharias VVebber. t' Amſterdam, by Daniel van den Dalen, 1696. 8.*

*Schriftmatige Leere der Geeſten, ſoo der Goede als inſonderheid der Quade: door Jacobus Koelman. Tot Utrecht, by Antony Schouten, 1695. 4.*

*Des Konings Rechten, dienende tot het regte Verſtand van de gangen van Koning Jeſus in ſijn Heyligdom: door Theodorus van Toll. Tot Utrecht, by Anthoni Schouten, 1696. 8.*

*Tegenwoordigen Toeſtand van het Pauſelyke Hof, nevens alle andere*

*Hoven,*

*Hoven, Republyken en voornaamſte Steeden van Italien. Tot Utrecht, by Ant. Schouten, 1696. 4.*

*Iacobi Le Mort Licht der Natuurkunde, aangeſtoken tot den Opbow der ware Genees-konſt. t' Amſterdam, 1696. 8.*

*Het eerſte Deel der waarachtige VVegen, die God met den Menſch houd: door Taco Hajo van den Honert. Tot Dordrecht, by Corn. VVillegaarts, 1695. 8.*

*Oude en Recht-zinnige VVaarheyd in 't Stuk der Bedelinge der Tyden en Vergevinge der Sonden: door Johannes Swartte. Te Rotterdam by Barend van Sand-bergen, 1695. 4.*

*De Huyshouding Gods in ſyn Kerke, van de geboorte van Iſaac tot aan de Verſoening tuſſchen Iacob en Eſaauw; door P. van Staveren. Tot Leyden by Fred. Haaring, 1695 4.*

*De Send-Brief van Paulus aan den Galaten, kortelijk in haar t' ſaamenhang verklaart en uitgebreid; door Th. Akersloot. Tot Leiden by Ioh. Du Vivié, 1695. 4.*

*Naauwkeurige Beſchryving der Aardgewaſſen, Boomen, Heeſters, Kruyden, Bloemen, met hare Vruchten &c. door Abraham Munting. Te Leyden by P. vander Aa, t' Utrecht by F. Halma, 1696. fol.*

*Suite du Voyage du Monde de Deſcartes, ou Nouvelles Difficultez propoſées à l' Auteur du Voyage du Monde de Deſcartes. A Amſterdam chez P. Mortier 1696. 12.*

*Reflexions ſur l' Eloquence des Predicateurs, par Feu Mr. Arnauld, Docteur de Sorbonne. A Amſterdam chez Pierre Brunel,* 1695. 12.

*Hiſtoire de l' Admirable Don Guzman D' Alfarache. A Paris chez la veuve Mabre-Cramoiſy,* 1695. 12.

*Les Eloges des Hommes Sçavans, tirez de l' Hiſtoire de M. De Thou, avec des Annotations &c. Par Antoine Teiſſier. A Utrecht chez François Halma,* 1696. 12.

*Rome Galante, ou Hiſtoire ſecrete ſous les Regnes de Jules Ceſar & d' Auguſte. A Paris, chez Iean Guignard,* 1696. 12.

*Traité des Fievres malignes & pourprées. Par M. François Raynaud. A Bruſſelle chez François Foppens,* 1695 12.

*Voyages Hiſtoriques de l' Europe. Tome V. Suivant la copie imprimée à Paris.* 1696. 12.

*Hiſtoire des Revolutions de Suede; par Mr. De Fontenelles de l' Academie Françoiſe. A Amſterdam chez I. L. de Lorme,* 1696. 12.

*Recu-*

*Recueil de de divers Traitez concernant l' Efficace & la Neceſſité du Bapteme. A Amſterdam chez Antoine Schelte*, 1695. 12.

*Les Voyages du Sieur Le Maire aux Isles Canaries, Cap-Verd, Senegal & Gambie. A Paris chez Iaques Colombat*, 1695. 12.

*Traité de l' Inſpiration des Livres Sacrez du Nouveau Teſtament par C. G. De la Mothe. A Amſterdam chez Pierre Brunel*, 1695. 8.

*De l' Education des Enfans. Traduit de l' Anglois. A Amſterdam chez Antoine Schelte*, 1695. 8.

*La Manne Myſtique du Deſert ; par Claude Brouſſon. A Amſterdam chez H. Desbordes*, 1695. 8.

*Vita & Opera omnia Jeſu Chriſti manu SS. Evangeliſtarum ſcripta, vel Contextus Evangelicus uno quatuor Evangeliſtarum calamo ſacram Jeſu Chriſti deſcribens Hiſtoriam. Opus poſthumum Fr. Laurentii Cardinalis de Laurea: editum a Fr. Bartholom. Comando de Caſtronovo. Romæ typis H. Corbelletti 1695. 12.*

*Apologia in favore de' Santi Padri contra quei, che nelle materie Morali fanno de' medeſimi poca ſtima. Opera poſtuma del Padre Maeſtro Bernardino Ciaffoni dà S. Elpidio Minore Conventuale. In Torino appreſſo Pietro Vianelli*, 1695. 12.

*Acta Sanctorum Junii, in quatuor tomos digeſta, a Godofredo Henſchenio, Daniele Papebrochio, Franciſco Baertio & Conrado Janningo, Societatis Jeſu Presbyteris Theologis. Tomus I. Antverpiæ apud Henr. Thieullier*, 1695. *fol.*

*Cornelii a Beughem Syllabus recens exploratorum in re Medica, Phyſica & Chymica. Amſtelod.* 1696. 12.

*Du Bel Eſprit. Ou ſont examinez les Sentiments qu' on en a d' ordinaire dans le monde. A Amſterdam chez Pierre Brunel*, 1695. 12.

*Traité de la Satire. Ou l' on examine, comment on doit reprendre ſon prochain, & comment la Satire peut ſervir à cet uſage. A Paris, chez I. Aniſſon*, 1695. 12.

*Jo. Henr. Bœcleri Hiſtoria Univerſalis quatuor primorum a nato Chriſto ſeculorum, edita a Joh. Gottlieb Mollero. Roſtochii*, 1695. *in* 4. *Proſtat Lipſiæ apud Hæredes Lanchiſianos.*

---

Latere Lectorem Benevolum nolumus, Tomi II. Supplementorum Sectionem IX in lucem prodiiſſe.

✱)o(✱

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Februarii, Anno M DC XCVI.*


## *I CESARI IN ORO RACCOLTI NEL FARNESE MUSEO, e publicati colle loro congrue interpretazioni. Tomo primo compoſto dal Padre PAOLO PEDRUSI della Compagnia di Geſu.*

id eſt:

## Cæſares aurei, collecti in Muſeo Farneſiano, & evulgati cum conveniente iis interpretatione. Tomus primus, edente P. Paulo Pedruſio S. I.

Parmæ in typographia Ducali, 1694. fol.

Conſtat 4. alph. 3. plag. & æneis tabulis, quibus nummi inſculpti ſunt, 28.

INter præclara priſcæ eruditionis ſubſidia & ornamenta, quibus litterarum ſtudia hodie inſigniuntur, elegans & accurata veterum nummorum tractatio haud poſtremum locum obtinet: quæ priſcis noſtris majoribus neglecta aut ignorata, hodie plurimos vel cultores, vel patronos, eſt conſecuta, dum plerique laudabili ejus cupiditate incenſi, in verſandis, indagandis, ſuoque pretio habendis illis antiqui ævi monumentis inſignem operam collocarunt. Ipſi etiam Reges ac Principes, & ſummi rerum humanarum moderatores, a cognitione ſua, infra cujus dignitatem humaniores cæteras litteras plerique poſitas exiſtimant, hanc eruditionis partem non cenſuerunt alienam. Bono autem ac felici litterarum fato contigit, ut quo tempore accenſa vel inprimis videntur hominum ſtudia, ad pretioſas illas priſcæ ac eruditæ elegantiæ opes eruendas ac pertractandas, (quod vel editæ a paucis annis in Gallia, Belgio, Germania etiam noſtra, eo in genere, aut in quas etiamnum viri eximii incumbunt brevi pro-

ditutas,lucubrationes abunde demonſtrant) in hanc potiſſimum laudis & contentionis ſocietatem jure optimo veniat horum ſtudiorum parens & fœcunda quædã promiconda Italia. Notum ſiquidem eſt, & jam præterito ſeculo virorum doctrina & ingenio præſtantium prædicatione pervulgatum, inter illuſtria ejus decora cumprimis numerari veterum nummorum Gazophylacia, inter ea autem ſummo in pretio habitum eſſe FARNESIANUM: quod ſtudio maxime & liberalitate Cardinalis ALEXANDRI FARNESII, Pauli III. Pont. Nepotis, ante ſeculum circiter & dimidium fuit excitatum. Ita ut præter immenſam & exquiſitam ſtatuarum, ſignorum, aut librorum etiam veterum manu exaratorum,copiam,quæ in ſplendidas illas Farneſianas ædes ſunt illata, acceſſerit quoque inſignis nummorum veterum conquiſitus undique acervus, ſeu verius Theſaurus. Cujus utique rei luculentam fidem faciet præclarum illud & *divini* elogio a Scaligero ornatum, ſummis etiam laudibus a Spanhemio p. 496. 497. evectum, Fulvii Urſini Familiarum Romanarum anno 1577 publici juris factum opus, e Muſei illius opibus unice depromptum, ac inde merito eidem Cardinali Farneſio, in cujus ille erat clientela, inſcriptum. Verum ab eo tempore, ac proinde jam ultra ſeculum, latebant reconditæ ingentes illius Theſauri opes; nec idem ad eas, in clauſis ac obſeratis ſcriniis abſtruſas, qui ad reliquas obvias & omnium oculis expoſitas ejusdem Palatii Farneſiani antiquitates perluſtrandas, patebat talium avidis aditus. Adeo etiam ut Sereniſſimi PARMAE Ducis litteris,eo nomine ad Oratorem ſuum Romæ agentem datis, id ſe demum obtinuiſſe tradat in Epiſtola ad eximium Morellium tertia pag. 150. nuper hic cum reliquis *Specimini rei nummariæ* adjectis vulgata,illuſtriſſimus vir Spanhemius, ut abditos illos in ea Gaza Farneſiana nummos Romæ, etſi minus accurate diſpoſitos aut diſtinctos, coram adſpiceret: unde in eruditis Diſſertationibus ejus de Præſtantia & Uſu Numiſmatum, Romæ primum anno 1664, ac dein Amſtelodami 1671 vulgatis, ſubinde eorum mentionem ab eo factam liquet.

Quapropter haud levis gratia publico nomine, eidem Sereniſſimo PARMAE Duci RAINUTIO II. nuper admodum, ac poſt elucubratum hoc Pauli Pedruſii opus, defuncto, habenda eſt; quod eundem illum Theſaurum Roma ex ædibus ibidem magnificentiſſimis Farneſianis, ubi ultra ſeculum, & quod excurrit, abditus fuerat ac retruſus,

ante

ante annos haud ita multos, Parmam juſſu ſuo delatum, in publicam lucem emitti opportune voluerit. Id enim cum in Epiſtola ad eundem Principem Dedicatoria, tum in Præfatione huic operi præmiſſa ſignificat, ſibique ab illo hoc munus gratioſe impoſitum teſtatur clariſſimus ejus Auctor, & quidem ut Italico idiomate illud ab eo elucubraretur. Ad quam etiam ſpartam obeundam eo magis videbatur idoneus, quod, ut in eadem tradit Præfatione, omnes Cimeliarchii illius nummi in certas easque *octo* claſſes, pro recepta ferme conſuetudine Antiquariorum, quorum cuſtodiæ id genus cimelia ſunt credita, fuerint ab eodem Herili juſſu diſcreti ac ordinati. Ad quam ferme ſeriem eosdem a ſe deinceps divulgandos ibidem innuit; prout ejus rei jam obiter in Novis litterariis ad menſem Novembris anni præteriti M DC XCIV, e litteris celeberrimi Magliabechii ad nos tum ſcriptis, facta eſt mentio, quæ paucis hic erit repetenda. Nempe ut primus, de quo hic agimus, Tomus aureos Romanorum Imperatorum nummos complectatur: ſecundus argenteos eorundem Cæſarum: tertius maximos æreos itidem Cæſareanos, vulgo *Medaglioni*, & qui iis proximi magnitudine accedunt: quartus mediocres & minores æreos Cæſareanos: quintus Conſulares ſeu Familiarum Romanarum: poſtremus autem nummos Regum exterorum, Syriæ puta, Ægypti, Macedoniæ, Siciliæ, aliorumve Barbarorum, & Græcos inſuper, ſeu veteris Aſiæ, Græciæve Populorum, Inſularum, Urbium; cujus generis Hubertus Goltzius ſub Siciliæ, Magnæ Græciæ, & Græciæ nominibus, ſuperiori ſeculo, ut notum, vulgavit. Quod ſtadium ut feliciter decurrat Vir eximius, totque præclaras ac latentes adhuc opes omnium deinceps uſibus exponat, nec Sereniſſimi Ducis, a quo id munus ei fuit impoſitum, morte, a complendo illo penſo retardetur, optant ſerio, ut opinamur, nobiſcum quicunque ſuo pretio æſtimare id genus Theſauros norunt.

Primus autem, qui haud ita pridem clariſſimi Auctoris dono ex Italia, curante illuſtri Magliabechio, ad nos perlatus eſt, quique ſolus, quantum equidem nobis conſtat, eſt hactenus in lucem emiſſus, aureos tantum, ut vel e modo dictis, aut ex adducto ejus lemmate, continuo liquet, Imperatorum Romanorum nummos, eosque viginti'octo Tabulis accurate in æs inciſos, & ab eodem Pedruſio luculenter expoſitos, continet. Quorum proinde conſpectu & examine haud parum

oblectari poſſunt ac affici, qui non tam pretioſi illius metalli, ex quo iidem ſunt cuſi, & quorum longe minor ſuppetit copia, præ vetuſtis argenteis vel æreis nummis, fulgore; quam ſingularis illius, quæ eosdem aliunde commendat, vel elegantiæ, vel, ut loqui liceat, raritatis illecebris capiuntur. Neque jam opus eſt, vel id inſtitutum noſtrum patitur, ut ſingulos, qui ejus notæ ac pretii ſe hic nobis offerunt, percurramus; quosdam modo contemplabimur. Ac ducto quidem a prima Tabula initio, ille qui primo etiam loco collocatus eſt, inter aureos raro obvios magno in pretio haberi ab Antiquariis ſolet. Nempe quo hinc *Sextus* Pompeji M. filius, cum inſcriptione MAG. PIVS. IMP. ITER. hinc patris *Pompeji* & *Cneji* fratris majoris natu capita conſpiciuntur, addita, quo Sextus fungebatur, muneris deſignatione, PRAEF. CLAS. ET ORAE MARIT. EX SC. *Præfectus Claſſis Et Oræ Maritimæ Ex Senatusconſulto.* Bene enim Auctor clariſſimus caput in priori nummi area non, ut aliis Antiquariis viſum antea fuerat, ad Pompejum patrem, ſed ad Sextum ejus filium, poſt celeberrimum inter Gallos hoc ſeculo Antiquarium P. Seguinum in Epiſtola ad illuſtrem Fr. Gottifredi, quod a clariſſimo Patino ac illuſtriſſimo Biragio eſt itidem factum, retulit. In rariorum etiam nummorum numerũ referendi veniunt aurei, qui in eadem Tabula prima comparent, vel J. CÆSARIS cum laureato ejus capite, vel M. ANTONII, qui vultum itidem ejus præferunt, nummi: & ille quidem inter hoſce, in cujus averſa parte Mars nudus ſcuto innixus, cum haſta & flagro, caput Herculis leonino ſpolio obductum geſtat; ad denotandam originem gentis Antoniæ ab Hercule & inſcr. L. REGVLVS IIII VIR A. P. F. Qualem alioquin nummum cum eodem typo, ſed cum alterius Quartumviri Monetalis nomine, exſtitiſſe cum alibi, tum in Cimeliarchio Cardinalis Barberini accepimus; nempe L. MVSSIDIVS FF LONGVS IIII V. A. P. F. Neque obvii ſunt, quos obiter & ſtrictim in Lectorum gratiam, quibus illius Operis inſpiciendi facultas nondum contigit, adnotemus, qui in tertia Tabula ſignantur aurei ANTONIAE AVGVSTAE, Neronis Druſi Tiberii fratris conjugis: aut vero CAII CAESARIS ſeu Caligulæ, & AGRIPPINAE MATRIS, in averſa ejus parte, nummi. In Tabula quarta exſtat magis forte obvius CLAVDII nummus, in quo Caſtra Prætoria & inſcr. IMPER. RECEPT. ſed ubi *Imperator Receptus*, nempe in caſtris illis a Prætorianis militibus potius, quam cum claris-

TAB. I.

*Tab. I. 1.*




*Tab. III. 7.*




*Tab. XI. 9.*




*Tab. XIIX. 2.*




*Tab. XIX. 3.*




*Tab. III. 2.*




*Tab. XI. 8.*




*Tab. XIV. 2.*




*Tab. XIIX. 6.*




*Tab. XX. 6.*



clariſſimo Auctore *Imperio Recepto* legendum, evincit Suetonius in Claudio cap. X. *Ab his lectica impoſitus, & quia ſui diffugerant, viciſſim ſuccollantibus IN CASTRA delatus eſt*; mox, *RECEPTVS intra vallum.* Tabula ſeptima exhibet GALBAE, OTHONIS, & VITELLII, in hoc quidem metallo ſingulares nummos; inter quos eximius maxime, quo duo Vitellii liberi, id adſtruente ejus inſcriptione, conſignantur, LIBERI IMP. GERM. AVG. E quo nummo, quem e cimeliis Card. Leopoldi Medicei primus antea protulerat in Diſſ. VII. de Præſt. & Vſu Num. p. 649. Joſephum, qui ἄπαιδα ſeu *ſine liberis* dixerat Vitellium Lib. V. Bell. Jud. cap. X. erroris redarguit illuſtriſs. Spanhemius. Rari itidem aurei NERVAE nummi, uti & TRAJANI cum inſcr. FORVM TRAJANI, qui in Tabula undecima comparent, & qualem aſſervatum fuiſſe in dicti modo Cardinalis Leopoldi Gaza aliunde accepimus. Adverti etiam debent, ut oppido ſingulares, in eadem Tabula aurei, vel ejusdem Trajani cum inſcriptione TRIVMPHVS PARTHICVS, vel MATIDIAE ſorore ejus Marciana genitæ, nummi. In Tabula tertia decima attentione dignus ANTONINI PII nummus, inſcriptus LIBERALITAS AVG. III. & alter Tabula decima quarta TEMPORVM FELICITAS, cum ſculptis in eodem duobus M. Aurelii & Fauſtinæ junioris, ut annotarunt jam celebres Antiquarii, liberis; quorum capita duplici cornu copiæ ſunt impoſita. Præclari ſunt etiam omnes, nec obvii ubique, aurei COMMODI nummi, qui proſtant in Tabula decima octava, cum inſcr. VOT. SVSC. DEC. aut NOBILIT. AVG. aut HERCVLI ROMANO AVG. &c. & qui poſtremo in eadem loco CRISPINAM, ejusdem conjugem, exhibent. Quum autem in omni metallo magni fieri ab Antiquariis ſoleant, ut minus obvii, PERTINACIS, & forte magis præ argenteis, vel aureis etiam, ærei ejus nummi; haud minus ſpectari merentur, ut ſingulares in hoc metallo, qui in Tabula decima nona ſignantur, & præ reliquis forte qui OPI DIVIN. eſt inſcriptus. Qui vero aurei vel GALLIENI, vel POSTVMI, maxime autem VICTORIANI cum inſcr. LAETITIA AVG. conſpiciuntur in Tabula vigeſima, ſingulari loco ac pretio haberi itidem debent.

Plures jam hoc loco non attingemus, quibus eos, quos attulimus, tanquam totidem pulcherrimos in amœniſſimo horto floſculos, vel obiter & manu parca delibaſſe, vel ad eos potius digitum intendiſſe, ſat

 erit.

erit. Neque eo minus incenſa erunt, uti opinari licet, Lectorum ſtudia, quorum oculos primus ille Gazæ FARNESIANÆ in hoc Tomo fulgentis paſcet conſpectus; ut reliqua nempe ejus cimelia felicibus Serenisſimi PARMÆ nunc Ducis ODOARDI III. auſpiciis, & ſedula clarisſimi Auctoris, qui jam primo hoc labore laudabiliter eſt defunctus, cura, in lucem prodeant. Ita rarisſimos alios, quos in iisdem Theſauris latere haud incerta fert fama, nummos, & inter eos quidem illum quantivis pretii celebratisſimum PESCENNIVM NIGRVM, e maximorum ſeu *Medaglioni* genere, quem unicum ea mole & elegantia recondit eadem Gaza, conſpiciemus. CLODIVM ALBINVM præterea cum inſcr. MINERV. PACIFERAE, DIADVMENIANVM, uti plures adhuc alios inſignes & maximi itidem moduli nummos contemplari deinceps dabitur. Ne quidquam de tot luculentis in omni modulo ac metallo, vel Romanis, vel Græciæ Aſiæque, aut aliorum etiam locorum nummis hic in medium afferamus: quibus abundare eandem Gazam, e collatis ad eam locupletandam præterito ſeculo, & quidem in Urbe, in qua memoratus ſupra Cardinalis FARNESIVS auctoritate ac opibus præpollebat, ſymbolis ac impenſis, licet facile ſtatuere.

## *D. JO. GEORGII NICOLAI JCTI, ET SERENISS. ELECTORIS SAXONIÆ Conſiliarii, Reſolutiones Caſuum Juris dubiorum Practicæ, In lucem editæ ab Auguſto Coſelio, D.*

Norimbergæ, impenſis Andreæ Ottonis, A. 1695. in 4.
Conſtat Alphab. 3. plag. $6\frac{1}{2}$.

QUas merito in Actis hiſce noſtris A. 1685. p. 530. exoptavimus, variorum Caſuum & Controverſiarum illuſtrium reſolutiones, ab ampliſſimo Auctore in ſuo de repudiis ac divortiis tractatu, quem tunc recenſebamus, promiſſas; easdem nunc, ſed poſt illius beatum demum obitum, publici juris factas deprehendimus, poſtquam in iis ab interitu vindicandis nobiliſſimus Editor quam optime mereri voluit. Utut autem ipſarum reſolutionum numerus quartam Centuriæ partem haud ſuperet, non parum tamen commodi ad eos omnes, qui in foro verſantur, exinde redundaturum eo magis confidimus, quo accuratius ubique dubia Civilis pariter Juris & Saxonici, aut nunquam omnino, aut non ſatis hactenus explicata, uſu tamen forenſi frequentiſſima pertracta-

tractavit Magnificus Auctor, & ita quidem pertractavit; ut rationes dubitandi ac decidendi multis JCtorum modernorum auctoritatibus firmare, celebriorum, & imprimis Saxonicorum Dicaſteriorum præjudiciis, ac ſummi, quod Dresdæ eſt, Appellationis Judicii ſententiis exornare ſtuduerit. Quapropter & nos rem B. L. gratiſſimam facturos arbitramur, ſi brevem ſingularum notitiam pro noſtro inſtituto aperuerimus. Veniam tamen nobis ille concedet, ſi non æqualem unicuique verborum apparatum impendi, ſed aliquas ſtrictius tantum referri cognoverit.

*Reſolutio prima* quæſtionem excutit: an & quatenus Eccleſia Filia ſequatur Matrem, maxime, ſi hæc & filia in diverſis ſitæ territoriis reperiantur? Ubi generatim transactiones & pacta hac de re inter utriusque Eccleſiæ Magiſtratum Eccleſiaſticum, vel Dominos territoriales Epiſcopali jure gaudentes conventa, inſpici debere, illisque ſtandum; iſtis vero deficientibus ad obſervantiam diuturnam & conſuetudinem legitime præſcriptam reſpiciendum eſſe monet: prætereaque multum heic proficere ſubjungit poſſeſſionem præſentaneam, modo unus alterve actus a Matre fuerit exercitus; quæ tamen omnia ſuis adhuc limitationibus ulterioribus circumſcripta comparent. Poſtmodum ſigillatim atque ſtudioſe enumerat, quibus in rebus & quo pacto Mater & Filia inter ſe copulentur, atque hæc illam ſequi ſoleat? *Secunda* ſeparationem Eccleſiarum & parœcianorum, nec non ædificationem novæ eccleſiæ intra parochiam alterius conſiderat, enumeratisque his, quæ validam ejusmodi ſeparationem conſtituant, requiſitis, ut nempe juſta allegetur & probetur cauſa, ut prioris Eccleſiæ conſenſus adſit, ut adſit Epiſcopi autoritas ejusque decretum, nec parochianorum aut ſaltem majoris partis conſenſus deſideretur; cunctas latius illuſtrat & examinat, deque juribus tunc competentibus, de emergentibus item oneribus & commodis, aliisque ad materiam hanc pertinentibus prolixe diſſerit. *Tertia* prohibitionem graduum in matrimonialibus, diſpenſationem quoque, & materias connexas tractat. Inter alia prohibitionem Lev. XIIX. & XX. non niſi ad conjunctiones in eodem pari ſive æquali gradu ſe extendere, juris eam moralis non forenſis eſſe, nuptias cum fratris vidua nec non defunctæ uxoris ſorore lege morali & humana prohiberi, in tertio gradu lineæ æqualis Magiſtratum poſſe diſpenſare, & ubi nuptiæ tales permiſſæ, ubi prohibitæ ſint, declarat. Diſpenſationem

nem adverſus mores Pontificiorum imprimis vindicat, tandemque an & quatenus reſcindendum ſit matrimonium in gradibus prohibitis contractum, disquirit. Videas hic aſſeri, quod ſponſalia in gradibus jure divino prohibitis, licet publica, diſſolvi; matrimonia quoque in aliis gradibus quam in linea recta jure divino interdictis dirimi omnino debeant. Videas alia, & imprimis ad pœnam inceſtuoſarum nuptiarum attinentia. *Quarta* matrimonium inter vitricum cum privigni vidua contractum, vel privigni cum vitrici ſui vidua, minus conceſſum eſſe perhibet; aſt matrimonium cum vidua fratris defunctæ ſuæ uxoris Magiſtratum omni quidem ſtudio diſſuadere, ſi res adhuc ſit integra, ſin vero ſecus, dirimere non poſſe contendit, & rationes ex utraque parte plurimas allegat, ſuæ tamen opinioni inſervientes magis vindicat. *Quinta* matrimonium contra interdictum Magiſtratus Eccleſiaſtici, & pendente adhuc lite & proceſſu matrimoniali inter Cajum & Titiam, cum tertia perſona contractum, ac per benedictionem ſacerdotalem conſummatum regulariter non eſſe reſcindendum edocet. *Sexta* materiam arrogationis enucleat, ſimulque ejus praxin hodiernam oſtendit. *Septima* de molendinis citra ſpecialem Magiſtratus conceſſionem ædificari licitis accurate diſpicit, & jure quidem civili molendinorum ædificationem rem eſſe meræ facultatis, neminemque prohiberi in ſolo proprio abſque ſuperioris licentia molam ædificare, licet per indirectum vicinis inferatur damnum, affirmat, & jus Saxonicum cum hoc aſſerto congruere demonſtrat. Uti autem Vaſallum in feudo, & alios in privatis fluminibus ædificationem hanc ſuſcipere poſſe facile concedit, ita an in fluminibus quoque publicis ſine conceſſione Superioris id liceat, difficiliorem quæſtionem ſtatuit. Quamvis autem Doctores indiſtincte eam negent, magis tamen caute ſibi procedendum arbitratur, eamque ob rem, formata inter flumina publica navigabilia & non navigabilia diſtinctione, priori ſolum caſu autoritatem & ſpecialem Magiſtratus atque Principis conceſſionem requiri ſuperaddit. *Octava*, an & quatenus teſtamentum nomine teſtatoris analphabeti & literarum imperiti ab alio literis mandatum ſubſiſtere debeat? ſciſcitatur, & validum id eſſe reſpondet, dummodo iſti imperito in præſentia teſtium prælectum & ab eo approbatum fuerit. An autem judicialis prælectio coram Notario & VII. Teſtibus facta adeo præciſe requiratur, ut illa etiam extrajudicialiter per actum æquipollentem fieri nequeat,

queat, aſſerere non vult, quin potius in defendenda ſententia contraria occupatur. *Nona* Academias Electorales Saxonicas earumque membra, forum in Curiis Electoralibus Saxonicis ſortiri, ibidemque jure conveniri poſſe, inficiatur. *Decima* cautelas enumerat, quæ obſervandæ ſint, ſi diſquiratur de donatione mortis cauſa reciproca ex teſtamento mutuo, præſertim conjugum, an & quatenus illud invita & adhuc vivente altera parte vel illa mortua revocari & mutari poſſit? *Undecima* ſententiam pragmaticorum ſtatuentium, liberos ab acquiſitione hereditatis paternæ vel avitæ nonniſi triplicato præſcriptionum ſpatio (90 ſcilicet annorum) excludi, erroneam eſſe monſtrat. *Duodecima* ſucceſſionem mariti in bonis uxoris de jure Civili & Saxonico cum materiis eidem cognatis ſpeciatim explicat, ſimulque eam ad merces in apotheca privilegiata exiſtentes commode trahi negat. *Decima tertia* privilegium civitatum de non vendendo cereviſiam extraneam intra milliare vel extra illud, ei etiam officere perhibet, qui in pago aut villa cauponam inſtituere vinariam ac vinum velit vendere. *Decima quarta* hanc quæſtionem continet: an validum ſit pactum inter emtorem & venditorem initum, quo venditor fundum vel prædium ab omnibus oneribus realibus tam ordinariis quam extraordinariis liberum vendat, vel illa pacto ſpeciali & expreſſo in ſe recipiat? Ubi ſane multos negativam tenere oſtendit; aſt affirmativã tamen veriorem jurisque rationibus magis convenientem videri regerit. *Decima quinta* aſſerit, fidejuſſorem contra creditorem ex non mota adverſus ſe intra 30 annos actione non præſcribere, uti etiam nec principalem debitorem contra creditorem, ubi interea reus aut fidejuſſor ſolverit, (nempe uſuras vel partem debiti,) aut conventus fuerit. *Decima ſexta* hypothecam in foro Saxonico conſtituere poſſe in allodialibus poſſeſſorem domus aut prædii, licet de eo nondum fuerit judicialiter inveſtitus, teſtatur. *Decima ſeptima* Advocatum, licet in certum numerum Advocatorum in judicio non ſit receptus, ad præſtandum tamen patrocinium a Judice injunctum compelli poſſe affirmat. *Decima octava*, Advocatum ratione promiſſi ſalarii vel etiam palmarii, in illa ipſa re, quam patrocinio ſuo conſervavit aut recuperavit, gaudere privilegio prælationis, & omnibus aliis creditoribus etiam privilegiatis præferri debere contendit. *Decima nona* interrogatoria etiam in cauſa teſtamentaria admittenda adſtruit. *Vigeſima* probat, juramentum quodcunque,

 ſive

ſive voluntarium, ſive neceſſarium, aut judiciale ſit, pro præſtito haberi, ſi pars altera in termino ad jurandum præfixo contumaciter emaneat, aut juramentum recipere, aut delatum a parte de calumnia præſtare nolit. *Vigeſima prima* de termino probatorio & ejus obſervatione diſtincte agit, ac poſt plura alia explanat, an actor, ſi in articulis probatoriis ſe quoad probationem certi cujusdã articuli ad inſtrumentum referat, idque inducat, omni vero adhibita diligentia intra terminum probatorium, vel etiam poſtea, illud conſequi nequeat, & poſt effluxum fatale probationis, ad productionem documenti æquipollentis ad eundem finem atque effectum admitti debeat? Negativa poſthabita, pro affirmativa Noſter concludit. *Vigeſima ſecunda* creditorem in concurſu, poſt citationem ſub comminatione præcluſionis emiſſam, & publicatam jam diſtributionis ſententiam, ſi illa tranſierit in rem judicatam, ad liquidandum vel deducendum ulterius admitti non debere reputat, etiamſi ſuper præcluſione nihil adhuc fuerit ſpecialiter pronunciatum. *Vigeſima tertia* materiæ de compenſatione conſecratur, variasque deciſas continet quæſtiones, interque illas & hanc: utrum compenſatio in concurſu creditorum in præjudicium anteriorum creditorum hypothecariorum locum habeat? negative declarat. *Vigeſima quarta* agit de venia ætatis a Principe impetrata, & quæſtionem: an prædictam veniam conſecutus, durante adhuc minorennitate, etiam procuratorio nomine in judicio agere, & aliena negotia judicialiter tractare poſſit? negative pariter decidit. Denique *vigeſima quinta* materiam fideicommiſſi delineat, & quod in fideicommiſſo familiæ relicto, filiæ vel etiam fœminæ e maſculo deſcendentes comprehendantur, contra ſecus opinantes abnuit.

*CAMPEGII VITRINGÆ THEOL. ET HIST. SACR. PROFESſoris de Synagoga vetere Libri tres, quibus tum de nominibus, origine, ſtructura, præfectis, miniſtris, & ſacris Synagogarum agitur; tum præcipue formam regiminis & miniſterii earum in Eccleſiam Chriſtianam translatam eſſe demonſtratur.*

Franequeræ, apud Joannem Gyzelaar, A. 1696. in 4.
Conſtant alphab. 6. plag. 13½.

RELigionem Chriſtianam initia ſua ex Judaiſmo ducere, cultoribus illius velut magnum probrum a Celſo olim objectum eſt. Nullam contra

contra gloriationis ampliorem ſolidioremque materiam ipſos habere, doctiſſimus Vitringa aſſerit; & in præclaro hoc opere demonſtrandum ſibi ſumit, Eccleſiam Chriſtianam primævam, quæ ex Synagoga Judæorum nata ejusdemque filia dicenda ſit, in regimine atque cærimoniis ſe, quantum fieri poterat, conformaſſe conſuetudinibus Synagogarum; quod inſtitutum ita exequitur, ut ſimul antiquarum Synagogarum nomina atque ſtructuram declaret, formamque regiminis & ſacra earundem latius deſcribat.

Commendata videlicet in Prolegomenis utilitate, imo & neceſſitate hujus inveſtigationis, ſententiam eorum imprimis refert, qui officia & ritus Eccleſiæ Chriſtianæ a cultu Templi Judaici derivent. Ex his allegat Jac. Uſſerium Armachanum, atque ejus hac de re doctrinam una cum argumentis, quæ is urgeat, proponit. Huic autem opinioni ex autoritate Patrum pondus aliquod accedere, ac iſtos, quando inter ſacra Oeconomiæ novæ & veteris comparationem aliquam efforment, σχῆμα ſacrorum Templi magis obſervare, quam Synagogæ, haud inficiatur; quin rationes potius non paucas adducit, quæ anſam iſti inſtituto proniſſimam ſuppeditarint. Longe tamen plures, ac doctos itidem claroſque Viros, Hugonem puta Grotium, Seldenum, Morinum, Salmaſium, Dodwellum, & alios, ad exemplar Synagogarum Eccleſiæ Chriſtianæ regimen diſpoſitum dicere oſtendit, & Joannem præcipue Spencerum multa huic veritati præbere ait teſtimonia; etſi haud diſſimulet, quod hanc hypotheſin ulterius extenderit, quam ipſe cupiat. Rationes vero pro ſententia poſteriori militantes, ac ſuo deinceps loco latius deducendas, ſummatim heic inſinuat, & ut conſtet eo dilucidius, utra ex his pro veriori habenda veniat, ſupponit, primo quidem, in Templo ſubinde eas quoque obſervatas cærimonias, quæ in Synagogis uſitatæ fuerint; dein Judæos ipſoſmet Scriptores miniſterium Synagogarum variis in partibus conferre cum cultu Templi. Aſt nihiloſecius contendit, exercitium religionis Chriſtianæ multo propius accedere ad formam cultus divini, prout in Synagogis celebratus ille ſit, quam ad Templi λειτουργίαν; cum in iis partibus, quibus cultus Synagogæ a cærimoniis Templi diſcrepet, utpote in diſtinctione locorum, perſonarum, veſtium, ætatis, graduum ſanctitatis, & aliis ejusmodi ſimilibus, Eccleſia nequicquam cum Templo, ſed cum Synagoga faciat, ac inſuper Doctores Hebræi Synagogæ cultum,

 qua-

quatenus ipſi cum Eccleſiæ cultu conveniat, a religione Templi diſtinguant. Denique ad argumenta, quibus patroni primæ illius ſententiæ utantur, reſpondet, alteramque velut & in ſacris literis optime fundatam iſti anteponit.

Verum iſthæc hactenus generatim duntaxat & vice alicujus Præfationis Auctor ita diſſeruit. Jam ad tractationem ipſam accedens Synagogam veterem ſolicite deſcribit, (prout id opus eſſe ex ſententia ejus ſupra innuimus, ) atque hoc labore per librum primum, ac eum rurſus in tres partes diviſum, defungitur. Initium commentandi capit a nominibus, quæ vel ad loca conventuum Judaicorum, vel ad cœtus qui in illa loca conveniant, vel ad utraque ſimul referri obſervat. In poſtremo ordine vocabulum SYNAGOGA collocat, ac iſtud adeo præ cæteris ſolicite exponit, ejusq; cum Hebræa voce עדה commercium, ac vim vocabuli קהל, quod & ipſum a LXX Interpretibus aliquando *συναγωγὴ* reddatur, oſtendit, alteriusque hujus convenientiam cum Græco *ἐκκλησία*, & Latinis, populus, civitas, concio, comitia calata, ſub incudem revocat. Prout autem *συναγωγὴν* ſemper ſignificare ait cœtum conjunctum & congregatum, etiamſi nullo forte vinculo ligatum; & e contra *ἐκκλησίαν* notare multitudinem, quæ populum conſtituat, & per leges atque vincula inter ſe conjuncta ſit, tametſi ſæpius contingat, ut non coacta ſit vel cogi poſſit: ita facile perſpectu opinatur, cur Chriſtus & Apoſtoli multitudinem Chriſtianorum hoc potius quam illo nomine expreſſerint; quandoquidem fideles diſperſi per varias terræ cujusdam plagas deſinant eſſe עדה congregatio, ſed non eſſe deſinant קהל eccleſia, non deſinant conſtituere unum corpus, quod per Spiritum & fidem arctiſſimis vinculis compingatur. Poſt hæc Auguſtinum notat, quod Synagogam congregationem, Eccleſiam vero convocationem ſignificare, & vocabulum poſtremum honeſtius habendum eſſe dixerit. Hugonis quoque Grotii ad eadem hæc vocabula annotationes ventilat, addita expoſitione vocis *ἐκκλησία*, quæ apud Suidam legitur. In verbis Chriſti: *εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ* Matth. XIIX, 17. univerſam credentium multitudinem ſubintelligi, contra quosvis id negantes, & præcipue adverſus Joannem Cameronem ac Ludovicum Cappellum adſtruit. De cætero cum poſteriorum temporum Judæi vocibus antea examinatis adjunxerint & quaſi ſubſtituerint has binas, צבור & כניסה ſive כנסת, hinc & in harum ſenſu inveſtigando

gando occupatur. Licet vero, uti dictum, Synagoga cœtum quoque & conventum hominum deſignet; eum tamen ſignificatum hinc exulare, ac iſtam pro loco, in quem cœtus congregetur, in præſens accipi demonſtrat, de fundamentis ſignificatus hujus paulo accuratius diſputans. Nec aliarum, quibus Synagogæ inſigniri ſueverint, appellationum obliviſcitur, quales ſunt proſeuchæ, *ἱερὰ*, *σαββατεῖα*, *ἀνδρῶνες*, *προσευκτήρια*, *Φροντιστήρια* &c. Synagogas vero ſtricte dictas, quæque apud Hebræos audiant בתי כנסיות, diſtinguendas ſtatuit ab Academiis vel Scholis publicis, licet hæ nonnunquam in ſcriptis N.T. ex latiori ſignificatu ſub nomine *συναγωγὴ* comprehendantur. Qua occaſione aliqua de Scholis Judæorum inſpergit, easque vel privatas fuiſſe dicit, vel publicas. Iſtas inſtitui ſolitas in ædibus ſapientiorum & aliorum quorumcunque felicioris ſortis ſanctiorisque vitæ hominum, & in ea quidem parte ædium, quæ dicta fuerit cœnaculum, (de quo proin vocabulo multa quoque Noſter inſerit,) ac præter hæc domeſtica ſacraria apertas etiam refert privatas Scholas alias, vel a Doctoribus per manuum impoſitionem ad illam dignitatem promotis, vel a privatis pluribus ad ejusmodi Scholas aperiendas conſpirantibus. Has vero, ſive publicas, per auditoria deſcribit, in quibus ſummi nominis Doctores publica totius gentis aut civitatis auctoritate muniti legem divinam traditionesque profeſſi ſint. Late autem, quicquid ad has ſpectat, excutit, interque alia quæſtionem: utrum diſcipuli ante mortem Gamalielis Principis ſtare fuerint ſoliti? negative determinat. Tacemus, quæ de modo interpretandi, quæ de aliis huc pertinentibus erudite diſquirit. Ad Synagogas proprie ſic nuncupatas reverſus, in iis ante omnia ſpectandam ſiſtit arcam, librum legis aſſervantem; poſtea extructum in medio Synagogæ e regione hujus arcæ ſuggeſtum, inque eo pulpitum, unde legis divinæ lectio aut oratio facta fuerit ad auditores, conſiderat. Ulterius intendit in ſubſellia, quorum ordinem diſtinctionemque tradit, ac de ſeparatione virorum a mulieribus apud Alexandrinos aliosque obſervata Lectorem edocet. Inde lucernas in Synagogis ſuspenſas aut parietibus affixas contuetur; utenſilia, quæ vel ad cultum ſacrum, vel ad Synagogæ ornatum fecerint, recenſet, libros nempe ſacros cum ſuis appendicibus, tubas atque buccinas, quarum in excommunicatione, in feſto novi anni, in jejuniis, in veſpera Sabbati, diverſos uſus memorat; velum ſacelli librarii; arculam eleemoſynariam,

I 3 &c.

&c. Quod Synagogæ in altiſſimo civitatis loco extrui debuerint, affirmat, & de cauſis hujus præcepti quærit. Easdem olim refert conditas extra urbes, idque ſeu neceſſitatis ergo, ſeu commoditatis, ſeu ſanctitatis. Quemadmodum non minus rationes indicat, ob quas eæ frequentius olim extructæ apud fluvios & ſepulchreta fuerint. Nec omittit Bibliothecas Synagogis quandoque junctas; diverſoria item ab iis haud procul remota, arboresque quibus illæ conſitæ legantur. Canonem, quod Synagoga ædificanda ſit in omni loco, in quo decem reperiantur majorennes & liberæ conditionis homines, explicat. Juſtum quoque ſpatium occupat Synagogarum dedicatio & reverentia iisdem debita, nec minus deſtructio ac honor deſtructis adhuc reſervandus, inſuperque earum alienatio, ſeu ea venditione ſeu donatione contigerit. Unam eandemque urbem plures ſæpe Synagogas habuiſſe obſervat, in pagis autem eas ordinario repertas negat, & heic inter alia paganos in urbes aſcendere juſſos notat ad lectionem Megillæ celebrandam, pluraque & perquam curioſa de hac lectione cumulat.

Hæc de diverſa appellatione ſolitaque ſtructura Synagogarum, & de circumſtantiis eo referendis Auctor monuit. Sed nunc in parte ſecunda earum ſcrutatur originem, quam minime inveniri admittit in antiquiſſimo illo tempore, quod a creatione mundi uſque ad diluvium, atque ab hoc ad Moſen uſque effluxit. Nec eam quærendam concedit in illo temporis intervallo, per quod Judæi absque Regibus fuerint; ubi fruſtraneam eos navare operam contendit, qui lectionem legis divinæ, jam Moſis ævo ex eorum mente diebus Sabbati frequentandam, aliquid huc facere ſibi perſuadeant. Pari ratione aſſerit, nihil huc conferre tentorium illud, quod Moſes extra caſtra fixiſſe legatur Exod. XXXIII, 7. Nihil etiam ſolennem iſtam promiſſionem Exod. XX, 24. ſuppeditatam. Nihil poſtulatam Deut. XXXI, 11. 12. prælectionem legis quovis ſeptennio repetendam in feſto tabernaculorum, tametſi hanc pro fundamento Synagogarum Grotius divendat. Nihil obtinere Cornelium Bertramum, qui ab ingreſſu Iſraelitarum in terram Canaan ejusque diſtributione earum ortum derivet. Chaldæum Interpretem ad Judic. V, 9. non ſatis appoſite in paraphraſi Synagogarum meminiſſe credit. Nec Kimchium, aut Abarbanelem, aut utrumque ſecutos Belgas Interpretes vera narrare exiſtimat, quando in urbe Mizpa Synagogas tempore Judicum extitiſſe conjiciant. Mox ad illa tempora

ra progreſſus, quibus Judæi Regibus ſubfuerint e familia Jeſſæa oriundis, primo equidem concedit, obtinuiſſe per univerſum illud intervallum aliquod genus inſtitutionis publicæ, cujus modum atque rationem prolixe indicat. Verum dehinc non ſatis liquere profitetur, quod Synagogæ ſpeciatim dictæ hoc omni tempore apud Judaicam gentem in uſu fuerint; expenſis eapropter iis, quæ a Viris doctis vel diſputata ſint, vel diſputari poſſint in contrarium. Et aſſertio ſane, quam primam modo appellavimus, largam ipſi copiam ſubminiſtravit diſſerendi de Scholis filiisque Prophetarum, ac de Levitis, horumque in docendo officiis. Inter argumenta vero contraria locus imprimis Pſal. LXXIV, 8. fuſius excutitur. Quibus omnibus accurate pertractatis, tandem concludit, Synagogarum originem aſſignandam tempori, quod ſit poſterius captivitate Babylonica: ac licet incertum ſit, quo præciſe temporis articulo eædem introductæ fuerint, quippe cum ne hiſtoria quidem Maccabæorum aliquam heic lucem afferat; dubium tamen nullum ſupereſſe putat, quin potiſſimas illarum cærimonias repetere poſſimus a ſolenni illa prælectione legis divinæ, cum adjunctis illi benedictionibus, quæ in libro Nehemiæ deſcribatur.

Nondum vero in his libri primi terminus comparet, quippe cum tertia illius pars excurſum ad Oratoria Eccleſiæ Chriſtianæ ſiſtat. Auctor nempe loca conventuum primæ Eccleſiæ, vel privata fuiſſe dicit, vel publica. Privata rurſus in ſtata diſpeſcit atque arbitraria. Publica fuiſſe rariora fatetur, cum multis de cauſis Chriſtiani in ſuæ religionis exercitio latere voluerint. Interim eos ſacris ædibus plane deſtitutos minime concedit; quin potius ad erigendas tales naturalem ipſos rationem inſtigaſſe, modum vero in ædificatione ſervandum exempla Judæorum præiviſſe. Atque heic manifeſte perhibet, quod ædes ſacræ primorum Chriſtianorum ad typum Synagogarum efformatæ fuerint; id quod ex inſtituta comparatione inter nomina, partes, & accidentalia quædam Synagogarum & Oratoriorum Chriſtianorum, evictum dare nititur. Ritum vero Chriſtianorum precandi verſus Orientem, & inde poſticam ſuorum Oratoriorum partem eo dirigendi, non impedire aſſerit, quo minus Synagogæ horum typus remaneant, licet inverſum in iſtis ſitum conſpiciamus; rationes enim, cur Chriſtiani hac in parte ab illis abierint, non unas proponit. De cætero accedentem poſtea ſub Chriſtianis Principibus ad Oratoria hæc ſplendorem atque ampli-

amplitudinem effeciſſe, ut ea non Synagogis porro, ſed Templis ſimilia evaſerint, prout & paſſim ab Auctoribus illorum ſeculorum cum Templo Hieroſolymitano collata inveniantur.

Synagogæ vero Judaicæ, ad modum hactenus recenſitum delineatæ contemplationem ea nunc excipit diſquiſitio, quæ & veram formam regiminis Synagogæ veteris declarat, & ejus reſpectum ad regimen primæ Eccleſiæ Chriſtianæ ex inſtituto probat. Recenſet enim Auctor in ſecundo libro varias Doctorum idem fere ante ſe colligentium ſententias, primum in his locum Hugoni Grotio concedens. Poſt diverſas de Eccleſiis per Presbyteros directis opiniones enumerat, atque iis adſtipulatur, qui ſtatuant Collegium Presbyterorum ejusdem generis & ordinis, ſed non deſtitutam aliquo Præſide, qui tamen ipſe nulla certa præſidii ſui nota aut prærogativa a cæteris diſtinctus fuerit, cum ſane & reliquis omnibus jus docendi æque ac Præſidi convenerit. Dehinc diſtinctionem Presbyterorum in docentes & regentes ſive laicos antiquitati nullo pacto reſpondere monet, ac univerſum Presbyterorum primæ Eccleſiæ Chriſtianæ munus uberius delineat. Loca 1. Tim. V, 17. Rom. XII, 8. 1. Cor. XII, 28. quæ pro Presbyteris regentibus de plebe adduci ſoleant, exponit atque vindicat. Presbyteros Doctores apud Cyprianum nominatos nequaquam cum celeberrimo Dodwello pro viris extraordinaria quadam Spiritus S. gratia ad docendum inſtructis, ſed pro ordinariis e numero Presbyterorum Doctoribus agnoſcit, non talibus quidem, qui Evangelium publice in Eccleſia prædicarint, ſed qui vel in ſuis ædibus, vel in aliis quibusque locis ex conceſſione Epiſcopi Scholas aperuerint. Seniores plebis, quorum memoria in ſcriptis veterum conſervata habeatur, Presbyterorum regentium cauſam plus perdere quam juvare innuit, & cuncta hæc præſuppoſita in locum alicujus normæ ſubſtituit, ad quam non Hugonis modo Grotii, ſed aliorum etiam de regimine Synagogæ & Eccleſiæ ſententias examinare cum fructu liceat. Nempe formam Synagogæ a variis extructam auctoribus conſiderandam præbet, ac introducit Samuelem Petitum, qui tot fere diſtinctas Synagogæ functiones attribuat, quot nomina dignitatis in Reſcriptis Imperatoriis reperiantur, (id quod tamen calculum Auctoris minus obtinet;) Lightfootum, qui ſupponat, ſacra Synagogæ munia inter decem Otioſos fuiſſe diſtributa, unde horum deſcriptionem tum a Buxtorfio tum a Lightfooto & Cappello

pello adornatam ſubjungit, & ea, quæ ad poſteriorem illuſtrandam probabiliterque adſtruendam idonea videri queant, in medium producit. Officia quoque Synagogæ, prout ea Lighfootus inter decem illos Otioſos diſtribuerit, enumerat, ac utrum is ubivis firmo ſatis talo innitatur, diſceptat. Poſthabitis vero his & ſimilibus ſententiis alienis, ſuam mentem promere nunc incipit. Ac veteres quidem Synagogas non uno modo rectas eſſe præſupponit. Alias enim, easque urbium majorum celebriores, gubernaſſe Senatum doctorum virorum; alias, ſive quod minus celebres & majoribus ſubordinatæ, ſive quod copia doctorum virorum deſtitutæ eſſent, rexiſſe quendam ſacrorum Magiſtrum, רב dictum. Interim oſtendit, quomodo cum hiſce hypotheſibus conciliari poſſint ea, quæ in Hiſtoria novi fœderis, ſtatutisque Romani Juris, nec minus apud Epiphanium, & alibi, de regimine Synagogarum inſperſa deprehendantur. Poſtremo definitivum hoc pronunciatum fert: regimen Eccleſiæ Chriſtianæ non eſſe formatum juxta ejusmodi typum regiminis Synagogæ, quo ei unus ſolum præfuerit רב, Magiſter ſeu Didaſcalus, ſed potius juxta illum, quo plures viri docti unum aliquod Conſiſtorium ſive Synedrium ſacrum conſtituentes conſilio communi res Synagogæ moderati fuerint.

Hæc theſis cum probatione ulteriori utique indigeat, ideo nec iſta in re officio ſuo deeſſe Auctor voluit. Præcipuum autem in ea roboranda punctum fert convenientia, quam inter Synagogæ & Eccleſiæ qua Rectores qua Miniſtros manifeſtiſſimam efficere conatur. Ad Rectores quod attinet, pleraque heic in prima libri tertii parte repetita ſunt, quæ jam olim Auctor ſcripſerat in Archi-Synagogo obſervationibus novis illuſtrato, quem nos in Actis A.1686. p.253. ſq. exhibuimus; ut proin Lectorem eo nunc merito ablegemus. Hoc tamen inſuper monendum eſt, ea, quæ inibi occurrunt, & aliam heic induiſſe faciem, & novis quoque paſſim acceſſionibus locupletata legi, maxime, ſi factam utrinque Presbyterorum electionem atque confirmationem reſpicias, doctrinam præterea, quod Epiſcopi idem cum Presbyteris collegium conſtituerint, ac ejusdem fuerint ordinis, quam a noviſſimis Henr. Dodwelli exceptionibus Auctor vindicat. Sed numerum quoque Presbyterorum in Presbyteriis tam Judaicis quam Chriſtianis pro locorum & circumſtantiarum ratione variaſſe heic aſſeritur, & de honorariis ſive ſtipendiis Presbyterorum tam Eccleſiæ quam Synago-

gæ ſecum invicem contendendis agitur; ut plura iſtius generis additamenta prætereamus. Similem in modum, ubi ad miniſtros Eccleſiæ & Synagogæ deſcendit, iſtosque cum his comparat, non parvum ſuis ante hoc decennium dictis augmentum largitur; imprimis quod ſpectat ad materiam de Diaconis, de Liturgiis, de ritu Benedictionis Sacerdotalis, & ſimilia. Ac differentiam ſane inter priſtinam & hanc editionem quivis facili conjectura aſſequetur, qui ex deductis ibi capitibus XX duas heic emerſiſſe partes cognoverit, quarum altera XIIX, altera XXII capita complectitur. Ut adeo haud præter rem ipſe Auctor exiſtimaverit, fore, ut Archi-Synagogus ille, per hunc librum ei ſubſtitutum, manibus hominum excutiatur; id quod libenter etiam ſe permiſſurum teſtatus eſt.

*IO. HENRICI BOECLERI HISTORIA UNIVERSALIS QUATUor primorum a nato Chriſto ſeculorum. Cum Præfatione Iſagogica D. Jo. Fechtii, mutuisque Pauli Sarpii Veneti, & Iſaaci Caſauboni epiſtolis. Ex manuſcripto edidit Jo. Gottlieb Möllerus.*

Roſtochii, apud Joannem Wepplingium, & Lipſiæ apud Hæredes Lanckiſianos, A. 1695. in 4.
Conſtat alphab. 1. plag. $8\frac{1}{2}$.

NOndum ſeſe nobis obtulit occaſio, illuſtre nomen *Jo. Henrici Bœcleri*, S. Cæſareæ Majeſtatis Electorisque Moguntini Conſiliarii, Palatii Aulæque Cæſareæ Comitis, & in Univerſitate Argentoratenſi Profeſſoris Hiſtoriarum, A. 1672. fato ſuo functi, in Actis noſtris ita allegandi, ut fœtum aliquem ab excellenti hujus Viri ingenio profectum recenſeremus. Nunc vero cum talis nobis, licet poſthumus, offeratur, multa quidem de ejus eruditione, deque aliis ad illius vitæ curſum ſcriptorumque notitiam pertinentibus dicenda venirent, niſi illa doctis quibuscunque ſatis ſuperque eſſet cognita, & in his conſignandis ſolertiſſimus *Wittenius* in ſuis, quas vocat, Philoſophorum Memoriis, ſolicitum ſe dudum exhibuiſſet. Itaque ſine ambagibus, ad operis præſentis recenſum accingimur.

Nimirum cum inter ſuos Profeſſores Academia Argentoratenſis vivum adhuc Bœclerum veneraretur, privatas ille (aſt numeroſo tamen audi-

auditorum confluxui) ſcholas A. 1659 aperuit, in quibus Hiſtoriam a nato Chriſto univerſalem exponere aggreſſus, eum in ſingulis ſervavit ordinem, ut primum, quæ ad chronologiam ſpectant, traderet, deinceps Cæſarum nomina resque geſtas enarraret, poſtmodum externa recenſeret, tum eccleſiaſtica curioſe panderet, ac tandem quæ ad hiſtoriam literariam pertinent, perſequeretur. Non defuerunt igitur, qui promto calamo aurea hæc ſui Præceptoris dicta exciperent, juvenes doctiſſimi, ad ampliſſimos poſtea honorum gradus evecti, potiusque nihil in votis habuerunt, quam ut univerſa a nato Chriſto ſecula Vir tantus concatenato nexu illuſtraret. Sed ultra quatuor priora (dubium, ex quibus cauſis) progredi eidem non licuit. Verum uti virorum egregiorum minima etiam quæq; in deliciis merito ſunt ac pretio, ſic iſtud etiam hiſtoricum Bœcleri fragmentum magni ſemper a ſuis poſſeſſoribus æſtimatum fuit. Aſt in paucorum duntaxat manibus, ac præterea nonniſi manuſcriptum id haberi, cum deprehenderet Jo. Gottlieb Möllerus, Græcarum literarum in Roſtochienſi Univerſitate Profeſſor clariſſimus & rei imprimis literariæ juvandæ laudabili cum induſtria intentus, ſuarum eſſe duxit partium, ad plurium uſus doctrinæ hunc theſaurum e privatis ſcriniis in lucem liberam protrahere. Nactus autem exemplar ex eo, quod manu ſua conſignaverat venerandus Ulmenſium Præſul, Elias Veielius, (qui & ipſe auditorum Bœclerianorum numerum ſe quondam auxiſſe fatetur,) deſcriptum, non beato ſolum id Morhofio & aliis eruditis viris oſtendit, ſed & eorum approbatione cognita, ad illius editionem tandem ſe accinxit, advocatis in ſubſidium manuſcriptis etiam aliis, quotquot nanciſci potuit.

Præfationem Iſagogicam adjecit Maxime Reverendus Fechtius, qui in eadem laudes Auctoris de ſe quoque meritiſſimi decantat, ſcripta Bœcleri a Witteno non viſa addit, interque hæc & *Bibliographiam* illam *Hiſtorico-Politico-Philologico-Curioſam*, quæ ſine Auctoris nomine aliquoties prodiit, iſti tanquam genuino parenti vindicat.

Memoriam Bœclerianæ vitæ renovavit Editor, repetito exequiali Programmate, quod una cum ſubjuncta librorum ab eo compoſitorum Sylloge, ex Wittenii libro ſuperius adducto mutuatus eſt, ac ne quidquam deeſſet, ſtructo qua ſectionum, qua rerum verborumque Indice ampliſſimo Lectoris ſtudioſi gratiam inire laboravit.

Sed adhuc Appendix reſtat, eaque duas complectitur Epiſtolas, alteram Pauli Sarpii Veneti ad Iſaacum Caſaubonum, alteramque hujus ad præcedentem reſponſoriam. Utramque Gudius cum Kortholto, atque hic viciſſim cum Möllero noſtro communicaverat. Hic igitur cum nec inter Sarpianas Veronæ, ut præfert titulus, nec Caſaubonianas Hagæ Comitum per Gronovium & Francofurti per Grævium vulgatas, iſtas reperiſſet, ex manuſcripto eas edidit. Epiſtolarũ vero materia in eo verſatur, quod uterque ſcriptor generalem format invectivam in Baronium, & ille præterea Jacobo Angliæ Regi commendari ſe petit, hic commendatiſſimam jam eſſe ejus eruditionem regerit.

*THE ART OF PAINTING, BY G. A. DU FRESNOY, translated into Engliſh &c.*

Hoc eſt:

## Ars Graphica carmine Latino tradita a C. A. Du Fresnoy cum annotationibus, ejusdemque pictorum hujus & ſuperioris ſeculi cenſura, Anglice reddita, & præfatione, qua Poeſeos & Graphicæ artis inſtituitur comparatio, exornata a GULIELMO DRYDEN.

Accedit brevis optimorum pictorum tam inter veteres quam recentiores hiſtoria.

Londini ſumtibus Jo. Rogeri A. 1695. in 4.

Conſt. alphab. 2. plag. 7.

NIhil novi in hoc volumine continetur, præter præfationem famoſiſſimi inter Anglos Poetæ, cui cum ſua arte pictoriam contendere placuit, & catalogum pictorum veterum & recentiorum, usque ad hæc tempora. Notas enim quod attinet, Autori Gallicæ hujus carminis verſionis eas debemus. Criticum autem de pictoribus hujus & ſuperioris ſeculi celebrioribus judicium, inter chartas Du Frénoji, manu ejus deſcriptum reperit, adeoque ejus quoque fœtum eſſe exiſtimat interpres Gallus. Iſtorum itaque recenſione Lectores noſtros inpræſentiarum non morabimur, veriti ne jam nota harum deliciarum amatoribus occinamus, quos tamen non invitos, quid ingenii elegantia inter ſuos adeo conſpicuus Anglus interpres in præfatione præſtiterit, accepturos eſſe confidimus.

p. 4. Dicendorum itaque occaſionem accipit Drydenus a Bellorio, qui in Idea, quam ſcripſit, pictoris, ſecundum Platonicam philoſophandi ra-

di rationem artis illius naturam delineavit; quod tamen planius ipſi feciſſe videtur Philoſtratus in eo quod Imaginibus ſuis præfixit proœmio, ad poeſeos ſimul & graphicæ artis ſimilitudinem oculos intendens. Cui addendus eſt ipſe, quem præ manibus habemus Poeta, qui carmen ſuum non invenuſte ita fuit auſpicatus: p. 13.

Ut pictura poeſis erit; ſimilisque poeſi
Sit pictura, refert par æmula quæque ſororem;
Alternantque vices & nomina; muta poeſis
Dicitur hæc, pictura loquens ſolet illa vocari.

Laxat inde ingenio ſuo fræna, nec obſervatis accurate methodi regulis hanc comparationem perſequitur, cujus initium facit ab illa Bellorii regula, qua formare ſibi jubet pictorem perfectam naturæ ejusque pulcritudinis ideam, e qua in omnia opera ſua elegantiam derivare queat. Eandem enim ideam in mente ut pariat poeta, oportet, quæ tamen ſicut parum uſus habet apud pictores in illis, quæ ad vivum aliquod exemplar efformantur, imaginibus; ita & poeta in tragœdia & comœdia homines ex idea ſua deſcriptos in ſummo perfectionis gradu non collocabit, quod in epico tamen carmine faciet. In tragœdia enim tales repræſentare homines oportet, qui oppreſſi virtute ſua moveant miſericordiam quidem, nævis tamē ſibi adhærentibus cataſtrophe tragica non plane indigni videantur. Perfectam namq; virtutem videre deſtructam, ad impietatem proclives reddit mentes humanas; plane autem vitiis immerſos perire, nemo non ſiccis adſpiciet oculis. Virtuoſos itaque, ſed homines tamen, hoc eſt fragilitate circumdatos tragœdia producet. In comœdia autem deformitas etiam aliqua decet, utpote qua acrius populo (qui finis comœdiæ eſt) vitiorum dedecora exprobari ſolent. Delectare porro ſive placere, tam poeſin quam graphicam artem finis loco ſibi habere propoſitum, noſter quoque canit Poeta: p. 15. p. 18. p. 16. p. 20.

Quod fuit auditu gratum cecinere poetæ:
Quod pulchrum aſpectu pictores pingere curant.

In eo tamen aliqua eſt diſparitas, quod primarius ille ſit pictoriæ artis ſcopus, cum alium potiorem habeat poeſis, qui eſt inſtruere. Quamvis ſi artifices potius quam artem conſideremus, poetarum pariter ac pictorum majus placendi eſt quam inſtruendi ſtudium. Quem finem ſuum pari quoque utrique ratione conſequuntur: fingunt enim & fallunt utrique, placentque, dum oculos, pictores, dum animum & in-

 tellectum

tellectum, poetæ ſuavi quadam incantatione decipiunt. Materiam inde
p. 21-26. carminis & picturæ fere eandem eſſe oſtendit. Obſcœnitate careat utraque, utraque grandis ſit & nobilis; quamvis & humiles materiæ ſub penicillum æque ac poetæ ingenium quandoque cadant, imo talia etiam quæ plane infra naturæ ſphæram ſubſidunt, qualia chimæræ in graphica arte, & chimæricæ ridiculæque deſcriptiones in poeſi eſſe ſolent, quas tamen ubi adhibere fas ſit, ubi minus, accurate artifici erit diſpiciendum. Artis utriusque fundamentum eſt imitatio naturæ, non qualis in individuis paſſim conſpicitur, ſed in idea poetæ vel pictoris ad ſuæ perfectionis debitum gradum elevatæ. Hæc enim imitatio, ut placeat,
p. 33. ſive tabula, ſive carmen efficit. Cur autem tantum delectet illa, rationem ab Auctore noſtro allatam operæ pretium erit afferre. Diſplicet enim ei, quod Ariſtoteles inde illud eſſe ait, quod ea ſedulis rerum ſcrutatoribus in veritatem vel falſitatem imitationis inquirendi occaſionem largiatur, dum cum exemplari, quod imitatur, eam conferunt: hoc enim ſi verum eſſet, inquit, omnes naturæ ſpeculationes talem delectationem gignerent. Ipſi igitur vera cauſa hæc videtur, quod cum mens humana talis etiam, qualis eſt, naturæ cognitione multum ſeſe delectet atque reficiat, multo magis neceſſe ſit, ut ejus non qualis eſt, ſed qualis in ſumma ſua perfectione eſſe debet, ab omnibus nævis depuratæ repræſentatione capiatur: hæc enim admirationem parit, quam delectationis matrem eſſe omnes paſſim agnoſcunt. Sed ut ad comparationem artis utriusque redeamus, tres potiſſimum picturæ partes conſtituit Poeta noſter, in quibus artificis ſeſe exercere debet induſtria, quarumve accurata obſervatio non minus poetis negotii faceſſere ſolet.
p. 34. Prima *inventio* eſt, cujus elegantia naturæ potius debetur quam artis regulis utrobique, ita tamen ut ars atque exempla perficere eam & complementum ei addere poſſint. Huc ſtatim refertur diſpoſitio ſive œconomia operis totius, quæ utrobique talis requiritur, ut omnia apte ſibi reſpondeant invicem, & argumenti fidelitas, veterũ teſtimoniis & rerum ac temporis variæ rationi apte conformis. Maxime autem cavendum inane, & quod ad rem a pictore vel poeta delineandam non pertinet: pariter enim carmen dedecorant *verſus inopes rerum nugæque canoræ*, quam tabulam *lucus & ara Dianæ* loco ſuo non
p. 39. poſita. Ad ſecundam picturæ partem, quæ *Graphis* ſive *poſitura* vocatur,

quod

TAB. II. ad A. 1696. pag: 79. ſqq.

Fig: 2.





Fig. 1.





Fig. 3.






Fig: 4.



quod attinet, eam quoq; poeta pariter ac pictor obſervabit. Non minus enim ille quam hic alia facie ſiſtet Æneam Didoni ſupplicem, alia Lauſum, alia Turnum interficientem. Varietati autem formæ humanæ in picturis, characterũ diverſitas in poemate reſpondet, reprehenditurq; poeta, qui omnes fabulæ perſonas ingenio valentes finxerat, iis quoque non exceptis, quas ſtultitia inſignes in ſcenam protrahere voluerat. Membrorum ſymmetriæ, characterum inter ſe harmonia reſpondet, ut avaro v. g. nihil tribuatur, quod ejus in aurum affectui non conveniat. p. 41.
*Principale* picturæ *ſubjectum* in maxima ſemper luce conſtituendũ eſt, ut primo aſpectui quaſi ſit obvium: idem de Heroe, quem præcipue celebrat epicum carmen vel tragœdia, tenendum eſt, in quibus epiſodia & chori eundem locum tenent, quem minores in tabula figuræ, ab oculis longinquius quaſi ſubmotæ. Elegans hic de uſu chori in moderna tragœdia inſtituitur inquiſitio, quem recentes nonnulli poetæ non ſine plauſu adhibuerunt. Quam porro in affectu exprimendo utraque ars maxime laboret, neminem latere poteſt. Deniq; vero, ut finem ſecundæ huic quoque parti faciamus, ſicut in pictura, canente Poeta noſtro cavendum eſt, ut:

—— —— nil ſapiat Gotthorum barbara trito
Ornamenta modo,

ita in carmine quoque talia nonnulla, quæ Gothica merito dixeris, ſunt evitanda: cujus vitii exemplum, ex elegantiſſima alias Guarini fabula (*il Paſtor fido*) Coriſcæ & Satyri perſonas Autori noſtro allegare placuit. *Chromaticen* denique ſive *Colorativam*, tertiã picturæ partem Poeta noſter vocat: illi in poeſi verborum & phraſium ſelectus comparatur, in quo Homero Virgilium præfationis Auctor anteponit. Lucis & umbræ locum, tropi & figuræ in carmine ſupplent; ut alias quas venatur ſimilitudines taceamus, quæ ad illa quæ a nobis relata ſunt capita fere poterunt referri. Cæterum id tacendum non eſt, acutas paſſim tam de pictoribus quam poetis præfationi huic inſertas legi cenſuras. Nec propriis poematibus ſuis parcit ingenioſiſſimus Autor, & tragœdias imprimis ſuas cenſoria paſſim virgula notat, quas tamen non tam ex ſuo quam nationis ſuæ genio ſe compoſuiſſe ait, nec ullam eſſe, quam contemtis theatri plauſibus ſecundum artis regulas efformavit, fatetur, niſi eam quæ Antonii & Cleopatræ fata complectatur. Cæterum feſtinatæ huic præfationi translationive veniam rogat, utpote cui, poeticæ Virgilianæ

gilianæ Æneidos metaphraſi intento, paucas ſolum ſeptimanas impendere licuerit, quas peritiſſimorum artificum ſuffragia, omnibus aliis, quæ de graphica arte ſcripta extant, hoc præferentium, ipſi quaſi extorſerint.

Catalogum pictorum, qui ab incunabilis hujus artis ad noſtra uſque tempora floruerunt, quod attinet, ignorari voluit nomen ſuum, qui eo Anglicam hanc Du Frénoji editionem exornavit. Concinnaſſe ſe eum, quantum ad veteres pictores, e Plinio, Junio & Carolo Dati fatetur. Ubi vero ad recentiores perventum eſt, multorum vitas refert, quas unice ejus diligentiæ debemus, reliquas vero ex Georgii Vaſeri vitis pictorum, & excellentiſſimo Jo. Petri Bellorii ſimilis argumenti libro exhibet, ut & ex Ridolfi mirabilibus artis, ex Caroli Cæſaris Malvaſiæ Felſina pictrice, Raphaelis Soprani vitis pictorum Genuenſium, Felibiani dialogis de vitis pictorum, Sandrarti Academia artis pictoriæ, & ſimilis argumenti libro Caroli a Mander, aliisve hujus generis ſcriptis. Diſponit eos ordine quem tempus & ætas eorum ſuadebat, virtutes & vitia eorum ingenue exponit, & loca quoque indicat in quibus hodienum artis eorum monumenta reperiri poſſint.

## *BERNARDI NIEUWENTIJT ANALYSIS INFINITORUM, SEU Curvilineorum Proprietates ex Polygonorum natura deducta.*

Amſtelodami apud Joh. Wolters, 1695. in 8.
Conſtat plag. 22. tab. æn. 21.

PErvenit paulo ſerius ad manus noſtras hic clariſſimi Viri tractatus, in quo ea, quæ in *Conſiderationibus* in Actis Eruditorum anno ſuperiore pag. 272 a nobis memoratis promiſerat, exhibere ſatagit. Principium nempe, quo mederi difficultatibus, quas in Conſiderationibus propoſuerat, ſe poſſe ſperat, in Præfatione & alibi paſſim hoc exponit: Quicquid per numerum infinitum multiplicatum nullam quantitatem datam, utut exiguam, adæquare valet, entibus annumerandum non eſt, & nihilo æquale haberi debet. Unde ſi voces quantitates datas $a$ aut $b$, numerumque infinite magnum $m$, eſſe $\frac{a}{m}$ & $\frac{b}{m}$ quan-

titates

titates infinite parvas & adhuc aliquid; quadratum vero $\frac{aa}{mm}$ aut rectangulum $\frac{ab}{mm}$ & ſic porro, recte pro nihilo haberi. Hinc quoque ſequi illam veritatem maximi momenti, omnem quantitatem vi infinita in nihilum eſſe reducibilem, eademque vi infinita quantitatem quamcunque ex nihilo produci poſſe. Et cum varia Geometrarum inventa ex hoc ſuo principio firmari dixiſſet, ſola, inquit, differentiationum ſucceſſio (differentio-differentiales, ſive differentias rurſus differentiatas intelligit) ex eodem cum cæteris principio deduci renuit: quæque eam infeſtare videntur difficultates D. Autori in Conſiderationibus ex parte propoſui, ac hoc in loco inſtantia una ac altera roboravi, quarum ſolutionem inſimulque legitimam repetitarum differentiationum confirmationem, ne tantum inventum in Geometria intercidat, ſummo deſiderio merito exoptat Orbis Mathematicus. Cui quidem celeberrimum noſtrum Leibnitium doctiſſimis ſuis reſponſionibus cumulate ſatisfeciſſe, patet ex Actis Erud. anni ſuperioris p. 310, 369 ſeqq. Porro doctiſſimus Autor agit cap. 1 de modo ducendi tangentes, deque puncto flexus; cap. 2 de curvilineis (quæ vere polygona eſſe ait) & Walliſii quibusdam Gregoriique & Mercatoris inventis; cap. 3 de genitis per rotationem ſolidis; cap. 4 de ſuperficiebus talium ſolidorum; cap. 5 de Hugenianis evolutionibus; cap. 6 de centro gravitatis; cap. 7 de methodo maximorum & minimorum; cap. 8 de analyſi infinitorum Leibnitiana, & calculo differentiali ſeu infiniteſimali; cap. 9 de æquationibus infiniteſimas involventibus; cap. 10 de methodo infiniteſimali inverſa pro quibusdam caſibus; cap. 11 de miſcellaneis, ubi & de cauſticis & ſimilibus, modo, ut ait, a Tſchirnhauſiano aliquatenus differente. Sed cum modus, quo hæc ex ſuis derivat, cum differentiali calculo facile conciliari queat, & in notandi ratione potius quam re differat, prolixe hæc excerpere ſuperſedemus. Quanquam dubitandum non ſit, ſpecialia quædam egregia paſſim in iis latere. Optandum autem eſſet, convenire Mathematicos in unum notas uſurpandi modum, ne tanta varietas lectores turbet, cumque notatio per ſummas & differentias & fontem inventionis aperiat, & egregiis viris, ipſique Hugenio, horum optimo, dum viveret, judici perplacuerit, uſurpataque ſit, jam-

que multis præclaris inventis ſit comprobata & illuſtrata, atque augeatur indies; conſiderandum Geometris proponimus, an non huic inſiſti conſultius videatur.

## *JOH. BERNOULLI DEMONSTRATIO ANALYTICA ET SYNthetica ſuæ Conſtructionis Curvæ Beauniana in Actis Erud. A. 1693 pag. 234 exhibitæ.*

QUos diu ante deſideraveram, D. Bernhardi Nieuwentiit bini tractatus de Analyſi infinitorum nuper mihi Amſtelodamo tranſeunti in manus inciderunt; quorum alter, quem *Conſiderationes circa calculi differentialis uſum* inſcribit, in eum tantum finem videtur factus, ut clariſſimus Auctor difficultates, quas in inſolita noſtra methodo multis in locis ſibi remoram injicere queritur, adimendas nobis proponeret. Eas revera tanti momenti non puto, ut vel minimum illius præſtantiæ derogare, vel quempiam remorari queant: quemadmodum enim ex ſola non ſatis clare intellecta methodo ſuboriuntur, ſic nullus dubito, quin debita mentis attentione adhibita ſponte diſpareant. Ideoque relictis illis (ad quas quidem in univerſum celeberrimus Leibnitius ſolide reſpondit in ultimo Act. Julio) illud duntaxat tangam, quod me ſpeciatim concernit.

Pag. 41. ſuarum Conſiderationum, ad diverſitatem oſtendendam ſuam inter & meam methodum, quaſi per digreſſionem & nulla neceſſitate urgente, ſibi impugnandam ſuſcipit meam in Actis anno 1693, m. Maj. publicatam conſtructionem problematis Carteſio olim propoſiti. Quod (quamvis optaſſem, ut exhibuiſſet ſolutionem meliorem, quo luculentius conſtitiſſet, an eousque ſua ſeſe extenderet methodus, noſtræque proin anteferenda & ab ea diverſa eſſet) adeo non ægre fero, præſertim cum id ſumma modeſtia faciat, ut potius gaudeam mihi occaſionem ſuppeditari ſatisfaciendi ejus deſiderio, quo hanc ſui ſcrupuli enodationem efflagitare videtur. Laudanda enim eſt eorum ingenuitas, qui quod ſibi obſtaculo eſt, candide fatentur, ut illo ſublato eo tutius progredi poſſint; non vero tot alii imitandi ſunt, qui malunt ignorare præclariſſima quæque, quam edoceri ab aliquo, quem vel ætate, vel dignitate, vel imaginaria quadam nominis celebritate, ſe inferiorem putant, & proin ipſam, quam nequeunt aſſequi, artem miſere traducunt. Eadem hæc ſors inevitabilis fuit novæ noſtræ Analyſi, quæ ut ſui ignorantes

rantes ubique, ita etiam ſui oſóres, quorum quosdam ipſe novi, reperiit. Quod præſtantiſſimus Nieuwentiit æquius animatus ſit, & nobis & arti noſtræ gratulor: ſpero enim illum, ubi celeberrimi Leibnitii reſponſiones & meam difficultatis ſuæ illuſtrationem mature perpenderit, ultro noſtram amplexurum methodum; ita ut forte brevi notabile incrementum hinc ſtudiis acceſſurum ſit, præprimis ſi junctis viribus eo adnitamur.

Sed ne longius a ſcopo recedam, tantum abeſt, ut calculus ipſe quem inſtituit, meam deſtruat conſtructionem, ut illam potius mirifice confirmet: cauſa autem erroris in hoc præcipue conſiſtit, quod falſa hypotheſi nixus credidit, æquales differentiales habere etiam æquales integrales vel ſummas, id quod abſolute dictum non ita ſe habet: una enim eademque quantitas differentialis, ut jam ſæpius innui, infinitas habet integrales; veluti integralis ipſius $dx$ non ſolum eſt $x$, ſed etiam poteſt eſſe $x$ plus vel minus quavis alia quantitate data; idem quoque valet in omnibus aliis. Hinc ſi reſolvendo aliquod problema pervenitur ad æquationem differentialem, infinitæ ſemper diverſæ niſi omnes interdum coincidant ſolutiones ſatisfacient, quod Dn. Leibnitius in paracentrica egregie obſervavit.

Nunc ut applicatio hujus eo melius perſpiciatur: Sit AIP curva eo modo conſtructa, quo in Actis docui; ita nempe ut ad aſymtoton AB perpendicularem ad axem AK deſcripta logarithmica DC, cujus ſubtangens AF ſit æqualis datæ $r$, & abſciſſa AK vel BI ſit æqualis portioni CH ipſi AB parallelæ, & inter C & tangentem DF interceptæ. Evincam ex calculo Nieuwentiitiano (quem hic paucis repetam) hanc noſtram curvam eſſe eam ipſam quæ quæritur, cujus nimirum applicata IK ad ſubtangentem KM rationem habet, ut data r ad portionem applicatæ IL reſectam a recta AL faciente angulum ſemirectum cum axe. TAB. II. *Fig. 1.*

Vocentur (ductis lineis ut apparent in ſchemate) KI; y, KM; t, CB; z, AD; k, AK; x, IL; y—x erunt ex mea conſtructione AF $=$ QB $=$ r, & CH $=$ BI $=$ AK $=$ x, unde & HG $=$ y-x & DG $=$ k-z; tum ſit PO $=$ NB $=$ RS $=$ dy, IO $=$ dx, CS $=$ dz. Hisce poſitis ex problematis conditione $y.t::r.y-x::dy.dx$ elicitur $xdy=ydy-rdx$, adeoque ſumtis integralibus, *omnia* $xdy=\frac{1}{2}yy-rx=$ trilineo BIA. Sed ex conſtructione problematis $k.r::k-z.y-x$. Unde $ky-kx=kr-rz$ & du-

ctis omnibus in $dy$, fiet $ydy - rdy + \frac{rzdy}{k} = xdy$, ac tandem ex natura logarithmicæ facto $rdz = -zdy$ (hic ſumitur ſignum — quia creſcente $z$ decreſcit $y$) erit $ydy - rdy - \frac{rrdz}{k} = xdy$.

Huc usque optime ratiocinatur clariſſimus Nieuwentiit, ſed conſequentia quam inde petit, claudicat, concludit enim quantitatem $ydy - rdy - \frac{rrdz}{k}$ unicam habere quantitatem integralem $\frac{1}{2}yy - ry - \frac{rrz}{k}$ quando facit $\frac{1}{2}yy - ry - \frac{rrz}{k} = omn: xdy = \frac{1}{2}yy - rx$; Ego autem dico, quod hoc loco $\frac{1}{2}yy - ry - \frac{rrz}{k}$ non poteſt eſſe $= omn: xdy$; Evaneſcente enim trilineo BIA ſeu $omn: xdy$, quantitas $\frac{1}{2}yy - ry - \frac{rrz}{k}$ non evaneſcit, ſed fit $= -rr$. Quod arguit, quod hoc ipſum quod reſtat $-rr$ ſub ſigno contrario addendum ſit, ut habeatur vera quantitas integralis hæc $\frac{1}{2}yy - ry - \frac{rrz}{k} + rr = omn: xdy$. Sed regeret forſan, qui fit, ut priori integratione $omn: xdy = \frac{1}{2}yy - rx$ non pariter aliqua quantitas data addenda vel demenda ſit? hoc, inquam, fit quia evaneſcente trilineo BIA & ipſa quantitas $\frac{1}{2}yy - rx$ jam per ſe evaneſcit abſque ut quadam data vel diminuatur vel augeatur. Hoc ſi animadvertiſſet, non ſolum in hoc ſed in plurimis aliis locis, & præcipuis ſuis difficultatibus ſe facile extricaſſet, & vidiſſet noſtram conſtructionem ad nihil plane deducere quod a veritate ſit alienum: ſi enim æquetur $\frac{1}{2}yy - ry - \frac{rrz}{k} + rr$ cum ſuperius inventa $\frac{1}{2}yy - rx$, & dein reducantur membra, prodibit $ky - kx = kr - rz$, quæ omnino eadem eſt æquatio quam ex conſtructione problematis elicuit. Ergo &c.

Sed

Sed ut anſam habeat, abſurditatem quam exinde emergentem credidit, ſi non publice revocandi, ſaltem probitatem noſtræ methodi tacite agnoſcendi, ſubnectam hic Demonſtrationem Syntheticam, quam ab illis etiam, qui vix communis Geometriæ limina ingreſſi, nedum qui penitioris noſtræ principia jam deguſtarunt, intelligi poſſe puto.

Ductis omnibus lineis, quas jubet in figura ſua huc translata, agatur inſuper HE parallela axi DAK. Jam CG = IK & ablata CH = (per conſtr.) BI = AK = (per hyp.) KL, ergo reliqua HG vel EA = IL. Quoniam autem per conſtr. NP = RX & BI = CH, erit NP - BI ſeu IO = RX — CH ſeu RS - XV idemque PO. IO :: RS. RS - XV :: QB (ex propr. logar. AF). QB - FE (EA ſeu IL) ergo PO. IO (:: IH. KM) :: AF (data *r*). IL. Q.C.D.

## *RECREATIONS MATHEMATIQUES ET PHYSIQUES, &c.* id eſt: Recreationes Phyſicæ & Mathematicæ auctore Dn. OZANAM Profeſſore Mathematum.

Pariſiis apud Joh. Jombert, 1696, in 8. Plag. 39, tab. æn. 84.

NOn exiguum facere ſolent operæ pretium, qui, ut homines ad Mathematicarum diſciplinarum ſeverius ſtudium alliciant, ipſis ejus generis problemata, quæ jucunditatis ac delectationis multum habent, explicant. Fecit hoc non ſolum celeberrimus Bachetus in libello jucundorum problematum (problemes plaiſans) ſed paſſim quoque Kircherus, Schottus, Bettinus, in ſuis operibus, & ex inſtituto Auctor anonymus Gallus (Schotto in Jocoſer. Cent. 1 p. 41 P. Joh. Leurechon vocatur) qui libellum titulo Recreationum Mathematicarum inſignitum edidit, aliquoties in Gallia, poſtquam notis & animadverſionibus Henrionis & Mydorgii locupletatus fuit, recuſum. Secutus hunc eſt Daniel Schwenterus, cujus poſthumum opus, Deliciæ Mathematicæ & Phyſicæ, 663 problemata, in quibus illa quoque ſunt, quæ anonymus Gallus habet, complectitur. Id autem ſecunda tertiaque parte auxit Georg. Phil. Harsdorfferus, ut ſpiſſum tres illæ partes volumen conſtituant. Quod cum paſſim in eruditorum verſetur manibus, & unum qui norit hujus generis librum, omnes norit, eo breviores eſſe poſſumus in commemorandis Recreationibus Phyſicis & Mathematicis Dn.

Ozanam duobus tomis comprehenſis. Primus exhibet problemata Arithmetica, Geometrica, Optica, Gnomonica & Coſmographica; ſecundus Mechanica, Pyrotechnica & Phyſica. Et cum inter Problemata mechanica (Probl. 39) mentio facta fuerit machinæ ope tympani aliquot diaphragmatibus inſtructi, certaque quantitate aquæ repleti, horas ſimpliciſſima ratione monſtrantis, acceſſionis inſtar adjectus eſt liber Dominici Martinelli Spoletenſis de Horologiis elementaribus, impreſſus olim Venetiis A. 1663, jamque ex Italico idiomate in Gallicum traductus, inſtructusque notis non contemnendis. In hoc enim non ſolum machina prædicta, quam ante paucos annos multi Pariſiis tanquam novum inventum mirati ſunt, fuſe deſcribitur, ſed ad alios quoque uſus chronometricos transfertur, ac deinde quomodo terræ vel arenæ, aut etiam aeris follibus incluſi, aut tandem ignis ope horæ indicari poſſint, docetur. Tympani, (cujus deſcriptionem, quæ extat in Ephemerid. Erud. Pariſ. A. 1691, p. 273 ſſ. non ſatisfeciſſe curioſis, apparet ex iisdem Ephemer. A. 1692, p. 353,) conſtructio uſusque ſimpliciſſimus ita ſe habet: Paratur commodiſſime ex laminis ſtanneis aut orichalceis ſtanno obductis, ita ut diameter baſium ſit æqualis palmo vel novem digitis, zonæ vero baſes conjungentis latitudo $\frac{1}{2}$ vel $\frac{3}{4}$ diametri. Circularis baſis dividitur in quinque partes æquales, in *a, b, c, d, e*, punctaque *ad, be, ca, db, ec* junguntur lineis rectis biſecandis, ut habeantur *af, bg, ch, di, el*, baſes diaphragmatum *ef*, in quibus *f* foraminulum acu factum eſt, quod zonam reſpicere debet. Trajecto autem per foramen B axe, injectaque per aperturam in baſe factam & poſtea obturandam certa quantitate aquæ deſtillatæ aut ſpir. vini, experimento cognoſcendum eſt, num motus ſatis lentus ſit, ſuſpenſo tympano ex chordis circa axis utramque partem circumplicatis, additaque vel demta aqua corrigendus, tandemque axis muniendus duabus cuſpidibus, quibus horas in tignis verticalibus ſecundum accurati horologii menſuram deſignatas, deſcenſu ſuo demonſtret.

TAB. II. *Fig. 2.* *Fig. 3.* *Fig. 4.*

*SAMUELIS REYHERI JC. ANTECESSORIS ET MATHEMAtum Profeſſoris in Academia Chriſtian-Albertina, Juridico-Statbmica Diſſertatio, de Tribus argenteis Nummis, iisque uncialibus antiquiſſimis.*

Kiliæ Holſat. typis Joach. Reumann. 1695. in 4. plag. 6½.

Qui

QUi Juris divini humanique ſcientiam cum antiquitatis ac rei nummariæ ſtudio recte ſapienterque conjunxit celeberrimus Autor, novũ ejus edidit ſpecimen, quando tres Nummos argenteos eosq; unciales antiquiſſimos peculiari explicuit diſſertatione. In qua *capite primo* in genere de *argenteorum materia, pondere* & *valore* disquirit, eosque ait olim quidem craſſiores ex puriſſimo argento fuiſſe cuſos, ſed cum adulteratores monetæ malitiæ ſuæ inde quærerent alimenta, Cyprii æris partem admiſcentes, bracteatos ſeculo VI fuiſſe in uſum datos, & legibus de mixtura metallorum, numorumque valore cautum. Dum vero de ſolis illis argenteis, quos *Imperiales* ab Imperatoria auctoritate, *Unciales* a pondere, *Joachimicos*, *Vallenſes* & *Thaleros*, a loco, quo optimi cuſi fuerint, Valle nimirum (Thal) ut vocant, Joachimica, agere in animum induxit ſuum; primos unciales argenteos, & quidem æris expertes ac puriſſimos, in Auſtria anno MCCCCLXXXIV factos, & ad eorum imitationem anno MD in Miſnia ejusdem quidem ponderis alios, ſed una decima ſexta vel decima quinta parte argenti mulctatos admixta æquali æris parte cuſos, exque ſimili materia circa annum MDXVII. Selicenſes quoque paratos eſſe, contendit, exemplisque dehinc probat. *Capite* II. de adulteratoribus monetæ agit, quos triplici ratione artem flammis ultricibus dignam exercere inquit, nempe quando vel alienum imprimatur ſignum, vel falſum adhibeatur aut argento aurove admiſceatur metallum, vel pondus minuatur; atque iſthoc fieri, vel quando ab initio leves cudantur, vel juſti ponderis nummi accidantur radanturve, vel alio ipſis modo aliquid adimatur. Ne vero circumcidi amplius poſſint, quosdam hodie numos literis in margine exteriori poſitis inquit exornari, idque inventum ſalubre Cromwellio deberi, qui ſuis uncialibus inſcribi curaverit hæc verba: *Has nemo niſi periturus adimat.* Sed ea verba monet ſimul duplicem admittere ſenſum: nam aut per *has* intelligi literas extimo limbo inſcriptas, quas circumcidendo *nemo*, *niſi* tanquam monetæ depravator *periturus* adimat; aut per *has* eum indigitaſſe tres coronas Regnorum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ uni nummi iſtius lateri impreſſas. Inde vero porro de atrocitate hujus criminis ejusque pœnis ex codice tam ſacrarum quam humanarum legum prolixe diſſerit. Jamq; *Capite* III. ad *antiquiſſimum Uncialem Auſtriacum* accedit, qui & primus argenteorum omnium cenſetur ab Auctore, eſtq; cuſus A. 1484 a *Sigismundo*

p. 2.
p. 3.
p. 25.
p. 5.
p. 6.
p. 7.
p. 7-20.
p. 21.

p. 23. *do* Auſtriæ Archiduce & Tyrolenſium Comite, nato anno 1427 ex
p. 25. Friderico Seniore Auſtriæ Archiduce, & fatis functo A. 1497. *Capite*
p. 25. IV. qui exponitur, *Saxonicus* eſt *Thalerus*, cui una decima quinta pars
p. 26. æris eſt admixta, circa initium ſæculi ſuperioris, nempe anno 1507, uti
conjicit Autor, factus. Refert ille tres vultus, unum una, duos altera
facie, & illum quidem manu gladium tenentem, & caput Electo-
rali mitra exornatum, hos vero ad ſe invicem converſos, additis
in marginibus bis quatuor domus Saxonicæ inſignibus, & hinc
iſtis verbis: FRID ERI: IOHAN: GEORGI. illinc hiſce: MONE
ARGE DVCVM SAXO. Quorum Principum cum Potentiſſimo hodie
Romanorum Rege Joſepho, & Sereniſſimis Friderico Saxoniæ, Gotha-
næ lineæ, & Friderico Holſatiæ Ducibus (quibus quippe Matheſin
ſuam Regiam, & hanc diſſertationem, aliamque de Nummis Chymi-
cis dedicavit) cognationem tabula ſingulari exponit Autor, atque por-
p. 28. ro Friderici III Saxon. Electoris ex G. Fabricii Rerum Miſnicarum Li-
p. 29-32. bro VII, inde Johannis a Friderici Fratris morte Electoris, tum Geor-
p. 32. 33. gii denique modo Divitis ac modo Barbati dicti, vitam paucis recenſet.
*Caput* V. & ultimum *de tertio, antiquo Imperiali Bohemico nempe ſive*
p. 34. *Sclicenſi* agit, cujus generis tres inquit reperiri, quorum primus an-
p. 34. no careat impreſſionis, alter anno 1525 & 1526 cuſus ſit, utrumque au-
tem genus in averſa facie leonem habeat, Bohemici Regni inſigne,
cum inſcriptione: LVDOVICVS PRIMVS DEI GRatia Rex BOhe-
miæ (ubi conjicit Autor, propter hanc leonis figuram procul dubio a
Turcis omnes Imperiales promiſcue Thaleros Leoninos, Löwen-Tha-
p. 35. ler/ appellari) anterior vero facies exhibeat imaginem S. Joachi-
mi, clypeum cum inſignibus Comitum Sclicenſium tenentis,
cum tali inſcriptione: ARma DOMInorum SLIcenſium STEfani
ET FRAnciſci COMitum De Baſan. Tertium genus paulo ele-
p. 40. gantius eſt & nitidius elaboratis expreſſisque ſuperbit figuris ac li-
teris, dum non nudum, ſed tribus galeis coronatum a S. Joachimo
tenetur ſcutum, cum hac epigraphe: ARMA DOminorum SLI-
Cenſium STEFani Et FRAnciſci COmitum DE BASAN, anno
27; adverſa facies itidem leonem Bohemicum exhibet cum tali in-
p. 35. ſcriptione: FERDINANDVS PRIMus DEI GRAtia Rex BOE-
MIæ. Primos autem in valle Joachimica, quæ antea Conradsgrün ap-
pella-

pellata eſt, factos fuiſſe anno 1518, ex Chronico Vallis S. Joachimi a Johanne Mattheſio conſcripto, affirmat. Et quod tempore Ludovici I. apud Bohemos, ſed II. apud Hungaros, cudi ab Stephano & Franciſco Sclick fratribus & Comitibus in Baſan cœpiſſent; inde & illius & horum, a Caſpare Sclickio deſcendentium vitam, ex Melchioris Adami Vitis JCtorum Germanicorum, & Ænea Sylvio recenſet. Tandem vero caſum proponit, qui circa iſtos Sclicenſes contigit, ex Joh. Rebhanii JCti quondam Argentoratenſis Diſputatione anno 1664 habita. Nempe, quispiam oppignoraverat alteri Baroniam, ſumma XX millium Sclicenſium thalerorum, dato promiſſo, de eadem moneta reſtituenda. Accidit autem, ut cum illius pronepos ab hujus pronepote, oblata mutui ſumma cum uſuris, repeteret pignus, hic vero, pignoris cupidus retinendi, aliam ſe negaret recepturum pecuniam, quam Sclicenſes thaleros, qui illis temporibus erant rariſſimi, res tandem deferretur ad Carolum V. (rectius forte, atque ut a typotheta ſcribi debuit, Ferdinandum II, cum ſeculum eſſet elapſum) qui illuſtriſſimæ familiæ Sclikianæ, facto decreto commiſit, ut ad ſummam debitam exſolvendam, thaleros priſtino typo exornatos cuderet, traderetque debitori, qui avitam Baroniam hac ratione redemit. Tandem concludit, poſt annum 1525 nullos amplius unciales cum inſignibus Comitum Sclicenſium factos eſſe, quoniam in Valle Joachimica jus cudendi monetam anno 1528 ad Regem Ferdinandum tranſierit; tametſi ipſi vallem cum fodinis usque ad annum 1545 retinuerunt. Ut adeo eos, qui annum 1526 vel 1527 referunt, recentes eſſe, vel tales, quibus æs alienum exſolvit ille, de quo ſupra diximus, exiſtimet Autor.

p. 37. ſſ.
p. 41.
p. 41.
p. 44.

## Johann Caſimir Kolbens von Wartenberg Våterliche Inſtruction an ſeine Kinder.

id eſt:

*JOHANNIS CASIMIRI KOLBII DE WARTENBERG PATERna ad liberos Inſtitutio, auctior & melior denuo edita, cum præfatione nova.*

Coloniæ ad Suevum, impenſis Jo. Mich. Rudigeri, 1696. in 4.

Conſtat 2. alph. 2. plagulis.

EOrum etiam qui in aulis Principum, omni deliciarum & voluptatum genere affluentibus, verſantur, non omnium animos vanis

iſtis & ad pompam ac oſtentationem compoſitis rebus adfixos, aque vera virtute alienos eſſe, cum plurimorum virtute præſtantium exempla oſtendunt, tum libri hujus Au ctor documentum præbet. Qui non ſolum a prima ætate in aula Friderici IV & V Electorum Palatinorum, & in functionibus ab iis ipſi demandatis apud exterorum Regum & Principum aulas ſumma cum laude egit, & ad vitæ usque finem officiis aulicis functus eſt; verum etiam ut liberorum ſuorum animis virtutem in omnibus vitæ partibus colendam, inque omni munere ſectandam, eumprimis autem nobili genere natis & in Principum aulis vitam tranſigentibus tuendam inſtillaret, librum conſcripſit, quo eosdem officii ſui admoneret, & de omnibus in vita vel agendis vel fugiendis inſtrueret; fidei etiam & religionis rationem commonſtraret, adeoque credenda & facienda inculcaret. Primo igitur loco de cognitione hominis ejusque anima præfatus, qua ratione ea lapſu primorum parentum corrupta, excitanda ſit, & beneficio probæ educationis reparanda oſtendit, ſimulque docet nobilitatem generis parum conferre ad felicitatem hominis, niſi virtutibus exornetur, & ad decus ſuum ac dignitatem evehatur. Educationis autem veræ fundamentum in vera DEI agnitione & ſui cognitione poſitum eſſe affirmat, quibus quæ obſtant, animo expellenda eſſe tradit; eaque occaſione de vero DEI cultu diſſerit, fideique confeſſionem edit. Felicitatem mundanam minus genuinam veræ Eccleſiæ notam eſſe, quæ afflictionibus potius expoſita ſit, ait; patientia igitur & conſtantia obfirmandum pectus eſſe Chriſtiano, ut in lucta ſpiritus carne ſuperior exiſtat. Idololatriam, atheiſmum, magiam & ſuperſtitionem, agnitioni & cultui DEI adverſari, nec blaſphemiam, perjurium & profanationem nominis divini cum eo conſiſtere poſſe docet. De vera pietate, humilitate, obedientia DEO & ſuperioribus præſtanda, veneratione & honore parentibus, præceptoribus, tutoribus & aliis ætate & eruditione præſtantibus exhibenda, recta prorſus & DEI verbo ac ſanæ rationi convenientia docet. An Principum miniſteria ambienda, & aulicæ functiones amplectendæ ſint, & qua cautione, diſquirit. De amicitia ejusque neceſſitate, qualitate, cultu, diſcrimine; internis item animi affectibus, ira, odio & vindicta, altercationibus, homicidio & monomachiis; tum affectibus, qui ex concupiſcibili animæ potentia oriuntur, ambitione, avaritia, liberalitate, gratitudine, intemperantia, ſanitate tuenda diſſerit.

Et

Et quum Nobilitati maxime uſus gladii conveniat, bellorum juſtitiam, & an licitum ſit bellum gerere, ac quatenus id gerendum & caſtra ſequenda, examinat. De conjugio Nobilis, & qua ratione id ineundum, quodque omnis vitæ impuritas, & quæ occaſionem ei ſuppeditare poſſint, vitanda; nec cuiquam quidquam, quocunque etiam prætextu, eripiendum, & mendacium ac vani ſermones cavendi ſint, haud contemnenda præcepta ſuggerit; tandemque de felici & beato ex hac vita exitu & aſſidua mortis meditatione monita ſalutaria tradit.

Libro huic ſubjecta eſt a *Georgio Helwichio* adornata & fuſe expoſita ſeries genealogica Gentis Kolbianæ ſeu Wartenbergicæ, ab anno M C LXIX primoque ejus autore *Merbodo* Wartenbergio, ad *Johannem Caſimirum Kolbium*, ultimum & unicum Gentis hujus ſuperſtitem hæredem, magna dignitate in Potentiſſimi Electoris Brandenburgici aula nunc fulgentem, ejusque gratia florentem, uſque deducta: in qua de inſignibus, nomine accepto *Kolbii*, & familiis claris iſti Genti innexis late diſſeritur. Eidem libro præmiſſa eſt elegans, cum ſtyli venuſtate, tum argumenti dignitate quæ ſe commendat, Præfatio. In ea de Auctore Kolbio, ejusque ingenii & doctrinæ dotibus, antiquo ſtemmati quæ ingens decus conciliarunt, & ad ſplendida in Electorum & Principum aulis munia obeunda viam ei ſtraverunt, deque hoc ejus ſcripto diſſeritur: iſtudque iis libris annumerandum traditur, quos Jacobus Rex Angliæ ſub titulo δῶρȣ βασιλικȣ̃, Cheuernius Cancellarius Galliæ, Hoguettus, Limburgius & alii ſub titulis Teſtamenti aut Theſauri ad liberos, reliquerunt. Argumentum ejus porro, quod in tribus his capitibus verſetur, debito erga Deum & Magiſtratum, erga proximum, & erga ſemetipſum, exponitur: & quum lingua Germanica ſcriptus ſit ab Autore liber hic, iſtius præſtantia & aptitudo ad res quasvis ea commode exprimendas, oſtenditur. Et quia nobili genere natis liber potiſſimum dicatus eſt, virtutem præ cæteris convenire iisdem, & absque ea vanum Nobilitatis eſſe nomen docetur. Ad Marchicam autem Nobilitatem ſeu Brandenburgicam librum eum vel maxime pertinere, & virtutes in eo commonſtratas ſummo ſtudio excolendas ei eſſe, ob Principum & Electorum iſtius Gentis perfectisſimum earum decus & culmen, ad quod Potentiſſimi Friderici Wilhelmi Magni ejusque Glorioſiſſimi Succeſſoris Friderici III. & Celſiſſimæ Conjugis, prudentiſſimorumque Adminiſtrorum exempla eas evexere,

re, declaratur. Illuſtre etiam omnium virtutum in hoc libro traditarum, & ſibi a Patre velut commiſſarum, documentum præbere Filium, unicum Dynaſtiarum non magis quam virtutum paternarum hæredem, Patri cognominem, *Johannem Caſimirum Kolbium Baronem a Wartenberg*, de quo ſupra diximus, Sereniſſimi Electoris Brandenburgici primum Cubicularium, arcis Electoralis Colonienſis ſupremum Capitaneum, cathedralis Eccleſiæ Havelbergenſis Præpoſitum, Equitem Ordinis Johannitarum, Auriaci montis Præfectum, & complurium in Palatinatu inferiore ſitorum prædiorum Hæreditarium, fuſe demonſtratur; cujus omnia vitæ & domeſticæ & aulicæ munia, ad paternam hanc inſtitutionem compoſita, virtutibus innitantur, quibus ſummum gratioſiſſimi Electoris favorem, & totius aulæ amorem & cultum, omniumque bonorum venerationem ſit conſecutus.

## *M. ABRAHAMI FRENCELII DE ORIGINIBUS LINGUÆ SOrabicæ Libri ſecundi Caput ſecundum.*

Sittaviæ, apud Jo. Williſch, 1695. in 4.

Conſtat plagulis 27.

TErtium hoc penſum eſt, quod inveſtigandis linguæ Sorabicæ originibus operam navans clariſſimus Auctor cum Orbe Erudito communicat. Inſtitutum univerſum Benevolo Lectori abunde jam, ut nulli dubitamus, erit cognitum, poſteaquam librum primum, ſecundique caput primum, illum quidem in Actis hisce A. 1693. pag. 305. ſeqq. hoc vero A. 1695. pag. 36. recenſuiſſe nos meminimus. In ſecundo autem hoc ſecundi libri capite ea coacervavit & alphabetico digeſſit ordine vocabula Sorabica, quæ ſaltem καθ' ἀντίστοιχον ſeu quoad literarum quarundam commutationem ab Ebræis differre autumat, quorum certe major occurrit numerus, quam eorum, quæ claſſem præcedentem compleverant. Speciminis loco exempla pauca adducimus. Sic namque vocem Buda / quæ generatim manſionem & ſedem, ſpeciatim tabernam denotet, ab Ebræo בית; Czilo vel Czimo, funus, cadaver, a חלל; drapu & drapam / item drapiem, ſcabo, ſcalpo, frico a טרף; horim & horin, ardeo, a חרה; huba / bucca, os, labium, a שפה; jeden / jena / jene / unus, una, unum, ab אחד &c. derivat. Pleno etiam, ut cœpit in ſectionibus antecedaneis, modio promiſcua admetitur collectanea, quæ res per has illasve voces deſignatas uberius illuſtrant

ſtrant. Agi nempe ab eo videas de ritibus ſepulcralibus, p. 470; de uſuris, p. 530; de diſtinctione Scripturæ S. in libros, capita, & verſus, p. 551, de Sabbato, p. 555; de urnis feralibus, p. 580; de ſerpentibus, p. 599, camelis, p. 614, capris, p. 653. 661, pullis gallinaceis, p. 682, araneis, p. 720, noctuis, p. 774; de diverſa ægrotorum apud populos diverſos cura, p. 649; de anniverſaria Habeſſinorum lotione, p. 678; de Luſatiæ utriusque finibus, p. 698; de Coſacis, p. 658: ut plura taceamus alia, quæ præter opinionem, ex tituli inſpectione hauſtam, legentibus ſe paſſim offerent.

*LA MERIDIANA DEL TEMPIO DI S. PETRONIO &c.*
id eſt:

## Meridiana templi S. Petronii, ducta & præparata ad obſervationes Aſtronomicas A. 1655, reviſa & reſtaurata anno 1695, a JOHANNE DOMINICO CASSINI, Aſtronomo primario Univerſitatis Bononienſis, Mathematico Pontificio, & Membro Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis.

Bononiæ, apud Hered. Vittorii Benacci, 1695. fol. Plag. 11. Tab. æn. 4.

COmmemoratum jam alias a nobis fuit ſingulari laude digniſſimum inſtitutum Academiæ Scientiarum Regiæ in Gallia, quo ex obſervatis, certiori quam antehac factum methodo, locorum longitudinibus, errores mapparum geographicarum emendare ſatagit. Harum obſervationum cum inſignem jam adepta eſſet numerum, comperit, multa loca, quæ in chartis priſcis, v. g. Ptolemæi, ſub eodem ſita ſunt Meridiano, jam ſub diverſis exiſtere, contra quæ ſub diverſis ponuntur, ſub eodem nunc jacere; ita quidem ut obſervationes recentiores, accuratius comparatæ cum veterum monimentis, ſuſpicionem moverint, Meridianam motu quaſi oſcillatorio verſus ortum & deinde rurſus verſus occaſum lente agitari. Quamvis enim certum ſit, paucis annis non mutari ſenſibiliter lineæ Meridianæ ſitum, dubium tamen remanet, annon inſigni temporis ſpatio exigua contingat variatio. Id quod ut tolleretur de medio, jam olim Meridiana Uraniburgica Tychonis examinata fuit, deprehenſaque differentia, inter Tychonicam & recentiſſime illo in loco ductam, 18 minutorum. Quæ tamen cum errori in obſervando commiſſo tribui poſſit, recurrendum fuit ad lineam Meridianam, a celeberrimo Caſſino in templo Petronii Bononiæ

 A. 1655

A. 1655 ſumma exquiſitiſſimaque cum diligentia deſcriptam. Quamvis enim quadraginta annorum intervallo, quod interceſſit inter annum jam commemoratum & 1695, fortaſſis ædificium tam vaſtum mutationem aliquam in altitudine pati, aut inæqualiter ſubſidere potuerit, ipſam tamen lineam Meridianam priſtinum retinere ſitum, niſi aliqua polorum mundi facta translatio, erat neceſſe. Hac ergo de re certiores ut redderentur Aſtronomi, ipſe Caſſinus itineris in ſe ſuſcepit moleſtias, deportatisque ex Obſervatorio Pariſienſi accuratiſſimis inſtrumentis examinavit, Januario menſe & principio Februarii A. 1695, Meridianam jam dictam, deprehendensque ipſam ſibi adhuc conſtare, concluſit, ſpatio 40 annorum Meridianos ſenſibiliter ſitum non mutaſſe. Quoniam autem crediderunt nonnulli, ſeculo præterito inſignem accidiſſe Meridianorum mutationem, inducti in hanc ſententiam a Meridiana olim A. 1575 ab Egnatio Dante, ad obſervanda Æquinoctia & Solſtitia, deſignatam eodem in templo, quæ a Caſſiniana 9 circiter gradus a ſeptentrione verſus ortum declinat; hanc diverſitatem Caſſinus vitio conſtructionis tribuendam docet in libro, ex quo præcedentia excerpſimus, quique beneficio clariſſimi editoris Dominici Guilielmini, curante humaniſſimo Magliabechio, ad nos pervenit. Neque vero ſubſtitit hic Caſſini diligentia, ſed cum altitudinem foraminis, per quod Solis immittuntur radii, cujusque diameter eſt unius unciæ pedis Regii Pariſienſis, nec non partes lineæ columnis vicinas a priſtino ſuo ſtatu defeciſſe deprehenderet, ita omnia reſtituit, ut jam exactiſſimi Heliometri munus obire denuo poſſit. Eſt enim hæc Meridiana inſtar tangentis, cujus radium 100000 particulas comprehendentem refert perpendiculi ex foraminis centro in lineæ meridianæ principium demiſſi altitudo, 1000 unciis pedis Pariſienſis Regii æqualis. Ipſam lineam deſignat ferrea regula, cujus latus claudunt duæ ſeries marmorum, quarum una numeros habet partium centeſimarum perpendiculi, in quas linea diviſa, quarumque ſingulæ in mille partes ope ſcalæ poſſunt ſubdividi; in altera notati ſunt gradus integri diſtantiæ Solis a vertice, qui tangentis partibus reſpondent. Seorſim quoque ſignorum Zodiaci imagines illis locis, in quæ cadit Solis ſpecies, cum in principiis ſignorum verſatur, additæ ſunt, nec non horæ integræ ortus Solaris, ibique inſculpta Solaris ellipſis, quo cecidit ſolſtitii æſtivi die A. 1655, cum præſentibus multis aſtronomis, Montalbano, Manzino, Riccio-

Ricciolo, Grimaldo &c. Meridiana ducta fuit; tandemq; notata quoque ſunt ſecunda & tertia minuta peripheriæ terreſtris, cujus partem 600000mam linea a principio usque ad centrum ellipſis Solaris extremæ occupat. Facile ergo apparet, tantæ eſſe magnitudinis hanc lineam, ut minuta ſingula probe in ea diſcerni poſſint, quippe cum ſolſtitii æſtivi tempore, quando maxima eſt Solis altitudo, (Bononiæ 69 grad.) minuto altitudinis reſpondeant 33 particulæ tangentis, quæ 4 lineas Pariſienſes æquant, in minima vero ſolſtitii hyberni, quæ eſt 22 graduum, particulæ 210, quæ efficiunt duas uncias unamque lineam pedis Pariſienſis. Atque uſus fuit inſigni cum ſucceſſu hoc Heliometro, quamdiu Bononiæ commoratus fuit, Caſſinus, atque ex obſervationibus ibi habitis deduxit tabulam ſuam refractionum, nec non tabulas Solares apprime cœlo conſentientes, ut obſervationes a Dn. Richer in inſula Americæ Cayenne quinque gradus ab Æquatore diſtante factæ teſtantur; meritoque proinde dignum illud habitum fuit ab illuſtriſſimis Senatoribus, templi hujus fabricæ præfectis, ad cujus reſtaurationem ſumtus ſuppeditarent, & cujus integritati in futurum quoque proſpicerent. Eum enim in finem non ſolum aſſervari juſſerunt inſtrumenta, quæ ad libellationem ſoli aliasque operationes in reſtaurando Heliometro fuere adhibita, ſed negotium quoque dederunt Guilielmino, tum ipſa tum eorum uſum accurate deſcribendi, quo facilior impoſterum ejus eſſet reſtitutio, ſi a temporis diuturnitate depravaretur. Id quod Vir doctiſſimus abunde præſtitit in appendice ad Caſſinianum librum, additis quoque tabulis ad faciliorem Heliometri uſum pertinentibus. Ejusdem quoque curæ debetur conſtructio gnomonis in eodem templo, ad elevationem poli inveſtigandam, quam deprehendit paucis in ſecundis differre ab elevatione a Caſſino octante ante ſuum diſceſſum reperta, nempe $44^{\circ}\, 30'\, 15''$, quæ proinde major eſt $1'$ & $15''$ illa, quam invenerat anno 1655.

*HENRICI TEELMANNI IN CAPUT XVI EVANGELII LUCÆ & alias inſigniores utriusque ſacri Inſtrumenti partes Commentarius Criticus & Theologicus.*

Amſtelodami, apud Ger. Borſtium, 1695. in 4. Alph. 3. pl. 8.

Non

NOn intromittendus videtur in ipſa hujus libri penetralia Lector benevolus, niſi antea ſermocinantem in Præfatione Virum celeberrimum *Campegium Vitringam* obſervaverit. Is namque & lucem affudit univerſo Auctoris inſtituto, & tale in eadem thema pertractavit, quod in divinarum literarum explicationem intentis proponi, eorumque examini committi mereatur. Dictionum nempe genera in ſacris paginis occurrentia, ſenſumque Scripturæ diverſum indagat; ac iſta quidem ſic diſtinguit, ut aliud appellet Hiſtoricum, aliud Dogmaticum, Ethicum aliud, & aliud Parabolicum, (quo nomine ſimul omne Tropicum complectitur,) tandemque Propheticum. Imprimis autem occupatus circa Hiſtorias in Scriptura enarratas, omnes verbi divini interpretes cordatiores id concedere ſupponit, multis eas in locis, præter ſenſum literalem, myſticum quoque ſive allegoricum complecti. Verum an id omnibus promiſcue in locis deprehendatur? An hoc admiſſo, plures orationi divinæ attribuantur ſenſus? An ipſe quoque Grammaticus Scripturæ Hiſtoricæ, Dogmaticæ, Ethicæ ac Propheticæ ſenſus plures queat comprehendere ſententias? & denique, an myſticus Scripturæ Hiſtoricæ aut Propheticæ ſenſus cujusque loci unicus tantum ſit, aut non plures etiam dari poſſint? hæc ipſa ſunt, quæ ſub examen ulterius vocanda cenſuit. Ad quæſitum primum affirmando reſpondere non ſuſtinet, certisque argumentis demonſtrari poſſe negat, quod omni orationi Scripturæ Hiſtoricæ ſenſus myſticus innexus reperiatur. Eſſe enim alias dicendum, actus ſtatusque omnium hominum, qui vixerint ſub Oeconomia vetere, omnes eorum caſus, omnes rerum eventus, & caſuum atque eventuum omnes circumſtantias, ad ſtatus, actus caſusque hominum ſub Oeconomia nova viventium, ita ad ſe invicem ordinaſſe divinam providentiam, ut nihil olim factum geſtumque ſit, cujus imago in Chriſto, Eccleſia aut mundo non exprimatur ſub Oeconomia gratiæ; id quod tamen admittendum ipſi haud videtur, cum ſolida probatione deſtitutum ſit. Viciſſim vero præcipuas hiſtorias Teſtamenti Veteris, quas appareat a Scriptoribus ſacris cum ſingulari quadam cura literis eſſe conſignatas, in cenſum ἀλληγορȣμένων referre nullus dubitat, quarum exempla ponit in Abele, Noacho, Jacobo, Joſepho, Moſe, Joſua, Gideone, Davide, Hiskia, Maccabæis, in diluvio item, ſtructura turris Babylonicæ, ſubverſione Sodomæ, Iſraelitarum exitu ex Ægypto, & hujus generis

aliis

aliis. In Prophetiis præterea & in Pſalmis eodem fere modo verſandum arbitratur, quo in Hiſtoriis, ut fata ſive ſingularum perſonarum, ſive integrarum gentium prædicta, non eventum modo ſuum in his ſortita credantur, ſed & pro typis rerum futurarum agnoſcantur. Neque Ethicorum ſive potius Ritualium, quæ in Scriptura obveniunt, diſpar ipſi ratio eſt. Sicut enim univerſa illa œconomia vetus a Deo, propter aliam meliorem per iſtam præfigurandam, inſtituta fuerit; ſic præcepta illi œconomiæ ſubſervientia ad mores credentium novi fœderis deſignandos, aut quemcunque alium illius œconomiæ novæ caſum aut eventum denotandum comparata eſſe, totus ſibi perſuadet. Ex his autem pronam fluere exiſtimat quæſiti ſecundi deciſionem, & affirmare nullo modo renuit, Scripturam Hiſtoricam, Propheticam, Ethicamque ſive potius Ritualem, illis in locis, in quibus ea ſecundum Spiritus Sancti intentionem allegorice ſit explicanda, duplicem ſenſum admittere. Nec circa tertium & quartum dubium negativam audet interponere ſententiam, Scripturæque ſenſus plures grammaticos pariter ac myſticos in uno loco ſic admittit, ut eos tamen ſemper in quodam tertio inter ſe convenire, & qualicunque vinculo colligatos ac ſecum unitos eſſe, proindeque ad communem aliquem conceptum reduci, & ſub eo menti proponi poſſe moneat, ſive fundamentum unionis illarum veritatum aut ſententiarum lateat in rebus ipſis, quæ affinitate velut aliqua ſecum conjungantur, ſive in ſubjecto, de quo prædicentur, ſitum ſit. Exempli loco dictum affert Moſis de Noacho, Gen. VI, 9. VII, 1. quod fuerit *vir juſtus*; eam vero vocem non internam modo juſtitiam, ſed & externam inſinuare notat. Similiter plures ſenſus grammaticos manifeſte involvi orationi Rebeccæ de gemellis, de quibus illa dixerit: *Major ſerviet minori.* Gen. XV, 6. Accipi etenim debere hoc oraculum tam de ipſis Eſavi & Jacobi perſonis, quam de earum poſteris, & quidem de prærogativis tam ſpiritualibus quam temporalibus, quibus altera perſona præ altera gauderet. Alia, quæ heic accumulat, exempla mittimus. Eodem modo procedit circa myſticos Scripturæ ſenſus declarandos, & præ reliquis in ſubſidium advocat ipſum Spiritus Sancti effatum, quo ille emblema quoddam Propheticum explanaturus, uni illi duas adaptarit partes: *ſeptem capita*, inquiens, *ſeptem ſunt montes, & ſeptem ſunt reges.* Apoc. XVII, 9. At enim vero quam certam eſſe dicit hanc hypotheſin de pluribus Scriptu-

ræ Sacræ ſenſibus grammaticis & myſticis, tam rurſus arbitratur difficile, illam ipſi Scripturæ exponendæ dextre & prudenter applicare; generatim tamen eo annitendum poſtulat, ne plures ſenſus grammatici aut myſtici uni Scripturæ dicto aptentur, qui cum antecedente & conſequente textus oratione ſimul absque violentia connecti nequeant; alias enim turbari aut infringi ſacrorum Scriptorum ratiocinationem, quam illæſam ſemper atque illibatam conſervare deceat. De cætero multum ſibi etiam placere illos confitetur, qui ex parabolis Chriſti Domini plus veritatis eliciant, quam generale quoddam præceptum ethicum, per parabolam illuſtratum atque auditorum animis fortius infixum, & propterea, ſi parabolæ Chriſti ita explicari queant, ut ſingulæ earum partes commode & citra violentas contorſiones transferantur ad œconomiam Eccleſiæ, illud explicationis genus, tanquam optimum, amplectendum cæterisque præferendum exiſtimat; quemadmodum ipſe quondam ſuis auditoribus intra privatos parietes ſingulas Chriſti doctoris parabolas bis explicatas ad calamum dictaverit.

Atque hoc idem fuit ſtudium Auctoris, in cujus gratiam præfari hæc Vitringæ allubuit, *Henrici* puta *Teelmanni*, Verbi divini, dum viveret, apud Nordenſes Miniſtri, poſt cujus obitum hæ parabolarum quarundam expoſitiones, ab ipſo olim adornatæ, prima vice prodeunt; niſi quod unam illam de Divite & Lazaro, ſed Belgico tunc ſermone conceptam, anno jam tum 1686 evulgarit. Imo non circa iſtas modo illius deprehendimus induſtriam, ſed & ad materias quasdam illuſtriores alias, quas fors illi, dum in argumento ſuo excutiendo verſaretur, obtulit, digredientem ipſum cernimus.

Præmittit ante omnia generalem de *parabolis* tractationem, quidque obſervandum ei ſit, qui ad explicandas cum fructu illas ſe velit accingere, uberius exponit, regulasque ſuas exemplis illuſtrat. Sed his, & quas inſpergit, digresſionibus ſatis prolixis, quia brevitatis habenda nobis ratio eſt, nunc misſis, ad parabolam de Divite & Lazaro, ex Lucæ decimo ſexto capite, quam interpretari præcipuus Auctoris ſcopus fuit, recta progredimur, utque eam explicari cupiat, paucis ediſſeremus. Exiſtimat nimirum, quod in ea delineetur Phariſæorum Judæorumque contemtus Moſis & Prophetarum, conſiſtens in eo, quod quæſita propria juſtitia & confidentia externi cultus ceremoniarumque gloriatione, ac conceſſis a Deo bonis unice eſſent læti, ac præ

nimia

nimia arrogantia Lazarum, CHRISTUM JESUM, in ſua paupertate & ardentisſimo quærendi ſemen & ſaturationis e micis de menſa decidentibus deſiderio contemnerent, ſpernentes unicum illud nomen, per quod oportebat ſalvari, atque propter hoc adventuræ pœnæ reos ſeſe facerent. Eum igitur in finem ſub introducti divitis perſona primario Phariſæos, ſecundario Judæos in Judæa tempore Chriſti exiſtentes, notari aſſerit, illudque ut oſtendat, Phariſæos ante omnia divites nuncupari poſſe dicit, eo, quod nihil ſibi deeſſe ipſi crediderint, (Luc. XIIX, 18.) ab ipſo quoque Chriſto ita appellentur, Luc. VI, 24. In Judæos inſuper quadrare idem cognomen ob adjuncta talia, quæ nonniſi divites eos fuiſſe evincant, utpote cum habuerint gazophylacium, Marc. XII, 41. 43. Luc. XXI, 1. Joh. VIII, 20; cum Paulus dicat, eos habere περισσόν, Rom. IX, 4. 5. Purpura & byſſo indutos ſiſti Judæos apud Ezechielem c. XVI, 15. ſeqq. ac præterea inveniri apud eos perſonas & res tali decore exornatas, Exod. XXIIX, 2. ſeq. Nec eſſe, cur quis dubitare velit, an ſub ſecundo etiam templo, ævoque Chriſti in terris obambulantis, ejusmodi veſtes, quales Moſes allegato loco deſcripſerit, repertæ fuerint? Imo conſtare, quod purpuram byſſumque viri quoque nobiles inter Judæos geſtaverint. Quid? quod per hæc pari modo liceat intelligere gloriam negotiationis ſtatumque urbis Hieroſolymitanæ florentem, & confirmationem divitiarum in illam confluentium; quod δικαιώματα λατρείας intelligere per ea liceat &c. Lætatos Judæos non in feſtis modo ſolennioribus, ſed & in quotidiano cultu, in quo externam collocarint religionem, & animum ita tranquillum ac ad Chriſtum parum reſpicientem geſſerint. Econtra longe aliam eſſe rationem pauperis, per quem minime innui vult mendicum proprie dictum tempore Salvatoris, neque Regem Davidem, neque omnes pios pauperes, quorum curam haud gerat avaritia divitum, neque allegorice Gentiles; ſed Chriſtum Salvatorem, cujus paupertatem multis modis adſtruit, & quomodo de eo poſſit dici: ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα; diſquirit. Nempe non modo expreſſe ipſum legi ejectum Luc. IV, 29, ſed & ſatis conſtare, quam parum receptus fuerit in Judæorum cor, intellectum, fidem. Ulcera ejus & vulnera non proprie ſolum, ſed & metaphorice conſiderat. Deſiderium ſaturationem etiam e micis expetens in eo conſtitiſſe, quod ad minimum quosdam e Judæis ad Eccleſiam ſuam colligere optarit. Canes dicendos Gentiles,

qui velut ejus vulnera lambentes, hoc eſt, tanquam in ipſum credentes, ſiſtantur. Ex eo, quod pauper mortuus referatur, ad mortem a Chriſto ſubitam reſpici, quæ tunc prophetico more intimata fuerit. Portationem in ſinum Abrahæ, adumbrare ipſius aſcenſionem & exaltationem. Mortem ſepulturamque divitis capiendam de Reipublicæ Judaicæ decremento plenariaque everſione, & ipſa Judæorum rejectione, poſtquam oculos equidem interdum illi ſuſtulerint, tempore imprimis Barchochabi pro Meſſia ab ipſis habiti, ſed nonniſi majora tormenta perſentiſcentes. Unde Abrahamum viderint, ſed e longinquo, cum ab ipſo multum ſua culpa diſceſſiſſent. Unde Lazarum viderint in ſinu Abrahami, h. e. Chriſtum Meſſiam fuiſſe indirecte agnoſcere coacti fuerint. Clamorem vero ad Abrahamum pro mittendo Lazaro directum, palam impletum in aſſiduis eorum votis, quæ & olim pro mittendo Meſſia ablegarint, atque etiamnum ingeminent. Aquas in parabola commemoratas notare bona illa, quæ in ſui refrigerium e Meſſiæ adventu expectent Judæi, & quorum ſitim quaſi optatum linguæ refrigerium inſinuet. Perpeſſa in flamma tormina reducere nos ad iram divinam adverſus Judæos ſævientem, ſummaque eos afficientem miſeria, quæ magis adhuc eorum preces pro Meſſia exhibendo augeat. Sed ad hæc enarrari beneficia, quorum olim facti participes; revocari ipſis in memoriam neglectum & incuriam Lazari ſeu Meſſiæ, indeque concludi, quod juſte crucientur, & oſtendi, quam impoſſibilis ſit deſiderii ipſorum expletio. Peti tamen ab ipſis, ut mittatur ad domum patris & ad quinque fratres Lazarus: ubi per domum patris & per quinque fratres intelligi vult decem tribus, quas nondum eo in ſtatu eſſe credant Judæi, in quo ſint ipſi apud nos, unde iis manifeſtandum Meſſiam expetant. Sed reſpondere Abrahamum, & earum converſionem ex Moſe & Prophetis eorumque auſcultatione decidendam; quo tamen contenti Judæi non ſint, ſed Meſſiam quoque ex mortuis reſuſcitandum flagitent, ſicuti Gemariſtæ Babylonici exiſtiment, Danielem ex mortuis reſuſcitatum futurum Meſſiam. Additum autem Abrahami reſponſum duritiem eorum magis magisque redarguere, & ſpem omnem voti adimplendi penitus adimere.

Hæc ſumma eſt explicatæ ad mentem Autoris parabolæ, quam ita ille amplificat, ut novis denuo digreſſionibus non parum indulſerit. Inter alia inſeruit tractationem quæſtionis: *an pleonaſmi*

*reperi-*

*reperiantur in Scriptura*? quam a p. 224. uſque ad p. 245. prolixe negavit, ſibique adverſarium hac in parte elegit Vorſtium, ad cujus exempla in contrarium adducta ſigillatim reſpondet. Inſuper, quid voce κάμηλος Luc. XIIX, 25. denotetur, diſpicit. De gazophylacio Judæorum & de Corban multa diſputat. Decimum ſextum Ezechielis caput illuſtrat. Veſtimenta Sacerdotum Hebræorum cum cura enumerat. Purpuræ uſum antiquum declarat. Imprimis vero per nomen Meſſiæ delatus ad Proverbiorum caput 30, hujus verſus ſex priores amplo commentario proſequitur. Suo etiam loco nonnihil de Judæorum, circa infernum ſtatumque animarum ſeparatarum, ſententiam in medium adducit. Peculiari etiam diſſertatione, congregationem aquilarum ad cadaver, ex Matth. XXIV, 28. explicat. Sed hæc indicaſſe ſuffecerit; cum prolixius omnia evolvi, inſtituti ratio prohibeat.

## ΦΑΛΑΡΙΔΟΣ ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ ΤΥΡΑΝΝΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

## *PHALARIDIS AGRIGENTINORUM TYRANNI EPISTOLÆ.*

*Ex Mſſ. recenſuit, verſione, annotationibus & vita inſuper Auctoris donavit Car. Boyle.*

Ex Theatro Oxonienſi, 1695. in 8. Conſtant alphabeto dimidiato.

EPiſtolarum ſcribendarum, non minus quam orationum ſeu declamationum contexendarum, ſtudioſos cumprimis extitiſſe veteres Græcos, inque artem redegiſſe ἐπιστολικοὺς χαρακτῆρας, vel libellus eo nomine inſcriptus, qui a nonnullis Libanio, ab aliis Demetrio Phalereo tribuitur, argumento eſt. Epiſtolas id genus, a quinque & triginta auctoribus, Baſilio Magno, Libanio, Chione, Aeſchine, Iſocrate, Phalaride, Bruto, Apollonio, Juliano, Syneſio, Demoſthene, Platone, Ariſtotele, Philippo, Alexandro, Hippocrate, Democrito, Heraclito, Diogene, Cratete, Anacharſi, Euripide, Theane, Meliſſa, Mya, Alciphrone, Philoſtrato, Theophylacto, Achano, Ænea, Procopio, Dionyſio, Lyſide, Amaſide, Muſonio ſcriptas, ducentis abhinc annis a Marco Muſuro collectas, Aldus publici juris fecit, duobus tomis anno 1499 Romæ excuſis. Cujus induſtriam tamen vicit Caldoriana Societas, editis Aureliæ Allobrogum A. 1606 epiſtolis Græcanicis mutuis centum & quinquaginta auctorum, Latina etiam ſingularum verſione, quæ Jacobo Cujacio tribui-

 tur,

tur, adjecta. E quibus nonnullæ ab aliis etiam poſtea doctis & φιλέλλησι viris fuerunt editæ; eæ autem, quæ *Phalaridis* nomen præſcriptum ferunt CXLIIX, nunc docti Viri in Anglia beneficio nitidius pulchriusque ornatæ lucem adſpexerunt. A Luciano eas ſub tyranni Agrigentini nomine ſcriptas eſſe & confictas, exiſtimarunt Gyraldus & Burdelotius, inducti fortaſſe a duabus Luciani Declamationibus *Phalaridarum* titulo nuncupatis; quibus æneum bovem a Perillo fabricatum Delphos mittere, inter cætera donaria Apollini conſecrandum, Phalaris fingitur. Sed diſſimile admodum in iſtis Declamationibus & his Epiſtolis orationis occurrere genus, bene annotat Boyleus, adverſis etiam frontibus nonnulla in utrisque occurrere, ut potius Epiſtolas ipſi Phalaridi adjudicandas eſſe exiſtimet. Ad harum accurationem quatuor editis jam & impreſſis codicibus ſe uſum eſſe profitetur, qui additas habeant diverſas interpretationes, unam Thomæ Naogeorgi, alteram cujusdem Jeſuitæ, & tertiam eamque optimam Franciſci Aretini. In quibus tamen ſingulis quum, quæ minus probaret, occurrerent, novam verſionem, quæ fideliter Græca verba exprimeret, adornavit: Græcum autem contextum cum duobus manuſcriptis Bodlejanis, e Cantuarienſi & Seldeni muſeo petitis, contulit: adeoque & Græcas eas & Latinas meliores, quam hactenus extabant, epiſtolas exhibuit. Vitam etiam cum ex iſtis epiſtolis, tum ex veterum aliorum autorum monumentis adornatam præfixit: e cujus expoſitione intelligimus, Phalaridem Cretenſis inſulæ urbe Aſtypalæa ortum, patre Leodamante; tyrannidem poſt Theſea primum occupaſſe circa Olymp. LII Agrigenti, plurimis civibus interfectis; Erythiam uxorem & Paurolam filium habuiſſe; ingenio ac ſingulari acumine & ſolertia valuiſſe, ingenuis artibus inſtructum, liberaliter educatum atque adminiſtrandæ reipublicæ non imperitum; humanitatis neutiquam expertem fuiſſe, ſapientesque & literatos reverenter coluiſſe, quod ex epiſtolis ad Steſichorum, Pythagoram & Abaridem pateat; in puniendis improbis ſeveriorem extitiſſe, neceſſitate imperii coactum, quod tutus eſſe non poſſet, niſi in adverſantes ſibi ſimul exiſteret crudelis; crudelitatis nimiæ jacta in eum fuiſſe opprobria ab his, qui liberæ Reipublicæ nimio amore tenerentur, nec unum ſibi præeſſe ferre poſſent; a multis tamen ſcriptoribus, & Cicerone cumprimis, execrandæ immanitatis accuſari, & Siculi Tyranni nomine venire; coctos infantes & proprios liberos ab ipſo

ipſo comeſtos eſſe, Athenæum Lib. IX. Dipnoſ. cap. 12. & Ariſtotelem Lib. VII. Nicomach. cap. 5. narrare; denique inauditum tormenti genus, æneum taurum, a Perillo inventum, qui recluſo latere cruciandos reos intra ſe reciperet, & ſuppoſito igne torreret, ita ut intus vociferantes mugitum emittere viderentur, a Diodoro Siculo, Plinio, Ovidio, Valerio Maximo, & ipſo Phalaride epiſt. 122. memoratum, ipſum ut inſigne crudelitatis exemplum ad poſteros transmiſiſſe; tyrannidem autem annis viginti octo juxta Euſebium, juxta alios annis ſedecim exercuiſſe; lapidibus obrutum a civium concitata multitudine, Pythagoræ conſiliis, eodem die, quo Tyrannus Pythagoræ & Abaridi mortem deſtinarat. Tzezem Chiliad. V. hiſt. 31. aliter narrare ipſius interitum annotat, ac ſi ipſe in ſe oratione ſua populum concitarit. Quum enim vidiſſet accipitrem plurimas inſequentem columbas, *videte*, dixiſſe, *quid faciat ignobilis timor: ſi una earum avium quæ fugit, reſtiterit, ea quæ inſequitur, fugeret;* quo audito ſenem quendam lapide caput Tyranni petiiſſe, omnemque quæ adſtitit multitudinem iſtius exemplum ſecutam lapidibus eum obruiſſe.

## *JOANNIS GUILIELMI STUCKII TIGURINI ANTIQUITAtum Convivialium Libri III, & Sacrorum Sacrificiorumque Gentilium Deſcriptio.*

Lugduni Bat. apud Jo. Hackium, & Amſtelod. apud Boomios, 1695. in fol. Alph. 10. plag. 14.

NOva hæc duorum doctiſſimi Jo. Guilielmi Stuckii, SS. Theologiæ quondam in Academia Tigurina Profeſſoris, A. 1607 defuncti, Operum (quorum illud Tiguri primum A. 1582, hoc ibidem A. 1598 prodiit, utrumque vero dudum in officinis librariis diſparuit) editio indicari, quin & commendari vel eo nomine meruit, quod curatores ejus ſtudium adhibuerunt inſigne, ut quæ in priores, & Antiquitatum inprimis Convivialium, editiones magno numero irrepſerant, menda typographica tollerentur. Sic enim perſuaſum habemus, rectius utique de Republica literaria mereri, qui dum libros veteres typorum beneficio velut reſuſcitare annituntur, quam maxime emaculatos, tametſi nulla acceſſione auctos eos ſiſtunt, quam qui ampliſſimis quidem notis ſcholiisque illuſtratos dicam an oneratos, ſed mendis fœdatos Orbi erudi-

erudito obtrudunt. Specimen induſtriæ illius Typographi ipſi in Præfatione ad Lectorem exhibuerunt, indicatis locis quam plurimis, quæ corruptiſſime & negligentiſſime olim cuſa, in hac editione reſtituerint. Nos memoriæ Stuckianæ dandum id cenſuimus, ut quo defunctum olim Stuckium Rodolphus Simlerus honoravit, epitaphium hoc loco legeretur.

*Ille ego qui veterum convivia pando Sophorum;*
*Et quo ſint priſcis ſacra agitata modo:*
*Myſtica qui ſacræ depromo fercula cœnæ,*
*Et quo fas diis veſcier ore cibis:*
*Qui Carolum e tenebris magno conamine Magnum*
*Educo, & reduci ſceptra beata precor:*
*Qui Periplum Euxini Ponti & Mœotidis oras*
*Permeo mente ſagax, Angelicosque choros:*
*Nunc depontanus convivia anhelo Deorum,*
*Angelico exanimem me comitante choro:*
*Ut quorum cecinit fatum mea Muſa ſuperſtes,*
*Jungier his poſsit, poſt pia fata, viris.*

Ad monumenta a Stuckio relicta a Poeta alluſum. Et primo quidem diſtycho Antiquitates Conviviales ac Sacrorum & Sacrificiorum Gentilium Deſcriptionem deſignari, nemo non videt. Reliquis notantur ſcripta ejus alia, quæ commemorari obiter non erit ab inſtituto noſtro alienum. Edidit nempe & Meditationes Euchariſticas, ſeu de S. Cœna, & has quidem Germanico idiomate. Edidit A. 1592 Comparationem Caroli Magni Imperatoris cum Henrico Magno Gallorum Rege. A. 1577 Scholia in Arriani Periplum Ponti Euxini vulgavit. De Angelis, Angelicoque hominum præſidio & cuſtodia librum A. 1595 emiſit. In Henrici Bullingeri obitum Orationem funebrem A. 1575, Vitam Joſiæ Simleri A. 1577 edidit. Quibus in Catalogo Bibliothecæ Bodlejanæ Palæſtinorum etiam, Tyriorum & Sidoniorum populorum Hiſtoriam A. 1595, & Gratulationem de Pace in Galliis Henrici IV Galliæ Regis auſpiciis ſancita A. 1601 evulgatam adjungi videas.

✻)o(✻

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Martii, Anno M DC XCVI.*

*APPENDIX DISSERTATIONIS DE HÆRESIARCHIS ÆVI Apoſtolici & Apoſtolico proximi, cui accedit heptas diſſertationum ſelecta quædam hiſtoriæ eccleſiaſticæ veteris & novæ capita illuſtrantium Autore THOMA ITTIGIO Lipſienſi, SS. Theol. Lic. & Ædis Nicolaitanæ in patria Archidiacono.*

Lipſiæ apud Hæredes Lanckiſianos, 1696. in 4.
Conſtat Alph. 2. plag. 18.

AUtoris Plurimum Reverendi, inque adornandis his Eruditorum Actis Socii noſtri dexterrimi, diſſertationem de Hæreſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi alibi recenſuimus, cui ſupplendæ, emendandæ, illuſtrandæ & vindicandæ Appendicem hanc inſervire voluit. A Doſitheo iterum auſpicatus, inter alia chronici Samaritani de Doſitheo fabulas ex Abrahami Ecchellenſis in Hebed Jeſu catalogum commentario commemorat. Ad Simonem Magum ejusque aſſeclas progreſſus, varia huc ſpectantia colligit, e quibus hoc tantum notare lubet, quod etſi fragmentum libelli Marcello attributi, de conflictu S. Petri Apoſtoli & Simonis Magi, Ludovicus Jacobus a S. Carolo ad calcem bibliothecæ ſuæ Pontificiæ tanquam ineditum vulgaverit; maxima tamen ejus pars nihil aliud contineat, quam epiſtolam Marcelli ad Nereum & Achilleum a Surio in actis Sanctorum pridem editam, integer autem Marcelli tractatus a Florentinio in notis & exercitationibus ad vetuſtius eccleſiæ occidentalis martyrologium editus fuerit, qui etiam in notis ad hunc Marcelli tractatum epiſtolam Pilati ad Tiberium, a cæteris quæ hactenus prodierunt exemplaribus diverſam publicavit. Quis Variſuus ille fuerit, quem Autor operis imperfecti in Matthæum cum Si-

mone Mago & Doſitheo conjunxit, ignorare ſe Ittigius in diſſertatione ſua dixerat. At nunc non dubitat, quin apud Autorem illum pro Variſuo Barjeſu in Actis Apoſt. c. 13. v. 6. memoratus legi debeat, cujus nomen etiam apud Auguſtinum l. 3. contra literas Petil. c. 48. a Benedictinis reſtitutum fuit, cum hactenus in vulgatis Auguſtini editionibus *Simonis & Variæ* vel *Simonis & Varii ſuæ* pro *Simonis & Barjeſu* lectum fuerit. De Hymenæo & Phileto agens Dn. Peterſenium refutat, qui hæreticos illos reſurrectionem ad fruitionem regni chiliaſtici negaſſe contendit, & hanc loci Paulini interpretationem variis rationibus ſtabilire conatus eſt. Occaſione Blaſti, qui paſcha eodem cum Judæis tempore celebrandum docuit, ad hiſtoriam ſchiſmatis paſchalis, quod ſecundo ſeculo exortum fuit, digreditur, ejusque ortum & progreſſum exponit. Inter recentiores ſcriptores, quorum de iſta controverſia ſententias adducit, eſt Jeſuita Halloixius, in quo, etſi falſa quædam gratis aſſeruerit, illud tamen laudandum eſſe notat, quod eccleſias Aſiaticas a fulmine Victoris illæſas ſtetiſſe aſſerat, Victorem poteſtate ſua ad eccleſias innoxias deſtruendas abuſum reprehendat, generoſam Irenæi Victorem objurgantis libertatem commendet, variosque Baronii in hac controverſia lapſus animadvertat. Poſt Halloixium etiam Petri Facditii meminit, & qua ratione ſcriptor ille diſſidium paſchale inter Pontificem Romanum & eccleſias Aſiaticas enatum, cum diſſidio quod inter Regem Galliæ & Pontificem Romanum circa jus quarteriorum agitatum fuit, contulerit, breviter recenſet. Ad Apellis hiſtoriam perveniens iterum obſervat, quod jam in diſſertatione ſua monuerat, Auguſtinum in libello de hæreſibus Severo familiaritatem cum Philumena tribuere, cum cæteri ſcriptores antiqui omnes Apellem Philumenæ oraculis uſum aſſerant. Neque tamen amplius ſtatuit, quod in diſſertatione ſua ſuſpicatus fuerat, vel Auguſtinum memoria lapſum fuiſſe, vel locum illum a librariis luxatum, perperamque ad caput de Severianis relata fuiſſe, quæ ad caput proxime præcedens de Apellitis pertinebant; ſed mutata nunc ſententia non dubitat, quin tota illa pericope de Philumena ex Auguſtini libello de hæreſibus prorſus delenda ſit, cum in manuſcripto codice bibliothecæ Paulinæ, quam Academia Lipſienſis poſſidet, omiſſa deprehendatur, & doctiſſimi Benedictini in nova Auguſtini editione teſtentur, quod iſtam pericopen de Philumena in manuſcriptis codicibus 5. Vaticanis & 12 Gallicanis, ad quos illum

Augu-

Auguſtini libellum contulerant, non invenerint, unde eam in ipſo Auguſtini textu omittere minime dubitarunt. His expoſitis, clariſsimi Colbergii ſententiam de illo Auguſtini loco adducit, & cur ea ſibi minus probabilis videatur exponit.

Omiſſis cæteris, quæ in hac appendice occurrunt, ad Heptadem Diſſertationum miſcellanearum pergimus, quæ alteram hujus voluminis partem conſtituit. Et prima quidem diſſertatio de pſeudepigraphis Chriſti, Mariæ & Apoſtolorum agit. Sunt autem pſeudepigrapha Chriſti, de quibus c. 1. & 2. diſſerit, epiſtola Chriſti ad Abgarum, ſcripta quædam Chriſto ab hæreticis affiᴄta, & epiſtolæ nonnullæ Chriſti, quæ cœlitus demiſſæ vel ab eo diᴄtatæ perhibentur. In Mariæ pſeudepigraphis, quæ c. 3. referuntur, præter epiſtolia ad Ignatium, ad Meſſanenſes & ad Florentinos, occurrit liber de miraculis fidei & annulo Salomonis, in plumbeis laminis Granatæ effoſſis, & A. 1682. ab Innocentio XI. ob falſi crimen damnatis, labente ſuperiori ſeculo inventus. Reliqua diſſertationis hujus capita in enarrandis pſeudepigraphis apoſtolicis occupantur, cujusmodi ſunt Jacobi protevangelium aliaque evangelia pſeudapoſtolica, acta Pauli & Theclæ aliaque acta pſeudapoſtolica, & varia Apoſtolorum itineraria, epiſtolæ pſeudapoſtolicæ, apocalypſes pſeudapoſtolicæ, ſymbolum quod Apoſtolorum dicitur, didaſcaliæ pſeudapoſtolicæ, prædicationes pſeudapoſtolicæ, canones pſeudapoſtolici, conſtitutiones pſeudapoſtolicæ, liturgiæ pſeudapoſtolicæ & nonnulla alia Apoſtolorum nomen mentientia monumenta. Ita vero in pſeudepigraphis illis memorandis Autor celeberrimus verſatur, ut varia veterum & recentiorum de illis judicia inter ſe conferat, illorum, quæ in lucem prodierunt, varias editiones indicet, aliaque ad pſeudepigraphorum illorum hiſtoriam ſpeᴄtantia colligat. Qua occaſione modo nonnulla veterum ſcriptorum loca illuſtrat, modo errata quædam, quæ vel memoriæ lapſu vel alias ob cauſas in recentiores quosdam autores irrepſerunt, corrigenda monet: qualia ſunt, quod Ludovicus a Dieu, in animadverſionibus ad Xavierii evangelium Perſicum, nullam de Abgari lepra mentionem apud Cedrenum fieri ſcribit; quod Strauchius in amœnitatibus juris canonici inter autores, apud quos Chriſti epiſtola ad Abgarum legitur, Damaſcenum nominat; quod idem Strauchius, eumque ſequentes alii Montacutio pro amœbæis Abgari & Chriſti literis 263 Auguſti-

ni epiſtolam allegantí, tot Auguſtini epiſtolas non extare reſpondent; quod Leusdenius in Philologo Hebræo-Græco Jacobi protevangelium ab Hieronymo Græce redditum aſſerit; quod Varenius in rationario ſcriptorum eccleſiaſticorum ſecul. 1. Jacobo Fabro Stapulenſi Viennenſem epiſcopatum tribuit; quod Ludov. Jac. a S. Carolo in bibliotheca Pontificia, & Fratres Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Johannem Carolum Bovium, Oſtunenſem & poſtea Brunduſinum Epiſcopum, cum Carolo Bony Engoliſmenſi Epiſcopo confundunt; quod Rivetus in critico ſuo ſacro Turrianum magno niſu conſtitutiones apoſtolicas contra Magdeburgenſes defendiſſe, idque eum in libris 5. adverſus Magdeburgenſes ſcriptis feciſſe tradit; quod Oudinus in ſupplemento de ſcriptoribus eccleſiaſt. diſputationem inter Athanaſium & Arium, quæ Nicææ habita dicitur, & inter Athanaſii ſcripta Græce & Latine legitur, a Vigilio Tapſenſi ſcriptam & a Chiffletio inter Vigilii opera editam memorat; ut alia quædam aliorum errata ab Autore ſagaciſſimo animadverſa taceamus.

Secunda diſſertatio de ſchiſmate Donatiſtarum agit, cujus ortum dum deſcribit Noſter, acta Saturnini a Donatiſta quodam compoſita, quæ Henſchenius poſteriorem Surii editionem imitatus non integra edidit, ex Albaſpinæo & Baluzii miſcellaneis ſuppleri poſſe monet. Concilium Carthaginenſe, in quo a ſchiſmaticis Cæcilianus damnatus & Majorinus electus fuit, num a Cirtenſi quodam concilio confirmatum fuerit, quod a clariſſimo Leydeckero aſſeritur, inquirit, & Auguſtini locum a Leydeckero allegatum non de alio concilio loqui exiſtimat, quam quod ſeptem ante Majorini electionem annis congregatum fuit. Hac occaſione Cirtenſis illius conciliabuli hiſtoriam exponit, & inter alia Garnerium, qui Cirtam & Conſtantinam unam eandemque civitatem fuiſſe invitus nec ſine reluctatione quadam affirmaverat, ab Eminentiſſimo Noriſio inter Romanæ Eccleſiæ Cardinales nuper cooptato in epiſtola ad illuſtrem Magliabecum haud immerito notatum obſervat. Errorem Magdeburgenſium, qui centur. 4. pag. 1171. Maternum & Marinum alicubi in Gallia vel Italia Epiſcopos fuiſſe ſcribunt, ex aliis ejusdem centuriæ locis corrigi poſſe animadvertit, & alios quosdam Magdeburgenſium lapſus circa Arelatenſis concilii hiſtoriam corrigendos monet. Arelatenſe hoc concilium Auguſtino plenarium audire, cum Launojo ſtatuit. Locum Optati, qui ad Eze-

zechiel.

zechiel. XIII,13. alludens, in dealbatum Donatiſtarum parietem primum tempeſtatem, deinde pluviam, & denique lapides irruiſſe ſcribit, ab ipſo Optato in manuſcripto Germanenſi, ex quo Benedictini in appendic. ad Tom. IX. Oper. Auguſtini aliqua excerpſerunt, explicari docet, cum in illo expreſſe addatur, tempeſtatem ſub Urſatio, pluviam ſub Gregorio, & lapides ſub operariis unitatis Paulo & Macario in dealbatum illum parietem irruiſſe. Et in eo quidem Benedictinis adſtipulatur, quod tempeſtas, quæ ſub Urſatio contigiſſe dicitur, A. 320, & pluvia, quæ Gregorio adſignatur, circa A. 336. vel 337, quo Præfecti munus ille geſſit, facta fuerit. Cum autem Benedictini ſuſpicantur, nomina Leontii, Urſatii & Taurini a Donatiſtis ficta fuiſſe; ut Præfectis illis & Ducibus Imperatorum, quos ſibi graves ſentiebant, invidiam facerent, quaſi crudelitate ſua leones, urſos & tauros adæquarent; conjecturam hanc eo nomine improbat, quod Creſconius apud Auguſtinum, Urſatium cum Zenophilo, Petilianus apud eundem Urſatium cum Macario, & Donatiſtæ apud Optatum, Leontium & Urſatium cum Paulo & Macario conjungant. Neq; enim dubitat, quin Donatiſtæ etiam Zenophilo, Paulo, & Macario beſtiarum nomina daturi fuiſſent, ſi Leontii, Urſatii & Taurini nomina finxiſſent. De Pauli & Macarii in Africam legatione dum agit, animadvertit, Marculum Donatiſtam, quem a Macarii militibus occiſum fama tulit, in martyrologia quædam irrepſiſſe, & acta paſſionis ejus a Donatiſta quodam conſcripta doctiſſimum Mabillonium in analectis ſuis edidiſſe. Inteſtina Donatiſtarum diſſidia dum recenſet, de Tichonio diſſerit, cui nonnulli præter regulas interpretandæ Scripturæ paſſim editas, commentarium in Apocalypſin tribuunt, inter Auguſtini opera ſub ejus nomine editum. Verum illum commentarium nec ab Auguſtino, nec a Tichonio ſcriptum judicat. Epiſtolam ſynodicam Maximianiſtarum, quæ apud Auguſtinum conc. 2. in Pſ. 36 legitur, & ex concilio apud Cavernas Suſis habito data dicitur, non ad Carthaginenſe Maximianiſtarum concilium ſpectare cenſet, ut poſt Baronium Schelſtratenus, Witſius & alii exiſtimarunt, qui Cavernas Suſis locum Carthagini propinquum fuiſſe ſtatuunt; ſed ad concilium Cabarſuſitanum, ſeu poſterius Maximianiſtarum concilium. Quam ſententiam ex eo confirmat, quod in antiquis manuſcriptis, quæ Baluzius in nova collectione conciliorum retulit, hoc concilium Cabarſuſi habitum dicatur. Auguſtini

O 3 ſcripta

ſcripta contra Donatiſtas dum commemorat, Sagittarium, qui in introductione ſua inter ſcripta Auguſtini Anti-Donatiſtica, quæ perierunt, Auguſtini epiſtolam ad Mercatorem retulit, erraſſe notat, cum illa Auguſtini ad Mercatorem epiſtola neque amplius deperditis accenſeri debeat, neque contra Donatiſtas ſed contra Pelagianos ſcripta fuerit. Librum Auguſtini de unitate Eccleſiæ cur Benedictini νοθείας ſuſpectum habeant, breviter commemorat, eorumque rationes eruditis ponderandas relinquit. Quæ de Donatiſtarum erroribus, eorundemque & Circumcellionum imprimis ſceleribus & flagitiis, de collationibus inter orthodoxos & ſchiſmaticos inſtitutis, de conciliis in Donatiſtarum cauſa habitis, de Imperatorum adverſus Donatiſtas edictis aliiſque ad hiſtoriam hanc ſpectantibus geſtis diſſeruit, brevitatis ſtudio omittimus, & tantum Autoris voto, quo hanc diſſertationem obſignavit, noſtrum conjungimus, ut Eminentiſſimi Noriſii hiſtoria Donatiſtica, cujus apparatum jam pridem collectum novimus, in lucem aliquando prodeat.

Tertiæ diſſertationis argumentum eſt ritus feſtum nativitatis Dominicæ d. 25 Decembris celebrandi, quem ex probatis trium a Chriſto nato ſeculorum monumentis probari poſſe negat. Inter alia notat, quod Hoſpinianus quidem ritum illum jam ſeculo ſecundo cognitum aſſeruerit, idq; ex Theophili Cæſarienſis epiſtola paſchali probaverit, verum epiſtola illa Theophilo Cæſarienſi ſuppoſita videatur, & præterea verba illa Theophili ab Hoſpiniano allegata in plerisque epiſtolæ illius editionibus deſiderentur. Johannis Nicæni de ritus hujus antiquitate & origine fabulas explodit. Homiliam Chryſoſtomi in nativitatem Domini, quæ Tom. V. edit. Savil. p. 511. legitur, etſi a Gretſero & Petavio pro ſpuria habeatur, genuinam eſſe non dubitat. Eam tamen non Cpoli, ut poſt Scaligerum Calviſius pluresque alii cenſuerunt, ſed Antiochiæ habitam obſervat. Figmenta de Saviniano ejusque ſociis, a quibus hunc ritum introductum fuiſſe Andreas du Sauſſay perſuaſum ſibi habet, rejicit. Varias recentiorum de die Chriſti natali ſententias dum recenſet, in doctiſſimo Bynæo deſiderat, quod Iſaaco Judæo, Chriſtianos inter conceptionem Mariæ & Chriſti nativitatem 17 tantum dies numerare fingenti reſpondens, nodum hunc Pontificiis conceptionem Mariæ d. 8. Decembris celebrantibus inexplicabilem ſtatuerit, nec

ani-

animadverterit, Judæum illum diem, quo Maria concepta creditur, cum die quo Maria Chriſtum concepiſſe perhibetur, confudiſſe.

Quarta diſſertatio verſatur circa controverſiam de æquali Petri & Pauli primatu, quam ante 50 annos celeberrimus Janſeniſta Arnaldus excitavit. Refert igitur, Arnaldum in præfatione ſui tractatus de frequenti communione, quem Jeſuitæ Petro de Seſmaiſon oppoſuit, Petrum & Paulum duo eccleſiæ capita appellaſſe, eaque de re monitum non ſolum hanc ſententiam non retractaſſe, ſed integris etiam tractatibus defendiſſe, eosque tractatus a pluribus ſcriptoribus impugnatos, quin & ab Innocentio X. damnatos & prohibitos fuiſſe. Recenſet quoque argumenta, quibus ſententiam ſuam Arnaldus ſtabilivit. Inter adverſarios Arnaldi Raynaudum fuiſſe notat, qui ſingulari Dei providentia Paulum capite truncatum ſtatuit, ut ſolum Petrum eccleſiæ caput eſſe conſtaret. Poſtremo de imagine Pauli dextri & Petri ſiniſtri in bullis papalibus diſſerit, variasque variorum ea de re ſententias exponit.

Diſſertatio quinta occupatur in recenſendis actis ſynodi Hieroſolymitanæ anno Chriſti 1672 habitæ. Cum enim illa in paucorum manibus verſentur, ſtudioſæ juventuti non ingratum fore Ittigius exiſtimavit, ſi compendium illorum exhiberet. Cum autem hæc ſynodus Cyrillo Lucari ejusque confeſſioni oppoſita fuerit, de Cyrillo nonnulla præmittere ipſi placuit. Ipſa acta ſynodi Hieroſolymitanæ quantum attinet, ea primum A. 1676. ſub nomine ſynodi Bethlehemiticæ prodiiſſe, & cur in altera editione A. 1678. titulus ille mutatus fuerit, commemorat. Quinto horum actorum capiti inſertas eſſe duas ſynodos indicat jam olim adverſus Cyrillum Cpoli habitas, quarum prior A. 1638. præſide Cyrillo Berrhœenſi, poſterior præſide Parthenio coacta fuit. Imprimis vero recenſendo ſexto eidemque ultimo actorum horum capiti ſuam operam impendit, cum in eo Hieroſolymitanæ ſynodi Patres eccleſiæ ſuæ doctrinam juxta ordinem in confeſſione Cyrilli Lucaris ſervatum propoſuerint. Sicut autem Cyrilli confeſſione non tam Græcæ quam Reformatæ eccleſiæ doctrinam contineri notat; ita ſynodum Hieroſolymitanam, quam inſtigante Gallico ad Portam Ottomannicam oratore a Patriarcha Doſitheo congregatam fuiſſe patet, ad ſynodos a Græculis papizantibus emendicatas referre non veretur.

Sextam

Sextam diſſertationem Photini Sirmienſis Epiſcopi hiſtoriæ impendit, in qua de ejus nomine, patria, præceptore Marcello, functionibus eccleſiaſticis, imprimis vero de erroribus ipſi attributis & de conciliis in quibus damnatus perhibetur, nec non de ejus ſcriptis, adverſariis, exilio, obitu, & Imperatorum contra Photinianos legibus diſſerit. Quæ de ſingulis iſtis capitibus obſervaverit recenſere, præfixi brevitatis limites nobis non permittunt. Quamobrem ea tantum notare placet, quæ in additamentis ad hanc Photini hiſtoriam adjecit. Dixerat in ipſa diſſertatione, diverſas fuiſſe Hilarii & Athanaſii circa confeſſionem Sirmienſem A. 351. editam ſententias, dum Hilarius eam ut orthodoxam explicavit, Athanaſius autem hanc confeſſionem cæteris adverſariorum confeſſionibus adjunxit; & quamvis Dorſcheus ſtatuat, quod Athanaſius hanc confeſſionem ſuis potius quam eccleſiæ adverſariis tribuerit, probari tamen id commode non poſſe, nec aſpernandam eorum videri ſententiam, qui plerosque Sirmienſis illius concilii aſſeſſores Semiarianos fuiſſe, & ſubdolis ac ambiguis verbis hanc confeſſionem condidiſſe arbitrantur. His addit, Hilarium non ſimpliciter ſynodum Sirmienſem & quasdam alias orientalium confeſſiones pro orthodoxis habuiſſe. Quod imprimis eluceſcere ait ex Hilarii reſponſis apologeticis adverſus Luciferum & alios reprehenſores ſui tractatus de ſynodis, quæ Benedictini in nova Hilarii editione nuper ediderunt. Ex his enim manifeſtum eſſe dicit, quod Hilarius formulas quidem Semiarianorum ſano ſenſu intellectas quodammodo ferri poſſe putaverit, nequaquam tamen Semiarianos pro orthodoxis habuerit. Unde & Benedictinos in vita Hilarii & in præfatione ad Hilarii tractatum de ſynodis animadvertiſſe refert, quod Hilarius orientales ea ratione tractandos judicaverit, qua ſolent convaleſcentes ægri, quibus nec priſtinæ ægritudinis reliquiæ, nec ſpes recuperandæ ſanitatis deeſt, ideoque illis ad veram fidem aliquid deeſſe non diſſimulaverit, interim tamen veritatem illis blande inſinuaverit, eosque modo excuſaverit, modo laudaverit, & a conviciis abſtinuerit, ut & orientalium benevolentiam ſibi conciliaret, & occidentales in eorum favorem inclinaret, utrosque autem ad concordiam ineundam præpararet. Eosdem Benedictinos obſervaſſe notat, quod Hilarius ante Ariminenſem ſynodum, Athanaſius autem poſt illam ſynodum ſcripſerit, quo tempore eccle-

eccleſiæ utilitas efflagitaverit, ne orientalium confeſſionum vitia amplius diſſimularentur.

In ſeptima eaque ultima diſſertatione de Aramo agit, quem & obſcuriſſimum & celeberrimum autorem appellat; obſcuriſſimum quidem, quia ipſi Photio, cui Arami memoriam debemus, nomen hoc obſcurum minusq; perſpectum fuit: celeberrimum autem, quia Hieronymũ ſub iſto nomine delitescere Reverendiſſimus Noriſius in Hiſtoria Pelagiana, & doctiſſimus Garnerius in diſſertationibus ad Marium Mercatorem deprehenderunt. Cæterum hac occaſione etiam de Theodoro Antiocheno, qui Hieronymum ſub Arami nomine confutandum ſuſcepit, ejusque ſcriptis & erroribus, & imprimis de ejus Pelagianiſmo diſſerit, tandemque inquirit, quam ob cauſam Hieronymus a Theodoro Aram cognominatus fuerit. Recenſitis autem aliorum opinionibus, celeberrimi Cave ſententiam amplectitur, qui Hieronymum a Theodoro Aram, hoc eſt Syrum dictum arbitratur, quia Hieronymus maximam vitæ ſuæ partem in Syria tranſegit.

*MOSIS PROPHETÆ LIBRI QUATUOR: EXODUS, LEVITICUS, Numeri, & Deuteronomium, ex translatione JO. CLERICI, cum ejusdem paraphraſi perpetua, commentario philologico, diſſertationibus criticis, & tabulis chronologicis ac geographicis,*

Amſtelodami apud Henricum Wetſtenium, 1696. fol.

Conſtant alphabetis 6 & plagulis 13, tabulisque æneis 3.

Biennium effluxit, ex quo *Geneſis* Autoris in lucem prodiit. Sequuntur nunc Moſis libri quatuor reſidui, eadem cura translati atque illuſtrati. Operis totius, quod ad omnes Scripturæ V.T. libros extendetur, prolegomena anno CIↃ IↃCXIV menſe Januario, ipſum vero commentarium in Geneſin cum appendice menſe Martio ejusdem anni recenſuimus. E præſenti, quem ſcripſit ad Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium commentario philologico, brevitatis ſtudioſi nonniſi quatuor obſervationes, quæ librum perluſtrantibus forte ſe nobis obtulerunt, curioſo Lectori ſpeciminis loco exhibebimus, & quidem ex ſingulis libris unum.

Nimirum Exod. XV canticum Iſraelitarum ad mare Erythræum per vocabula ὁμοιοτέλευτα rite diſpoſita ſine ulla mutatione, duabus

bus voculis exceptis, dum verſ. 14 ad יִרְגָּזוּ additum eſt ן paragogicum, ac verſ. 16 pro עֲלֵימוֹ ſcriptum eſt עֲלֵיהֶם metrice deſcripſit. Idem præſtitit Num. XXI, 16 in cantico breviori, ab Hebræis in memoriam puteorum plurium inventorum facto. Sed & Deut. XXXII canticum Moſis prolixius metrice a ſe deſcriptum exhibuit, additis quibusdam notulis. Quam bene autem ſint inter ſeſe ὁμοιοτέλευτα illa comparata, hoc in loco non aggreditur dicere, ſed in diſſertatione de Hebræorum poeſi, Pſalmis addenda, rem totam aperire promiſit.

Ad Lev. XVI, 8 refutat Jo. Spenceri de voce עֲזָאזֵל *Hazazel* opinionem. Nam cum ibi legamus, pro duobus hircis oſtio tentorii admotis duas ſortes ex mandato divino jaciendas fuiſſe, unam *Jebovæ*, alteram לַעֲזָאזֵל *lahazazel*, is opere erudito de Legib. Hebr. Ritual. L. III diſſ. IIX vocem hanc compoſitam eſſe putat ex nomine עַז *potens*, & participio אָזֵל *abiens*; ſignarique ea cacodæmonem, ad quem amandaretur hic hircus quaſi immundus ob peccata, quæ ei velut impoſita fuerant. Sed quicquid pro hac ſua confirmanda ſententia dicat Spencerus, nunquam effecturum eſſe ſcribit Noſter, ut cum Moſis lege conveniat, duarum victimarum piacularium alteram Deo donari, mactatam ad altare & rite oblatam; alteram vero vivam, quaſi peccatis populi onuſtam ad cacodæmonem mitti, qualis ſacri nulla fiat alibi mentio. Nullũ enim occurrere ſacrificium, cujus pars Deo offeratur, altera vero viva, quaſi peccatis populi onuſta ad cacodæmonem amandetur. Solide equidẽ confutaſſe ait Spencerum eorum ſententiam, qui per modum ſacrificii oblatũ hunc hircum cacodæmoni volunt, indeq; conjicere, non ut oblationem ſacrificialem ad eum amandatum fuiſſe, ſed ut iſto ſymbolo ſors peccatorũ denotaretur, & ſignaretur immundicies dæmonum, ad quos hircus peccatis onuſtus mittebatur; verum hæc diſtinctio cum in Moſe non habeatur, & hircus alter dicatur eſſe *Hazazelis*, alter vero *Jehovæ*, ſummum periculum fuiſſe contendit Clericus, ne Hebræi verbis Moſis eo adducerentur, ut crederent cacodæmoni illo die ſacra fieri, & victimam mitti. Neque hoc a ſe temere dici, duobus oſtendit argumentis. Primum eſt conſuetudo gentium, quæ dæmonibus malis ſacra faciebant, teſte Moſe c. XVII, 7, ex qua hanc legem ſine dubio interpretati fuiſſent Hebræi, ſi piacularem victimam ad cacodæmonem mittere juſſi eſſent. Alterum eſt, revera eos ex Judæis, qui *Hazazel* nomen eſſe cacodæmonis exiſtimarunt, credi-

credidiſſe etiam, hircum quaſi hoſtiam ad eum mitti, ut oſtendit ipſe Spencerus Diſſ.IIX c.2. His de cauſis ejus ſententiæ non aſſentitur Clericus, quin potius nomen hoc deducens ex duabus vocibus Arabicis, quarum altera עזאזן hazazon *terram duram* (ex radice עז hazza *durus fuit*) ſeu *petroſam*; altera מאזלן maozelon *locum anguſtum* (ex אזל azala, quod apud Arabas eſt *in anguſtia verſari*) ſive *arctum* ſignificat, verſiculum 8 & 10 ſic interpretatur: *In ambos hoſce hircos ſortes jaciet, unam* Jehovæ, *alteram* præcipitio. *Hircus vero ſuper quo jacta ſors aſcenderit* præcipitio, *ſtatuetur vivus coram Jehova, ut expiet eo Sacerdos, eumque mittat* ad præcipitium, *in deſertum.* Quam verſionem ſuam confirmat ex commate 21 & 22, ubi is hircus dicitur mitti in deſertum, *in terram abſciſſionis*, h. e. in locum præruptis ſcopulis cinctum, ſive præcipitem; additque Deum hoc ritu ſignificaſſe, non magis ſe velle peccatorum Iſraelis rationem habere, quam pecudis habeatur, quæ in deſertum amandata eque præcipitio dejecta periit.

Cum omnia quæ Num. XXII, 28 de aſina Balaami commemorantur, huic in viſione viſa fieri crediderit Maimonides, nihil eſſe in hac narratione contendit Noſter, quod vel minimam ſuſpicionem creare poſſit ſomnii narrati. Idem enim efficere potuiſſe Deum in aſinæ ore, quod facit in organo, qui ejus inſtrumenti certis motibus varios modulatur ſonos, non magis incredibile ipſi videtur, quam creatos initio homines, quos loquendi facultate ornavit. Nec quicquam huic hiſtoriæ objici poſſe ſcribit, niſi mirum videri, propter rem tantillam factum eſſe prodigium, cui nunquam poſtea ſimile contigerit; cum tamen conſilia & fines Dei nemo dicere poſſit ſe ita perſpexiſſe, ut quid illis conveniat, quid contrarium ſit, ſemper judicare valeat. Quid quod breviſſimam hic habeamus antiquiſſimi ævi hiſtoriam, ex qua de hominum ejus temporis Balaamique ipſius animi affectione ſat plenum judicium ferre nequeamus. Quod autem homo, tanto prodigio territus, loquente aſina, non prorſus obmutuerit, ſed ita reſponderit bruto animanti, quaſi non tum primum cum eo eſſet collocutus, hoc neſcio cui de brutis ſententiæ (quam ſciremus, ſi libros, qui philoſophiam Orientalem illius ævi complectebantur, haberemus) tribuit. Interim Balaamum fortaſſe mentium humanarum transmigrationem in brutorum corpora credidiſſe conjicit; cum enim, qui in Meſopotamia finitimisque oris μετεμψύχωσιν propugnabant, ut fidem ſuæ facerent

rent doctrinæ, vulgo, quanquam falſo, narrarent bruta ſæpe eſſe locuta, hac aut ſimili opinione fieri potuiſſe dicit, ut Balaamus aſinam ſuam voce, humanæ ſimili, loquiminus miratus ſit. Neque huic ſuæ conjecturæ, de migratione animarum a Balaamo credita, officere ait verba ejus: *nam te jam occidiſſem;* cum Herodotus varia pecudum genera ab Ægyptiis, μετεμψύχωσιν credentibus, occiſa narret, Lib. II cap. 123.

De ſepultura Moſis Deut. XXXIV, 6 expendit verba Joſephi: *Cum ſalutaret Eleazarum & Joſuam, & cum illis loqueretur, nube ſubito ſuper ipſo ſtante, in quandam vallem raptus, inconſpicuus factus eſt. Scripſit vero ſe in ſacris libris eſſe mortuum, timens ne ob eximiam virtutem, ad DEUM abiiſſe auderent dicere.* Nimirum a Moſe hoc caput eſſe vult Joſephus, quod in eo non confutat Clericus. Quisquis enim, ait, lecto hoc capite, ei ſententiæ ſuffragium adſcribere poteſt, is fruſtra rationibus oppugnatur. Saltem miratur, quare periculoſum judicet, ſi credatur Moſes ἀναχωρῆσαι πρὸς τὸ Θεῖον, modo ne ipſe colatur: id enim quod Henocho & Eliæ contigiſſe narrant ſacræ literæ ſine periculo, de Moſe æque innoxie credi potuiſſe. Ac ſane id crediſſe multos Judæos, tum oſtendit ex libro olim ab ipſis ſcripto, cui titulum fecerunt: Ἀνάληψις Μωσέως, tum ex paraphraſte Chaldæo ad Pſ. LXIIX 19 & Cant. c. I, 5. Antiquioribus tamen temporibus vere mortuum fuiſſe creditum Moſem, ex hoc Deuteronomii capite apparere ait; ſed non negare Scripturam eum reſurrexiſſe, quin potius videndum, annon huic ſententiæ faveat locus qui habetur Matth. XVII, 3.

Paraphraſi & commentario quatuor librorum duas ſubjungit *Appendices*, unam in Exodum, alteram in Numeros. Appendix commentarii in Exodum ſiſtit nobis Diſſertationem de *Maris Idumæi trajectione*, in qua longe maximum miraculum copioſius illuſtrare inſtituit. Poſt occaſionem diſſertationis, quam ſibi præbitam fuiſſe narrat tum ab illis, qui ſuperſtitioſa quadam credulitate, DEUM hic ordinem naturæ conſuetum prorſus immutaſſe perperam credant; tum ab iſtis, qui ex inſita quadam pertinacia & ſuperbia, DEUM nihil hic novi aut ab ordine naturæ alienum egiſſe velint; ante omnia verba Moſis Exod. XIV extantia interpretatur: nec ſtatim ad vim Numinis omnipotentem confugit, ſed quid inſtitutarum ab rerum initio cauſarum efficacia fieri potuerit, inquirit. Poſtea quid earum viribus, quidve a DEO factum fuiſſe videatur, exponit, & adverſariorum objectionibus reſpondet.

det. Ex ſolitis naturæ legibus factum fuiſſe dicit, quod ventus ſeptentrionalis, quo ſinus Arabici fluctus in oceanum ſunt rejecti, auxerit æſtum maris in oceanum reflui, non diviſerit aquas utrimque coacervatas, ut perperam intellecto Moſe, vulgo credatur; auſtralis viciſſim fluctus vi boreæ primo ſuſpenſos, magno impetu & breviſſimo tempore retulerit. Inuſitata vero divinæ potentiæ efficacia contigiſſe exiſtimat, quod (cum fortaſſe nullus ordine naturæ oriturus eſſet ventus, neque æſtus ſolitum modum exceſſurus, aut in meridiem ſatis procul receſſurus, ut vada ea, qua oportebat, amplitudine nudaret, viamque latiſſimam tot myriadibus aperiret) Deus ſingulari voluntate concitaverit ventum primo ſeptentrionalem, qui fluctus longius quã alias fieri ſolebat, rejiceret, deinde auſtralem, quo fortiter flante incitatiſsimo curſu in ſuum locum redirent, totumque Ægyptiorum exercitum tegerent, ut fundum ille peteret, Exod. XV, 10. Suadere hoc illi miraculum videtur primum vis venti plane inſolita, v. 21 cap. XIV, & reciprocatio maris tanta v. 27, quanta nulla unquam forte conſpecta eſt. Deinde, ſi nihil hic præter ſolitum contigiſſet, non erat, inquit, cur Ægyptii gauderent, aut cur Iſraelitæ usque adeo terrerentur, cum ſe clauſos viderent inter mare & montes; expectato enim refluo maris motu, quem tot myriades non procul ab hoc mari nuper habitantes, haut ignoraſſe videntur, evadere poterant. Denique ea in re addit etiam fuiſſe miraculum, quod Moſes, qui alioqui nihil niſi ſolitum æſtum expectare potuit, prædixerat Iſraelitis, exitium inſtare Ægyptiis, ipſos vero incolumes evaſuros. Voluit huic adjicere Autor duas alias diſſertationes, alteram de *Lepra*, alteram de *Synedrio*, quarum in commentariis interdum meminerat. Sed cum hujus voluminis craſſities multum creviſſet, nec plane neceſſariæ eſſent ad intelligendum Moſen, in aliud eas volumen diſtulit. Magis neceſſaria ipſi viſa eſt, quæ in appendice commentarii in Numeros comparet, Johannis Seldeni diſſertatio de *Decimis* (cum ille primus totum hoc negotium ſecundum leges Moſaicas feliciter expediverit) a Clerico ex Anglica lingua in Latinam translata, & notis illuſtrata. Ex qua nihil deſumſit, præter antiquiſſima illa Decimarum exordia, quæ vel ante legem, vel ex lege apud Hebræos exſolvebantur, nec non ſecundum ethnicorum inſtituta inter Græcos potiſſimum & Romanos viguerunt, & prioribus tribus diſſertationis capitibus comprehenduntur. Quæ enim de

de decimis inter Chriſtianos perſolutis in ſequentibus habet ſectionibus, ad inſtitutum Autoris non pertinebant.

Adduntur *tabulæ*, non modo *chronologicæ* in hiſtoriam quatuor poſteriorum librorum Moſis, cum notulis nonnullis; ſed & *geographicæ tres*, quarum prima ad illuſtrationem potiſſimum *decimi Geneſeos capitis* ſpectat. Eam ex Sam. Bocharti Phalego nonnihil emendatam, reſectis, quæ ad rem ſuam non faciebant, deſumſit. Duas alias cum *deſertæ & petreæ Arabiæ*, tum *Chananeæ*, in uſum eorum duntaxat, qui Moſem legunt, confecit; in iis enim nullius loci nomen aſſignatur, niſi ejus meminerit Moſes. Situm urbium partim ex Moſe, partim ex Locis Hebraicis Hieronymi collegit, & Hebraico quidem more nomina ſcripſit, quod multa ſint in Græcis & Latinis codicibus ita depravata, ut vix agnoſci queant. Indices etiam concinnavit tædioſo quidem ſed neceſſario labore. Animadverſiones varias, quibus Latinus index illuſtrari potuisſet, diuturni laboris pertæſus, in alia loca, prout ſe inpoſterum occaſio dabit, rejecit. Quæ poſſunt haberi regularum vel axiomatum loco, ad interpretationem Scripturæ, ea, prima voce majuſculis literis deſcripta, ab aliis diſtinxit, ut a ſtudioſis facilius animadverterentur.

Quam denique Autoris commentatiunculam ad XIIX priora commata capitis I Evangelii S. Johannis, Bibliopola voluit huic majori operi præmittere, ne parvitate ſua periret, ea jam ſuperiori anno Amſtelodami ab Henr. Wetſtenio minori forma edita, & a nobis menſe Auguſto recenſita fuit.

## *CAJETANI DE MORETTIS, CANONICI REGULARIS, Firmamentum noviſſime denudatum.*

Bononiæ, typis Petti-mariæ de montibus, 1695. in 4. Alphab. 5. plag. 10.

INter eos, qui ſtudiis ſuis nobiliſſimam ſcientiarum Aſtronomiam exornarunt, merito etiam ſuo collocandi, debitisque defraudandi non ſunt laudibus, qui inſuavem tabularum cœleſtium condendarum laborem ſubire non detrectarunt. Quanquam vero ſtrenua horum opera, quantum ad inerrantium ſtellarum motus & phænomena, primique mobilis tabulas, nihil videretur reliqui feciſſe: invenit tamen in hoc argumento clariſſimus Autor, in quo induſtriam ſuam non exigua cum utilitate Aſtrophilorum poneret. Enimvero deerant Aſtro-

Aſtronomiæ abaco adhuc tabulæ, quæ ſingularum fixarum differentias aſcenſionales, aſcenſiones deſcenſionesque obliquas, amplitudinem ortivam, ortus & occaſus, arcusque ſemidiurnos ad ſingulas poli elevationes, hoc eſt pro quibusvis Terræ locis, conſignatas exhiberent. Defunctus autem eſt præſenti opere, cujus exemplar celeberrimi *Magliabechii* beneficio ad nos pervenit, immani hoc labore Autor, eundemque publico orbis commodo invidere noluit. Et nunc quidem ejus tomum primum Lectori benevolo ſiſtimus; alterum operis complementum, quod propediem in lucem proditurum Autor pollicetur, ab ejus fide & ingenuitate expectaturi. Siſtit autem tomus præſens in limine catalogum, cum generalem imaginum ſive aſteriſmorum cœleſtium cum numero, (elegit autem 1580 fixas, P. *Vitali* notatas) magnitudine & natura ſtellarum uniuscujusque; tum ſpecialem ſingulorum, ſingulas eorum ſtellas figuratas informesque, ſingularumque magnitudines & naturam exprimentem. Sequuntur præcepta primi mobilis, pro determinandis fixarum accidentibus, quorum gratia tabulæ ſubductæ ſunt; index etiam latitudinis locorum celebriorum, & tabulæ log- & meſologarithmicæ præceptis præmemoratis inſervientes. Ipſæ fixarum tabulæ pro ſingulis ſingulæ conditæ ſunt, iisque brevis deſcriptio ſideris, & fabulæ, cui figura ortum debet, præmittitur. Latera tabularum, dextrum declinationem, aſcenſionem rectam & mediationem cœli; ſiniſtrum longitudinem, latitudinem, magnitudinem & naturam ſtellæ, inſuperque elevationis gradus ab uno, per ſingulos ad trigeſimum, vel binos ad ſexageſimum uſque, prout ſcilicet ſtellæ conditio poſtulat, referunt; areæ vero aſcenſiones, deſcenſionesque & cætera ſupra indicata, ſiderum quidem Borealium & Zodiacalium. Fixæ ſunt tabulæ ad annum 1680, & uſui eſſe poſſunt ad annum uſque 1750; ultra quem æquatione, beneficio tabularum logarithmicarum appoſitarum invenienda, opus eſt Aſtrophilo. Uſum earum præcipue aſtronomicum, aſtrologicum, geo- & hydrographicum non eſt ut hic commemoremus; cum harum rerum gnaris idem obſcurus eſſe nequeat. In gratiam tamen eorum qui aſtrologicis ſcitis & experimentis delectantur, notamus Autorem noſtrum plurimum efficaciæ tribuere ſtellis locorum verticalibus & horizontalibus. Sic converſionem rerum Luſitanicarum defectionemque ab Hiſpaniæ Rege, refert in ſtellam tertiæ magnitudinis in capite

Medu-

Meduſæ, naturæ ♄ & ♃ anno 1640 Ulyſſiponæ verticalem factam; lucidam in capite Draconis, Saturninæ, Jovialis & Martialis naturæ, Londino anno 1648 imminentē, ad feralem in Carolum Regem ſententiam concitaſſe ſubditos; dextrum humerum Aurigæ Martio-Mercurialem ſecundi honoris, per verticem plurium Italiæ urbium anno 1630 incedentem, peſtiferam cladem attuliſſe; Helicis deforme ſidus ſecundæ magnitudinis Neapoleos depopulationem; Perſei latus dextrum Saturnino-Joviale anno 1650 Pariſiis verticale, plurimum mali Ludovico Regi, & denique borealem ſtellam Urſæ majoris tertiæ claſſis Martii genii, damna non exigua ſubjectis anno 1643 Venetiis intentaſſe memorat.

*COLLECTIO MAXIMA CONCILIORUM OMNIUM HISPANIÆ & Novi Orbis, epiſtolarumque decretalium, nec non plurium monumentorum ad illa ſpectantium, cum notis & diſſertationibus, quibus S. canones, hiſtoria diſciplinaque eccleſiaſtica & chronologia illuſtrantur. Tomus I. Cura & ſtudio JOSEPHI SAENZ DE AGUIRRE S.R.E. PRESB. CARDINALIS,*

Romæ, typis Jo. Jac. Komarek, 1693. in fol.

Conſtat alphab. 8. plag. 12.

MAgnum opus longisque multorum annorum deſideriis expectatum, jam demum in Lectoris Benevoli conſpectum producimus. Ex quo enim inſtituti, nunc tandem ad finem omnibus exoptatum feliciter perducti, cognitionem ad literariæ reipublicæ cives proceresque, impreſſa Salmanticæ anno 1686 *Conciliorum Notitia*, pervenire Eminentiſſimus Autor voluit (quæ & a nobis in Actis Erud. anni 1688 p. 71 optima fide fuit repræſentata) nemo rerum eccleſiaſticarum paulo ardentior fuit amator, qui vitam, vires & otium vaſto huic operi perficiendo neceſſarium, Viro occupationibus Aulæ, inter Europæas facile negotioſisſimæ, ſatis præpedito non precaretur. Cujus voti cum tandem damnati ſimus propitiis fatis, ita ut manibus contrectare utilisſimum opus nunc liceat, ejus primum tomum Lectorum noſtrorum oculis jam duximus ſubjiciendum, dilata reliquorum repræſentatione in menſes proxime ſecuturos.

Non poſſumus autem non ſub initium ſtatim Lectores noſtros monere, mutata paulum animi ſententia, non omnia illa monumenta,

quorum

quorum editionem in *Notitia Conciliorum* pollicitus fuerat, operi iſti inſeruiſſe Eminentiſſimum Autorem. Sed viſum illi fuit pleraq; iſtorum amandare in aliud opus, tum quod, ut ipſe loquitur, minus opportuna fuerint præſenti inſtituto, tum etiam quod illis capiendis vix quinque ingentia volumina ſufficere potuiſſent. Rerum quoque ordo ab eo, quem olim animo conceperat, nonnihil eſt immutatus. Cum enim in exhibendis Hiſpaniæ conciliis ad annum uſque 569 procedere deberet ex veteri inſtituto tomus primus, ultra concilium Eliberritanum ille non progreditur, imo quædam ad illa tempora adhuc pertinentia in tomum II differuntur.

Ut vero rectius tomi hujus primi œconomia pateat, ſciendum, poſt Præfationem, qua operis rationem reddit, & pernicioſam *probabiliſmi* doctrinam nata ſibi forte occaſione impugnat, (quam etiam ipſum Sfortiam Pallavicinum, magnum ejus quondam defenſorem, relicto authentico retractationis ſuæ teſtimonio Nicolao Mariæ Pallavicino, tandem condemnaſſe ait;) veterem Garſiæ Loaiſæ exhiberi Præfationem, ut & rariſſimam Antonii Auguſtini ad Hieron. Blancam de rebus Cæſarauguſtæ Epiſtolam, & de Conciliis Hiſpaniæ ineditis Dialogum. Succedunt deinde Gaſparis Quirogæ Cardinalis & Toletani Archiep. & Jo. Bapt. Perez Segobricenſis Epiſcopi de Conciliis Hiſpaniæ Epiſtolæ; Chronologia porro hactenus inedita Conciliorum Hiſpaniæ uſque ad Hiſpaniam a Saracenis occupatam, & alia Gotthorum Regum ſub quibus concilia iſta celebrata fuerunt, ex pluribus codicibus conciliorum MSS. & ex inedito D. Iſidori de Gotthis libro, ac Vulſæ Epiſcopi chronico, veteribusque nummis concinnata. Adjicitur iſtis Catalogus Pontificum Romanorum, qui ad medium uſque ſeculi IIX Petri, & alius Præſulum, qui prioribus ſeculis Toletanam cathedram tenuerunt. Hæc excipit novus Cardinalis ad Concilia Hiſpaniæ Apparatus, quo Præfationis & Collectionis Iſidorianæ Conciliorum & Decretalium Epiſtolarum, ad Hiſpaniam imprimis ſpectantium, prolixum ſatis examen inſtituitur. Quod cum præcipuam fere tomi hujus partem conſtituat, veniam Lector dabit, ſi ei pauliſper immoremur.

Abit Apparatus ille in tres partes, in quarum prima novem diſ- p. 27.
ſertationibus Præfatio Iſidori in ſuam Canonum & Conciliorum Collectionem illuſtratur. Cum vero Collectio illa a pluribus eruditis inſigni illi deceptori Iſidoro Mercatori hodie tribuatur; Hiſpalenſi

Iſidoro argumentis, ut ait, ἀναντιῤῥήτοις eam vindicaturus Autor noſter, neminem inter Iſidoros, ſive Græcos ſive Latinos, de quibus erudite diſſerit, extitiſſe, cui Mercatori dicto Collectio hæc tribui poſſit, probare nititur. Quód enim Iſidorum, Setubenſem ſub finem ſeculi IIX Epiſcopum, Mercatorem cognominat Chronicon Juliani, nullius ponderis eſt: nullam enim eſſe illius Chronici auctoritatem, poſt alios viros doctos aliquot argumentis denuo evincit. Iſidorum itaque Hiſpalenſem autorem illius Collectionis eſſe concludit, non quidem totius, ſed ad Concilium uſque Hiſpalenſe; quemadmodum eum nec Epiſtolarum omnium collectorem eſſe certum ſit, ſiquidem illas, quæ a Gregorii ſucceſſoribus ſunt, alium addidiſſe oporteat; imo nec Præfationem totam ab eo eſſe, ex § illius 18 pateat. Priorem itaque ſaltem & potiorem partem ab eo eſſe, primum ex Vaticano 830 annorum codice Collectionis Iſidorianæ probat, in quo ISIDORI EPISCOPI adſcripto nomine Præfatio inveniatur; quæ etiam ad verbum in Iſidori Etymologiarum VI. 6. exhibeatur, niſi quod § 1 fuerit omiſſus. Accedere, quod eodem in loco Etymologiarum, cum de quatuor conciliis generalibus locutus eſſet Iſidorus, de reliquis poſtmodum nonnulla addat, *eorumque geſta in hoc corpore condita contineri* dicat. Indeque manifeſtum Autori noſtro videtur, collegiſſe Iſidorum omnia concilia eouſque approbata, quæ certe in eo volumine exſcribenda curaverit; ut proinde alii ſupervenientes nova ſolum poſt mortem ejus celebrata addiderint. Omittimus quæ ex Braulionis de Etymologiis Iſidori loquentis loco pro hac cauſa adducit; levibus enim conjecturis ea niti, ipſe fateri cogitur. Cum autem inquit Braulio: *ſunt & alia ejus viri multa opuſcula* &c. nihil vetare exiſtimat, quo minus ad illa referatur iſta Collectio, præſertim cum teſte Joanne Grial, Cyprianus Suarez invenerit in ipſa Prænotatione Braulionis, in antiquo quodam codice hæc verba: *In canonico quoque & civili jure permaxima compoſuit inſtrumenta*; quibus Collectionem illam canonum, pariter ac apud Sigebertum per librum de *Dogmatibus Eccleſiaſticis*, quem is Iſidoro in libro de Viris illuſtribus tribuit, ſignificari contendit. Præcipue autem inniti videtur Hincmari Remenſis autoritati, qui cap. 12 ep. VII expreſſe Hiſpalenſi Iſidoro Collectionem Epiſtolarum Pontificum Romanorum a S. Clemente uſque ad B. Gregorium tribuat. Imo & paulo poſt obitum S. Iſidori, & ducentis circiter ante Hincmari

p. 34. p. 36. p. 37. p. 38.

æta-

ætatem annis celebres fuiſſe Epiſtolas, hinc patere putat, quod Patres Toletani Concilii X, A. 656, & XVI, A. 693 ad quasdam earum reſpicere videantur. Reſpondet poſtea doctiſſimorum criticorum, qui aliter ſentiunt, objectionibus, quæ ſingulatim exequi ſine prolixitatis vitio licere non arbitramur, p. 41.

Secunda partis hujus primæ diſſertatio de Canonum Collectionibus Iſidoriana antiquioribus agit. Apta hic naſcitur, occaſione Dionyſii Exigui, qui 50 Canones Apoſtolorum Collectioni ſuæ inſeruit, de ſententia Iſidori circa illos loquendi opportunitas. Hos enim cum in Præfatione Collectionis, prout ea in vulgatis editionibus habetur, probare videatur Iſidorus, cum tamen alibi eos ad apocrypha rejiciat, exiſtimat Autor, ea verba fuiſſe aſſuta ab alio interpolatore ſeu corruptore germanæ Præfationis ab Iſiodoro editæ. Prolixius illa materia tractatur tota diſſertatione III, ubi & de auctoritate Canonum illorum Apoſtolicorum, propoſitis & excuſſis in utramque partem argumentis, prolixe & accurato ſtudio diſceptatur. Diſſertatione IV, occaſione verborum Præfationis Iſidorianæ; *deinde quarundam epiſtolarum decreta virorum Apoſtolicorum inſeruimus: id eſt, Clementis, Anacleti* &c. Epiſtolarum Pontificum Rom. ad Hiſpanos præſertim ſcriptarum examen inſtituitur. Epiſtolis illis neminem ante annum 860 litem intentaſſe Autor tradit, quin potius in ſumma eas apud omnes fuiſſe veneratione, ita ut Riculphus etiam Moguntinus Epiſcopus eas ab Iſidoro Hiſpalenſi collectas, & ex Hiſpania allatas deſcribi, ac in Germania vulgari, teſte Hincmaro Remenſi in Opuſculo ad Hincmarum Laudunenſem c. 24, coll. ep. 7 c. 12, curaverit. Imo etiam antequam a Riculpho in Germaniam accerſerentur illæ epiſtolæ, in Galliis jam notas fuiſſe; ſiquidem præcipuæ illarum, & ob quas potiſſimum impetantur, ſententiæ, inveniantur totidem pene verbis inter Capitula Hadriani I Papæ (tomo VI Collect. Concil. Labbeanæ fol. 1828) ab Ingilramno Mediomatricum Epiſcopo in Gallias translata circa annum 785, adeoque biennio ante Riculphi epiſcopatum. Horum manuſcriptum, literis Gallicis Nicolai I temporibus exaratum, in Bibliotheca Vaticana etiam extare, & ex illis ipſis in Capitularia Regum Francorum pleraque translata fuiſſe: quod argumento denuo ſit, in pretio fuiſſe apud Gallos decretales illas epiſtolas. In tranſitu hic quaſi exploditur Petri de Marca error, qui judicia Synodorum Provincialium

p. 42. p. 46. p. 52. p. 69. p. 70.

irreformabilia eſſe contenderit. Sed ut ad rem redeamus, conſtare hac ratione arbitratur Reverendiſſimus Autor, ad ſeculi uſque IX dimidium inconcuſſam ſtetiſſe harum epiſtolarum autoritatem, donec inclinante eodem ſeculo Hincmarus Remenſis eam, quod appellationi Rhotadi Sueſſionenſis & Hincmari Laudunenſis ad Pontificem Roma-
p. 71. num faverent, ſolicitare tentaverit. Nec illum tamen plane eas rejicere auſum fuiſſe, utpote quas *ſuſcipiendas eſſe ad inſtructionem venerabiliter* dicat, ſed eas ſolum infra autoritatem ſacrorum canonum collocaſſe. Iſta vero procella transacta, non tantum a Pontificibus ſequentis ævi Leone IX & Innocentio III, ſed ab omnibus ſcriptoribus eccleſiaſticis, canonumve collectoribus, Anſelmo, Ivone, Gratiano, & aliis, qui recenſentur, quamplurimis, Epiſtolas illas Iſidorianæ colle-
p. 72. ctionis allegatas fuiſſe. Examinantur in ſequentibus Magdeburgenſi-
p. 74. 77. um, Petri de Marca, Hincmari Remenſis & aliorum contra has epi-
p. 81. ſtolas argumenta, quarum γνησιότης porro ex Capitulis Hadriani I Papæ, notisque ad ea Antonii Auguſtini, quem perperam pro ſua opi-
p. 83. nione P. de Marca & Phil. Labbe allegaverint, oſtenditur. Quamvis autem autoritatem harum Epiſtolarum tueatur Reverendiſſimus Autor, negare tamen non poteſt, pleraſque earum interpolationibus
p. 85. aliiſque defectibus miſere eſſe deformatas. In corruptionum illarum autorem peculiari capite inquirit, quem neque Iſidorum illum Mercatorem, neque Setubenſem eſſe, ex Diſſ. I manifeſtum putat. Theodisclo Iſidori Hiſpalenſis ſucceſſori ut eas tribuamus, Ildephonſum Toletanum forte perſuadere poſſe ait, qui alia quoque anteceſſoris ſui
p. 86. ſcripta eum in odium fidei turpiter corrupiſſe dicat. Verum cum ille locus Ildephonſi in Continuatione ad Chronicon Iſidori quædam minime cohærentia & falſa contineat, eum ab aliquo ſciolo aſſutum, adeoque parum conjecturæ ei innixæ fidendum eſſe, perſuaſum Autor
p. 87. habet. Et reliquis quidem omnibus contra illam Ildephonſi narrationem objectionibus, quæ ſuſpectam eam reddunt, forte reſponderi poſſe monet; illam autem inſuperabilem videri, quód dicatur Theodisclus Chriſtum cum Patre & Spiritu S. non unum verum Deum, ſed adoptivum ſolum ſtatuiſſe; id quod omnino falſum ſit. Nec ullam Theodiscli ſeculo VII reperiri mentionem, ne in Iſidori quidem Pacenſis Chronico, in quo Hiſpalenſium Epiſcoporum res, ab initio fere ſeculi VII uſque ad medium octavi, ex inſtituto enarrentur. Iſtam itaque de

Theo-

Theodiſclo narrationem, adulatoris cujusdam Toletanorum Præſulum eſſe aſſumentum, qui duodecimo ſeculo in exemplar Continuationis S. Ildephonſi ad Chronicon S. Iſidori illud intruſerit. Ignotum autem eſſe interpolatorem harum epiſtolarum tandem concluditur, & huic diſſertationi, poſtquam Binii quoque ſuffragia pro illis allata fuisſent, finis imponitur. p. 88.

Diſſertatio V tota Petro de Marca & Stephano Baluzio opponitur, qui illis epiſtolis antiquatos fuiſſe ſacros priſcæ Eccleſiæ Canones, & novum jus obtruſum exiſtimant, ille L. 3. de Conc. Sacerd. & Imp. cap. 5, hic in Præfatione Dialogis Antonii Auguſtini, anno 1672 Pariſiis cum notis ab eo editis, præmiſſa. Solicite hic Patribus IIX & IX ſeculi ignorantiæ & negligentiæ labes, qua eos Baluzius præcipue adſperſerat, detergitur, opponunturque ei Patres horum temporum eruditione non minus quam zelo pro eccleſiæ diſciplina conſpicui, Gregorius II Papa, Beda, Damaſcenus, Andreas Cretenſis, Agobardus, Servatus Lupus, Ado Viennenſis, Hincmarus Remenſis & alii, qui longo ordine recenſentur. Deinde & Autori errare videtur Baluzius in eo, quod primum omnium Ingilramnum Metenſem Archiepiſcopum contra divinos Canones jus antiquum convellere auſum fuiſſe dicit, *quando pro ſui cauſa agebatur*; interpoſita nimirum appellatione ad Hadrianum I Papam, & oblatis ipſi Capitulis collectis ex novitiis veterum Pontificum Epiſtolis. Multo enim, inquit Noſter, antea Hadrianus Capitula prædicta tradiderat Carolo Magno, anno ſcil. 774, quod conſtat ex T. VI Collect. Labb. Concil. col. 1800. Deinde autem multis poſt annis idem Hadrianus tradidit Capitula Ingilramno anno 785, *quando pro ſui negotii cauſa agebatur*; ut habetur tomo citato VI col. 1828: ut diu adeo ante litem Ingilramni, inductum fuerit jus Baluzii opinione novum. Omnium inde illorum ſeculorum Pontificum hiſtoriam percurrit, & ſub illis nihil tale commiſſum, quale cum Marca Baluzius objecerit, oſtendit. In ſpecie vero ſub Nicolao I ex iſtarum Epiſtolarum Collectione novum obtruſum jus haud fuiſſe, diſſertatione VI tota probare nititur, Nicolaique in cauſa Rhotadi & Hincmarorum procedendi modum e Cabaſſutio potiſſimum vindicat. Jus enim Epiſcoporum appellandi ad Sedem Apoſtolicam a Synodis Provincialibus, in hisce Epiſtolis, præcipue vero Melchiadis Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ſtabilitum quod attinet; non novum illud fuiſſe, Autor diſſertatione VII con-

p. 91. p. 92. p. 94. p. 97. p. 103. p. 105.

contendit; utpote quod ipſe, alieno licet ab Eccleſia Romana animo, agnoſcat, iſtudque appellationis forum Occidentalibus Epiſcopis concedat Balſamon, in nota ad Canonem III Sardicenſem. Orientales vero etiam ad ſedem Romanam appellare ſolitos fuiſſe, ex Montani, Floriani & Blaſti hiſtoria apud Euſebium H. l. 5, c. 15. & 18, ut & Praxeæ apud Tertull. l. 1. adv. Praxeam, patere ſibi perſuadet. Prolixi eſſemus nimis, ſi omnia hujus rei exempla & teſtimonia ab eo allata recenſeremus.

p. 110. Inſiſtit tamen præcipue Canoni IV Concilii Sardicenſis, quem ſemper Pontifices, qui poſt illud Romanam ſedem tenuerunt, in praxi ſua obſervaſſe oſtendit. Indeque merito etiam Nicolaum I contra Hincmarum Remenſem, qui in Rhotadi Romam appellantis locum, alium ordinaverat, eum tueri, non vero novum, ut Baluzius putet, jus invehere voluiſſe tradit.

p. 117. Diſſertationi octavæ materiam ei dedere verba Præfationis Iſidori, quibus Capitulorum Concilii Nicæni numerum vicenario majorem facere videtur; quod cum eruditorum fere omnium opinioni contrarium ſit, utriusque partis, tam Iſidori ſcilicet, quam eorum qui aliter

p. 118. ſentiunt, argumenta proponit. Et Iſidori quædam levia quidem eſſe fatetur, firmiora tamen etiam nonnulla ipſi videntur, quæ confirmat,

p. 124. & nova aliqua illis addit. Inter poſtrema inſuperabile fere eſſe judicat, quod ex Julii I & Leonis I Pontificum Romanorum duabus epiſtolis depromit. In priori enim, quam referat Athanaſius in Apologia II, Julium meminiſſe decreti cujusdam Concilii Nicæni, de prioris concilii actis in poſteriori concilio examinandis, indeque probare, rite ſuſceptam fuiſſe a ſede Apoſtolica cauſam Athanaſii, poſt judicium Tyriæ Synodi. At nihil ejusmodi legi inter XX Canones Nicænos nunc extantes; unde alium ab iis Canonem initio Nicææ editum fuiſſe pateat; quod & allegata Leonis epiſtola, quæ ſcripta ſit ad Theodoſium Juniorem, confirmet, utpote in qua eadem e Nicænis Canonibus allegentur. Equidem reſpondet ad poſteriorem locum Petrus de Marca, nomine Canonum Nicænorum intelligi Sardicenſes; verum obſtare illi exceptioni epiſtolam Julii Autor monet, quæ plane eundem Canonem citet, & ne effugiis locus ſit, in MAGNA SYNODO eum Nicææ ſancitum dicat, quo nomine ſolam Nicænam Synodum apud veteres vocari nemo ignorat. Ut taceamus expreſſe a Leone quoque nominari *Canonum Nicea habitorum decreta*, quæ *a totius mundi Sacerdotibus conſtituta*

*ſtituta ſint;* quod itidem in Sardicenſem Synodum neutiquam quadrare Autori videtur. Ne autem Julius etiam erraſſe dicatur, pro Sardicenſi Concilio Nicænam allegans, appellationem Athanaſii ad eum, cujus occaſione epiſtolam illam ſcripſerit, ante Sardicenſem Synodum factam fuiſſe, ex Theodoreti H. E. L. 2. c. 4. aliisque argumentis oſtenditur. Præterimus alia antiquitatis teſtimonia, quibus verum numerum Nicænorum Canonum vicenario majorem fuiſſe probare nititur, (licet ſuppoſititios canones a Turriano & Abrahamo Echellenſi reliquis ex Arabico adtextos rejiciat) ut & ea quæ de judiciis Provincialium Synodorum contra Petrum de Marca prolixius diſſerit: ad ultimam enim primæ hujus Apparatus partis diſſertationem pergendum. p. 125. p. 126. p. 127. p. 129.

In ea de Conciliis Hiſpaniæ, prioribus tribus ſeculis a Jacobi Apoſtoli diſcipulis congregatis, agere conſtituit. Cum enim nec in Iſidorianæ Collectionis ullo manuſcripto, aliquod Eliberritano antiquius Concilium invenerit Garſias Loaiſa, nec in editis ullis Collectionibus tale compareat; & tamen nonnulli eorum, qui poſt annum 1594 Hiſpaniæ res deſcripſerunt, plurima, Toleti præſertim & Hiſpali ante illud celebrata commemorent; operæ pretium viſum fuit, in horum hiſtoriam inquirere. Et primo quidem de Concilio, quod Illiberi ſub Aloto Neronis judice ſeculo primo coactum Lucius Dexter ait, agitur, ut & de alio in Cherronenſi urbe prope Valentiam eodem ſeculo habito. De illis tamen Conciliis, præter Dextri Chronicon, nulla allegari monumenta videmus, quod licet ipſi Reverendiſſimo Autori ſit ſuſpectum, ob Neronianæ tamen perſecutionis in Hiſpaniis tum ſævientis, (teſte notiſſimo Hiſpaniæ marmore, Neroni *ob provinciam latronibus, & his, qui novam generi humano ſuperſtitionem inculcarant, purgatam* ſacrato,) furores, firmandæ fidei gratia concilium fuiſſe coactum, non improbabile illi videtur. Cum vero a Jacobi diſcipulis concilia illa celebrata Lucius Dexter addat, iſta occaſione ad examinandum Jacobi in Hiſpanias adventum delabitur, quem conſtanti Patrum a ſecundo ad XIII ſeculum traditione ex inſtituto confirmat. Dubitaſſe quidem de illo Jacobi ad Hiſpanos Apoſtolatu ipſum Baronium in Annalibus fatetur (licet antea in Martyrologio eum confirmaſſet) ſed iis præcipue ſeductum, quæ apud Garſiam Loaiſam de contentione inter Rodericum Toletanum Archiepiſcopum ab una, & Braccarenſem, Tarraconenſem ac Compoſtellanum Archiepiſcos ab altera p. 134. p. 136. p. 137-149.

parte

parte, in Concilio Lateranenſi generali anno 1215 celebrato, circa primatum eccleſiarum Hiſpaniæ, relata vidit, in qua Rodericus illum Jacobi in Hiſpanias adventum negaverit. Verum Baronianum iſtud fundamentum jam evertit, totamque illam concertationem confictam eſſe oſtendit, præter Franciſcum Macedo, Marchio Mondexarenſis, libro anno 1682 Hiſpanico idiomate in lucem edito *de Prædicatione S. Jacobi in Hiſpania*. Nec quicquam poſt Baronium attuliſſe Natalem Alexandrum Eminentiſſimus Autor exiſtimat, ad quod in modo
p. 153. laudato opere reſponſum non fuerit. Repetit tamen interea ejus pariter ac reliquorum adverſariorum objectiones præcipuas, & reſpon-
p. 159. ſiones ad illas ſolicite ſubnectit. Quo facto ad Concilia primorum ſeculorum, de quibus agere cœperat, redit; de quibus tamen cum ex aliis monumentis, quam ſuſpectis Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, Juliani Perez, & Hauberti Hiſpalenſis Chronicis, ipſo agnoſcente nihil conſtet, non eſt, cur illis ulterius immoremur, quin ad ſecundam potius Apparatus partem tranſeamus.

Hæc tota vindicandis & illuſtrandis ſummorum Pontificum Iſidorianæ collectionis ad Hiſpanos epiſtolis, quas una exhibet, impenditur. Abſolvitur autem diſſertationibus quinque, quarum prima, quæ decima eſt numeratis omnibus Apparatus diſſertationibus, Anteri
p. 168. Papæ ad Bæticæ & Toletanæ provinciæ Epiſcopos literæ, contra criticos modernos, Ferdinandum imprimis Mendozam, qui lib. 1 in Concil. Eliberit. c. 3 eas impugnavit, defenduntur. Cumque in illis translatio Epiſcoporum ab una ſede in aliam ſtabiliatur (unde etiam Emmanuel Schelſtratius argumentum ad impugnandas illas deſumſit, quod totis novem prioribus ſeculis conceſſam eam haud putet fuiſſe) occaſio in-
p. 174. de Autori naſcitur tota differt. XI de illa translatione agendi, quam, niſi temere fiat, licitam tum fuiſſe, exemplis ex Auxilio, Nicephoro, Tole-
p. 184. tanoque concilio X, XII & XVI petitis, ut & ex quamplurimis ſeculi VII Canonibus & Decretis Romanorum Pontificum confirmare nititur. Diſſertatione vero XII de translationibus Epiſcoporum, ambitione aut avaritia ſuadente factis agit, quas quam tum Anteri literæ, tum alii quoque Eccleſiæ Canones ſevere prohibeant, fuſe demon-
p. 190. ſtratur. Id quod ex doctrina Romanæ Eccleſiæ de conjugio ſpirituali Epiſcopi cum ſua Eccleſia confirmatur, cauſis indicatis quæ
p. 206. legitimam translationem reddere queant. In diſſertatione ſequenti

ti XIII, Lucii epiſtola ad Galliæ & Hiſpaniæ Epiſcopos vindicatur. Difficillimum eſt, quod ei opponitur ex ſubſcriptione argumentum; ad quod tamen ita reſpondet Autor, ut cum Chronotaxi tam Baronii quam Onuphrii Panvinii & aliorum eam conciliet, ſive ſecundum ſive tertium Galli & Voluſiani Conſulatum pro hypotheſium diverſitate in illa intelligens. In diſſertatione denique XIV, de Baſilidis & Martialis cauſa, ex Cypriani epiſtola ad Felicem Presbyterum & Lælium Diaconum, primum agit, de qua prolixe Baronii verba allegat; in quo tamen non probat, quod Felicem Cæſarauguſtæ faciat Epiſcopum, quem *Felicem* quidem *de Cæſarauguſta* in allegata epiſtola Cyprianus vocaverit, non Epiſcopum tamen, ſed Presbyterum dixerit. Manifeſte enim duos Felices a Cypriano diſtingui, quorum ille quem *de Cæſarauguſta* dicit, non niſi ejus urbis Presbyter fuerit, alter vero Legionenſis forte vel Aſturicenſis Epiſcopus, propterea, quod cum Sabino in Baſilidis & Martialis locum, quorum ille Legionenſem, hic Aſturicenſem ſedem, antequam condemnarentur, tenuerant, ſurrogatus fuiſſe videatur. Porro epiſtola Cypriani allegata cum paucis quibusdam notis exhibetur, cui Xyſti II, Dionyſii, & Eutychiani ad res Hiſpaniæ pertinentes epiſtolæ ſubnectuntur vindicanturque. De poſtrema fatetur, eam, prout nunc jacet, nonniſi difficillime defendi poſſe; ſcriptam tamen ab Eutychiano contra hæreſin Pauli Samoſateni probabile eſſe putat; tametſi nec id inficiatur, vehementem ſuſpicionem eſſe, quod interpolata poſtmodum ab alio fuerit. p. 205. p. 225.

Apparatus denique pars tertia ea, quæ Ordinem in Conciliis Hiſpaniæ ſervatum, Viam item Regiam, & Exhortationem ad Regem, quæ tria in Collectionibus Conciliorum tum manuſcriptis, tum excuſis, præmitti ſolent, exhibet; quæ unica & decima quinta quidem diſſertatione a Reverendiſſimo Autore illuſtrantur.

Apparatu hac ratione finito, Ferdinandi Mendozæ, (qui delicatius licet a parentibus, Joanne Hurtado de Mendoza & Agnete a Ribera, Ducibus *del Infantado* & *de Alcala* progenitis, eſſet educatus, ad ſummum tamen eruditionis pervenit faſtigium, diſputationibus de Pactis anno 1586 editis & ab eo juvene admodum conſcriptis etiam clarus) de concilio Illiberritano confirmando ad Clementem VIII Libri tres exhibentur integri. Illis præter Garſiæ Loaiſæ in idem Concilium notas, Biniique, Gabrielis Albaſpinæi, & Emmanuelis Gonzalez Tel- p. 241.

lez obſervationes, quæ jam olim typis excuſæ fuerunt, etiam novæ Autoris noſtri adjiciuntur. Finire ſic liceret noſtram de primo hoc tomo relationem, niſi ex poſtremis ſpecimen aliquod menſæ quaſi ſecundæ loco Lectoribus noſtris apponendum eſſe cenſeremus.

p. 295. Inter Epiſcopos itaque, quorum nomina Illiberritano Concilio præmittuntur, primo ſtatim loco comparent Felix Accitanus, & Sabinus Hiſpalenſis Epiſcopi. Eſſe illos eosdem cum iis, quorum in paulo ante memorata epiſtola ſua mentionem fecit Cyprianus, Binii fert ſententia. Verum aliter Autori noſtro videtur. Illos enim in Legionenſi & Aſturicenſi Epiſcopatibus Baſilidi & Martiali libellaticis ſubrogatos fuiſſe. Quomodo autem, inquit, credi poteſt, eosdem fuiſſe poſtea translatos ad Accitanam & Hiſpalenſem Eccleſiam? Nec enim illo tempore in occidentali Eccleſia translationem illam fuiſſe in uſu, nec aliquam illo tempore hujusmodi translationis deprehendi neceſſitatem; nec probabile eſſe, duos illos viros, Cypriani ætate ordinatos Epiſcopos, ad annum uſque CCCIII, quo celebratum fuit ex mente

p. 303. ejus hoc Concilium, vitam extendiſſe. Patricium Malacitanum Epiſcopum, cujus nomen inter eos, qui Concilio huic ſubſcripſerunt, et-

p. 309. iam extat, eundem cum Patricio celebri Hibernorum Apoſtolo exiſtimantes, miſeratione potius quam refutatione dignos eſſe monet. Theodiſclum illum, cui tribuitur falſatio Iſidoriani de Scriptoribus Eccl. libri, & inter alias ea quoque, quæ ad denigrandam Oſii famam in eo reperitur, nunquam extitiſſe, ſupra Autor docuerat. Illam igitur de Oſio ejusque exitio miſerabili fabulam a Marcellino ſchiſmatico inventam videri putat, poſteaque in librum Iſidori irrepſiſſe. Id vero prætereundum minime arbitramur, quod Autor candide moneat, frau-

p. 321. dibus & falſationibus innumeris ſcatere Pſeudo-Chronica illa Dextro, Maximo, Helecæ, Luitprando & Juliano Perez a *P. Hieronymo Roman de la Higuera*, omnium illorum artifice & totius Eccleſiaſticæ Hiſpaniarum Hiſtoriæ, quantum in ipſo fuerit, corruptore ſuppoſita. Quemadmodum & in *Tamayum de Salazar* invehitur, qui ex turbidis illis & fæculentis lacunis figmenta innumera in Martyrologium ſuum Hiſpanum derivaverit; imo qui non contentus aliena venditare commenta, de ſuo plurima adjecerit, & Maximo aliisque viris graviſſimis affinxerit ſcripta, quæ tamen partim ab ipſo, partim ab aliis ejus convictoribus in domo illuſtriſſimi D. Didaci de Arce Reynoſo, absque ullo inge-

ingenio compoſita fuerint. Sed ut ad alia progrediamur, ſubdubitaverat Mendoza in Commentariis ad Canonem Iliberitanum 33, an Paphnutius ille, qui in Concilio Nicæno iis indulſit uſum matrimonii, qui nuptias rite contraxerant ante ſacrum ordinem ſuſceptum, cum eo, qui poſtea in hæreſin Meletianorum lapſus eſt, teſte Epiphanio Hær. LXIIX, idem ſit. Diverſos exiſtimat Autor, quod nihil eorum, quæ de illo Ruffinus, Theodoretus, Sozomenus & Nicephorus narrant, de hoc ab Epiphanio referatur. In nota ad Canonem Iliberitanum 34, ubi de cereis in cœmeteriis per diem non incendendis agitur, docte oſtendit, ante ſeculum undecimum in templis cadavera fidelium non fuiſſe ſepulta, ne ipſorum quidem Regum & Imperatorum, & de cereorum quoque ad eorum ſepulcra uſu differit. Contra Joannem Morinum, qui l. 8. c. 23. de Sacram. Pœnit. adductis aliquot Patrum locis, Sacramentum iſtud a Diacono in neceſſitatis caſu adminiſtrari poſſe exiſtimat, oſtendit loca illa Patrum nihil aliud probare, quam quod abſente Sacerdote & urgente extrema neceſſitate, ex delegatione Epiſcoporum audiverint lapſorum confeſſiones quandoque Diaconi, non ut illos abſolverent, ſed ut veram eorum contritionem explorarent, qua cognita in articulo mortis pacem ipſis dare ac ſubinde Euchariſtiam adminiſtrare potuerint. p. 524. p. 535. p. 729.

Cæterum ſicut diſciplinæ eccleſiaſticæ Reverendiſsimus Autor eſt ſtudioſiſſimus, cujus reſtaurationem hoc opere præcipue animo agitaſſe videtur: ita nullus Hierarchiæ gradus eſt, qui ſua paſſim hic non inveniat monita. Duo ſaltem adhuc, quæ Miſſionarios ſpectant, loca allegare liceat, quorum altero reprehendit eos, qui ξηροφαγίαν quadrageſimalem orientalium eccleſiarũ improbare ſuſtinent; altero eos, qui nimium faciles ſunt in admittendis ad baptiſmum infidelibus nondum ſatis inſtructis. Sed jam ſatis eſt. De illo tamen quo minus Lectores noſtros adhuc moneamus, impetrare a nobis non poſſumus, quod trium librorum Bibliothecæ Hiſpanæ Nicolai Antonii, qui inediti adhuc apud Autorem extant, propediem editionem ſperare nos jubeat. p. 464. p. 588.

## *APOLOGIA PRO ACTIS SANCTORUM CONTRA ADM. R. P. Sebaſtianum a S. Paulo, Provincialem Carmeli Flandro-Belgici. Auctore* CONRADO JANNINGO, *e Societate JESU.*

R 2 Ant-

Antuerpiæ, apud Henricum Thieullier, A. 1695. in 8.
Conſtat plag. 11½.

ETiamſi, qui Acta Sanctorum jam ab annis bene multis ſingulari ſtudio illuſtrant, Societatis JESU Patres, multis ſe ſubinde dictis pariter ſcriptisque contrariis impetitos ſenſerunt; diu tamen ad ea tacendum ſibi rati ſunt, præcipue, cum hanc eorum mentem ſuffragia illuſtrium Virorum non pauca confirmarent. Aſt primus tandem rumpere ſilentium inſtituit Conradus Janningus, quem poſt deceſſum Henſchenii a clariſſimo Papebrochio ſocium laboris aſſumtum eſſe, dudum in Actis noſtris A. 1689. p. 58. indicavimus. Ordinis nempe Carmelitani in Belgio Provincialis, P. Sebaſtianus a S. Paulo, Romam A. 1683 ad Innocentium XI tranſmiſerat *Libellum Supplicem pro origine & antiquitate Ordinis Carmelitarum, variisque illius hiſtoriis*, eum quidem potiſſimum in finem, ut quereretur de Daniele Papebrochio, qui Bullas Pontificum in favorem illius Ordinis publicatas, tanquam commenta & impoſturas exploderet. Verum cum nihil obtinuiſſet hic libellus, ſecuta eſt poſt decem annos ab eodem concinnata *Exhibitio errorum*, quos in Sanctorum Actis Papebrochius commiſerit. Acceſſit etiam *Motivum juris* pro hac Exhibitione, Motivumque inſuper *Appendicem* peculiarem nactum eſt. Cuncta autem hæc Innocentio XII. Eccleſiam Romanam hodienum moderanti Auctor obtulit. Singulis ergo quædam oppoſuit Janningus, & Libello quidem Supplici *Inſtructionem* ſuam *brevem*, Exhibitioni errorum *Epiſtolam familiarem*, Motivoque juris *Expoſtulationem amicam*. Quæ omnia uno hoc volumine complecti, & quodam, ceu appellat, *Poſt-Scripto* ad Appendicem Motivo juris annexam directo, augere ipſi placuit.

In *Brevi Inſtructione* ad Libellum Supplicem, quæ primo loco heic comparet, Janningus ante omnia vindicat ſilentium, quod Patres Acta publicantes circa antiquitatem & originem Ordinis Carmelitarum tenuerint, ubi ad S. Bertholdi primi Carmelitarum, quem ipſi ita nuncupent, Prioris Generalis Acta perveniſſent. Provocatos tamen eos per P. Franciſci Bonæ Spei *Hiſtorico-Theologicum Carmeli Armamentarium*, rationes ſilentii Tomo I. Aprilis pag. 769 ſeqq. expoſuiſſe notat. Quo ipſo a ſuis, quos defendendos ſuſcepit, declinat factam in Libello Supplice imputationem, quaſi ipſi primum offenſionis lapidem poſuiſſent. Cæterum a Papebrochio, per minorem reverentiam Bullis aliquibus

quibus delatam, lædi negat majeſtatem Pontificiam, cum iſtas apocryphas eſſe pridem demonſtraverit. Libelli Supplicis Auctorem, dum ex Bulla Papali hæc verba pro ſe alleget: *Carmelitas ſanctorum Prophetarum, Eliæ, Eliſæi, & Enoch ſucceſſionem hæreditariam tenere*; non obſcure Carmelitici Ordinis inſtitutorem ait conſtituere ipſum, qui ſeptimus ab Adamo fuit, Enochum, & adeo longius adhuc tranſcendere Eliæ tempora. Nihil facere ad evincendam antiquitatem Officia Eccleſiaſtica per ſacram Congregationem Rituum aut permiſſa aut approbata; cum nihil certe impediat, quo minus falſum ſubeſſe poſſit hiſtoriis ſub tali approbatione legi permiſſis, aut eruditis circa illas diſputare liceat: uti v. g. Congregatio patiatur, quæſtionem agitari de Dionyſio, Pariſienſium patrono, an ſcilicet is idem ſit (quod Breviarium Romanum manifeſto aſſerat ad d. 9. Octobris,) cum Areopagita, an vero diverſus? uti & de aliis, quæ allegat, diſputari neutiquam vetuerit. Multo minus illum injurium cenſeri poſſe Ordini cuipiam, qui ab ejus Breviario ac traditione particulari, nixus bona ratione & autoritate Hiſtoricorum alicujus notæ pene omnium, recedat. Nec attendenda teſtimonia ſcriptorum in Libello Supplice pro Carmelitis allegata. Antiquiores enim, qui citentur, auctores fidei ſuſpectæ aut omnino nullius eſſe; recentiores vero neque ex profeſſo ac ſtudio proprio, ſed unius fere Abulenſis fide antiquitatem prætenſam obiter attingere. Quid? quod plerique aſſerant, Eliam *tanquam* patronum atq; inſtitutorem eſſe Carmelitarum, Carmelitas *quaſi* poſteros Eliæ eſſe, item hanc *quaſi* hæreditariam ſucceſſionem in monte Carmelo tenere. Nihil autem horum negare Papebrochium, qui Carmelitas Eliam ſuum *ducem, patrem, auctorem*, &; ſi ita velint, *inſtitutorem* vocare poſſe doceat eo ſenſu, quod per revelationem Prophetæ & juſſu ejuſdem Ordo Carmelitanus tempore Bertholdi initium ſumſerit; quemadmodum Ordo Servorum S. Mariæ ob ſimilem revelationem hanc *fundatricem ſuam* nuncupet. Unum interea deprecari ipſum, ut ne rem incredibilem, & Acta Sanctorum ſcribenti maxime importunam admittere cogatur, videlicet, Ordinem religioſum a Chriſto nato duodecim fere ſeculis extitiſſe, & toto illo tempore nulli Scriptorum diſtincte innotuiſſe; eundem continuatum ſine interruptione a temporibus Eliæ, ad duodecimum uſque Chriſti ſeculum; idque auctoribus aut domeſticis traditionibus ſeculo duodecimo multum junioribus debere credi. Quod ſupereſt, affirmare

quidem ait Sebaſtianum in Libello Supplice, interdictam eſſe Papebrochio ulteriori circa rem controverſam ſcriptione; ſed hoc nimis temere affirmaſſe monet, quamvis reipſa Papebrochius ſilentium ſibi impoſuerit, exiſtimans, hactenus allata a ſe argumenta ad eliciendã quæſtionis veritatem ſatis eſſe veritatis amantibus; nulla ſatis unquam fore aliter affectis.

In *Epiſtola familiari* reſpondet ad Exhibitionem errorum, quam inter alia Patribus Jeſuitis in Actis hiſce occupatis id exprobrare docet, quod Conſtantinum Magnum non a S. Silveſtro Papa Romæ, ſed ab alio Nicomediæ, ſub vitæ finem ſalutari fonte lavatum affirment; quod Evangeliſtam Lucam fuiſſe pictorem medicumque, ſibi haud perſuadeant, quod imagines omnes, quæ a Luca pictæ ferantur, revera tales eſſe, non admittant; quod hiſtoriam inventionis ſanctæ crucis repudient, & quod iſtius generis plura ſuis ſcriptis immiſceant. Sed talia paſſim ab eruditis laudari atque aſſumi reſpondet, ac imprimis de baptiſmo Conſtantini id oſtendit, varia in medium adducens ſuffragia, quæ antiqui pariter ac recentiores eidem tantopere ab accuſatore taxato præbeant. Objici deinceps notat Papebrochio, quod per impoſturam agat. Sed uti crimen hoc ab ipſo amolitur Noſter, ita ejus potius Carmelitanos reos arguendos docet. Objici Papebrochio, quod nonnulla teneat in re hiſtorica, quæ Lutherus, Calvinus, Launojus, ac Natalis Alexander docuerint. Sed cur e Scriptoribus prohibitis (quanquam Lutherum Calvinumve nunquam legerit Papebrochius,) ea, quæ vera ſunt, colligere non liceat, nondum ſe perſpicere fatetur; quinimo & ipſos Carmelitas pro ſe adducere auctores ab Eccleſia proſcriptos oſtendit. Dixerat adverſarius, quod Papebrochius Antverpienſes a præputii Chriſti, quod apud ipſos eſſe hactenus quamplurimi crediderint, poſſeſſione detrudere videatur. Enimvero tantum id ab ejus mente abeſſe Noſter regerit, ut contraria potius omnia diſertis illum verbis adſtruxiſſe deprehendas. Metum, quem ille Præmonſtratenſibus incuſſerit, quod in Tomo Junium menſem inchoante eorum Ordinem Patres impugnaturi ſint, pro fruſtraneo latius declarat. Denique quam nihil valeant conquiſitæ Cenſorum auctoritates ad conciliandam dicteriis antagoniſtæ veritatem, ſub exitum epiſtolæ demonſtrandum ſumit.

Sequitur *Amica Expoſtulatio*, quæ præcedentem epiſtolam adverſus Motivum juris, quod eandem excepit, tuetur. Atque heic non

adeo

adeo prolixe indicabimus, quo pacto Janningus ſuo adverſario obedientiam Sedi Pontificiæ non ſatis præſtitam objiciat; ut eum tanquam juris admodum imperitum ex ipſa Motivi juris editione ſiſtat; ut, quæ de præputio Chriſti Antverpienſibus a Papebrochio minime negato, deque nulla Præmonſtratenſibus illata ab hoc injuria ibidem ſcripſit, defendat; ut Cenſores Exhibitionis errorum partem alteram inauditam condemnaſſe probet. Ea potius, his miſſis, referemus, quæ maximam hujus Expoſtulationis partem conficiunt. Denuo nimirum agitatur controverſia de baptiſmo Conſtantini. Euſebio enim cum fidem negaſſet adverſarius, hinc illius ſanctitatem non minus atque fidem hiſtoricam Janningus defendit. Iſte auctoritatem Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Athanaſii, & Synodi Ariminenſis trecentorum & amplius Patrum Catholicorum affirmantium, ſub finem vitæ Conſtantinum fuiſſe baptizatum, evertere ſe poſſe exiſtimaverat, dicendo, Epiſtolam illam Synodicam, quæ a prædictis recitetur auctoribus, intelligi debere de Conſtante, non de Conſtantino, ſub finem vitæ baptizato; id quod Baronii idem ſentientis calculo firmaverat. Aſt reſpondet hic, Baronium inductum in hanc mentem, quod in Athanaſii Latina verſione A. 1564 edita Conſtantis nomen legerit; qui ſi textum Græcum A. 1600 primo impreſſum & ex novem codicibus manuſcriptis concinnatum, ſi eandem quoque epiſtolam apud Labbeum & Coſſartium Græce extantem evolviſſet, viſo utrinque Conſtantini nomine ſententiam ſuam procul dubio mutaturus fuiſſet. Poſtquam dehinc loca Hieronymi & Ambroſii, pro baptiſmo Nicomedienſi facientia, explicuit & illuſtravit, rationes illas diſſolvere aggreditur, quas pro baptiſmo Romano in medium antagoniſta produxit. Provocavit is ad fidem Concilii Romani ſub Silveſtro coacti; ſed illius Canones dudum ceu ſuppoſititios rejectos Noſter obtendit. Laudaverat ille Acta Silveſtri, quæ ſimilem in modum pro ſua militent ſententia; hic viciſſim ea pluribus deturpata dicit mendaciis, etiamſi puriora fuerint ab initio. Provocaverat ille ad auctoritatem Adriani Papæ, (qui, ut obſervat Noſter obiter, non IV ſit, ut eum cum errante vocet Ciacconio Sebaſtianus, ſed I;) aſt hic ipſummet Papam Actis Silveſtrinis jam corruptis uſum contra innuit, tametſi primus ille ſit idoneus auctor, qui de baptiſmo Conſtantini Romano ex Actis Silveſtri meminerit, & Gregorius Turonenſis ei anteponi vix queat, cum verba

hujus

hujus in hoc negotio vulgo allegari ſolita aliud quid inferant. Poſtremo tabulæ in baſilica Lateranenſi fidem appellarat ille; verum hic parum eam fidei mereri obſervat in re antiquiſſima, quandoquidem ipſam initio hujus ſeculi primum ſcriptam eſſe ſatis pateat. Præter excuſſam ad hunc modum de baptizato Conſtantino quæſtionem, obſervationem de Enocho ſubnectit Auctor. Reprehenſus is in Juris hoc Motivo fuerat, quod per Enochum, in allegatis ſuperius a Libelli Supplicis conditore Bullis Pontificiis, nominatum intellexerit Enochum veteris Teſtamenti, cum certe innuatur potius Enochus de Amathim, qui ſeptimus inter diſcipulos LXXII a Chriſto electos cum S. Marco Evangeliſta perrexerit in Ægyptum, & poſt martyrium S. Marci reverſus in montem Carmeli ibidem ſanctiſſime vixerit, annoque Domini LXIV obierit. At enim vero fieri haud poſſe Noſter regerit, ut prudens quisquam talem credat intelligi a Sixto IV, cum hic Bullam ſuam A. 1477 publicari fecerit, Enochi vero de Amathim primus omnium Palæonydorus anno demum illius ſeculi 97 in edito tunc abſque ſe Faſciculo tripartito mentionem injecerit. Inſuper vero heic obſervat, quo proceſſu vulgo canonizari Sancti ſoleant, quos aliqui exoptent tales eſſe. Enochum enim hunc ignoraſſe dicit Patres Carmilitas paulo antiquiores, recentiores induxiſſe in mundum, recentiſſimos etiam invexiſſe in cœlum, atque inter Sanctos auctoritate ſua collocaſſe. Anno nimirum 1627. Petrum Thomam Saracenum in Menologio Carmelitarum inter Sanctos ac Beatos recenſuiſſe Beatum Enoch Epiſcopum. Deinde in libello Gallico Valencenis A. 1659 impreſſo, & A. 1681 Namurci tertium edito auctoque cum nomine Auctoris, R. P. Philippi a Viſitatione, Religioſi Carmelitæ, ſub titulo: *Breviaire des Confreres & Conſœurs du S. Scapulaire de N. Dame du Mont Carmel*, h. e. Breviarium confratrum & conſororum ſacri Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo, inter præcipuos Ordinis Sanctos referri Enochum, Epiſcopum Confeſſorem. Extare etiam alium librum, ſecundo editum Valencenis A. 1670, qui contineat Martyrologium Sanctorum Ordinis Carmelitarum, ubi in Kalendario præmiſſo ad d. VII Julii legatur S. Enoch de Amathim, Epiſcopus Nicopolitanus. Hujus ergo ſanctitas ſi ejusmodi porro augeatur incrementis, metuendum eſſe, ne mox etiam collocetur in Breviario Ordinis, atque Officio & lectionibus propriis ornetur is, de quo nondum conſtat, an in mundo fuerit. Plura quoque

addit

addit obvenire in eodem Kalendario, quæ riſum ſibi & commiſeratio-nem moveant, quando v. g. inter præcipuos Sanctos Ordinis Carmelitani legat diebus 9, 19, 22, 27, 28, ſolius Januarii, *Teleſphorum* ac *Dionyſium*, Pontifices Romanos, *Anaſtaſium Perſam* Martyrem illuſtrem, *Joannem Chryſoſtomum* Doctorem Eccleſiæ, & *Cyrillum Alexandrinum* Epiſcopum; quorum tamen nullum fuiſſe Carmelitam notiſſimum ſit. De cætero per commodam occaſionem delatus Auctor clariſſimus ad inimicos, qui unquam impugnarunt edita hæc Sanctorum Acta, vulgatos ab ipſis contra ea libellos maximam partem recenſet, noſque adeo Lectorem, qui cognoſcendis illis ſtudet, ad paginam Apologiæ hujus 100 & ſequentes remittimus.

In Appendice ad ſuum Motivum Juris inſimularat P. a S. Paulo Janningum, quaſi auſu valde temerario & ſucceſſu pudibundo aſtute molitus ſit defenſionem Papebrochii; damnarat eum illa in re impoſturæ manifeſtæ; accuſarat, quod ineptiſſima gloſſemata appoſuerit ſummorum Pontificum Bullis; objecerat ipſi, quod ſit malevolus criticus a paſſione ſua excœcatus, eo, quod intellexerit in Bullis Pontificum Enochum Prophetam veteris Teſtamenti. Ab intentatis his criminibus ſolicite ſe purgat Auctor in Poſtſcripto, & opus quidem non eſt, ut quæ ad membra ſingula repoſuit, cum tædio fortaſſe Lectoris allegemus aut repetamus. Hoc ſaltem exin decerpimus, multa ipſum diſſerere de ſenſu decreti, quod Gelaſius Papa in Concilio Romano cum Epiſcopis LXX congregatus ſuper Scripturis quibusdam qua probis qua apocryphis concepit; multa quoque monere circa quæſtiones, an in illo decreto Acta Silveſtri cum honore omni ſuſcepta perhibeantur, & an ibi de Hiſtoria inventæ crucis Dominicæ idem formetur judicium? Et utrinque negativam propugnare ſententiam. Latiſſime vero Enochum rurſus contemplandum ſumit, cum inter reliqua id etiam male habuerit Appendicis ſtructorem, quod Noſter primam illius mentionem Palæonydoro tranſcripſerit, parum curans, quod ipſe hic ad *Hiſtoriam Alexandrinam*, libroſque *de inſtitutis monachorum*, & ad *Supplementum Sigeberti de illuſtribus viris* provocarit: idcirco reſpondetur, conſtare primo e contextu Palæonydori, quod iſthæc trium horum monumentorum allegatio non neceſſario ad factam de Enocho narrationem, ſed ad alia totius tractationis puncta ſpectet; deinde poſtulat ex ipſis monumentis afferri loca Enochum de Amathim repræſen-

tantia; porro incertum eſſe, quam intelligat Palæonydorus *Alexandrinam hiſtoriam*, editamne typis, an nondum editam. Si editam, exhiberi locum poſtulat. Habere enim ſe Chronicon Alexandrinum a Radero editum; habere ſe Chronicon Orientale Latinitate donatum & publicatum ab Abrahamo Ecchellenſi Syro Maronita; habere ſe manuſcriptum codicem de rebus Eccleſiarum Orientalium deque earum initiis & Patriarchis agentem: ſed nuſpiam apparere ullum narrationis de Enocho veſtigium. Quod ſi autem ineditam hiſtoriam a Palæonydoro citari Sebaſtianus a S. Paulo regerat, diſquirendum, an ea multum hoc ſcriptore ſit antiquior. Ad eundem modum prolixe diſpicit: an *libri de Inſtitutis monachorum* pro idonei auctoris fœtu haberi debeant? Aſſeri eos quidem Joanni Carmelitæ, facto dein Epiſcopo Hieroſolymitano XLIV, a quo Græce ſeculo ineunte quinto ſcripti ſint. Sed contra, alios inque illa re omnino verſatiſſimos Scriptores auctorem eorum pronunciare hominem non tantum recentiorem, ſed & mere Latinum; e quorum numero adducit Theologos ac Profeſſores Univerſitatis Colonienſis, qui Bibliothecam veterum Patrum A. 1618 Coloniæ curarint; Joannem Mariam Braſichellenſem, ex Ordine Prædicatorum, Magiſtrum Sacri Palatii Romæ, ac deinde Epiſcopum Polymnianenſem in Apulia, qui judicium ſuum de iſto opere A. 1607 in Indice librorum expurgandorum tulerit; Philippum quoque Labbeum Baroniumque prioribus ſe aſſociantes. Trithemium, encomiaſten alioquin Ordinis Carmelitici effuſiſſimum, ad ſeculi IIX tempora auctoris ætatem notat rejicere, & ſatis ex eo poſſe confici, quam incertum adhuc ſit, quiſnam ille aut qualis fuerit? Imo & in teſtimoniis Trithemii multa occurrere, quæ cum ſerie hiſtorica communi calculo probata conciliare nullo pacto valeas, uſque adeo, ut & Beatus hic Johannes efficiatur, qualis tamen ille a nullo Martyrologorum agnoſcatur; quamvis ultimum hocce monſtrum poſterorum potius pepererit religio. Non enim in editione Trithemii prima A. 1494. aut paulo poſt curata hunc titulum inveniri obſervat, ſed colligit, ab iis eſſe additum, qui Carmelitica Trithemii A. 1643 Coloniæ recudi fecerint. Ultimo, quod ad *Sigeberti de illuſtribus Viris ſupplementum* attinet, iſtud tantum non pro ſpurio confictoque venditat. Noſſe quidem ſe Sigebertum de illuſtribus Viris, & eſſe hunc illum ipſum librum, qui tractatus de Scriptoribus eccleſiaſticis vulgo audiat, quique a Sigeber-

geberto ipſo vocetur libellus de illuſtribus viris. Noſſe autem nec ſe nec quenquam alium eorum, qui ex inſtituto de libris Sigeberti ſupplementisque egerint, Supplementum ejus ullum de illuſtribus viris. Exiſtere tamen Supplementa Sigeberti, ſed Chronici ejus; hæc ergo num citentur a Palæonydoro, ut inquirat adverſarius, in votis habet Auctor; ſibi enim non vacare eadem evolvere, ut Enochum de Amathim ex iis eruat. Quibus ita deductis, filum ſuæ diſſertationis abrumpit, teſtatus adhuc antea, quod neque Patres Jeſuitæ minas de libris hiscè ſuis, quibus Acta Sanctorum exhibeant, Inquiſitioni Romanæ ſubjiciendis metuant, nec ipſe Janningus propoſito Sebaſtiani a S. Paulo de alio poſthac in ſui locum ad protrahendam hanc contentionem ſubſtituendo terreatur.

*THE HISTORY OF THE TROUBLES AND TRYAL OF THE Moſt Reverend Father in God and bleſſed Martyr* WILLIAM LAUD *&c.*

Hoc eſt:

## Hiſtoria motuum & inquiſitionis contra Reverendiſſimum in Chriſto Patrem beatumve Martyrem GULIELMUM LAUDUM Archiepiſcopum Cantuarienſem, ab ipſo in carcere caſtri Londinenſis conſignata. Cui præmittitur Diarium vitæ ejus ex ejus autographo: ſubnectitur Supplementum ad illam Hiſtoriam pertinens.

Londini apud Henricum Chiſwell, 1695. in fol. Alphab. 7.

NOn poteſt non magni illius Eccleſiæ Anglicanæ Præſulis Hiſtoria commendatiſſima eſſe omnibus illis, qui vel ſuo cenſu ſimiles illi viros æſtimare norunt, vel penitius turbulentorum, ſub Carolo I Magnæ Britanniæ Rege, temporum conditionem introſpicere cupiunt. Quamvis enim ejus Vitam jam olim a viro in Eccleſia Anglicana ſatis conſpicuo D. Petro Heylino conſcriptam habeamus; multum tamen illius fides infra monumentorum, quæ nunc præ manibus habemus, autoritatem ſubſidat oportet. Ut illud enim taceamus, quod Vir ille reverendus eorum, quæ in regiis conciliis agitata fuerunt, tam accurata inſtructus eſſe non potuerit cognitione, quam qui ipſe iis interfuerat Præſul venerandus; pluribus in locis ille innititur Diario vitæ Laudia-

næ, prout a Gul. Prynnes inſigni falſario juratoque ſummi illius Viri hoſte, quippe a rebellium parte ad ruinam ejus conducto, anno 1644 corrupte publicata fuit. Fateamur igitur nos obſtrictos memoriæ Whartonianæ, ejusque cineribus quietem occaſione iſta precemur. Ille enim præmaturo fato patriæ & literariæ reipublicæ ereptus, ultimum quaſi vale iſtorum publicatione dicere mundanis rebus voluit. Præfixit autem univerſo operi præfationem, in qua partim malevola Prynnii ſcripta, tum proprio tum Parliamenti ſeditioſi inſtinctu in hac cauſa evulgata recenſet; partim ubi tamdiu iſta omnina, quæ ipſe nunc edit, delituerint, & quomodo ad ſuas manus pervenerint, exponit, ut facile de fide & autoritate eorum nemo ulterius dubitare queat. Quin ut certior iſtis omnibus fides conſtaret, ipſa Reverendiſſimi Archiepiſcopi autographa, ad Collegii S. Johannis, quod Oxoniæ floret, Bibliothecam poſt fata ſua Whartonus tranſire voluit. Id ſaltem dolendum, præproperam doctiſſimi Viri mortem, quo minus ſecundo volumine aliorum monumentorum ad iſtam hiſtoriam ſpectantium editionem, quam moliebatur, abſolvere potuerit, obſtitiſſe. In quo laudabili propoſito, ut alius quispiam inter eruditos Angliæ viros ipſi ſuccedere velit, omnium votis erit expetendum.

Contenti interea iis, quibus permittentibus fatis frui nunc licet, pauca ex Hiſtoria Laudiana excerpemus, alibi non facile adeo obvia, ut intelligant Lectores noſtri, quid emolumenti inde illis liceat expectare. Ut autem de tempeſtate, quæ lamentabili ictu eum feriit tandem, rectius ante omnia conſtet, cauſas adduxiſſe non pigebit, quibus ipſe concitatam eam primum fuiſſe exiſtimat. Multum nimirum
p. 75. in animo agitabat Rex, Londinenſem adhuc Epiſcopatum tenente, de quo omnis ille nobis inſtituitur ſermo, Laudo noſtro, certæ alicujus in
p. 88. eccleſiis Scoticis Liturgiæ ſtabiliendæ conſilium. In illo promovendo, quæ ſuæ tum fuerint partes, ingenue fatetur, ubi ad articulos, a Scotis
p. 75. in Parliamento contra ipſum exhibitos reſpondet. Perſequebatur deinde iſtud conſilium ſuum Rex majori cum zelo, poſtquam ad Cantuarienſem ſedem Laudus evectus fuiſſet, idque tandem Scoticæ eccleſiæ Epiſcopis quibusdam dabatur negotii, ut Liturgiam, ad Anglicanam quam proxime accedentem conficerent. Illa ſolicite poſtmodum examinata & a Rege approbata, typis anno hujus ſeculi trigeſimo ſeptimo mandabatur. Non diſſimulat Laudus, Epiſcoporum illorum errore,

qui

qui in generali conventu tractare iſta, vel alias vias legibus conſentaneas ſequi debuiſſent, Liturgiæ iſtius introductionem eventu deſtitutam fuiſſe, ita ut occaſione inde ſumta in ſummam rabiem populus illius regni exarſerit. Quamvis veram cauſam illorum motuum hanc non fuiſſe, ex proceſſu contra Balmerinum e Scotiæ Magnatibus unum, capitis ſupplicio paulo ante affectum, manifeſtum plane reddat. Interea tamen arripiebant Scotiæ Proceres ad ſeditionem proclives religionis involucrum, quo dudum agitata conſilia honeſte tegerent, & plebem quoque ad funeſtam eorum executionem diſponerent. Cujus etiam furores anno 1637 in apertam ſeditionem erumpebant, quam in ipſa Anglia radices ſuas habere multi ſuſpicabantur. Componebatur tamen ea Bardovici, quo anno 1639 cum exercitu ad comprimendos Scotos rebelles Rex ſeſe contulerat, ſuaſore pacis præcipuo Laudo noſtro, qui tamen a rebellibus pro incendiario paſſim traducebatur. Cum autem nihilo ſecius tumultuari pergerent Scoti, Parliamentumque ea occaſione in Anglia convocaretur ad d. 13. Aprilis anno 1640, mox vero die 5 Maji diſſolveretur iterum, Laudo ſtatim omnis diſſipati Parliamenti culpa tribuebatur, ad quem vulpis inſtar venandum libellis famoſis plebs Londinenſis paſſim excitabatur. Interea licet Parliamento finis eſſet impoſitus, Cleri tamen convocatio juſſu Regis & JCtorum ſententia continuabatur, ubi canones inter alia concinnabantur, in quibus poſtea nonnulla inventa fuerunt, quæ in crimen Laudo verterentur; licet nemo initio ſubſcribere eis abnueret, præter Gloceſtrienſem Epiſcopum Gottfridum Goodmannum Papiſtarum fautorem; qui tandem quidem ſubſcripſit, ab Rege tamen non ideo tantum quod initio renuiſſet, ſed ob alias quoque cauſas, cuſtodia domui appoſita obſervari juſſus eſt. Hoc tempore, menſe ſcilicet Auguſto anni 1640, denuo rebelles Scoti arma Angliæ inferebant, a quibusdam male ſentientibus Angliæ Magnatibus clam adjuti, tandemque eo rem perducebant, ut Rex congregatum in Scotia Parliamentum confirmare, & in Anglia quoque aliud convocare verſus diem 3 Novemb. cogeretur. Sub illius initium ſtatim membrorum ejus prodebatur ſcopus; die 10 enim Novemb. accuſatus Straffordiæ Comes carceri includebatur. Quod negotium ideo tanta feſtinatione agitatum eſt, quod ad ipſius notitiam perveniſſe conſtaret pernicioſa quorundam conſilia, quos criminis majeſtatis reos peragere propterea volebat. Sed illi rem aſtute præſen-

p. 87.
p. 78.
p. 80.
p. 85.

p. 86. tientes, ruina ejus tegenda ſua ſcelera eſſe exiſtimarunt. Paulo poſt d. 16. Decemb. Canones, quorum paulo ante meminimus, *Communium* votis, tanquam legibus & libertati Angliæ contrarii imo ſeditioſi condemnabantur, & Laudi autoris eorum geſta ut examinarent, quibusdam dabatur negotium, ſimulque Scotorum contra eum proponebantur gravamina; quorum ferali contra eum ſcripto, Hiſtoriæ huic
p. 87. inſerto, κατὰ πόδα ita reſpondetur, ut ſatis de ejus innocentia conſta-
p. 137. re poſſit. Nec minus omnes in *codicillo* ſcripto illi annexo contentæ calumniæ, ſolide diluuntur, Papiſmum potiſſimum motasque in eccleſiis Scoticis turbas Viro Reverendiſſimo impingentes. Hæc tamen qualiacunque eſſent, efficiebant, ut carceri addiceretur, in quo etiam duo illi cum dimidio menſes abierunt, priusquam *generales* ſaltem
p. 150. contra ipſum conficerentur *articuli*. His, qui ad tria potiſſimum capita reduci poſſe videntur, ad propenſionem nimirum in religionem Romanam, cujus jugum Angliæ denuo imponere voluerit; ad conatus evertendi leges regni fundamentales, ſtabiliendiq; abſolutum tyrannicumque in Anglia imperium; & denique ad everſionem privilegiorum
p. 160. & jurium Parliamentorum, ſingulatim reſpondetur. Audiamus eorum ſaltem nonnulla, quæ pro ſua in religione ſinceritate adducere voluit, de qua non Numen ſolum & quicquid ſanctum eſt, in teſtimonium advocat, ſed rerum quoque a ſe geſtarum narratione eam evincit. Ne-
p. 225. mo illis temporibus tot, illuſtres quoque & dignitate conſpicuos, a Romana ad Anglicanam eccleſiam homines reduxit: nemo tanto zelo, ac ipſe in libro contra Fiſcherum, Jeſuitam, eam impugnavit; nemo
p. 162. 384. majori periculo ob odium in Romanam religionem obnoxius fuit, utpote quem etiam ante Regem, tanquam conſiliis ſuis maxime pernicioſum, e medio tollendum judicaverant Conei in conſpiratione Papiſtica complices. Quid quod ipſi Scoti, qui publico libello eandem dicam ipſi ſcripſerant, falſitatem rei agnoſcentes proſequi eam non fuerint auſi? Id enim, quod ipſius Reginæ odium fere liberioribus contra Pontificios in Regiis Conciliis ſermonibus meruerit, nunc tace-
p. 49. mus. Verum equidem eſt, nec in Diario diſſimulat Illuſtriſſimus Archi-Præſul, Cardinalitiam aliquoties ſibi a Romana parte, ſi eam amplecti vellet, oblatam fuiſſe dignitatem; verum & generoſa mente reſpuit purpuram, & Regi quoque quid ea in re actum ſecum fuerit, ſtatim aperuit. Nec quisquam ſibi perſuadeat, plus veriſimilitudinis re-

liquas accuſationis Laudianæ partes habere. Ut illud enim ſaltem attingamus, quod Parliamentorum convocationi eum ſemper adverſatum fuiſſe dicunt, viam ſcilicet abſoluto imperio in Anglia præſtructurum; (quod crimen Straffordiæ etiam Comiti ſunt qui imputent, eum cum Rege, ſimul ac primam in aula dignitatem eſſet adeptus, de nunquam cogendo Parliamento pactum eſſe fingentes;) manifeſte falſum id eſſe evincitur inde, quod in Diario vitæ ſuæ aperte moneat Laudus, primos Parliamenti A. 1640 convocandi auctores, præter Hamiltoniæ Marchionem, ſe cum Comite Straffordiæ fuiſſe. Sed infortunati Comitis hujus cum facta a nobis hoc loco ſit mentio, abs re haud fore exiſtimamus, ſi monuerimus, occurrere ad hiſtoriam ejus ſpectantia quam plurima capite IX Hiſtoriæ Laudianæ, vix aliunde petenda. Talia ſunt, quod 53 votis in *Domo Communium* abſolutus fuerit ille, quorum nomina ſub Straffordianorum titulo ſequenti die, ut excitaretur contra eos popularis furor, emporio Londinenſi fuerint affixa; quod promiſſum fuerit illi a præcipuis *Communium* capitibus, fore ut eripiatur, quæ illi imminebat, morti, ſi impetrare autoritate ſua a Rege velit, ut Epiſcoporum ex Eccleſia Anglicana tollatur ordo, quam tamen conditionem generoſa mente recuſaverit; ut alia nunc taceamus. Accedendum autem nunc eſſet ad ipſum inquiſitionis Laudianæ proceſſum, cum ultra triennium in carcere exegiſſet Archiepiſcopus, demum cœptum, & a 12 die Martii anni 1644 ad finem uſque menſis Julii continuatum, actore præcipuo Gul. Prynnio, bis antea ad publicum populi ſpectaculum condemnato, & auribus ob crimina male mulctato; judicibus vero, qui exiguo ſemper numero comparebant, Domus ſuperioris Magnatibus. Verum ejus particularia ita ſunt comparata, ut, niſi quod ubique fere conſtantiam, patientiam & probitatem Laudi mirari liceat, non poſſint non, paucis exceptis, Lectorum tædium movere. Viſum tamen fuit inter tot accuſationum capita unam ſeligere, quam ob mutatum coronationis juramentum in ſolenni Caroli I inauguratione, ei intentarunt, cujus mentionem faceremus. Cum enim in illo de *prærogativa Regis* aliquid eſſet, additum id a Laudo fuiſſe, præcipue criminabantur. Verum ut taceamus, nullam hac in re, licet etiam aliquid admiſſum fuiſſet, ejus extitiſſe culpam, utpote qui Decani Weſtmonaſterienſis munere tunc fungens, tanquam cauſa ſolum miniſterialis (liceat enim iſto nunc uti verbo) in illis ſo-

p. 172.
p. 216.
p. 218.
p. 318.

lenni-

lennibus verſabatur; contrarium apparuit, poſtquam productus eſſet liber, quo obſervatæ in coronatione Jacobi I cæremoniæ erant deſcriptæ, ad quem ſtatim a Laudo, qui ob hoc ſolum crimen capitis ſupplicio dignus judicabatur, fuit provocatum: obſtiterat enim divina providentia Prynnii conſiliis, qui librum iſtum cum aliis hujus generis malitioſe intervertere anniſus fuerat. Nos vero hujus rei mentionem vel ideo faciendam eſſe putavimus, quod accuſationem iſtam, monente in præfatione Whartono, nuper admodum (anno nimirum 1693) in ſua ad *Majorem* civitatis Londinenſis compellatione, repetere placuerit Baroni Atkinſio, qui non abſimile quid in coronatione Jacobi II admiſſum eſſe addit; quo ipſo ſi Santcroftianam memoriam lædere voluit Nobilis ille Vir, non minus facile eam Whartonus quam Lau-
p. 412. dianam vindicari poſſe exiſtimat. Sed ſatis de his. Inquiſitionis hiſtoria finita, brevis Laudianæ defenſionis recapitulatio exhibetur, cui ſubjungitur trium celeberrimorum JCtorum, quibus Laudiana cauſa defendenda data fuit, quos inter magnum poſtea Angliæ lumen Matth. Hales etiam erat, deductio, qua oſtenditur majeſtatis criminis reum ſecundum Angliæ leges (ſtatutum imprimis 25 Eduardi III, quo, quid pro majeſtatis crimine habendum ſit, definitur) Laudum ex intentatis illi accuſationibus peragi non poſſe. Nihilominus Domus Communium Laudum, poſtquam eum contra jura Angliæ, utpote Baronem regni, ad cauſam etiam coram ipſa dicendam citaſſet, tumultuoſis votis hu-
p. 442. jus criminis reum pronunciabat, miſſaque ad Magnates ſententia eam confirmari volebat. Hi re diu deliberata, trium ſupra memoratorum criminum reum quidem eum eſſe judicabant; ut tamen crimen majeſtatis ei impingerent, neque Pembrocii Comitis clamores, neque minæ de populi motibus impetrare potuerunt, cum Judices ſemper Angliæ leges obtenderent. Cum tamen *Communes* quosdam ſui ordinis ad Magnates delegaſſent, qui & ipſo Laudo & Advocatis ejus abſentibus, de hoc negotio agerent, illud quoque tandem obtinuerunt. Sed quam paucis ex Magnatibus, quibusve terroribus circumventis id extorſum fuerit, ex Heylino & Ruſwortho, (ipſe enim Archiepiſcopus hiſtoriam ſuam hic finit) Supplementum adtexens oſtendit Whartonus. De Heroica autem ejus conſtantia, & patientia, quæ ne Martyrum quidem ſecula dedeceret, ſi non aliunde, ex ultimis certe verbis, in theatro, antequam capitis ſupplicio afficeretur, effuſis, abun-

de

de conſtaret. Exhibentur illa integra una cum teſtamento ejus ad calcem hujus Hiſtoriæ, nec non reſponſio ad Sayi, unius ex Angliæ Proceribus, orationem, qua in Parliamenti conſeſſu Liturgiam Anglicanam oppugnaverat. Poſtremo ſubjunguntur & huic volumini relationes, quas dum Archiepiſcopalem cathedram tenuit Laudus, de eccleſiarum provinciæ ſuæ ſtatu Regi quotannis exhibuit, ab anno 1633 uſque ad annum 1639; & Prynnii liber occaſione conſpirationis Cuneanæ de evertenda Angliæ libertate & religione ſcriptus, cum notis marginalibus Laudi, quibus adſperſas ſibi eo libro calumnias abſterſit. Nactus erat poſterius opus a Viro clariſſimo Antonio Wood doctiſſimus Whartonus, qui dignum id judicavit, quod hoc in loco compareret, utpote multa ad hiſtoriam Laudianam ſpectantia præclare illuſtrans. Coronant denique totum opus tres Laudi epiſtolæ, quarum duæ priores ab eo, cum Cancellarii Academiæ Oxonienſis adhuc munere fungeretur, ſcriptæ ſunt, ut ſcilicet iis moneret Vice-Cancellarium ſuum, ne a Pontificiis emiſſariis detrimenti aliquid capere pateretur academicam juventutem; tertia ad Virum celeberrimum Kenelmum Digbæum exarata eſt, ut eum a Romana ad Anglicanam Eccleſiam reduceret: quæ ſane univerſæ non extremum locum inter argumenta mereri videntur, quæ alieno eum ab Eccleſia Romana animo fuiſſe evincunt.

## *G. G. NOTATIUNCULA AD ACTA DECEMB. 1695. pag. 537. ſeqq.*

INiquus ſim, ſi non agnoſcam, excellentis Mathematici Jacobi Bernoullii Baſileenſium Profeſſoris meditationibus plurimum debere ſcientias iſtas profundiores, & me potiſſimum ipſi pariter ac fratri ejus ingenioſiſſimo, Johanni Bernoullio, nunc apud Groninganos Profeſſori clariſſimo obſtrictum eſſe, quod qualiacunque a me jacta Analyſeos cujusdam ſuperioris fundamenta ad varios uſus applicuere, ſuisque inventis mirifice auxere, & ut magis magisque innoteſcerent ac celebrarentur effecere. Virum autem celeberrimum Jacobum Bernoullium, cujus nupera me ad hoc ſchediaſma invitavere, perſuadere ſibi velim, longiſſime a me abeſſe animum de meritiſſimis ejus laudibus detrahendi. Gloriam inventarum figurarum Elaſticarum (ex hypotheſi ſcilicet valde veriſimili) ipſi illibatam relinquo. Theoremata de

radiis circulorum oſculantium, etſi mihi non ignota, ne attigiſſem quidem, niſi originem eorum pariter ac ſimilium aliorum, ex ſingulari quodam differentialis calculi genere ſimpliciſſimam exponendam occaſione data putaſſem. Ut iis in Elaſticis figuris uterer, in mentem non venit, quod figuris illis quærendis nunquam animum adjeciſſem, non quod res non ſit pulchra & inquiſitu digna, ſed quod in tanta agendorum copia, quæ ab illo recte acta putavi, nollem denuo agere, incertus etiam, an poſſem. Itaque non eſt, cur imputet theorematum de oſculis defectui, cum ipſe agnoſcat, etiam publicatis illis, nondum vel Hugenium vel me de lineis illis Elaſticis ſatis meditatos fuiſſe. Ac ne nunc quidem, expoſita Analyſi Viri egregii, a me impetrare poſſum, ut hunc campum licet pulcherrimum ingrediar; cujus rei plures habeo rationes, quam vellem. De cætero video eum a mea de conſtructionibus ſententia vix diſſentire, optaremque ipſum, ſi vacat, ulterius cogitare de conſtructione tranſcendentium, per puncta Algebraice inventa: id enim magis analyticum fuerit, etſi non æque ſit in poteſtate hactenus, ac reductio quadraturarum ad Euthynſes. De numero radicum oſculi candide profeſſus ſum dudum, me re diligentius excuſſa ſententiam ipſius amplecti. Quod inſtantiam a me poſtulat curvæ ordinariæ rectificabilis in ſe redeuntis, ſuccurrit nunc Epicycloeidalis, quam punctum deſcribit fixum in circulo provoluto ſuper alio circulo. Hanc rectificabilem eſſe, a celeberrimis Viris, Hugenio & Tſchirnhauſio eſt oſtenſum; eſſe autem in ſe redeuntem, hæc conſtructio ipſa monſtrat, cum circumferentiæ ſunt cõmenſurabiles. Præclare facient Bernoullii fratres, ſi conjunctis, vel etiam ſeparatis ſtudiis velariæ figuræ contemplationem cœptam abſolvant. Quod medias Directiones attinet, de quibus ego in Ephemeridibus Gallicis Sept. 1693, cum tendentiæ puncti mobilis ſunt infinitæ, puncta tendentiarum intervallulis æqualibus aſſumi arbitrarium putem. Diverſis autem punctis tendentias exercentibus, ex punctorũ progreſſibus habetur & progreſſus cõmunis centri gravitatis, nempe conferendo ejus ſitum ante progreſſum, cum ſitu proximo poſt progreſſum punctorum elementarem. Quod ſi punctorum impulſorum tendentias conſideremus, quæ ſæpe ab impellentium tendentia diverſa eſt, tendentia media ab iis recepta eodem modo definietur. Eaq; omnia pro re nata ſunt varianda, ſed in his promte eleganterque exhibendis a Viro clariſſimo non vulgaria expe-

cto,

cto, ac publico eum nomine rogandum cenſeo, ut ſua de fluidorum motibus aliisque meletemata præclara diutius non premat. Quod controverſias attinet inter D.D. Hugenium & Renaudum ingeniarium rei apud Gallos marinæ generalem, ipſe Hugenius (cujus certe ſummi Viri amiſſi & ipſe deſiderium tanto fero ægrius, quanto propius mihi cum eo commercium erat, notioresque maximæ dotes, in quibus vis animi candorque certabant) me ſententiam rogare dignatus eſt; ſed tunc nondum erant ad manus utrinque agitata. De re ipſa alias. Recte notatur, eundem ventum magis impellere navem quieſcentem, quam procedentem, & diſcrimen aliquando non eſſe negligendum. Puto etiam, diverſa venti vi, declinationem, (*derive*) ſecus quam D. Renaudus ſuppoſuit, non eſſe æqualem, ſed eo majorem quo major eſt venti violentia. Modum generalem conſtruendi tangentium inverſas Auguſto ſuperioris anni p. 373, ipſe non niſi pro Mechaniſmo venditavi. Utiliſſima cogitatio eſt, de iisdem ad quadraturas redigendis, ſeparandisve ab invicem indeterminatis. *Problema* de eo præſtando circa æquationem differentialem $ady = ypdx + by^n . qdx$ ſolvere poſſum, & reduco ad æquationem, cujus forma eſt $\ldots dv + \ldots vdz + \ldots dz = 0$, ubi per punctata intelliguntur quantitates utcunque datæ per $z$. Talis autem æquatio generaliter per me reducta eſt ad quadraturas, ratione jam dudum amicis communicata, quã hic exponere neceſſarium non puto, contentus effeciſſe, ut acutiſſimus Autor problematis agnoſcere poſſit methodum (ut opinor) non diſſimilem ſuæ. Neque enim dubito & hoc ipſi innotuiſſe. Et ſunt a me in iſtis multa olim tentata, non pauca etiam præſtita, quæ jacent diſperſa in ſchedis, nec mihi ipſi in numerato habentur, copia inopi, ut ſimul habere videar & non habere. Hæc tamen facilius ſuppeditavit memoria, ea ipſa die qua Lipſienſia Acta Decembris proximi ſum nactus, id eſt heſterna, in ipſis ſcilicet nundinis Brunſvicenſibus, ubi hæc inter diſtractiones utcunque in chartam conjeci.

*DAVIDIS GRÆBNERI URATISLAV. PHIL. ET MEDIC. D. Medicina Vetus Reſtituta, ſive Paragraphe Hippocratico-Galenica in Theodori Craanen Tractatum Phyſico-Medicum de Homine.*

Lipſiæ, apud Davidem Fleiſcherum, A. 1695. in 4.
Conſtat 4. Alph. 8. plagul.

NOli mirari, L. B. Medicinam novam Carteſianam, quam *celeberrimus* quondam *Craanius* in eruditiſſimo de Homine tractatu A. 1689 p. 535 a nobis recenſito fuit profeſſus, in Commentario ſive Paragraphe præſenti ſub Medicinæ Veteris Reſtitutæ exhiberi titulo. *Nobiliſſimus* quippe *Græbnerus* ex aſſidua Autorum lectione perſpectum habens, multa, ſi non omnia, in ſcripto laudato pro novis venditari, quæ *Præfat.* tamen nec ipſos veteres licet acerbius paulo tractatos latuerint, ſtrenuam horum in ſe vindicationem hic ſuſcipere annititur, ſimulque evidenter oſtendere, quod placita omnino majorum a Craanio non improbata, ſed multo magis comprobata fuerint illorum dogmata, quamvis tecte, recte tamen explanata; uno verbo, Medicina priſcorum priſtinam in dignitatem reſtituta. Quem in finem, ut pauca pro p. 6. 7. inſtituti ratione excerpamus, corporis animalis cum machina vel ho- 706. rologio comparationem non Carteſio demum, ſed Apulejo dudum, Ariſtoteli & Galeno innotuiſſe, e textibus, quos adſcribit, convincit. p. 100. Neque novum Autoris eſſe dogma, quod vapores in cavitate abdomi- 625. nis obvelitantes veſicam penetrent partemque aliquam urinæ ibi conſtituant, cum idem olim Heraclitus Philoſophus, teſte *Ariſtotele Sect. 13. Probl. 6.* tradiderit, ejusque veſtigia Aſclepiades, a *Galeno lib. I. de* p. 147. *natur. facult. c. 13.* ideo refutatus, legerit. Qualitates occultas vel ipſi *Galeno* ſuſpectas fuiſſe advertit, quod nihil ſcientes ad alterum de duobus confugere, vel ad nomina ignota, vel ad qualitates occultas, *lib. 3.* p. 232. *de Præſag. ex Pulſ. c. 5.* is pronunciet. Quemadmodum in reſpirationis doctrina, qua pulmones paſſive tantum ſeſe habere, aerem autem a ventre & thorace propulſum ob vacui defectum ingredi pulmones declaratur, tum *Galenum* pariter, tum *Platonem* in medium adducit. Illum quidem, quia *lib. 5. de loc. aff. c. 4.* reſpirationis actionem ad thoracem referat, omnemque pulmonibus actionem deneget; hunc vero, quod in *Timæo c. 17.* reſpirationem per circumpulſionem ſive perioſin p. 240. eodem ex fonte explanet. Dumque pulmo ab *Hippocrate de Reſect.* an- 555. troſus, ac lien a *Galeno lib. 4. de uſu part. c. 15.* rarus admodum & inſtar ſpongiæ laxus deſcribuntur, non aliam viſcerum horum texturam innui aſſerit, quam qualem Malpighius poſtmodum diſtinctius enodaverit.

verit. Hinc inde nihilominus Craanio contradicere Noſter haud veretur, quatenus e. g. non modo hiſtoriam cultrivori Pruſſiaci, in dubium vocatam, ex Ephemeridibus Germanorum ipſaque inſcriptione Regiomonti in Bibliotheca Elector. Brandenburg. a ſe viſa confirmat, ſed & œnanthis ſuccum viroſum eſſe Botanicorum teſtimonio ſuffultus pernegat, vaſisque lymphaticis, quæ ex abdomine ad inteſtinum rectum tendant ac flatus & vapores eo deponant, fidem omnem derogat. Præterea tamen recentiorum quoque monumenta ſpiſſe citat, anſamque loca parallela evolvendi uberrimam ſubminiſtrat, propriis quandoque obſervationibus interſperſis; prout v. g. febrem ſeptanam, nonalem & annalem, imo febrem in die natali ægri perpetuo invadentem, picam itidem in cane prægnanti, a ſe annotatas commemorat. Tandem locupletiſſimum rerum Indicem cum duplici numero, quorum prior Craaniani operis, alter autem hujus libri paginam indigitat, curavit adjici.

p. 66. p. 148. p. 217. p. 269. p. 580.

*TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA LIBRI SEX: quibus Interpretationem & Notas addidit* THOMAS CREECH *Collegii omnium Animarum Socius.*

Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1695. in 8.

Conſtant Alphab. 1. & plag. 7.

QUamvis qui recte de facultate poetica exiſtimare novit, illorum opinioni minime ſubſcribere poteſt, qui eas *Tito Lucretio Caro* virtutes gaudent attribuere, quæ conſummatiſſimum Poetam & conſtituere & exornare poſſunt; neutiquam tamen eas ipſi invidebit laudes, quibus harum rerum periti ex ipſa etiam antiquitate proſequi eundem non ſubverentur; ex quibus *artem* Cicero; *ſublime carmen* Ovidius; *arduum* Statius *furorem* admirati in Lucretio noſtro fuerunt. Nam res ipſa docet, elegantiſſimum pariter & graviſſimum eum eſſe Poetam, præſertim cum eo tempore carminis ſcribendi gloria floruerit, quo ingeniorum probatiſſimorum Roma fuit feraciſſima; eo ipſo nempe extinctus die, quo Virgilius natus in hoc mundi theatro comparuit, veluti lampada a ſe accenſam Maroni traderet Carus. Interim plurima huc usq; obſtiterunt, quo minus ſine impedimentis legeretur Poeta noſter; utpote quem non lectio tantum monſtroſas ſubinde voces & abſurdas ſententias lectoribus offerens, ſed & ipſa materies & argu-

menti ratio reddebat difficilem. Cum enim Lucretius Epicuri philoſophiam verſibus exornare conſtituerit, patet, neminem auctorem iſtum evolvere cum intelligentia potuiſſe, niſi cui iſtud philoſophandi inſtitutum admodum fuerit perſpectum. Sed quis neſcit, antequam erudituſſimus *Gaſſendus* eam Philoſophiam tam feliciter ex totius antiquitatis monumentis erueret, ſuis tenebris veluti obvolutam a pauciſſimis fuiſſe guſtatam & cognitam? Equidem non defuere viri docti, qui manus afferre medicas lacero veluti Lucretii corpori allaborarunt, ſed vix unus fuit & alter, qui aliquod operæ fecerit pretium; ex quibus Lambinus, multis codicibus manu exaratis uſus, Lucretium omni ex parte maculoſum atque deformem feliciter multis in locis reſtituit, adjectis brevibus, non tamen inutilibus in eum commentariis. Hunc Giphanius, & porro Pareus, & Nardius aliique, quanquam ex ſententia doctiſſimi Creechii haud æquis paſſibus ſecuti ſunt; niſi quod in Tanaquillo Fabro excellens ubique eruditio, cum admirabili judicii acumine emineat. Cæterum quæ in commentatoribus deſiderari poſſe videntur, ea non ipſorum negligentiæ aut incuriæ, ſed ſubſidiorum, unde meliora peti poterant, defectui ſunt adſcribenda.

Sed nunc ſpes eſt, melius Poetæ noſtri evolutionem ſucceſſuram eſſe, poſtquam Vir clariſſimus *Thomas Creech* eundem nobis & emendatiſſimum, & notis ac interpretatione perſpicua ornatiſſimum dedit. Quamvis enim jam pridem *Fayus*, homo Gallus, idem in Lucretio perpoliendo tentaverit, tam infeliciter tamen, cenſente Creechio, iſto in negotio ſeſe dedit, ut Gaſſendi & Lambini labores nunquam eum inſpexiſſe abunde demonſtraverit, & barbara interpretatione Latiniſſimum Auctorem infuſcaverit potius, quam lucem eidem affuderit. Igitur Creechius id efficere ſumma ope ſtuduit, ut ſine offenſione procederent omnia; eumque in finem Lambini, Giphanii, Voſſii, Salmaſii, Gronovii, Fabri aliorumque obſervationes hinc inde collectas digeſſit, non tamen ita probatis omnibus, ut ſuo interdum non fuerit obſecutus animo. Imprimis vero apparet, ſedulo ipſum conſuluiſſe Gaſſendum, tam doctum, tam elegantem interpretem, ut præcipuam lucem, quam Vati noſtro attulit, huic ſeſe debere libenter fateatur. Verum Grammaticorum illas de vocibus contentiones ſepoſuiſſe ipſum facile conſtat, ubi expedita per ſe ipſa videbatur ſententia. In margine vero appoſuit ad imitationem illorum, qui in Delphini uſum Auctores concinna-

cinnarunt, interpretatione paraphraſtica, in qua ſtylo puro, dilucido & ſuavi Lucretii genus dicendi obſcurum aut difficile clariſſime eloquitur.

*LES BATAILLES MEMORABLES DES FRANÇOIS.*

Id eſt:

## Præliorum a Francis ab initio eorum Monarchiæ uſque ad hæc tempora editorum Hiſtoria.

Amſtelodami, apud Georg. Gallet, 1695. in 12. Alph. 1. pl. 8.

Sexaginta & unum prælia hoc opere enarrantur, quibus omnibus victoriam aut reportarunt ipſo facto, aut certe jactarunt Franci. Primum eorum eſt, quo Clodoveus ad Tolbiacum A. 489 Alemannos profligavit; ultimum, quo in Pedemontio Franci, Catinato duce, Fœderatorum exercitum A. 1693 in fugam conjecerunt. Neque pugnaciſſimæ Genti triumphorum multoties actorum gloria invideri debet, & fatendum utique eſt, Tacticam iſtam, ſeu inſtruendæ aciei artem, omnemque militarem ſcientiam ad ſummum faſtigium noſtra ætate evectam ab ea eſſe. Sed nec id diſſimulandum, ſæpe præliis quidem victores, aſt bello victos Francos fuiſſe; ſæpe etiam ingentibus cladibus ipſorum Regum captivitate inſignitis affectos. Has ab Auctore noſtro plane & conſulto quidem prætermiſſas fuiſſe, faciliime quisque deprehendet. Ut ſpecimen tamen ejus rei qualecunque exhibeamus, videas, prælium Furnenſe, quo A. 1296 Franci Flandros devicerunt, nec non illud, quod A. 1303 ad Montem Pabulanum (Pueille) conſertum fuit, Flandris itidem funeſtum, juſto ab Auctore ſtudio enarratum; prælii autem Cortracenſis, quod inter duos illos conflictus interceſſit, quo flos Nobilitatis Francicæ periit, adeo ut inter ſpolia alia octies mille inaurata calcaria, qualia geſtare nonniſi nobilitate inſignibus fas tunc erat, victoribus Flandris in prædam ceſſerint, mentionem obiter tantum & paucis verbis factam. (Joannes de Buſsieres Hiſt. Franc. L. IX. §. 19.) Videas, de duobus celebratiſſimis præliis, Creſſiacenſi & Pictavienſi, quorum illo A. 1346 Francorum triginta millia ceciderunt, Anglis victoribus; hoc, quod A. 1356 commiſſum fuit, ab octo Anglorum millibus, Francorum quinquaginta millia profligata fuere, Rege ipſo Johanne capto, altum eſſe apud Auctorem noſtrum ſilentium: (L. X. §. 11. 12. 18. 19.) prætermiſſam etiam videas pugnam Azincurtianam A. 1415 pugnatam, qua Henricus V Rex Angliæ luculentam de Francis victo- (L. XII. §. 4. 5.)

victoriam reportavit, etſi impar adeo confligentium numerus eſſet, ut Anglo uni ſex ſeptemve Franci opponerentur. Videas, prælium ad Ravennam A. 1512 conſertum, quo victoria etſi cruenta ſatis penes Francos fuit, illud item quo ad Marinianum A. 1515 victi a Francis Helvetii fuere, accurate ſatis & copioſe Auctorem noſtrum deſcripſiſſe;
L. XV. §. 18. aſt præteriiſſe ſilentio prælium intermedium ad Novariam A. 1513 conſertum, quo inſigni victoria potiti fuerant Helvetii, cæſo Francorum exercitu, & Mediolanenſi Ducatu Sfortiæ reſtituto. Videas & mire-
L. XVI. §. 17. ris, omiſſum ab Auctore decantatisſimum illum ad Ticinum ſive Mirabellum conflictum, quo A. 1525 non exercitus ſolum Francicus devictus eſt, ſed Rex ipſe Franciſcus I captus ac in Hiſpaniam abductus. Videas diligentem ſatis Auctorem fuiſſe in repræſentanda pugna ad Rentiacum A. 1554 inita, qua Henrici II Franciæ Regis fortuna præva-
L. XVI. §. 12. 13. luit; ſed oblitum fuiſſe famoſisſimi ad Sanquintinum prælii A. 1557 conſerti, quo Franci horrendam cladem acceperunt. Tacemus multas alias, quæ infauſtæ Francis cecidere, dimicationes ab Auctore noſtro diſſimulatas. Unicum ex recentiori hiſtoria exemplum ſi addere fas eſt, videas prælium ad Atrebatum A. 1654 commiſſum, quo victoriam Turenius Francici exercitus ductor conſecutus eſt, Dunenſe item, quo A. 1658 Franci Anglis ſociati Hiſpanos Dünkerkam liberare conatos repulerunt, in theatrum produci; ſileri prælia ad Valencenas A. 1656, & Cameracum A. 1657 conſerta, quibus de Francis triumpharunt Hiſpani. Sed ſuæ forte Auctori cauſæ fuerunt, cur nonniſi exhibere victores Francos voluerit, nobis quidem non facile divinandæ. Nam cladium, quas perpeſſi ſubinde ſunt, memoria, quam tot hiſtoriarum ab ipſis Scriptoribus Francicis, e quibus ſolum hic Buſſerium produximus, conditarum monumenta ſervant, deleri nunquam poterit; & Francis hodiernis laudi potius decorique eſt, quod majorum ſuorum temeritatem errataque alia, quibus cladem ſubinde ſibimet ipſi attraxerunt, in cautelam vertere didicerint. Niſi forte peculiare opus Auctor deſtinavit enarrandis præliis, quibus Franci ſeu culpa ſua, ſeu victorum virtute ſuccubuerunt. Interim cum fructu lecturi librum hunc ſunt, qui militaribus ſtudiis ducuntur, & eorum imprimis præliorum, quæ præſenti bello conſerta fuere, rationes ac eventum, ejusque cauſas ſcire deſiderant.

---

*Scire Lectorem Benevolum cupimus, Tomi II. Supplementorum Sectionem X una cum menſe Martio prodiiſſe.*

✻)o(✻

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Aprilis, Anno M DC XCVI.*

## *TRAITE' DE L' INSPIRATION DES LIVRES SACREZ du Nouveau Teſtament*, i. e.

## Tractatus de Inſpiratione librorum ſacrorum Novi Teſtamenti, auctore C. G. De La Mothe M. D. S. E.

Amſtelod. apud P. Brunel, 1695. in 8. plag. 16.

QUæ inter Johannem Clericum & Richardum Simonem de Inſpiratione librorum ſacrorum diſceptata ſunt, adeo in ore omnium verſantur, ut neminem temere fugere poſſint. Clericus quippe, dum ſub nomine Theologorum Hollandiæ, quorum Judicia de Richardi Simonis Hiſtoria Critica V. T. A. 1686. menſe Sept. pag. 432 recenſuimus, latitans, Richardum Simonem impugnat, de θεοπνευςία librorum ſacrorum talia protulit, quæ a receptis Chriſtianorum placitis plane abhorrere videbantur: cumque Richardus Simon reſponſum, a nobis eodem anno & menſe pag. 439, indicatum, ei oppoſuiſſet, in Defenſione Judiciorum quorundam Theol. Holl. a nobis anno 1687. menſe Julio pag. 363 commemorata, ſuam ſententiam firmandam magis ſtabiliendamque ſumpſit. Hinc non tantum ipſe Richardus Simon, in Reſponſo ad dictam Defenſionem, quod ibidem pag. 367. exhibuimus, ſed & ex Batavis Witſius, ex Anglis Lowth Theologus Oxonienſis, ex Gallis Le Vaſſeur, quos Noſter in Præfatione laudavit, hanc Clerici ſententiam ſtrenue oppugnarunt. Nec ſibi defuerunt Viri doctiſſimi, judice Auctore noſtro, ſed partibus ſuis egregie functi ſunt; ſolum hoc deſiderari poterat, ut doctrina de Inſpiratione librorum ſacrorum ita explicaretur, ut in Syſtema aliquod apte formatum & arctiſſime connexum & colligatum conſurgeret, inde ut eo promptius Spinozæ & Clerici opiniones refelli & confutari poſſint. Atque hic quidem eſt, quem ſubire De La Mothe voluit labor, cujus nunc ſpecimen orbi erudito exhibuit, librorum ſacrorum Novi Fœde-

tis inſpiratione expoſita & aſſerta: eo quod hac evicta, Veteris Fœderis libri itidem ſalvi ſint, & ſupra profanorum hominum auſus poſiti.

Part. I. Cap. I. Poſtquam igitur Auctor doctiſſimus non de veritate, quippe de qua inter omnes hodie convenit, ſed de divina inſpiratione librorum ſacrorum Novi Teſtamenti litem eſſe monuit, ſententiam adverſarii, quo cum in certamen deſcendere conſtituit, ediſſerit. Cuncta huc redeunt, Apoſtolos ſciviſſe & retuliſſe equidem quædam, quæ ſint divinæ autoritatis, quæ videlicet aut ab ipſo Servatore oretenus acceperint, aut Deus illis revelarit: neutiquam vero eos, dum ſcripſerunt, fuiſſe θεοπνεύςȣς, fallique adeo eos omnes, qui ſcripta eorum divinitus eſſe inſpirata credunt. Arduam omnino rem eſſe, quæ vocetur in dubium, hancque aſſertionem ad maximam impietatem munire viam, pluribus Noſter probat; & ipſos Socinianos unquam eousque audaciæ progreſſos eſſe, ut tale quid affirmaverint, negat, cum tamen ea ratione a maximis, quibus premuntur, difficultatibus ſe expedire potuiſſent. Hoc ergo monſtrum ut conficiat, primo θεοπνευςίαν librorum ſacrorum N. T. invictis argumentis aſſerere, deinde rationem θεοπνευςίας ita explicare, ut hæcce adverſariorum molimina ſua ſponte corruant, annititur.

Cap. II. Divinam itaque librorum ſacrorum N. T. inſpirationem, primo probat ex teſtimonio & conſenſione unanimi Doctorum primitivæ Eccleſiæ. Nimirum hoſce exiſtimaſſe, libros N. T. eſſe θεοπνεύςȣς, inde conſtat, quia eos ejusmodi inſignivere titulis nominibusque, quæ diſerte hoc indicant. Vocarunt quippe libros N. T. oracula cœli, verbum Dei, Scripturam divinam. Quin per eminentiam Scripturam dixerunt; quemadmodum ipſi Apoſtoli hoc nomine libros V. T. ornarunt Gal. III, 8. IV, 30. Unde concludit, primitivæ Eccleſiæ Doctores idem exiſtimaſſe de libris Novi Teſtamenti, quod Apoſtoli de libris Veteris Teſtamenti cenſuerunt. Hi autem V. T. ſcripta divinitus eſſe inſpirata ſtatuerunt. Ergo quæ Doctorum primitivæ Eccleſiæ de ſcriptis N. T. ſit ſententia, liquet.

Cap. III. Idem ex eo evincit, quia Scriptores primitivæ Eccleſiæ Apoſtolorum ſcripta V. T. oraculis æquipararunt; id quod Irenæi, Juſtini Martyris, Theophili, aliorumque documentis comprobat.

Cap. IV. Accedit diſcrimen, quod inter Apocryphos Canonicosque libros Veteres conſtituerunt, id quod locum habere non poſſet, niſi credi-

crediſſent, quosdam libros N.T. quos ideo Canonicos vocabant, eſſe θεοπνεύςȣς. Sed nec inſignem, quo libros N.T. proſecuti ſunt Veteres honorem, Noſter prætermittit. Scelus erat & inexpiabile crimen, hisce addere aliquid aut detrahere. Pertinaciſſimi hæreticorum ex ſcriptis Apoſtolorum ſe convincendos eſſe, clamitabant: certiſſimo rurſus documento, eos credidiſſe, libros N.T. eſſe divinitus inſpiratos. Quid? diſerta Patrum monumenta, quæ hosce libros divinitus inſpiratos eſſe citra ambages affirmant, nonne idem oſtendunt quam luculentisſime? Jam vero Clementem Romanum, Juſtinum Martyrem, Theophilum Antiochenum, Irenæum, aliosque conceptis verbis θεοπνευςίαν horum librorum aſſerere, ipſis illorum teſtimoniis demonſtrat. Præcipue vero Origenem in hac verſari ſententia docet, ut adeo mirari ſatis nequeat, Auctorem Judiciorum ad eum, pro ſua ſententia firmanda, provocare auſum eſſe. Hiſce ita rite deductis, ad objectiones, quibus primitivæ Eccleſiæ conſenſus infringi ſolet & infirmari, multa regerit, ſimulque docet prolixe, Hieronymum quoque in ſuis militare caſtris. Cum vero maxime quod a ſeptuaginta Interpretibus depromptum eſt argumentum, ſpeciem quandam præ ſe ferret, illud accuratius diſcutere operæ pretium duxit. Nimirum conſenſum primitivæ Eccleſiæ nobis non eſſe præſidio, inde probant Spinozæ alumni, quia Doctores iſti potuerint errare: & erraſſe eos in ſimili plane negotio, inde oſtendunt, quia & ſeptuaginta Interpretes θεοπνεύςȣς fuiſſe, ſibi perſuaſerunt: id quod tamen ſecus eſſe, nemo hodie ambigat. Auctor itaque, qui prolixe ante inculcaverat, fieri non poſſe, ut unanimi Doctorum veterum conſenſu in re tam ardua, quamque exploratam habere poterant, falſa tradantur, ad hæc ita regerit, ut (1) aſſerat, nec hodie deeſſe, qui credant, ſeptuaginta Interpretes divino Numinis afflatu perculſos, in Græcum ſermonem ſacras literas tranſtuliſſe. Poſſe utique inveniri documenta haud contemnenda, quibus hoc evincatur, contendit. Si ergo, inquit, ſeptuaginta Interpretes fuere θεόπνευςτι, non ſane errarunt Patres. Sed (2) ſi vel maxime θεοπνευςία LXX Interpretum non concedatur, non tamen ad rei ſummam quicquam proficiunt veritatis hoſtes. Etenim nondum probatum eſt, omnes Eccleſiæ primitivæ Doctores in hac fuiſſe ſententia: licet non diffitendum, quorundam menti eam ſediſſe. Præterea (3) de LXX Interpretum θεοπνευςία non poterant iſti Doctores æque

Cap. V.

Cap. VI.

Cap. VII.

certi eſſe, ac de divina librorum N. T. inſpiratione, cum trecentis fere ante N. C. annis iſta translatio putetur ſuſcepta, de qua etiam non niſi ab Arſtiæa, homine ethnico, certiores redditi fuere Patres. Quæ omnia, CAP. IIX. ſi libros N. T. ſpectes, ſecus ſe habent. Jam ad alteram argumentorum claſſem accedit, quæ ipſa librorum N. T. indoles illi ſuppeditat. Primo itaque finem, qui DEO, dum divinos hosce libros mortalibus impertiret, conſtitutus fuit, conſiderat. Hic vero præter particularem iſtum, qui certum tempus reſpexit, univerſalem quendam, eumque non alium deprehendit, quam doctrinæ cœleſtis ad ſeros poſteros & ultima ſecula propagationem. Hunc finem ait obtineri non poſſe, niſi libri ſint θεόπνευστοι. Si enim non ſint, neminem de veritate doctrinæ Chriſtianæ certum eſſe poſſe, adeoque DEUM hoc fine excidiſſe. Deinde CAP. IX. ad inſpiciendos ipſos libros N. T. adverſarios ablegat. Nihil niſi magnum & divinum quid illos ſpirare, modo quis mentem præjudicatarum opinionum vacuam afferat, deprehendet. Ipſos Ethnicos auguſtius ſublimiusque quid in libris hisce agnoviſſe. Jam ſi quis iſtius doctrinæ ſublimitatem, præceptionumq;, quibus mores hominum formantur, ſanctitatem exactius expendat, eum non poſſe non hujus rei convinci: præſertim ſi addas, auctores plerosque tam præſtantium ſcriptorum fuiſſe homines rudes, ſimplices, nulla doctrina, præterquam divini Spiritus afflatu, formatos imbutosque. Hinc, inquit, eorum divinitas eluceſcit, licet libri ſacri N. T. non ſuperarent, ſed æquarent ſolum ſcripta, humana & induſtria & ſapientia elaborata. CAP. X. Idem porro ex natura Novi Fœderis conſtare autumat. Præſtantius illud auguſtiusque eſſe Veteri, ipſæ ſacræ literæ docent, & omnes fatentur. Jam vero cum in Veteri Fœdere libris divinitus inſpiratis mortalium fragilitati fuerit conſultum, quis crederet, Novi Fœderis deteriorem eſſe conditionem, librisque θεοπνεύστοις illud carere? Præſertim cum ad omnes homines ſuos proferat limites, & ad ventura quævis duraturum ſit ſecula; ut adeo in novo magis neceſſaria fuerit divina hæc inſpiratio, quam in veteri. CAP. XI. Accedit Apoſtolorum dignitas. Inter omnes enim Numinis miniſtros, qui doctrinæ cœleſtis propagationi operati ſunt, adeo eminent, ut ipſis etiam præferantur Prophetis. Conf. I. Cor. XII, 28. Epheſ. IV, 11. Cum itaque Prophetis V. T. qui Apoſtolis inferiores fuerunt, donum θεοπνευστίας fuerit conceſſum, quis crederet illud denegatum fuiſſe Apoſtolis? Ipſum ſane Apoſtolatus munus hoc

hoc requirebat. Erant Doctores omnium hominum totiusque orbis.
Hosce autem θεοπνευστίᾳ non inſtructos eſſe oportebat? Id vero et- Cap. XII.
iam eſt, quod Chriſti Servatoris noſtri pollicitatio, qua Apoſtolis Spi-
ritum veritatis ſe impertiturum promiſit, nos edocet quam luculen-
tiſſime. Quo ipſo hoc ſibi voluit, hunc Spiritum illis præſto futurum,
quoties cœleſtis doctrinæ arcana eſſent explicaturi: hoc vero tum
maxime præſtiterunt, cum ſcriptis ſuis totum erudivere orbem. Ergo
tum cumprimis divinum Spiritum illis adfuiſſe neceſſe eſt. Quam ve- Cap. XIII.
ro promiſſis ſuis ſteterit Servator, res ipſa docet; unde novum enaſci-
tur argumentum. Sæpius vero Apoſtolos, etiam in rebus, quæ tantum
momentum non trahunt, quam cœleſtis doctrinæ per literas ad omnem
poſteritatem propagatio, divino afflatu fuiſſe perculſos, neminem fu-
git, & vel ex Concilii Hieroſolymitani hiſtoria patet. Litem enim de-
creto ſanctiſſimo compoſituri, viſum, inquiunt, nobis & Spiritui San-
cto. Ergo multo magis dum literarum monumentis doctrinam cœle-
ſtem conſignarunt, divinus Spiritus illis adfuit. Neque ipſi hoc diſſi-
mulant, quin ſubinde diſerte indicant. Conf. 1. Cor. II, 10. 11. 12. Ut ve- Cap. XIV.
ro nihil deſit, quod ad firmandam ſtabiliendamque ſententiam hancce
faciat, clariſſima tandem Apoſtolorum oracula, quæ illorum θεοπνευ-
στίαν aſſerunt, profert. Paulus enim non ſemel affirmat, quod νοῦν
Χριστοῦ 1. Cor. II, 16. Spiritum Dei, 1. Cor. VII, 40. Spiritum Sanctum,
II. Tim. I, 14. & alibi, habeat. Idem & Petrus tum de ſuis, tum de Pauli
epiſtolis, II. Epiſt. III, 1.2.15. teſtatur. Denique nec iſtud prætermitten- Cap. XV.
dum cenſet, quod Apoſtoli Doctoresque primitivæ Eccleſiæ Chriſtia-
næ, facultate ſingulari atque divina cuncta diſcernendi fuerint gavi-
ſi. I. Cor. XII, 7. 8. 10; quorſum & illud trahit, quod I. Cor. XIV, 32. di-
citur: Spiritus Prophetarum ſunt ſubjecti Prophetis. Jam vero ſi quis
auſus eſſet ſua ſcripta pro θεοπνεύστοις venditare, quæ tamen humani
ſolum ingenii fuiſſent fœtus, cæteri ſine dubio & intellexiſſent hoc &
detexiſſent, ne turpi errore mortales abriperentur. Quare cum vete-
res Eccleſiæ Doctores illud adeo non fecerint, ut potius probaverint
hæc N. T. ſcripta, eadem θεόπνευστα eſſe, invicto argumento inde col-
ligitur.

Aſſerta itaque hunc in modum firmataque librorum N. T. θεο- Part. II.
πνευστία, modum divinæ inſpirationis, quod alterum & præcipuum
fere tractationis ſuæ caput conſtituit, explicare aggreditur. Initio ita-

CAP. I. que negat, libros N. T. verbotenus a Spiritu Sancto inſpiratos & velut ad calamum dictitatos eſſe. Nec Eccleſiæ Reformatæ Doctores id ſtatuere contendit, idque Burmanni & Witſii, celeberrimorum Theologorum documentis docet. Falli ergo Auctorem Judiciorum inde
CAP. II. colligit, hanc ſententiam Reformatæ Eccleſiæ imputantem. Hinc res ipſas, ab Apoſtolis literarum monumentis conſecratas, in triplici diſcrimine poſitas eſſe autumat. Nonnullæ per revelationem; aliæ autem mentis & ſenſuum ope illis innotuere: aliæ denique per ratiocinationem rite hinc fuere deductæ. Quod in ſcripturis Apoſtolorum quædam occurrant, quæ per revelationem illis innotuerunt, dubio caret, nec Autor Judiciorum diffitetur. Quatuor autem modis, viſione, voce cœleſti, ſomnio, & ſuggeſtione hanc revelationem factam eſſe, ex Grotio obſervat. Quin ipſe Spinoza hoc adeo non inficiatur, ut Apoſtolos etiam Prophetas fuiſſe concedat. Interim de eo hic lis eſt, an Apoſtoli res, quas ex revelatione didicerunt, modo infallibili, per θεοπνευςίαν omni errandi periculo exempti tradiderint literis? Hoc abnuere Auctorem Judiciorum, ſe autem aſſerere Noſter ait. Fumum itaq; venditat Auctor Judiciorum, judice Noſtro, dum concedit habuiſſe Apoſtolos quædam ex revelatione. Namq; dum Spiritus Sancti directionem, dum ſcripſerunt, illis denegat, nemo certus eſſe poteſt, annon erraverint illa literis mandando, quæ ex revelatione hauſerant, vel an bona fide hæc cum mortalibus communicaverint? Aſſerit itaque, quod ad res, quæ ex revelatione tantum conſtant, attinet, illas non tantum a Spiritu Sancto Apoſtolis fuiſſe ſuggeſtas, ſed & eundem Spiritum Divinum, dum hæc literis mandarunt, illis præſto fuiſſe, ut
CAP. III. adeo nec errare nec labi potuerint. De rebus vero, quas mente ſenſibusque jam cæteroquin perceperant Apoſtoli, ita cenſet, eas quidem a Spiritu Sancto illis non fuiſſe ſuggeſtas. Quid enim opus erat, ea illis ſuggerere, quæ jam probe tenebant? Sed tamẽ quod in illis errare non potuerint, id quidem Spiritus S. directioni iterum eſſe imputandum. Hunc quippe non tantum eos ad ſcribendum excitaſſe, occaſionemque ſuppeditaſſe, ſed mentem direxiſſe, ne quid ſcriberent, quod verum non eſſet; intellectus inſuper, imaginationis & memoriæ vires, quousque ſuſcepti operis ratio hoc poſtulabat, mirifice auxiſſe & con-
CAP. IV. firmaſſe. Cum vero & ſæpius divini viri ex iis, quæ aut ex revelatione, aut ſenſibus perceperant, ratiocinando novas deduxerint concluſiones,

ſiones, id quod documentis Prophetarum & Apoſtolorum comprobat, Noſter hac de re ita arbitratur, ipſas ratiocinationes illis non fuiſſe a Spiritu S. ſuggeſtas; ad hoc enim ſuffeciſſe rationem ipſam, qua, ut homines, gaudebant: ſed tamen & hanc mentis actionem direxiſſe Sanctum Spiritum, eamque extra omne errandi periculum collocaſſe. Ergo cum divini Viri nihil niſi aut ſuggerente aut dirigente Spiritu Sancto ſcripſerint, ea quidem ratione, qua Auctor hæc ediſſeruit, ſequitur 1) Apoſtolos, dum ſcripſerunt, rationis uſum & habuiſſe & exercuiſſe: non autem mera fuiſſe inſtrumenta; quin eorum intellectum, imaginandi facultatem, memoriamque ad hocce opus concurriſſe. Quod profecto ſecus eſſet, ſi verbotenus cuncta Spiritus Sanctus dictitaſſet. Hinc mirum non eſſe, quod humano more ſæpius loquantur, dubitando, an hoc vel illud eventurum ſit: id quod ineptum eſſet, ſi cuncta verbotenus a Spiritu Sancto fuiſſent profecta. 2) Hinc & intelligi, quod dicendi genus; quo quisque uſus eſt, genio ejus & indoli fuerit attemperatum. 3) Neque neceſſe eſſe, ut, quod cæteroquin fieri ſolet, inter res & verba diſtinguatur; id quod Auctori admodum diſplicet. 4) Denique quicquid in ſcriptis illis ſacris humanum morem aut imbecillitatem redolere videtur, id infallibilitati & divinæ illorum inſpirationi non poſſe fraudi eſſe. Hisce hunc in modum explicatis & demonſtratis, infallibilitatem, quæ ex directione Spiritus Sancti oritur, accuratius conſiderat. Cum vero nemo dubitet, ipſum Divinum Spiritum nec fallere nec falli poſſe, id tamen nonnullis ambiguum videri, an etiam ſacri Scriptores Spiritus Sancti directioni ſemper fuerint obſecuti. Certe ſi potuerint non obſequi, corruit librorum ſacrorum infallibilitas. Hoc itaque eſt, quod pluribus argumentis probat, Apoſtolos non potuiſſe non directioni Spiritus Sancti obtemperare, & ſi ſuggeſtioni vel directioni ejus parere noluiſſent, id tamen facere eos non potuiſſe. Quin certa ratione ab Epiphanio aliisque recte aſſeri, coactos fuiſſe Apoſtolos directioni Divini Spiritus plane ſe ſubmittere. Sed vero idem etiam ex ipſis rebus, quas literis conſignarunt, conſtare ait. Eas quidem non in doctrinas & facta, ut vulgo, ſed perperam judice Noſtro fieri ſolet, ſed tales, quæ aut directe ad doctrinam ſacram ſpectant, aut quæ hanc doctrinam comitantur, & velut acceſſoriæ ſunt, diſpeſcit. Res prioris generis non potuiſſe a Scriptoribus mandari literis, niſi Spiritus S. id ſimul effeciſſet, ut modo

Cap. V.

Cap. VI.

Cap. VII.

infal-

infallibili id fieret, palam eſt. Sane ſi ſecus ſe res haberet, omnis librorum ſacrorum uſus penitus everteretur. Sed de rebus, quæ ſunt poſterioris generis, adhuc dubitari poſſe. Cum vero ad hanc claſſem illud referri ſoleat, quod de die extremi judicii prodiderunt Apoſtoli, prolixius hanc rem diſcutere aggreditur. Nimirum non aliam viam ex magnis, quæ hic undique ſe offerunt, difficultatibus eluctandi eſſe putat, quam ut dicamus, nunquam hoc docuiſſe Apoſtolos, diem extremi judicii propediem adfuturum. Quæ ergo vulgo afferantur, aut de urbis Hieroſolymitanæ excidio intelligenda, aut alia ratione explicanda eſſe. Cæterum de ipſis rebus acceſſoriis, quorſum & proverbia, quibus uſi ſunt Apoſtoli, & quæ de rebus ad ſe ſpectantibus ſcribunt, refert, in illis directioni Spiritus Sancti neutiquam eos exemptos fuiſſe contendit. Huic vero directioni id imputandum eſſe, quod in illis nihil admiſerint ſacri Scriptores, quo decori leges violarentur. Nec obſtare ait, quod in Veteris Teſtamenti oraculis citandis quandoque labi videantur. Id enim perperam aſſeri, nec probari poſſe, eos unquam lapſos eſſe autumat. Ad loca, quæ objici ſolent, jampridem eſſe reſponſum. Auctorem Judiciorum parum proficere ad Hieronymum, Eraſmum atque Capellum provocando. Si enim auctoritatibus pugnandum eſſet, ſe ſine dubio ex hoc certamine ſuperiorem diſceſſurum. Sed nec Hieronymum cæteroſque illi eſſe præſidio. Id quod pluribus demonſtrat, & celeberrimum iſtud divi Matthæi oraculum, in quo Jeremiam pro Zacharia allegare videtur, itemque quæ de mortis, qua Judas periit, genere, ad committendos inter ſe ſacros Scriptores, diſputari ſolent, allatis eruditorum reſponſionibus, ſub examen revocat. De ſtylo tandem ſacrorum Scriptorum obſervat, perperam ab Auctore Judiciorum eos argui, qui ad ſenſum divinarum literarum percipiendum in vim ſingularum vocum diligenter inquirunt. Etenim ſi admittas, inquit, quod ille contendit, Scriptores ſacros voces ſine delectu, prout quæque ſe illis offerebat, uſurpaſſe, maximis graviſſimiſque erroribus aperta erit feneſtra. Ad oracula enim Scriptorum ſacrorum eludenda ſufficiet dicere, eos minus accurate fuiſſe locutos. Deinde licet ſtylus horum Scriptorum ſit humanus, non tamen inde ſequitur, quod non ſit exactus, verbiſque ſummo ſtudio delectis utatur. Interim neutiquam ſe illorum morem probare addit, qui in ſingulis verbis neſcio quæ myſteria Judæorum inſtar captent, & tantum

CAP. IIX. CAP. IX.

non

non totam Scripturam in allegorias convertant. Finit tandem hocce opus reſpondendo ad argumenta, quibus impugnari θεοπνευστία librorum ſacrorum a Spinoza & Auctore Judiciorum ſolet. Hæc vel ex actionibus Apoſtolorum, vel ex Scriptura ſacra deprompta ſunt. Prioris generis ſunt, quod Petrus dubitaverit, num Gentiles admitti debeant in Eccleſiam Chriſtianam; quod ad mores Judæorum ultra quam par erat, ſe attemperaverit; quod Paulus non noverit ſummum Pontificem, & callide injecta reſurrectionis mortuorum mentione, inter Phariſæos & Sadducæos excitaverit diſcordiam. Prolixe ad hæc & ſimilia reſpondet: cuncta tamen fere huc redeunt, quod nemo aſſerat, Apoſtolos etiam dum non ſcripſerunt, Spiritus Sancti gratia ita fuiſſe munitos, ut plane errare aut falli non potuerint. Quid ergo mirum, ſi quædam ignoraverint? Ad ultimum inter alia regerit, prudentiam, qua uſus eſt Paulus, homine θεοπνεύστῳ non fuiſſe indignam. Poſterioris generis ſunt, quod Apoſtoli ſermonis genere minus eleganti & puro utantur; quod ſæpius ratiocinentur, & ad ſenſuum perceptionem provocent; interdum quoque dubitent, & pugnantia ſecum proferant. Ad primum itaque regerit, Apoſtolos non fuiſſe Græcæ linguæ Profeſſores, ut ſumma ſermonis elegantia & puritas ab illis exigi poſſit, ſed Gentium Doctores. Ad ſecundum & tertium reponit, per Spiritus Sancti directionem illos non deſiiſſe ratione ſua uti: mirum itaque non eſſe, quod ratiocinentur, cum & ipſe Chriſtus & Prophetæ V. T. idem fecerint. Ultimum denique plane negat, fruſtraque eos omnes fuiſſe contendit, qui hactenus veræ contradictionis Scriptores ſacros convincere auſi ſint. Cap. X. Cap. XI.

*HISTORIA PARTIUM ET OECONOMIÆ HOMINIS Secundum naturam, ſeu Diſſertationes Anatomico-Phyſiologicæ in Academia Lipſienſi publice ventilatæ, & in uſum philiatrorum collectæ, Autore* D. JOH. FRIDERICO ORTLOB, *Anat. & Chirurg. P.P. Extr. Fac. Med. Aſſeſſ. & Maj. Princ. Coll. Collegiato.*

Lipſiæ, typis & impenſis Joh. Heinrici Richteri, 1696. in 4.
Alph. 1. plag. 19. Tab. æn. 1.


QUos publico Philiatrorum examini ſigillatim hactenus in Academia noſtra exhibuit, Diſſertationes XXXVII, in unum nunc faſciculum collectas, ut plurium uſui paterent, adjecto indice edidit Experi-

perientisſimus Auctor. Ordinis ratio præſertim ex prima earum patet, quæ de homine in genere, quidque circa partes ejus integrantes, animam & corpus, tenendum ſit, exponit. Et cum in homine actiones alias ſolius animæ, alias corporis, alias ex utroque procedentes aſſerat, primas tanquam ad medicum proprie non ſpectantes ulterius non ſcrutatur, ſed binis poſterioribus præcipue ſtudet. In corporeis bene declarandis præmittit in genere, quid de corpore humano ejusque partibus ſcitu in ſequentibus neceſſarium ſit, atque in quonam vitalitas ejus conſiſtat. Eam vero tanquam multifarium quidem, ordinatum tamen totius corporis partiumque motum deſcribit, qui ex mutua organorum rite conformatorum & agentium fluidorum habitudine & reciproco impulſu dependeat, neque adeo peculiaris animæ ſenſitivæ præſidio indigeat. Inde a chyloſi ad hæmatoſin, (quæ reſpirationem quoque comprehendit) hinc ad humorum laudabilium, ſuperfluorum, excrementitiorum, tandem ſpirituum quoque ſecretiones & diſtributionem procedit, connexam de nutritione, & motibus automaticis, ſingulari ratione in homine illuſtratis, doctrinam ſubjungens. Ut illæ vero actiones, quæ ab homine, ut compoſito, proficiſcuntur, penitius pateant, commercium animæ rationalis & corporis dilucidare nititur, & dein in motu voluntario atque ſenſatione in genere applicat, inde ſpecialius per ſenſus externos & internos progreſſus, ubique hypotheſi facili negotium ſatis abſtruſum illuſtrat. Præter famem & ſitim, & ſomnum atque vigilias, doloris etiam & affectuum animi notitiam annectit. Etiamſi enim ille ad ſtatum præter naturam pertinere videatur, hic tamen mentionem ejus injicere voluit, quatenus conſideratur, ut facultas hominis in ſtatu naturali conſtituti etiam ea, quæ corpori moleſta accidunt, cognoſcendi. Pari ratione affectuum animi naturam quoque declarat, ſive quid ſit in homine affectu gaudere, cum id in pathologia & hygiene tantummodo ſupponatur. Tandem omnibus clauſulam imponit, ſubjectis, organis, & materia generationis explicatis, conceptionis, nutritionis, partus & vitæ fœtus phænomena recenſendo. Inprimis autem Autori clariſſimo curæ fuit, ſtructuram partium, atque experimenta anatomica, tum aliorum, tum quandoque ſibi propria, ſub initium cujusvis phænomeni tradere, ex iisque deinde uſum partium elicere. Invenient proin juvenes tantum non completam hiſtoriam anatomicam, & præter vaſorum ſangui-

neorum

TAB. III. ad A. 1696.
pag. 163.

Fig: I. Fig: II.



neorum & lymphaticorum ideam, atque nevrologiam ſuccinctam, ſubinde quasdam in ſectione enchireſes minus familiares, e quibus illa, quæ cerebri anatomen dirigit, in ſpecie nominari meretur. Ex ea dignã judicavimus ſinuum duræ meningis & deſcriptionem & ſchema huc referre, quod non modo eos, quos *Veſalius*, *Sylvius*, *Williſius*, *Blaſius*, *Bidlous*, *Vieuſſens* & alii delinearunt, diſtinctius & majore ſitus atque connexionis evidentia, ſed alios inſuper nondum deſcriptos exhibeat. Ii vero Autori in anatomia publica in theatro Academiæ noſtræ inſtituta, viridi cera in venam jugularem internam injecta, in conſpectum venerunt. In fig. I. literæ A A A A A notant limbum diſſecti cranii adhuc dura meninge tecti, cujus reſciſſæ extremitates a a a a deſignant. B criſtam galli, & regionem oſſis ſpongioſi, CC oſſis frontis, DD cuneiformis, EE occipitis ſinus ſive cavitates exhibet, F deſcribit ſinum longitudinalem, dictum communiter tertium, in quo antica pars a criſta galli reſecta in poſticam partem reclinata viſitur, ut reliquæ partes felicius detegerentur. Is terminatur ad laterales G G G G dextrum & ſiniſtrum, qui ad inferiorem oſsis occipitis ſinum demiſſi ſpecum Williſii rotundum formant, & ad jugularis venæ exitum feruntur, inque cranio ſui veſtigium inſculptum relinquunt. Quartus H principio extra ſitum locato, a glandulæ pinealis baſi emergit, & lateralibus inſeritur. Quintus inferior falcis eſt, a Veſalio primum, & hinc Sylvio annotatus, uti ſæpiſſime, hic quoque deſiderabatur. Quatuor illorum ſinuum conformatio & connexio melius patet ex figura II. Literæ A A A denotant ſinum longitudinalem apertum, qui canalem triangularem exacte exprimit, & in quo ligamenta valvuloſa, regurgitationem frontem verſus impedientia aliquot, una cum orificiis venarum eo hiantium a a a a delineantur. BB lateralium initium & C quarti exitum definit. Illic loci, ut ad figuram primam redeamus, ubi laterales infra proceſſum petroſum demerguntur, ad hujus limbum porriguntur alii, utrinque bini exiles I I I I ad ſellam equinam producti; ab hac breviores in utroque latere K K K K deorſum tendunt, & ad jugularis abeuntes exitum, cum lateralibus eundem terminum agnoſcunt. Illi Vieuſſenio ſuperiores ſellæ equinæ adſtantes, hi inferiores audiunt. Præter hos adhuc intra cranium, ſed mox ad vertebrarum limites, vertebralis Williſii eſt L L L L, qui annuli inſtar medullam ſpinalem cingit, cujus reſectæ locum M indicat. Eſt vero quatuor ulti-

TAB. II. Fig. I.

Fig. 2

mo nominatorum & vertebralium communicatio in NNNNn, ad ſellæ Turcicæ O O proceſſum poſticum, quæ productio non incongrue transverſalis aut conciliatoris ſinus nomine vocanda eſt, e qua protenſio verſus vertebralis commiſſuram fretum n dici poteſt. His adhuc Autor jungit alios, antea vix depictos, qui eadem ceræ injectione ſe manifeſtarunt PPPP, & quidem utrinque eadem forma, ut caſu eveniſſe non putandum ſit, in oſſis cuneiformis cavitate, qui ab illo, quod olim ob aſperitates diverſas πολύμορφον nuncupabatur, ob varios quos ſpargunt ramulos, πολύμορφοι, Autoris judicio, appellandi ſunt. Hos cum vena jugulari interna communicare, cera per eandem injecta evincit. Quamvis autem tanquam diſtincti canales deſcribantur illi ſinus, inter ſe tamen, ut bene Autor monet, omnium eſt communicatio, ſimulque annectit, longitudinalem ſuperiorem & inferiorem, ſi datur, cum quarto ad laterales, & cum his verſus venam jugularem tendere, utrinque vero ſimul communicare cum ſuperioribus ſellæ equinæ, qui cum inferioribus & vertebralibus per fretum ad transverſalem uniuntur. Quemadmodum vero hinc per inferiores ſellæ equinæ ad jugularem venam refluxus eſt, ita quoque per fretum ad ſinus vertebrales, & ſic venam quoque vertebralem viam eſſe. Cæterum quamvis mechanicam hypotheſin profiteatur Autor, & ejus connexionem per omnes partes continua ſerie deducat, antiquorum tamen & aliorum quoque ſententiam delineat, ut præſertim tyrones, quæ circa præcipua in phyſiologia momenta iisdem tenenda ſunt, in compendio habeant. Et quemadmodum interdum myſteria hæc naturæ interpretandi communem cum aliis rationem ſervat, ita nihilominus interdum quoque peculiares, uti vocat, ſed probabiles conjecturas circa eadem fovet: ſicut id ipſum ex lienis officio, quod hepati, ſanguinem ad bilis ſeparationem præparando, præſtare demonſtrat, aliisque locis eluceſcit.

## *COLLECTIO MAXIMA CONCILIORUM OMNIUM HISPANIÆ & Novi Orbis &c. Tomus II. Cura & ſtudio JOSEPHI SAENZ DE AGUIRRE S. R. E. Presb. Card.*

Romæ, typis Jo. Jac. Komarek, 1694. in fol.
Conſtat Alphab. 8. plag. 13.

Pro-

PRocedat nunc Maximæ Conciliorum Hiſpaniæ Collectionis Tomus ſecundus, ad cujus ſpectaculum ſuperiori menſe Lectores noſtros invitatos a nobis fuiſſe recordamur. De quorum ſtudio eo minus nunc laboramus, quod ipſius operis dignitas, ipſis ex parte jamjam perſpecta, ſecuros ſatis de eo eſſe nos jubeat. Quid impedit itaque, quo minus velut in Areopago acturi, ἄνευ προοιμίȣ ab ipſa cauſa exordiamur?

Offerunt autem ſe hic quoque nobis primo ſtatim loco diſſertationes aliquammultæ, quarum argumenta a nobis paucis erunt indicanda. *Prima* Concilii Eliberitani tempora inveſtigantur, circa cujus ætatem inſigniter errare Eminentiſſimo Autori videntur Anglorum nonnulli, ad annum Chriſti 1200, & Magdeburgenſes ad annum 700 p. 1.
illud referentes. Tolerabilior eſt ex ejus mente Jo. Vaſæi error, qui an- p. 2.
no Chriſti 338, & Garſiæ Loaiſæ, qui cum Antonio Auguſtino & aliis, eodem cum Nicæno Concilio tempore, aut paulo poſt, anno nempe 324, illud celebratum eſſe ſtatuunt. Verum ut alia taceamus, quæ poſtremorum quoque ſententiæ opponit, ἀσύστατα plane illi videntur, quod Eliberitanam Synodum eodem cum Nicæna tempore vel paulo poſt coactam dicant, & tamen eam ad annum 324 referant, cum anno demum 325 Nicænum Concilium ſit celebratum. Et licet etiam anno 324 Nicænos Patres conveniſſe aliquis largiatur, vix tamen viam iniri poſſe exiſtimat, qua Oſius Nicææ ſimul, ubi Concilio eum Apoſtolicæ Sedis nomine præſediſſe credit, & Eliberi eodem anno præſens ſiſtatur, præcipue cum integrum triennium duraſſe Nicænam Synodum, Anonymus apud Lipomannum tom. VI, Gelaſius Cyzicenus, Nicephorus & Caſſiodorus probabile reddant; & finito illo Gangras quoque Oſium p. 3.
abiiſſe ad congregatum ibi Concilium, conſtet. Rectius itaque antiqui- p. 4
orem Nicæna Eliberitanam Synodum ſtatui exiſtimat, cujus rei tum alia ei ſuppetunt argumenta, tum id præcipue, quod quamplurimi ejus canones manifeſtum reddant, eo quo illi condebantur tempore, crudelem Ethnicorum perſecutionem in Chriſtianos viguiſſe, adeoque Maxentium Tyrannum nondum victum, nec pacem Eccleſiæ, quod anno Chriſti 313, Conſtantini 7 factum denique eſt, redditam fuiſſe. Baluzii inde corruere ipſi videtur ſententia, qui ante Nicænum quidem Concilium, in media tamen Eccleſiæ pace, Patres Eliberitanos congregatos fuiſſe putat; parum enim facere ad eam ſtabiliendam id ait, quod in

Concilio etiam Valentino & Arelatenſi II, imo & Ancyrano, pacis tem-
poribus licet celebratis, canones tamen contra lapſos in perſecutione
habeantur. Iſtorum enim Conciliorum canonibus manifeſte, præter-
iiſſe perſecutionis procellam, indicari, adeoque iis, qui lapſi in ea fue-
rant, pœnitentiæ diſciplinam præſcribi cenſet; cum contra Eliberitani
Patres pœnam ſtatuant illis, de quibus, ne perſecutionis tum maxime
p. 6. furentis vi flecterentur, erat metuendum. Conſtare itaque ex hiſce
ſibi perſuadet, ante pacem a Conſtantino Magno Eccleſiæ redditam,
celebratum Eliberi Concilium fuiſſe: eo tamen non contentus, accura-
tius ejus tempora inveſtiganda credit, quæ poſtquam varias aliorum
opiniones adduxiſſet, in annum Chriſti 303 incidiſſe ſtatuit, quo anno
ipſa Dominicæ paſſionis die, juxta Euſebium, Diocletiani & Maximiani
p. 8. edictum de nova perſecutione publicatum fuit; ſequentium enim perſe-
cutionum nullam ad Hiſpanos pertigiſſe exiſtimat. Menſe autem Majo
illius anni hoc eſt ſimul ac in Hiſpaniis innoteſceret edictum illud, cele-
bratum Concilium fuiſſe, inde colligit, quod anno illo præcipite nimis
violenta jam fuerit, adeoque Concilium celebrari vix permiſerit per-
ſecutionis tempeſtas, utpote qua haud paucos, qui ſubſcripſerunt ei,
abreptos illo tempore fuiſſe, conſtet; cui conjecturæ eo plus tribuit,
p. 9. quod in vetuſto etiam Eccleſiæ Urgellenſis codice Idibus Maji Eliberi-
p. 10. tanum Concilium cœpiſſe affirmetur. Omittimus quæ poſt iſta contra
paradoxam Joannis Morini ſententiam diſputat, qui L. IX de Pœnit. c.
19 epocham hujus Concilii ad dimidium ſeculi tertii vel paulo poſt re-
ferre auſus eſt; illam enim ex Oſii aliorumque, qui ei interfuerunt æta-
te, abunde, ſi alia argumenta vel maxime deeſſent, confutari poſſe exi-
ſtimat.

p. 15. In Diſſertatione II de Conciliis Eliberitano poſterioribus, intra &
extra Hiſpaniam præſente Oſio celebratis agit. Præcipua inter illa ſunt
Cordubenſe, quod ex Synodico libello, a Labbeo t. 2 col. 91 edito,
nobis innoteſcit; item Arelatenſe, Alexandrinum, Nicænum, Gan-
p. 21. 24. grenſe, Sardicenſe, & Sirmienſe poſterius. Præcipue in poſtremo hoc
p. 26. prolixus eſt, utpote ubi Oſii, ob ſubſcriptionem multis valde ſuſpecti,
cauſam ſibi vidit eſſe perorandam, quam fuſe examinatis Patrum pro
p. 53. & contra Oſium teſtimoniis, viciſſe ſibi plane videtur. In III Diſſerta-
tione Concilia Hiſpaniæ ante & poſt Eliberitanum celebrata recenſet,
quorum tamen neque apud Iſidorum, neque alibi uſpiam, præter-
quam

quam in confictis Dextri, Maximi, Luitprandi, Helecæ & Juliani Perez Chronicis, aliqua extat mentio. Apparate hic iterum de ſtolidis illis Chronicis eorumq; parente Hieronymo Romano de la Higuera agitur. Nec poſſunt non Lectoribus gratiſſimi eſſe ampli Antonii Augu- p. 54.
ſtini de initio, progreſſu & interitu horum pſeudo-chronicorum loci, quos ex ineditis ejus chartis integros hoc loco inſeruit. Fuit namque apud Antonium Auguſtinum ipſum primum Chronici Dextri exemplar, quo ab initio uſus fuit Higuera, ſed diverſiſſimum illud ab editis erat, utcunque ſcilicet, ut Auctor noſter loquitur, tolerabile, longe- p. 56.
que minus fabuloſum; de quo plura adducere ex Antonio liceret, niſi ipſos potius reſiduos tres Bibliothecæ ejus tomos, propediem in lucem prodituros, expectandos duceremus. Id tamen memoraſſe haud forte pœniteat, affecta reliquiſſe, præter memorata iſta pſeudo-chronica, Hi- p. 57.
gueram quamplurima ejusdem farinæ opera, quæ lucem nondum adſpexerunt. Talia ſunt Fragmenta S. Athanaſii primi Cæſarauguſtani Archiepiſcopi, Iſidori Pacenſis Epitome temporalis, & Additiones Joannis Ægidii Zamorenſis ad Chronicon Juliani. Imo ne imitatores deſint Higueræ, fraude non multum ejus commentis abſimili, circa medium hujus ſeculi, ſub Hauberti Hiſpalenſis nomine, Chronicon quibusdam obtruſum fuit ab Antonio Zapata, (ſeu, quod verum ejus nomen erat, Antonio Lupiano Catalauno, pulſandis organis in patria addicto, & qualicunque rerum hiſtoricarum peritia tincto,) qui illud in Bibliotheca S. Dionyſii Pariſienſi a ſe inventum jactabat, quod tamen nihil aliud erat quam Chronicon Euſebii cum continuatione Hieronymi, literis Gothicis ſcriptum; quam fraudem mature viri in Hiſpania eruditi, a quibus ſtudioſe tamen iſtud κειμήλιον ſuum Lupianus occultabat, manifeſtam reddiderunt. Nihilominus Pſeudo-Haubertus invenit, qui multis vægrandibus eum illuſtrandum tuendumque ſibi ſumeret voluminibus, Gregorium Argaiz Benedictinum, quem tamen ſimplicitatem ſuam ſatis opere iſto prodidiſſe, nemo facile diffiteatur. Mittimus reliqua, quæ ad Chronicorum iſtorum hiſtoriam facientia adducit, quorum tam propugnatores quam adverſarios ſtudioſe recenſet, omnemque plane illis fidem & autoritatem abjudicat.

Diſſertationi IV occaſionem ipſi dederunt Melchiadis Papæ ad p. 70.
Hiſpaniæ Epiſcopos literæ, quas poſtquam ex manuſcriptis quibusdam denuo correctas una cum Binii notis exhibuiſſet, prolixam ſatis de fide

earum

p. 74. earum diſceptationem inſtituit. Ordinariis fere illis reſponſionibus eas
tuetur, quod, ſi quæ ex ſcriptoribus junioribus in iis deprehendi alicui
videantur, illa æquo jure ab his ex Melchiadis epiſtola deſumta dici que-
ant, quam ab hujus epiſtolæ Autore ex iſtis; notatio temporis vero, quæ
p. 77. objici ſolet, incerta ſit & corrupta. Succedunt inde pauciſſima de
Concilio Cordubenſi ſub Oſio celebrata, quibus ſubjecit tres Paciani
p. 79. Barcinonenſis ad Sympronianum Novatianum, quibus a Novatiani-
ſmi ſuſpicione abſolvi Eliberitanos Patres & reliquos Hiſpaniæ eo ævo
Epiſcopos exiſtimat, epiſtolas, ejusdemque paræneſin ad pœnitentiam,
quam pariter ac epiſtolas notis quibusdam & obſervationibus illuſtrat.
p. 113. Proximum locum iis, quæ ad Concilium Cæſarauguſtanum ſpectant,
conceſſit. Illud anno 381, qui fuit Damaſi 15, Gratiani Imp. 15, cele-
bratum fuiſſe, duo præcipue ei argumenta perſuadent: primum quod
p. 116. eo ipſo anno coactum fuerit Concilium Aquilejenſe, cui Hiſpania ob
Priſcillianum, in cujus cauſa congregabatur Cæſarauguſtæ Synodus,
maxima tempeſtate jactata, ne quidem per Legatos intereſſe potuerit.
Alterum quod circa hæc tempora, teſte Severo Sulpitio, in Hiſpaniam
venerint, ibique veneno ſuo Priſcillianum infecerint Gnoſtici, ex Æ-
p. 118. gypto delatore Epiphanio expulſi. Canonem hujus Concilii tertium,
quo domum auferre S. Euchariſtiam Chriſtianis interdicitur, contra
Priſcillianiſtas latum ſtatuit. Illi enim accedentes ad eccleſias, ne dete-
gerentur a Catholicis, accipiebant manibus Euchariſtiam more alio-
rum, non comedebant tamen, ſed domum, ad ſuperſtitiones ſuas ea
abuſuri, aſportabant. Ut corruat adeo J.C. Bulengeri ſententia, qui in
Diatribe III adverſus Caſaubonum, propter Judæos & Saracenos in Hi-
p. 123. ſpania tum latentes, canonem illum promulgatum eſſe exiſtimavit. Sy-
ricii porro Papæ ad Himerium Tarraconenſem epiſtolam exhibet,
p. 127. quam tota diſſertatione V illuſtrat. Putat eam præ omnibus aliis maxi-
me puram ad manus noſtras ideo veniſſe, quod teſte Continuatore
Pontificalis Damaſi, *per univerſum mundum ac per omnes provincias*
conſtitutum ſuum *de omni Eccleſia*, (quo epiſtolas ejus & inter eas hanc
ad Himerium vult intelligi) diſperſerit, *ut in omni archivo Eccleſiæ
conſervaretur*. Syricii epiſtolam excipit Concilium Toletanum I, quod
præter canones varios Regulam fidei quoque promulgavit, in qua no-
p. 136. tari cupit, quod de Spiritu Sancto dicatur, eum a Patre Filioque pro-
cedere; hoc enim in nullo præcedentium ſymbolorum dictum fuerat,
neque

neque in ulla ſequentium Synodorum generalium, quæ IV Lateranenſem præceſſerunt, fuit declaratum. Id quoque obſervatione dignum hic judicat, recte non facere eos, qui condemnatos in illa fidei Regula ſeptimo & decimo tertio loco errores, eosdem cum Eutychianis poſt hoc Concilium demum ortis eſſe invenientes, eam non integram a Patribus Toletanis prolatam eſſe judicant, ſed poſtea illi quædã adjuncta fuiſſe ſtatuunt juſſu Leonis, qui Epiſcopis Hiſpanis injunxerit, ut Regulam ipſam mitterent ad Balconium Epiſcopum Gallæciæ publicandã in Concilio Celenenſi. Debilem enim eſſe hanc conjecturam, ex exemplaribus Profeſſionum, quibus illi errores tanquam a Priſcilliano propalati in hoc Concilio Toletano I a Dictinio & Symphoſio abjurantur, manifeſtum eſſe exiſtimat. In nota ad Canonem XVII hujus p. 148.
Concilii, quo, ne a communione repellatur, qui pro uxore concubinam habet, ſtatuitur, per communionem, non euchariſticam, ſed eccleſiaſticam & civilem vult intelligi, quam acceptionem vocis illius non infrequentem in Hiſpaniæ Conciliis eſſe monet. Quod ſi tamen quis uſitatiori vocis ſignificationi inhæreat, concubinæ nomine veram & legitimam uxorem, ſed ſine dote ductam, ſignificari cum Binio ait. De epiſtola Innocentii, quam velut ad Synodum hanc exaratam exhibet p. 152.
Loaiſa, ita ſentit, ut aut non ad ipſam Synodum, quæ anno 400 fatentibus omnibus celebrata ſit (cum Innocentius non ante annum 402 cathedram Petri occupaverit,) ſed ad Epiſcopos, qui ei adfuerant, aliquot annis poſt, ob motas poſt Concilium controverſias, aut ad aliud Concilium Toleti poſtea ſub Pontificatu ejus celebratum, ſcriptam fuiſſe dicat. Subſcriptiones hujus Concilii occaſionem diſſertationi VI p. 57.
dederunt, in qua de Toletanis Præſulibus, eorumque in Hiſpania primatu & ejus origine fuſe diſſeruit. Ut autem eo rectius ſequentium Hiſpaniæ Conciliorum percipiatur hiſtoria, inſerit hoc loco Idatii Chronicon & Faſtos, una cum Iſidori Hiſpalenſis Chronico Gothorum. p. 168. p. 183.
Concilium inde Braccarenſe ſequitur circa annum 411 celebratum, & Epiſtolæ paulo poſt hoc tempus, nimirum anno 431, ob inſurgentem p. 194.
tunc Neſtorianiſmi hydram exaratæ, quarum prior Vitalis & Conſtantii ad Capreolum Epiſcopum Carthaginenſem, altera Capreoli ad præcedentem eſt reſponſoria. Concilii Hiſpaniæ generalis anno 447, ſua- p. 102.
ſu Leonis Pontificis, congregati, nulla alia extant monumenta, præter Regulam Fidei in Concilio Toletano jam promulgatam, in quam variorum notas & obſervationes Auctor exhibet. Epiſtolam Leo-

p. 212. nis Papæ eodem tempore ad Turibium datam, non ad Turibium Sedis
Apoſtolicæ Notarium pertinere docet, ſed Aſturicenſem Epiſcopum, a
quo etiam diſtinguendus ſit octoginta annis eo poſterior Turibius, ab
Ildephonſo in libro de Viris illuſtribus memoratus, ut & alius Turibius
qui Alphonſi cognomento Caſti Hiſpaniæ Regis temporibus floruit.
Quæ inde ſequuntur variæ tum Hiſpanorum Epiſcoporum, tum Romanorum Pontificum ad eos Epiſtolæ ad annum uſque 492, a nobis
p. 254. nunc prætermittuntur, nec non Concilium Tarraconenſe & Gerundenſe, cum quinque Hormisdæ Papæ ad Epiſcopos Hiſpanos epiſtolis;
ad quarum ultimam ſolicite obſervat Orientalium Epiſcoporum nævos & hæreſes, ut nempe inde infallibilitatis Romanæ cathedræ adſtruatur prærogativa, in qua ſola nihil labis oſtendi poſſe, quo eſt in
p. 267. eam Reverendiſſimus Cardinalis ſtudio, exiſtimat. Concilium Toletanũ
II cum Loaiſa anno 527 coactum fuiſſe ſtatuit, indeque Baronium &
Binium, qui ad annum 531 illud referunt, corrigit; in eo autem a Loaiſa quoque abeundum ſibi putat, quod in tempora Joannis II Papæ, qui
tamen anno præcedenti prope Ravennam in exilio obierat, illud incidere ſibi perſuadeat. Non eſt, cur multum immoremur ſequentibus ad
Concilium uſque Toletanum III anno 597 celebratum Synodis & ſynodicis monumentis; in hoc vero cum notatu digna occurrant oppido
p. 355. multa, inhærere forſan ei aliquantiſper licebit. Corrigit hic ante omnia errorem, quo omnes præcedentes Conciliorum editiones, ne Labbeana quidem excepta, commaculatæ fuerunt, dum ſub Gelaſio II celebratum hoc Concilium dicunt; cum manifeſtum ſit, ſub Pelagio II id
factum eſſe, ipſeque Labbeus & reliqui editores agnoſcant, annum
589 (quo Pelagius II Romæ ſedit) hoc Concilio fuiſſe inſignem; unde
etiam non ipſis, ſed typographis hujus erroris dicam ſcribendam eſſe
p. 358. ſtatuit. Deinde integra diſſertatione (quæ diſſertationum hujus voluminis eſt ſeptima) inquirit, quo ſenſu Canon hujus Concilii XI peccatoribus poſt pœnitentiam lapſis novam reconciliationem negaverit.
Præteriit ſine ulla animadverſione canonem illum Loaiſa & cæteri, qui
Canones Conciliorum illuſtrarunt, forte difficultate ejus perterriti; tantam enim eam eſſe Eminentiſſimus Autor agnoſcit, ut ea motus integrum librum ſcribere aggreſſus ſit, *de Diſciplina veteri Eccleſiæ, præſertim Hiſpanæ, circa pœnitentes in crimina lapſos.* Cum tamen ei poſtremam manum nondum impoſuerit, tantum ſaltem, quantum utcunque
dubiis

dubiis circa illum expediendis ſufficere queat, monendum exiſtimavit. Putat itaque, exponendum eum eſſe de pœnitentia canonica & ſolenni, quæ juxta Conciliorum & Pontificum Romanorum decreta iterari non poſſit; ut adeo pari ratione exponendus ſit Toletanus iſte Canon, qua S. Ambroſii locum L. 2. de Pœnitentia c. 20 expoſuit Thomas parte III, quæſt. 84, art, 10. Tractat hæc ex parte etiam in ſequenti Diſſertatione VIII, in qua ſimul Canonem XII hujus Concilii, præcipientem ut ſecundum veteres Eccleſiæ leges pœnitentia inſtituatur, illuſtrat, & ample, quæ illa vetus diſciplina fuerit, & quod tam *pœnitentum* quam *confesſionariorum* officium ſit, exponit; ut & in Diſſert. IX, ubi pœnarum in hoc Concilio ſancitarum rationem uberius expendit, & ex aliis quoque Patribus eam confirmat. Succedunt inde Concilium Narbonenſe A. 589, & Hiſpalenſe I. A. 590 celebrata, variæq; Gregorii M. ad Hiſpanos epiſtolæ, quarum quintam ad Reccaredum Hiſpaniæ Regem illuſtrans obſervat, hodiernos Hiſpaniæ Monarchas non modo rectam originem a Reccaredo illo, in quo omnes conſentiant, ducere, ſed etiam a S. Hermenegildo fratre ejus & filio Leovigildi Regis primogenito. Hunc enim ex Ingunda, Sigeberti Francorum Regis filia, Clodoſindæ, quam Reccaredus in ſecundo toro habuit, ſorore, filium ſuſcepiſſe, in aula Conſtantinopolitana poſtmodum educatum, certum ait, ex quo poſt aliquot interjectas generationes prodierint Hiſpaniæ Reges. Id quod ex variis veterum monumentis latius oſtendiſſe dicit *Joannem Lucam Corteſium*, Regium in Hiſpania Conſiliarium, in peculiari Diſſertatione, quam nondum publici juris fecerit. Cæterum a Reccaredo illo CATHOLICI quoque titulum, quo Hiſpaniæ Reges inſignes ſunt, in eos derivatum eſſe affirmat, utpote qui ei in Concilio Toletano III, poſtquam Arianiſmum publice abjuraſſet, ſolennibus populi acclamationibus datus fuerit. In notis ad Concilium Barcinonenſe A. 599 habitum, occaſionem ipſi ſubſcriptiones ſuppeditant, in Higueram tot falſorum Chronicorum fabrum denuo invehendi. Dum enim in illis Maximi quoque Cæſarauguſtani nomen occurrit, non alia tantum monſtra de Maximo illo conficta ab Higuera eſſe monet, ſed illud præcipue perſtringit, quod ex Marco celebri eorum temporum Poeta, qui S. Benedicti geſta carmine expoſuit, & Maximo, unum virum Marcum Maximum procuderit, qui Benedictinus primum Monachus, poſtea Cæſarauguſtæ Epiſcopus fuerit. Chronicon Joannis Biclarenſis, quod ex

p. 395.
p. 407.
p. 419.
p. 428.

 Cani-

Caniſio hoc loco inſeruit, vitiatum ipſi fuiſſe videtur in omnibus illis, in quibus Hermenegildi famam deprimere & exoſam reddere; contra vero Leovigildum Arianum Regem & juratum Orthodoxorum hoſtem poſteritati commendare conatur. Paſſum enim eſſe ipſum Joannem a Leovigildo crudelem perſecutionem & decennale exilium, conſtare ait, ideoque probabile non eſſe, ab ipſo multum eum fuiſſe commendatum. Hermenegildum autem quod attinet, nihil quod ei ſit ignominioſum haberi in codicibus hujus Chronici a Moraleſio, Mariana & Baronio, & inter veteres a Roderico Toletano & Luca Tudenſi uſurpatis affirmat. Quemadmodum nec Gregorius Turonenſis, Gregorius M. aut alius quiſquam veterum talia de Hermenegildo, ſed po-
p. 426. tius contraria omnia prodidiſſe deprehendantur. Poſt hoc Chronicon, edere primum e codice Ovetenſi conſtituerat Bulgarani Comitis epiſtolas hactenus ineditas; ſed cum eas graviſſimis mendis & depravationibus laborare ſenſiſſet, earum editionem pariter ac plurimarum aliarum Martini Bracarenſis, Cæſarii Patricii, Siſebuti Regis, Auraſii Epiſcopi, Tarræ monachi, ex codicibus Toletanis transſcriptarum, eademque peſte afflatarum, in aliud tempus, quo emendatiores prodire poſſent, differendam eſſe judicavit. Interea tres Liciniani Carthaginis Spartariæ in Hiſpania Epiſcopi epiſtolas exhibet, quarum prima ad Gregorium Magnum de libro regularum in tomo II Spicilegii D'Acheriani jam extat, ſecunda vero ad Vincentium Eboſitanum Epiſcopum, & ter-
p. 428. tia ad Epiphanium Diaconum ab ipſo nunc primum vulgantur. In ſecunda Vincentio Licinianus exprobrat credulitatem, quod epiſtolas ſub Chriſti nomine factas, & cœlo, ut impoſtores jactabant, delapſas
p. 429. tam facile recepiſſet. Tertia ad Epiphanium epiſtola, cujusdam, quem honoris cauſa ſe non nominare ait, explodit errorem, qui angelos & animas corporeas ſtatuiſſe videtur; quem poſtquam variis locis Scripturæ confutaſſet, philoſophicis quoque argumentis impugnare incipit, ex quibus pauciſſima liceat attingere. Cum enim videat, animæ ſpiritualitati id obeſſe præcipue, quod corpore contineatur, *non ſic*, inquit, *implet corpus, ſicut uter impleri videtur aqua, ut tantum interius ſit, non exterius. Tota igitur anima interius eſt, tota exterius, tanta in minore corporis parte, quanta in majore, & quum corpus movet ipſam per locum, non movetur ipſa in loco.* Paulo poſt: *Dei motionem nec in tempore eſſe, nec in loco, ſpiritus vero rationales non in tempore quidem, in*

*loco*

*loco tamen eſſe* ait. Iſtis & aliis hujusmodi Auguſtini & Claudiani Mamerti ſubjiciuntur teſtimonia, quæ ad vincendam cauſam maxime apta Liciniano viſa fuerunt. Sed de iſtis duabus epiſtolis plus ſatis. Ad Concilium Toletanum X anno Chriſti 656 celebratum, diſſertationem adtexuit, quæ decima eſt hujus voluminis, in qua de diſciplina eccleſiaſtica illorum temporum in Hiſpanicis imprimis eccleſiis agit, qua a ſacris muneribus arcebantur ii, qui poſt baptiſmum in carnis peccatum lapſi fuerant; quam in rem poſtquam haud paucos Conciliorum hujus temporis canones congeſſiſſet, ſpeciatim Potamii Bracarenſis Epiſcopi caſum examinat, quem ob fornicationis crimen, nemini licet præterquam ſibi ipſi notum, ſeipſum Epiſcopatu recte abdicantem, & Concilii Toletani Patribus pœnam per literas ſibi poſcentem, nimis ſevere ab iis habitum haud fuiſſe contendit. Quem diſciplinæ rigorem poſtquam ulterius quam plurimis Gregorii Magni locis confirmatum dediſſet, varia quæ ex canonibus Conciliorum Hiſpaniæ contra eum proferri poſſent allegat, allegatiſque reſpondet. Præcipua illarum objectionum ſumitur ex Canone Ilerdenſi V, in quo expreſſe Epiſcopi poteſtati relinquitur, ut clericos ob hoc crimen pœnitentes citius aut tardius miniſterio, quo exciderant, reſtituat, ita tamen ut ad altiores gradus eos non admittat, & iterato lapſu pollutos plane ab Eccleſiæ corpore reſcindat. Verum iſtum canonem ſolum valere, ubi occultum eſt illud clerici crimen, reſpondet; primis enim ſaltem ſeculis decem, clericum fornicationis criminis publice reum, ad ſacras functiones admiſſum non fuiſſe oſtendit. Laxatum autem iſtum diſciplinæ rigorem ſeculo primum XI queritur, idque ortum ex ſuppoſititiis Calliſti I ad Epiſcopos Galliarum, & Gregorii Magni ad Secundinum epiſtolis, quibus primum deceptus S. Burchardus Wormacienſis Epiſcopus, alios quoque ſui erroris ſequaces invenerit. Quamvis illo quoque tempore Petrus Damianus non defuerit, qui ſtrenuum priſcæ diſciplinæ aſſertorem ſeſe oſtenderet; & Anſelmus quoque Cantuarienſis Archiepiſcopus, cujus prolixa ſatis loca huc facientia una repræſentavit, non alios, niſi quorum occulta eſſent crimina, ad ſacram menſam poſt lapſum in carnis peccatum accedere paſſus fuerit. Et licet in aliis criminibus, quæ canonum vi, etiam poſt pœnitentiam eorum reos a ſacris muneribus arcent, diſpenſatum nonnunquam ab Eccleſia (puriore) fuerit, nunquam tamen tale quid cum clerico fornicatore

p. 589. p. 598. p. 594. p. 597. p. 602. p. 607. p. 609. p. 611.

factum eſſe contendit. Quo oſtenſo, Tridentini Concilii circa hanc rem
p. 613. decreta etiam exponit, & hujus rigoris rationem ex dignitate ſacerdotalis muneris, & ſcandalis, niſi ſanctum illud habeatur, exorientibus reddit. Illorum quæ diſſertationem iſtam ſequuntur recenſione ſuperſedemus, ne prolixi nimis ſimus. Id unum monuiſſe adhuc ſuffecerit, in Concilio Toletano XVIII anno Chriſti 701 celebrato ſecundum hoc volumen deſinere, cujus nulla plane ad noſtram ætatem perveniſſet notitia, niſi perditis omnibus aliis monumentis, qualemcunque ejus memoriam Rodericus Toletanus nobis conſervaſſet.

## Herrn von Hoffmannswaldau und anderer Deutſchen auſſerleſene und biſſher ungedruckte Gedichte.

Hoc eſt:

*DOMINI AB HOFFMANSWALDAU ALIORUMQUE GERMAnorum ſelecta, eaque hucusque inedita Carmina.*

Lipſiæ, apud Jo. Thomam Fritſchium, 1695. in 8.

Conſtant plag. 27.

VEnerabile merito genti Germanicæ eſt nomen *Chriſtiani ab Hoffmanswaldavv*, Viri non tantum de republica Uratislavienſi, cujus gubernacula per temporis haud exigui ſpatium ſapientiſſime adminiſtravit; ſed & imprimis de univerſa patria Muſisque Germanis immortaliter meritus: is enim ipſe fuit, qui pangendi carminis Teutonici laudem a Martino Opitio, quocum in juventute familiariter verſatus erat, acceptam admirabili dexteritate ſuſtinuit atque propagavit. Teſtantur id ipſius poemata, quæ jam pridem evulgata in manibus ſinuque feruntur omnium, qui amœniſſimas dicendi Veneres & patriæ inſuper linguæ nitorem ea, qua par eſt, veneratione proſequuntur. Id modo dolendum videbatur, virum a laudis ſtudio alienum, eo non potuiſſe adduci, ut omnes ingenii, ſane ſingularis, fœtus publicæ luci exponeret. Quo enim pretio non redimendum fuiſſet opus plane egregium (quale nec dum Camenæ Alemannicæ parturierant) quod ipſe, ut ab amicis accepimus, epico dicendi genere de bello tricennali Germanico inceptum, poſtmodum deſtituit non tantum, ſed & quidquid ejus jam erat affectum, flammis abolevit? Interim tam felicibus nonnullis juvenilium reliquiis eſſe licuit, ut fati malignitatem feliciter evaſerint; quas quidem nunc in unum faſciculum collectas cum orbe erudito communicandas

ſuſce-

ſuſcepit Poeta non minus clariſſimus B. N. magnas proinde gratias ab omnibus lautitiarum poeticarum amatoribus reportans. Quamvis enim carmina, quæ nunc lucem aſpiciunt, viridiori ætate pleraque videantur conſcripta, ubi ſpiritus illi calidiores in liberiora paulo dicta effervеſcentius ſe effundere ſolent; ſatis tamen patet, ea de cætero prioribus illis jam diu impreſſis & inveniendi amœnitate, & elocutionis præſtantia adeo nihil concedere, ut in aliquibus etiam palmam de facili ancipitem reddere poſſint. Enimvero videas hic exhiberi carmina elegantia, ut vocantur ab Editore, & amatoria; epigrammata varia exquiſitum acumen ubique præ ſe ferentia, nuptialia ac funebria, & denique varia: adjectis in fine odis amatoriis miſcellaneisque aliis. In quibus conquirendis & ordine diſponendis opera Collectoris eruditi eo magis eſt æſtimanda, quod & aliorum Poetarum, quorum perſpecta in fundendis carminibus eſt ſolertia, huc comportavit poemata, non indigna ſane, quæ cum Hoffmanswaldavianis ſimul legantur & æſtimentur; quæ tamen inter primæ partes deberi videntur tum Caſparo a Lohenſtein, alteri illi Poetarum Germanorum principi, ſæpius a nobis laudato; cujus hic potiſſimum carmen, quod *VENUS* inſcripſit, p. 229. editur, in quod profecto, quicquid in antiquitate univerſa de Venere habetur, confluxiſſe apparet; adeo ex inſtructiſſima eruditionis penu, quæcunque dici de eo argumento poterant, convenienter Poeta adduxit: tum Viro cuidam illuſtri, cujus non in aula Brandenburgenſi tantum, cui ſplendido addictus eſt miniſterio, ſed & in orbe erudito florere jam dudum fama cœpit atque in deliciis habetur; illum enim agnoſcere licet auctorem carminis, quod auſpicatiſſimis JOANNIS p. 94. GEORGII IV Saxoniæ Electoris cum Sereniſſima Eleonora Erdmutha, vidua Marchionis Brandenburgenſis deſtinatum fuit, elegantiſſimi. Sed & ipſe B. N. farraginis hujus Collector, ſuis quas adjecit, ingenii pignoribus ſatis, niſi fallimur, demonſtravit, haud exigua ipſum præſtare poetandi facultate.

Sed de *Præfatione* luculenta, qua commendatur opuſculum, operæ pretium eſſe exiſtimamus nonnihil commemorare; in ea enim Auctor de *Poeſi Germanica* ex inſtituto agere ſibi propoſuit. Ubi ab initio cum commemoraſſet, multos eſſe, qui eousque poeſin vernaculam extollant, ut partibus ſuis eam abſolutam eſſe contendant; multos e contrario, qui non niſi elumbes rhythmos deprehendere ſe in eadem

ſciſcant,

ſciſcant, ipſe ita inter hos arbitratur, ut priores rerum, quæ apud alias gentes geruntur, eſſe imperitos, & alteros illos nihil, quod originem ſuam Galliæ non debeat, admirari pronuntiet. Nimis profecto multum reſtare nobis ſpatii, quod conficiendum ſit, antequam in verticem illum, quo Homerus & Sophocles, Horatius atque Maro olim conſtiterunt, enitamur; quum quæ in nuptiis celebrandis, in funeribus deducendis aliisque occaſionibus effunduntur carmina, rem nondum conficiant. Quod autem ad majorem florem ipſa non adſpiraverit adhuc, cauſas affirmat eſſe varias, quas recenſere nunc ſuperſedemus. Quæ etſi ita ſe habeant, non tamen poeſin noſtram ita abjectam jacere & putidam eſſe, ut ſuppudere nos ejusdem oporteat; & ſtoliditatem ac mentis intemperiem prodere Jeſuitam *Bouhourſium*, cum barbaris accenſeat Alemannos; quin potius ſi ex Gallorum verſibus rhythmum, & ex panegyricis eorundem cōmenta auferas, nonniſi inanes ſtipulas, & cortices rerum ipſarum vacuos & caſſos remanere. Sane enim verſus Gallicos ſine rhythmis nihil minus eſſe, quam verſus, cum tonum ubique violent; cum ex adverſo poeſis Teutonica multo ſit tenerior, neque inter ſcandendum nativum ſolummodo tonum in ſyllabis, ſed & pronuntiationis accentum ſive emphaſin accurate utique obſervet: id quod & apud Græcos & apud Latinos ſecius appareat. Jam ad adulationes eleganter concinnandas, rudiores adhuc Germanorum animos eſſe, haud ſegniter fatetur. Quod ſi vero dicere aliqui velint, Gallos etiam in aliis argumentis vires ſuas periclitatos, & *Cornelium* ſcribendis comœdiis; *Scuderium* Alarico ſuo; *Boilæum* denique ſatyris compoſitis haud tralatitiam ſibi famam comparaviſſe: iſtis ita reſpondet Præfationis Auctor, ut primum dicat nondum ad Græcorum illam in dicendo vim aſſurrexiſſe; alterum illum parum laudis hoc ſuo opere reportaſſe; & Satyricum denique plurima, quæ bona ſunt, ab Horatio atque Juvenale ſurripuiſſe. Eſſe quidem Gallos in inveniendis promtos, & effingendis ſcite cogitatis ſuis admodum felices; ſed calorem illum, quem ſubitaneum ſentiant, mox iterum reſtingui, faterique præterea ipſos Gallos, linguam ſuam ad opus aliquod perfectius producendum eſſe fere inidoneam. Unde egregie opinione ſua falli, qui cenſent, Germanos eisdem in fingendo haud quidquam pares eſſe, imo nec eorum acumen attingere poſſe. Contrarium vero ut luculentius pateat, oſtendere pergit, quanta ſpatia apud nos Poeſis fecerit, tum etiam,

etiam, qua in parte emendatione adhuc indigeat. *Opitium* primum Germanis vatibus viam ad amœniora tentanda præmonſtraſſe; qui certe plus etiam præſtiterit, ac plerorumque hominum vulgo ferat perſuaſio. *Panegyricum* laudibus Regis Poloniæ deſtinatum opus eſſe, quod emendari in nulla re poſſit; quippe ex quo præter emphatica epitheta, heroica ſimilia, nervoſasque phraſes, multæ pulcherrimæ cogitationes emineant; id quod allatis nonnullis exemplis omnium oculis exponit. Opitium ſecutos eſſe *Tſcherningium, Dachium* & *Flemmingium*, ſuis certe laudibus unumquemque inſignem, & Dachium imprimis in odis ſacris incomparabilem ac in traducendis Pſalmis eſſe feliciſſimum; ut dolendum ſit, ejus labores non magis in notitia hominum verſari: ſed tamen Opitio nondum ipſos accedere pares. Qui vero poſtea floruere, carminis fingendi peritia inclyti, *Andreas Gryphius*, *Hoffmansvvaldau*, *Caſparus a Lohenſtein*, felicius ac priores illos, Opitium ſecutos non tantum eſſe, ſed & in aliquibus ſuperaſſe. Gryphium virum eruditionis immenſæ, ingenii incomparabilis, & tum inventione, tum ipſa rerum elocutione expeditiſſimum fuiſſe. Hoffmanswaldavium longe alii viæ atque Opitium & Gryphium inſtitiſſe; multum enim Italis indulſiſſe, & amœnam illam fluidamque ſcribendi rationem, quæ nunc in Sileſia vigeat, primum invexiſſe; ubi quidem tam ingenioſe ſe dederit, ut Ovidius Germanicus merito ſuo nuncupandus ſit. Verſione *Paſtoris Fidi* Gallicum interpretem multum ſuperaſſe: epigrammata ejus pleniſſima eſſe excitatioris ſpiritus; Heroides, exceptis nonnullis metaphoris, ab Italis ſumptis, meliores fieri non poſſe. Epicedia vero ejus oſtendere, ne quidem ad ſeria ipſum minus fuiſſe idoneum. Sed odis amatoriis non tantum antecelluiſſe omnes Germanos, ſed & exteros quoscunque, nec fore impoſterum, qui hanc ei palmam intercepturus ſit. In *Caſparo* vero a *Lohenſtein* reperiri fere omnia conjunctim, quæ in cæteris ſeparatim ſunt laudabilia; ſupereſſe & alios, ut *Mühlpfortium*, *Aſſigium*, *Abſchazium*, *Chriſtianum Gryphium*, Sileſios, quos poeſeos Germanicæ fulcra præſtantiſſima vere dixeris. Præterea *Morhofium* docte quidem, non tamen æque ſuaviter ſcribere, qui tamen ſatis calluerit, quid ad poema ſuis numeris abſolutum pertineat. *Beſſerum*, illuſtre in Aula Brandenburgenſi nomen, utrinque eſſe feliciſſimum, & ea muſinari, quæ puncta ferant ſtudioſorum hujus artis omnium. His ita ſe habentibus, & tot tantis-

Z que

que viris ad perficiendam magis magisque poeſin patriam ſtrenue elaborantibus, quid demum ad eandem in ſupremo culmine ponendam requiratur amplius? Sed hic haudquaquam cunctatus Auctor noſter fatetur, eſſe adhuc, quæ deſiderentur in ſingulis, quos ſuis ante laudibus mactaverat, viris meritiſſimis; felicem tamen eandem fore addit, ſi ejusmodi ſolum ingenia ad ejus culturam ſe accingerent: ſed nunc cum promiſcue ex vulgo quilibet, ſine diſcrimine, pangendis verſibus nomen conetur ſuum illuſtrare, non poſſe non fieri, quin ſeducatur juventus, ut per omnem vitam de poeſi non recte poſſit arbitrari. Hoc ipſe ergo ſuppeditat conſilium, quo obviam iri malo huic tam pernicioſo utcunque poſſit: ſuum ſcrutetur quisque, ait, num ad verſus condendos aptum ſit ingenium, & quid vires ſuæ ſufferre in arte hac posſint; an rhythmis ſolum ſuaviter ſonantibus capiatur, quod nunc fere communiſſimum ſit: num vero poetis illis elegantioribus aliquis optet accenſeri, in quorum numerum referendi ſint ignei illi & excitatiores ſpiritus, qui in inventionibus ſuis breviores, in elocutione expediti, & in cogitationibus ſingulares ſint; quibus hominibus ſuadet, ut Ovidium, Martialem, Auſonium & Claudianum, ex noſtris vero Hoffmanswaldavium, & ex Gallis Boilæum & Bouhourſii collectanea frequenter evolvant, nec ad ſcribendum ſe conferant prius, quam impetu ſe huc ferri ſentiant: num denique in poetica facultate ante cæteros eminere olim cupiant; quos tamen nobilioribus ingenii dotibus magis inſtructos, in inventionibus profundiores, in laboribus ſubeundis patientiores, & in ſcribendo politiores eſſe; præterea opum facultate præditos, temporis uſura beatos, multarum linguarum peritos, omnibus ſcientiis ſubactos, rerum in mundo contingentium non expertes, affectuum ſuorum dominos, & in dijudicandis aliorum defectibus prudentes eſſe oporteat. Qui ita comparati per omnia ſint, manū cum ſucceſſu admovere operi poſſe; id quod tamen ſine poetarum lectione fieri non queat. Legendos vero eſſe optimos, & in ſuo genere eminentiſſimos, quales ſint Homerus, Sophocles, Pindarus, Anacreon: Ovidius, Seneca, Horatius, Claudianus, Juvenalis, Perſius & Virgilius: reliquos falſas exhibere ideas, & præteriri poſſe. Adjungendos & exteros, ac ob ſtyli nitorem populares noſtros, præcipue, quorum nunc evulgentur carmina.

*TRAI-*

*TRAITTE' DES FIEVRES MALIGNES ET POURPRE'ES PAR M. François Raynaud, Docteur en Medecine de l'Univerſité de Montpelier.*

Seu:

## Tractatus de Febribus malignis & purpuratis, Auctore FRANCISCO RAYNALDO Doctore Montispeſſulano.

Bruxellæ, apud Franc. Foppens, 1695. in 12.

Conſtat plag. $7\frac{1}{2}$.

SCopum operis præfatur ipſe Autor, κατ' ἄρσιν improbare uſum quorundam remediorum in curatione febrium malignarum, & κατὰ θέσιν monſtrare magis convenientia, tanto rectius quidem, quanto obſcuriores ſint cauſæ febrium malignarum & hydrophobiæ, quam in hunc cenſum vocat quoque.

Tractatum ipſum ſex capitibus abſolvit, & primo quidem eſſen- p. 1.
tiam & cauſam febrium malignarum traditurus, ſummam rei pro notione earundem ponit, quod naſcantur a ſanguine aduſto ardore Solis p. 2.
& aliorum aſtrorum; quod ſint pernicioſæ & contagioſæ pro proportione hujus ſiderationis; quod magna aduſtio ſanguinis illorum influxu & impreſſione inducta inferat peſtem, mediocris febres peſtilentes, minor malignas.

Probat id ex communi pluribus ſeu epidemio fere malo, quod p. 3.
communem requirat cauſam, quam in aere corrupto locat, introductis in illum particulis, eoque mediante in corpus morbificis. Hæc vero corpuſcula non tam deberi terræ, quam cœlo, & influxui aſtrorum. Hic cum alteret ligna, herbas, fructus, terram, quam ob rem p. 4.
non promiſcue, ſed certo Lunæ poſitu, ligna cædantur, herbæ & radices colligantur, fructus decerpantur, terra præparetur; longe magis p. 7.
id ſtatuendum de liquoris vitalis, ipſiusque hinc corporis deſtructione inde arceſſenda.

Arguit hinc porro, corpuſcula in aere contenta febres gignere malignas, quod nec in ſuperficie nec viſceribus terræ ſint reperiunda; neque enim particulas arſenici, aconiti, napelli venenoſas id poſſe, quod p. 8.
citra contagium aliquod lædant; unde aliunde fuerit vis hæc repetenda, quam a particulis inſenſibilibus horum venenorum. Accedit æqua- p. 10.
lis læſio ab iisdem, ſecus ac fit a miaſmate febrili, ſub eodem licet ſtatu

 aeris

13. aeris & diſpoſitione corporis. Neque reſpondere ſymptomata a vene-
nis aſſumptis producta cum febrilibus, non carbunculos, parotides,
exanthemata alia ab illis oriri, ut in peſte & febribus malignis aſſolet.

14. Neque illa deberi putrefactioni alicui aeris e mixtura miaſmatum
corruptorum, ex terra vel paludibus oriunda; unde febres quidem pu-
tridæ, non item peſtes fere univerſales conſurgere queant.

Supponit hinc, Solem eſſe genuinum elementum ignis, ejusque
15. radios effluvia ſubſtantialia, grata nobis vel incommoda, proficua vel
noxia, pro modulo communicationis, & prout ſunt unita vel diſperſa.
16. Probat id proprietatibus & effectibus communibus cum igne, uniendis
radiis ſubſtantialibus, ut comburant objecta, per ſpeculum concavum.

17. Subſtantiam hanc ſubtilem & luminoſam non ſolum venire a
Sole, ſed etiam ab aliis aſtris, formatis ſimiliter ex luce primigenia, quæ
nil aliud fuerit, quam elementum ignis.

18. Cum ergo ſigna ſeu conſtellationes non ſint niſi coagmenta-
19. tio aſtrorum, quo majori numero & quantitate gaudent, eo majus in-
de influere lumen; junctosque cum illis radios Solis magis calefacere,
exemplo caniculæ, ac ſi non ocyus per fermentationem quandam &
ſufficientem tranſpirationem abigantur, illicò adurere maſſam ſangui-
neam, & morbos malignos ac contagioſos inferre.

20. Facere huc & ſuo loco ſanguinem, ſive impuriorem cacochy-
micum & quaſi turbatum, ſive viſcidum ob abundantiam ſulphuris
fœtidi, ſive alias ob obſtructiones minus libere circulatum; unde radii
ingreſſi & ignis Solaris longius inibi reſtitet, facilius maſſam ſanguine-
am incendere aptus, impreſſione majori facta.

21. Trahit huc & Williſii ac Charletonis verba, ſideratum ſanguinem
23. ſimiliter allegantium, utut aſtrorum influxum minus cauſentur. Inde
& in Africa febres peſtilentes & malignas eſſe tam frequentes, ac inter-
mittentes in Gallia; in regionibus vero frigidis, ut Belgio, raras & fere
24. incognitas. Ob eandem cauſam ordinarie illas accidere ſub finem
25. æſtatis, vel initium autumni. Quod vero & hyeme contingant æſtivis
26. non minus malignæ, dilatæ huic impreſſioni & ſiderationi deberi, non
illa tempeſtate contractæ.

27. Cap. II. Cauſas reliquas, vulgo ad febrium peſtilentium & ma-
lignarum γένεσιν facere putatas, non alia ratione ſymbolam ſuam
conferre, quam actioni huic radiorum Solarium & reliquorum aſtro-

rum

rum ad ſiderationem ſanguinis velificando contendit. Cometas eſſe de hoc genere, non meteora, & pinguibus exhalationibus terræ debitos, ſed aliquando aſtra aut unionem aſtrorum; teſte illorum magnitudine, 28.
duratione, diſtantia a terra, & productione ex aſpectibus planetarum ſuperiorum; unde Cometa anni 1618 annis 25 ante, quam loco aſſigna- 30.
to appareret, prædictus fuerit.

Aucto ergo ex aſtris quibusdam unitis lumine & ſic irradiatione, juncta Solis & alicujus alterius ſigni, certis locis augeri actionem radiorum horum, juxta ac impreſſionem ac aptitudinem ad adurendum. Imo & ex altera hypotheſi, ſi dixeris Cometas meteora ſublunaria, idem prompte fluere. Idem confirmare terræ motus, vaporibus quidem 31.
bitúminoſis & ſulphureis debitos, ſimul ac ſemel in antris terræ accenſis, inde particulis igneis in aerem effuſis; non minus ac pluvias extra- 33.
ordinarias ſeu prodigioſas, ſanguine, lacte, & ranis conſtantes, quales ipſe viderit in pileos, pallia, equos delapſas, ſeu alias excedentes, ra- 36.
diis hinc Solis & aſtrorum, nubibus diſcuſſis, fortius irruentibus; annonæ item caritatem, ordinarie ſiccitatem majorem conſequentem, 38.
indeque humido abſumpto, tum ſanguine ad impreſſionem dictam 40.
radiorum adurentium fortiorem diſpoſito, tum ipſis frugibus, non 41.
obſtante varia illorum præparatione.

Exemplum hujus ſiderationis ſanguinis ipſi dictæ eſſe rabiem ca- 43.
ninam, etiam carne lupi rabidi comeſta contagioſam, particulis ignis 44.
aſtralis cum ea communicatis. Mutationes temporum conferre ad 47.
eandem ſiderationem, etiam a Deo optimo maximo tempore peſtilen- 50.
tiæ Davidicæ & alias impenſam.

Hinc cap. III. phænomena ordinaria tam malignitatis ſubdolæ, 52.
quam in aliis caloris magis obvii & vehementis, recenſet, non differen- 53.
tibus, niſi gradibus ſiderationis ſanguinis, ſymptomatibus, quam & 54.
contagio, reſpirationis & tranſpirationis medio propagandis particulis 57.
ſulphureis, incenſivis fermentificis applicat. 58.

Exerere ſe illud exterius in carbunculis, lanis ovium, etiam ſiccis, 59.
imprimis Africanis, & maxime in rabie canum dicta, orta indubie 62.
ab incendio ſanguinis horum animalium quaſi torrefacti, quo de ali- 63.
quot obſervationes citat, & cauſam hydrophobiæ refert in ſanguinem 70.
quaſi reſinoſum accenſum, cui nihil tam nocivum ſit, quam aqua, vel

liquida alia, ex qua noxa per experientiam concepta, (& vel lardo ac-
cenſo affuſa aqua viſenda) illius timor & averſatio fiat.
72. Probat idem ex natura canum, eorumque ſanguinis magis glu-
74. tinoſi, calidioris & ſiccioris, ex remediis hydrophobiæ, balneo aquæ
75. marinæ, cauterio actuali, & cineribus cancrorum, quorum rationes
78. ex eodem fonte deducit. Seorſim cineres promptiſſime extinguere
ignem reſinoſorum, & hoc loco eosdem ſufficienter ingeſtos accenſas
79. partes reſinoſas ſanguinis, ſubtiliores & leviores ex cancris habendos.
83. Neque delirare hydrophobos, ſed quoſdam ad vitæ finem integra uti
85. ratione. Neque tamen hydrophobiam accidere peſti vel febribus ma-
lignis, quod alius ſit ſtatus ſanguinis humani accenſi, alius ab igne aſtro-
rum, alius ab igne ſanguinis rabidi.
86. Sic & cap. IV. aliorum ſymptomatum febrium malignarum ra-
87. tionem ex hoc arceſſit, juncta analyſi ſanguinis, cui impreſſus ignis
88. aſtralis rarefaciat & accendat primitus partes ſpirituoſas, quibus facile
89. evaporantibus continuet incendium partium ſulphurearum minus
exhalantium, quarum exiguam quantitatem deſtruat, reliquas concu-
tiens vel dividens, inferens iis motum impetuoſum, non aliter ac vino
92. accidit ſive calori ignis cōmiſſo, ſeu ferro ardente illi intruſo. Cui diſſi-
93. pationi ſpirituum & particularum ſulphurearum, conſequente motu
utriusque ac circulo turbato, & ſanguinis diſpoſitione ad coagulum,
100. pleraque ſymptomata adſcribit, ſive erumpant exanthemata ſimul, ſive
103. minus, continuante interim igne cœleſti ſuam impreſſionem. Fieri ve-
ro maculas etiam in febribus intermittentibus, citra malignitatem, imo
104. cum εὐφορίᾳ, cujus rei exempla adfert.
109. Cap. V. Poſita itaque indicatione gemina, extinguendi ignem
aſtralem maſſæ ſanguineæ incendium continuantem, & reparandi par-
111. tem ſpirituoſam ac balſamicam, quam diſſipat, non convenire (1) ve-
næſectionem, ſibi relictam ſemper in febribus malignis noxiam & vires
114. magis debilitantem; quamvis ratione ſymptomatum quorundam lo-
112. cum moderato uſu habere queat. Contra potius extingui flammam
113. illam efficaci fermentatione, conſequente ſufficienti tranſpiratione,
114. quam venæſectione, pluribus nominibus incongrua, præterquam in
115. hæmorrhagiis extraordinariis, inflammatione particulari, ut angina &c.
117. ſemel vel bis, a ſex ad octo uncias una vice. (2) Non convenire etiam
acida, e diametro potius contraria actioni diaphoreticorum, efferve-
ſcentiæ

ſcentiæ ſanguinis & evaporationi neceſſariæ, figentia potius & coagu- 118.
lationem non minus ac flammam ſulphuris augentia, quam ſpiritus 121.
ſanguinis deficientes. (3) Non glaciem, ob easdem & alias rationes, vel 124.
fabrorum experimento, aquam carbonibus inſpergentium ad juvan- 127.
dam uſtionem, & extra hos caſus noxiam. (4) Unica remedia pro- 133.
prie dictarum febrium malignarum eſſe diaphoretica, fruſtra a qui- 136.
busdam dari negata, præmiſſis indicationibus perfecte adæquata, theriacam, mithridatium, carnes viperarum, & alia; nec veſicatoria & fonticulos in peſte prodeſſe, niſi procurata magis tranſpiratione. 140.

Proſequitur hanc curam cap. VI. ſua methodo; tria commen- 147.
dans ſolum remedia, purgantia decocta, contraria viſa primo intuitu, 148.
multum tamen proficua, cardiaca, & diaphoretica, juncto diætæ re- 149.
gimine, in qua commendat juſcula egregia, vinum tanquam opti- 151.
mum cardiacum, & potiunculas diaphoreticas, non omiſſis, ſi opus, 152. 153.
clyſteribus, veſicatoriis & pro re nata certis caſibus dictis venæſectio- 157.
ne, de cujus exceſſivo abuſu tractatum promittit, & carbunculorum 163.
tractatione per topica commoda.

*FERDINAND- CHRISTOPHORI HARPPRECHTI CONSILIOrum Tubingenſium ſive Diſceptationum de inſignioribus quibusdam juris quæſtionibus Volumen.*

Tubingæ, apud Philibertum Brunnium, 1695. in fol.
Alphab. 3. plag. 14.

QUod deſideratum hactenus enixe fuerat a multis, Reſponſorum Tubingenſium a Chriſtophoro Beſoldo olim editorum Auctarium, exhibere tandem conſtituit Auctor præſentis operis conſultiſſimus, J. U. D. Pandectarum & Praxeos in celeberrima Academia Tubingenſi Profeſſor Publicus, Sereniſſimorum Würtembergiæ Ducum Conſiliarius, & ſupremi Ducatus Dicaſterii Aſſeſſor. Ob iniquitatem temporum vero unicum nunc quidem, idque primum Auctarii hujus jam prodit Volumen, quorum tamen plura jam elaborata extare dicit Auctor, atque ſingulis ſemeſtribus aliquod eorum expectare jubet. In primo hoc ſedecim Conſilia exhibentur, quorum argumenta præcipua paucis recenſebimus. Conſilio I. præmiſſa facti ſpecie & remotis dubitandi rationibus (quam in ſequentibus etiam ſervat methodum) decidit: Filiam nobilem vel illuſtrem, non obſtante jurata hæ- p. 12. ſeqq.
redita-

reditatis paternæ renunciatione antea facta, a patre vel fratribus hæredem inſtitui, aut legatum donationemve in ipſam vel liberos ex illa natos conferri poſſe.
p. 24. ſeqq. Bona hæredum & deſcendentium propria, quæ aliunde quam a teſtatore nacti ſunt, univerſali & perpetuo fideicommiſſo, ultra quam quantum a teſtatore conſecuti ſunt, gravari non poſſe.
p. 26. Fideicommiſſa familiæ ita eſſe interpretanda, ne in totum concidant, non autem, ut id quod plus eſt, propterea debeatur. Sub nomine **der**
p. 32. **Kinder** in vernacula ſolum liberos primi gradus contineri. Donationes Principum, Comitum aliorumque Imperii Statuum inſinuatione non
p. 41. ſeqq. habere opus. Conſil. II. promiſſionem a filia illuſtri vel nobili factam, quod velit renunciare paternæ hæreditati, renunciationis revera præſti-
p. 52. tæ effectum habere. Renunciationem ſucceſſionis in perpetuum a filia nobili factam, regulariter, & niſi aliunde de contraria renunciantis mente conſtet, ad votum familiæ perpetuo conſervandæ tendere, adeoque filiam ita renunciantem extincto penitus ſtemmate maſculino, ad ſucceſſionem in bonis paternis admitti. Ejusmodi filiæ hæredi, extincta linea maſculina, remedia tum petitoria, tum poſſeſſoria contra hæ-
p. 67. ſeqq. redem teſtamentarium ultimi maſculi defuncti competere. Conſil. III. determinat, quod in legatis ad pias cauſas jure tam civili quam canonico duo teſtes requirantur. Hinc talia legata ex ſola defuncti, licet indubitata ſcriptura, ſed nullo teſte munita, haud ſubſiſtere, ſed admixtionẽ perſonæ extraneæ, etiam pii corporis, in privilegiata parentum inter liberos diſpoſitione haberi pro nulla. Nec aliter diſponere *Cap. cum eſſes.*
p. 78. *10.* & *Cap. relatum. 11. X de Teſtament.* Quando parens teſtator ſatis temporis habuit ſuam ultimam voluntatem adhibitis ſolennibus perficiendi, hoc tamen intermiſit, neq; illam in aliqua ciſta concluſam, ſed inter alias exigui pretii ſcripturas reliquit, tunc poſt ejus obitum vix aliquã
p. 83. ſeqq. illius haberi rationem. Majorem in legibus eſſe liberorum favorem, quã
p. 86. piarum cauſarum, adeoque ab illis ad has non poſſe duci argumentum. Nec liberos ad implendam invalidam patris diſpoſitionem, nec hæredes in genere ad implendam informem defuncti voluntatem, in conſcien-
p. 87. tia eſſe obligatos. Per ſolutionem quorundam legatorum in teſtamen-
p. 93. to invalido relictorum, hæredem ad reliqua non obſtringi. Conſil. IV. ad legitimam codicillorum in ſcriptis confectionem requiri, ut quinque teſtes ſimul uno eodemque tempore præſentes, quibus diſponens codicillos obtulit, nullo penitus alieno actu interveniente ſubſcribant.

Hæc

Hæc requiſita etiam a patrę codicillis inter liberos diſponente, ſi maxi-
mam bonorum partem uxori aut perſonæ extraneæ cuicunq; alii relin-
quere velit, adhibenda eſſe. Si parens in privilegiato inter liberos te- p. 96.
ſtamento unum aut alterum ex illis in ſola legitima hæredem inſtituat,
reliquorum tamen bonorum hæreditatem nec uxori, nec perſonæ ex-
traneæ alii conferre eum poſſe. Pœnam privationis a patre hujusmodi p. 104.
codicillo inſertam ſub comminatione paternæ maledictionis, ſi li-
beri ipſius voluntatem impugnent, tum demum locum habere, ſi illud
frivole & minus rite fiat. Conſil. V. de ſchedis teſtamentariis, Teſta- p. 115. ſeqq.
ments-Beylagen/ beygelegten oder eingeſchobenen Zetteln latius agit,
& confirmat, illas nullo licet teſte in confectione earundem adhibito,
& ſolo nomine teſtatoris absque alia contentorum approbatione ſub-
ſcripto, modo teſtamento prius condito clauſula reſervatoria (ut quæ
a teſtatoris manu ſcripta teſtamento poſtea inſerta reperiantur, valere
debeant) annexa ſit, ex univerſali Germaniæ aliorumque locorum
conſuetudine ſubſiſtere, cum hoc pro modo implicite teſtandi habea-
tur. De indubitata autem talis ſchedæ certitudine ex comparatione li- p. 121.
terarum, concurrentibus præſertim aliis adminiculis, ex gr. unius te-
ſtis jurata aſſeveratione, ſe vidiſſe teſtatorem illam ſchedam ſubſcribe-
re, ſufficienter conſtare poſſe. Conſil. VI. de teſtamento itemque p. 134.
codicillo ratione voluntatis imperfecto diſquirit, & illo non plene nec
per omnia abſoluto, ne pro ea quidem parte, quatenus nempe teſtator
ſuæ mentis poſtremum judicium declaravit, valere ait. Etiam legata in p. 138.
teſtamento ratione voluntatis imperfecto, monaſterio, noſocomio
aliisque ſimilibus corporibus relicta & perfecte ordinata, una cum hæ-
redis inſtitutione cæterisque capitulis reputanda eſſe pro invalidis.
Conſilium VII. de crimine veneficii, quod puer ſeptennis & puella p. 143. ſeqq.
decennis, eorumque mater confeſſi fuerant, ſed hæc ſub perplexis va-
riationibus revocaverat, conceptum eſt, ibique ſpeciatim aſſeritur, in p. 152.
hoc crimine abſtruſisſimo, quando damnum hominibus vel jumentis,
aut per grandinis vel alterius nocivæ tempeſtatis excitationem frugi-
bus illatum dicitur, ut certum corpus delicti ſiſtatur, argumenta evi-
dentisſima deſiderari, adeoque ad irrogandam ſeverisſimam vivicom-
burii vel gladii pœnam inquiſiti confesſionem, niſi de damno reipſa per
illum dato certo conſtet, haud ſufficere. An vero venefici, ſtriges & p. 145.
lamiæ tonitrua, grandines & conſimiles tempeſtates per artes magicas

p. 153. in hominum perniciem ciere queant? latius inquirit, & illud quidem
permiſſu Dei mediante dæmone nonnunquam fieri poſſe non negat;
cum tamen illæ tempeſtates etiam ex aliis cauſis naturalibus, aut ſingu-
lari divinæ vindictæ immiſſione provenire queant, hinc ad fidem judici
faciendam confeſſionem lamiarum, quaſi ab ipſis pervenerint, non eſſe
p. 166. ſeqq. ſufficientem ait; ubi ſimul quædam de criminis hujus indiciis, & an li-
berorum adhuc impuberum denunciatio, ſagarum ſtigmata, ſiniſtra
fama, patientia tormentorum pro talibus habenda ſint, tractantur.
p. 169. Hinc ex ejusmodi levioribus vel non ſatis probatis indiciis torturam
dictare, vel eandem abſque novis indiciis iterare, vel in intenſiori, quam
in aliis criminibus gradu applicare, vel propter unius duntaxat ſagæ
denunciationem licet tempore inſtantis ſupplicii mortis factam, aut
ſi filia adulta ſuam matrem denunciet, eandem decernere, integrum
p. 170. non eſſe. Tandem nonnulla de revocatione confeſſionis tortura vix dũ
p. 176. remittente ſecuta, de confeſſione item impuberum hujus criminis, ſi illi
adhuc in ætate infantili vel infantiæ proxima ſint conſtituti, eorumque
p. 184. pœna ſubnectit. Conſil. IIX. de crimine latrocinii ejusdemq; indiciis a-
git; nimirum in hoc crimine ſimilibusq; gravioribus, aſſaſſinii puta, par-
ricidii infanticidiive, accuratam & legitimam in ſimplici homicidio præ-
ſcriptã vulnerum inſpectionem non adeo præciſe requiri, ſed concur-
rentibus cum reorum ſpontanea vel per fidiculas legitime extorta & ra-
tificata confeſſione urgentibus criminis perpetrati indiciis, illa etiam
omiſſa vel uno alterove defectu laborante, ad pœnam ſeveriorem in iis-
p. 185. dem obtinentem tuto deveniri poſſe. Si levior tortura, quam tum indi-
ciorum vehementia depoſcebat, tum rei vires admittebant, adhibita fu-
it, leviter tortum pro non torto haberi, ac proinde torturam ſine novis
p. 186. indiciis repeti poſſe. An & quatenus ſenes torturæ ſubjici queant, pru-
dentis judicis arbitrio non tam numerum annorum, quam vires vel
p. 197. debilitatem corporis conſiderantis relinquendum eſſe. Non quamlibet
cædem cum ſpoliatione occiſi conjunctam latrocinium conſtituere,
ſed illam cum propoſito res occiſi auferendi factam eſſe oportere.
p. 202. Conſil. IX. de furto qualificato ſæpiusque reiterato diſpicit. Fures ob
p. 210. furtum reiteratum pœnæ ſuſpendii regulariter haud ſubjacere, præſup-
ponit quidem, niſi prius bina, aut ſi aliæ graviores circumſtantiæ con-
currant, minimum una vice, propter furta priora fuerint puniti. Hanc
regulam tamen exceptionem admittere, cumque in caſu propoſito

fur

fur ſæpius reiterati furti convictus pœnam quidem proprie dictam nunquam ſuſtinuiſſet, metu tamen pœnæ aliquando in fuga & exilio per aliquot menſes verſatus eſſet, pœnæ id æquipollens cenſendum monet. Furtum item cum violenta effractione, præſertim a fabro ferario, adhibitis armis inſtrumentisque ad violentiam inferendam aptis, commiſſum, tanquam periculoſum ultimo ſupplicio jure puniri. Conſil. X. de crimine extraordinario ſaccularianus ab integro burſicoporum ſodalitio, einer Beutelſchneider-Zunfft / per plures annos in multis provinciis continuato agit, & quando capitali pœna plecti poſſit, ediſſerit. Conſil. XI. creditorem excitato concurſu creditorum cum principali debitore tranſigentem, & ſibi regreſſum contra fidejuſſorem expreſſe reſervantem, reſiduum ſive illud, quod principali debitori remiſit, a fidejuſſore poſtulare haud poſſe docet. Conſil. XII. de variis juribus eccleſiaſticis inter Comitem Evangelicum & Principem Catholicum controverſis diſquirit. Aliquem parochianum eſſe, exinde probari, ſi in illa parochia cultum divinum peragat, ſacramentis utatur, jus ſepulturæ habeat &c. Matriculæ eccleſiaſticæ, dem Kirchen-Buche / hoc in caſu plenam fidem attribui debere. Dominum territorii pagos antehac oppignoratos & ad ipſum reverſos, ab antiqua Eccleſia ſeparare & in illius præjudicium alteri Eccleſiæ unire non poſſe. Eccleſiam filialem eodem jure cum ſua matre circa publicas & ſolennes proceſſiones tunc non gaudere, quando illæ in duorum Imperii Satuum, quorum alter Catholicæ, alter vero Evangelicæ religioni addictus eſt, territoriis exiſtunt, niſi illas anno 1624 exercitas fuiſſe probetur. Evangelicum territorii Dominum ſuis ſubditis Evangelicis in locis, ubi ipſis nullum publicum vel privatum ſuæ religionis exercitium competit, in caſu ad minimum neceſſitatis Evangelicum parochum ad ſacram cœnam in illo loco adminiſtrandam concedere valere. Conſil. XIII. de ſeculariſatione bonorum eccleſiaſticorum variisque illius effectibus tractat, ſtatuitque Principes Proteſtantes bona eccleſiaſtica ſuperiori ſeculo Pontificiorum ritibus deſervientia jure ad ſe trahere, & ad alios veræ religioni conſentaneos pios uſus applicare, quin &, abundantibus illis, quædam bonis ſuis patrimonialibus incorporare potuiſſe. Conſil. XIV. de jure decimandi ſive decimas exigendi conceptum eſt. Quaſi poſſeſſores juris decimas ſeculares exigendi, ad inſtantiam fiſci ad titulum ſuæ quaſi poſſeſſionis edendum

p. 218. p. 239. p. 261. p. 266. p. 268. p. 275. p. 280. p. 282. p. 287.

jure non compelli, & ſi hoc recuſent, ſuo jure propterea privari non poſſe. Inquirit hac occaſione Auctor, num & quatenus rei in cauſis fiſcalibus pecuniariis, & in cauſis regalium, itemque rerum corporalium poſſeſſores ad editionem inſtrumentorum adigi valeant? ac quædam de conciliatione *l. 25. cum l. 2. §. 1. & 2. de jure fiſci, & l. 3. de edendo* inſpergit.
p. 289. Jus decimandi nec jure ſcripto nec moribus modernis in
p. 292. claſſem regalium referri. Poſſesſorem regalium in ſua immemoriali quaſi poſſeſſione etiam adverſus Principem tuendum eſſe. In cauſis Principis ejusque fiſci ordinem judiciarium in legibus præfinitum non
p. 298. minus obſervari debere, quam in cauſis privatorum. Jus decimandi etiam a laicis tam inferioris conditionis, quam in aliquo dignitatis faſtigio poſitis, tum alio titulo, tum præſcriptionis etiam immemorialis ad-
p. 302. quiri poſſe. Conſil. XV. prædio ſub conditione, ſi magiſtratus contractum permiſerit, vendito, pendente iſta conditione, pœnitentiam
p. 304. alterutrius contrahentis locum haud habere cenſet. Omiſſa contractus apud acta judicii inſinuatione ſtatuto præſcripta, alteri ex contrahen-
p. 310. tibus ab ipſo contractu recedere non licere. Jus retractus territorialis ei, qui tempore contractæ emtionis quidem forenſis fuit, ſed tamen ex poſt facto adhuc ante emtorem jus civitatis impetravit, adverſus emto-
p. 313. rem, ſi poſtmodo & ipſe in numerum civium ſit cooptatus, exercere permiſſum eſſe. Conſil. XVI. uxorem ob cædem filii ſui ex primo matrimonio a ſecundo marito commiſſam, adverſus illum propterea profugum ad divortium ex capite malitioſæ deſertionis efficaciter experiri.

*CAMDEN'S BRITANNIA NEWLY TRANSLATED &c.* id eſt:

## Camdeni Britannia in Anglicam linguam denuo tranſlata, prolixisve additionibus auctior in lucem edita ab EDMUNDO GIBSONO Collegii Reginenſis apud Oxonienſes Socio.

Londini, ſumtibus A. Swalle, 1695. in fol.

Conſtat Alphabetis circiter 8, & magno mapparum geographicarum & aliarum tab. æn. numero.

DEnuo in lucem prodit Britannia Camdeni, vernaculo ſuo idiomate decorata, elegantiore ſtylo, multisque additamentis inſtructa. Hæc nova editio non unius tantum hominis labori, ſed curæ & induſtriæ multorum eruditorum debetur; quorum nomina recenſet Clar. Editor

Editor in Præfatione. Primus autem Camdeni Britanniam idiomate Anglicano jam olim edidit *Hollandius*, qui textum Camdeni nonnullis additionibus ſatis eruditis ſuppleverat, ſed additiones ſuas textui Camdeni ſic immiſcuerat, ut vix Lector dignoſcere poſſet, quid Camdeno, quid Hollandio deberet. In hac igitur nova editione, textus Camdeni non ſolum nova & elegantiore verſione donatus eſt, ſed etiam ab additamentis Hollandii ſejunctus, & ſeparatim editus; Hollandii tamen additamenta non prætermiſſa, ſed ad finem uniuscujusque paginæ diverſo charactere ſubjuncta ſunt. Additiones autem ampliſſimæ, quæ huic editioni accedunt, & hactenus editæ non fuerunt, in finem uniuscujusque Comitatus conferuntur. In hisce novis additionibus multa nova congeruntur, quæ vel ad naturalem hiſtoriam Britanniæ ſpectant, aut origines urbium concernunt, aut antiquitates & monumenta Romanorum, Saxonum & Britonum ulterius illuſtrant. Multa hic recenſentur veterum monumenta, quæ aut a Camdeno omiſſa, aut non ita pridem in Anglia detecta ſunt.

In unoquoque enim Comitatu mandatum erat ſtudio & diligentiæ Viri alicujus eruditi inibi degentis, ut textum Camdeni diligenter recenſeret, & ſi in ulla re vel erraſſe vel defeciſſe eum deprehenderet, errata ejus corrigeret, & defectus ſuppleret, additionesque & emendationes ſuas cum Editore communicaret; adeo ut hæc editio ſumma cum cura ac induſtria adornata fuerit. Unicuique etiam Comitatui adnectitur charta ejus Geographica accurate delineata, & catalogus plantarum inibi naſcentium a clariſſimo Rajo concinnatus. Præmiſit etiam Editor catalogum librorum, tam impreſſorum quam manuſcriptorum, qui ſpectant ad antiquitates Britannicas, ut curioſitati eorum ſatisfaceret, qui penitiorem harum rerum notitiam acquirere cupiunt. Nummorum Britannicorum & Romanorum longe major in hac quam in prioribus editionibus exhibetur numerus, qui docte explicantur a clarisſimo viro Domino Walkero, notitia rei nummariæ & antiquitatum non leviter imbuto: qui etiam quatuor integras tabulas nummorum Saxonicorum novæ huic editioni inſeruit, easque notis ſuis illuſtravit. Obſervat in iis inter alia magnam affinitatem inter nummos a Saxonibus, & a Francis cuſos, tam in figura & pondere, quam in methodo cudendi. Ab altera nummi parte exprimere ſolebat utraque gens aliquando nomen tantummodo Regis; in averſa vero parte nomen vel Præfecti cuſorum, vel Præfecti urbis, in qua nummus cuſus p. 136.

erat, legebatur, adeo ut nihil fere eruditionis ex nummis eorum hauriri poſſit. Britannis econtra moris erat, postquam religionem Chriſtianam amplexi eſſent, ritus aliquos Chriſtianorum numiſmatibus ſuis inſcribere. Hoc autem inter nummos Saxonum & Francorum intereſt, quod non adeo frequens mutatio in nummis Saxonum, reſpectu mixturæ, ponderis & valoris, ac in nummis Francorum obſervetur. Præterea de nummis Saxonicis obſervat, aureos & argenteos multo majore copia reperiri quam æreos; plerique tamen eorum ſunt minimi moduli, tantum denarii, & exiguæ craſſitiei, ut ſcilicet facilius adulterationi monetæ obviam iretur. Averſa monetæ facies plerumque in quatuor ſcinditur partes; nam primis temporibus non niſi unius generis moneta ab iis cuſa fuit, & ſi obolo forte vel quadrante opus eſſet, denarium in binas aut quatuor partes dirumpebant. Iisdem temporibus multis Angliæ quoque Epiſcopis, nec non Nobilium nonnullis, auctoritate propria monetas & numiſmata cudere licebat; nunc vero jus cudendæ monetæ arctioribus cancellis circumſcriptum, nemini niſi ſummæ in Anglia poteſtati permittitur.

p. 19. In additionibus ad Comitatum Cornubiæ, quæ Reverendo maxime Exonienſi Epiſcopo Domino Jonathani Trelaanio debentur, de fodinis ſtanneis inibi non ita pridem repertis, ut & de cupri minis nonnulla proferuntur, hujusque generis metalli notabiles quidam referuntur effectus. Iis in locis, in quibus hujusmodi venæ maxime abundant, magna eſt copia vaporum & noxiarum exhalationum, quæ ex improviſo ortæ, plerumque foſſores metallicos enecant. Sed econtra damnum hoc reſarcitur magno commodo, quod foſſoribus præſtat in curandis eorum ulceribus; nam vena hæc nondum præparata, ſi alicui vulneri applicetur, vulnus e veſtigio fere ſanatur; & foſſores, ſi iis aliquando ſauciari contingat, (quod in fodinis ſæpiſſime accidit) nullum aliud ulceri adhibent remedium, quam lavationem vulneris in aqua, quæ venam hanc metallicam perfluit. Si vero hoc metallum igne purgatum aquæ immittatur, ea inde adeo virulenta evadit, ut ſi vulnus aliquod ea lavetur, protinus ſuppuret, & ſi aqua iſta in flumen aliquod caſu incidat, omnes piſces perimantur.

p. 230. In additionibus ad Comitatum Cantii, quas Dno. Plotto debemus, proponitur nobis brevis deſcriptio Dni. Pepiſii armamentariorum navalium, quæ in iſto Comitatu reperiuntur, ſuntque inter præcipua totius

tiús regni naupegia, fabricandæ ac inſtruendæ claſſi Anglicanæ inſervientia. Exponuntur hac occaſione quoque varii ſtatus claſſis Anglicanæ, & moderna ejus conditio cum priſca ejus facie, quam initio hujus ſeculi, hoc eſt Camdeni ævo, habuit, contenditur. Ex qua comparatione facile agnoſcuntur, quæ claſſis hæc unius ſeculi decurſu cepit, incrementa, ut & differentia impenſarum, quas illa belli & pacis temporibus requirit. Exinde etiam cernere licet incrementum, quod eadem proportione acceſſit naupegiis, areis navalibus, cellis penuariis, aliisque ad rem navalem ſpectantibus rebus. Computatio in hunc modum inſtituitur:

| Varii ſtatus Claſſis Anglicanæ. | Sub initium hujus ſeculi. | Hiſce temporibus. |
|---|---|---|
| 1. Numerus navium magnitudinem 50 doliorum excedentium. | non amplius quã 40 naves | † 200 naves. |
| 2. Numerus doliorum quæ continet tota claſſis. | 23600 dolia | † 112400 dol. |
| 3. Numerus nautarum huic claſſi inſervientium. | 7800 nautæ | † 45000 naut. |
| 4. Media proportio annuatum impenſarum huic claſſi neceſſariarum per quinque proximos quinque lapſos annos | | |
| tempore pacis | 15500. lib. Ster. | † 400000 l. St. |
| tempore belli | 96400 lib. Ster. | † 1620000 l. St. |

In additionibus ad GloceſtriæComitatum, quibus reverendus illius Eccleſiæ Cancellarius Dominus Parſons publicum ſibi obſtrinxit, refertur phænomenon aliquod notatu dignum, de æſtu maris in fluvio Sabrina, p. 245. qui Comitatum hunc perfluit; nimirum quod alternis annis æſtus fervor ſemper accidat ſub plenilunio, alternis vero ſemper ſub novilunio. Eandem vero etiam alternam vicem obſervat hic æſtus maris reſpectu diei & noctis, æſtu nimirum maximo alternis annis conſtanter eveniente tempore nocturno, alternis vero tempore diurno.

Inter additamenta ad finem Comitatus Salopiæ annexa, & ex Domini Thorotonis deſcriptione illius Comitatus deprompta, fit mentio oppidi cujusdam veteris nomine *Uriconii*, jam pridem diruti, ſed p. 552. cujus ruinæ adhuc extant. Urbs hæc, olim metropolis Cornaviorum, a Romanis condita eſſe creditur; ad minimum Romanos eam frequentaſſe, & caſtra ibi poſuiſſe, indubie conſtat, ex copia nummorum Roma-

Romanorum, qui inibi reperiuntur. Effodiuntur etiam hic non raro ſepulcrales urnæ Romanorum, & ex inſpectione ſepulcrorum hujus loci colliguntur nonnulli eorum ritus in ſepulturis mortuorum adhiberi ab iis ſoliti, ubi ſcilicet cadaver non cremandum ſed ſepeliendum erat, alibi non adeo obvii. Inventa nimirum ibi ſunt cadavera hac fere ratione compoſita. Tumulus primum comparuit ſatis amplus & profundus; in fundo hujus tumuli lectus luteus repertus eſt rubri coloris, cui impoſitum olim, & eodem luti genere diligenter tectum fuerat cadaver; deinde lutum hoc tenui quadam tegula, ne humus cadaver attingeret, muniverant; poſtremo tumulum humo impoſitum quinque aut ſex haud exiguæ molis lapidibus texerunt. Sicut autem cadavera his in locis ſepulta luto rubro inhumata fuerunt: ita urnæ quoque in iis repertæ omnes arena rubei coloris etiam illitæ fuiſſe deprehenduntur.

In novis additionibus ad provinciam Walliæ (quas magna cum induſtria confecit, qui illi provinciæ originem debet, clariſſimus Dominus Loydius, antiquitatum omnium diligens indagator) multa deſcribuntur Romanorum & veterum Britonum monumenta inibi re-
p. 614. perta, qualia ſunt eorum caſtra & fortalitia, pavimenta teſſellata, Romanorum aræ cum inſcriptionibus, patellæ fictiles variis figuris ornatæ, eorumque fibulæ veſtiariæ, quorum omnium accuratam deſcriptionem videre licet una cum figuris eorum expreſſis in tabula an-
p. 696. nexa. In additionibus autem ad Comitatum Maridunenſem refertur, anno 1692 ducenta fere numiſmata Romana, omnia argentea eaque antiquiſſima, utpote quorum recentiſſima ad XV Domitiani Conſulatum pertinebant, inventa fuiſſe, in porta magni cujusdam caſtri, cujus reliquiæ adhuc extant in modo nominato Comitatu. Deſcriptio hujus caſtri, in quo numiſmata hæc reperta ſunt, nullo modo quadrat cum caſtris Romanorum, quæ ſemper erant quadrata quatuor portis inſtructa. Caſtrum vero hoc eſt formæ orbicularis, unam tantum habens portam, in qua reperta ſunt hæc numiſmata humo condita, & incluſa duabus pyxidibus plumbeis, figuræ admodum impolitæ. Catalogum viginti quatuor ex illis Numiſmatibus, quæ ipſe Auctor viderat, hic una cum eorum inſcriptionibus ei exhibere viſum fuit.

p. 696. In tabula modo memorata extant inter alia figuræ quædam numiſma-

miſmatum aureorum veterum Britonum, quæ in hisce provinciis reperiuntur, & quorum inſcriptiones & characteres abunde demonſtrant, eos artem cudendi tam aureos quam argenteos nummos habuiſſe, ante adventum Romanorum in Britanniam. Torquem quoque aureum ante tres annos in hisce provinciis repertum, variis argumentis inter monumenta vetera Britannica potius quam Romana referendum eſſe, oſtenditur. p. 658.

Fit etiam in clariſſimi Loydii additionibus mentio inauditi cujusdam meteori, ſive accenſi vaporis, qui locum maritimum, nomine *Harleck*, in Comitatu Merviniæ per aliquod tempus infeſtavit, & adhuc etiam durat; multa fœnaria & granaria horrea inibi accendit, gramenque & aerem ſic vitiavit, ut exinde ſecuta ſit magna lues equorum, ovium, caprarum, & id genus aliorum animalium. Languida eſt flamma, cærulei coloris & extinctu facilis; ruſticis ad conſervanda horrea ſua ſeſe flammæ immiſcentibus ne minimum quidem damnum inferens, & vix quicquam præter frumenta accendens. Noctu ſemper apparet, hyemeque multo frequentior quam æſtate eſt, cœlo ſereno & pluvio eadem; magno vero aliquo ſtrepitu, nimirum ſi cornua inflentur, vel bombardæ explodantur, ſubito aut repelli aut penitus extingui ſueta. Exhalatio hæc primum credebatur ortum ſuum ducere a littore maris proxime adjacente, ſed paulo poſt diligentiore adhibita obſervatione, deprehenſa eſt ſinum maris trajicere, latitudinis octo vel novem milliarium, ab uliginoſis nimirum Comitatus Arvoniæ littoribus, præcipue autem loco quodam *Morvabychan* appellato profecta. Vera hujus phænomeni cauſa hactenus in obſcuro latet; Autor tamen noſter credit, non improbabili ſane conjectura, multitudini locuſtarum, quæ paulo ante hoc contagium ad iſtas oras appulerunt, illud originem debere. Multæ enim illarum, dum in itinere erant mortuæ marique immerſæ, inde vero in littora ejectæ ſunt; quemadmodum & reliquæ poſt adventum ſuum non diu in frigidis iſtis regionibus ſuperſtites eſſe potuerunt, adeoque & ipſæ perierunt. Ex cadaverum autem harum locuſtarum corruptione, aerem contagione poſſe vitiari, ita ut lues aliqua inde ſequatur, multis probari poteſt exemplis, & ſpeciatim uno, quod anno 1374 in locis maritimis Galliæ accidiſſe Th. Moufettus in Theatro inſectorum refert, ubi nimirum magna lues & hominum & beſtiarum ex multitudine locu- p. 659.

ſtarum, quæ in freto Britannico demerſæ, & in Gallicas oras ejectæ, aerem contagione aliqua vitiaverant, fuit exorta. His vero ita ſuppoſitis, conſiderandum clariſſimus Loydius curioſis naturæ ſcrutatoribus proponit, an venenatæ iſtæ, ex putredine locuſtarum hujusmodi (quas Africanas eſſe, gramen veneno ſuo inficientes, multi viri fide digni, qui in regionibus iſtis peregrinati ſunt, teſtati fuerunt) ortæ exhalationes, in locum aliquem paluſtrem & uliginoſum (qualis eſſe dicitur *Morva bychan*, unde hoc malum prodire ſupra innuimus) incidentes, & cum exhalationibus viſcoſis loci commixtæ, flammam hujusmodi generare nequeant, quæ ſimilem fere vaſtationem edat, ac ſolet ipſa locuſta Africana dum vivit, teſte jam inter veteres Plinio, qui L. XI, 29 *multa contactu locuſtam adurere* dicens, de hoc locuſtæ genere accipiendus eſſe videtur.

p. 692. Inter reliqua curioſa quæ hic congeruntur, deſcribuntur etiam ſpecies quædam foſſilium, quæ exhibent figuras plantarum, & in quibus planta tanta cum exactitudine delineatur, ut nulla arte tam vivide exprimi poſſit. Has plantarum repræſentationes ait ſæpius deprehendi in carbonariis, tegulæ cuidam nigræ impreſſas, quæ ad ſuperficiem carbonis proxime adjacet: in aliis etiam foſſilibus deprehendi, ſed rarius. Tam autem hæ figuræ plantarum ſunt variæ, ut in tot fere ſpecies dividi poſſint, in quot plantæ ipſæ in ſuperficie terræ naſcentes, reperiunturque inter eas ſpecies non ſolum a plantis Britannicis prorſus diverſæ, ſed etiam ab omnibus, quæ a Botanicis hactenus fuerunt deſcriptæ. Solent autem hæc foſſilia tantum folia plantarum, nunquam ipſos flores aut ſemina repræſentare.

Additiones quæ regno Scotiæ accedunt, magna ex parte debentur curæ & induſtriæ clariſſimi *Sibbaldi*, cujus etiam adnectitur Diſſertatiuncula de Thule veterum, quam multis argumentis probare conatur non eſſe inſulam a Scotia diſtinctam, ſed eam tantum partem Scotiæ, quæ ab oriente ad ſeptentrionem vergit. Ulterior deſcriptio Orcadum nititur autoritate Reverendi Viri Domini *Jacobi Waltare* antiquarii peritiſſimi, & qui munere Paſtoris in inſulis iſtis feliciter eſt functus. Inter alia monumenta harum inſularum, quæ hic recenſentur, extat brevis deſcriptio ſepulchrorum Romanorum, Danorum & Pictorum, quæ inibi effodiuntur, & ex quibus dilucide patent varii ritus, quos in uſu habuerunt populi iſti in ſepultura mortuorum.

In

In locis arenoſis ſeu maritimis reperiuntur plurima ſpatiola, in quadratum pedalia, condita ex lapidibus cæmento junctis, & quorum orificium lapide occluditur; in hiſce ſpatiis quadratis ſemper reconditur cinis nigri coloris; hæc creduntur ad Romanos pertinere, & ſpeciem quandam urnarum, quibus illi utebantur, referre. Sed adhuc alia ſpecies urnæ ſatis notabilis hic deſcribitur, quæ iſtis in locis effoſſa eſt, & ad Romanorum monumenta refertur; conſtans nimirum ex uno integro lapide excavato, figuram dolii exhibente, cujus ſummitas in acumen deſinit, & cujus fundus eum in modum adglutinatur, quo videmus dolia confici; orificium obſtruitur lapide rotundo hunc in finem adaptato, & deinde tegitur lapide amplioris magnitudinis ad conſervationem totius vaſis. In cavitate denique hujus dolii lapidei oſſa combuſta & lutum rubeum ut plurimum inveniuntur.

In locis etiam maritimis aliud genus ſepulchrorum extat, in quibus conſpicitur aliquando integrum cadaver ſepultum, tenens una manu gladium, & altera ſecurim Danicam; in aliis etiam deprehenduntur canes, pectines, & cultri eodem tumulo cum cadavere conditi. Videntur illa eſſe Danorum & Norvegorum ſepulchra, eo, quo inſulas haſce tenebant, tempore ab iis exſtructa. Extantes vero in multis locis campeſtribus tumuli, creduntur eſſe monumenta ſepulchralia veterum Pictorum.

## *A COMMENTARY UPON GENESIS.*

id eſt:

## Commentarius in primum Moſis librum, qui Geneſis

dicitur, Auctore maxime Reverendo in Chriſto Patre
SIMONE Epiſcopo Elienſi.
Londini apud Rich. Chiſwell, 1695. in 4.
Alphab. 3. plag. 14.

CUm vidiſſet Auctor Reverendus *Simon Patricius* (cujus ad Hiſtoriam Eccleſiæ Petrobrugenſis Supplementum in Actis noſtris Tom. I. Supplem. Sect. VI p. 288 recenſuimus, & ſcripta Theologica alia quamplurima, inprimis devotioni movendæ deſtinata, ſæpiusque recuſa, publice exſtant,) eam eſſe ſeculi noſtri pervicaciam, ut non deſint, qui in meridie palpare, & divinam primævarum totius orbis rerum Hiſtoriam in dubium vocare non vereantur: primo nonnulla Geneſeos loca difficilio-

ficiliora notis aliquibus explicanda ſibi propoſuit; mox tamen, maximam ſanctiſſimi libri partem commentario indigere videns, totum ſuis laboribus illuſtrare inſtituit. Neque vero a propoſito abſterreri ſe passus eſt, quum, abſoluta jam dimidia ſui commentarii parte, Viri clarisſimi *Joh. Clerici* commentarium in lucem prodire videret, quo tamen uti ob negotia graviſſima; queis diſtinebatur, ipſi non licuit. Nec etiam amiciſſimi ipſi Richardi, Epiſcopi Bathenſis & Welſenſis, in integrum Pentateuchum notæ, (quarum propediem in Actis noſtris recenſionem exhibebimus) ut mutaret conſilium, eum impellere potuerunt; quin potius eo alacrius perrexit, quo minus cauſæ, communicatis utrinque ſchedis, eſſe ſibi videret, ut alteruter a propoſito abſtineret. Ipſe vero maximopere incomparabilem Moſis hiſtoriam commendat, ſeque id præcipue ſtuduiſſe profitetur, ut vanitatem eorum manifeſtam redderet, qui mundi ſex diebus abſolutam creationem, ſitum Paradiſi, lapſum primævorum parentum, aliaque hujus generis, ſine recurſu ad myſticum neſcio quem ſenſum, inextricabilia exiſtimant; Moſenque ſatis prudentem, & ſubacta rerum, quas deſcripſit, cognitione abunde munitum fuiſſe, oſtenderet: quod & clarum ſatis evadere ait, ſi ejus librorum comparatio cum antiquiſſimis gentilium ſcriptis, quæ iſtis hominibus in maxima veneratione ſint, inſtituatur. Mirum præterea ipſi videtur, quod illi homines, cum de doctrina Ægyptiorum toties verba faciant, non Moſen ea ſaltem (ſi forte divina commercia illi negare velint) maxime polluiſſe largiantur: utpote qui in aula regia educatus, omni Ægyptiorum ſapientia imbutus, ab Arabibus quoque &
p. 1. Madianitis ſublimia quæque edoctus fuerit. Ceterum quod ipſe auctor Pentateuchi ſit, ſub initium Commentarii ex communi omnium Judæorum, Chriſtianorum atque Gentilium conſenſu probat. Aben-Ezræ vero, qui primus illud in dubium vocare auſus ſit, rationes non eſſe tanti, ut iis a receptiſſima ſententia dimoveamur, ait, idque, ubi ad loca Pentateuchi, quibus nititur potiſſimum Judæus, perventum fuerit,
p. 2. abunde ſe demonſtraturum promittit. Fontes, e quibus ſuam hiſtoriam Moſes hauſerit, vel traditionem antiquorum eſſe dicit, in tanta hominum longævitate facile conſervatam, vel etiam ſcripta eorundem, quæ ab illis non æque ac a nobis concinnari potuiſſe, nimis temere negetur. Atque adeo tum demum Moſis fidem in dubium vocandi cauſam fore credit, ubi probatum fuerit, eum aliorum virorum doctorum

apud

apud alias gentes, ſimili rerum iſtarum notitia inſtructorum, traditionibus contradicere.

Per Spiritum aquis incubantem Gen. I, v. 2. intelligit infinitam p. 5.
Dei potentiam ac ſapientiam, quæ vehementem univerſi recens creati commotionem atque fermentationem, ad ſeparandas magnæ materiæ partes, excitato forſan ingenti vento, produxerit. Situm Paradiſi cum p. 42. ſeqq.
Huetio in Meſopotamia quærit, & pari omnino ratione flumina quatuor explicat. Ad c. II v. 3 de ſanctificatione ſabbati verba faciens, p. 33. ſeq.
non dubitat, quin Deus per ſuam benedictionem ad ſacros etiam uſus diem illum, in perpetuam operum ſuorum atque miraculorum memoriam, deſtinaverit atque commendarit. Et quamvis nec Adam, nec Abel, vel alius Veteris Teſtamenti Patriarcha ſabbatum obſervaſſe legatur, ( quæ res multos induxit, ut crederent, Moſen nonniſi per anticipationem ea referre, quæ multis poſt ſeculis in monte Sinai acta ſunt) nequaquam tamen probabile Reverendo Auctori fit, Deum non ab initio mundi, in creaturis ratione præditis memoriale creationis conſervaſſe, quod commodisſime in ſeptimum ſeptimanæ diem, quem haud abs re τȣ̃ κόσμȣ γενέσιον Philo vocat, translatum ſit. Quin & manifeſta in Ethnicis ejus rei veſtigia deprehendi, apud quos frequens ſeptimi diei ſacri mentio, putat: quam in rem ex Ariſtobulo Peripatetico, item Heſiodo & Homero plurima teſtimonia Euſebius collecta ſiſtat. Seu vero illa de ſeptimo hebdomadæ die, ſeu, quod Seldeno viſum, de ſeptimo menſis cujuslibet intelligantur, reliquias certe diei ſeptimi Paradiſiaci exhibere cenſet. Et cum de Patriarchis antiqui Eccleſiæ Doctores dicunt, eos non ſabbatizaſſe, id non de officiorum religioſorum omiſſione, ſed de ceremoniis, quæ ſecutæ demum illorum ætatem ſunt, & de omnimoda ab operibus cujuscunque generis abſtinentia eſſe intelligendum illi videtur: alias diem illum ſacris apud ipſos devotionibus dicatum fuiſſe non dubitat.

De lapſu hominis ad c. III prolixiuſcule diſſerens, illud Evæ cum ſerpente colloquium nequaquam allegorice, ſed literaliter exponendum ducit. Monet itaque, fuiſſe in meridianis & orientalibus orbis p. 60.
regionibus ſerpentum genus alatum, atque inſigni ſplendore haud ſecus ac flamma coruſcans. Nominatum id ait שרף, prout e ſacris literis conſtet Num. XXII, 6. 8 שרף מעופף Jeſa. XIV, 29. Jam cum hoc ipſum nomen Angelis, Dei coram throno miniſtris tribuatur, qui

Jeſa. VI, 2. 6. & alibi שרפים dicuntur, ſuſpicatur Auctor cum Reverend. Teniſonio (quem nunc totius Eccleſiæ ſuæ Primatem Anglia veneratur) Angelos illos Seraphinos in שכינה, quam Judæi vocant, i. e. majeſtatica Dei apparitione, ſub forma ſerpentibus illis Africanis non abſimili, alis coruſcantibus inſtructos comparuiſſe. Eandem itaque illuſtris iſtius ſerpentis imaginem, Diabolum, Evam angeli lucis ſpecie decepturũ, induiſſe ſtatuit, cujus conſpectu ſeducta etiam fuerit mulier, Seraphinum, quales in apparitionibus divinis antea vice plus ſimplici forte conſpexerat, eſſe rata. Veſtigia ingenioſæ opinionis etiam apud Gentiles quærit, quibus divini ſemper ac magnæ venerationi dracones atque ſerpentes fuerint: cujus rei ratio probabilior ſane reddi non poſſit, quam quod ſymbola Angelorum fuerint. Et ita intelligendum forte Tertullianum, cum de Præſcript. Hæret. c. XLVII ait: *iſtum fuiſſe ſerpentem, cui Eva ut Filio DEI crediderat:* quæ verba ſi hæreticorum eſſe, a Tertulliano ſolum allegata, aliquis contendat, ipſius certe Tertulliani eſſe Reverendus Auctor putat ea, quæ occurrunt lib. cont. Valentin. c. II, ubi Diabolus *a primordio divinæ imaginis prædo* audit: Seraphinum nempe, ex ejus interpretatione, ſub ſerpentis imagine mentitus. Huc reducit etiam Vir Rever. illud hæreticorũ neſcio quorum dictum, apud Epiphanium Hæreſ. XXXVII, n. 25 dicentium: Evam a ſerpente tentatam πεισθῆναι ὡς υἱῷ Θεȣ̃. Quin & Judæorum Doctorem Bechai, ubi in locum illum Geneſeos commentatur, tale quid in mente habuiſſe exiſtimat.

p. 87. Sicut vero certum diem cultui ſacro a primo creati mundi tempore deſtinatum credit, ita etiam non dubitat, quin peculiaris illi locus, verſus introitum ſcil. horti paradiſiaci, ab Abele & Caino dicatus fuerit, ad c. IV, v. 3. Solenne enim ſacrificium eorum fuiſſe, non privata ſolum devotione factum, ex Hebræa voce הביא elicit, quæ nonniſi de ſacrificiis in tabernaculo oblatis occurrat: ut Lev. IV, 4. Confutat etiam eos, qui primogenito ſolum jus ſacrificandi iis temporibus fuiſſe contendunt, cum Abel natu minor æque cultum iſtum peregerit; quod etiam de Jacobo Gen. XXIIX, 18 XLVI, 1 legatur. Non negat tamen, ſecuto tempore, poſtquam in familias coire homines cœpiſſent, in caput ſolũ familiæ ſive principem jus ſacrificandi devolutum fuiſſe. Neque vero ἐθελοθρησκείας vitio laboraſſe ſacrificia, Deo a filiis Adami oblata, credit: ſic enim nihil relinqueretur Abeli, quo ſibi firmiter perſuadere potuiſſet,

Deo

Deo cultum illum acceptum fore, cum fides, quæ Abeli Hebr. XI, 4 tribuitur, majus quid ratione ad ſecuritatem ſui requirat: nec probabile ſit, Adamum ſponte in id delapſum, ut beſtiarum cæde Deum propitium reddi crederet; præſertim cum nulla naturæ ad eam rem inclinatio deprehendatur. Quocirca magno cum judicio Euſebium, non ex humanis motibus ortum fuiſſe cultum hunc, κατὰ θείαν δ' ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον obſervaſſe, monet, non dubitans, quin divina voce excitatus ad ſacrificia offerenda Adamus fuerit: nec obeſſe putat, quod a Moſe mandatum iſtud non referatur, ſiquidem in tanto rerum plurimarum compendio omiſſa etiam plura alia ſint, v. g. Prophetia Enochi, Noæ conciones &c. Verum ſufficient jam hæc ad præguſtum Lectori de toto opere faciendum, ad quod ipſum ſedulos SS. literarum indagatores ab excerptis noſtris remittimus.

## Kurtze Chineſiſche Chronologia, &c.

Hoc eſt:

*BREVIS CHINENSIUM CHRONOLOGIA, EXHIBENS OMNES Imperatores Chinenſes, a prima, quam putant, mundi origine, usque ad noſtra tempora, annum poſt Chriſtum natum 1696, extracta ex Catecheſi quadam Chinenſi, quam SIAO UL HIO ſive LUN appellare gaudent.*

*Editore* Christiano Mentzelio *Phil. & Med. D. Conſiliario & Archiatro Electorali Brandenburgico.*

Berolini, apud Joh. Mich. Rudiger, 1696. in 4. Plag. 21.

INter omnes libros Sinicos, quos non exiguo numero Potentiſſimi Electores Brandenburgici, FRIDERICUS WILHELMUS, & qui nunc rerum glorioſiſſime potitur, FRIDERICUS III ex India Orientali allatos, celebratiſſimæ, quam Berolini inſtruunt, Bibliothecæ inferri curaverunt, illi de facili obtinent primas, qui Regum & Imperatorum Chinenſium annales perſequuntur. Sed illud in iisdem deſiderari addit, qui hæc memorat, Vir experientiſſimus, linguæque Sinicæ ſi quisquam in Europa callentiſſimus, *Chriſtianus Menzelius*, quod ſecundum Chronologiam, quam Chinenſes ſectantur a Moſis computatione diverſiſſimam, perfecti non exiſtant. Interim, cum paucos ante annos, ut pergit narrando, libellus mole exiguus in manus ſuas inciderit, catecheſeos alicujus faciem præ ſe ferens, utpote in quo liberi Chinenſium de Imperatoribus Sinicis, a prima mundi origine uſque ad noſtra tempora informentur, bonum factum ſibi viſum eſſe ait, ſi hunc ordinem ſecutus, tempora iſta multa annorum millia complexa, uno veluti intuitu perluſtranda harum rerum amatoribus proponeret.

poneret. Hanc Catecheſin Chinenſium lingua vocari SIAO UL LUN, p. 21. *parvos filiorum ſermones*, ſive ut in præfatione, quam Confucio præfixit, eandem nominat *D. Coupletus*, SIAO UL HIO, *parvulorum filiorum doctrinam*. Et agere quidem de rebus diverſis, ut de diſtributione cœli & ſtellarum, quæ a globi noſtri diſtributione maxime diſcedat; de philoſophis & viris aliis eximiis; de rebus naturalibus, de menſuris, pecunia, conſuetudinibus, & cultu denique Deorum. Sibi nunc placuiſſe, *Annales* ſolum *Sinicos* inde excerptos orbi erudito ſiſtere; ad quod inſtitutum felicius exſequendum, inprimis conducere arbitratur, ſi totius Chronologiæ Sinenſis decurſum cum textu Sinico, ſed Latina & Germanica explicatione illuſtrato, exhibeat, ſua quoque adjecta, quam fovet, opinione, quam quidem duabus complexus eſt tabulis. In his ſiſtitur textus Sinicus, ut characteribus ſuis ab ipſis exprimitur, cum pronuntiatione & ſignificatione tum Latina tum Germanica. Quibus ſuccedunt ſinguli Imperatores, juxta familias in quas diſtincti ſunt, & eo, quo ſe exceperunt, ordine. De iis memoratur, quid unusquisque egerit, quid invenerit, quem animum adverſus ſubditos, & hi adverſus illum, geſſerint; ſtudioſe quoq; annotatur tempus, quo quisque regnaverit, & ad noſtram quam Chriſtiani ſequimur, Chronologiam comparatur. Ut vero ratio libelli magis pateat, lubet ſpeciminis loco quæ de Imperatore nunc regente adnotantur, ſtrictim excerpere. Memoratur nempe, vocari iſtum *Kam Ai*, filium natu minorem Xum Chi, puerum octo annorum anno Chriſti 1662 throno impoſitum eſſe, & primum quidem ſub quatuor tutoribus regnum adminiſtraſſe, usque dum anno 1666 ipſe regni habenas capeſſiverit, quibus nunc etiam magna moderationis & prudentiæ laude moderetur: cumque ab anno 1673 varias regulorum, qui alias ipſius parent imperio, rebelliones feliciter repreſſiſſet, A. 1679 d. 2 Septemb. maximo terræ motu trecenta ſubditorum millia & amplius amiſiſſe; A. 1680 regiam ejus arcem incendio conflagraſſe, quod damnum 850000 florenis æſtimatum fuerit. Denique cum anno 1682 Imperator totius Chinæ cum omnibus quindecim provinciis factus eſſet, A. 1683 magno ſtipatum exercitu & ſeptuaginta millibus equitum, patriam ſuam occidentalem Tartariam inviſiſſe. Cæterum quadraginta provincias ipſum ſua nunc ſub ditione numerare. In fine annectitur brevis *Relatio Legationis Moſcoviticæ* in Chinam annis 1693, 1694, 1695 ab *Isbrando*, Legato Moſcovitico, obitæ, cujus tamen deſcriptionem ab ipſo Isbrando ſtylo diffuſiori adornatam, Lectores expectare jubentur.

✱)o(✱

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Maji, Anno M DC XCVI.*


## *THE ANATOMY OF THE BRAIN, CONTAINING its Mechaniſm and Phyſiology &c.*

id eſt:

## Anatomia Cerebri, Mechanicam hujus atque Phyſiologiam comprehendens, una cum novis Inventis atque veterum & modernorum Autorum circa idem ſubjectum emendationibus.

Autore H. RIDLEY Coll. Med. Lond. Socio.

Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford, A. 1695. in 8. Conſtat plagulis 16, & Figuris 7.

MUlta in partium corporis noſtri ſolidarum ſtructura etiamnum latere, aſſiduo demum Anatomicorum ſtudio in lucem protrahenda, vel præſens Cerebri Anatome ſatis teſtatur. Hanc enim Spicilegium merito dixeris, in quo ea imprimis ſtudioſiſſime a clariſſimo Autore notantur, quæ a ſolertiſſimis alias cerebri nervorumque ſcrutatoribus, Williſio puta & Vieuſſenio, vel plane omiſſa, vel ſaltem minus accurate fuerunt tradita. Fibrarum nempe, duplicem meningis duræ laminam conſtituentium, diſpoſitio monſtratur diverſa ab ea, quam Vieuſſenius ipſis aſſignavit, quatenus fibræ laminæ internæ ceu craſſiores pro triplici a proceſſu falcato principio aut retrorſum, aut antrorſum progredi, ſubtiliores autem fibrillæ in lamina externa retrorſum tantum pergere videantur, ac falx ipſa tum longitudinalibus filamentis, tum tranſverſis, a ſinu inferiori quinto ad ſuperiorem tertium excurrentibus conſtet. Meninx intermedia, a Bidloo atque Bohnio commemorata, pro externa ſolummodo meningis piæ lamina, veluti craſſiori,

Cap. 1.

Cap. 2.

 occa-

occaſione hydropici diſſecti, in quo omnia ejus interſtitia aqua fuerunt repleta, venditatur. Tertiæ meningis duræ arteriæ, ab externo arteriæ vertebralis ramo oriundæ, tranſitus, ab aliis hucusque & Vieuſſenio ipſo neglectus, per idem foramen calvariæ octavum oſtenditur fieri, per quod par nervorum octavum atque ſinus laterales ad venam jugularem elabuntur. Circa venas meningis duræ Vieuſſenius nunc contradictionis, nunc falſitatis, potiſſimum quod easdem pari ratione atque arterias prædictas diſtribui autumaverit, arguitur. Cur autem cerebri ipſius venæ nec cum arteriis cranium ingrediantur, nec diramationem harum æque ac in aliis partibus ſequantur, ſed intervenientibus ſinubus in ampliores truncos deſcendant, in circulationis ſanguinis gratiam fieri aſſeritur, cum alias in magnis ſanguinis ebullitionibus arteriæ nimium dilatatæ venas ipſas, ſi commune utrisq in calvaria foramen eſſet, omnino comprimerent, comprimendoque ſanguinis per easdem refluxum impedirent. Arteria vertebralis non tam per foramen aliquod proprium & Vieuſſenio decimum, quam per ipſum occipitis magnum ſubintrare cranium adſtruitur, notabili prius flexura facta, quam in Tab. noſtra literæ T T exprimunt, qualemque circa carotidem jamjam Williſius & Wepferus annotarunt. Unicus adhæc inter cerebri arterias obſervatur ſurculus cum venula pariter ſtipatus a nemine adhuc deſcriptus, lateralem eam oſſis ſphænoidis partem, quæ poſteriorem orbitarum oculorum portionem conſtituit, ſubiens atque in oculos, ubi anteriores cerebri lobi elevantur, incurrens. Reliquis itidem duræ meningis ſinubus novus circularis ſellæ equinæ adjungitur, glandulam pituitariam anterius circumdans ac ceræ injectæ beneficio ita detectus, ut tum venam utrinque in eum deſinere, tum ipſis quatuor Vieuſſenii ſinubus verum exortum præbere conſtet; quoniam receptacula peculiaria nullibi in calvaria humana equinæ ſellæ deprehenduntur adſita, locum autem eorum duæ potius venæ occupant, ſanguinem partim per ſecundum foramen ab oculis, partim per foramen quintum revehentes, ac in eam demum venam coaleſcentes, quæ in circularem ſinum haud procul ab inferiorum ſinuum Vieuſſenii principio terminari modo dicta fuit. A ſinubus cæteroquin iſtis motum proprium ſive pulſum edi, ſanguinisque portiunculam immediate ex arteriolis recipi ideo negatur, quod in cane vivo, ſuperiori calvariæ parte ablata, nec viſu, nec tactu pulſus aliquis ſinus longitudinalis animad-

Cap. 3. Cap. 4. Cap. 5. Cap. 6.

madverti potuerit, neque in eodem ſecundum longitudinem inciſo ullibi arteriæ ſanguinem cum ſubſultu infundentes apparuerint. Venæ autem ſinui longitudinali implantatæ non ſolum oblique ad Loweri & Vieuſſenii mentem antrorſum tendere, ſed & totidem retrorſum ſive ab anterioribus ad poſteriora vergere notantur. Plexus choroideus cerebri utrinque non tam cum aliis ſimplex, quam duplex conſideratur, e membrana, glandulis, arteriis, venis & vaſis lymphaticis contextus, prout duos ejusdem ramos arterioſos cum venis totidem atque vaſis lymphaticis in Tabula lit. *e e. g g. h h. k k.* & *q q.* cernere datur, ortumque arteriarum in explicatione figuræ ſubnexa percipere. Rete aliquod mirabile & ipſi homini vindicatur, denegatum a multis, ibi loci ab arteria carotide oriundum ac facile reperiundum, ubi circularis ſinus in quatuor Vieuſſenii abit, licet minus longe, quam in brutis diverſis, quia ſanguinis ad cerebrum motus in erecto hominis capite non æque ac in pronis brutis refrænandus aut imminuendus veniat. Controverſia vero illa, num rete mirabile præter arterias conſtet venis, ſupervacanea pronunciatur, quod pituitaria glandula arteriolas a reti mirabili recipiens venas omnino habeat ſanguinem eundem reportantes. De cætero glandula pituitaria in ſella Turcica neutiquam in homine, ſicut in brutis, traditur ſuſpendi, multo minus ſimili cum reliquis glandulis, ſive conglobatis, ſive conglomeratis, gaudere ſubſtantia; præſertim, cum & ductus peculiares, qui fluidum per infundibulum adducendum ſecernunt, & qui a glandula ipſa denuo reducunt, prorſus lateant, vice verſa ceræ, mercurii ac liquidorum tinctorum per infundibulum injectiones ad glandulæ pituitariæ ſtructuram explorandam nullo cum ſucceſſu adhibeantur. In ſtrumoſi cujusdam pueri cerebro hydropico glandula pinealis ordinariam magnitudinem ter ſuperaſſe, ac ratione lymphæ gelatinoſæ contentæ transparuiſſe plane perhibetur, ab aliis glandulis conglobatis diſcrepans minime. Ex Leewenhœckii obſervatione, circa duplicem cerebri ſubſtantiam facta, corticalis ejus portio adinſtar reliquarum partium omnium non niſi congeries diverſorum vaſculorum eſſe elicitur, quorum craſſiora ſanguinem, ſubtiliora arteriis æque ac venæ & lymphatica vaſa continuata, fluidum animale ſubtiliſſimum contineant, ipſamque medullarem ſubſtantiam albicantem ratione productionum capillarium conſtituant. Suppoſito autem, totius machinæ æquilibrium a plenitudine ſubtiliſſimorum

Cap. 7. Cap. 8. Cap. 9. Cap. 10. Cap. 11. Cap. 12.

ejuſmodi vaſculorum, fibras etiam nerveas atque carneas conſtituentium, dependere, primumque impetum ſpiritibus animalibus ſeu fluido animali ab anima ſenſitiva vel rationali injungi, pro ratione motus muſculorum enodanda promte colligitur, quod partim fluidum animale in muſculi contractione a cerebro, tanquam magno ejus receptaculo, per vaſcula tranſmiſſum ad fibras carneas tendat, ac in vaſculis harum multo arctioribus iis, quæ nervos compingunt, eadem vi rapidiſſime agitatum, intumeſcentiam ſive inflationem muſculi producat, partim vero eodem tempore fluidũ idem a muſculo antagoniſta æquali celeritate in locum prioris, quod a cerebro ad contractum muſculum tranſmittitur, plenitudinis ſervandæ vel juxta Veteres vacui avertendi

Cap. 13. gratia retrocedat. Corpus calloſum fornicis veri munere fungi, minus vere aſſeveratur a Vieuſſenio, cum cerebrum a proceſſu falcato ſuſpenſum fornice alio haud indigeat. Si fornix vulgo dictus prope radices ſuas incidatur ac verſus glandulam pinealem, nates teſteſque reclinetur, uti in Tab. lit. A A. factum, ventriculi duo laterales cum tertio interjecto rimam referente unicum ſolummodo ventriculum conſtituere innuuntur. Crura fornicis pedum Hippocampi figuram in brutis magis, quam in homine, dicuntur repræſentare, atque a ſtriis ſive fibris non longitudinalibus, quemadmodum Malpighio fuit viſum, ſed obliquis tanquam totidem annulis cingi. In exteriori thalamorum nervorum parte medullari nullas haberi ſtrias, intus vero non niſi ſubtiliſſimas occurrere, elegantemque tractum medullarem inter thalamos nervorum opticorum ac corpora ſtrata intercedere radicibus fornicis continuatum ac in Tab. lit. m m. repræſentatum, docetur. Multi carpuntur, quod pro ponte Varolii partem deſcripſerint ac depinxerint aliam ab ea, quæ protuberantiæ annularis nomine apud Williſium

Cap. 14. inſignitur. Plexus choroideus cerebelli ſub octavo nervorum pari glanduloſus fieri, ac ventriculo cerebelli ſuperius, ſeu ipſi cerebello ſuperincumbenti, ſtricte annecti oſtenditur. Proceſſui annulari craſſiores aſſignantur ſtriæ, quam quæ in corporibus ſtriatis exiſtant, eæque tranſverſim ad eum tractum medullarem longum excurrentes, a quo proceſſus annularis ipſe quaſi biſecatur. Prope cerebelli proceſſum tertium, quem chordalem Noſter, cerebelli autem ad medullam ſpinalem Vieuſſenius vocat, duo vel tres proceſſus medullares advertuntur tranſverſim locati, nonnunquam ſe invicem quaſi ſuperequitantes ac

proces-




F. Andre & Sohn sc. Lipſ.

proceſſus cerebelli ad medullam oblongatam connectentes, una cum aliis proceſſibus medullaribus longis, qui modo tres, modo duo, modo unus a cerebelli ad nates proceſſibus protendantur ad iſtos. Medullæ oblongatæ corpora pyramidalia olivaribus contradiſtincta ab annulari proceſſu ad pollicis diſtantiam progredi, longeque infra nervorum octavi paris principium terminari monſtrantur, ſecus ac Williſius exiſtimavit. Cap. 15. Tam primi nervorum paris ſive olfactorii, quam ſecundi ſive optici, exortus haud multiplex, uti Vieuſſenius docet, ſed ſimplex aſſeritur, illo ab inferiori & anteriori crurum medullæ oblongatæ parte, hoc autem a thalamis nervorum opticorum emergentibus. Cap. 16. Vaſcula ſanguifera per ipſam medullarem nervorum opticorum ſubſtantiam ad oculorum usque retinam diſtribui, mediante injectione mercurii detegitur. An funiculi vero nervei paris quinti & tertii nervos opticos ambientes in motibus convulſivis hoſce conſtringere vere dicantur a Williſio & Vieuſſenio, quaſi muſculi eſſent, merito dubitatur. Principium nervorum paris tertii, ſive oculorum motorii ab antica & ſuperna proceſſus annularis parte, qua thalami nervorum opticorum inferius continguntur, deducitur; a poſteriori autem ejusdem proceſſus annularis parte, non procul a corporum pyramidalium initio, exortus nervorum paris ſexti derivatur. Septimum nervorum par quemadmodum duplici conſtat portione, duriori altera, altera molliori; ita durioris origo in caudicem medullarem, prope cerebelli proceſſum ſecundum ſive ad medullam oblongatum, refertur, mollioris vero principium proceſſibus ſive tractibus medullaribus tranſverſis, qui cerebelli proceſſus ad medullam oblongatam modo nominatos colligare fuerũt indigitari, adjudicatur. Par nervorum octavum ex interſtitio inter corpus pyramidale atque proceſſum cerebelli tertium ſeu chordalem exſurgere, nervus autem ejus acceſſorius a medullæ ſpinalis iisdem cum pari vertebrali ſeptimo principiis anterioribus & poſterioribus, neutiquam inter initia quarti nervorum ſpinalium paris, traduntur emergere. Par nonum e ſeptem quandoque vel octo fibris reſultans ac arteriolam a vertebrali recipiens, a locis corporis olivaris prodire dicitur diverſis, decimumque par pro primo potius vertebrali habetur, primam inter & ſecundam cervicis vertebram exiens. Fluidum animale a fibrillis nerveis comprehenſum perpenditur, ut ejusmodi corpus e particulis admodum exilibus atque flexilibus compoſitum, quod in ſpatio ſuf-

ficienti a materia ſubtili ſive globulis æthereis, quibus innatat, omnes in partes agitari poſſit, ac continuo ea proportione, qua producitur, Cap. 22. tranſpiret. Tandem ea, quæ Williſius & Vieuſſenius circa ſpecialiorem cerebri & cerebelli uſum ratione ſenſationis atque motionis localis proferunt, examinantur ac ceu falſa cumprimis tali corporum ſtriatorum conformatione, qualem Vieuſſenius delineari curavit, exploſa emendantur, ſimulque fluidi animalis ſolius abſque concurſu ad motum animalem ſufficientia, experimento Caldeſi, quo teſtudinem corde cum reliquis viſceribus præter pulmones privatam ſeſe invertiſſe ſitumque ſupinum cum prono commutaſſe, ac vitam cum motu per ſex adhuc horas continuaſſe obſervatum fuit, comprobatur.

TAB. IV. Explicatio Figuræ, quæ apud Autorem quinta habetur, ac cerebrum cum vaſis ſanguiferis cera prius repletis exhibet.

A A. Fornix prope radices diſſectus ac reclinatus.

b b. Radices ejus ad thalamorum nervorum opticorum principium.

c c &c. Thalami nervorum opticorum.

d d. Portio crurum fornicis, quæ prope laterales ventriculos craſſior evadens crura medullæ oblongatæ tegit.

e e. Ea plexus choroidei pars, quæ a primo cervicalis arteriæ ramo proficiſcitur, ac interdum a ramo communicante in ventriculis lateralibus oriri videtur.

f. Locus, ubi hi duo plexus utrobique ſub fornice concurrunt.

g g. Altera plexus pars, quæ a ſecundo arteriæ cervicalis ramo reſultat, ac cum prima interventu rami cujusdam communicantis ſub fornicis cruribus hic occultati jungitur, integra ſuper iſthmum expanſa & ſpeciatim ſubter glandulam pinealem fornice hic coopertam glanduloſa emergens.

h h. Duæ venæ amplæ a ſummitate ſuperioris partis plexus ad alterum plexus ramum ſecundum longitudinem ventriculi tertii deſcendentes ac in ſinum quartum deſinentes.

i i. Trunci diverſarum arteriarum repræſentati, quaſi in diviſione medullaris † ac corticalis * cerebri partis fuiſſent diſciſſi.

k k. Ramus venoſus utrinque plexum choroideum intrans variosque ſurculos ad corpora ſtriata diſpenſans.

Δ Δ. Corpora ſtriata integra.

l. Rima

l Rima ventriculi tertii.
mm Tractus medullaris longus inter thalamos nervorum opticorum & corpora ſtriata.
nn. Centrum ovale Vieuſſenii.
O. Quartus ſinus meningis duræ.
P. Torcular, ubi quatuor & interdum quinque ſinus concurrunt.
QQ. Sinus laterales.
R. Vena ampla ſinum alterum lateralem ingrediens.
SS. Cerebelli pars ſuperior altero duræ meningis proceſſu cooperta.
TT. Arteriæ vertebrales.
VV. Sinus vertebrales.
W. Medulla ſpinalis cum ſuis integumentis.
XX. Stylus venas amplas plexus choroidei ſuſtinens in ventriculo tertio.
qq. Vaſa lymphatica plexus choroidei.
YY. Duo nervi cervicales a medulla oblongata ortum habentes.
††. Medullaris cerebri pars.
**. Corticalis pars.

## *INSTITUTIO PHYSICO-ASTRONOMICA, ADJECTA IN fine appendice Geographica, Auctore P.D. CAJETANO FONTANA, Cler. Regul. vulgo Theatino, Mutinenſe.*

Mutinæ, 1695. typis Anton. Capponi, in 4. plag. 16.

ADfinis eſt admodum de ſideribus doctrina, quam ſibi Aſtronomia vendicat, illi, in qua tradenda Naturalis Philoſophia verſatur, ſolentque non ſine fructu conjungi & copulari. Id quod doctiſſimus quoque Fontana fecit hoc in libro nuper ad nos curante celeberrimo *Magliabechio* perlato, in quo non ſolum numeros, qui ad magnitudinem, diſtantiam, motusque cœleſtium corporum pertinent, inprimis ſecundum recentes Caſſini obſervationes, tradit, ſed de cauſa etiam fineque illorum motuum erudite diſquirit. Poſtquam enim nonnulla, quibus in Coſmographiam facili modo introducuntur tyrones, nec non de mundi ſyſtemate & natura loci præmiſit; Leſſio adſtipulatus, locum univerſalem ſeu ſpatium intelligibile eſſe ipſam Dei immenſitatem, particularem vero ſuperficiem corporis non quamcunque, ſed cui mobile adhæret; generaliter primum de motu Planeta-

rum

rum agit. Exiſtimat autem, ſi de primario fine ſermo ſit, Planetarum motus, ideo quia ipſis naturales ſint, in proprium illorum commodum fieri, & converti illos v. g. circa ſuum axem, ut lumen Solis ejusque vis diſtribuatur ſucceſſive diverſis partibus globi Planetarii, periodico autem circumferri motu, ut nunc intenſiores nunc remiſſiores Stellarum influxus recipiant, quippe cum hi tanto ſint majores, quo major eſt arcus, quo a Sole diſtant; axes Planetarum quoque conſtanti angulo ad axem orbitæ Planetariæ inclinari, ut viciſſitudines oriantur tales illis in corporibus, quales ex inclinatione axis terræ ad Eclipticam deducere ſolent Copernicani; tandem gyros ſuos circa Solem dum deſcribunt, modo accedere ad eum, modo recedere, ut jam fortiori, jam debiliori fruantur Solis lumine. Horum autem motuum cauſam non conſtituit cum Keplero & Borello radios Solares impellentes Planetas; nec fluidum ambiens, quod ipſos Vorticis inſtar circumferat, cum ineptiſſime deſtinetur immenſum ætheris vaſtiſſimi fluidum movendis exiguis corporibus, neque fluidi totum ſpatium mundanum replentis exiſtentia ſatis ſit probata; ſed Planetas ſtatuit habere in ſe principium activum ſuorum motuum, perinde ut animantia, & hoc eſſe ſubſtantiam, quæ ſpiritus dici poſſit, cum non ſit corpus, quamvis connexionem habeat cum corpore tanquam ejus forma. Quoniam autem ex Planetarum circulari motu circa Solem, & acceſſu aut receſſu a Sole, qui fit ſecundum lineam rectam, oritur eorum motus per aliquam curvam a circulari diverſam, quam cum Keplero Ellipticam plerique ex recentioribus eſſe ſtatuerunt; clariſſimus Auctor hanc ſententiam ideo locum habere poſſe negat, quia ſi in ellipſi moveretur Planeta, illius poſiti in linea diacentro motus apparens ex Sole motui medio eſſet æqualis, quod obſervationibus repugnet, quibus conſtet, motus Planetarum ex Sole apparentes eſſe reciproce ut quadrata diſtantiarum, & ſi v. g. ſumas, maximam, mediam, minimamve Mercurii a Sole diſtantiam eſſe inter ſe ut 12, 10, 8, eſſe motum Mercurii in linea diacentro poſiti 100, qui tamen numerus non eſt medius arithmeticus inter 144 & 64, ſeu motui medio æqualis, ut hypotheſis Elliptica requirit. Veræ autem curvæ Planetariæ elementa conſiderat eam in tot circulos Soli concentricos reſolvendo, a maxima diſtantia ad minimam, quot ſunt temporis Phyſica inſtantia ab Aphelio ad Perihelium, lineamve ductam ad illud curvæ punctum, in quo motus medius ap-

paren-

parenti eſt æqualis, diſtantiam mediam virtualem vocans (quæ v. g. in Mercurio ſit 10198 partium, qualiũ media materialis eſt 10000) quomodo Æquationes in tabula diſponendæ inveniri posſint, indicat. His autem poſitis colligitur, ſi plures Planetæ ejusdem forent naturæ, & nihilominus in diverſis a Sole diſtantiis collocarentur, illos eodem pacto ſe habituros in menſura motus circa Solem, ac idem Planeta in diverſis a Sole diſtantiis; ſeu periodos aut medios motus fore in ratione duplicata diſtantiarum permutando; ſi autem aliter ſe habeant motus illorum, ipſos quoque eſſe naturæ diverſæ, cum vero ſit ſimillimum, corpus quod a Solis calore magis afficitur quam alterum, remotius eſſe poſitum, ne ab eo diſſolvatur. Quandoquidem vero ſi hæc patibilitas in diverſis Planetis creſceret in ratione diſtantiarum duplicata, æqualia omnium eſſent tempora periodica, quia æqualiter omnes a Sole afficerentur; ſi autem creſceret in diſtantiarum ſimplici ratione, Planetæ eo magis a Sole paterentur, quo eidem viciniores, & tempora periodica eſſent in diſtantiarum ratione ſimplici, & neutra tamen ratio locum in motibus Planetarum habet, quia tempora illorum periodica ſunt in ratione diſtantiarum ſeſquiplicata, quæ ſemiſſis eſt inter rationem duplicatam & ſimplicem; hinc colligitur, patibilitates creſcere in ratione, quæ ſit media inter rationem æqualitatis & ſimplicem diſtantiarum, h. e. in ratione quæ ſit ſemiſſis rationis diſtantiarum, ita v. g. Martis, quia duplo remotior fere eſt a Sole quam Venus, patibilitas ſit ſeſquiplo major quam hujus. Ut autem nonnulla ex iis, quæ circa ſingulos Planetas traduntur, ſpeciminis loco afferamus, *Solem* exiſtimat clariſſimus Auctor globum eſſe igneum ex materia inflammabili conſtantem, quæ talis ſit, ut ſenſim & lentisſime in flammam abeat tarde in halitum reſolvendam, atque adeo flammei hujus oceani exilisſima pars ſingulis annis abſumatur. Maculas in media Solaris globi zona eſſe putat, vel quod ſint nubes ortæ ex Planetarum influxu, qui in media zona propter rectiores radios eſt fortior; vel quod materia macularum in denſum potius fumum quam flammam abiens in media zona ideo ſit poſita, ut nubium ex illis debitis temporibus oriundarum objectu aliquantulum retundatur vis Solis, in commodum Planetarum circumſtantium, (quem in finem etiam eclipſes contingant) id quod non adeo bene fieret, ſi eſſent in partibus Solis lateralibus, ubi propter aſpectum obliquum non poſſent notabilem diſci Solaris partem obtegere. Vertiginis

quoque motu Solem agitari cenſet, ut omnes ejus partes fiant influxus fixarum & Planetarum participes; & quia magis afficitur a Planetis quam ſideribus reliquis, hinc quoque axem gyrationis parum tantum declinare ab axe Eclipticæ. De *Luna* hæc traduntur: Lunam tellurem circumire, ut ab ea nunc magis nunc minus illuſtretur, non autem converti circa ſuum axem, ſed eadem pæne facie terram ſemper reſpicere, ut hoc pacto Sol menſtruo ſpatio circa eam volvi videatur, eo motu, qui diurno Solis circa terram eſt analogus, atque hinc manifeſtum eſſe, Lunam, cum dies ejus tam longi ſint, melius poſſe ſufferre & perpeti vim radiorum Solarium, quam noſtram tellurem: Lunam apogeam in ſyzygiis magis diſtare a terra quam apogeam in quadraturis, & perigeam in ſyzygiis eſſe telluri viciniorem quam perigeam in quadraturis, quamvis clariſſimus Caſſinus ex diametro Lunæ apparenti ſibi viſus ſit obſervaſſe Lunam apogeam tam in ſyzygiis quam in quadraturis eandem ſervare a terra diſtantiam: Contingere hæc phænomena ideo, quia centrum & umbilicus ſyſtematis terreno-lunaris non eſt centrum terræ, ſed punctum ſitum in linea abſidum inter apogeum & terram, quod ſe habeat tanquam centrum commune gravitatis utriusque globi, & quia natura ſatagit, quantum poſſibile eſt, vitare parallaxin ex hac eccentricitate oriundam, adeoque Lunæ orbitam telluri minus eccentricam ſtatuit iis temporibus, quibus major parallaxis contingere deberet, præſertim quando apogeum & perigeum cum quadraturis coincidunt, ſeu centrum ſyſtematis terreno-lunaris maxime ſeparatur a linea per centrum telluris & Solem ducta ſive linea ſyzygiarum; maxime autem eccentricam conſtituit eo tempore, quo centrum illud eſt in linea ſyzygiarum, ſeu linea abſidum cum linea ſyzygiarum coincidit, quia tunc idem eſt locus Solis ex terra & jam dicto centro viſus, neque intervallum inter ea ullam ſenſibilem parit parallaxin: Variationem Tychonicam hinc oriri, quod Lunari globo magis conveniat moderatum lumen, quod recipit ex reflexione telluris circa quadraturas, quam majus, quod accipit circa novilunium, & nimis parvum, quo circa plenilunium fruitur; eumque proinde cæteris paribus circa quadraturas diuturniorem moram agere: Lunam circa ſyzygias non habere tantam latitudinem quantam circa quadraturas, in æquali a nodis diſtantia, quia latitudo in ſyzygiis phaſium variationem nonnihil imminuit, dum Lunæ Soli conjunctæ magnamque latitudi-

nem

nem habenti terra non omnino plena lumine, Soli autem oppoſitæ non omnino vacua exhibetur, latitudo vero Lunæ in quadraturis totalem variationem phaſium non impedit: Lunæ librationem ab occaſu in ortum & vice verſa ideo fieri, ut apparens motus Solis diurno noſtro analogus, perinde ut in cæteris Planetis, æquabilis reddatur, neque iisdem ſit obnoxius inæqualitatibus, quibus verus motus Lunæ menſtruus ſubjicitur; ac proinde cum Luna eſt motu tarda, eam moveri circa proprium axem, cujus termini ſunt poli reſpondentes polis propriæ orbitæ, & in parte quidem ſuperiori ab occaſu in ortum, in inferiori ab ortu in occaſum, tantum quantum differentia inter mediocrem & tardum motum Lunæ requirit, ut ſcilicet Sol, qui alias eadem tarditate appareret incedere ab ortu in occaſum, nonnihil velocior videatur, ſeu mediocri celeritate præditus; cum vero Luna ſit velox, verſus contrariam plagam librationem fieri, ut ſegnior appareat Solaris motus medioque æqualis, ſeptem ſcilicet utrinque percurrendo gradus, quot ſcil. æquatio Lunæ maxima continet: Librationem Lunæ qua axis præcedentis librationis nunc a borea in auſtrum, nunc ab auſtro verſus boream inclinatur, ideo contingere, ne motus Solis apparens ſemper fiat per eundem circulum ſeu Lunaris globi Æquatorem, ſed exoriatur mutua illa hemiſphærii tum borealis tum auſtralis illuſtratio, quæ in tellure reliquisque Planetis obſervatur; propterea cum Luna habet latitudinem ſeptentrionalem, polum auſtrinum Lunæ verſus terram inclinari 7 circiter gradus & borealem a nobis averti, contra vero cum latitudinem meridionalem obtinet, polum borealem Lunæ ad nos inclinari & auſtralem a nobis averti: Lunam, quamvis in plurimis cum terra noſtra conveniat, in eo tamen eſſe ab ea diverſam, quod ſuperficies ejus aſperior eſt terreſtri, montesque Lunares terrenis altiores; quod aquis nullis affluit, quia partes obſcuriores, quæ pro maribus vulgo habentur, ſolidæ ſunt ſuasque aſperitates habent; quodque tandem Luna ſenſibili atmoſphæra deſtituitur. In *Saturno* ſequentia notantur: Cum axis ejus vel nihil vel parum inclinetur ad planum orbitæ, ſupplere hanc obliquitatem annulum tenuem quidem, ſed latum ſatis Saturnoque concentricum, quique inclinetur ad adparentem Solis viam angulo paulo majori, quam noſter Æquator ad Eclipticam; quo fiat, ut Sol in ſemicirculis oppoſitis orbitæ Saturni conſtitutus illuſtret oppoſitas annuli ſuperficies, & bis ſpatio 30 annorum ſit in plano eodem

cum annulo, quando ſcilicet eſt in 20 vel 20½ gr. Virginis & Piſcium, & bis maxime ſupra annulum elevetur, nempe ſupra ſuperficiem annuli, quæ boream reſpicit, cum eſt in 20 grad. Sagittarii, ſupra auſtralem vero, quando eſt in 20 gr. Geminorum; hinc ergo fieri, ut dum Saturnus a Virgine ad Piſces procedit, pars borealis ſui globi libere perfruatur Solis beneficio, non obſtante annulo, imo cum idem globus circa ſuum axem revolvatur, propter reflexionem luminis ab annulo factam, dies noctibus ſint longiores, atque adeo pars hæc æſtate gaudeat, dum in parte auſtrali hyems regnat, quia annulus radios Solares avertit; contra vero cum Saturnus in altero verſatur ſemicirculo, pars borealis hyemem patiatur, auſtralis vero a Sole annuloque illuſtrata æſtate fruatur: Tantum inclinari planum annuli ad planum Saturniæ vertiginis (28 fere gradus,) quantum ſufficit, ut in omnibus locis ſuperficiei globi idem annulus ſit conſpicuus poſito vertiginis motu, ſeu ut ad polos uſque Solis lumen reflectat, non obſtante parallaxi orta ex notabili proportione ſemidiametri globi Saturni ad totum radium annuli: quinque lunulas Saturnum illuſtrare, tum quia ingens eſt ejus moles, tum quia cæteri Planetæ, præter Jovem qui Luciferi vices obit, fere inconſpicui ſunt & inſenſibilis activitatis in Saturno. Sed ne nimis prolixi in his enotandis videamur, cum alia adhuc non contemnenda reſtent, paucis indicamus, doctiſſimum Auctorem ſtatuere, in *Marte* ex macularum atro colore lucidis partibus commixto oriri colorem ſubrubrum, qui etiam in Jove horizonti vicino apparet: *Cometas* eſſe Planetas ſui generis propria forma donatos, quæ ſit motus principium activum; ex ſe quoque lucidos eſſe, atque hinc ignis ſpeciem præ ſe ferre, præſertim in nucleo qui atmoſphæra cingitur; caudas quoque ex eadem eſſe materia quamvis tenuiori, & proinde Cometas capitatas trabes bene vocari poſſe; forte autem caudas ideo in plagam Soli oppoſitam porrigi, ut earum ſubſtantia tenuis a Solis activitate minus lædatur, quam ſi oblique eidem eſſet objecta: nullius *fixa* diametrum excedere 5 ſcrupula ſecunda; fixarum *ſcintillationem*, quæ major appareat per teleſcopium, oriri ab agitatione aſſidua intercurſantium in aere vaporum, qui tranſitu ſuo celerrimo ſtellæ diſcum exiliſſimum & lucidiſſimum nobis jam eripiunt, jam reſtituunt, quod non contingit in Planetis ſuperioribus, tum propter magnitudinem diſci apparentis, tum propter luminis remiſſionem. A cœleſtibus corporibus

poribus ad terram noſtram deſcendit deinde clariſſimus Fontana, neque ſolum ex menſura *terræ* ab Academia Regia Pariſienſi inventa corrigit locorum Bononiæ vicinorum longitudines & latitudines a Ricciolo aſſignatas, ſed etiam de altitudine aereæ ſphæræ diſputat, eandem negans ex obſervatione crepuſculorum determinari poſſe; & *refractiones* aeris conſiderans oſtendit, rigoroſe loquendo majorem eſſe refractionem ſyderis remotioris quam propioris, Lunamque & Solem in horizonte majores apparere non ob refractiones, ſed quia magis a nobis diſtare videntur, integro cap. 36 confirmat. Porro de *motibus aeris* cum intra & prope Tropicos circulos (quos ex Actis Eruditorum A. 1687 Septembr. p. 509 deſcribit) tum extra Tropicos, erudite & copioſe agit, iisque ex vaporibus, motu maris, & ſitu terræ partium explicatis, tranſit ad reddendam rationem phænomenorum, quæ in *Baroſcopio* obſervantur. Examinatis autem & rejectis celeberrimorũ Dnn. Ramazzini & Boccobadati ſententiis (de quibus vid. Acta Erudit. hujus anni menſ. Jan. p. 41. ſeqq.) ex cylindri aerei vaſi Mercurio repleto incumbentis rarefactione & condenſatione apparentias illas ſequenti explicat modo: Ut cylindrus aeris minus premat ſtagnantem Mercurium, non partem tantum illius debere rarefieri, ſed totum, quia alias vis premens in reliqua parte poſſit augeri, ut Mercurius non ſecus ac antea ad aſcenſum urgeatur, ac proinde licet inferior cylindri aerei pars rarior ſit æſtivo quam hyberno tempore, aerem tamen mediæ regionis eſſe denſiorem magisque quam alias elatere ſuo premere contra ſe nitentem inferiorem aerem, & propterea parum vel nihil diſcriminis in aſcenſu & deſcenſu Mercurii oriri ex tempeſtatum anni varietate; totius vero cylindri raritatem & levitatem majorem effici tempore nubiloſo & pluvioſo ab agitatione & diſtractione particularum aerearum a vaporibus & exhalationibus præſertim igneæ naturæ. Quod ſi autem nubiloſo atque pluvioſo tempore exhalationes ita copioſæ ſint in aere, ut occupent aeris ſpatiola & diſtractioni majori obſiſtant, vel ſint craſſioris frigidiorisque indolis, ut apud nos flante vento borea, tunc totum aeris cylindrum non minus premere Mercurium, quam quibusdam temporibus ſerenis. Ultimo tandem loco de *æſtu maris*, origine fontium & cœleſti influxu agitur, & illius quidem cauſa tribuitur periodicæ aquæ marinæ fermentationi & rarefactioni ſimili ei, quæ in febrilibus paroxyſmis contingit; aſcenſus aquæ ad fontes conſtituendos

formæ ejus adſcribitur; influxus Solis atque Lunæ manifeſtos parere effectus in globo terraqueo, reliquarum autem fixarum & erraticarum ſtellarum, propter ingentem diſtantiam a nobis earumque parvitatem, effectus vix ſenſibiles eſſe poſſe aſſeritur. Coronidis loco adjecta eſt appendix Geographica, cujus prima pars refert loca, quorum longitudines ab obſervatoribus Gallis mediantibus Eclipſibus ſatellitum Jovis indagatæ; altera vero Chorographiam Italiæ ex Aſtronomicis obſervationibus perficiendam delineat.

*COLLECTIONIS MAXIMÆ CONCILIORUM OMNIUM Hiſpaniæ & Novi Orbis Tomus III, continens Concilia & monumenta ſacra ab anno Chriſti DCCI usque ad annum MDXI, cura JOSEPHI SAENZ de AGUIRRE S. R. E. Presb. Card.*

Romæ typis Jo. Jac. Komarek 1694. in fol.

Conſtat Alphab. 7. plag. $12\frac{1}{2}$.

TErtium hunc jam tibi damus B. L. Maximæ Conciliorum Hiſpaniæ Collectionis tomum, a quo quid expectandum tibi ſit, paucis nunc accipe. Primo ſtatim loco in eo comparet ineditus antea Canonum & Conciliorum, quibus Eccleſia, præſertim Hiſpanica, regebatur ab ineunte ſexto ſeculo uſque ad initium octavi, index. Illum in præfatione
p. 7. Reverendiſſimus Autor eum ipſum ſibi videri ait, quem ineunte ſeculo ſexto ſub *Compendii ſacrorum Canonum* titulo edidit Ferrandus Diaconus, quamvis auctum eum poſtea eſſe credat, utpote in quo multa Concilia & decreta citentur, quæ poſt obitum Ferrandi habita ſancitaque fuerunt. Exhibentur inde Romanorum Pontificum Regumque Hiſpaniæ, ſub quibus Concilia, tomo hoc tertio & quarto comprehenſa, celebrata fuerunt, catalogi; nec non opuſcula quædam Virorum illuſtrium præcedentibus Conciliorum collectionibus ex parte jam inſerta vel alibi edita, qualia ſunt Hieronymi & Iſidori Hiſpalenſis de Viris illuſtribus libri, & alia hujus generis. Sunt inter illa quamplurima monumenta ad monaſteriorum in Hiſpania fundationes ſpectantia ex Mabillonio & aliis collecta, ut & acta quædam Concilii Francofurdienſis in cauſa Felicis & Elipandi. Ex omnibus illis monumentis nullius ſpeciatim meminiſſe juvat, præterquam epiſtolæ Evantii contra eos, qui ſanguinem animalium immundum judicant, a Caniſio jam edi-
p. 86. tæ. Eum enim Evantium Archidiaconum Toletanum fuiſſe, non Epi-

ſcopum

ſcopum Viennenſem, cujus & Fortunatus meminerit, contra Chriſtoph. Browerum, qui poſterius in notis ad Fortunati lib. 3. epiſt. ad Euphronium affirmaverat, oſtendit. Nihil etiam attinet dicere de Concilio Cordubenſi, & ſubnexis ei variis ad fundationes eccleſiarum & monaſteriorum pertinentibus monumentis. Aſt Concilium Ovetenſe ſilentio præterire non licet, utpote cujus acta ex Toletanæ & Ovetenſis Eccleſiæ MSS. nunc primum publici juris fiunt, in quibus tamen nihil notatu dignum valde occurrit, niſi Archidiaconorum ad cogendas Synodos & extirpandas hæreſes in eo inſtitutorum diſciplinam annotare forte placeat. Brevis narrationis quoque de Officio Hiſpanæ Eccleſiæ Romæ anno 1063 laudato & confirmato, mentionem a nobis ideo injiciendam eſſe putavimus, quod ea alibi extet nuſpiam; quemadmodum & decretorum quorundam Concilii Legionenſis anno 1012 coacti, ex Toletano & Mondexarenſi MSS. nunc primum editorum, quæ tamen fere ad Politiam potius quam ad Eccleſiam pertinent. Hiſtoriam quoque translationis S. Felicis, ex caſtro Bilibienſi in monaſterium S. Æmiliani edit, quam ut ex præfatione conſtat, ſcripſit quidam Grimaldus monaſterii S. Æmiliani monachus, hortatu Blaſii, ſui, uti videtur, Abbatis; epiſtolam item Urbani II Papæ Romani ad Petrum Oſcenſem Epiſcopum, qua Oſcam Saracenio ereptam caput Jaccenſis Eccleſiæ conſtituit. De Concilii Fuſſelenſis ævo contra Sandovalium, qui ad annum Chriſti 1135 id retulerat, in nota ad illud acriter diſputat, ad annum circiter M C IV illud rejiciendum eſſe variis argumentis contendens. Synodi Compoſtellanæ anno 1114 celebratæ nullum quoque hodie haberemus monumentum, niſi ex codice Mondexarenſi ejus decreta nunc primum nobis ſiſterentur, quæ quidem ex MS. Hiſtoria Compoſtellana Munionis Adephonſiadæ deſumta fuerunt. Idem de Concilio Ovetenſi anno 1115 coacto dicendum, cujus tres ſaltem fuere ſanctiones, quarum una ad boum oppignerationem, altera ad furta impedienda, tertia ad limitandum jus aſyli Eccleſiis datum & alia nonnulla pertinent; quæve non ſubſcriptionibus tantum quamplurimis, ſed nova etiam plane, niſi fallimur, benedictionis & maledictionis formula muniuntur. Ex memorata paulo ante Munionis Hiſtoria Concilii Palentini quoque anno 1129 celebrati canones nunc primum protulit, ut & Legionenſis quod anno 1135 congregatum fuit. Votum porro Jacobi Arragonum Regis de dotanda Valentina Eccleſia,

p. 158.
p. 174.
p. 190.
p. 294.
p. 308.
p. 317.
p. 327.
p. 495.

ſia, ubi urbem eam Mauris eripere datum fuerit, ejusque voti perſolutionem ex MSS. illius Eccleſiæ publici juris facit, ut & privilegium illius Regis, quo Judæis & Mauris Chriſtianæ religionis myſteriis initiari ſine bonorum ſuorum jactura conceditur; cujus generis aliud privilegium Jacobi II inferius quoque exhibet. Ex ejusdem Eccleſiæ archivis edit etiam Conſtitutiones Synodales Valentinæ Eccleſiæ ab Andrea de Albalato Epiſcopo Valentino editas, in quibus inter alia de iis, de quorum dubitatur baptiſmo, iſta promulgatur conſtitutio: *Si dubitatur, utrum aliquis eſſet baptizatus aut non, baptizetur, ſed Sacerdos dicat in prolatione verborum ſic: ſi es baptizatus, non te baptizo, ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris* &c. In eis quoque ne ultra duo compatres ad levandum puerum de ſacro fonte admittantur, prohibetur, addita ratione: *quia matrimonia impediuntur*; ut alias
p. 516. nonnullas hujus generis conſtitutiones nunc taceamus. Non multum ab his diverſæ ſunt Conſtitutiones Synodales Fratris Arnaldi de Peralta Epiſcopi Valentini ab anno 1216 uſque ad 1273, quæ itidem ex Valenti-
p. 579. no archivo nunc primum prodeunt. MSo Mondexarenſi debetur Concilium Complutenſe anni 1325 & Toletanum anni 1323, itemque aliud Toletanum anni 1326. Ubi Conſtitutiones in Concilio Tarraconenſi II factas edit Eminentiſſimus Autor, monet ſibi propoſitum fuiſſe eodem loco Conſtitutiones Metropolis Cæſarauguſtanæ ab anno 1327 uſque ad annum 1495, in unum corpus a D. Alphonſo de Arragonia relatas exhibere, ſed illas ſibi periiſſe, altera ſcilicet vice oſcitantia ejus, cui Romam proficiſcens manuſcripta ſua crediderat, altera maris & tempeſtatum injuria, cum denuo ei ex Hiſpania tranſmitte-
p. 615. rentur. Reliqua quæ in hoc volumine habentur inedita, ſunt privilegium Petri II Valentiæ, in quo eccleſiaſticos a vectigalibus eximit, & denique decretum Alphonſi Arragonum Regis de non accipiendis reſcriptis tempore ſchiſmatis graſſantis. Diſſertationes huic tomo Eminentiſſimus Autor inſeruit nullas, notas vero paucas ad temporum notationes in una vel altera epiſtola & alia hujusmodi facientes, quam ob rem nobis quoque in ejus enarratione brevioribus, quam in præcedentibus tomis, eſſe licuit.

EJUS-

*EJUSDEM COLLECTIONIS MAXIMÆ CONCILIORUM Hiſpaniæ & Novi Orbis Tomus IV & ultimus, cura JOS. SAENZ de AGUIRRE S. R. E. Cardinalis Presb.*

Romæ, typis Jo. Komarek 1693. in fol. Alphab. 8. plag. 15½.

IN hoc quoque quarto tomo nihil notarum, nullæ diſſertationes Reverendiſſimi Autoris inveniuntur: nuda Conciliorum acta, quotquot ab eo inveniri potuere, repræſentantur. Fit autem initium a Concilio provinciali Hiſpalenſi, anno 1512, Didaco Deza Archiepiſcopo illius urbis præſide, celebrato, indeque ad Synodum usque Limenſem diœceſanam X, in Peruvia anno 1604 coactam proceditur. Non eſt, quod Lectores canonum & decretorum Conciliorum iſtorum prolixam a nobis expectent recenſionem, utpote in quibus nihil fere eſt, quod a moderna Eccleſiæ Romanæ praxi, doctrina, & conſuetudinibus ſit alienum: eo æquius proinde eos noſtram in commemoratione hujus tomi brevitatem laturos eſſe exiſtimamus, quo prolixiores in reliquis recenſendis fuimus.

*D. CASP. LOESCHERI, THEOLOGI WITTENBERGENSIS, Amœnitates Evangelicæ, LXII Diſputationibus incluſæ.*

Wittenbergæ, apud Chriſtianum Schröderum, A. 1696. in 4. Conſtant Alphab. 1. plag. 9.

PEricopas illas Evangelicas, quæ ſingulis per annum diebus Dominicis feſtisque populo publice proponi atque explicari inde a temporibus antiquis conſueverunt, quisnam primus omnium e Scriptorum Θεοπνεύςων libris ſelegerit, ac in eum, quem nunc tenent, ordinem conſtipaverit, diu equidem multumque inter Eruditos quæſitum, non tamen adhuc indubitato ſatis definitum eſt. Sunt etenim, qui Hieronymo laborem hunc vindicare annituntur. Sunt, qui venerabilem Bedam in illius locum ſubſtituunt. Plerique Alcuinum, Caroli Magni ævo celebrem, ſelectus hujus auctorem fuiſſe exiſtimant. Nonnulli quoque Paulum Warnefridum eidem aſſociandum contendunt. Noſtrum vero uti non eſt ſtatuere, utra ex his ſententiis ad veritatem propius accedere videatur: ita hæc commemoraſſe haud ſumus arbitrati ſupervacaneum, poſteaquam de præſenti labore in pericopas modo dictas impenſo certiorem reddere Lectorem noſtrum conſtituimus.

Licet enim in his Actis conſulto ſemper a nobis prætermiſſa fuerit inſignis illa copia librorum; qui vulgari alias nomine Poſtilla nuncupantur, & modo, quem appellare liceat, exoterico eârum ſenſum uſumque inculcant; non potuimus tamen, quin hiſce diſputationibus, quæ paulo plura e modo tractandi acroamatico admixta habent, locum ſuum heic concederemus. Videlicet Maxime Reverendus Auctor, cujus Nucleum Theologiæ A. 1694. pag 237. ſeq. recenſuimus, ex Evangeliis Dominicalibus Feſtivalibusque præcipuas, ut ipſe vocat, Amœnitates decerpſit, & poſt factam ubivis ab initio accuratiorem pariter & elegantiorem pericopæ cujusque partitionem, in eo occupatus fuit, ut aut utiles quasdam & curioſas delibaret quæſtiones, aut circumſtantias patrum vulgo attingi ſolitas illuſtraret, aut vocabuli alicujus authentici vim exponeret, aut dubia pro ratione dictorum in hoc illove Evangelio moveri ſolita perſpicua reſponſione tolleret, aut adverſarios erroribus ſuis patrocinium exin quærentes refelleret, aut alia iſtius generis pro re nata cum ſuis, quibus hæc præcipue ſcripſit, auditoribus communicaret. Summæ autem ubivis brevitati ſtuduit, ac nulla diſſertatio ultra ſemiplagulæ ſpatium occupat. Dabimus vel unicum ſpecimen, e quo de reliquis judicare haud difficulter licebit. Ad Evangelium, quod ipſis Januarii Calendis in feſto Circumciſionis e Luc. II, 21. exponi asſolet, ſequentes ſuppeditat amœnitates. Quærit ante omnia: cur Deo octavus præ cæteris dies, quo infantes circumciderentur, placuerit? & enumeratis aliorum hac de re opinionibus, ob cauſas divino magis Numini, quam nobis cognitas id factum eſſe reſpondet. Imprimis tamen attendi cupit ad amorem, quo infantibus Deus proſpexit, ne in tenerrima ætate graviori dolore afficerentur, & ad parentum ſolatium exinde hauriendum, quod tam cito de liberorum ſuorum ſalute certi efficerentur. Porro quærit: licitumne fuerit aut paulo ante aut paulo poſt diem octavum infantes circumcidere? ac negativam adverſus Bedam & illius aſſeclas tuetur. Commentatur quoque nonnihil de illius dilatione haud temere ſuſcipienda. Eos, qui circumciſionem ab Ethnicis initium habuiſſe tradunt, erroris redarguit. De mortuis nequaquam circumcidendis, de fœminis a circumciſione excluſis, deque formula precum in hac actione adhibita, ſelectiores quasdam theſes concinnat. Tandem ubi circumciſionis in Novo Teſtamento ceſſationem ejusque cauſas expoſuit, diſquirit: qua ratione Meſſias tot nomi-

nibus

nibus Eſa. IX, 6. inſigniri, & circumciſionis tamen tempore unico nomine JESUS appellari potuerit? & eam id ob rem fuiſſe factum reſpondet, quod hoc nomen ea omnia, quæ apud Eſaiam exprimuntur, comprehendat.

*GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI, ACADEmiæ hucusque Jenenſis, nunc Cimbricæ Profeſſoris, ὀγκολογία parva, ſeu de humani corporis tumoribus eorumque legitima curandi ratione liber, ad recentia venioraque dogmata accommodatus, novaque methodo adornatus,*

Jenæ, ſumtu Jo. BielkI, 1695. in 4. Plag. 29.

NAtus eſt præſens eruditi ingenii fœtus parenti ſuo experientiſſimo, cum Chirurgiæ primordia ſtudioſæ juventuti in celeberrima Academia Salana eſſent tradenda, breve ut eſſet compendium, quod in prælectionibus ſuis tuto & ſine tædio ſequi poſſet, cuique, niſi alia incidiſſent, vulnerum ulcerumque doctrinam, ad recentis Medicinæ leges refictam, cum appendice de excreſcentiis addere decreverat. Præmittitur autem huic opuſculo præfatio, in qua de neglecta hodie per diætam curandi ratione, Chirurgiæ ſtudio ſuæ dignitati reſtituendo, quaque ratione doctrina de tumoribus ad Chirurgiam referenda, & quæ methodus in ea tradenda ſervata ſit, exponitur. Nimirum fecit celeberrimus Schelhammerus hujus libri duas ſectiones, in quarum priori tumores in univerſum, in poſteriori ſingulos, eundo per partes corporis, explicavit, & primo quidem partium ſimilarium, deinde diſſimilarium, & qui pluribus ſunt communes. Sectione ergo prima definit tumorem, quod ſit morbus in conformatione, quo totum corpus aut aliqua ejus pars, aut pars partis, a contento ſubtus vel humore, vel ſolido, vel ſpiritu, in majorem, quam pro naturali habitu, molem attollitur; exploſaque veterum opinione, quæ concoctricem & expultricem facultatem nimis debilem allegat, cum ne nutriantur quidem per appoſitionem partes, nec expellant excrementa, ut alibi ſe planiſſime demonſtraturum promittit, inquirit in tumorum cauſas, quæ ſcilicet vel materiam pravosque ſuccos in corpore augere, vel collectioni eorum & ſubſiſtentiæ, corrumpendo fibrarum tubulos, quovis modo occaſionem præbere poſſunt. Deinde ſigna, prognoſin, curandique rationem, de qua tamen in univerſum pauca doceri queunt, cum

pro exiſtente in iis materia plurimum variet, exponit. Communem autem hanc tradit omnis tumoris indicationem: Quod intus latet quocunque tandem modo exturbandum eſſe; id vero quomodo fieri debeat, ex tumorum natura debere dijudicari; quandoque enim ſatis eſſe, ſi quod intus latet vel diſſipetur, vel manuũ opera educatur, ſed quando cum tota cruoris maſſa communicat tumor, & exinde recipit, quibus fovetur, non ſine medicamentis obtineri poſſe ſanationem, imo derivatione aut revulſione tum ſanguinis, tum ſeri, aliquando eſſe opus. Probe quoque monet conſiderandum eſſe, an cum naſcente tumore, an cum nato res ſit; neque ad ſolos humores vel id quod includitur, ſed ad partis quoque conditionem eſſe reſpiciendum. Tandem rationem reddit, cur relicta veteri & recepta diviſione a quatuor humoribus petita, novam tradat, quæ ita ſe habet: Tumores ſunt vel univerſales, vel particulares; & hi quidem vel integram partem organicam obſident, vel ſingulas partes ſimilares. Hi rurſus vel cuti inſident, vel carnes occupant, vel glandulis infeſti ſunt, vel arteriis venisque accidunt, vel denique oſſibus inhærent. Qui vero diſſimilaribus integrisque accidunt organis iisque plurimis, ſunt inflammatio, abſceſſus, ſcirrhus, cancroſus tumor, gangræna, quæ tamen, perinde ac inflammatio, huc potius refertur ex communi ſententia, quam quod vere tumores eſſe exiſtimentur. Cum autem de univerſalibus tumoribus, quoniam a vitio humorum ſunt, eaque conſtitutio turgeſcentia potius corporis cacochymica quam tumor appellari meretur, inter morbos univerſales diſceptandum ſit, neque protuberantia quæcunque partium, v.g. hernia aut flatulenti illi & humorales tumores, qui integros ventres implente materia comparent, nec ecchymoſis illud genus, quod in tumorem non attollitur, nec eryſipelas, quippe ad inflammationes potius adeoque morbos intemperiei remittendum, huc pertineat, illa quidem omnia prætereuntur, niſi quod eryſipelati, ne nimium innovationi datum videatur, locus relinquitur. Agitur ergo in ſectionis ſecundæ parte priore de iis tumoribus, quibus ſimilares partes intumeſcunt, & primum quidem de his, qui cutem aut cuticulam obſident, quales ſunt ſcabies, phlyctænæ, papulæ, vari, gutta roſacea, eryſipelas, herpes, impetigo, verrucæ, clavi, ſubcutaneique tumores atheroma, meliceris, ſteatoma & ganglion. Sequuntur tumores carnis, nempe furunculus, paronychia, carbunculus, œdema, tumor gingivarum. Ab his ad tumores acceditur, qui glandulas infeſtant tum congeſtas

geſtas, quas inepte conglomeratas vocant, ſalivales nimirum ſuperiores & inferiores, tonſillas cum uvula, nec non faucium buccarumque; tum ſingulares, quas globoſas & conglobatas perperam nuncupare ſolent, cum non modo non conglobatæ, ſed nec globoſæ quidem ſint, verum plerumque oblongæ & nonnihil depreſſæ. Refert quoque experientiſſimus Auctor ad glanduloſos tumores ſtrumas & bronchocelen, & cum de ſtrumis apud auctores non ſatis expedita res ſit, tantaque ſententiarum diverſitas, ut nulla major eſſe poſſit, & neque veteribus cum recentioribus idem ſit animus, neque utrisque conveniat inter ſe, fuſius de his diſputat. Poſt glandularum ægritudines de aneuriſmate & varice tractat, tandemque de tumore oſſium, qui ſpina ventoſa dicitur, quem non eundem eſſe cum cancro, de quo Celſus lib. 8. c. 10 loquitur, contra diſſentientes demonſtrat. In his autem ita verſatur Vir doctiſſimus, ut in affectibus gravioribus, naturam, cauſas, differentiam, ſigna diagnoſtica & prognoſtica, nec non curationem perſpicue tradat, neque diſſimulet, ſi quid in praxi proficuum expertus eſt, vindicans quoque occaſione data methodum per contraria curandi a ſuis cavillatoribus. Ita, ut ſpeciminis loco pauca, more noſtro, & quæ in limine ſtatim obvia ſunt, afferamus, docet: Varos non facile redire vitatis acribus & vino, niſi ſingularis ad eos adſit diſpoſitio, eoque in caſu nihil præſtantius eſſe quam lac virginis: expeditiſſimum contra verrucas remedium eſſe, ſi acus immittatur per mediam verrucam, donec ſenſus eam ad fundum penetraſſe teſtetur, & hæc incaleſcat, quousque ferri poteſt, idque iterum ac tertium fiat; ſic enim radicem exuri & verrucam ſponte excidere; levem autem inflammationem nonnunquam accedentem facile emplaſtro refrigerante tolli: thymion moleſtiſſimum ſub unguibus prominens oleo tartari infuſo feliciter reprimi: in facie exſtirpari verrucas oleo vitrioli tactas, ſi tamen per calamum impoſitum ita comprehendatur verruca, ne cæteræ partes lædantur: ad ganglion curandum Helvetium, inter Batavos celebrem, uſum fuiſſe malleo ligneo, corio obducto, quo percuſſerit tumorem: paronychiam facillime tolli, ſi in principio ſtatim cum theriaca allium contundas, vel ejus miſceas cum illa ſuccum, & imponas: in tumore parotidum & glandularum maxillarium, quem perperam ad tonſillas refert vulgus, quæ tamen eo ſunt in loco poſitæ ut digitis palpari exterius nequeant, emplaſtro de meliloto haut raro utilius eſſe diachylon

ſimplex, præſertim ſi calor & inflammatio acceſſerit, vel magis induruerit materia.

In altera parte primum de inflammatione exponitur, ad quam declarandam ſupponit doctiſſimus Auctor, in ſanguine eſſe ignei quid, quod calorem nativum appellamus, &, quando obſtructis, vel obſeſſis, vel interceptis viis, quibus itur ad venas, ad aliquam partem placide transmiſſus ſanguis refluere nequit, ſed ſtagnat ante oſtiola, & dum alius continuo affluit & impellitur per arterias tumultuatur, motu illo perpetuo ac præternaturali excitari hunc incluſum undulanti purpuræ ignem, augeſcere, parteſque pingues & inflammabiles ſanguinis rapere veluti in flammam, ſicque inflammationem efficere. Defendit quoque veterum curandi rationem per repellentia & defenſiva, reliquis non neglectis, quæ nequaquam incraſſent hærentem in partibus ſanguinem aut altius impingant, ſi modo rite, ut præcipiunt veteres, adhibeantur; ſeque aſſerit inflammationes tam validas, ut etiam e longinquo admota manu, ad duorum digitorum diſtantiam, calor ſentiretur, unguento alabaſtrino & infrigidante Galeni æque ac de ceruſſa, aliisque plumbeis, plus vice ſimplici quam optime repreſſiſſe; magno cum ægri ſolatio. Quoniam autem ex inflammatione frequenter abſceſſus oritur, hinc de illo non tantum, ſed & de ſymptomatico, critico, & anomalo diſſeritur, diſcentibusque M. A. Severini de recondita abſceſſuum natura opus unice commendatur. Porro ſcirrhi natura inveſtigatur, qui quantocyus curandus, vel potius ne perficiatur cavendum, & naſcenti pro virili reſiſtendum, quia ſi adoleſcat, corrigi amplius non poteſt niſi exſciſione, qua non ſemper licet uti. Succedit ſcirrho cancer, illo adhuc difficilior tumor, maxime nempe, ubi increverit & in ulceroſam degeneraverit pravitatem, moleſtus, periculoſus & lethalis. Non exulceratum tangere vetat externis medicamentis Auctor cum Hippocrate, internis vim ejus malignam coercere ſatius eſſe judicans, cum exempla proſtent, fœminas quasdam ad quadraginta aut quinquaginta annos cancrum in mammis geſtaſſe: exulceratus autem, quia ſi exſcindere eum non licet, funditus tolli nequit, quomodo mitigandus ſit, docet. Ultimo loco de ſphacelo & gangræna præcipit, & cum ſphacelus non admittat curationem, nec gangræna, quæ integrum membrum occupavit, aut quæ febrim acutam & vomitum & ſyncopticos inſultus conjunctos habet, ſine artis ignominia

tangi

tangi poſſit, hinc illius, quæ modo orta eſt ac nondum plane tenet, medelam tradit. In ſphacelo quia nihil aliud ſupereſt, quam miſerum, ut ait Celſus, & unicum auxilium, ut cætera pars corporis tuta ſit, id quod mortuum eſt abſcindere, hoc qua potiſſimum ratione faciendum ſit, edocetur. In medio autem relinquitur Botalli ſententia, perficiendum id eſſe ſecuri vel ſimili findente fortiter adacto vel ex alto demiſſo cum pondere; Hildani autem methodus, qui in carne viva ſectionem facere præcipit, ejusque ſcalprum exciſorium, quando medius digitus auferendus eſt, probatur, cultellare autem ejus cauterium non admittitur, cum periculi plenum aſpectuque terribile ſit, aliaque mitiora ad ſiſtendum ſanguinem in promtu ſint remedia, in quibus laudatur aqua ſtyptica, qualem clariſſimus Auctor elegantem & paratu facilem, quamque nulli alii cedere perſuaſus eſt, ad manum habet, cujus conficiendi modum alias eſt traditurus.

Adjectum eſt appendicis inſtar Programma, quo philiatros ſuos Auctor ex Academia Jenenſi, in qua ultra quadriennium publici Medicinæ Profeſſoris munus maximo cum applauſu obiit, diſceſſurus ad anatomen invitavit ſiccam ſeu oſſifragium, ipſisque in memoriam ſuarum lectionum & demonſtrationum ſummam revocavit, præcipue vero ſingularia nonnulla, quæ in cadaveribus diſſectis obſervavit. Ex his non poſſumus, quin ſequentia ipſum animadvertiſſe referamus: In linguæ parte poſtica foraminula, quæ ocellos vocavit, ſeptem ordine per ſuperficiem diſponi ſub forma literæ V: in larynge valvulas eſſe ab aliis non viſas: glandulas Rivinianas non ſemper proprio ſuo ductu gaudere, ſed in Wartonianarum communem rivum lympham fermentativam plerumque effundere: Nuckianam novam, quam ſub oculo collocat, in homine non reperiri: diaphragma in cane, neutiquam vero in homine ex duplici muſculo compingi, ſecus quam perſuadere voluit eruditis Bartholini nepos: meſenterio non niſi jejunum & ileon connecti, neutiquam duodenum vel colon, niſi exigua ſui parte: valvulam coli nil minus eſſe quam valvulam, ſed pendulam ilei ad angulum rectum colo inſerti partem: cæcum in homine nil niſi coli appendiculam eſſe, quo flatus & ſtercora retrograda divertunt: quandoque ſub renibus chyli receptaculum in canibus ſe in conſpectum dare: renum ſtructuram longe aliam eſſe quam pingitur vulgo, glandularum ſerie proxime ſub membrana poſita, tubulorum vero ſtriatorum

toto

toto ordine in ductus hiantis ureteris ex pelvi emiſſos turmatim concurrente, venasque eſſe papillas & obſcuras clariſſimi Bellini figuras: Highmorum pingere ſplenem bovis, non hominis, nec obſcuram celeb. Malpighii deſcriptionem huic ſatis aptari poſſe: manifeſtam, nec tamen vulgo commemorari ſolitam, in medio carpo articulationem inveniri: digitorum pulpam glandulas globoſas pellucidas occultare, & ſtratum coccineum ſub unguibus poſuiſſe naturam: Mathematica lege, magno judicio, maxima diligentia conſtructas demonſtrationes J. A. Borelli de muſculorum motu in multis deficere, adeoque nos nihil vel parum de motus animalis prima & vera ratione adhuc pernoviſſe.

## *PRINCE ARTHUR. AN HEROICK POEM.*
Hoc eſt:

## Poema Heroicum de rebus geſtis Arthuri Britonum Principis, libris decem expoſitis, Autore RICHARDO BLACKMORE Medicinæ Doctore, & Collegii Medicorum Londinenſis Socio. Editio altera.

Londini, apud Awnsham & J. Churchil, 1695. in fol. Alphab. 3. plag. 6.

MEretur ſane multis nominibus commendari ſuaviſſimum iſtud pariter ac graviſſimum poema, in quo pleræque Heroici carminis leges ita obſervantur, ut merito inter hujus generis Poetas locum clariſſimus Autor ſibi in poſterum vindicare queat. Non vero tantum omnes Poeta Chriſtiano indignæ ſummo ſtudio in eo evitantur ſalacitates, utpote quibus nimis jam ab aliquot annis corruptam eſſe poeſin Anglicanam in præfatione queritur; ſed aliud quoque vitium, Heroico carmini, quod ſublimitatem & ingenium ſemper affectat, magis familiare, & Anglis imprimis Poetis *διὰ τὸ περὶ τὰς νοήσεις κενόσπουδον* fere ineluctabile, (de quo Dionyſium Longinum adeat licet Lector, Segm. imprimis IV) ſatis feliciter utplurimum cavetur. Procul quoque ab eo eſſe juſſit ſuperſtitioſas Gentiliſmi fabulas, utpote qui loco vanorum gentium Deaſtrorum, quos in hujus generis operibus ex machina proruere fingunt Chriſtiani quoque Poetæ, divinas Angelorum apparitiones ſubſtituit. Ut taceamus, ne illa quidem quæ a doctrina & eruditione Poetæ expectari poterant ornamenta, carmini huic deeſſe; ſiquidem non proletaria rerum Geographicarum, Hiſto-

ricarum,

ricatum, ad ritus denique veteres & antiquitates ſpectantium peritia in eo inveniatur.

In decem illud diviſum eſt libros, quorum primo Arthuri legitimi Britonum Principis, a Saxonibus Angliæ invaſoribus violenter expulſi, & in patriam reditum parantis, diſſipata adverſis ventis claſſe, in aulam Hoelis Aremoricorum Regis deſcribitur adventus. Hunc animo a religione Chriſtiana ejusque fautore Arthuro prorſus alieno, divina viſione ut humane Arthurum exciperet monitum, ſuæ religionis principiis hic imbuit toto ſecundo & tertio libro, quibus adeo pleraque religionis Chriſtianæ præcepta eleganti carmine explicantur. In IV libro ex Arthuri aulicis nonnemo Hoeli, qua ratione quibusve artibus a Saxonibus Anglia oppreſſa fuerit, exponit, Arthurique juvenis adhuc indolem & inſtitutionem libro V perſequitur. Eodem libro, quomodo Arthurus claſſe Hoelis ope reſtaurata, Britanniam verſus vela fecerit, Octæve, qui Saxonibus inſulæ illius oppreſſoribus imperabat, navali acie fuſa, littoribus iſtis appulerit, enarratur. Hic ubi in terram fuiſſet expoſitus, elegante Maronis imitatione ad ſomnum ſe compoſuiſſe fingitur, in quo parentis ipſi apparens ſpecies omnes Reges poſt eum Britanniæ gubernaculis admovendos ei oſtendit; qua fictione occaſionem Auctor nanciſcitur Potentiſſimum hodie Magnæ Britanniæ Regem Gulielmum debitis præconiis exornandi, ſimul vero etiã triſtem incomparabili Reginæ Mariæ gradu nimis eheu feſtinato ad immortalia ſceptra properanti leſſum canendi. Jam libro VI Arthurũ contra Octam arma in Britannia moventem nobis ſiſtit, ubi notabilis eſt virorum maxime inſignium ex Britannis, caſtra Arthuri ſequentium deſcriptio. Parum ille præſentem Angliæ ſtatum cognoſcat oportet, qui non deprehendat, ſub iſtorum nomine præcipuos viros, qui Sereniſſimi Gulielmi partes hactenus ſuſtinuerunt, oculis noſtris repræſentari. Adeo enim illa, quæ de Bothano dicuntur *Dellamirio*, quæ de Canvallo *Duci Devoniæ*, quæ de Bartudo *Comiti Abingtoniæ*, quæ de Oſrone *Duci de Leed's*, quæ de Tracaro *Trencherto* ſummo ſtatus Secretario, quæ denique de Sakilo dicuntur *Comiti Dorſetiæ* conveniunt, ut vix fortuitam eſſe illam utrorumve ſimilitudinem nobis perſuaderi patiamur. In hoc poſtremo amor in literatos & poetas imprimis prædicatur, unde ejus aulam *Laurus* Poeta, ſub quo nomine *Drydenus* latere videtur, ſæpius frequentare dicitur. Huic inter alia Romana religio & pertinax in Ja-

cobum II affectus, acerbe ſatis exprobratur verſibus, quos fere Latine redderes

Laurus, qui laudes tollebat ad aſtra Sakili,
Sed diras ſemper Regique Deoque Sakili
Qui dixit, Laurus.

Sed redeamus ad principale poematis hujus argumentum. Vincitur primo prælio Octa, & pacis conditiones proponit Arthuro ſatis acceptas, interque eas filiæ Ethelindæ nuptias. Non repudiat eas Arthurus, verum exercitus ejus, ut ſolet in rebus proſperis fieri, luxui & idololatriæ ſe dedit criminibus, quibus provocatum Numen peſtem caſtris ejus immittit, quam tamen precibus & expiationibus ſuis Arthurus ſiſtit. Interea tamen, quod libro VII exponitur, occaſionem adeſſe ratus Octa opprimendi Arthuri exercitum, peſte confectum, poſthabita quam dederat fide, eum adoritur, variis tamen prodigiis & prædictionibus de Arthuri victoria præmonetur. Deſcribitur interea hoc libro Saxonum exercitus, quo variæ Saxonum gentes artificioſa manu eleganter depinguntur, quas tamen omnes prælio libro IIX fuſe deſcripto Arthurus ſuperat. Nono libro Macori exequiæ fortiſſimi inter Arthuri duces, qui in prælio ceciderat, delineantur, cumque inducias poſtulaſſet Saxones ad mortuos ſuos ſepeliendos, ludi equeſtres & alia lætitiæ ſigna ab Arthuro poſt victoriam eduntur. Interea Scotiæ Rex Tollo Octæ auxilium ſuum offert, cui præmii etiam loco Ethelindæ matrimonium Octa promittit. Verum vincitur lib. X. Tollo, incertusque quid faciat Octa, qui neque cum Arthuro neque cum Tollone paciſci poterat, ſummam belli duello inter Arthurum & Tollonem committit, qui etiam glorioſe ab Arthuro proſternitur, laboribus ſuis finem victoria iſta tandem feliciter imponente.

## *THE POETICAL WORKS OF MR. JOHN MILTON.*

Hoc eſt:

## Joannis Miltoni Opera Poetica, una cum notis ad Poema ejus Heroicum cui titulus *Paradiſus amiſſus*, & figuris æneis.

Londini, ſumtibus Jacobi Tomſon, A. 1695. in fol.
Conſtat Alphab. 9. plag. 16.

Quod

QUod novo vetuſtiorem paulo Poetam Anglicanum ſubjungamus, inter ſuos in heroico genere inveterata fama omnes facile ſuperantem, apud noſtri ſaltem orbis eruditos veniam facile inveniet, quibus omnibus divinum Miltono in hoc quoque ſcribendi genere ingenium fuiſſe, haud forte hactenus innotuit. Non tamen ægre ferent iidem, obiter ſolum ejus mentionem a nobis fieri, cum moris noſtri non ſit, libros tamdiu ſub Sole verſatos noſtra quoque luce colluſtrare. Miltoni tamen interea famæ, ejusque ingenii admiratoribus dandum id eſſe putavimus, ut præcipuorum ejus poematum catalogus hic quoque compareret. Primum inter ea locum, uti meretur, ita obtinet quoque in hac eorum collectione poema, quod de generis humani lapſu ſub titulo *Paradiſi amiſſi* concinnavit, ſexta editione in hoc opere iteratum, de cujus ſublimitate cæterisque virtutibus multa nunc eſſent commemoranda, niſi redditæ jam a nobis rationes obſiſterent. Id tamen prætereundum non eſſe exiſtimavimus, cenſere plerosque, in quorum memoria adhuc viget temporum quibus floruit Miltonus conditio, eam poetice quidem, vivide tamen ab eo in hoc opere repræſentari. Notæ quæ huic poemati in nova hac editione accedunt, Anglicano imprimis Lectori inſerviunt, cui obſcura videri omnino poterant nonnulla, quæ ex eruditionis paulo magis reconditæ penu Miltonus illi adſperſerat. Proximum autem huic poema reſtaurationem humani generis deſcribit, titulo *Paradiſi reparati* inſignitum. Tertium *Simſon agoniſtes* vocatum, Herois hujus, Palæſtinorum ludibriis expoſiti, fata repræſentat: cui denique varii generis carmina, prout occaſio tulit, elaborata & tertia vice nunc edita, ſuccedunt. Id vero, antequam finem faciamus, monendum, tria illa heroica poemata, priori loco a nobis commemorata, illo carminis genere a Miltono ſcripta fuiſſe, quod rythmo deſtitutum metro ſolum gaudet, veterum Græcorum & Latinorum Poetarum exemplo: quod ante Miltonum inter Hiſpanos quidem & Italos nonnulli uſurparunt, nemo vero Anglorum, apud quos tamen ejus exemplo excitatos, nihil hodie, in tragœdia imprimis, hoc carminis genere eſt frequentius.

*JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANN, M. D. IN CHRIſtian- Albertina Profeſſoris Publici &c. Zacharias Pontifex*, i. e. *Commentarius de Appellatione ad Vallem Joſaphat.*

Hamburgi, apud Gotofr. Liebezeit / 1696. in 8.
Conſtat plagulis 13.

ANtequam ſcripti ipſius brevem recenſionem inſtituamus, circa titulum monendum ducimus, quod ultimis verbis a Zacharia Pontifice prolatis originem debeat, eorumque occaſione meditatio hæc inſcripta fuerit *Zacharias Pontifex*. Hunc enim morti vicinum, cum lapidibus ad imperium Joas, Regis Judæ, peteretur, exclamaſſe legimus: videbit Dominus & requiret, II. Chronic. XXIV. 22. In tractatione ipſa, quibusdam de judice atque appellatione in genere præmiſſis, ex Cornelio a Lapide, Drexelio, Richtero, Harsdörffero, Eraſmo Franciſci, appellationis ad tribunal Jeſu Chriſti varia exempla adducit, adductisque epicriſin ſuam adjicit clariſſimus Autor. Hinc affert argumenta, quæ provocationem ad tribunal Chriſti disſuadere videantur. Demonſtrat enim 1. quod provocantes ad Chriſtum judicem, judicium Dei ante tempus ab ipſo deſtinatum advocent. 2. Quod tales agant contra Orationis Dominicæ petitionem primam, ac nomen Dei ſanctum minime reputent, qui ita extra ordinem Dei tribunal ſollicitare haud verentur. 3. Quod ejusmodi provocatio repugnet Orationis Dominicæ petitioni ſecundæ, ejusque ſcopo primo, qui eo tendit, ut Deus per vocem Evangelii ſibi Eccleſiam inter nos colligat. 4. Quod adverſetur petitionis ejusdem ſcopo ſecundo, ut impios convertendos prædicatione verbi convertat. 5. Quod contrarietur ſcopo tertio, ut converſos in vera fide & vitæ ſanctimonia conſervet. 6. Quod tollat ſcopum quartum, ut eosdem in hac vita adverſus Diabolum & impios defendat. 7. Quod conſiſtere nequeat cum ſcopo quinto, ut denique glorioſam hæreditatis cœleſtis poſſesſionem clementer largiatur. 8. Quod impingat in Orationis Dominicæ petitionem tertiam, cujus virtute obligamur voluntati divinæ omnia committere, nec injuriarum nobis illatarum vindictam præſcribere. 6. Quod injuria ſit in Orationis Dominicæ petitionem quintam, quæ omnem vindictæ cupiditatem excludit, ac injuriarum remiſſionem demandat. 10. Quod ipſe Salvator Matth. V, 44. ἐχθροφιλίαν ſive inimicorum amorem nobis commendet. 11. Quod naturali lege damnetur vindicta, quæ nullum alium finem habet propoſitum, quam ægre facere illis, qui nos læſerunt, ac eorum dolore noſtrum animum ſatiare. 12. Quod ſancti in ipſo perſecutionis æſtu pro hoſtibus ſuis interceſſerint, nec ad tribunal divinum appel-

appellarint. Quæ argumenta loco e Dn. Oſiandri Theologia Caſuali p. 970. ſeqq. adducto obſignat, eique in omnibus calculum ſuum adjicit. Corroborata ſic ſua ſententia, ad examen argumentorum a Cornelio a Lapide & Drexelio pro citatione ad vallem Joſaphat allatorum progreditur. Illa autem e quinque locis Scripturæ S. ſcilicet I. Samuel. XXIV, 13. II. Paralip. XXIV, 22. II. Maccab. VII. II. Tim. IV, 14. Apoc. VI, 10. ſunt deſumta, & e Lucæ Oſiandri commentariis reſoluta. Ad exempla quæ ex Hiſtoricis profanis pro ſtabilienda appellatione ad tribunal Chriſti afferri ſolent, reſpondet Autor, eadem, cum Chriſti præceptis ejusq; praxi contratientur, vi probandi deſtitui, iisque Davidis, Stephani, Chriſti, Pauli exempla opponi poſſe, nec non adduci exempla quibus probetur & irrito conatu has provocationes eſſe inſtitutas; quamvis Autori perſuaſiſſimum videatur, ab innocentibus nunquam irrito ſucceſſu hanc provocationem fuiſſe factam. Tandem obſervat, Eraſmum Franciſci ex citatione ad tribunal Chriſti argumentum pro ſtabiliendo extremo judicio depromere, & adhortatur tum judices, ut ab injuſto ſibi caveant judicio, tum peccatores, ne temere ad Dei tribunal appellent. In poſtloquio, quod tractatui ſubjunxit Autor, varios adducit Scriptores, qui idem thema illuſtrarunt, illorumque vitula ſe neutiquam araſſe profitetur; inſuper & monet, ſe non abſolute provocationem ad vallem Joſaphat improbaſſe; ac denique ſyllabum ſcriptorum ſuorum publice editorum, inter quæ præſenti & a nobis jam recenſito decimus ſextus locus adſignatur, exhibet ſimul pollicitus, ſe daturum operam, ut reliqua, quæ moliatur, opera mature lucem publicam adſpiciant. E quibus erudito orbi non ingratum erit Polymathiæ Univerſalis Syſtema ex epiſtolis concinnandum, quod in epiſtola ad Europæ Eruditos huic tractatui præmiſſa adumbravit, ad idem felicius perficiendum eruditorum ſubſidia implorans.

*LILII GREGORII GYRALDI OPERA OMNIA DUOBUS TOMIS diſtincta, quæ omnia partim tabulis aneis & nummis, partim commentario* JOANNIS FAES, *& animadverſionibus hactenus ineditis* PAULI COLOMESII, *nec non indicibus illuſtrata exhibet* JOANNES JENSIUS.

Lugd. Batav. apud Hackium, Bouteſtein, Vivie, Vander Aa & Luchtmans, 1696. in fol.

Conſtant Alphab. 9. pl. 5½. & tabulis æneis 9.

NIhil eſt, quod in nova hac & luculenta doctiſſimorum Gyraldi operum editione nos multum moretur, præter poſthumas elegantisſimi viri Pauli Colomeſii in Dialogos de Poetis obſervationes; quibus quod inſignior illa procedat, doctisſimi H. Wetſtenii, qui eas comparavit, debetur induſtriæ. Faeſii enim in libellum *de vario veterum ſepeliendi ritu* notas quod attinet, nihil de iis dicendum nobis eſſe exiſtimamus, quod per integros fere viginti annos inter eruditos verſatæ illæ jam fuerint. De ipſis vero Gyraldi ſcriptis inveterata eruditionis fama adeo claris multa diſſerere, quid aliud eſſet, quam Soli lumen accendere? Clariſſimi editoris autem prolegomenis ſatisfactum abunde a nobis arbitramur, ubi Gyraldi vitam Laurentii Frizzoli verbis in iis exhiberi, & pauca quædam de ordine ſcriptorum ejus proferri, tandemque loca quædam autorum annotari, quæ e corruptis codicibus male a Gyraldo allegata fuerunt, monuerimus. Nihil itaque impedit, quo minus ad Colomeſianas ſtatim curas, ad quas dudum feſtinat animus, deveniamus, & ex iis ſelectas quasdam obſervationes in Lectorum noſtrorum conſpectum producamus.

p. 5. Loquitur Gyraldus in Dialogo ſtatim primo, de illo veterum ritu, quo in plauſtris poemata recitata fuerunt. Hinc patet, inquit Colomeſius, quid ſibi velit Jo. Tzetzes, cum ait Chil. 9. hiſt. 264. ſe ad auguſtam Homeri enarrationem ſcripſiſſe,

ἔχουσαν καὶ μετάφρασιν ἡμαξευμένοις ςίχοις.

Hanc Metaphraſin MS. habuiſſe Antonium Auguſtinum teſte Andrea Schotto ad Senecam, Colomeſius obſervat: ſed reperitur ea etiam in Bibliotheca Bodlejana apud Oxonienſes, cumve tota verſibus politicis æquali ſemper ſyllabarum numero decurrentibus conſtet, venit in mentem, ad iſtud carminis genus voce ἡμαξευμένοις forte in Chiliadibus Tzetzam reſpicere; quam conjecturam non improbabilem reddit ſuppeditata ab Euſtathio vocis ἅμαξα etymologia, ab ἅμα &
p. 79. ἄξων eam derivante. Sed. de his alii judicent. De Zoroaſtre ἀςροθύτῃ ubi agit Gyraldus, occaſionem Colomeſius nanciſcitur caſtigandi Bochartum, qui p. 787. Geographiæ Sacræ locum Philonis Byblii, de Aſtar-

Aſtarte Phœnicum Dea loquentis, ita legit & vertit: *εὗρεν* (Aſtarte) *ἀεροπετῆ ἀστερίαν, ὃν καὶ ἀνελομένη ἐν Τύρῳ τῇ ἁγίᾳ νήσῳ ἀφιέρωσε, invenit Aſteriam*, (quod nomen eſt certi aquilarum generis) *ex aere delapſam, qua mactata in Tyro ſacra inſula eam conſecravit.* Verum infeliciter & vertere & emendare Bochartum illum locum, Colomeſius exiſtimat, qui nihil mutatis verbis, prout ab Euſebio referuntur: *εὗρεν ἀεροπετῆ ἀστέρα ὃν καὶ ἀνελομένη ἐν Τύρῳ τῇ ἁγίᾳ νήσῳ ἀφιέρωσε*, vertit: *reperit ſtellam ex aere delapſam, quam capiens, in ſacra inſula apud Tyrum dicavit.* Vix prætermittere liceret obſervationem ejus ad verba Gyraldi, quæ de Archelao profert, dum ſcilicet p. 149.
eum, *quæ naturæ propria ſunt multis verſibus collegiſſe* ait, redditis nimirum Laertii verbis *ὁ τὰ ἰδιοφυῆ ποιήσας*, ſed infeliciter, (aliud enim plane vult vox *ἰδιοφυῆ*) niſi illa verbotenus ex Iſaaci Caſauboni nota ad L. II. Laertii Segm. 17 deſumta eſſe deprehenderemus. At Sophocleum, non Sophoclem, appellandum eſſe Grammaticum illum, e quo p. 154.
inter alios ſcholia in Apollonii Argonautica concinnata fuerunt, ex Ariſtophanis Scholiaſte ad Nubes in voce *βεκκεσέληνη*, & Stephano in *κάναστρον*, non abs re contra Caſaubonum, Mauſſacum, & Fabrum eum monere forte aliquis putet; licet Stephanum minus caute pro ſe allegare videatur, utpote apud quem non Σοφοκλέους ſed Σοφοκλῆς conſtanter legatur. Ingenioſa etiam eſt emendatio, qua apud p. 106.
Stephanum Byzantinum in voce *γέφυρα* pro *ἡδὺν*, Δηῶ ſubſtituit, fuſiusque a nobis exponi mereretur; ſed debetur illa, niſi fallimur, doctiſſimo Meurſio, in cujus Lectionibus Atticis eam inveniri recordamur. Quod autem Epiſtolarum Græcanicarum Genevæ anno 1606 p. 170.
editarum interpretationem, magni Cujacii nomen falſo jactare dicit, de eo optaremus, ut paulo accuratius nos informaſſet. De Fauſto Gal- p. 300.
lo loquens Gyraldus, Pelagianiſmi eum ſuſpectum fuiſſe obſervat; unde occaſionem nanciſcitur Colomeſius edendi duas de patria Pelagii epiſtolas, quarum altera Georgii Carletoni eſt, Ciceſtrenſis quondam in Anglia Epiſcopi, altera Gerardi Joannis Voſſii reſponſoria ad illam. In his præterquam quod luculenta inſtituti Voſſiani de confutando Baronio, & aliorum quorundam fiat mentio, de patria Pelagii, inter duos hoſce viros doctos erudite diſputatur. Putat enim Epiſcopus Ciceſtrenſis Pelagium, deſerta Hieronymi autoritate, qui Scotum eum fecit, cum Beda & veſtigia ejus ſequentibus Hiſtoricis, Brittannum potius

tius eſſe ſtatuendum, *Morgan* patriò nomine dictum, & Banchorenſi in Wallia monaſterio præfectum. Sed non ita facile, ut ab Hieronymo ſuo diſcedat, movetur Voſſius, utpote ætate Pelagio quam Beda propinquiore. Nec forte contradicere illi Bedam ait, ſiquidem generali Britanni nomine & Anglo-Saxo, & Cambrus, & Scotus vel Pictus dici queant. Imo Galliæ Pelagium vindicare eruditorum nonnemo auſus fuit, quod generali Britonis nomine eum appellari videret; cui tamen repugnat judice Voſſio ſuppar Pelagii Proſper, qui inſulanũ Pelagium facere videtur, dum dicit eum *fruge ſua æquoreos paviſſe Britannos*. In Wallia interea Banchorenſi cœnobio eum præfuiſſe, non multum ſe repugnare Voſſius dicit; potuiſſe tamen eum e Scotia oriundum, ibi ſedes poſtmodum ſibi figere, exiſtimat. Cæterum duas iſtas epiſtolas miratur clariſſimus Jenſius in Prolegomenis, a Colomeſio in editione epiſtolarum Voſſianarum prætermiſſas fuiſſe; præcipue cum jam in Κειμηλίοις ſuis Literariis c. XXIX. earum meminiſſet, easve ſe aliquando editurum promiſiſſet. Verum & aliæ quamplurimæ Voſſii epiſtolæ hodie extant, quibus collectio illa Colomeſiana augeri poſſet. Sic enim ipſe Jenſius teſtatur, ſe plus L epiſtolarum ejus ad Grotium apud Dordracenum Theologum D. Davidem Flud a Giffen vidiſſe, quarum ne
p. 403. unica quidem in volumine edito reperiatur. Caſtigat autem paſſim in hiſce notis doctiſſimum Voſſium Colomeſius, non in iis tantum quæ de Poetis, ſed in illis etiam, quæ de Hiſtoricis ille ſcripſerat. Inſignis inter alios eſt lapſus ejus, cum in Hiſt. Græc. p. 510. Cleoxenum & Demeoclitum, quaſi de Perſis egerint, inter Hiſtoricos reponit, a Suida deceptus, apud quem in Κλεόξενος, περὶ περσῶν vitioſe pro περὶ πυρσῶν, h. e. *de ratione ignis prænuntii in ſpeculis oſtendendi* legitur: veram enim lectionem non ipſe tantum exhibet Suidas in voce Αἰνείας, ſed Polybius quoque in Eclogis l. 10. περὶ πυρσῶν duos hosce autores
p. 406. egiſſe teſtatur. Sic eundem Voſſium cum Ariſtophonte poeta confundere Ariſtophonta pictorem, cujus apud Plutarchum libro de legendis poetis mentio, quemve Plinius etiam l. 35. c. 11. memorat, oſtendit: cujus ſimilis eſt error paulo ſuperius obſervatus, quo Voſſius poetam fecit Silanionem a Plutarcho memoratum, quem ſtatuarium cælatorem fuiſſe conſtat; ut alia hujusmodi nonnulla nunc taceamus. Adduci autem meretur emendatio nominis *Scira*, quod poetæ eſt apud Athæneum l. 9, & de cujus corruptione non Gyraldo tantum, ſed aliis quoque

quoque viris doctis dudum ſuboluit. *Scleriam* itaque pro *Scira* ſubſtituit Colomeſius, Poetam Comicum, cujus verſus allegatos invenit apud Antonium *Meliſſæ* lib. 2. c. 79, Maximum in *Collectan.* c. 63. & Stobæum in tribus locis, apud quem fabulæ nomen *Sclerias* eſſe Js. Caſaubonum ad Athenæum l. 3. c. 4. ſpiſſo nimis errore autumare obſervat. Certe Colomeſio, ut hoc nos addamus, favet etiam Photius, qui Cod. CLXVII autorum, e quibus ſua Stobæus congeſſit, texens catalogum, Poetas inter tale aliquod nomen habet; licet apud ipſum non
Σκληρίας, ſed Σκληριὸς legatur. Jam alium Voſſii errorem, quem Colomeſius ipſi impingit, liceat obſervare. P. 420.
Ille in Hiſt. Græc. p. 232. Athenæi Naucratitæ ſcripta recenſens, eum de Syriæ Regibus librum conſignaſſe tradit, idque patere ex Deipnoſoph. lib. 5. ait. Verum loco illo non de ſe loqui Athenæum Colomeſius exiſtimat, ſed de alio Athenæo, quem ἑταῖρον ſuum vocet, quive idem forte ſit cum illo, cujus fragmentum de Semiramide affert Diodorus Siculus lib. 2. Verum fatemur, non ſatis videri evidens argumentum, quo lapſus hujus Voſſius arguitur. Si recte enim capimus Colomeſium, Naucratitæ Athenæi non eſſe de Regibus Syriæ librum ideo ſtatuit, quod ipſe de ejus autore l. c. tanquam de alio loquatur. Aſt expendendum id erat, non Athenæum ibi, ſed aliquem Deipnoſophiſtarum loquentem induci, qui proinde non poterat non ipſum illum Naucratitam Athenæum, tanquam
a ſe loquente diverſum ſuumve ἑταῖρον, obſervato orationis πρέποντι P. 434.
allegare. Præterea quomodo ἑταῖρον ſuum appellare potuerit Athenæum Diodóro Siculo allegatum, adeove eo antiquiorem, aliquot ſeculis Diodoro junior Athenæus Naucratites, non capimus; ut adeo non omnino certa hæc Colomeſii conjectura videatur. Probabilior forte illa eſt, qua pro *Philocro* Poeta, qui allegatur apud Fulgentium L. 1. Mytholog. (ubi *Philiſtion Locrus* reſtituit Voſſius,) *Philochorum* ponendum eſſe arbitratur. Plura hujusmodi annotare liceret, ſed inſtituti memores, quod ſpecimen dare, non librum exſcribere erat, fi-
nem facimus, ubi id ſaltem prius monuerimus, mentionem alicubi in P. 507.
his notis facere Colomeſium obſervationum Joſephi Scaligeri in *Pervigilium Veneris*, quas ex autographo ejus a Sarravio deſcriptas ipſe habuit, editurus eas, niſi præmaturo fato nobis ereptus fuiſſet.

## *SAMUELIS DE PUFENDORF, DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI, Electoris Brandenburgici, Commentariorum Libri novendecim.*

Berolini, apud Jer. Schrey & Hæredes H. I. Meyeri, 1695. in fol. Alphab. 18. plag. 18.

CUm diu ab Orbe Erudito deſideratos Commentarios hosce in lucem tandem publicam prodiiſſe, anni ſuperioris menſe Octobri pag. 488 obnuntiaremus, conſtitutum utique nobis erat pluſculum recenſendis iis impendere ſtudii, ut juſtam totius operis ideam Acta Eruditorum noſtra repræſentarent. Jamque plus vice ſimplici laborem hunc tentaveramus, cum poſtremo ipſa rerum in vaſtis hisce commentationibus obviarum amplitudo & varietas, quam complecti compendio velle inanis opera videbatur, ab eo nos inſtituto dimoveret. Neque id adeo mirabitur, qui reputare animo ſecum velit, quadraginta & octo annorum regimine, diuturno certe & quale paucisſimis Principum obtingit, Heroem noſtrum, cujus res geſtæ luculento hoc opere enarrantur, perfunctum fuiſſe, quippe quod ſeculi hujus anno quadrageſimo, tenui quidem & ancipiti tum Marchiæ Brandenburgicæ ſtatu auſpicatus eſt, nec niſi anno octogeſimo octavo, poſtquam non eluctatus ſolum dudum ex innumeris difficultatibus, ſed & Majorum ſuorum decora, parta auctoritate ſumma & ditionibus inſigni acceſſione dilatatis, longe ſupergreſſus eſſet, cum vita ipſa depoſuit: quique porro memoria recolere ſuſtinuerit, quam multis quamque atrocibus bellis conquaſſata iſto temporis intervallo Europa fuerit, quibus vel ob ſolum regionum ſuarum, a Lithuania nempe ad Belgii usque limites porrectarum ſitum, non potuit non immiſceri Sereniſſimus Princeps, jam has, jam adverſas partes, prout rationum momenta poſtulabant, ſecutus. Ut adeo dimidii fere ſeculi exacta Hiſtoria, nec ea Brandenburgicarum ditionum circumſcripta finibus, ſed catholica velut & per Europam omnem diffuſa his Commentariis contineatur, quam in epitomen inſtituti noſtri legibus convenientem quis redigat? Neque eſt, ut quam accurate, quamque ornate eam illuſtris Auctor compoſuerit, nos quidem hoc loco definiamus. Præterquam enim, quod de his talibus ut plurimum Lectoribus judicium relinquimus integrum, quotusquisque eſt, qui non vel ex levi operis inſpectione ſtyli elegantiam venuſta-

nuſtatemq; , qualem tot alia Pufendorfii ſcripta ſpirant, paſſim agnoſcat, facileq; inſuper deprehendat, præter rerum geſtarum ſeriem atque circumſtantias eventumque, quibus enarrandis plerorumque Hiſtoriographorum conſumi ſolet induſtria, id præcipue curæ habuiſſe celeberrimum Auctorem, ut ubivis conſiliorum datorum captorumque momenta, & quo collimatum revera in graviſſimis negotiis quoq; cum ſucceſſu fuerit, aperiret, Hiſtoricumque adeo πολιτικώτερον, quam quisquam ante eum alius fuit, ſe exhiberet: id quod hic illic magis fortaſſe præſtitit dilucide, quam velint, qui id genus myſteria arcanis Principum penetralibus ac ſacrariis coercenda, non propalanda in vulgus contendunt. Ne tamen nihil plane ex ampliſſimo hoc opere derivatum in hæc Acta noſtra videatur, ipſa Pufendorfii verba, quibus FRIDERICI WILHELMI MAGNI characterem, corporisq; formam ac animi indolem expreſſit, huc transſcribere non pigrabimur. Ita vero hæc libro ultimo §. 104. ſe habent:

*Ex ejus vultu primo ſtatim intuitu aliquid relucebat, unde ſtatim heroem agnoſceres: Majeſtas venerationem provocare apta, ſed quam luculentæ bonitatis ſtricturæ temperabant, ut non minus amoris conciperes. Unde & quantumvis ſæpe velut exuta magnitudine admodum familiariter ſuis ſeſe diſpenſaret; his tamen modeſtia ſemper ſalva perſiſtebat, ne ejus humanitate abuterentur. Corpus toroſum, agile, tractandis armis, ac tolerandis belli laboribus validum. Tum & id militare, quod delicatis cibis non delectaretur, ſed ſolidis, ſimplicibus, ac domeſticis gauderet. Vinum copioſius ferre magis poterat, quam affectabat; nec largiorem invitationem admittebat, niſi ubi illa ex moribus ſeculi, & nationis inter officia eſſet. A natura ſortitus fuerat ingenium alacre, capaciſſimum, judicium rectum, magnam memoriæ vim. Cultura juvenilibus annis non adeo felix contigerat ob turbulentiam temporum, & quia non deerant, qui optarent, tam vividum animum inter ignorantiam obtundi. Pepererat ſibi tamen proprio magis quam alieno inſtinctu Latinæ linguæ notitiam, ut intelligeret. Gallicæ, ac Belgicæ linguæ frequens uſus erat. Hiſtoriæ recentioris cumprimis multa cognitio; architectonicæ civilis, ac militaris, bonorum & exquiſitorum librorum, numiſmatum, picturarum, ſculpturarum exquiſitus intellectus. Plurimarum præterea rerum notitia e colloquiis cum variæ ſortis hominibus collecta. Nam mira iſti erat affabilitas, per quam undequaque adven-*

*tantes ad diſſerendum provocabat de rebus, quæ ad cujusque captum erant. Præcipue ditionum ſuarum conditionem, & quid quovis loco proveniret, exacte callebat; quod moris ipſi eſſet, ubi quis e quacunque provincia acceſſiſſet, tum & quacunque tranſiret, aut diverſaretur, de omnibus ad eum locum ſpectantibus exquirere. Sic ut nihil eorum, queis proventus regionum conſtat, quæque adeo ad rem œconomicam faciunt, ipſum fugeret. Unde & non ſolos militares viros, ſed & pacis artibus, & quacunque utili ac egregia facultate pollentes æſtimabat. Omnia porro, quæ ad ipſum referebantur, cognoſcere curæ erat, ne quid injuſte, aut imprudenter decerneret: nec unquam multitudine rerum, quam tantæ molis adminiſtratio pariebat, protelari, aut expedienda in longum rejicere ſolebat. In univerſum autem tanta cupidine cuncta penitius cognoſcendi flagrabat, ut quoties ipſi literæ adferebantur, id quod quotidie fiebat, earum prælectioni ſæpe ultra tres, quatuorve horas continuas vacaret, nec ullis recreationum Principibus ſolitarum illecebris, nec acerrimis morbi articularis doloribus, quibus ingraveſcente ætate ſæpius infeſtabatur, inde avelli poſſet. Cum exteris agenti ſolidæ prudentiæ miram gratiam adſpergebat digna Principe eloquentia. Ante omnia ſincera in Deum pietas cum exacta publici cultus obſervantia. Circa tuendam Proteſtantium religionem ſolicita cura, quam etiam apud alios, quacunque poterat, protegere ac fovere ſtudebat. Inter ipſos autem Proteſtantes quæ agitantur diſſidia, uti convenienti ac placido modo componi quam maxime in votis erat: ita cum pleroſque cives ſortitus eſſet, a quibus ipſe circa quædam fidei capita diſſentiebat, haut eo ſecius omnes pari amore proſequebatur, ac fovebat, ac nullo diſcrimine miniſteriis ſuis admovebat, prout quiſque quam maxime idoneus erat. Quin nec iis, qui Romanos ritus ſequuntur, iniquior erat, quos nec ipſe ulla moleſtia afficiebat, nec ab aliis affici patiebatur, eosque bonis ac juribus ſuis liberrime gaudere permittebat. Ac uti ipſe ab omni ratione abhorrere judicabat, ob diverſam religionem aliquem odiſſe, aut minoris æſtimare, quam plerique non propria electione, ſed per ipſos natales ſortimur; ita nefas ducebat ob humanos reſpectus eam mutare, ac multo magis per vim, aut illecebras religioni Chriſtianæ ignoratas ad idem aliquem compellere. Et quia ad propagandam pietatem, animique culturam ſcholæ cumprimis faciunt, earum in ſua ditione inſignem curam habuit, ac Francoſurtanam Academiam, & eam quæ Regiomonte eſt, præclaro redituum augmento mactavit:*

*ſtavit: ſimul Duisburgi ad Rhenum novam inſtituit, dotavitque, quam olim Wilhelmus Cliviæ Dux molitus fuerat, ſed ob ingruens bellum Belgicum omiſerat. Præterea conſummata diuturno regimine prudentia, & exactiſſimum judicium; ac ſi quando ancipiti negotio Conſilium in diverſas ſententias diſcedebat; ipſe velut virgula divina ductus eligebat, quam optimam fuiſſe eventus poſtea comprobavit. Nec tamen ideo omnia ſuo ex arbitrio agere, aut quæ ſemel in mentem venerant, iis pervicaciter inhærere; ſed & aliorum ſententias libenter audire, & quæ rationibus prævalebant ſequi. Juſtitiæ incorruptum ſtudium, & uti innocentes ab oppresſione vindicaſſe cordi erat; ita in noxios debita ſeveritas, nil e crudelitate trahens, aut velut e ſuppliciis voluptas quæreretur. Fortitudinem memorare ſuperfluum fuerit, quam tot expeditionibus toti orbi adprobavit. Nec tamen inconſulta in periculum ruendi libido; & qua vi pervincere haut dabatur, neceſſitati cedere haut indecorum habebatur. Inſignis quoque animi magnitudo, quæ per totum regiminis actum eluxit; ac uti inanis faſtus procul aberat; ita debitam dignitatem aſſeruiſſe enixum ſtudium ſedebat, quod nec metus, nec ſegnior quis reſpectus unquam inflexit. Sane nemo ſui ordinis Electorale faſtigium diligentius unquam vindicavit. In vivendi paratu ſplendor citra luxum, nec ultra redituum modum; ac præpoſtera magnificentia habebatur, quam oppreſſio civium, aut æs alienum conſequeretur. Nec minus egregia munificentia, ac ut miniſteria ſibi exhibita quantum dabatur liberaliſſime remuneraret, ac ut neminem pœniteret præclare feciſſe: ut tamen in profuſionem haut aberraretur. Faciles præterea acceſſus etiam inferioris ſortis hominibus, ac obvia humanitas, ut vix quiſpiam triſtis ab ejus ſermone diſcederet Inter tot eminentes virtutes facile venia dari poterat ſubitæ bilis effervescentiæ, in quam per temperamentum proclivior erat; ſed quæ ultra aſperiora verba haut procedebat, ac mox ita detumebat, ut nullum in animo veſtigium reliquiſſe reperiretur. Non defuerunt, qui parum conſtantem, ac deſultoriis fere conſiliis gaudentem arguerunt. Sed qua criminatione facile eum abſolvunt, qui tempora, quibus vixit, ac provinciarum, queis imperavit poſitum curatius conſiderant. Unicus illi, isque perpetuus omnium conſiliorum, & actionum ſcopus fuit ſalus tum propriæ Domus, & ditionis, tum communis patriæ; quarum utrique cum a variis varia pericula crearentur, pro indole cujusque conſilia fuere opponenda. Et cui tam late diffuſæ provinciæ tot vi-*

 *cinis,*

*cinis, æmulis fere, aut infeſtis cinctæ poſſidentur, ei non magis integrum eſt uniformem ſemper agendi viam ſectari, quam directum ſemper curſum ſecare gubernatori, qui ſcopulis obſitum pelagus inter inſtabiles ventos navigat. Id quod facile agnoſcent, qui ſingularum mutationum, quæ in iſtius actis occurrunt, occaſiones, atque cauſas rite trutinaverint.*

Unicum ſupereſt, de quo Lectorem Benevolum admoneri e re duximus, Auctorem, in plerisque prolixum ſatis ac copioſum (unde in duo ſat ſpiſſa volumina opus excrevit) paucis tantum verbis matrimonium Electoris cum Ludovica Friderici Henrici Arauſionenſis Principis primogenita filia, per quod fundamenta jacta ſunt arctiſſimæ illius amicitiæ ac neceſſitudinis, quæ Potentiſſimo hoc tempore Brandenburgico Electori FRIDERICO III, cujus auſpiciis ac ſumptibus Commentarios hosce, velut perenne paternæ memoriæ monumentum debemus, cum Magnæ Britanniæ Auguſtiſſimo Rege GVILIELMO III intercedit, attigiſſe. Qui tamen, ſi quis eſt, defectus ex *Leonis ab Aizema* libro vigeſimo ſexto de Negotiis Status & Belli (*Saken van Staet en Oorlog, in ende omtrent de vereenigde Nederlanden*) quò & ipſa pacta dotalitia exhibentur, ſuppleri utcunque poterit.

## Herrn Haubolds von Milditz / auf Scharffenberg / Kroppen und Scherau ꝛc. Leben und Sterben der Kinder GOttes.

Hoc eſt:

*HAUBOLDI A MILDITZ, DYNASTAE IN SCHARFENBERG, Kroppen & Scherau, Sereniſſimi Electoris Saxoniæ Conſiliarii intimi, Circuli Miſnenſis Præfecti ſupremi & redituum publicorum Directoris,* VITA & MORS FILIORUM DEI, *ad ductum Col. III, 3. 4 delineata.*

Lipſiæ, impenſis Martini Theodori Heybey, 1696. in 8. Conſtat Alphab. 2. & plag. 7.

INter tot alios meritis de republica, & patria imprimis noſtra viros eminentes, non aliter ac præfulgidum quoddam ſidus emicuit paucis abhinc annis Vir illuſtris, HAUBOLDUS a MILDIZ, Potentiſſimi Electoris noſtri Conſiliarius intimus. De cujus virtutibus rebusque præclare & feliciter geſtis qui commentari velit, eas non compendioſius atque ſuccinctius exponere, nec ad vivum magis delineare pollet,

poſſet, quam iſtis verbis, quibus *Vellejum Paterculum* de Tib. Graccho loquentem uti meminimus; *fuiſſe* nempe *virum vita innocentiſſimum, ingenio florentiſſimum, propoſito ſanctiſſimum, tantis denique adornatum virtutibus, quantas perfecta & natura & induſtria mortalis conditio recipit.* Addimus vero duas potiſſimum in ipſo excelluiſſe virtutes, quæ omnibus mirum in modum ſe approbaverunt; primum charitatem erga patriam, qua tam impenſe flagravit, ut facile pateret omnibus, utilitatibus ejusdem & incremento ipſum poſtpoſuiſſe omnia; id quod teſtantur graviſſimæ functiones, quibus per annos quadraginta quinque admirabili fide & incredibili dexteritate præfuit · deinde pietatem ſinceram, ardentemque erga Deum amorem, quæ utique eo magis in perſonis illuſtri loco poſitis æſtimanda ſunt, quo magis in animis hominum exoleſcere vulgo animadvertimus. Enim vero quibus cogitationibus omnium maxime delectatus fuerit Generoſiſſimus *Mildizius*, documento eſſe poſſunt Meletemata hæc ſacra, quæ ipſe in locum illuſtrem Pauli *Col. III, 2. 3.* inſtituit, quæque nunc ab Hæredibus illuſtribus typis evulgantur in publicum. Hinc enim occaſionem nactus Vir devotiſſimus, capita quædam Chriſtianiſmi primaria pie, ſolide & eleganter pertractat; oſtendens nempe *moriendum* in hoc mundo Chriſtianis eſſe morti naturali, ſpirituali, & æternæ; porro peccato, legi, mundo, & ſibi ipſis: ulterius ebrietati, ſecuritati, ſcortationibus, impatientiæ, puſillanimitati, voluntati propriæ; ſic iræ, avaritiæ, ſuperbiæ, imo omnibus denique peccatis. Et ita quidem conditionem Chriſtianorum eſſe abſconditam in mundo, tum coram mundo, tum coram ipſis piis. Sed in altero ſeculo manifeſtatum iri Chriſtum, & cum ipſo Chriſtianos; idque coram Chriſto, angelis, beatis omnibus, impiis etiam & diabolo. Quibus certe capitibus quis ea contineri ambigat, quibus quæ circa mores verſantur, abſolvuntur officia Chriſtiani hominis?

Sed quæ in egregio libro exhibeantur, veluti in ſumma edocet luculentiſſima *Præfatio*, qua Vir ſumme reverendus deque Eccleſia Chriſti meritiſſimus Samuel Benedictus Carpzovius, Sereniſſimi Electoris Saxonici Concionator Aulicus primarius & Conſiliarius Eccleſiaſticus, eundem munivit pariter & exornavit; ex qua haud incongruum erit pauca excerpſiſſe. Explicaturus nempe Pauli dictum Rom. IIX, 24. *Spe ſalvati ſumus*, annotat primum, Apoſtolum, cum

antea

antea dixiſſet, creaturam, irrationalem nempe (nam de iſta ſermonem eſſe, non de hominibus, exin manifeſtum ait, quia mali homines inviti & præter voluntatem ſuam, quod de creatura aſſeritur, vanitati non ſint obnoxii; pii autem creaturæ illi opponantur) anhelare libertatem filiorum DEI, nunc pergere, & adhortari pios, ut id multo magis ab ipſis fiat; addita hac ratione, quoniam *ſpe ſalvi facti ſumus*. Ubi vox ἐσώθημεν adhibita legatur, quæ licet alias de liberatione corporali occurrat, hoc loco tamen de liberatione æternum nos exhilaratura accipienda ſit. Hoc vero cum non de acquiſitione, ſed de applicatione ſalutis intelligat Apoſtolus, mirum id alicui videri poſſit, reputanti quæ calamitates eos in mundo maneant, qui Chriſtum ſequuntur, & de quibus Paulus alibi pronuntiat, *ſi in hac ſolum vita in Chriſtum ſperent, fore miſerrimos*. Sed hic accurate monſtrat Vir ſumme reverendus, duplicem eſſe beatitudinem, aliam gratiæ, alteram gloriæ; quas duas beatitudinis ſpecies ex beatiſſimis Theologis noſtris, Höpfnero, Jo. Oleario, Jo. Benedicto Carpzovio patre, & Balduino adſtruit, ne nova res adferri videatur. Beatitudinem gratiæ vita ſpirituali, adoptione noſtra in filios DEI, amore DEI paterno, exauditione precum, & ſpe hæreditatis æternæ abſolvi: hanc excipere alteram, in vita æterna, quæ quidem ſit fidei finis, ut prior ejus conſtituit objectum. Jam cum quæratur, de qua beatitudine Paulo ſermo ſit, an gratiæ an vero gloriæ; adjunctum verbum *ſpe* ad beatitudinem olim a nobis obtinendam nos amandare, adſtipulantibus huic interpretationi verbis etiam ſequentibus. Si aliquis quærendo inſtare velit, quid ergo ſignificet, *ſpe ſalvari*, ſciendum, non præſcribi hic novum ſalutis medium, quod aliquibus ex Pontificiis arrideat, neque per ſpem fidem intelligi, veluti cum Chryſoſtomo ſentiant alii; ſed potius verbis iis deſcribi *ſtatum ſalvandorum*, & iſtud dicere velle Apoſtolum, poſſidere nos ſpe futuram ſalutem; non tantum habere nos præſentem beatitudinem per fidem, ſed quia fides & futurum apprehendat, cui ſpes innitatur noſtra, & ſpe iſta nos ſalvos eſſe. Quæ quidem in opere ipſo latius & exquiſitius deduci innuit.

## *HISTORIA MUSICA, NELLA QUALE SI HA PIENA COgnitione della Teorica, & della Pratica antica della Muſica Harmonica &c.*

Hoc

Hoc eſt:

Hiſtoria Muſica, in qua datur plena cognitio Theoriæ & Praxeos antiquæ Muſicæ Harmonicæ, ſecundum doctrinam Græcorum, qui eam ante diluvium inventam a Jubal, & denuo repertam a Mercurio reſtituerunt priſtinæ ſuæ dignitati; & quomodo ex Theoria & Praxi antiqua poſtea nata ſit Praxis moderna, quæ complectitur Scientiam Contrapuncti. Auctore JOHANNE ANDREA ANGELINO BONTEMPO, Peruſino.

Peruſiæ, typis Conſtantini, A. 1695. in fol. Plag. 73.

Quamvis bene multos reperias ex recentioribus, qui de Muſica Harmonica ſunt commentati, pauciſſimi tamen in hoc argumento feliciter verſati fuerunt; ſuis ſcilicet ducti conjecturis potius, quam veteres ſecuti Muſicæ principes, quorum ſeptem ſcripta emendatiſſima edidit Vir Græce & Latine doctiſſimus, Marcus Meibomius. Ne ergo in eundē offenderet lapidem, hos ſibi duces unicos elegit in Hiſtoria Muſica, quam Auctoris nobiliſſimi dono, curæ vero celeberrimi Magliabechii debemus, ſcribenda Dn. *Joh. Andreas Angelini Bontempi*, Peruſinus, quem tum ob artis Muſicæ præſtantiam, tum ingenii elegantis doctrinam, gratia Sereniſſimi quondam ac Potentiſſimi Saxoniæ Electoris *Joh. Georgii II* floruiſſe, choro muſico aulico præfectum, meminimus. Comprehendit autem Hiſtoriam Theoriæ Muſices antiquæ duabus partibus, totidemque partibus Hiſtoriam Praxeos Muſicæ antiquæ; reliquis autem duabus tradit Hiſtoriam Praxeos recentioris, ita quidem, ut appareat nihil eum dediſſe ſuis conjecturis, ſed quæ in auctoribus, quos copioſe allegat, confuſa reperit, redegiſſe in ordinem, & obſcura illuſtraſſe.

In *prima* ergo *parte Hiſtoriæ Theoriæ Muſicæ antiquæ* agitur de Muſica generatim, ſuperiore nempe ſeu divina, & inferiore, quæ dividitur in mundanam, humanam, politicam, rhythmicam, metricam & harmonicam; præcipue vero de ultimo ejus genere diſquiritur, referturque quomodo inventum ſenſimque auctum & ad certa ſyſtemata revocatum fuerit. In *ſecunda parte* exponitur de ſeptem partibus ſeriei modulatæ, ſono nempe, intervallis, generibus, ſyſtematis, tonis ſeu modis, commutatione & melopoeia. In *Hiſtoria* autem *Praxeos antiquæ* primum afferuntur regulæ Ariſtoxeni ad eam pertinentes; deinde vero

quis ab A.C.370 uſq; ad Guidonem Aretinum, qui circa A.C. 1049 floruit, Muſices fuerit ſtatus, qualesque regulæ in eccleſiaſticis hymnis obſervatæ, narratur. Sequitur *Hiſtoria praxis recentioris*, cujus parte prima Guidonis inventa, altera ipſam Contrapuncti ſcientiam explicat, prout a Joh. Muri, Pariſini, ætate ad hæc usque tempora locupletata fuit, explicat, ita ut agatur de figuris, gradibus, proportionibus, contrapuncto ſimplici & florido. Diſtinxit quoque clariſſimus Auctor hoc opus adnotationibus, quas Corollaria vocat, in quibus de rebus dubiis ſententiam ſuam modeſte proponit, errores Muſicorum recentiorum, inprimis Zarlini, coarguit, aliaque ad hoc argumentum ſpectantia affert, quæ non poterunt non philomuſis eſſe jucunda & proficua, cum profecta ſint a Viro, qui ſub Virgilio Mazochio, Muſices in templo Vaticano ſummo præfecto, tyrocinia olim poſuit, omnemque ætatem in hac arte contrivit, eamque lectione ſcriptorum optimorum, & conſuetudine quotidiana artificum celeberrimorum, quibus Italia illuſtratur, mirifice auxit. His ergo ut ſalivam moveamus, pauca more ſolito dabimus excerpta. *Part. I. Theor. Muſ. Coroll. 9*, conjectura traditur, tres nervos in teſtudine arefacta, qua reperta Mercurius lyram excogitaſſe fertur, habuiſſe tonos E, F, G, in genere diatonico, ita ut primum intervallum hemitonii, alterum toni fuerit. *Corollario 13*, quod de ponderum a Pythagora ex chordis conſonantibus ſuſpenſorum proportionibus referunt Nicomachus, Gaudentius & Boethius, ab experientia refelli, teſtimonio Galilæi probatur. *Coroll. 18* oſtenditur, ipſam naturam auctorem eſſe generis diatonici, quia lyra Pythagoræ ex hemitoniis & tonis conſtans componitur ex tetrachordis, quæ ſimilia tetrachordis lyræ Terpandri, hæc autem derivatur ex lyra Mercurii, quæ ex nervis teſtudinis traxit originem. *Coroll. 15*, nec non alibi paſſim, confirmatur, antiquis non fuiſſe cognitam illam canendi rationem, qua plures ſibi voces conſonant. *Parte ſecunda Hiſtor. Theor. Muſ. Coroll. 10* monetur, inter conſonantias, quæ intervallum diapaſon tranſcendunt, quamvis olim non fuerint admiſſæ niſi dia paſon & dia teſſaron, atque dia paſon & dia pente, noſtro tempore poſſe quoque admitti dia paſon & hemiditonum, dia paſon & ditonum, dia paſon & hexachordum minus, dia paſon & hexachordum majus, cum intervalla illa ſint conſonantia reddita in ſyſtemate, cujus hodie viget uſus, quodque temperatum vel participatum dici ſolet, cum particeps ſit tum anti-

antiqui ſyſtematis ſyntoni, tum ſyſtematis ſyntoni reformati a Didymo, quod Ptolemæo vulgo tribuitur. *Coroll. 13* oſtenditur, Zarlinum perperam habere ſyſtema Ptolemæi pro ſyſtemate modulationum noſtro tempore uſitato, probaturque, differentias quæ inter ſyſtemata ſyntona intercedunt eſſe quoad intervalla, quæ ſenſu percipi nequeant, cum experientia conſtet, in Muſica harmonica neque integrum comma poſſe auditu ſentiri, nedum ejus partes minimas. *Coroll. 16* corriguntur numeri, qui apud Boethium in ſyſtemate Chromatico corrupti reperiuntur. *Coroll. 21* celeberrimus Auctor a clarisſimo Meibomio diſſentiens ſtatuit, Eraſtoclis ſectatores dia teſſaron enharmonicam in duas diviſiſſe partes, quarum priorem duæ dieſes, poſteriorem ditonus efficiunt, illosque reprehendit, qui in doctrinam contrapuncti rationes enharmonicas introduxerunt, cum tamen a voce humana ſonus medius ſpiſſi enharmonici exprimi non poſſit, & hac occaſione Balthaſaris Ferri, civis ſui, ſymphoniacique exquiſitiſſimi elogia repetit. *Coroll. 31* dia pente illa dicitur eſſe conſonantia, ex qua facile poſſit de contrapunctiſtæ peritia ferri judicium, cum ſoni nonnulli magis ament comitem ſextam, quam quintam, docenturque non pauca ad hanc rem facientia. *Coroll. 32* ratio cur ſitus naturalis dia pente ſit infra dia teſſaron, non ſupra illam, hæc redditur, quia illum ſitum referunt numeri 6, 9, 12, in proportione arithmetica naturali conſtituti, hunc numeri 6, 8, 12, harmonicam ſervantes proportionem, quæ artificialis eſt. *Coroll. 54* improbatur illorum ſententia, qui tranſitum a modo Muſico uno ad alium ſenſim fieri debere præcipiunt. *In Hiſtor. Prax. antiqu. part. 1, Coroll. 5*, non adprobatur axioma Ariſtoxeni ſine ulla exceptione, quod in chromatico & enharmonico genere omnis ſonus ſpiſſi debeat eſſe particeps. *Coroll. 13* denuo illi reprehenduntur, qui contrapunctum enharmonicum conſtituere voluerunt, moneturque, errores a Kirchero in Muſurgia commiſſos, quamvis Romæ impreſſa fuerit, non tribuendos viris celeberrimis, qui eo tempore Romæ vixerunt, vanumque eſſe hinc exortum clarisſimi Meibomii metum, fore ut barbaries ex Italia, politisſimæ gentis ſede, in omnem Europam diffundatur. *Coroll. 2, part. 1, Hiſtor. Prax. recent.* docetur, tolli poſſe difficultatem, quæ in mutatione vocum tyrones fatigat, ſi more Græcorum quatuor tantum aſſumantur, nempe Mi, Fa, Sol, La, & in cantu pariter duro & molli Fa, Sol, La, adhibeantur, in duro autem ſyllaba

Mi tribuatur clavi (♮) Parameſes, & ſyllaba Fa clavi (b) trites ſynemmenon in cantu molli. *Coroll. 4* ſyſtema participatum, omnia intervalla exceptis diapaſon & apotome, irrationalia habere oſtenditur, ſyſtemaque ſyntonum a Zarlino excogitatum nullius eſſe uſus. *Coroll. 5* diſtinctio toni in majorem & minorem, item hemitonii in majus & minus, Mathematico relinquenda cenſetur, Ariſtoxenusque hoc diſcrimen negligens defenditur. *Coroll. 7* affertur compendium libri, Latina quondam lingua ab Auctore in Germania editi, in quo docuit, quomodo Mathematici posſint in uſus ſuos convertere quasdam occultas convenientias, quæ in intervallis diatonicis reperiuntur; earumque ope conſtruere compoſitionem diatonicam quatuor vocum. *Parte 2 Hiſt. Prax. recent. Coroll. 5* syncopes vocabulum ex Medicina in Muſicam translatum explicatur. *Coroll. 8* Joh. Mariæ Bononcini doctrina de menſuris ſub cenſuram vocatur. *Coroll. 10*, an & cur duæ quintæ, & qua cum cautela posſint admitti, diſputatur. *Coroll. 13* ratio, cur ſexta major octavam, minor quintam requirat, exponitur.

*LA NATURA DELLA PROPORZIONE, ET DELLA PROporzionalità, con nuovo, facile & ſicuro metodo ſpiegata, da* ANGELO MARCHETTI, *Accademico dell' Arcadia di Roma, & dal medesimo dedicata al Sereniſſimo* COSMO III, *Gran Duca di Toſcana.*

Hoc eſt:

Natura rationis & proportionis, nova, facili & ſecura methodo explicata ab Angelo Marchetti &c.

Piſtoriæ, e typographia Stephani Gatti, 1695, in 4. Plag. 14.

DE ratione & proportione quamvis præclara Euclides tradiderit, fuere tamen inter præcipuos Geometras hujus ſeculi, qui haud pauca in methodo, qua in his docendis uſus eſt, deſiderarunt, ut vel ex Borelli & Barrovii, Euclidis hyperaſpiſtæ, ſcriptis eſt manifeſtum. Neque etiam recentiores clariſſimo Viro Angelo de Marchettis ita rem omnem peregiſſe viſi ſunt, ut mens veri indagandi avida plane posſit in eorum dictis conquieſcere. Quapropter diligentem navavit operam, ut in præſenti ſcripto, cujus per illuſtrem *Magliabechium* copiam nobis facere dignatus eſt, primaria de ratione & proportione Theoremata eo

cum

cum rigore demonſtraret, qui in Mathematicis ſcientiis requiritur. In prima igitur ejus parte rationes affert, cur rejiciat ea, quæ in hoc argumento ab aliis ſcripta ſunt Geometris; in ſecunda vero ipſam propoſitionum huc pertinentium ſeriem cum demonſtrationibus proponit. In eo ergo peccaſſe ipſi videntur plerique ſcriptores, quod ea etiam definire & demonſtrare ſuſceperint, quæ per ſe manifeſta ſunt; nulliusque definitionis aut demonſtrationis egent; contenditque fruſtra definiri v. g. æqualitatem & inæqualitatem rationum, quoniam rationes ſint relationes quantitatem veram habentes, perinde ut anguli, quorum, licet & ipſi relationes ſint, unus altero major dicitur. Quemadmodum ergo in doctrina de angulis, neque Euclides, neque alius quisquam Geometra definitionem æqualitatis aut inæqualitatis angulorum ſeorſim tradit, ſed eam, quæ communis eſt omnibus quantitatis ſpeciebus, ſupponit: ita quoque in doctrina de ratione & proportione, idem faciendum cenſet, cum alias definitiones exoriantur definitis obſcuriores. Id vero ut oſtendat, Euclidis dogmata primum, deinde vero ea, quæ Borellius habet in Euclide reſtituto, ad examen revocat. Porro illius quoque definitionis, in qua ratio compoſita per multiplicationem componentium a quibusdam deſcribitur, nec non eorum, quæ de hac re a Theone tradita ſunt, cenſuram agit, & hac occaſione refert, novam libri primi Almageſti Ptolomei cum Theonis commentario verſionem concinnatam fuiſſe a doctiſſimo Hiberno, Georgio Fleming, eamque notis clarisſimi ſui Parentis ornatam, ad editionem eſſe paratam. Occurrit etiam objectioni, qua in dubium vocari poſſet, quod dictum eſt, rationes eſſe veras quantitates. Cum enim in quantitatibus veris totum ſemper minus ſit parte, ex qua componitur, contrarium videtur evenire in compoſitione rationum, ubi compoſita ratio minor quandoque eſt componente. Oſtendit ergo, nihil hic accidere peculiare, quod non competat quoque numeris poſitivis & privativis, ut ex Algorithmo Algebraico notum, quibus reſpondent rationes excedentes (majoris inæqualitatis) & deficientes (minoris inæqualitatis) Secunda pars conſtat ex definit. 31, axiomat. 15, & propoſitionibus 25, in quibus non ſolum Euclideæ primariæ, (cum demonſtratione lib. 5, def. ſextæ, octavæ, & converſæ octavæ) ſed etiam Pappi, Campani & Borelli propoſitiones quædam perutiles comparent.

## D. BENEDICTI BACCHINI DE SISTRIS EORUMQUE *figuris Diſſertatio*, *edente* JAC. TOLLIO.

Trajecti ad Rhenum, apud Franc. Halma, 1696. in 4. Plagulæ 5. & lamina ænea.

ITineris Italici, quod peculiari narratione ſe expoſiturum eſſe promiſit Jac. Tollius, cujus initium ſub prælo fervere indicat, fructum hunc percipimus, quod Diſſertatio hæc a clariſsimo Bacchino Parmæ edita, ſed quæ ad exterorum vix conſpectum pervenit, quinquaginta modo ejus exemplaribus excuſis, plurium oculis & notitiæ nunc pateat, venuſte in Belgio recuſa. Iſiacæ ſuperſtitionis monumentum ea exhibet, & delineatas oculis Lectorũ objicit varias ſiſtroum figuras, anguliformia, ovalia, varie manubriata, loto exornata; ut omnino unius generis formam omnia habuiſſe, quod Hier. Boſſius exiſtimaſſe videtur, non cenſendum ſit. Is enim in tractatu de Siſtro ita iſtud deſcribit: *eſt crepitaculum ovale, ex arguti metalli lamina factum, cujus apſis ſuperior tribus inſignitur figuris: una ſcilicet aluri humana facie in medio poſita; altera Iſidis in dextro latere; tertia Nephthyos in ſiniſtro. In ima vero ſui parte manubrium habet; quod dum concutitur, virgulæ quadam ex eodem metallo facta, & per laminæ forulos transjecta, adunca utrinque cuſpide laminam ipſam percutiunt, quæ mox ſonorum edit tinnitum.* Hæc omnia examinat, & non omni Siſtro omnia convenire, ſed alium in modum alia efformata fuiſſe, oſtendit Bacchinus. Neque enim vultus iſtos ſemper ſupra mobiles virgulas fuiſſe collocatos; neque felem omnibus impoſitam, ſed Sphingem interdum, interdum lotum, interdum humanam effigiem, aliquando & nudum extitiſſe Siſtrum demonſtrat. Inde de propagatis Iſiacorum myſteriis differit, ac quam late Iſidis patuerit cultus, in quo Naturam parentem venerati fuerint Gentiles, unde etiam tot ejus prôfluxerint cognomina, quæ vel e Lib. XI. Mileſior. Apuleji innoteſcunt, docet. Iſidem ab Ægypto Romanos, a Romanis Græcos accepiſſe, & cultum ejus apud Græcos invaluiſſe, cum Romæ jam diu viguiſſet, obſervat: nec ſacra ejus cum ſacris Magnæ Deûm Matris ſeu Cybeles eadem prorſus fuiſſe cenſet; an tamen utraque tandem coaluerint, ambigit. Jac. Tollius in ſubjecta Bacchini Diſſertationi obſervatione, quatuor in Siſtro virgulas æneas, quatuor Elementorum harmoniam ſonoro tinnitu ſignificaſſe

con-

conjicit, ovalem figuram Chaos antiquorum adumbraſſe, forte etiam quatuor anni tempeſtatum converſionem iſtis virgis deſignatam fuiſſe, exiſtimans. Idem in tabula ænea complures Siſtrorum formas, e nummis & gazis illuſtrium hominum & doctorum virorum petitas, exhibet.

## LIBRI NOVI.

*Juliani Imperatoris Opera quæ ſuperſunt omnia, & S. Cyrilli contra impium Julianum Libri X, cum notis Dionyſii Petavii & obſervationibus Ezechielis Spanhemii. Lipſiæ apud Jo. Lud. Gleditſch, 1696. in fol.*

*Theſaurus Antiquitatum Romanarum congeſtus a Jo. Georgio Grævio. Tomus III & V. Trajecti ad Rhenum apud Fr. Halmam & Lugd. Bat. apud P. Vander Aa, 1696. in fol.*

*Biblia ſacra, ſive Teſtamentum Vetus ac Novum, ex linguis Orientalibus in linguam Latinam translatum a Sebaſtiano Schmidio. Argentorati apud Jo. Frid. Spoor, 1696. in 4.*

*Articulorum Formulæ Concordiæ Repetitio, inſtituta a Sebaſtiano Schmidio. Argentorati apud Joſiam Stædel, 1696. in 4.*

*Job. Schilteri Codex Juris Alemannici Feudalis. Argentorati apud I. F. Spoor, 1696. in 4.*

*Antonii Van Dale Diſſertationes de Origine ac Progreſſu Idololatriæ & ſuperſtitionum: de vera & falſa Prophetia: de Divinationibus Idololatricis Judæorum. Amſtelod. apud Henricum & viduam Theodori Boom, in 4.*

*Antonii Bynæi de Morte Jeſu Chriſti Liber ſecundus. Amſtel. apud Gerhard. Borſtium, 1696. in 4.*

*Vervolg op't Voor-hof der Heydenen, door Salomon Van Til. Tot Dordrecht, by Dirck Goris, 1696. in 4.*

*Valerii Harpocrationis de Vocibus Liber, cum notis Jacobi Gronovii. Accedit Diatribe Henr. Stephani ad locos Iſocrateos. Lugd. Bat. apud Fred. Haaring, 1696. in 4.*

*Pomponii Melæ libri III de Situ Orbis, nummis antiquis & notis illuſtrati ab Jac. Gronovio. Lugd. Bat. apud Jordanum Luchtmans, 1696. in 8.*

*Jacobi Le Mortii Chymiæ veræ nobilitas & utilitas &c. Operaque ejus omnia huc usque typis commiſſa. Lugd. Bat. apud C. Boutenſteyn & F. Haaring, 1696. in 4.*

Epheme-

*Ephemerides Perſarum Latine verſæ & V Commentariorum libris illuſtrata a Matth. Frid. Beckio. Auguſtæ Vindel. apud Laurentium Kroniger & Th. Gobelii Hæredes, 1696. in fol.*

*Jo. Jac. Manget Bibliotheca Medico-Practica. Tomus III. Genevæ apud I. A. Chouet, 1696. in fol.*

*Antonii Matthæi Manuductio ad Jus Canonicum. Lugd. Bat. apud Fred. Haaring, 1696. in 8.*

*Joma. Codex Talmudicus de Sacrificiis diei Expiationis, illuſtratus a Rob. Seringhamio. Accedit Jac. Rhenferdi Comparatio Expiationis Pontificis Maximi cum Expiatione JESU Chriſti. Franequeræ apud W. Bleck, 1696. in 8.*

*De Viva deque Mortua Fide Doctrina Jacobi Apoſtoli evoluta a Iac. Guſſetio. Amſtelod. apud Henricum & viduam Theodori Boom, 1696. 8.*

*Veritas Religionis Catholicæ, ſuppoſitis Scripturis & Fide in Chriſtum, evidenter demonſtrata per M. R. P. Thyrſum Gonzalez, Præpoſitum generalem Societatis Jeſu. Editio tertia. Inſulis apud Fr. Fievet, 1696. 12.*

*Menteti Ketwig de Ambitu antiquo & hodierno Liber. Bremæ apud P. G. Saurman, 1696. in 8.*

*De l' Incredulité, ou l' on examine les motifs qui portent les incredules à rejetter la Religion Chrétienne, & ou l' on en prouve directement la verité. Par Iean Le Clerc. A Amſterdam chez H. Wetſtein, 1696. 8.*

*Traité de la Conſcience, par Mr. Baſnage. A Amſterdam chez P. Brunel, 1696. 8.*

*Les Devoirs des Hommes & des Citoyens ſuivant la Loi Naturelle. Ouvrage compoſé en Latin par Mr. le Baron de Puffendorff, & mis en François par Antoine Teisſier. A Berlin chez R. Roger, 1696. 12.*

---

Intra triduum publicabitur Sectio XI Tomi II Supplementorum, quam Sectio XII eaque Tomi II ultima propediem ſequetur.

---

## ERRATA,

In Actis A. 1691, pag. 80, lin. 7, lege: *in ſtellis undecim aſcenſiones rectæ hoc ævo decreſcant, cum in reliquis creſcant.* In Actis hujus anni pag. 167, lin. 5, 6, 8, pro *Antonio Auguſtino*, lege *Nicolaum Antonium*; pag. 174, lin. 22, pro *meritus*, lege *meriti*.

✻)o(✻

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*
*Calendis Junii, Anno M DC XCVI.*

## *JOHANNIS WALLIS S. T. D. GEOMETRIÆ PROFESSORIS Saviliani in Academia Oxonienſi Opera Mathematica.*

Oxoniæ ex Theatro Sheldoniano 1695. in fol. Alph. 21, plag. 12.

Cum celeberrimum *Walliſium* egregie de Matheſi meritum conſtet, paulo magis immorabimur recenſendis ejus ſcriptis; licet pleraque hic ſimul edita jam dudum prodierint, & vel a nobis jam ſint recenſita, vel initia noſtri laboris prævenerint.

Volumine primo continetur primum *Oratio inauguralis* in auditorio Geometrico habita A. 1649; ubi inter alia in Henrici Savilii Equitis nobiliſſimi, qui cathedram fundaverat, laudes expatiatur. Hunc ait Elizabetham Reginam in Græcis literis inſtituiſſe; Jacobi Regis juſſu in verſione Anglicana Sacri Codicis cum aliquot aliis magni nominis viris operam navaſſe; edidiſſe opera Chryſoſtomi, & Bradwardini librum de cauſa Dei contra Pelagianos ex manuſcriptis exemplaribus in lucem protuliſſe: quemadmodum & Scriptores quidam Anglicanæ Hiſtoriæ veteres ei lucem debeant. Duas Mathematum cathedras (Geometricam & Aſtronomicam) fundavit, eisque leges poſuit; quin & prælectionibus in Euclidis primordia habitis cathedram ſuæ fundationis imbuere primum, infra dignitatem non putavit. Codices Græcos ſua manu deſcriptos ex partibus transmarinis attulit. Annotationes in Apollonium, Eutocium, Ptolemæum ſcripſit, & in Scaligeri Geometrica animadverſiones, aliaque id genus.

Primo inter libros Walliſianos loco ponitur *Opus Arithmeticum*, ſub titulo *Matheſeos univerſalis*, ubi præter Philologica quædam

inſperſa, calculi elementa explicat. Ait, non unitatem, ſed nullitatem eſſe principium numerorum, ut punctum lineæ; unitatem vero ipſammet numerum eſſe. Multa habet non inelegantia de nominibus & notis numeralibus per literas: unde Saracenicas etiam, (Maximo Planudi Indicas) ex Græcis literis natas, poſt alios notat, refertque ex Pockockii ore, Alſepadi Arabem in commentariis ad elegantiſſimi poëtæ Togrii poema Lamiato'l Ajam dictum notaſſe; Indos de tribus inventis gloriari, ludo ſchachii, figuris numericis, & libro Golaila Wadamna dicto, qui fabulis Æſopicis anſam dederit. Notavit autem Erpenius, in quibusdam manuſcriptis Arabum *o* ſignificare nullitatem, & *g* quinarium, in aliis vero punctum craſſiusculum pro nullitate poni, & *o* pro quinario. De decimali progreſſione agens, diſtinguit gradus aſcendentes, id eſt decades, centenarios &c. a deſcendentibus decimis, centeſimis &c. Exponit deinde operationes ſeu 4 ſpecies tam in numeris quam in literis, & notat, cum aliquid apponitur mutato ſigno id ſubtrahi. Hinc minus in minus facere +. Demonſtrat quoque hac occaſione calculo literali decem primores propoſitiones libri ſecundi Euclidis, quippe quæ non dependent a Geometria. Geodæſiæ quoque nonnulla exponit; deinde de differentiis & rationibus progreſſioneque Arithmetica & Geometrica, ac Logarithmis tractat, & quintum Euclidis elementum exponit. Ubi communicatum ſibi a Pockockio locum ſupra dicti commentatoris Arabis in Tograii librum Arabice cum Latina verſione inſerit, de creſcente in immenſum Geometrica proportione; ubi & continetur, quod paulo ante de figuris numerorum ab Indis inventis diximus. Deinde regulas vulgares Arithmeticorum, auream (& ejus ſpecies, directam, reciprocam, compoſitam,) regulam ſocietatis & alias, in integris & in fractionibus exhibet. Analyſin autem & radicum doctrinam, ne opus nimium creſceret, non attigit. Huic operi appendicis loco acceſſit *adverſus Marci Meibomii de Proportionibus Dialogum Tractatus Elencticus.* Nimirum Marcus Meibomius videns a multis rationem conſiderari, ut fractionem, cujus denumerator antecedens ſit, numerator vero conſequens, adeoq; duplo facto antecedente duplam fieri rationem, & Gregorium a S. Vincentio hinc etiam rationum rationem duxiſſe, graviter hanc doctrinam improbavit & veteres ipſos in ea re lapſos putavit, Theonemq; reprehendit, quod rationem ſextuplam putavit eſſe triplæ duplam, cum

talis

talis ipſi noncupla potius videatur. Nam additionem rationis ad rationem vel compoſitionem rationum eſſe, cum ratio *a* ad *c* dicitur compoſita ex ratione *a* ad *b* & ratione *b* ad *c*; minime vero cum ratio *l* ad *n* & ratio *m* ad *n* dicuntur componere rationem *l* + *m* ad *n*. Sed revera non niſi de nomine hæc quæſtio viſa eſt Walliſio, qui & notavit, Euclidem, confuſionis vitandæ gratia, ſextuplam rationem dicere duplam (διπλάσιον) triplæ, quia 6 ad 1 ſit duplum ipſius 3 ad 1; ſed noncuplam quæ fit ex ratione 9 ad 3, & 3 ad 1 vocare διπλασίονα, quod Latini reddunt duplicatam, ad diſtinctionem duplæ, verbi commodioris defectu. Addit Walliſius, etiam Auzotium Gallum (aliis poſtea Mathematicis ſpeciminibus clarum) libellum contra Gregorium a S. Vincentio in eundem ſenſum compoſuiſſe, quem manuſcriptum (neq; enim prodiit) legerit Ainscombe & non incommode refutarit. Cæterum Walliſius in dedicatione hujus contra Meibomium libelli ad Vice-Comitem Brounkerum narrat, quomodo parabola cubica ſibi impoſuerit ſpecie diametrorum, & quomodo poſt Robervallii admonitionem diu non potuerit nodum ſolvere; donec detexerit, hanc curvam in vertice non rurſus parabolæ Apollonianæ more deſcendere, ſed potius flexu ſurſum facto aſcendere. Annectitur & *Tractatus de Sectionibus Conicis nova Methodo expoſitis.* Ibi quamlibet ſectionem ſeparatim, tam in cono quam in plano explicat. In appendice tractat & de paraboloeide cubicali & ejus diametris; ſed hæc poſtea retractavit, animadverſo, ut diximus, diametros tales in paraboloeide cubicali non eſſe.

Hos tractatus excipit *Arithmetica infinitorum, ſive nova Methodus inquirendi in curvilineorum quadraturam aliaque difficiliora Matheſeos problemata.* Ejus vis huc redit: Autor conſiderat ſummam numerorum naturalium ſeu progreſſionis Arithmeticæ, deinde ſummam quadratorum ab ipſis, deinde ſummam cuborum ab ipſis, & ita porro. Reperit autem, quanto minor aſſumitur unitas, ſeu quanto minus differunt termini, eo magis accedi in ſumma numerorum naturalium, quadratorum, cuborum &c. reſpective ad ſecundam, tertiam, quartam &c. partem facti ex termino ultimo & numero terminorum: unde cum unitas ſit infinite parva, ſeu cum termini repræſentant ordinatas figuræ, tunc ſummam horum terminorum, ut Cavalleriano more loquamur, id eſt aream figuræ, æquari parti dimidiæ, tertiæ, quartæ &c.

rectanguli ſub altitudine, quæ repræſentat numerum terminorum, & ſub baſi, quæ repræſentat terminum ultimum. Quod autem ſummæ numerorum dicto modo magis magisque accedant ad dictam partem, ſecundam, tertiam, quartam &c. probat in ſingulis per inductionem aliquousque productam, & ita non dat demonſtrationem, ne quidem pro una ſerie ſeparatim, v. g. pro quadratis, & multo minus pro omnibus ſimul. Equidem Iſmael Bullialdus libro peculiari hoc conatus eſt ſupplere, & in ſerie naturalium, quadratorum, & paucorum aliorum rem univerſaliter demonſtravit, pro unaquaque ſerie tantum ſeparatim, ſed non oſtendit univerſaliter idem locum habiturum in ſeriebus ſequentibus, præſertim pro ordinatis irrationalibus, ubi non æque bene licet inductione uti. Unde aliam dedere Geometræ per tangentes, quæ rem univerſaliter conficit. Et hæ quadraturæ etiam antea in Gallia Fermatio & Robervallio & Paſcalio fuere notæ. Sed illud peculiare habet Wallifius, quod deinde procedens etiam ad Apotomas ſeu differentias inter duos ejusmodi terminos, harum vel ab ipſis potentiarum quadraturas quærit, & inductione oſtendit, quomodo hinc etiam appropinquatio ad circuli quadraturam duci poſſit per ſeriei interpolationem. Hoc tamen habet imperfecti hæc methodus, quod in Apotomis iſtis earumque potentiis ipſa tantum inſervit pro toto, non vero pro ſingulis partibus ſeu ſegmentis figuræ quadrandis. Itaque poſtea methodus per ſeries infinitas fuit introducta, quæ expreſſiones dat magis univerſales. Cæterum quæ de ordinatis parallelis dicuntur, certo modo applicat etiam ad ordinatas ita collocatas ut radii creſcentes vel decreſcentes in ſpiralibus ſolent, paucisque deſignavit quæ doctiſſimus Geometra Stephanus de Angelis fuſius peculiari poſtea libro explicuit, qui quosdam numeros Walliſianos reprehendit, in quibus tamen non erat methodi ſed calculi error. Ex his patet, Arithmeticam infinitorum ſenſu Walliſii longe diverſum ſignificare ab Analyſi infinitorum, ſeu calculo differentiali, qui ita ſe habet ad illam, ut Analyſis ſpecioſa ad Arithmeticam. Adjicitur hic Eclipſis Solaris obſervatio Oxonii viſæ Aug. 22. (ſtyl. vet.) 1652, Hevelio inſcripta.

Hæc excipiunt tractatus duo, prior de *Cycloide*, poſterior de *Ciſſoide*, ubi & quædam de linearum εὐθύνσει & corporum πλατυσμῷ. Quoad Cycloidem res ita habet. Paſcalius diſſimulato nomine Pariſiis A. 1658 hoc problema propoſuerat. Dato in Semicloide (primaria)

ria) cujus vertex C, puncto quolibet Z ex quo ducta recta ZY baſi parallela axem CY ſecet in Y; quæritur dimenſio ſpatii CZY ejusque centrum gravitatis, ſolidaque ejusdem CZY converſione tum circa ZY, tum circa CY genita, & horum ſolidorum centra gravitatis; quod ſi eadem ſolida plano per axem bifariam ſecentur, horum item ſemiſolidorum quæruntur centra gravitatis. Quorum quidem problematum ſolutionem a præſtantiſſimis toto orbe Mathematicis ſupplex poſtulat anonymus, propoſito ſimul præmio in hæc verba: quisquis ſuperius propoſita intra primum diem menſis Octobris anni 1658 ſolverit & demonſtraverit, magnus erit nobis Apollo: et primus quidem conſequetur valorem quadraginta duplorum aureorum Hiſpanicorum, quos ipſi Hiſpani dublones & Galli piſtoles vocant, ſecundus vero viginti ejusmodi duplos aureos; ſi unus tantum ſolverit, ſexaginta ſolus habebit. Additæ ſunt poſtea aliæ conditiones, quibus poſtulabatur, rem intra præſtitutum tempus inſtrumento publico Notarii Pariſienſis Carcavio ſignificari; pecunia autem apud Ducem de Liancourt fuit depoſita. Sed cum tempus nimis coarctatum appareret, præſertim pro remotioribus locis, Walliſius noſter, de præmio & formalitatibus minus ſolicitus, rem ipſam transmiſit. Etiam Lalovera ex Societate Jeſu aliique ſolutiones dedere, præmium tamen ob temporis coarctati limites obtinuit nemo. Walliſio certe ne reſponſum quidem fuit; ſed prodiit diſſertatio Gallica inſcripta *Hiſtoire de la Roulette*, in qua inventio lineæ Cycloidis tribuitur Merſenno, dimenſio ſpatii Cycloidis Robervallio; nonnulla Anoymus ſe ſuppleviſſe ait. Verum Itali multo probabilius Cycloidis primam inventionem Galilæo, dimenſionem Torricellio tribuere, qui ſaltem ſuam primus publicavit. Walliſius autem, videns ſe ſilentio præteritum, ſua ipſemet edidit. Interea Wrennus curvam Cycloidis in rectam extendit. Hugenius quoque quoddam ſegmentum Cycloidis abſolute quadravit, & longo poſt tempore aliud Cycloidis ſegmentum a Leibnitio abſolute fuit quadratum. Segmentum Hugenianum eſt, quod abſcinditur recta ad axem ordinatim applicata per punctum transeunte, quæ a vertice abeſt quarta parte axis, æquale dimidio hexagono æquilatero intra circulum genitorem deſcripto. Leibnitianum eſt, quod abſcinditur recta ducta a vertice ad punctum Cycloidis, cui occurrit recta baſi parallela per recti generatoris centrum ducta, ſeu quæ

a vertice abeſt dimidia axis parte; id enim invenit æquari dimidio quadrato radii circuli genitoris. Adjicitur Wrenni demonſtratio de dimenſione curvæ cycloidalis primariæ, qui & oſtendit cycloides contractas & protractas ellipſium lineis æquari, idemque cycloides alterius generis circulo ſupra circulum procedente deſcriptas Epicycloides appellavit. Additur deinde *Diſſertatio Epiſtolaris ad Hugenium de Ciſſoide*. Nam cum Hugenius tam totam figuram ciſſoidalem, quam ejus ſegmentum quodvis ad circuli ejusque ſegmentorum aream reduxiſſet, oſtendit Walliſius idem, (ſed tantum quoad totum ſpatium cycloidale, non vero quoad ſegmenta quæcunque) ex ſua Methodo inductiva elici poſſe. Inde cum Hugenius ſignificaſſet, Heuratium Batavum anno 1659 inveniſſe curvam paraboloidis, in qua ordinatarum cubi ſunt ut abſciſſarum quadrata, aliasque hujusmodi, poſſe abſolute in rectas extendi; reſpondit Walliſius, Guilielmum Nelium Equitis Pauli filium jam idem præſtitiſſe A. 1657, primumque omnium curvæ alicujus dimenſionem inveniſſe. Notavit tamen Hugenius, & ipſe Wrennus, Nelium tunc dimenſum fuiſſe curvam, ſed ignotæ ſibi conſtructionis; Heuratium vero curvæ conſtructionis cognitæ dediſſe dimenſionem. Unde dicebat Hugenius, non multum quidem ab hoc invento abfuiſſe Nelium, non tamen omnino fuiſſe aſſecutum. Adjicitur deinde a Walliſio & ſuperficiei Conoidis parabolici dimenſio, quam & Hugenius invenerat, aliaq; id genus.

*Mechanica ſive de Motu tractatus Geometricus* primum quædam præmittit de momento, ut vocat, ejusque contrario, nempe impedimento; deinde de gravitate, deſcenſus declivitate, & de libra. Sed potiſſima operis pars in centro gravitatis & calculo ejus pro variis figuris inſtituto occupatur, idque pro non contemnenda Geometriæ acceſſione haberi poteſt, dum alii jam labori eadem calculandi parcere poſſunt. Explicatur etiam obiter inventum Wrenni, quod jam in Actis Philoſophicis Oldenburgii fuit expoſitum; nempe ſi in quacunq; ab axe torni diſtantia ponatur acies dolabræ recta in ſitu ad illum axem non parallelo, ſed obliquo, formari torno cylindroides hyperbolicum convexo-concavum, & quidem ab ea hyperbola, cujus ſemiaxis transverſus æquatur minimæ diſtantiæ aciei dolabræ ab axe cylindroidis, (ſeu ſemidiametro baſis inſcripti cylindri) axisque conjugatus cum Aſymptota eum faciat angulum, quem facit dolabræ acies recta

cum

cum recta axi torni parallela. Unde patet ratio cylindroeides torno ſic formandi, ut ſectio per axem ſit data hyperbola. Inſeritur & Hugenii demonſtratio quadraturæ Ciſſoeidalis figuræ & ejus partium, ex ſuppoſita circuli ejusque partium quadratura: item dimenſio dolii ſphæroeidalis truncati, quod Joh. Collinius ad menſuranda vaſa liquorem continentia pro parte depleta utile futurum cenſuerat; id enim fruſtum ſphæroeidale ad inſcriptæ ſphæræ fruſtum reducitur. Poſt hæc agitur de vecte, axe in peritrochio cum potentiis cognatis, veluti rotis, trochlea ſeu polyſpaſto, cochlea, motibus compoſitis, acceleratis, retardatis & cuneo, elatere ſeu reſilitione & hydroſtaticis, atque aëris æquipondio. Ubi occaſione vectis modum exponit a ſe inventum, contignationem planam ex tignis multo brevioribus, quam ſit areæ latitudo, invicem conjunctis conſtituendi, & computo æſtimandi, quantum cuique juncturæ oneris incumbat. Figura jam in Itinerariis Monconiſii & Sorberii extat. Deinde de percuſſione tractat, & putat corpora concurrentia ſimul procedere eadem celeritate, quæ prodeat, ſi momentorum ſumma, vel (ſi in contrarium tendant) differentia per ſummam corporum dividatur; momentum autem ipſi eſt factum ex ductu ponderis in celeritatem. Et ſi grave motum æquali quieſcenti directe impingat, ictus magnitudinem fore ad momentum gravis moti, ut quieſcentis pondus duplum ad ponderis utriusque aggregatum. Et ſi duo gravia ſibi motibus contrariis occurrant, fore ictus magnitudinem ad momentum alterutrius gravium, celeritatum aggregato lati, ut reliqui pondus duplum, ad utriusque pondus ſimul. Ubi & de centro percuſſionis, quod cum centro oſcillationis, ab Hugenio explicato in libro de Horologio oſcillatorio, coincidere notat. Denique & de vi Elaſtica agit, oſtenditque ex ea oriri, quod corpora inter ſe concurrentia poſt concurſum non ſimul procedunt, ſed a ſe invicem diſſiliunt. Neque enim in motu incepto vim neſcio quam eſſe collocandam, nec in reſiliendo motum novum absque nova cauſa incipere. Et quoniam ad oſtendendam æqualitatem anguli incidentiæ & reflexionis, aſſumſerat motus obliqui compoſitionem ex perpendiculari & parallelo ad ſuperficiem excipientem; reſpondet Honorato Fabro, qui in Tractatu de Motu lib. 6. & in Dial. phyſ. 2. hanc compoſitionem in dubium revocaverat. In Epilogo rationem veteris jam experimenti, quod ſcilicet inflata veſica ſolo flatu ſpiritus humani

lateribus

lateribus diſtentis, & longitudine contracta, pondus librarum 50, 60 aut plurium pro viribus pulmonum flantis elevare poſſit ad exiguam licet altitudinem.

Alterum Operum Walliſii Volumen, quod *Algebram* cum nonnullis tractatibus additis continet, non minore cura eſſemus recenſituri, niſi id jam a nobis eſſet factum menſe Junio A. 1686, cum eadem Walliſii Algebra Anglice anno præcedente cum iisdem tractatibus plerisque hoc volumen conſtituentibus prodiiſſet. Nonnulla tamen attingemus, quæ hic acceſſere. Dixerat ſcilicet Walliſius in priore Algebræ editione, collatisque locis oſtenderat, magnam partem Geometriæ Renati Carteſii ex Thomæ Harioti Analyſi poſthuma aliquot ante annis edita, & multis ante annis ſcripta, fuiſſe deſumtam; quemadmodum & nos loco ſupra dicto in recenſione Algebræ Walliſianæ retulimus. Quod cum doctos quosdam Carteſianos male haberet, Samueli Morlando horum impulſu interroganti, num plagium Carteſii probari poſſit, epiſtolam A. 1688 ſcripſit Walliſius (hic additam ad cap. 53) qua Geometriam Carteſii percurrit, oſtenditque, quomodo maxima pars ex Harioto, nonnulla ejus & ex aliis fuerint deſumta. Incidit deinde Walliſius in ſecundam editionem Elementorum Johannis Preſteti, qui in præfatione ſecundi voluminis dixerat, Walliſium ex vanis conjecturis Carteſiana Harioto aſcripſiſſe, invidia & æmulatione gloriæ Gallicanæ in rebus Mathematicis, & ridiculam accuſationem renovaſſe, nullis nixum probationibus; ſed merito reſpondet Walliſius, quæ affirmaverit probata haberi demonſtratione oculari, cum Harioti opus in hominum manibus verſetur, & loca a ſe ſint producta, in quibus optima quæque extent, quæ Carteſius in Algebra ſpecioſa pro ſuis edidit. Elementa Preſteti Walliſius ex fama & cum ipſo multi Malebranchio tribuerant, ſed nos recenſentes Walliſii opus, ſubindicaveramus, de eo a nobis dubitari. Et Preſtetus ipſe ſecundis curis ea edidit ſub nomine ſuo. Cum deinde & Bailletus in Vita Carteſii ſuſpicionem *plagii* amovere a Carteſio contendiſſet, adducta quadam Pelli ad Merſennum epiſtola, quæ dicat Anglos de Carteſio favorabiliter judicaſſe; reſpondet Walliſius, & ſe de Carteſio alias favorabiliter judicare, ſed hic rem manifeſtam diſſimulare non potuiſſe, & ſeſe, quæ in priore editione pro Harioto jam dixerat, Pellio legente & approbante dixiſſe. Subjicit.

Bailletus,

Bailletus rem in Carteſii favorem jam deciſam eſſe ab Huddenio & Preſtetio; ſed Preſtetii deciſio non magni momenti eſt. Huddenius in Epiſtola a Schotenio Carteſianæ Geometriæ inſerta, de plane alia re locutus eſt, nempe de regula ſolvendæ æquationis biquadraticæ per cubicam, quæ jam apud Bombellum & Vietam extabat, ſed cum peculiarem Methodum oſtenderit Carteſius, qua ad eam pervenit, ſumſiſſe eam ab aliis veri ſimile non putavit Huddenius. Verum longe aliud eſt in iis quæ ab Harrioto ſumſit, in quibus eandem plane methodum ſecutus fuit, niſi quod ſæpe fontes ab Harrioto indicatos ſuppreſſit. Unum hic de Harrioto adhuc notare placet (ex Algebræ Wallíſii cap. 12) hujus & Walteri Warneri ſchediaſmata complura extare apud Dn. Richardum Busbey S. T. D, qui Scholæ Weſtmonaſterienſi a longo tempore præfuit, jam valde ſenex. Et veretur Wallíſius ne ipſo extincto plane intercidant, una cum Canone Antilogarithmo ab ipſis conſtructo, ubi logarithmis ab o usq; ad 100, 000 apponuntur naturales reſpondentes. Inſeritur etiam Algebræ cap. 79 Epiſtola celeberrimi Sturmii ad autorem, qua ſcrupulum quendam communicat & amolitur, qui contra Wallíſii Methodum quadrandi per inductiones numerorum fuerat motus. Cui reſpondet Wallíſius, & Sturmii ſolutionem probat firmatque. Newtonianis etiam ſeriebus jam in Anglicana editione expoſitis, adjicit quædam quæ David Gregorius Scotus Profeſſor Oxonienſis, & Archibaldus Pitcarnius Medicinæ Lugduni Batavorum Profeſſor non abludentia attulerunt. Addit cap. 95 Algebræ pag. 389 apud exteros (ut verba ejus ſonant) etiam Leibnitium & Tſchirnhauſium nonnihil ejusmodi præſtitiſſe, & apud Britannos Jacobum Gregorium & Nicolaum Mercatorem, ſed quæ ſint ut plurimum nonniſi caſus particulares intra ambitum generalem regularum Newtoni. Calculo quoque differentiali Leibnitii affinem eſſe methodum fluxionum Newtoni (in Principiis Naturæ Mathematicis primum editam) tum utraque eſſe antiquiorem Barrovii, & omnes Wallíſianæ Arithmeticæ infinitorum ſuperſtrui, quæ Cavalerii Geometriam promovit, ut hic Archimedeam. Exhibet etiam Methodum quandam Joſephi Raphſon pro infinitis ſeriebus, libello Londini 1690 edito ſub titulo Analyſeos Æquationum univerſalis comprehenſam. Cæterum ipſe Newtonus non minus candore quam præclaris in rem Mathematicam meritis inſignis, publice & privatim agnovit, Leibniti-

 umtum

um tum cum (interveniente celeberrimo Viro Henrico Oldenburgio Bremenſi, Societatis Regiæ Anglicanæ tunc Secretario) inter ipſos (ejusdem jam tum Societatis Socios) commercium intercederet, id eſt jam fere ante annos viginti & amplius calculum ſuum differentialem, ſeriesque infinitas & pro iis quoque Methodos generales habuiſſe; quod Walliſius, in præfatione operum factæ inter eos communicationis mentionem faciens, præteriit, quoniam de eo fortaſſe non ſatis ipſi conſtabat. Cæterum differentiarum conſideratio Leibnitiana, cujus mentionem facit Walliſius (ne quis ſcilicet, ut ipſe ait, cauſaretur de Calculo differentiali nihil ab ipſo dictum fuiſſe) meditationes aperuit, quæ aliunde non æque naſcebantur. Eſt enim differentia analyticum quiddam & calculi capax, & quod rei caput eſt, ſummæ reciprocum. Eaque demum ratione factum eſt, ut calculus Analyticus non minus in Geometria altiore, quam Carteſius a ſuo calculo excluſerat, quam in ordinaria ab ipſo tractata procedat. Et quemadmodum Apollonius & alii veteres habebant quidem proprietates ordinatarum pro lineis Conicis & aliis, ex quibus formatæ ſunt poſtea æquationes a Carteſio; ita ſimiliter lineæ, quas ipſe Carteſius, quippe calculo ſuo intractabiles, a Geometria excluſerat, Leibnitianā primum methodo æquationibus finitis ſunt expreſſæ & ſub leges Analyſeos redactæ; qua ratione omnes earum proprietates analytico jam calculo inveſtigari poſſunt, prorſus ut in ordinariis. Et cum antea per viam figurarum & imaginationis etiam præſtantiſſimi Geometræ faciliora tantum aſſequi in his potuerint, nunc ope hujus calculi non tantum priora illa primo velut obtutu patent, quæ tunc merito admirationi erant, ſed & multo magis abſtruſa deteguntur ad quæ imaginatio non pertingit, in quo conſiſtit potiſſimus calculi analytici uſus. Cæterum ipſum celeberrimum Walliſium, quo eſt candore, non dubitamus etiam noſtratium meditationibus, ſi ſufficientem earum habuiſſet notitiam, locum ampliorem in ſuo opere daturum fuiſſe. Sed ipſe queritur ultima Algebræ ſuæ pagina, hæc noſtra Eruditorum Acta, in quibus bona earum pars continetur, minus ſibi fuiſſe viſa: unde neque illa ſatis ſibi cognita ait, quæ de Geometria incomparabilium, vel Analyſi infinitorum, a Leibnitio data fuere, quæ libenter alioqui in ſuo quoq; opere exhibiturus fuerit. Cæterum hac occaſione & de Nicolao Mercatore, (quem Walliſius velut inter ſuos recenſere videtur) notare voluimus

luimus, Germanum fuiſſe, & ex Holſatia oriundum, etſi in Angliam habitatum conceſſerit; eumque primum fuiſſe, quantum conſtet, qui quadraturam publice dederit per ſeriem infinitam, tametſi tunc quoq; Newtonus in eadem ipſo inſcio incidiſſet, eaque multo longius produxiſſet.

Obiter quoque, præſertim hac ſecunda Walliſianæ Algebræ editione de nonnullis quæſtionibus tractatur, velut de Charta Nautica ad ingenioſi cujusdam Nautæ interrogata, de cauſa cur Sol Lunave in ſitu ad horizontem vicino majores appareant nudo oculo quam inſtrumento (quod Noſter putat phantaſiæ deceptæ judicio fieri) de complicatis annulis in ludicro quodam ſed ſubtili inſtrumento, cujus meminit Cardanus in libro de ſubtilitate; de problemate Florentino nupero Hemiſphæricæ ſuperficiei teſtudinem conſtituentis, quæ demtis feneſtris ſit abſolute quadrabilis; aliisque id genus paſſim inſperſis. Tractatibus addititiis non immorabimur, quippe qui plerique jam cum prima Algebræ editione fuere recenſiti. Acceſſit hic *tractatus* licet jam olim editus *de gravitate & gravitatione*, ubi pondus aeris defenditur, & Dn. Mathiæ Hale, primarii Angliæ Juſtitiarii, Libro ſub titulo, difficiles nugæ pro Funiculo Lini adverſus Gerikianam & Boilianam Barometri explicationem ſcripto, & Henrici Mori objectionibus reſpondetur. Suſpicatur autem Autor noſter, gravitatem oriri ex ſola vi Elaſtica ætheris expanſionem affectantis, atque ita quæ hanc impediant repellentis. Peculiari etiam diſſertatione defenduntur definitio quinta & poſtulatum quintum libri ſexti Euclidis, quæ Savilius ipſe inter propoſitiones demonſtrabiles rectius referri in ſuis Lectionibus judicaverat. Repetuntur etiam in hoc volumine, quæ de Tangentibus ducendis, de quadratura Hyperbolæ, de æſtu maris, & aliis olim ab ipſo Walliſio Transactionibus Anglicanis fuere inſerta; quibus immorari noſtrum non eſt, quemadmodum nec *Commercio Epiſtolico* (olim edito) quod Walliſio & Vice Comiti Brounkero cum Fermatio, Freniclio & Schotenio, ſed de quæſtionibus maxime numericis (ſubtiliſſimis tamen) interceſſit, nec *Trigonometriam* planam & ſphæricam a Dn. Joh. Caſwello eleganter delineatam, & quibusdam acutiſſimi Analytici Thomæ Bakeri jam defuncti propoſitionibus auctam, qua hoc quoque volumen finitur, fuſiore recenſione hic opus habere judicamus.

 JAC.

## *JAC. B. OBSERVATIUNCULA AD EA, QUÆ NUPERO menſe Novembri de Dimenſionibus Curvarum publicata leguntur Auctore D. T.*

PRæclara ſunt, & e maxime deſideratis illa, quæ hic promiſit Nobiliſsimus D. T, atque ſi ullatenus præſtari poſſunt, ab ejus certe ingenio expectanda erunt. Optandum tantum eſſet, ut cum de excellentia Methodi, quam tegere voluit, per exempla nobis judicandum ſit, talia ſelegiſſet, quæ haud facile aliunde ſolvi poſſent, aut aliis exceptionibus obnoxia forent; qualia num iſta ſint, quæ dedit Vir eximius, paucis examinandi veniam ab ipſo flagitamus. Primo, quod de Spatio elliptico nos docet in fig. 1, nulla ſingulari methodo videtur indiguiſſe, cum ex natura Ellipſis ſimplici proportione concludatur; juncta enim CH & producta GH donec ipſi CF occurrat in I, quoniam ubique IH eſt ad IG, ſicut CD eſt ad CE, erunt tum ſpatia IHDC, IGEC, tum Triangula IHC, IGC, tum his ablatis ſectores CHD (ſive $\frac{1}{2}$ CD in DH) & CGE, ut CD & CE, hoc eſt, erit CE in DH = 2CGE. Et patet generaliter, quod ſi loco circuli & ellipſis ſubſtituantur quævis aliæ curvæ *ejusdem generis*, hoc eſt, quæ habeant applicatas IH, IG in conſtante ratione, fore in eadem illa ratione etiam ſectores CHD & CGE. Quod deinde proprietatem ſpectat, quam focis curvarum per fila deſcriptarum attribuit fig. 2, omnibus illa indifferenter punctis eſt communis, & ex generaliſſima centri gravitatis natura manat; ſumptis etenim in quacunque curva quibuscunque & quotcunque punctis A, B, C, D, eorumque centro gravitatis E, ſemper vel ſumma trilineorum AFG, BFG, CFG, DFG; vel (ſi punctorum nonnulla ad convexas curvæ partes aſſumantur) differentia trilineorum quæ ab una, & eorum quæ ab altera parte ſunt, trilinei EFG totuplex erit, quot aſſumta puncta fuerint. Sed & præter punctum E infinita alia puncta idem præſtant, quæ in axe aliquo æquilibrii per E tranſeunte exiſtunt. Conſiderationem igitur focorum nihil hic ad rem facere apparet. Quod porro aſſeritur de portionibus Parabolarum communem focum habentium fig. 3, etiam procedit cum diverſos habent, modo punctum C, e quo recta CE educenda eſt, tale aſſumatur, ut ipſa CA, CB, ſint in ratione parametrorum; at nihil hic peculiare tribui video parabolis, quod non idem quoque valeat de omnibus *ejusdem ſpeciei* curvis, hoc eſt, curvis ſimilibus

& circa

& circa communes axes, focos, centra, aliave puncta ſimilia ſimiliter conſtitutis; puta, ſi curvæ AE, BD, forent duæ Ellipſes vel Hyperbolæ ſimiles circa eundem axem AC, & communem focum ſeu centrum aliudve punctum ſimile C ſimiliter conſtitutæ, ſemper eſſent abſciſſæ portiones curvarum AE, BD, in ratione rectarum ſimilium abſcindentium AC, BC, vel CE, CD, utræque nimirum in ratione conſtante: quorſum applicari poſſunt ea, quæ jam anno 1692, m. Majo ad ſpiram mirabilem de triangulo circa angulum (hic infinite parvum ECD) rotato & proportionaliter fluente in genere dicta ſunt. Quod denique ſubjungit nobiliſſimus Auctor de aſſignandis in Parabola portionibus datam ad invicem rationem habentibus, fig. 4, id rogo ut revideat; deprehendet enim rem aliter ſe habere, atque in locis a vertice A tantillo remotioribus portionem CD ad EF ſemper minorem obtinere rationem, quam GH ad IK. Quorum omnium ingenioſisſimum Auctorem non ideo commonefacimus, ut præſtantisſima ejus inventa, quibus ipſi plenam fidem adhibemus, ullatenus ſuſpecta reddamus, ſed illum invitemus potius, ut vel ipſam ſuam methodum præclarisſimam nobiscum communicare dignetur, vel ſi hanc diutius nos latere cupit, ſelectioribus ſaltem ſpeciminibus eandem nobis comprobet. Quibus ſi addere velit nonnulla methodum tangentium inverſam concernentia, tentare poterit tum Problema præteriti Decembris, cujus & ego ſolutionem dabo proxime, tum alia hinc inde in Actis occurrentia, quæ nondum ſolutionem acceperunt, ipſique adeo uberem materiam publico gratificandi ſuppeditabunt.

## *EJUSDEM CONSTRUCTIO GENERALIS OMNIUM Curvarum transcendentium ope ſimplicioris Tractoriæ & Logarithmicæ.*

METhodus Tangentium inverſa, in qua dubio procul ſummus Geometriæ apex conſiſtit, tribus potiſſimum partibus abſolvitur; quarum prima verſatur in reducendis differentialibus altiorum generum (ſeu differentio-differentialibus) ad differentialia primi generis; altera in ſeparandis literis indeterminatis cum ſuis differentialibus a ſe invicem; & tertia in conſtruendis æquationibus hoc modo reductis. In ſingulis perficiendis varie huc usque occupati fuimus, quotquot promotioni

hujus ſcientiæ operam noſtram addiximus. Ad primam inter alia pertinet Theorema de radiis circulorum oſculantium, cujus nupero Dec. p. 538 mentionem injeci, quodque in ſecundis differentiis ad primas reducendis uſum habere dixi, ut ſuo tempore uberius explicabo. Ad ſecundam ſpectat, quod ibidem ad calcem meditationis ſubjunxi Problema, cujus ſolutionem, ni alius quispiam interea me prævenerit, brevi quoq; exhibebo. Reſtat tertia Methodi pars, de qua nobis impræſentiarum ſpecialius agendum eſt, & quæ conſtructiones curvarum transcendentium concernit. Omnes conſtruendi modi, quorum hucusque ſpecimina in Actis comparuerunt, ad duo vulgo nota genera revocari poſſunt, fiuntque vel per motum continuum eumque ſeu naturalem ſeu artificialem, vel per inventionem plurium punctorum. Motum naturalem voco, quem natura ipſa ſibi relicta ſponte producit: artificialem quem inſuper ars moderatur. Ad illum refero conſtructiones ſuper. Dec. p. 551, 552 memoratas, quæ fierent per elaſtra vel funes debita conditione imbutos: ad hunc, quæ per tractiones, qualem non ſine intelligentium approbatione dedit ingenioſiſſimus Dn. Leibnitius m. Sept. 1693. Conſtructiones, quæ punctorum inventione abſolvuntur, fiunt vel per quadraturas, quæ non ita pridem ſolæ in uſu fuerant: vel per rectificationes curvarum algebraicarum, quo pacto puncta Catenariæ per Curvam Parabolicam & Iſochronæ per Lemniſcatam determinantur: vel deniq; per coordinatas aliarum Transcendentium ſed deſcriptu faciliorum, veluti præfatus Cel. Leibnitius puncta Catenariæ reperire docuit per Logarithmicam. De quibus breviter hæc teneantur; quod conſtructiones curvarum per motum ſive naturalem ſive arte temperatum productæ procul dubio omnium forent optimæ, ſi facili aliquo mechaniſmo in effectum deduci poſſent; ſed cum illæ tales conditiones prærequirant in materia, quas ei introducere æque vel fortaſſe magis arduum eſt; hæ motum depoſcant ita compoſitum & implicatum, qui in praxi difficulter ſuccedat; neceſſitas omnino cogere videtur, ut in curvarum transcendentium non ſecus ac in algebraicarum altiorum delineationibus ſola punctorum inventione acquieſcamus. Ubi quidem quadraturæ, cum ad praxin æque inidoneæ ſint, jam fere exoleverunt, iisq; merito præferuntur conſtructiones, quæ fiunt per logarithmicam, lineam ſinuum, aut ſimiles, vel etiam per rectificationes curvarum algebraicarum, ſicubi haberi poſſunt, quoniam dubium

TAB. V. ad A. 1696. pag. 263. ſqq.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 1.




Fig. 4.




Fig. 5.




Fig. 6.




Fig. 7.








Fig. 8.


Fig. 10.


Fig. 9.


Fig. 12.


Fig. 11.

bium eſt, an ſemper inveniri poſſint, nec ſi poſſunt, univerſalis regula iis inveniendis præſcribi queat; jure deſiderari poteſt adhuc methodus, qua puncta curvarum ſemper & ubiq; facili & ad uſum accommodata operatione inveniantur. Oſtendam igitur hic modum, quo hoc conſequi poſſumus ope unius Logarithmicæ & cujusdam Tractoriæ motu ſimplici facillimoque deſcribendæ. Quemadmodum enim puncta algebraicarum determinantur per interſectiones duarum aliarum algebraicarum deſcriptu faciliorum: ita quoque puncta mechanicarum reperiri debere conſentaneum puto.

Si propoſita ſit æquatio ady = tdx, ubi t dari intelligitur per x, (ad hanc enim formam facta ſeparatione indeterminatarum omnes reducuntur) ducantur in plano aliquo horizontali duæ rectæ parallelæ AB, CD, in diſtantia arbitraria AC, interque illas ſtatuatur curva algebraica FK talis, ut exiſtente AE vel BE = x, EF quarta ſit proportionalis ad t, a, & duplam ſubtangentem Logarithmicæ, qua hic uti voluerimus: tum ſumto filo FGH longitudinis AC deſcribatur Tractoria Curva HI ope normæ DGF propellentis extremitatem fili F ſuper curva KF, eo modo, quo id m. Jun. 1693, p. 255 explicatum fuit. Deinde, trajecta indefinite per rectas AB & CD perpendiculari GE, centro G radio EF arcus deſcribatur ſecans Tractoriam in H; unde demittatur in CD normalis HD, ac jungatur GH: quo facto tum aggregatum rectarum GH & GD tum earundem differentia applicentur Logarithmicæ, eritque axis portio, quæ applicatis intercipitur, = quæſitæ y, cui proinde ſi ſtatuatur in E æqualis EL, atque hoc ubique fiat, habebitur per puncta ſic deſcripta optata Curva LM. Nota, ſi æquatio fuerit rdy = tdx, & r etiam indeterminata ſit, ſed data per y, conſtructio nihilo difficilior evadit; poſito enim rdy = adz = tdx, conſtat ex præcedente conſtructione, inveniri poſſe relationem inter x & z, itemque inter y & z, quare etiam inter x & y innoteſcet. Patet autem etiam ex allatis, quod ſi data ſit relatio trium linearum CG, GH & GD (quod contingit, quandocunq; Tractoria HI eſt ex numero algebraicarum) Curva LM poſſit conſtrui per ſolam Logarithmicam ſine adjumento alterius mechanicæ; unde novum criterium pro dignoſcendis curvis hoc modo conſtruibilibus reſultat, quod Lectores noſtri cum olim exhibito conferre poſſunt. TAB. V. Fig. 1.

*SUPPLE-*

## *JOH. BERNOULLI SUPPLEMENTUM DEFECTUS GEOMEtriæ Carteſianæ circa Inventionem Locorum. Annotata quædam in Schediaſmata Leibnitianum & Tſchirnhauſianum in ultimo Actorum Novemb. edita. De Complanatione ſuperficierum Conoidearum & Sphæroidearum. Problema novum Mathematicis propoſitum.*

Quantum Geometriæ incrementum acceſſerit, ex quo variæ infinitorum Methodi, inter quas Differentialis Calculus nemine invidente primas tenebit, inclaruerunt, mille inventorum exempla comprobant, quæ, ſi verum dicere fas eſt, noſtro hoc ævo, ut ſuperiora taceam, etiamnum pro deſperatis habebantur; quemadmodum ex plurimis modernorum Mathematicorum ſcriptis conjicere licet. Non quidem deſunt, qui meliora non edocti audacter nimis aſſerunt, nihil eſſe in tota matheſi pro quo communis Geometria a Carteſio aliisque tradita non ſufficiat. Alii paulo æquioris judicii ab ea *infiniti* tantum conſiderationem excludunt, & hac in parte ejus imbecillitatem lubenter agnoſcunt, admittentes interim indiſcriminatim omnia quæ circa finitas & ordinarias quantitates verſantur. Sed quid ſi oſtendam, etiam hic multa deſiderari, quæ vulgarem Geometriam mirum quantum imperfectam relinquunt?

Notum eſt, potiſſimam Carteſianæ partem conſcriptam eſſe pro inveniendis locis & natura curvarum, tanquam materia in Geometricis ſummi momenti: Notum vero etiam eſt, quod methodus Auctoris ſemper ſupponat, certam quandam dari relationem punctorum in curva ad puncta in recta poſitione data quam axem vocat, pro qua relatione invenit æquationem algebraicam, unde curvæ naturam & conſtructionem determinat. Verum ſi ex ſola mutua relatione ipſorummet curvæ punctorum (nullis aliis conſideratis vel datis) natura vel conſtructio curvæ eruenda ſit, non video qua ratione id obtinere liceat per regulas Carteſii. Nec etiam methodus infiniteſimalis ibi quicquam præſtare poterit. Non itaque ingratum Geometris fore puto, ſi novam pro his & ſimilibus mihi repertam eſſe, per ſolutionem unius vel alterius exempli oſtendero.

Primum

Primum quod huic meditationi anſam dedit, erat decantatiſſima illa proprietas circuli demonſtrata prop. 35 & 36 lib. 3 Euclid. *Quod omnis recta per punctum datum ducta & a circumferentia circuli terminata habeat rectangulum ſegmentorum dato conſtanti æquale.* Quis eſt qui non ſtatim pronuntiaret, hanc proprietatem eſſe circulo eſſentialem, & concluderet reciproce: *Ergo curva faciens rectangulum ſub ſegmentis cujusvis rectæ per punctum datum ductæ dato æquale, eſt peripheria circuli.* Ego vero contrarium ſtatuo, & dico ſic argumentantem enormiter hallucinari, utpote reperiens, quod infinita dentur genera curvarum, quæ non minus quam circumferentia circuli dicta proprietate gaudeant, cum hoc ſolo diſcrimine, quod in hac ob ſimilitudinem partium ſuarum punctum datum ubivis, in cæteris vero certo tantum loco poſſit ſumi. Quod ut clarius explicem, ſuppono, me hucuſque ignorare, quod ſit circulus, cui iſta proprietas conveniat, ſed mihi problematice proponi: *Invenire & conſtruere curvam A B C (vid. Fig. 2) ita ut ex puncto dato D ducta quævis recta DEC, ſecante curvam in punctis E & C, rectangulum ſub ſegmentis DE & DC ſit ſemper æquale eidem conſtanti dato.* TAB. V. Fig. 2. Cui problemati, ut jam dixi, infinitis modis ſatisfieri poteſt; ducta enim utcunque recta DAG pro diametro in qua abſciſſa DF & ad hanc ordinatim applicata in quocunque angulo BF; aſſumatur quædam recta pro unitate, junctaque DB: vocetur DB, x & BF, y; Dico ſi fiat $y = ax^{\alpha} + ax^{2-\alpha}$, vel $y = ax^{\alpha} + ax^{2-\alpha} + bx^{\beta} + bx^{2-\beta}$, vel $y = ax^{\alpha} + ax^{2-\alpha} + bx^{\beta} + bx^{2-\beta} + cx^{\gamma} + cx^{2-\gamma}$, vel y = quantitati hoc modo quousque libuerit continuatæ, fore ſemper punctum B in curva ABC quæ quæritur. Ubi notandum, quod coëfficientes a, b, c, &c. ut & poteſtates $\alpha, \beta, \gamma$ &c. ſint conſtantes & arbitrariæ, affirmativæ ſive negativæ; unde pateſcit, curvam ABC non ſolum quoad dimenſionem variare in infinitum, ſed etiam poſſe fieri tranſcendentem, ſi pro $\alpha, \beta, \gamma$, &c. ſumantur numeri rationales. Quod ſi eligamus æquationem ſimpliciſſimam faciendo nempe $y = ax^{\alpha} + ax^{2-\alpha}$ & ponendo $\alpha = o$, habebimus $y = axx + a$ vel ſuppletis homogeneis per quadratum unitatis, quod ſit an;

erit $ny = xx + an$, quæ æquatio, ſi examinetur, videbitur eſſe ad circulum; adeo ut nunc ſatis liqueat, quod aſſerui, præter circulum, qui generaliſſimæ noſtræ ſolutionis ſpecialiſſimus exiſtit caſus, innumeras alias altiorum graduum curvas conſtrui poſſe, quibus æqualitas rectangulorum ſub ſegmentis competit.

Sed nunc ad illud progredior non minus curioſum: *Quæritur curva FHG* (vid. Fig. 3.) *ita ut ducta quavis recta GFB ad poſitione datam DC in angulo dato, rectangulum ſub ſegmentis BG & BF ſit ſemper æquale conſtanti dato.* Ex conicis patet, hyperbolam reſpondere quæſito, ſed præter illam, ſequentes infinitas curvas habe: Sumta quadam recta pro unitate, ſit DC, y & CE, x; & facias $y = ax^{\alpha} + ax^{-\alpha}$, vel $y = ax^{\alpha} + ax^{-\alpha} + bx^{\beta} + bx^{-\beta}$ vel $y = ax^{\alpha} + ax^{-\alpha} + bx^{\beta} + bx^{-\beta} + cx^{\gamma} + cx^{-\gamma}$, vel $y =$ quantitati hoc modo ad lubitum continuatæ; atque ſic obtinebis ſolutiones infinitas. Hinc ſumta æquatione ſimpliciſſima $y = ax^{\alpha} + ax^{-\alpha}$, & poſito $\alpha = 1$ prodibit æquatio $xy = axx + a$ pro hyperbola, quæ ut circulus in ſuperiori exemplo ſimpliciſſimi gradus eſt omnium reliquarum.

TAB. V. Fig. 3.

Sed ne nimis prolixus ſim in exemplis, quorum duo jam prolata probitatem methodi ſatis ſuperque manifeſtant, tranſeo tandem ad problema, quod olim mihi, ſi bene memini, aliquis non infimæ notæ Geometra propoſuerat; erat autem tale. *Quæritur qualis ſit curva ABCDE* (vid. Fig. 4.) *ita ut ducta per verticem A tangente AC, & alia utcunque ſecante curvam in punctis B & D, ſumma ſegmentorum DA & BA ſit ubique dupla ipſius tangentis AC. Sol.* Accepta quadam AE pro unitate, ex qua abſcindatur indeterminata AF, & ad AE, AF tertia proportionalis AG; Fiat ut AE ad AF ſic FG ad quartam HD, quæ erigatur perpendiculariter ſuper AE, ita ut ſit ſinus arcus FD centro A & radio AF deſcripti, erit punctum D in curva optata. Vel ſi mavis expreſſionem literalem, idem infinitis ſolutionibus præſtari poteſt, ſi fiat (poſitis $AE = 1$, AF vel $AD = x$, $DH = y$) $y = x . \overline{x - xx}^{n}$, ubi n numerum quemvis conſtantem denotat.

Fig. 4.

Si qui

Si qui alii in hiſce ſuarum methodorum vires experiri velint, quærant (Fig. 2.) curvam ABC, ejus proprietatis, ut ducta a puncto dato D recta utcunque DEC, ſolidum ſub uno ſegmento DC & quadrato alterius DE, vel (Fig. 3.) ſolidum ſub uno ſegmento GB & quadrato alterius FB ſit conſtanti dato æquale.

Cum hæc meditarer, accepi cum aliis ultimum horum Actorum Novembrem, ubi non ſine magno delectamento legi, quæ Illuſtre virorum par Leibnitius & Tſchirnhauſius publico impertierunt. Et quidem utrique vidi novum meum theorema menſi Aug. ſuperioris anni inſertum anſam ſuppeditaſſe, ut nova novis augerent: Celeb. Leibnitio perbene notante, differentiam vel ſummam rectangulorum curvilineorum & æquealtorum una evolutione condeſcriptorum æquari ſpatio circulari. Quæ inſuper habet de rectangulis curvilineis & de curvis parallelis, pro more ejus ingenioſe excogitata ſunt. Omnino mihi placet ejus conſtructio ducendarum parallelarum non adhibita evolutione, quam etiam, contra ac ipſe ſentit, præfero alteri illi per evolutionem factæ; tum quod facilius circulus conſtruatur quam evoluta, tum etiam quod per rotationem non minus quam per evolutionem parallela per punctum datum duci poſſit, ſi modo radius circuli fiat æqualis perpendiculari ex puncto dato ad curvam ductæ.

Quæ Nob. Tſchirnhauſius ex contemplatione focorum in curvis nobis dedit, ſatis oſtendunt, quantum hæc materia mereatur ut diligentius tractetur; fateor enim ſtupenda theoremata, & veritates alioquin indaginis abſtruſiſſimæ nullo interdum aut levi negotio inde erui. Interim non perſpicio, quomodo per aliam evolutionem quam Hugenianam theorema meum de condeſcriptarum dimenſione demonſtrari, nedum ejus doctrina amplificari poſſit, cum in demonſtratione neceſſario reſpiciendum ſit ad normalitatem radii evolventis ad curvam, quæ normalitas in ſola evolutione Hugeniana contingit. Adde quod Vir acutiſſimus nondum docuerit modum generalem deſcribendi curvam quamlibet per focos ſimplices non lineares, quem ſi premit, rogandus eſt, ut communi bono illum in lucem emittat, eumq; ex. gr. parabolæ cubicali per focos deſcribendæ applicet. Ardenter quoque deſideramus publicationem methodi univerſalis, cujus ſe compotem dicit art. III, *In qualibet curva, data portione ejusdem, aliam*

*ſemper aſſignandi, quæ datam rationem ad priorem obtinet.* Quinimo totum Mathematicorum Orbem ſibi obſtringet & æternam laudem merebitur, ſi dabit demonſtrationem ſpeciminis quod ibidem exhibuit pro aſſignandis in curva parabolica portionibus in data ratione. Miror Celeb. Auctorem pro perſpicacitate ſua non animadvertiſſe, quod hoc ſpecimen longe plus in receſſu habeat quam apparet. Det enim mihi demonſtrationem conſtructionis ſuæ, & ego ipſi dabo quadraturam hyperbolæ, & proinde rectificationem curvæ parabolicæ Geometricam, in qua indaganda omnes, quotquot extiterunt Mathematici, hactenus fruſtra deſudarunt.

Cætera, quæ Nob. Tſchirnhauſius in dicto ſchediasmate profert, pereximia ſunt. Præprimis art. I notatu digniſſima eſt reductio ſectorum ellipticorum ad ſectores circulares, ex qua commode deducit diviſionem ſpatii elliptici in partes æquales, quamvis alias ſector ellipticus & hyperbolicus commodiſſime bifariam dividatur, biſecando tantum ſubtenſam arcus ſectoris per rectam e centro eductam. Obſervo inſuper, conſtructionem Viri Nobiliſſimi etiam locum habere, ſi pro radio circumferentiæ BFD (vid. Fig. I Auct.) ſumatur major ellipſeos diameter, id eſt, quando ellipſis AFE cadit intra circulum BFD: Dico enim etiam tunc rectangulum ex recta AE in arcum circularem HD eſſe ſemper quadruplum ſectoris elliptici CGE. Mirari hic ſubit, quod pro menſuranda hyperbolæ area velit adhibere arcum curvæ mechanicæ, cum tamen id fieri queat commodiſſime ex ductu rectæ conſtantis in arcum curvæ Geometricæ, nempe parabolæ, ceu notum eſt.

In fine articuli primi elegans habetur theorema, quod tamen meo judicio non fluit ex natura focorum, quoniam longe univerſalius eſt, quam Celeb. Auctor illud proponit, ſeſe extendens ad omnes curvas, ſive ſint per focos, ſive aliter, quomodocunque, & ſi vis, libera manu deſcriptæ. Sit enim Curva quæcunque FG (vid. Fig. II Auct.) ſitque E centrum gravitatis quodcunque punctorum A, B, C, D, ad arbitrium ſumtorum, ſi ex ſingulis hiſce punctis ducantur rectæ ad duo quælibet puncta curvæ F & G, erit ſumma ſectorum AFG, BFG, CFG, DFG ad ſectorem EFG ut numerus punctorum ad unitatem.

Quod ſupereſt, non poſſum, quin hic ex occaſione utiliſſimi condeſcriptarum theorematis inſinuem, me poſſidere modum generalem

ralem complanandi ſuperficies omnes conoideas & ſphæroideas habenets axem ad baſin rectum, & ex illis abſcindendi portionem dato ſpatio ſive rectilineo ſive curvilineo æqualem, utrumque ope ſolius quadratricis vulgaris. Ubi monendum tamen eſt, quod in aliquibus, ut in ſphærica, conica, conoidea, parabolica aliisque abſolute & ſine quadratrice id præſtari poſſit. Hinc ænigma Florentinum non ſolum in ſuperficie ſphærica, ſed in quavis alia conoidea vel ſphæroidea nullo labore & diverſimode ſolvere licet. Hinc etiam emergit inſignis coni recti proprietas, quam quia a nemine hactenus animadverſam ſcio, huc refero: *Si ſuper baſi coni recti elevetur priſma rectum, habens pro baſi figuram quamcunque ſive rectilineam ſive curvilineam, abſcindet hoc priſma ex ſuperficie conica portionem, quæ erit ad baſin priſmatis, ut latus coni ad radium baſis coni.* Ex quo ultro patet, cuilibet ſpatio plano ſive quadrabili ſive non quadrabili poſſe ſumi abſolute ſpatium æquale ex ſuperficie coni recti, & viciſſim. Item omnis portio ſuperficiei conicæ rectæ terminata a tribus pluribusve hyperbolis in cono factis, quorum axes ſunt paralleli axi coni, eſt quadrabilis, utpote æqualis figuræ rectilineæ.

Problema novum ad cujus ſolutionem Mathematici invitantur.

*Datis in plano verticali duobus punctis A & B* (vid. Fig. 5) *aſſignare Mobili M, viam AMB, per quam gravitate ſua deſcendens & moveri incipiens a puncto A, breviſſimo tempore perveniat ad alterum punctum B.* TAB. V. Fig. 5.

Ut harum rerum amatores inſtigentur & propenſiori animo ferantur ad tentamen hujus problematis, ſciant non conſiſtere in nuda ſpeculatione, ut quidem videtur, ac ſi nullum haberet uſum; habet enim maximum etiam in aliis ſcientiis quam in mechanicis, quod nemo facile crediderit. Interim (ut forte quorundam præcipiti judicio obviam eam) quanquam recta AB ſit breviſſima inter terminos A & B, non tamen illa breviſſimo tempore percurritur; ſed eſt curva AMB Geometris notiſſima, quam ego nominabo, ſi elapſo hoc anno nemo alius eam nominaverit.

## *JOHANNIS GAUBII EPISTOLÆ PROBLEMATICÆ TRES AD Virum clariſſimum FREDERICUM RUYSCHIUM M. D. Anatomiæ ac Botanices Profeſſorem, una cum hujus totidem Reſponſionibus,*

Amſtelodami apud Joannem Wolters, A. 1696 in 4.
Conſtant plagulis 6. & figurarum tabulis 3.

SI Bilſii corpora condiendi ratio vel ex eo tantam celebritatem obtinuit, quod ſpecimen ejus ipſis diebus canicularibus fuerit exhibitum, artificium certe, quo Nobiliſſimus *Ruyſchius* ultra biennium cadavera humana conſervavit, conſervataque anno ſuperiori cum publice Sirio æſtuante, tum privatim demonſtravit, tanto majoris habebitur, quanto præclariora ſimul ejus beneficio in lucem protracta fuerunt. Ex his quippe uti nonnulla in epiſtolis ſuis a Præſtantiſſimo *Gaubio* inſigniter celebrantur, eorumq; explanatio uberior a Celeberrimo *Ruyſchio* efflagitatur: ita talia ſolis e reſponſionibus hujus doctiſſimis intelliguntur promtiſſime. In *Reſponſione* nempe *prima* Experientiſſimus Ruyſchius quatuor quæſtiones enodaturus, primum radices pilorum non ſemper e glandulis cutaneis emergere indigitat, dum in ſcroto vaginulas pilorum plurimas tam productiores glandulis, quam glandulis plane deſtitutas, prout in *Fig. 6. lit. A. & B* exprimitur, ad oculum oſtenderit, ac deſuper in locis aliis ultra cutim e pinguedine quaſi ipſa pilos enaſci viderit. Hinc ſcrotum publice prolatum hominis perfecte ſani nec teſticulis viduati extitiſſe affirmat, in cujus licet parte tantum ſuperiori, ſecundum *Fig. 6. & 7. lit. C. & E.* pinguedo apparuerit, taliſque in obeſis non raro ibi deprehendatur, interiorem tamen ſcroti partem ad pinguedinem recipiendam apprime diſpoſitam eſſe, quia ſub cute ejus æque ac in aliis corporis partibus membrana adipoſa delitescat, quæ non modo fibris carneis intertextis in *Fig. 8. lit. G.* adumbratis, ſed & cellulis adipoſis gaudeat, in eunuchis frequenter pinguedine undiquaq; infarctis, in aliis vero ita ſibi invicem incumbentibus, ut non niſi in membrana inflata, exſiccata, & in lamellas diſſecta cellulæ dictæ, *Fig. 8. lit. H.* ſignatæ, in conſpectum veniant. Tum ſeptum ſcroti ab aliis hactenus neglectum, in *Figura* autem *6. lit. D.* nota-

TAB. V. Fig. 6. & ſeqq.

D. notatum, vaſisque ſanguifluis innumeris juxta *Fig. 7. lit F.* perfuſum, quo perſpicue demonſtrari queat, ſcrotum unice inflare arte & exſiccare jubet. Corporis denique reticularis atque papillarum pyramidalium, quæ Malpighio debentur, ac in vulgari diſſecandi modo vix patefiunt, delineationem veram microſcopio viſam in *Fig. 9 & 10* ſiſtit; quemadmodum easdem particulas magnitudine duplo circiter majores in *Fig. 11. & 12.* depingit. Aſt in *altera Reſponſione* artem, qua ſcrotum, rugis naturalibus linea longitudinali media deletis, ſub amplitudine & colore naturalibus ita ſibi præparare ac indurare licet, ut vaſorum reptatus diſtinctius longe quam in corpore vivo aut recens defuncto pateſcat, & in qua acquirenda ultra triginta & quatuor annos deſudavit, communicare renuit; arteriarum nihilominus anterioris partis ſcroti, ut & coſtarum perioſtii & pleuræ, item mammariarum internarum atque pericardii & mediaſtini, delineationes exactas promte offert, vaſorum intercoſtalium trunculos neutiquam pleuræ ejusve duplicaturæ, ſed coſtarum perioſtio inhærere ſimulq; amuſculorum intercoſtalium tendinibus muniri, ſurculos vero vaſorum mammariorum internorum per utrumque cartilaginum coſtarum marginem inordinato ſæpe curſu diſtribui annotans. Tandem in *Reſponſione tertia* & ultima arteriarum per cordis humani ſubſtantiam ejusq; auriculas, nec non tunicas aortæ, diramationem figuris accuratis illuſtratam pertractat, truncosque aortæ vulgo duos minus recte conſtitui obſervat; poſtquam inventionem egregii illius artificii, quo cadavera ab omnibus rugis præternaturalibus immunia ſucceſſu temporis ſaturatiorem rubedinem præ ſe ferunt, cujusque adminiculo quælibet corporis vaſa ſanguifera, præſertim arterioſa, juſta ſanguinis quantitate referta & indurata, etiam ea, quæ per tunicam oſſiculorum auditus ſparguntur, exhiberi, juxtimq; ipſi lymphæ ductus, una cum particulis ſubtiliſſimis atque arteriarum extremitatibus non ubivis ejusdem conſtitutionis, vera itidem glandularum conglobatarum textura & vaſculis palpebrarum tenuiſſimis detegi valent, ſibi ſuoque filio vindicavit.

*Explanatio Figurarum.*

Figura, nobis quidem in Tabula noſtra, ſexta, Auctori vero prima, Scrotum humanum poſt inflationem exſiccationemque parte ſuperiore apertum, indigitat.

A.A. Va-

A. A. Vaginulæ & radices pilorum, glandulis cutaneis productiores.
B. Vaginulæ & radices pilorum glandulis cutaneis privæ.
C. Pinguedo in parte ſuperiore ſcroti.
D. Septum, ſcrotum in duas partes dirimens.

Fig. 7.

Septum ſupradictum vaſis ſanguineis innumeris ditatum & exſiccatum repræſentat.

E. Pinguedo in cellulis coërcita.
F. Vaſa ſanguifera per ſeptum diſperſa.

Fig. 8.

Faciem interiorem lamellæ dicti ſcroti exſiccati denotat.

G. Fibras carneas demonſtrat.
H. Cellulas adipoſas flatu extenſas.
I. Duplicitatem lamellæ.

Fig. 9.

Corpus reticulare Malpighii, ſub cuticula locatum, microſcopio viſum.

Fig. 10.

Agmen proceſſuum papillarium cuti inhærentium, microſcopio viſum.

Fig. 11.

Dictum corpus reticulare naturali magnitudine duplo majus.

Fig. 12.

Agmen proceſſuum papillarium naturalem magnitudinem bis ſuperans.

## DE L' INCREDULITE' &c. PAR JEAN LE CLERC.

i. e.

*TRACTATUS DE INCREDULITATE, IN QUO CAUSÆ RAtionesque generales, quæ ad rejiciendam Religionem Chriſtianam Incredulos commovent, examinantur: nec non Epiſtolæ duæ, quibus veritas illius directe comprobatur. Autore* Johanne Clerico.

Amſtelodami apud H. Wetſtein, 1696, in 8. Alph. 1. plag. 1.

EO prolapſa eſt ſeculi noſtri impietas, ut ipſis Chriſtianis, ſaltem qui hoc nomine ſuperbiunt, Chriſtianæ religionis veritatem in dubium & ſub

&ſub examen vocare pudori non ſit. Non enim cum Turcis, cum Judæis aut aliis, quibus Chriſtianæ doctrinæ capita non innotuerunt, ſibi rem eſſe fatetur *Johannes Clericus*, qui nunc poſt tot clariſſimos doctrinæ cœleſtis propugnatores in hocce certamen deſcendit: ſed cum iis, qui Chriſtiani audiunt, nec tamen doctrinæ, qua Chriſtianus orbis perſonat, fidem adhibent. Cum hiſce autem ita congreditur, ut non tam veritatem doctrinæ Chriſtianæ demonſtret (id enim breviſſimis & paucis, quod ajunt, lineis executus eſt in Epiſtolis huic libello additis) quam ut primo inquirat in ipſas rationes, arcanas licet & abſtruſas, quæ impios homines ad fidem doctrinæ Chriſtianæ denegandam impellunt, & deinde obſtacula, quæ ab aliis illis objiciuntur, eosque in errorem aut inducunt, aut certe inductos confirmant, indicet removeatque.

Primo ergo aſſerit, nefas eſſe doctrinæ Chriſtianæ ideo non adhibere fidem, quod cum hominum ad certa vitia inclinatione & pronitate pugnet. Nimirum nemo fere mortalium vivit, qui non ad ambitionem, aut avaritiam, aut voluptatem, aut alia vitia proclivis ſit & rapiatur. Hinc vero menti ejus tanta offunditur caligo, ut nonniſi id verum putet, quod cum ſua ad hæc vitia pronitate convenit; quod vero cum ea pugnat, ut falſum rejiciat. Jam vero cum ea Chriſtianæ doctrinæ pars, quæ mores hominum fingit, accuratiſſima longe ſit & cunctis vitiis bellum indicat, fieri ſecus non poteſt, quam ut multi homines cum ſua inclinatione eam pugnare deprehendant. Qui ergo eam ideo falſam eſſe judicant, turpiter ſane errant, cum facile demonſtrari poſſit, hanc ipſam inclinationem, quæ homines ut rejiciant religionem Chriſtianam commovet, rectæ rationi e diametro adverſari. Hæc inde quoque conſtare Autor ait, quod cum ipſe Chriſtus Servator & Apoſtoli cœleſtem doctrinam hominibus annunciarent, paucos admodum, qui in dignitate erant conſtituti, dictis ſuis habuerint audientes. Et hodie quoque pleroſque, qui magnis honorum titulis fulgent, non credentium turbæ eſſe annumerandos. Cujus rei non aliam cauſam eſſe putat, quam quod Chriſtiana doctrina horum ad ambitionem propenſioni parum conveniat. Fruſtra vero hoſce omnes eſſe porro contendit, dum aſſerunt ſe Chriſtianæ doctrinæ non ideo refragari, quod morum ſanctitatem ac integritatem ab omnibus exigat, ſed quod talia proponat quæ cum ratione ſana pugnent. Hæc quippe Part. I. c. I.

non ſerio ab illis dici, ſed obtentui ſolum ſumi, inde intelligi poſſe, quod iidem non raro alia credant aut ſibi perſuaderi patiantur, quæ magis cum ratione pugnant, quam ullum doctrinæ cœleſtis caput.

Cap. II. Hiſce præmiſſis ad ſingula deſcendit, & inter vitia quæ homines ad denegandam doctrinæ Chriſtianæ fidem impellunt, primum locum tribuit ambitioni. Sane ambitioſi hominis hæc eſt indoles, ut omnes, quos tantis naturæ dotibus inſtructos non videt, quantis ſe pollere putat, alto contemnat ſupercilio, & quicquid alii dicunt, hoc ſibi ſordere haud obſcure ſignificet. Cumque non raro contingat, ut multi decipiantur, dum id verum putant, quod vulgo verum eſſe creditur, ambitioſus tanto magis ſibi abblanditur, dum a vulgi opinione recedit, quanto dulcius eſt, Lucretio judice, ſapientum tenere templa, deſpicere unde queas alios, paſſimque videre errare, atque viam palantes quærere vitæ. Sed vero & tanto perículoſior eſt error, in quem ambitio homines præcipitat, eo quem multitudinis auctoritate ducti admittunt, quanto difficilius evellitur & eradicatur. Hæc omnia poſtquam prolixius deduxit Auctor, concludit ambitionis hunc eſſe effectum, ut alios inaudita velut cauſa damnet; unde non poſſit temere a ſua ſententia ejusmodi homo dimoveri. Idque eſſe ait, quod improbis toto die contingit. Se ſolos enim ſapere credunt, dum ſententiam vulgo receptam exuerunt. Ceterum duplici ratione dijudicari poſſe docet, an aliquis ambitione abreptus an vero rationum momentis convictus, ſententiam quandam rejiciat aut amplectatur. Primo cum ad judicium ferendum ruit, re nunquam ſatis aut explorata aut examinata: deinde cum quandam hypotheſin, nec adeo claram aut evidentem ut nos ad ſui aſſenſum trahat, nec ita etiam comparatam ut aliunde demonſtrari poſſit, pro principio firmo ac infallibili non tantum aſſumit, ſed & aliis obtrudit. Eſſe denique quosdam addit, qui & multitudinis auctoritate abripi turpe ducant, & eos improbent qui a vulgari doctrina recedentes nova principia ſtabilire nitantur: hinc de omnibus fere eos dubitare. Sed hiſce etiam hominibus ambitionem, licet alio habitu prodeuntem imponere, probat.

Cap. III. Secundum inter cauſas quæ homines, ne credant, impediunt locum juxta Clericum occupant præjudicatæ opiniones, non illæ quidem, quæ ex prava inſtitutione ceteroqüin oriuntur, ſed quas, illis depoſitis, ipſimet ſibi fabricant. Nimirum ſi quis ſectæ, in qua ab ineunte pue-

te pueritia vixit, quosdam errores detegat, nec tamen quid verum ſit perſpiciat, præcipiti impetu omnem religionem falſam eſſe inde concludit. Plerosq; homines impios ejusmodi præjudiciis circumſepta gerere pectora aſſerit Auctor, & exemplis comprobat. Sic dum miracula non admittunt, præjudicata hac opinione, nihil credendum eſſe, quod non aut ipſimet vidimus aut a teſtibus oculatis accepimus, judice Noſtro, laborant. Divinam vero revelationem ideo rejiciunt, quia non facta eſt eo modo, quo illam fieri debuiſſe ſibi perſuadent. Inepte quidem, ut prolixius Auctor oſtendit.

Accedere tertio ait, quod multi non poſſint rite ratiocinari. Cap. IV. Nec tantum Mahumedanorum, Barbararumque gentium & Judæorum mentes iſtam occupaſſe ſtupiditatem, ut argumentorum quantumvis luculentorum vim capere nequeant: ſed & inter Chriſtianos gentesque cultiſſimas haud exiguam eſſe illorum turbam, in quibus recte ratiocinandi facultatem merito requiras. Præterquam enim quod quidam per indolis atque naturæ ſuæ rationem ſtupidi ſunt; multi quoque ejusmodi laboribus ætatem occupant, qui omnem mentis vim obruunt & velut ſuffocant, ut adeo a brutorum conditione prope abeſſe videantur. Quin & qui in ſeculi hujus negotiis ſatis verſuti ſunt & callidi, iidem tamen, quoties ad alta mentem convertunt, mortalium ſunt ſtupidiſſimi mentisque lumine prorſus deſtituuntur. Cum vero & ambitio, & præjudicatæ opiniones, & aliæ errorum cauſæ ut plurimum concurrant, quid mirum, ſi quidam ita obbruteſcant, ut doctrinæ cœleſti fidem adhibere neſciant? Namque ſtatim faſtidio replentur, quoties de rebus divinis verba fieri audiunt. Talem Felicem Actor. XXIV, 25. commemoratum fuiſſe, autumat Auctor.

Multum quoque ad profanorum hominum impietatem confert ſupina iſta negligentia, qua nunquam in animum inducunt, de doctrinæ Chriſtianæ capitibus ſerio diſpicere. Cap. V. Circa ipſa naſcentis religionis Chriſtianæ incunabula plurimos hac ratione inductos ei non adhibuiſſe fidem, exemplis tum Judæorum tum Gentilium Auctor comprobat. Joſephus pariter ac Philo, Judæorum facile doctiſſimi, dum aut plane non, aut admodum jejune de doctrina Chriſtiana loquuntur, ſatis produnt, eam ſibi per negligentiam non ſatis fuiſſe cognitam. Hac occaſione rejicit illorum ſententiam, qui per Therapeutas Philonis Chriſtianos intelligunt. Locus ille celeberrimus Joſephi,

qui de Chriſto agit, an ab aliis inſertus ſit, non definit. Ethnicis idem contigiſſe, Taciti & Plinii exemplis comprobat. Hodie eodem veneno multos afflari, ex ipſa, ut putat, experientia conſtat. Quotusquisque enim eſt, qui non periiſſe fere illud tempus arbitratur, quod negotiis ſeculi ſubtrahitur, & erudiendis ad omnem pietatem animis impenditur? Cujus quidem negligentiæ cum plures cauſæ ſint, tum hanc non infimam eſſe cenſet, quod cum impii videant, credentium mores illorum doctrinæ non reſpondere, ſtatim concludant, ab omnibus perpetuam hiſtrioniam exerceri; hinc doctrinam non dignam eſſe cenſeant, in qua exquirenda & perſcrutanda multum temporis ponant. Sed eos ita rationes ſecum ſubducendo turpiter falli, id quidem eſt, quod pluribus Auctor demonſtrat.

Cap. VI. Prope ab iſta negligentia abeſt ignavia, vel quidam animi torpor, quem ultimo loco inter incredulitatis cauſas Auctor commemorat. Ea quippe mentis noſtræ in multis mortalium eſt indoles, ut vix excitetur, niſi ſenſus ipſos res quæ nobis affertur feriat, aut vehementiori quadam commotione affectus concitet. Hicce torpor, niſi mox excutiatur, vires indies ſumit, & ut Tacitus inquit, ſubit homines ipſius inertiæ dulcedo, & inviſa primo deſidia poſtremo amatur. Unde quidem contingit, ut omne iſtud, quod excutere hunc torporem videtur, nobis valde videatur moleſtum. Tali torpore conſopiti ſunt ut plurimum impii. Hinc tantum abeſt, ut doctrinam Chriſtianam admittere parati ſint, ut eam ſtatim, velut rem permoleſtam ſibi & ingratam, rejiciant & damnent. Exemplum præbent Judæi Theſſalonicenſes in Actis Apoſtol. cap. XVII, quibus opponuntur Berrhoenſes. Hodie quin ubique ingens horum hominum turba ſit, qui per huncce animi torporem, aut nullam amplectuntur religionem, aut eam quam falſam eſſe intelligunt, non exuunt, Auctor non dubitat. Oſtendit denique, quam ineptum ſit & periculoſum in re tanti momenti huic animi torpori & ignaviæ indulgere.

Part. II. cap. I. In altera Operis parte de illis obſtaculis, quæ aliunde impiis objiciuntur, Clericus diſpicit. Inter hæc agmen ducit illud, quod profani homines videant, pleroſq; Chriſtianos doctrinæ religionique ſuæ addictos eſſe, non quod a recta ratione veritatem ejus ſint edocti, ſed quod levi quadam credulitate ad hoc ferantur. Hinc ergo impiis occaſionem enaſci aſſerit, totam doctrinam cœleſtem ludibrio habendi.

Aſt ut

Aſt ut evincat, perperam eos agere, falſum eſſe ait, quod religio Chriſtiana ejusmodi credulitatem ab hominibus exigat. Fidem vero, quam requirit, longe aliud quid eſſe quam credulitatem. Ad illam enim accuratam rerum inquiſitionem requiri, unde cauſæ firmiſſimæ oriantur, quæ aſſenſum demum a nobis impetrent. Hinc non mirum eſſe, quod pauci admodum vera præditi ſint fide. Paucos enim in veritatem ita ut par eſt inquirere: pauciſſimos ſuis ad vitia propenſionibus in gratiam veritatis nuncium mittere paratos eſſe. Atque hæc ita ſe habere, Chriſti & Apoſtolorum exemplis probare annititur, quos talem fidem exegiſſe dicit, quæ certis & indubitatis rationibus inniteretur. Cum vero videat objici poſſe, homines ſimpliciores fidem tamen habere, licet in cauſas rerum penetrare nequeant, ut hinc ſe expediat, admodum operoſus eſt. Pleraque tamen huc redeunt, quod non temere aliquis adeo ſtupidus ſit, ut non præcipua argumenta, quibus Chriſtianæ religionis veritas innititur, aſſequi poſſit.

Præterea cum experientia proh dolor! doceat, apud pauciſſimos Chriſtianorum doctrinæ reſpondere mores, adeo quidem ut qui maximo ardore pro defendenda Chriſtianæ religionis veritate incenſi videntur, omnium minime ſanctiſſimas ejus præceptiones obſervent, novum hinc argumentum credere nolentibus ad ſuam impietatem aut defendendam aut excuſandam ſuppeditatur. Exiſtimant enim, Chriſtianis nihil aliud conſtitutum eſſe, quam religionis ſpecie & ſibi & aliis imponere. Ad hoc reſpondet, primo, multos omnino eſſe, qui religione Chriſtiana ut inſtrumento ſuis litandi cupiditatibus utantur, cum interim de veritate illius nullo modo perſuaſi ſint. Sed hoc hominum, non religionis vitium eſſe. Deinde regerit, ſæpius fieri, ut ſecus homines agant, quam agendum eſſe ſciant credantque. Unde fieri poſſe, ut nonnulli de veritate Chriſtianæ religionis perſuaſi ſint, & nihilo ſecius ejus præcepta migrent. Tandem & iſtud reponit, omnium confeſſione iniquum eſſe, leges civiles ideo malas vocare, quod male obſerventur. Ergo, inquit, religioni Chriſtianæ fraudi eſſe nequit, quod a ſuis ſectatoribus ſæpius violetur. Fatetur porro, ſæpius fieri, ut zelum ignorantia comitetur, quin ut quo craſſior ignorantia eſt, eo ardentiori zelo homines inflammentur. Sed vero cum & hoc ex ipſa Chriſtiana religione non fluat, ineptum profecto fuerit ei hoc imputare. Cap. II.

Cap. III. Non minus vero & inde profanorum hominum impius error & robur & incrementum accipit, quod videant pleroſque Chriſtianæ religioni addictos eſſe, pietatemque præ ſe ferre, eo quod ad cupiditates ſuas explendas, illorum interſit ut ita ſe gerant. Præcipue vero ſacri ordinis viros, quos tamen aliis præire exemplum decebat, non raro ita ſe gerere animadvertunt, ut voluptati, aut ambitioni, aut avaritiæ, aut alii vitio eos litare quivis facile intelligat. Accedere ait, quod poſtquam per varias artes munus ſuum adepti ſunt, ſtatim redarguere impios aggrediantur, cum ad nihil minus apti ſint, hiſce ſemper ſibi perſuadentibus, eos nunquam ſerio illud credere, quod ab aliis credi cupiunt. Hoc Damaſi Romani Epiſcopi exemplo, ab Ammiano Marcellino memorato, comprobat. Addit denique, quod in plериſque cum morum perverſitate magna Theologicarum rerum conjuncta ſit ignorantia. Hinc quidem & illud evenire autumat, quod diſſentientes nullo modo tolerare velint; quod non commiſſuri eſſent, ſi quid amor ſit, quem tantopere ſuis commendat Servator, intelligerent. Hi ergo cum impiorum oculis maxime expoſiti ſint, fieri temere ſecus non poſſe concludit, quam ut inviti quoque illorum impietatem alant foveantque. Nihilo ſecius perperam agere incredulos, dum pro impietate hinc argumentum capiunt, porro Auctor demonſtrat. Namque quod iſta Miniſtrorum vitia ipſi religioni tribui nequeant, vel inde conſtare putat, quod in prima Chriſtianæ Eccleſiæ origine longe alii horum hominum fuerint mores. Ecquid vero, inquit, Apoſtolos ad munus ſuum obeundum allicere poterat? Vincula credo, virgæ, ſupplicia, exilia, & ſumma, quam ſemper comitem habuere, paupertas. Equidem creſcente ſanctiori iſto hominum cœtu, qui doctrinam Evangelii amplectebantur, certi reditus iis, qui rebus ſacris operarentur, tributi ſunt: nec male ſane, judice Noſtro. Aſt quod hinc multi ad res ſacras tractandas animum adjiciant, ſolum ut iſtis reditibus ſibi frui liceat, id licet illorum pravitatem arguat, doctrinæ cœleſti neutiquam fraudi eſſe poteſt. Si qui ergo per varias artes in ſacrum munus ſe ingerunt, hi quidem fatente Auctore parum idonei ſunt ad impios redarguendos, ſed hoc illorum, non doctrinæ, quam profitentur, vitium eſt. Quemadmodum & ignorantia hiſce ſolis vitio verti poteſt. Hic vero iterum de tolerandis diſſentientibus Auctor diſſerit, & probare annititur, illos qui hodie ſecus ſentientes tolerare nolunt, ab Apoſtolorum & doctrina & moribus procul abeſſe. Hinc

Hinc aliud argumentum impiis ſubminiſtrant funeſtæ Chriſtianorum diſſenſiones, & de variis Chriſtianæ fidei capitibus certamina. Si enim, inquiunt, hæc religio cœlitus eſſet demiſſa, ſane ſine dubio melius homines de ea inter ſe convenirent. Jam vero pro Eridos quodam pomo non poteſt non haberi. Si Mahumedanus vel maxime tranſire ad Chriſtianorum ſacra vellet, quam quæſo ſequi deberet ſectam? Se enim ſolos ſapere, ceteros errare, omnes clamitant. Prope hic ab impiorum ſententia abeſſe Auctor credit, qui hanc ſectarum diverſitatem videntes, tutiſſimum eſſe putant, ſine examine eam amplecti religionem, in qua quisque educatus fuit. Sed ut hoc etiam ariete nihil proficere incredulos oſtendat, ſtatim negat recte ita concludi: Chriſtiani inter ſe diſſentiunt, ergo illorum religio non eſt divina. Quod eo evidentius eſſe putat, quia Chriſtus Servator tales diſſenſiones futuras prædixit. Nec proficere quicquam impios contendit, dum aſſerunt, parum tamen decere religionem divinam, tot excitare diſſenſiones. Etenim quod ipſa religio per ſe haſce diſſenſiones non gignat, nemini dubium eſſe docet. Nihil enim magis quam diſcordiam & certamina execratur. Neque a Deo quenquam ſanæ mentis hoc exigere poſſe addit, ut in religionis Chriſtianæ gratiam, modo quodam communem naturæ ordinem excedente haſce diſſenſiones impediat. Quod vero iſtud attinet, dum dicunt increduli, ſi vel maxime Chriſtianam quis amplecti doctrinam velit, eum tamen non poſſe decernere, quam præ ceteris eligere ſectam debeat, reſpondet Noſter, eſſe quædam communia totius religionis Chriſtianæ capita, in quibus homines, cujuscunque ſectæ ſint, conſentiant. Hæc autem capita, ex mente Auctoris, huc fere redeunt: mundum a Deo eſſe conditum; manifeſtaſſe Numen qua ratione coli velit, & præcepta, quibus mores hominum formentur, dediſſe; præmia probis, impiis æternas eſſe deſtinatas pœnas; Chriſtum ejusque Apoſtolos a Deo eſſe miſſos; mortuos reſurrecturos, & in ultimo univerſalique judicio ſingulorum hominum facinora diſcuſſum iri. In his cum juxta Autorem ſumma religionis Chriſtianæ conſiſtat, & vero omnes in hiſce capitibus, ut putat, conſentiant, jam nullo modo diſſenſiones Chriſtianorum obtentui ſumi ab impiis poſſe concludit. Si qui ergo ſint adeo ſtupidi, qui hæc elementa percipere nequeant, interim moribus integris ſint præditi, ſe nihil de horum ſalute pronunciare poſſe ait:

ſi qui

Cap. IV.

ſi qui autem hæc capita doctrinæ Chriſtianæ teneant, interim eo non polleant judicio, ut momenta quæſtionum, de quibus diſceptatur, expendere & in veritatem inquirere queant, eos ita demum recte ſibi conſulere, ſi nulli ſectæ accedant, ſed ſuum de hiſce capitibus judicium ſuſpendant. Qui vero vel mediocriter ſapiunt, illis, ut Noſter exiſtimat, haud adeo difficilis labor ſubeundus eſt, ut diſpiciant, quænam ex hiſce, quæ Chriſtianum orbem in partes trahunt, ſectis a veritate magis diſcedat, aut ad eam accedat propius.

Cap. V. Sed nec alia deſunt improbis, quæ ad cauſam ſuam exornandam arripere & poſſunt & ſolent. Religionis, inquiunt, divinæ & cœlitus demiſſæ hæc debebat eſſe indoles, ut per totum genus humanum ſe diffunderet, & orbi univerſo magnam præberet utilitatem. Aſt hæc ſecus, ita pergunt, in Chriſtiana religione ſe habent. Hæc paucis innotuit, & illi quibus innotuit, præcepta ejus male obſervant. Varia hic reſpondet Auctor. Primo licet religio Chriſtiana non uno eodemq; tempore per orbem univerſum fuerit propagata, ſufficere tamen quod omnes homines ad eam admittantur: quod ſecus in religione Judaica fuerit. Et ſane quod nondum omnes gentes ſacris Chriſtianorum ſint imbutæ, id penes ipſos Chriſtianos ſtare, quorum in dilatandis regni divini finibus ignavia, judice Auctore, neutiquam eſt excuſanda. Eos vero, qui modo quodam ſingulari a Numine totum orbem ad Chriſtianorum ſacra adducendum eſſe putant, admodum ineptos eſſe exiſtimat: interim non negat, fieri adhuc poſſe, ut totus quacunque patet orbis nomen det Chriſto Servatori. Quod Chriſtianorum pauciſſimi ad religionis ſuæ præſcriptum ſuos componant mores, non diffitetur: aſt religionis hoc vitium eſſe, iterum abnuit. Interim ex religione Chriſtiana hanc ad homines redundare utilitatem docet, quod ſaltem longe honeſtioribus moribus vivatur, quam olim Ethnici vixerunt.

Cap. VI. Solent & iſtud obtendere homines profani, quod argumentis, quibus impugnari doctrinæ Chriſtianæ veritas ſolet, male ut plurimum fiat ſatis. Hinc ſtatim in eam ingrediuntur ſententiam, totam religionem Chriſtianam lubrico inniti fundamento. Aſt errant, judice Clerico. Primo enim cum vident quoſdam ex ſuis hypotheſibus ſibi ſatisfacere non poſſe, ſtatim inquirere deberent, num horum doctrina conveniat cum doctrina Apoſtolorum. Quod ſi facerent,

rent, ut plurimum rem ſecus eſſe comparatam deprehenſuri eſſent. Deinde nihil infrequens eſt, veritati admixtos eſſe errores. Ergo ſi nonnulli ejusmodi doctrinas fovent, quæ cum veritate conciliari nequeunt, neutiquam tota religio Chriſtiana hinc rejicienda eſt. Denique & iſtud accedit, quod veritas non deſinat eſſe veritas, licet male defendatur. Ad exempla dum deſcendit Auctor, inter errores Theologorum, qui impiis impedimento ſint, quo minus credant, præcipue illum refert, quod rationis limites nimis coerceant, & quod doceant quædam nobis injuncta eſſe, quæ cur injuncta ſint, non alia ratio reddi poſſit, quam quod Deus hæc ita voluerit; de quibus prolixe ita diſſerit, ut quantum poteſt, haſce doctrinas exagitet.

Interim non diffitetur Auctor, ex ipſis religionis Chriſtianæ capitibus dubia quædam enaſci poſſe, quæ forte imperitioribus haud adeo levia videantur. Aſt duplicis generis dubia eſſe, quæ in ſcientia aliqua oriri poſſunt, addit. Nonnulla enim principia ſcientiæ non evertere: alia autem demonſtrare doctrinam, quæ profertur, ſcientiæ nomine indignam eſſe. Dubia quæ religioni Chriſtianæ opponuntur, ad priorem claſſem refert. Ergo ſi quis vel maxime dubium ſibi objectum ſolvere nequeat, interim videat argumenta, quibus veritas Chriſtianæ religionis probatur, per iſtud nondum everti, ita hinc ſe expediet ut aſſerat, de re diſceptari, quæ ſibi nondum ſatis cognita ſit & explorata. Præterea ad nonnulla dubia diluenda ſufficere cognitionem duarum aut trium propoſitionum: alia ita comparata eſſe, ut per longam multarum argumentationum ſeriem prius decurrendum ſit, quam rite explicari poſſint. Si dubia poſterioris generis proponantur, neminem, niſi qui harum rerum plane ignarus eſt, exigere poſſe, ut paucis ſolvantur verbis. Impiorum autem dubia, quibus impugnant religionem Chriſtianam, maximam partem hinc oriri docet, quod aut principia quædam falſa illorum occupaverint mentes, aut ridendi vel diſceptandi, non autem inquirendi in veritatem animum ad harum rerum tractationem adferant. Hæc poſtquam in genere monuit, exempla duo affert, de creatione & revelatione. Hæc enim doctrinæ Chriſtianæ capita plurimum habere difficultatis non diffitetur; interim ea ita explicare annititur, ut cuilibet conſtare poſſit, cum recta ratione ea plane convenire. Cap. VII.

Poſtquam hac ratione obſtacula, quæ improbos impediunt, quo

minus divinæ doctrinæ fidem adhibeant, removit, ipſam religionis Chriſtianæ veritatem duabus epiſtolis exponit, quarum prior ſinceritatem Apoſtolorum evincit, & jam ante decem annos luci publicæ expoſita eſt: altera autem, quæ de miraculis diſpicit, ex opere majore, quod Auctor de natura Spirituum compoſuit, excerpta.

Epiſt. I. In priori itaque epiſtola primo ponit, Chriſtianæ religionis veritatem a notitia quorundam factorum pendere. Hinc ſic procedit. Si quis ſummam doctrinæ Chriſtianæ, prout Auctor eam exhibet, contempletur, primum ſine dubio in eam ingredietur diſquiſitionem, quinam demum fuerint hujus doctrinæ auctores? Eundo ergo per omnia ſecula, ex certiſſimis Hiſtoricorum monumentis non poterit non intelligere, ab Apoſtolis eam orbi fuiſſe impertitam. Quod ſi porro dubitaverit, quid induxerit Apoſtolos ad hancce doctrinam ſpargendam, ſtatim deprehendet, eos, quoniam de veritate ejus fuerunt convicti, aliter facere non potuiſſe. Hoc vero quod ita ſe habeat, probari poteſt primo, quia Clemens Romanus aliique ſcriptores veteres teſtantur, eos innocentiſſimos integerrimosque mortalium fuiſſe. Deinde quia in ſcriptis eorum nihil occurrit, niſi quod virtutem, honeſtatem, ſummamque probitatem ac ſinceritatem ſpiret. Præterea quoniam nec avaritiæ, nec ambitioni, nec voluptati, ſi vel maxime hisce vitiis laboraſſent, hoc inſtituto potuiſſent ullo modo litare. Ceteras rationes, quæ ejusdem fere indolis ſunt, prætermittimus.

Epiſt. II. De miraculis in altera epiſtola Auctor ita diſputat, ut primo quid miraculum ſit, definiat. Nimirum ſi quid miraculi nomen promereri debet, illud, judice Auctore, naturæ leges potentiamque corporum & animæ humanæ excedat, neceſſe eſt. Præterea requiritur, ut qui miraculum perpetrare cupit, hoc eventurum ante ſciat, ne caſus fortuitus miraculi ſpeciem induat. Hæc dum prolixius proſequitur, cumprimis profanos homines ſibi refellendos ſumit, qui negant ſciri poſſe, an naturæ legem aliquid excedat, cum intimi naturæ receſſus nemini fere cogniti ſint & explorati. Hinc veritatem miraculorum a Chriſto perpetratorum evincit, & quod nulla ratio ſit, quare Scriptoribus, qui ea ſe vidiſſe teſtantur, denegemus fidem, probat. Ad cauſam miraculorum dum progreditur, ea tum a Deo tum ab Angelis fieri poſſe, autumat. Ad veritatem autem religionis Chriſtianæ probandam parum noſtra referre, ſive Deo, ſive Angelis ea tribuas. Neceſſe quippe eſt, ut Ange-

ut Angeli boni intelligantur, cum nemo ſibi perſuaſurus ſit, malos hac ratione veritatis cœleſtis propagationem promovere voluiſſe. Tandem quo pacto vera miracula a falſis diſcerni poſſint tradit, aliasque quæſtiones ex ſuis principiis ſolvit, finemque operi imponit. Nos vero id diſſimulare neutiquam poſſumus, multa ſubinde in hocce libro occurrere, quæ digna ſunt, ut diligentius a viris piis & cordatis diſcutiantur; ut taceamus Auctorem placitis religionis, cui addictus eſt, ſubinde inſervire. Nos ſummam operis hiſtorico more exhibuiſſe contenti, cenſuram Lectoribus merito relinquimus.

## *INNOCENTIA VINDICATA, IN QUA GRAVISSIMIS ARGUmentis e S. Thoma petitis oſtenditur, Angelicum Doctorem pro immaculato conceptu Deiparæ ſenſiſſe & ſcripſiſſe.*

Typis Monaſterii S. Galli, 1695. in fol. Alph. 2. plag. 10.

Multos ſane propugnatores habuit immaculata B. Virginis Mariæ conceptio, adeo ut Simon Santagata, Canonicus Bononienſis, in altero ſuorum voluminum, quæ in iſtius gratiam conſcripſit, ſex millia Auctorum eandem defendentium recenſuerit. Sed cum a præſtantiſſimi nominis Theologo Pontificiis equidem partibus alias addicto, circa hanc doctrinam tamen negativam amplectente, D. Thomam illorum e cenſu eximi videret Tractatus hujus Auctor, (quem eſſe accepimus Reverendiſſimum hactenus Abbatem Monaſterii S. Galli Dn. *Cæleſtinum* ex Marchionibus *De Sfondrati*, inter Purpuratos Eccleſiæ Romanæ Patres nuperrime cooptatum, ſæpiusque a nobis, quando eruditiſſima Ejus opera alia recenſuimus, ex merito laudatum) operam in id impendit ſedulo, ut contraria omnia demonſtraret, & ipſum quoque Thomam vindicem Mariæ ſtrenuum, quantum ad illius illibatam conceptionem, efficeret. Quamobrem loca primum illa cumulat, in quibus nudis planisque verbis pro hac pugnare Thomas videatur. Deinde varia ejus teſtimonia in medium adducit, e quibus poſſit colligi, quod mentem ille a communi hodie Romano-Catholicorum ſententia minime alienam habuerit; veluti cum Virginem Mariam non futuram fuiſſe idoneam Chriſti matrem dixerit,

 ſi ali-

ſi aliquando peccaſſet; inde nempe concludendum autumat, quod eam non a veniali ſolum, ſed & originali peccato immunem ſtatuerit, quandoquidem poſterius hoc multum priori utiq; ſit indecentius. Quin imo ipſum Thomam affirmare innuit, ex eo, quod Eccleſia nativitatem Virginis celebrare ſoleat, credi, quod nata ſit ſine peccato originali, quippe cum hanc regulam veluti indubitatam conceperit: Eccleſiam non celebrare feſtum, niſi pro aliquo Sancto. Ac licet is e redemtione ad Mariam quoque ſpectante peccato originis infectam eam probare videatur, ideo quod, ceu medicina morbum, ita redemtio captivitatem ſupponat; mentem tamen ejus hanc eſſe reſpondet, Mariam liberari debuiſſe non a malo ipſo, ſed a debito malum incurrendi: id quod ita ſucceſſerit per redemtionem non curativam, ſed præſervativam, quam vocat, quamque D. Thomæ haud ignotam reperiri contendit. Mox ad Dominicanos quosdam Patres provocat, eosque immaculatæ conceptioni ſuffragari quam plurimis teſtimoniis oſtendit; ipſos autem illos ſe ad defendendas Thomæ ſententias juramento perhibet adſtringere: unde ſatis manifeſtum eſſe ait, quod & iſtam a Thoma defendi credant, perjurii alias accuſandi. Thomam porro annotat concedere, illam opinionem eſſe veram aliisque prævalere, quæ pro ſe Eccleſiam habeat; unde cum ſententiæ de conceptione Mariæ immaculata Eccleſiam favere ille neutiquam ignoraverit, eum quoque hanc pro vera agnoviſſe ſubſumit, atque hac occaſione ſimul calculum ab Eccleſia omnium ſeculorum lubertiſſime huic aſſerto tributum protrahere annititur. Non poſſe fieri miracula, niſi in teſtimonium doctrinæ veræ, Thomas edixerat: operoſus ergo Eminentiſſimus Auctor eſt in enarrandis aliquot miraculis, quæ ſententiam, quam ſtatuminandam ſuſcepit, confirmarint, atque iſto pacto ex mente Thomæ ſequi putat neceſſario, eam nulla ratione pro falſa debere venditari. Tacemus effata Thomæ alia, quæ Auctor pro aſſenſu doctrinæ huic ab eo præſtito adfert: nec opus eſt, ut, quæ ad dicta nonnulla Scripturæ Sacræ & quorundam Patrum adverſus illibatum Mariæ ortum urgeri ſolita reſpondet, prolixe referamus, cum hoc ad primarium hujus libri negotium tantopere haud ſpectet. Iſtud vero magis heic ſignificandum reſtat, quod ad allata e Thoma teſtimonia, in quibus is in aliam opinionem deſcendere dicatur, nihil fere aliud reponat, quam primo quidem, illa pleraque

cor-

corrupta eſſe atque vitiata; deinceps ubi hæc occurrat Thomæ theſis, *B. Virginem conceptam eſſe in peccato originis,* loqui illum ex ſenſu moreque Patrum antiquorum de conceptione corporis, non animæ, quæ tunc contingat, quando corpus animetur: Mariam autem ante ſanctificatam fuiſſe, quam animatam, D. Thomæ non minus ac plurium aliorum ſententiam communem vocat. Atque hæc in parte libri priori, quæ Theologicæ ea propter cognomen habet, poſteaquam modo hactenus recenſito deduxit Auctor Reverendiſſimus, in poſteriori, quam Symbolicam appellat, Emblemata ſex & quadraginta æri inciſa oculis contemplanda exhibet, quæ ſingula, quod ex ſubjecta cuivis expoſitione conſtat, eo collimant, ut immaculatam, quam toties diximus, conceptionem illuſtrent. Videas heic (nonnulla enim in guſtum Lectori dabimus,) Aſtrologos fruſtra maculas in Sole quærentes, cum lemmate: *abſque nota*; Pyramidem perpendiculariter a Sole percuſſam, cum lemmate: *umbra procul*; Lilium candidiſſimum ex lutoſa terra, cum epigraphe: *nil matris habens*; Lucidiam, avem obſcura etiam nocte lucentem, cum lemmate: *tenebræ eam non comprehenderunt.* Videas olorem in medio aquarum ſiccum, cum inſcriptione: *nec tingor ab unda*; Scirpum ad littus maris, cum inſcriptione: *abſque nodo*; Avem Paradiſiacam, cum lemmate: *nihil coinquinatum.* Simile ingenium elucet e reliquis, quæ huc tranſcribere univerſa, non eſt inſtituti noſtri.

*B. MARIÆ VIRGINIS IMMACULATÆ CONCEPTIONIS Hiſtoria, cui acceſſit Alexandri VII Papæ Conſtitutionis Examen ad Coloniæ & Herbipoleos Theologos directum, manu Friderici Ulrici Calixti, Regiæ Lutteræ Abbatis, Academiæ Juliæ Senioris & Profeſſoris Primarii. &c.*

Helmſtadii, apud G. W. Hammium 1696, in 4. Alph. 1. pl. 19.

QUemadmodum tractatui præcedenti virum Eccleſiæ Romanæ principiis alias innutritum, ſed circa immaculatam Mariæ conceptionem a vulgari ejus opinione abeuntem, occaſionem dediſſe diximus: ita huic etiam parando primam velut anſam ejusmodi aliquem ſubminiſtraſſe refert Henricus Wideburgius, celeberrimi Calixti in

Academia Helmſtadienſi Collega conjunctiſſimus. In præfatione enim, quam Auctoris rogatu libro huic præmiſit, natum eſſe eum innuit ex hujus colloquio cum primariæ nobilitatis ac dignitatis Viro religionis Pontificiæ, quem Pontificis ſupremam ac infallibilem in controverſiis fidei determinandis auctoritatem ſubmiſſe agnoſcentem, quoad immaculatam autem B. Virginis Deiparæ conceptionem credendam aut negandam plus ſibi tribuentem licentiæ ac poteſtatis Calixtus animadverterit, quam Alexander Papa VII, edita hanc in rem anno hujus ſeculi ſexageſimo primo Conſtitutione, ſuis indulſerit. Inſuper vero Auctor ipſe indicat, quod poſt habitum hoc colloquium, ſub fictis nominibus, ſententiam Theologorum Colonienſium & Herbipolenſium de immaculata Mariæ conceptione fuerit expiſcatus, & e reſponſis utrinque transmiſſis intellexerit, quod & illi eandem libertatem ſibi tribuentes, Alexandrum VII non voluiſſe ſententiam affirmantem ad fidem reducere exiſtimarint. Quamobrem perficiendæ huic operæ ſedulo incubuit, qua & integram controverſiæ de immaculata Mariæ conceptione hiſtoriam paulo fuſius explicavit, & fidiculas a Theologis jam modo memoratis Diplomati Pontificio admotas reſcidit. Uti autem erudita paſſim accumulavit Auctor lemmata, quæ ad ſolidiorem hujus argumenti excuſſionem & accuratius ejusdem examen quoquo modo ſpectare ei viſa ſunt: ita ſub ipſum ſtatim initium oſtendit, quod tantum abſit, ut dogma præſens fide indubitata amplectendum, ut ne quidem probabile reputandum veniat. Etenim quod Maria ſine peccato concepta non ſit, patere affatim ex univerſalibus iſtis propoſitionibus, quæ toties omnes Adami poſteros communi & conſueto modo prognatos ſub peccatum trahant, neminemque niſi Chriſtum excipi patiantur. Argumentis vero ab adverſa parte in contrarium urgeri ſolitis reſpondet, ac inter alia neutiquam ex Angelica ſalutatione, minimeque omnium ex miraculis & revelationibus, ad quas Pontificiorum quidam Scriptores provocare ſolent, quod probandum iis incumbat, ſequi innuit. Sed antiquorum etiam ac probatorum Doctorum ſuffragiis immaculatam conceptionem haud inniti monſtrat; ubi imprimis aliquem ex Auguſtino locum prolixe vindicat. Quid? quod ipſi hujus prærogativæ in Maria ſuſpiciendæ propugnatores parum inter ſe conveniant, utpote quorum alii omne peccatum, quacunque iſtud appellatione inſignire velis, ab ea removeant; alii ſanctificationem a nativitate

tate

tate demum accerſant, & tamen ne ſic quidem unanimes gerant ſententias, his ad tempora excluſionem ex utero materno præcedentia, illis ad ipſum excluſionis momentum reſpicientibus; alii denique ſolum nulla actualia Deiparæ peccata agnoſcant. Singularum autem claſſium aſſeclis plures ſeſe omni tempore oppoſuiſſe notat. Et a primis quidem qui receſſerint, eos longo ordine ex Melchiore Cano allegat; ac Dominicanorum in ſecundam claſſem ſe recipientium cum Franciſcanis diſſidia commemorat; contaminatam vero & inſuper nativitatem Mariæ adſtruxiſſe, atque ita Dominicanis longe ante, quam ſua illi dogmata excuderent, contradixiſſe Anshelmum, ArchiEpiſcopum Cantuarienſem, docet; ac tandem nec tertiæ opinionis patronos fundamento ſolido gaudere comprobat, qua ipſa in re deducenda dum paulo liberalior eſt, rationes immunitatem Mariæ a peccatis actualibus infringentes profert, atque etiam non una ejus peccata actu admiſſa ex Evangelicæ hiſtoriæ monumentis enumerat. Prout vero ſubinde hactenus edocuit, quibus fatis hæc, ad quam utroque oculo in præſenti libro reſpicit, doctrina pro temporum viciſſitudine uſa fuerit: ita poſteaquam a Thomæ Aquinatis atque Scoti ætate Dominicanos inter & Franciſcanos nata fuerit æmulatio, preſſam modo illam, modo iterum emergentem conſpici obſervat, quando eam aut mitior aut paulo aſperior de Romanorum Præſulum ore ſpirans aura afflaverit. Joannem nempe XXII ad deprimendum Ordinem Franciſcanorum doctrinæ a Thoma & Dominicanis defendi ſolitæ velificaſſe notat, licet is opinionem vulgi contrariam parum frangere potuerit, quam præterea ſemper adjuverint Pontifices ex Ordine Franciſcanorum ad Papale culmen evecti, quos inter Sixtus IV poſtremas haud tenuerit. Pium deinde V aliquem erga Dominicanos favorem declaraſſe, quod tamen ejus ſucceſſoribus plane diſplicuerit; unde factum quoque, ut Jeſuitis novum Franciſcanis robur addentibus, ſub Paulo imprimis V & Gregorio XV ſatis iterum ſententia prior extenderetur. Sed ex hac ejus facie ſummatim delineata ad tempora rurſus antiquiora regreditur, & ubi mutua Dominicanorum & Franciſcanorum odia exemplo quodam memorabili, quod Bernæ Helvetiorum Ordinis prioris Frater laicus, Jetſerus, dederit, ex Gilb. Burneti Itinerario verbis Germanicis fuſe declaravit, Leonem X medicam huic malo manum admovere cupientem litem determinandam quidem cenſuiſſe, ſed parum eum interim proficientem, exorto impri-

mis

mis Luthero, propoſitum hoc depoſuiſſe refert. Cum autem poſtea Paulus III diligenter attendere juſſerit ad Sixti IV diploma, atque proin illius conſtitutiones ſub pœnis in iis dictitatis Tridentina Synodus non tantum innovaverit, ſed ipſæ etiam norma fuerint Romanis Patriarchis poſt ſecutis, juxta quam ſua decreta direxerint, ideo eas cum diligentia accuratiori penſitandas Auctor aſſumit, diplomatisque illius contenta non minus atque rationes latius examinat. Nondum autem quæſtione definita, Philippum III & IV Hiſpaniæ Reges a Pontificibus Paulo V & Gregorio XV per ſplendidas legationes deciſionem illius ait expetiiſſe, ſed fruſtra, cum promtitudinem Regibus Catholicis gratificandi ſchiſmatis periculum repreſſerit. Interim prohibuiſſe Paulum V, ne in ullis actionibus publicis B. Mariam conceptam fuiſſe in peccato originali aſſereretur; quod interdictum Gregorius XV ad privatas quoque diſſertationes traxerit. Interea tamen, usque ad ſeculi jam inclinantis annum ſexageſimum primum, unicuique vel in affirmantem vel in negantem partem deſcendendi æquam fuiſſe poteſtatem relictam, donec Alexander VII ſervitutem impoſuerit credendi, animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione & in corpus infuſione a peccato originali fuiſſe præſervatam. Totum igitur hoc decretum Pontificium Lectori exhibet; quam parum tamen termini in eo poſiti probentur etiam ab illis, qui alias onera a ſummi Pontificis manu impoſita libenter bajulent, in ſubſequentibus manifeſtum efficere laborat. Et heic literas ſuper quæſtione: an hoc dogma creditu ſit ad ſalutem neceſſarium? a ſe ſub fictis nominibus ad Theologos Colonienſes & Herbipolenſes miſſas, una cum reſponſis ad eas redditis producit; horumque theſes negativas ſiſtit. Utrinq; autem ad auctoritatem Alexandri VII provocatur, & quod ille immaculatam Mariæ conceptionem neutiquam pro dogmate creditu ad ſalutem neceſſario haberi juſſerit, innuitur. Verum heic prolixiſſime contrarium defendit Auctor, & ex potiſſimis decreti illius locutionibus diſtincte atque aperte omnium ob oculos ponit, quod datis his reſponſis Theologi antea allegati ſententiæ Pontificis e diametro contradixerint. Cæterum noſtri inſtituti ratio ferre iſtud haud videtur, ut preſſo ubivis pede Auctorem inſequamur, quin ad ipſius potius libri lectionem clarius hæc noſſe cupientem remittimus, addita ſimul hac ſponſione, quod præter ipſam diplomatis expoſitionem atque vindicationem, jucundi pariter ac utiles excurſus, quos ſæpius ſuſcepit Auctor, non mediocrem ei volupta-

voluptatem allaturi ſint. Satis vero his partibus defunctus Noſter, ulterius Theologis illis, qui iſtam ipſi informationem ſuggeſſerant, inſignia illa privilegia opponit, quibus immaculatæ conceptionis aſſertio fruatur, quæque ſane dogmati, quod non de fide ſit, alias haud competant. Inſtitutum namque immaculatæ conceptionis feſtum urget; urget juramentum, quod ſuper ea in Viennenſi Academia ſingulis Profeſſoribus præſtandum ſit; quæ conſuetudo & in Schola Pariſienſi obtineat. Quinimo ut amplius evincat, quod iſti Doctores fruſtra negaverint, dogma hoc ab Eccleſia Romana haberi pro articulo fidei firmiſſimo aſſenſu amplectendo, hinc plura Scriptorum talium, qui poſt decretum iſtud publice emiſſum ſuos libros evulgarunt, teſtimonia coacervat, quibus in idem faſtigium immaculata conceptio evehatur; ſed nec prætermittit effata ſimilem ad ſcopum collimantia illorum Auctorum, quorum ſcripta ab ipſis olim Colonienſibus ſolenniter approbata deprehendantur. Cum igitur ſatis ſe hoc pacto evictum dediſſe arbitretur, quam iniqua fuerit illa Alexandri VII definitio, minimeque dubitet, quin hoc agnoverint Colonienſes cum Herbipolenſibus, (licet interim ſatius duxerint aliam decreto ejus mentem affingere, quam quod ſentirent, libere profiteri,) jam cogitat de conſilio ipſis impertiendo, quomodo hæc ſententia de immaculata Virginis conceptione fide neceſſaria tenenda ex animis hominum quam optime rurſus queat evelli. Nimirum ſicut inſtitutum in memoriam iſtius conceptionis feſtum pro validiſſimo habet medio, quod dogmatis controverſi canonizationem introduxerit: ita maculam hanc, quam putat, ab Eccleſia contractam melius elui non poſſe cenſet, quam ſi illud ſenſim in deſuetudinem venire faceret. Qua occaſione elegantem pariter ac eruditum diſcurſum inſerit de feſtis quibuscunq; in honorem & memoriam Mariæ celebratis, iisq; aut in Lutherana etiam Eccleſia juſtis de cauſis retentis, aut a Pontificiis ex fundamento levi vel plane nullo inſtitutis, aut ab iisdem abuſibus quibusdam coinquinatis. Agit ergo de feſto conceptionis, quo de jam dictum, immaculatæ; de feſto annunciationis; de feſto purificationis, ubi multa legas de ritu Pontificio conſecrandi in eodem cereos; de feſto ſeptem dolorum B. Mariæ; de feſto viſitationis; de aſſumtionis feſto, quod etiam dormitionis, tranſitus, & a roſis atque liliis, quibus Maria comparetur, herbarum feſtum audiat, magnaque præ aliis ſolennitate celebretur;

de feſto ſpaſmi Mariæ, quod originem debeat antiquæ traditioni, Matrem hanc Servatoris, ubi Filium ſub crucis pondere ſudantem anhelantemque conſpexerit, ſpaſmo correptam animique deliquium paſſam concidiſſe. Quibus poſt alia interjecta adjungit feſtum præſentationis ſeu oblationis Mariæ, quod & ab aliis feſtum incunabulorum Mariæ appelletur, & exinde ſuam ſumſerit originem, quod Mariam trimulam in Templum Hieroſolymitanum deductam, & in Sancto Sanctorum per annos undecim relictam fuiſſe, nonnulli aſſeveraverint. Atque e feſtis ad hunc modum recenſitis iſtud, quod ſeptimum locum occupat, in Eccleſia Romana abrogatum dicit, & ex eo infert, quod pariter immaculatæ conceptionis Mariæ feſtum antiquari haud difficulter poſſit; ſicuti & alias conditiones inſinuat, quibus feſtis olim obſervatis terminum figere conceſſum ſit; imo quod in talibus, quorum introductio origine minus idonea nitatur, fieri hoc omnino debeat, contendit.

## *ANDREÆ ALCIATI CONTRA VITAM MONASTICAM AD Bernardum Mattium Epiſtola. Accedit Sylloge Epiſtolarum Giſanii, Vulcanii, Brabei, Scriverii, Pontani, Voſſii, Sibrandi Siccamæ, Gronovii, Boxhornii & aliorum; nec non vetera aliquot Teſtamenta. Edente ANT. MATTHÆO.*

Lugd. Bat. apud Fr. Haaring, 1695. in 8. plag. 38.

Magna inter Juriſconſultos non modo, verum etiam humaniorum literarum & elegantioris doctrinæ cultores, fama *Alciati* nomen fertur, ejusque de bonis literis merita ſuſpiciuntur, maximoq; in pretio eloquentia habetur; quam inter Juriſconſultos ſuperioris ævi primus excoluiſſe, inque ea Duareno, Balduino, Cujacio & aliis præluxiſſe cenſetur. Dolendum igitur, inter opera ejus Lugduni A. 1560 evulgata Epiſtolas non comparere: quas neglexerunt etiam in aliis clarorum Juriſconſultorum (præterquam Ulrici Zaſii) voluminibus congerendis iſtorum editores. Neque enim dubitare licet, iisdem eloquentiæ luminibus eas præcelluiſſe, quibus reliqua doctiſſimi juxta ac diſertiſſimi Viri ſcripta ſunt inſignita. Vel ex una hac, ſed luculenta & diſerta Epiſtola, quæ beneficio doctiſſimi Juriſconſulti,

A. Mat-

A. Matthæi, qui e ſcriniis P. Scriverii eam fuerat nactus, jam primum publicam lucem adſpicit, abunde id cognoſcimus: etſi ea non juridicum, ſed ſacrum potius exequitur argumentum; & quia religioni, cui innutritus erat, & cui addictis in locis jus profitebatur, adverſatur ſententia ibi expoſita, occulte & ſub ſilentii religione ad amicum perſcripta eſt. Nimirum poſtquam Bern. Mattius, eruditione perpolitus, comis, facundus, ſuavibusque moribus & acri ingenio ac inſigni probitate præſtans, relictis amicis & domeſticis, matre cumprimis vetula & in re parum lauta verſante poſthabita, in cœnobium Jacobi anno ætatis XL ſe contuliſſet, & in Minoritarum familiam, animo veſtituque mutato, tranſiiſſet; indignitate propoſiti hujus permotus Alciatus, Epiſtolam hanc ad ipſum perſcripſit, rationibus, argumentis, perſuaſionibus, precibus denique eum oppugnans, & monaſticæ vitæ, ut quidem tum ea vivebatur, perverſitatem diſertis verbis prolixe ob oculos ponens. Quo quidem in argumento vivam ac ſpirantem Eraſmi Roterodami imaginem refert Alciatus, deſidioſam orbiq; inutilem Monachorum vitam paſſim inſectantis, ſalſisque dictis perſtringentis: quam & alii qui reprehenderent, & a primo cœnobiorum inſtituto degeneraſſe ac deſciviſſe monaſticam otioſe vivendi rationem notarent, omni ævo extiterunt pii & docti viri. Sane qui primitus Eccleſiæ ſe aſſociarant, aliud vitæ tenuiſſe inſtitutum, Noſter obſervat. *Qui ei,* inquit p. 10. *nomen dederant, a vitiis abſtinebant, nullius delicti rei habebantur, & tametſi certa lege, quo minus uxores ducerent, non prohiberentur, nihilo tamen ſecius rari ducebant. Indifferentis victus erant, ſicuti & habitus. Qui ex eis melior haberetur, in Epiſcopum creabant. Mores & vitæ ſanctitas, non pecunia aut nobilitas, conſpiciebantur. Ex his tot ſunt martyres propagati, tot confeſſores* &c. Et paulo poſt p. 13. *Quoniam illorum virtute jam res Chriſtiana mirum in modum creverat, & jam Conſtantini lege templa ſua pagani claudere erant juſſi, unusque Chriſtus omni in orbe cantabatur; fuere qui ſeceſſum amaverunt, unde* monachi *dicti ſunt, quorum inſtitutum ita Hieronymo placuit Ruffinoque, ut in hoc albo nomen dederint. Non erant hi, quales noſtri temporis, furva tunica induti, caput cucullione tecti, ſolitarii a laicis, inter ſe minus frequentes, carnem peroſi, paſtillos, ſcriblitas, placentas, piſces pretioſiſſimos comedentes, latifundiis ditiſſimi; ſed qui veſtimentis in promiſcuo genere uterentur, divitias contemnentes, ſolius Dei laudibus inſiſterent, ſudore alioquin ſuo*

*viſitantes; quippe qui legerim, eorum aliquot vili mercede cæmenta & terram bajulare ſolitos, qua ſe alerent, & ut quod ſuperflueret cæteris inopibus largirentur.* De Ordinibus poſtea a Benedicto & Franciſco optimo conſilio inſtitutis, p. 14, 15. diſſerit, ac Bonaventuram habitum veſtis, quo hodie Franciſcani utuntur, inveniſſe, Bernardinum Senenſem calopodia addidiſſe p. 16. obſervat, aliaque hominum ab ingenio ſubinde adinventa, vera in Deum pietate poſthabita. Cynicis eos p. 19, & Eſſenis p. 21, 22. comparat; laborem tamen, a quo hi neutiquam alieni fuerint, iſtos odiſſe & ſubterfugere, p. 23: eleemoſynas etiam, quibus tamen plurimis ipſi fruantur, nemini præſtari ab iis, p. 26. 30: conjugio prorſus iis interdictum eſſe, p. 27: proximi, quin & ipſorum parentum neceſſitati ſubveniri ab iis non poſſe, p. 30 improbat. Solitarium vitæ genus non optimum eſſe, p. 34. oſtendit: nec jejunia magnam adeo apud Deum gratiam mereri, p. 41: longe majorem laudem apud homines & gratiam apud Deum adipiſci eos, qui non peccant, quum poſſint, quam qui peccandi facultate ſunt deſtituti, p. 43: ac proin utcunque arduum ſit, ut diu quis bonus eſſe in magna male faciendi occaſione perſeveret, maxime tamen & tanto magis eſſe laudandum, p. 45 docet. Paupertatem Monachorum, qua Chriſtum ſe imitari iidem credant, non adeo prædicandam eſſe, p. 48. exiſtimat, quum ea adigente multa perpetrentur, quæ nec viris bonis conveniant, nec quicquam honoris Ordini eorum præſtent, p. 51. Studiis bonarum artium monaſticam vitæ rationem parum convenire, p. 53. oſtendit, quod id genus hominum eo doctiorem exiſtimet, eo meliorem, quo quis ab elegantioribus litteris magis abfuerit, p. 55: quum tamen, quo quis gravior eſt in divinis Scripturis auctor, eo & mundiore & caſtigatiore ſtilo fuerit uſus, p. 56; ipſi autem loco ſanctorum & diſertorum Patrum, Auguſtini, Ambroſii, Nazianzeni, Chryſoſtomi, ineptiſſimos indoctiſſimosq; ſcriptores evolvant, pag. 54. 58. Tot magnificas porro ſubſtructiones & ſplendidiſſima ædificia, ampliſſimaq; prædia & lautas poſſeſſiones, quibus Franciſcani gaudent, paupertati quam jactant parum conſentire, p. 59. 60. 61. annotat, nec ambitioſos titulos, quibus ſuperbiunt, & ad Angelorum dignitatem tantum non Ordinis ſocios evehant, ipſos decere p. 62: iſtud autem execrabile eſſe, quod Chriſto parem Franciſcum faciant, p. 67. affirmat. Quibus expoſitis, Mattium hortatur p. 68, ut de ſententia vitam monaſticam ſectandi decedat, &

dat, & quia annum probationis adhuc agat (p. 70.) neque ulla lege intra hunc teneatur conſtanter iſti vitæ generi inſiſtere, ad prius vitæ genus redeat, quod Deo longe ſit gratius.

Huic Alciati epiſtolæ prolixiori, attexuit doctiſſimus Editor breviores, a doctis viris de variis argumentis, quorum tamen nullum ab humanioribus & cultioribus literis alienum eſt, perſcriptas, e quibus nonnulla delibabimus. Janus Gruterus in araneæ deſcriptione exemplar Principis abſolutiſſimum propoſuiſſe dicitur p. 84. Joh. Wouwerium Romæ religionem Lutheranam ejuraſſe, p. 86. Juſtum Lipſium in notis ad Tacitum ſcrinia Mureti & Chifletii compilaſſe, p. 87. A Boxhornio Rempublicam Moſcoviticam, Platonicam item & Ariſtotelicam deſcriptam eſſe, p. 99. 131, 191. Triglam, Vandalorum Deam, eandem fuiſſe quæ Hecate, Diana, Luna, Proſerpina Romanorum, p. 102. Cur mullus piſcis ei ſacer fuerit, traditur p. 10 . 105. Curtium Taciti imitatorem eſſe, p. 109. 167. 168. 200. 201. Ludos Julenſes Belgis uſitatos non a Julio Cæſare, quod pleriſque viſum p. 113, ſed a menſe Decembre & Januario, juxta Bedam, ob Solis converſionem *Julmaent* dictos p. 711. Ναὶ particulam Græcorum interdum *amabo, eia, queſo*, ſignificare, & ita accipiendam Apoc. cap. ult. v. 20. Matth. XV, 27. Philem. v. 20. p. 125. 126. Cluverium in ſententiis ſuis audaciorem eſſe, p. 133. Gothos non eosdem eſſe cum Getis, p. 146. Lucretium, Venerem dum principio operis invocat, non Deam, ſed voluptatem corpoream intellexiſſe, p. 163. Eccleſiam pro templo, ſeu loco in quo conveniunt, qui ad cœtum Chriſtianum pertinent, ante Tertulliani ætatem non dictam eſſe, p. 170. Saccharum noſtrum & veterum unum idemq; eſſe, p. 207. Cur Jovi Ammoni cornua tributa fuerint, p. 212. 316. 368. Quæ dea Epona fuerit, p. 226. Curtium ſub Trajano ſcripſiſſe, p. 230, 260. Gothos, Gutas, Vitas, Guthones, Vitungos, Juthungos, Jutlandos eſſe eosdem, p. 253. 254. Vendos etiam & Venedos, Henetos, Vandalos haud eſſe diverſos, p. 265. Eſtritham prius Duci Richardo, dein Ulfoni nuptam fuiſſe, p. 274, 278. Suenothanem non unum modo filium Canutum, ſed præter hunc etiam Haraldum habuiſſe, p. 274, 279. Giſelam ſive Ulvildam, conjugem Ortulphi Saxonum Ducis, non filiam ſed ſororem Magni fuiſſe, p. 281. Hermanni Electoris & Archiepiſcopi Colonienſis reformationem in religione Ordinibus Trajectenſibus vehementer diſplicuiſſe, p. 285. Peſtanus,

& Vibonenſis apud Macrobium, portuum vel potius ſinuum maritimorum, non hominum eſſe nomina, p. 257, 312. 313. Pygmæos nec hodie dari, nec extitiſſe unquam, p. 357. Saxonem Grammaticum Valerii Maximi imitatorem fuiſſe, p. 373. ſeq. 433, 434. Marobôdui & Arminii diſſidia magno uſui Romanis, nec minori damno Germanis extitiſſe, p. 385. ſeq. Petulantes apud Ammianum Marcellinum & in Notitia Imperii, eſſe Brabantiæ populos, Pelandos vel Pelanders dictos, p. 389. Baſilicam D. Virgini ſacram apud Ultrajectinos, auſpiciis Henrici IV Imp. a Conrado Epiſcopo anno 1081 ædificari cœptam, anno 1099 abſolutam fuiſſe, Epiſcopo iſto per architectum Friſonem perfide trucidato, cujus rei cauſa narratur p. 409. ſeq. Voſſii filiam Corneliam fracta glacie ſubmerſam fuiſſe, p. 441. Adrianum Cardinalem, poſtea Pontificem factum, ſingulari amore Ultrajecti, ubi natus erat, captum fuiſſe, p. 449. Plura ex Epiſtolis decerpenda non duximus, Lectorum induſtriæ reliqua relinquentes.

Subjecta autem iis ſunt nonnulla ex antiquitate monumenta haud contemnenda, ut Cornelii Adriani Minoritæ, ob vehementes & ridiculas conciones, nec non fœminarum caſtigationes celebris epitaphium, p. 455. Ridicula de Halece tabella, verſibus leoninis conſcripta, e cœnaculo Caroli Geldriæ Ducis deprompta, p. 459. Pyrrhi, corpore valido & robuſto præditi epitaphium, p. 461. Elb. Leonini Juriſconſulti clariſſimi & Geldriæ Cancellarii vitæ ratio, ab ipſo expoſita diſerte p. 462; & tandem quindecim *Teſtamentorum* formulæ p. 469. ſeqq. ſeculo decimo tertio conditorum, quorum pleraque & potiora legata ad cœnobia & eccleſias collegiatas pertinent. Has eruditis annotationibus, e Jure & Hiſtoria petitis, illuſtravit doctiſſimus Editor, iisque amœniorem tabularum minus gratarum alioquin lectionem reddidit.

## VERVOLG OP'T VOOR-HOF DER HEYDENEN &c.

Hoc eſt:

*ATRII GENTIUM CONTINUATIO, FUNDAMENTA LEGIS Moſaicæ cum ſana ratione concilians, & contra Atheorum exceptiones ad fidem ſtabiliendam confirmans. Autore SALOMONE A TIL, V. D. Miniſtro & illuſtris Scholæ Dordracenæ Profeſſore.*

Dordraci apud Dieter. Goris, A. 1696. in 4. Alph. 1. plag. 11.

Atrium

ATrium Gentium, quod ante biennium evulgavit clariſſimus Autor, ſuperioris anni menſe Martio prolixe ſatis a nobis recenſitum fuit. Itaque ſilentio obvolvere haud poterimus ejusdem Atrii continuationem: cujus tamen ſcopum, cum ex ipſo libri titulo facile cuiq; ſit cognoſcere, pauca ſolum de via, qua ad illum pertendere ipſi placuit, nunc quidem erunt ſubjicienda.

Capite primo de uſu & abuſu Philoſophiæ agit, quam poſtquam limitibus regulisve aliquot circumſcripſiſſet, ita circumſcriptam cum revelatione divina, Moſi præcipue facta, contendere aggreditur. Hinc capite II cognitionem, qua ſe ipſum unusquisque intuetur, e ſchola conſcientiæ proponit, ita quidem ut primo loco argumenta, quibus homo de animæ ſuæ exiſtentia & natura intrinſecus convincatur, adducat. Capite III de Deo agit, prout ejus notitia ex contemplatione animæ noſtræ reſultat; dum ſcilicet eum idea mentibus noſtris impreſſa, ſecundum omnia attributa ejus, ex ſententia ſcholæ Carteſianæ repræſentat. Quarto autem capite exiſtentiam ejusmodi Entis, quale mentis idea nobis ſiſtit, contra Atheos eadem methodo evincit. Jam vero capite V in Spinoſam peculiariter arma animosque vertit, cujus univerſa morologia cum notiſſimo iſti ejus principio, *Unam tantum dari ſubſtantiam, eamque eſſe Deum, reliqua quæ in ſenſus noſtros incurrunt omnia, non ſubſtantias, ſed ſubſtantiæ illius unius eſſe modos*, innitatur; iſti evertendo omnes machinas admovere conſtituit. Poſtquam igitur, quid proprie per ſubſtantiam intelligatur, quodve ſit diverſitatis duarum ſubſtantiarum fundamentum, oſtendiſſet, ſubſtantiam cogitantem atque extenſam diverſas, non unam eandemque ſubſtantiam eſſe, applicatis antea allatis diverſitatis fundamentis demonſtrat, objectionesque quæ contra fieri poterant, diluit. Inde capite VI contra polytheiſmum gentilium disputat. Capite vero VII ad alteram cognitionis propriæ partem progreditur, qua ad corporearum rerum ſcientiam perducimur. Et hoc quidem capite rerum corporearum naturam & exiſtentiam in genere, in ſpecie vero corpus humanum, & hujus univerſi, ſed pauciſſimis examinat. In ſequenti autem cap. VIII opus creationis omnipotentiam Dei non excedere, contra infideles probandum ſuſcipit, cujus providentiam capite IX ſatis prolixe vindicat. Capite X Deum nobis tanquam legislatorem ſiſtit, & obligationem hominis, qua legi

naturæ

naturæ ſubjicitur, manifeſtam reddere ſtudet. Hinc capite XI de bonorum præmiis, pœnisque malorum diſſerit, quo cum omnino ſpectare videatur de animæ immortalitate & corporis reſurrectione doctrina, eam capite ultimo pertractat. Corporum equidem reſurrectionem humanæ rationi propria evidentia non innoteſcere fatetur; cum tamen Scriptura eam promittat, poſſibilitatem ejus rationem ſibi haud ægre pati perſuaderi contendit. Cum enim tria potiſſimum ad reſurrectionem noſtram requirantur, primum ex pulvere compingere atq; efformare corpus humanum; ſecundum talem corpori ita formato imprimere motum, ut exequendis animæ juſſis reddatur idoneum; tertium deniq; unire illud cum anima, cui antequam in pulverem redigeretur, erat conjunctum: neutrum horum aliquam contradictionem involvere exiſtimat.

## ABREGE' DE L' HISTOIRE D' ANgleterre.

i. e.

## *COMPENDIUM HISTORIÆ ANGLICANÆ.*

Hagæ Com. apud Steph. Foulque, 1695. 8. Alph. 1.

A prima origine, quantum per Hiſtoriarum monumenta licet, res Britannicas Autor repetit, & eundo per ſumma rerum capita ad noſtram usq; ætatem deducit. Hinc primo varias gentes, quæ Britanniam incoluerunt, priusquam Romanorum Imperio ſubjiceretur, earumque Reges celebriores enumerat. Hiſce Imperatores Romanos, qui Britanniam tenuerunt, a Cajo Julio Cæſare usque ad Theodoſium, Regesque Anglo-Saxones & qui cum illis de rerum ſumma dimicarunt, Danicos itidem, ac tandem Normannicos, qui ad Guilielmum usque, hodiernum Britanniæ Regem feliciſſimum potentiſſimumque regnarunt, ſubjungit, ordinemque temporum ſecutus, quid ſub quoque memoratu dignum geſtum ſit indicat. Cæterum cum ea tantum, quæ ſcitu maxime neceſſaria ſunt, Auctor ſectetur, ac in compendio exhibere inſtituerit, nihil temere afferri potuit, quod non in rebus Anglicis verſatis cognitum aliunde ſit & exploratum.

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Julii, Anno M DC XCVI.*


## *JACOBI TOLLII INSIGNIA ITINERARII ITALICI, QUIBUS continentur Antiquitates Sacræ.*

Trajecti ad Rhenum apud Fr. Halmam & Gul. van de Water, 1696.
Conſtant Alphab. 1. plag. 5. in 4. chart. reg.

LEſſus procul dubio canendus eſſet Viro de elegantioribus literis meritiſſimo, niſi loci potius in quo verſamur, quam meritorum ejus nobis habenda ratio eſſet. Fatendum interea eſt, eo triſtiorem ejus animis noſtris, dum ultimum hoc opus ejus tractamus, obverſari imaginem, quo altius varios caſus, quibuscum per omnem vitam non tantum, ſed ipſo hoc, cujus fructus illud eſt, itinere conflictatus fuit, nobiscum expendimus. Jam omnibus iſtis fortunæ luſibus & mentis fluctuantis æſtibus finem fata invenerunt: quæ ſibi imminere præſentiens, in ipſa hujus operis præfatione rebus mortalibus valedixit; graviſſimo monito amicis, quos in Belgio hodie de lana caprina acerbiſſime, congeſtis in ſe mutuo inauditis conviciis, diſputare conqueritur, velut teſtamento relicto, ut (verba ejus ſunt) omiſſo inani faſtu & invidia, tempora ſua utilitati potius publicæ, quam mutuis animi irritamentis impenderent. Equidem ut tantisper ſaltem doctiſſimo Viro ſuperſtiti eſſe licuiſſet, cum omnibus eruditis optaremus, dum totum illud opus, cujus fragmentum jam exhibemus, eniti potuiſſet. Succedere enim primo huic Inſignium Itinerarii Italici, qui ſacras Antiquitates continet, tomo, alterum juſſurus erat, idque *Corpus Chirurgiæ Græcæ* veteris, e codice Mſto Florentino deſcriptum, una cum Chemicis aliquot Poetis Græcis exhibiturum: & tertium etiam, qui literaria aliquot monumenta inedita, quæ ad ſua cum maxime ſtudia ſpectare arbitrabatur, debebat com-

plecti. Sed eos cum intercedens Viri obitus interverterit, nihil ſupereſt, niſi ut iis ſaltem, quibus licet, bene utamur.

Inter ea, (paulo accuratius enim nunc erunt recenſenda) primo loco comparent Gregorii Nazianzeni *τῶν Κυκνείων Ἀσμάτων Ἀνέκδοτα*, h. e. *Carmina Cygnea inedita*. Horum primum, idque prolixiſſimum, utpote quod verſibus triginta & quinque ſupra octingentos conſtat, *de ſe ipſo & adverſus Epiſcopos* ſcripſit, qui fraude & avaritia ſua Maximo deceptori patentes, ab eo induci ſe fuerant paſſi, ut Epiſcopatum Gregorio abrogarent. Carmen iſtud, ut & reliqua hujus Patris hoc loco edita omnia, e Bibliotheca AUGUSTI CÆSARIS noſtri depromtum eſt, jungiturq; ei pariter ac cæteris verſio Latina, qua Leunclavius jam olim ea donaverat, notis vero ſubjectis & textus & verſio luculente illuſtratur emendaturque. Secundum horum carminum apologeticum eſt, adverſus obtrectatores, qui criminabantur Gregorium, quod Conſtantinopolitano Epiſcopatu exutus, Nazianzenum, aliquoties ſibi oblatum, recuſaret; id quod ſuperbiæ ejus argumentum interpretabantur. Reliquorum argumenta indicare vix opus eſſe putavimus, utpote quæ brevium ſuſpiriorum maximam partem faciem habent. Liceat ex iis adſcribere vigeſimum & ultimum, quod animam jam agens effudiſſe in inſcriptione dicitur:

*Ἄγγελοι αἰγλήεντες ἀπειρέσιον κατὰ κύκλον*
*Τελεσφαοῦς θεότητος, ὃ μὸν σέλας, ἀμφιέποντες,*
*Γρηγόριον δέξασθ᾽ ἀνάξιον, ἀλλ᾽ εἰρῆα.*

Gregorii carmina excipit Euthymii Zigabeni liber contra Maſſalianorum, (quos & Phundaïtas, & Bogomilos, nec non Euchitas, Enthuſiaſtas, Encratitas & Marcioniſtas dictos eſſe ait) hæreſin, quem *Ἔλεγχον καὶ Θρίαμβον*, h. e. *Victoriam & Triumphum* inſcripſit. Appendicem eſſe hoc opus Panopliæ Dogmaticæ Euthymii, Lambecius jam obſervaverat. Nomina vero Hæreticis illis in inſcriptione libri ab Euthymio liberaliter adeo donata, fuſe in notis Tollius explicavit: qui etiam exiſtimat, totam illam ſectam e Gentiliſmo pullulaſſe, & Zingarorum noſtrorum ritibus fere vixiſſe, Chriſtianorum vero Imperatorum temporibus invaleſcentis Chriſtianiſmi nomen ſibi quoque adſciviſſe. De eorum autem pernicioſo errore ut eo amplius conſtaret, excerpta de iis e Conſtantini Harmenopuli libello de opinionibus, Hæreticorum notis hiſce inſeruit; quibus & ex Pſello nonnulla de conviviis

viviis nocturnis Euchitarum ſubjunxit. Iſtis omnibus uberius illu-
ſtrandis facere poſſent, quæ e veteri codice MSo alibi forte repræſenta-
bimus, Κεφάλαια τοῦ τῶν Μασσαλιανῶν ἀσεβοῦς δόγματος, ἀνα-
ληφθέντα ἐκ τοῦ βιβλίου αὐτῶν: quæ ornandæ huic materiæ eo
aptiora eſſe videntur, quod dubium fere nullum ſit, per βιβλίον illud
Maſſalianorum, e quo ſumma iſta doctrinæ eorum capita depromta
eſſe dicuntur, eum ipſum intelligi, quem Ἀσκητικόν inſcriptum dog-
mata eorum continuiſſe, Photius autor eſt Cod. LII. Ut vero ad ipſum
opus Euthymii redeamus, conſtat illud Anathematiſmis XIV. Ex illis
primum ſtatim ſpeciminis loco integrum hic exhibere placuit, quod il-
le, judice Lambecio, (cujus aliquas in hoc opus notas, quas codici MSo
alleverat, ſimul exhibet Tollius,) plane ſingularia quædam de Petro,
ſive Lycopetro, hæreſeos Maſſalianorum primo autore, nos doceat;
quorum nec apud Epiphanium, nec apud Photium, nec apud Harme-
nopulum vel alios Scriptores Hæreſiologos ullum veſtigium extat.
Ita igitur ille habet: Πέτρῳ τῷ Ἀρχηγῷ τῆς Μασσαλιανῶν, ἤτοι Λυ-
κοπετριανῶν, καὶ Φουνδαϊατῶν, καὶ Βογομίλων αἱρέσεως, τῷ Χρι-
στὸν ἑαυτὸν ἀποκαλέσαντι, καὶ μετὰ θάνατον ἀναστήσεσθαι ἐπαγγει-
λαμένῳ, Λυκοπέτρῳ δὲ διὰ τοῦτο ἐπονομασθέντι, ὅτι λίθοις δικαίως
διὰ τὰς ἀπείρους αὐτοῦ μαγγανείας καταχωσθεὶς, ὑπέσχετο μετὰ
τρεῖς ἡμέρας τοῖς πονηροῖς αὐτοῦ συμμύσταις ἀναστήσεσθαι. καὶ προσ-
καθημένοις αὐτοῖς τῷ βδελυρῷ αὐτοῦ λειψάνῳ, μετὰ τρεῖς ἡμέρας
ὡς λύκος ἐν αὐτῷ δαίμων ἐφάνη, τῆς σοροῦ τῶν λίθων ἐξερχόμε-
νος, Ἀνάθεμα. In ſecundo anathematiſmo pariter Tychico anathe-
ma dicitur, cui ſacrarum literarum, & ſpeciatim Evangelii Matthæi
tribuitur corruptio. Idem omnes de Deo Patre & Spiritu S. ſententi-
as ad ſpiritualem ſuum patrem traxiſſe dicitur. In anathematiſmo
quarto mentio fit ψευδεπιγράφου τοῦ Ἡσαΐου ὁράσεως a Maſſalianis
circumlatæ, in qua præter Trinitatem ab Orthodoxis agnitam, de alia
quadam Trinitate, in ſupremo ſeptem cœlorum cœlo ſedem ſuam ha-
bente, multa temere jactentur. Ex anath. VII patet, doxologiam ab
Oratione Dominica reſecuiſſe hoſce hæreticos. Chriſtopolitas vero
eos ſeſe appellari voluiſſe, anath. XII docet. Tacemus nunc, quæ
de ſacro baptiſmate, de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti, de
ædibus publico Dei cultui deſtinatis, & aliis hujusmodi ipſis objiciun-
tur, utpote quæ magnam partem ab Epiphanio, Theodoreto & aliis
etiam annotata fuerunt.

Triumphum iſtum Euthymii excipit Τάξις γινομένη ἐπὶ τοῖς ἀπὸ Μανιχαίων καὶ Παυλικιανῶν ἐπιστρέφουσι πρὸς τὴν καθαρὰν πίστιν, h. e. *Formula recipiendi eos qui a Manichæorum & Paulicianorum hæreſi ad fidem orthodoxam revertuntur*. Deſcripta hæc quoque ab Autore e codice Vindobonenſi fuit, ad cujus oram doctiſſimus Lambecius notaverat, in Euchologio Græcorum quidem jam editam eam eſſe, ſed duplo auctius eſſe exemplar Vindobonenſe, (quamvis id quoque capite & calce mutilum inveniamus, quorum utrumque tamen ex Euchologio facile ipſi reſtitui poteſt) & ſingularia multa ad hiſtoriam Manichæiſmi facientia continere. Unde & Petri Siculi Hiſtoriam Hæreſeos Manichæorum plurimum ex ea illuſtrari & emendari poſſe cenſebat. Ut rectius Formula hæc a Lectoribus intelligeretur, ſatis prolixam præcipuorum Manetis dogmatum recenſionem Tollius in notis inſtituit, quibus tamen, utpote aliunde ſatis notis non immoramur. Minime autem vulgare eſt, quod ad illum hujus Formulæ locum, quo execrare jubetur ad Eccleſiam rediturus eos, qui Zaradam, & Budam, & Chriſtum, & Manichæum, & Solem unum eundemque eſſe ſtatuunt, annotavit. Nam ut de iis ſaltem pauca quædam dicamus, quæ de Zarada obſerva-
p. 135. vit, primo quidem plures hoc nomine extitiſſe docet. Deinde varie apud varios autores hoc nomen ſcribi notat, dum alii *Zaſradam*, alii *Zaretam*, alii *Zaratum*, *Zabratum* alii, nonnulli deniq; etiam *Nazarathum* (pro quo tamen *Mazarathum* potius legendum eſſe ſibi perſuadet, ſic ut τὸ *Ma* articuli ſpeciem obtineat) nobis exhibent. Idem omnino etiam nomen eſſe credit *Zarouæ*, quod Arabicum *Zarahou* eſſe, h. e. *omnium ſatorem*, ſibi perſuaſerunt Viri docti, a quibus tamen diſſentit Tollius noſter. Ille enim cuncta iſta nomina a voce Ζαρὰ potius, quæ Hebræis זָרַח eſt, h. e. *oriens* vel *orientalis*, ſeu *claritas*, Græce αὐγὴ, derivanda eſſe exiſtimat. Hinc enim eſſe ait Ζαρίτης, *orientalis*, & Ζαρῆτις, *Diana* Perſice, apud Heſychium, eoque etiam ſpectare locum Theodori Mopſueſteni apud Photium, qui de Ζαρουαμ agens dicit: ὃν καὶ ἀρχηγὸν πάντων εἰσάγει Ζαράδης, ὃν καὶ τύχην καλεῖ; ubi pro τύχην legendum eſſe αὐγὴν Tollius exiſtimat. Confirmat hanc emendationem, pariter ac etymologiam nominis Zaradæ, quod bonus Manetis Deus lux fuerit, quodq; hodienum etiam *Zar* apud Perſas argentum a ſplendore, *Zarduxt* vero amicus ignis dicatur, & deniq;

monet,

monet, 3. Reg. 4,30 Γαιθὰν Ζαρίτην apud Lxx idem eſſe, quod ſtylo Novi Teſtamenti Γαιθὰν ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν. Ut vero alia quædam etiam ex ſingularibus, quibus Formulam hanc refertam Lambecius credebat, in medium afferamus, indignum forte mentione noſtra non videbitur, quod Ἀπλανάριοι cognominatos fuiſſe Orthodoxos a Manichæis ex ea pateat, fabulas ſcilicet de animæ πλάνη & migratione in alia corpora reſpuentes. Nec prætermittenda hic librorum Manetis & Manichæorum recenſio, quos quidem hoc ordine Formula iſta execratur: primo volumen epiſtolarum Manetis, deinde τὸ ζῶν Εὐαγγέλιον, porro Θησαυρὸν ζωῆς, Μυστηρίων βίβλον, in quo legem & Prophetas evertere eorum inſania conata fuit, Apocryphorum librum, librum Ἀπομνημονευμάτων, librum inſcriptum Adæ, ut & Adimanti, Moſiſq; & aliorum Prophetarum, Agapii Ἑπτάλογον, Ariſtocriti librum Θεοσοφία inſcriptum, in quo Judæorum, Chriſtianorum & Gentilium unam eandemque doctrinam eſſe demonſtrare conatus fuit: quod ut eo facilius hominibus perſuaderet, Manetem, quaſi malum hominem inceſſere & traducere non dubitavit. Iſtis autem omnibus Theſaurum minorem & librum de Aſtrologia, γιγάντειον item βίβλον, quem ab Heracliano confutatum e Photio diſcimus, Tollius in notis adjecit. Præter Manetem anathema quoque in hac Formula dicitur parenti ejus Patecio & matri Caroſſæ, item ὑπομνηματισταῖς ejus καὶ ἐξηγηταῖς τῶν τούτου συγγραμμάτων, Hieraci nempe, Heraclidæ & Aphthonio, ut & reliquis omnibus diſcipulis illius: ex quibus præcipue nobis commemorandus videtur Siſinius, qui διάδοχος τῆς τούτου μανίας fuiſſe, & Thomas, qui Evangelium Manichæorum ſcripſiſſe dicitur. Præterea enarrantur quoq; inſignes Eccleſiæ eorum, quales eſſe dicuntur Macedonia, ſive quæ in Colonia, Ciboſſa: Achaïa, ſive quæ Samoſatis Manalis: Laodicea, ſive quæ in Lycia Argaïs: Coloſſenſis, ſive Cynochoretarum; Epheſiorum; item quæ Mopſueſtiæ, & Philippenſis. Pro Apoſtolo Paulo, Paulum Callinices filium colere dicuntur, cujus quatuor diſcipulos ad inſtar quatuor Evangeliſtarum recipiant, tribus autem reliquis SS. Trinitatis nomen imponant. Horrenda vero ſacra ſua & concubitus promiſcuos Calendis Januariis celebraſſe dicuntur. Sed ſatis de Manichæis ex iſta Formula.

p. 140.
p. 142.
p. 144.
p. 146.
p. 148.

Sequitur eam inter Inſignia Tollii Theodori Studitæ πρὸς τοὺς

*μαθητὰς αὐτοῦ Διαθήκη*, h.e. *Teſtamentum ad diſcipulos ſuos*, ex Bibliotheca Academiæ noſtræ Paulina deſcriptum, quod cum nihil fere notatu dignum contineat, niſi quod fidei ſuæ confeſſionem de SS. Trinitate, imaginum cultu, & aliis nonnullis in eo edat, ſimulque monaſterii ſui Præſulem variis monitis inſtruat, non eſt quod eo Lectores noſtros multum detineamus. Minus autem adhuc opus eſt, ut de Macarii Alexandrini Sermone, qui extremum inter hæc Inſignia locum occupat, *περὶ ἐξόδου ψυχῆς δικαίων καὶ ἁμαρτωλῶν* inſcriptus, verba faciamus. Edidit enim illum ex modo memorata Bibliotheca noſtra Paulina, ex qua eundem Tollius quoq; nunc protulit, jam aliquot abhinc annis præclarum Angliæ decus Gul. Cave, in ſua Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoria Literaria. Ei tamen præter verſionem Latinam, Tollius variantes codicis cujusdam Vindobonenſis lectiones adjecit.

## *ABRAHAMI GORLÆI DACTYLIOTHECA CUM EXPLICAtionibus JACOBI GRONOVII.*

Lugd. Bat. apud P. Vander Aa, 1695. 4. Conſtat plagulis 21, & figurarum ænearum plagulis 73.

NUllum eſt Antiquitatum genus, in quo illuſtrando plurimum olei & operæ non impenderint elegantia hujus ſeculi ingenia. Usq; adeo non numiſmata tantum antiqua, marmorumque ac lapidum inſcriptiones, ſed annulos etiam ſignatorios veterum gemmasque figuris inſignitas curioſis oculis involarunt. Et in his quidem in lucem protrahendis explicandisque uti *Fortunius Licetus*, *Joannes Chiffletius*, *Joannes de Laet*, *Jo. Petrus Bellorius*, *Michael Angelus Cauſeus de la Chauſſe*, *Laurentius Begerus* pluresque alii haud perfunctorie laborarunt: ita Duumviri inprimis celeberrimi *Abrahamus Gorlæus* Antverpienſis, & *Leonardus Auguſtinus* Senenſis omnium judicio eminuere, ingenti id genus gemmarum annulorumque ſupellectiſe undique conquiſita, ac iconum æri elegantiſſime inciſarum beneficio cum Orbe Erudito communicata. Verum cum Gorlæus in Dactyliotheca ſua nonniſi nudas gemmarum ſculpturas, ſine ulla explicatione, præloquio tantum de annulorum origine variisq; eorum generibus & uſu apud priſcos præmiſſo exhibuiſſet: Auguſtinus autem gemmis, quas depictas dedit, illuſtrandis annotationes quidem adjunxiſſet, ſed

Italico

Italico ſermone compoſitas, ut ejus linguæ imperitis uſui non eſſent; præterea opus utrumque comparari ægre, nec niſi magno ære poſſet: occaſionem ſibi oblatam vidit arripuitque celeberrimus Gronovius, qua poſt tot alia in Rempublicam Literariam merita, novo ſibi beneficio elegantiorum literarum cupidos obſtringeret. Itaque primum Leonhardi Auguſtini Gemmas typis elegantiſſimis denuo expreſſas, una cum ejus annotationibus, & his quidem ex Italico in Latinum ſermonem translatis, Amſtelodami A. 1685, ut in illius anni Actis pluribus commemoravimus, edidit: & ſuperiore anno Lugduni Batavorum Gorlæanam quoque Dactyliothecam, poſtquam a prima ejus editione, eaque, quod ſciamus, nunquam repetita, integrum, & quod excedit, ſeculum lapſum eſſet, luci reſtituit, quin & collectis aliunde tum ineditis tum editis annulorum figuris triplo fere auctiorem reddidit, adjecta inſuper ſingulorum ſuccincta quidem ſed utiliſſima explicatione. Ut adeo elegantiſſima iſta Gorlæi & Auguſtini Opera non proſtent tantum nunc publice, ſed multo majore cum fructu, quam olim, ab omnibus Antiquitatum elegantiſſimarum cultoribus poſſint pervolvi.

## Der Evangeliſchen Kirchen Rettung ꝛc.

*EVANGELICÆ ECCLESIÆ VINDICIÆ ADVERSUS CULPAM ſchismatis & communionis cum hæreticis antiquis falſo eidem impactam; juſſu Sereniſſimi ac Potentiſſimi ELECTORIS BRANDENBURGICI dubiis a M. Jo. Erneſto Grabio Conſiſtorio Electorali Sambienſi exhibitis oppoſitæ a PHIL. JACOBO SPENERO D. Electori Brandenburgico a Conſiliis Eccleſiaſticis & Præpoſito Berolinenſi.*

Francofurti ad Mœnum, apud Jo. Davidem Zunnerum, 1695 in 4.
Conſtant Alphab. 2. plag. 14.

POſteaquam natus in Eccleſia Lutherana educatusque M. Jo. Erneſtus Grabius in Papæorum partes propenſus dudum fuiſſet, illud imprimis oſtendendum ſibi venire ratus eſt, quod cauſas hujus rei utique ſatis idoneas habuerit. Quamobrem peculiari eas ſcripto coram illuſtri Conſiſtorio Sambienſi expoſuit, & quæ in hoc negotio

gotio conſcientiam ſuam maxime vellicent, momenta ad duas haſce inculpationes revocavit: primo videlicet, Lutherum una cum aſſeclis a ſancta Catholicaque Eccleſia, in qua purum verbi præconium & legitima Sacramentorum adminiſtratio viguerit, ſeceſſionem feciſſe, cœtumque contra eam proprium formaſſe, unde iis Schiſmaticorum nomen jure competat; deinceps multa Lutheranos fovere dogmata, quæ veteres & ab Eccleſia dudum damnatas opiniones renovent ac propugnent, atque eo pacto efficiant, ut & ipſi in Hæreticorum claſſem referri mereantur. In utroque ſigillatim probando late occupatus eſt. Et quod ad prius quidem attinet, definitionem ante omnia Schiſmaticorum ex Cypriani & Concilii CPtani I. teſtimoniis depromit, eosque tales eſſe dicit, qui adverſus Sacerdotes faciant, hoſtes altari, adverſus ſacrificium Chriſti rebelles, qui contemtis Epiſcopis & DEI Sacerdotibus relictis, conſtituere audeant aliud altare, & ſic porro. Qua in deſcriptione conſentientes ſe habere ait Optatum quoque Milevitanum, Hieronymum, Auguſtinum, Eccleſiæque antiquioris Patres alios. In Lutheranos autem ſingula hæc prædicata omnino quadrare affirmat, & ut ne hoc temere dixiſſe videatur, modis quibus poteſt, omnibus id manifeſtum reddere contendit. Præſupponit vero, quod ipſa Auguſtana aliæque Proteſtantium confeſſiones largiantur, unam ſanctam Eccleſiam perpetuo manſuram eſſe; unde & illud ſequi vult, ſemper manſurum Miniſterium Eccleſiaſticum aut ejusmodi collegium Sacerdotum, qui Evangelium pure prædicent, & Sacramenta modo debito adminiſtrent. Eo etenim promiſſiones quoque illas tendere, quas Jer. XXXIII, 18. Eſ. LXII. Joh. XIV. 16. reperire licet. Non iſtud interim inficiatur, quod Miniſterium illud in locis aliquibus, aut ferme etiam ubique, variis interdum corrumpi poſſit abuſibus, præſertim ſi illius membra Simoniam exerceant, ambitionive dediti ſuper alios proterve ſe extollant; nihil autem hæc vel verbi præconio, vel ſacramentorum erogationi detrahere exiſtimat. Ulterius exinde colligit, quod Eccleſia vera ſemper eſſe & manere debeat viſibilis; quam theſin inſuper effatis Eſ. II. 3. LX, 12. Zach. XIV, 17. roborari, & in Auguſtini, Chryſoſtomi, imo & Melanchthonis ac Chemnitii ſuffragiis fundari perhibet. Tandem concludit, quod Eccleſia ad modum antea memoratum deſcripta non uni alicui angulo incluſa lateat, aut paucis quibusdam provinciis continea-

continеatur, ſed potius catholica ſit, & per univerſum orbem ſe diffundat. Qua de cauſa non Apologiam modo Auguſtanæ Confeſſionis in ſubſidium advocat, ſed plura quoque veterum Doctorum placita circa nomen Catholicæ Eccleſiæ recenſet. Atque his ita prælibatis infert, dubium haud eſſe, quin Lutheri quoque tempore talis Eccleſia extiterit. Ad quæſtionem vero: utrum eadem Romana fuerit? aut affirmative reſpondendum cenſet, aut negative. Si affirmative reſpondeas, Lutheranos manifeſte effici ſchiſmaticos ſubſumit, & odium eorum adverſus Eccleſiam Romanam teſtimoniis non unis comprobat. Si viciſſim in negativam quis ſententiam inclinet, indicari poſtulat, ubinam alias locorum reperiunda ea fuerit? Si Græcam heic aut ſolam aut cum Romana junctam nomines, Lutheranos nihiloſecius fuiſſe ſchiſmaticos obtendit, ut qui & ab illa multum abierint. Si Waldenſem, aut Wicleſitarum, aut Huſſitarum Eccleſiam ſubſtituas, primo quidem ei addictos hæreticos fuiſſe regerit ſchiſmaticosque; deinceps vero, ſi vel maxime inter eos Eccleſiam veram admittere velis, Lutheranos tamen & ab illis ſeceſſiſſe monet. Sigillatim, quod ad Johannem Huſſum & Hieronymum Pragenſem, horumque poſteros, Calixtinos attineat, manifeſto ſe Lutherum ex communione cum ipſis excluſiſſe ſuperaddit. Ad objectionem vero, quod Lutherus a Curia ſolum Romana & Græca, non item a communione hominum ſimplicium fidem puriorem tenentium ſeceſſerit, reſpondet: hoc ſi fundamenti loco ponere foret integrum, tunc omnes propemodum ſchiſmaticos a ſchiſmate liberos aſſerendos, quandoquidem nullus eorum totam facile Eccleſiam rejeciſſe deprehendatur. Teſtes deinceps illos veritatis, qui ex medio Papatu hinc inde a Flacio & Gerhardo producantur, vitia equidem Paparum, Epiſcoporum & Clericorum reliquorum taxare, quosdam etiam in hac vel illa controverſia nondum definita neque fundamentali diverſas habuiſſe ſententias, ſed nullum occurrere, qui doctrinam Eccleſiæ Romanæ blaſphemam, ejusque cultum idololatricum dixerit, aut ſi qui hæc affirmare auſi fuiſſent, eos non Romanæ Eccleſiæ genuina membra, ſed hypocritas hoſtesque veritatis nuncupandos aſſerit. Simpliciores, qui dogmata ſua erronea agnoſcere ob infirmitatem ſuam non potuerint, hæreticos vocat materiales, & ab Eccleſia vera excludit, quippe quæ cœtus ſit vere credentium & rite utentium Sacra-

mentis. De cætero, ſi qui excipiant, Lutherum tamen & Lutheranos cum ſimplicioribus in Eccleſia Romana & Græca Symbolum Apoſtolicum conſtanter tenuiſſe, & indivulſo charitatis nexu cum ipſis cohæſiſſe, reſpondet iisdem argumentis ſuam cum Catholica Eccleſia communionem quoad prius quoque Novatianos, & quoad poſterius Donatiſtas, jactare potuiſſe, qui tamen a Doctoribus orthodoxis jure refutati fuerint; imo & aliorum exempla, quæ huc quadrare autumat, in medium producit. Denique aut pravam Clericorum in Eccleſia Romana Græcave vitam, aut dogmata erronea ab ipſis propugnata, Lutherum ad ſegregationem commoviſſe ſupponit. Si vitam pravam aſſumſeris, cauſam certe ſchiſmatis non adeo prægnantem in ea latere arbitratur, & Auguſtini imprimis adverſus Donatiſtas, ſimilibus fundamentis innixos, diſputationes adducit. Si viciſſim errores pro genuinis rationibus alleges, diſpiciendum, an fundamentales illi fuerint, an minus? In poſteriori caſu iterum cauſas seceſſionis ſufficientes nondum apparere; in priori autem haud requiri, ut oſtendatur, quænam tunc Eccleſia fundamentalibus iſtis erroribus caruerit? & perpendendum interea prudentioribus relinquit, quo in cenſu illum habere juſtum foret, qui hodie Eccleſiam peculiarem & ab aliis quibuscunque diverſam adornare ſuſciperet. Hæc in prima ſcripti ſui ſectione commentatus fuit Grabius. Jam in altera quosdam, ceu vocat, Lutheranorum errores producit, eorumque cum hæreticis antiquis convenientiam ſtatuminare allaborat. Et Simonianis quidem illos primo aſſimilat, quorum inter alia hæc notentur dogmata: homines ſalvari per fidem, aſt neutiquam per bona opera; legemque non amplius metuendam, ſed poſſe homines tanquam liberos facere, quæcunq; voluerint. Quoad prius indubium eſſe putat Lutheranorum cum Simonianis conſenſum; poſterius non univerſæ quidem eorum Eccleſiæ, ſed Luthero tamen haud fruſtra objici poſſe, ſi dicta quædam ejus (quæ heic etiam in medium proferuntur,) conſideres. A Simonianis progreditur ad Novatianos, & Lutheranos eodem modo atque illos chriſma repudiare oſtendit. Eosdem porro Lutheranos ad exemplum Aërianorum preces & oblationes pro defunctis negligere; jejunandi ſtata tempora & imprimis jejunium quadrageſimale parvi pendere; ac diſcrimen inter Epiſcopos & Presbyteros tollere. Cum Joviniano cœlibatus ſelectusque ciborum merita eosdem impugnare,

pugnare; & cum Vigilantio in cultum reliquiarum, inque poſſeſſionum elargitionem pauperibus factam iniquiores eſſe cauſatur. Maxime vero iſtud obſervari flagitat, quod Lutherani non easdem modo cum hæreticis jam nominatis ſententias profiteantur, ſed easdem quoque cum iis probationes urgeant, utpote qui v. g. in impugnando merito bonorum operum cum Simonianis ad Rom. III. 28; cum Aërianis adverſus præcepta Eccleſiæ de jejuniis & ciborum delectu ad Gal. V, 1; cum Joviniano adverſus eadem jejunia ad 1. Tim. IV. 1. ſqq. provocare ſoleant. Scrupulum quoque haud levem ex eo ſibi natum aſſerit, quod Lutherani doceant, idiomata divinæ naturæ de humana Chriſti natura in abſtracto poſſe prædicari, & imprimis omnipræſentiam quoque eidem debere attribui; quo pacto renovari autumat Eutychianiſmum, & proprietatem humanæ naturæ tolli contendit. In Articulo de vita Chriſtiano digna duras ſibi admodum videri Lutheranorum traditiones de cœlibatus ac paupertatis voto parum neceſſario; & circa Sacramenta de ſacrificio Miſſæ impugnato, mutatoque Liturgiæ ordine non pauca moneri poſſe; ſe vero hæc & alia ejusmodi prolixius urgere nolle affirmat, atque ita ſuæ diſſertationis filum abrumpit.

Nos cuncta hæc in anteceſſum cum Benevolo Lectore paulo fuſius communicanda duximus, quandoquidem ex iis haud mediocrem ei lucem pollicemur, ſicubi is ad recenſendam jam a nobis dubiorum hactenus propoſitorum refutationem attendere voluerit. Vix enim ſuum illud ſcriptum laudato ante Conſiſtorio Grabius obtulerat, cum Potentiſſimus *ELECTOR BRANDENBURGICUS* Theologorum Lutheranorum trigam ad ſuſcipiendum ejus examen mandato ſuo clementiſſime excitaret, cui ſe unusquisque etiam obſequentiſſimum præbuit, ſingulique partes ſibi demandatas ad eum modum executi ſunt, quem nunc ediſſeremus.

Primus itaq; horum, Reverendus maxime Spenerus, ſuas, quas vocat, vindicias ita adornavit, ut antequam ad ipſa adverſarii dubia (quæ ad hujus tractatus calcem integra comparent,) progrederetur, in anteceſſum nonnulla monere voluerit, quæ ad hanc controverſiam generatim pertinent. Videlicet multa heic in medium afferri videas, quæ & alias occurrunt apud Theologos, de Eccleſiæ definitione, diviſione, notis, perſeverantia, viſibilitate aut inviſi-

bilitate, unitate, attributisque ejus aliis. Præcipue, quantum ad viſibilitatem aut inviſibilitatem attinet, illius rationem prolixius deducit, & ea, quæ circa eandem obſervari mereantur, monita declarat. Unitati porro Eccleſiæ cum ſchisma contrarietur, inde in hujus natura accuratius delineanda ſedulo verſatur, & ſchiſmata potiora, quæ paſſim in Eccleſia Novi Teſtamenti orta fuerint, enumerat. Eccleſiam Romanam vel maxime pro apoſtatica habendam eſſe non unis argumentis probat, aſt multos tamen in eadem peculiari Numinis Divini beneficio ab iſta labe immunes ſervatos neutiquam inficiatur, exitumque ex hac Eccleſia non ſolum a Deo prædictum, ſed & juſto utique titulo ſuſceptum fuiſſe, in theſi adſtruit.

Propius dehinc accedens ad antitheſin, impactum ante omnia Lutheranis ſchiſma contemplatur, & preſſo ubivis pede adverſarii veſtigia inſequitur. Dudum vero iſtud a ſe amolitos fuiſſe majores noſtros annotat, & loca huc ſpectantia ex Auguſtana pariter Confesſione atque ejus Apologia, ex habito A. 1541 Melanchthonis cum Eccio Wormatiæ colloquio, & aliis hujusmodi ſcriptis allegat. Enumeratis poſtmodum iis obſervationibus, quas tenere circa ſchiſmatis definitionem opus ſit, ad derivatas ex Auguſtana Confeſſione a Grabio hypotheſes ſe confert, ibidemque adſtrui concedit, Eccleſiam ſemper manſuram; notat vero Eccleſiam intelligi univerſalem, per totum terrarum orbem diffuſam, notat intelligi Eccleſiam inviſibilem. Utut enim prædicati in eadem verbi & adminiſtratorum Sacramentorum mentio occurrat, quæ alias Eccleſiam reddere poſſint viſibilem, non tamen hæc ad ipſius exiſtentiam abſoluta ſemper neceſſitate requiri, quin potius ad ſtatum ejus florentem referenda eſſe perhibet, ac nihil impedire, quo minus ad diverſum illum ſtatum majores noſtros ibi reſpexiſſe, & in verbis prioribus de eccleſia inviſibili locutos dicamus, ita, ut illam quidem, ſed non item hanc, veluti perpetuo manſuram introduxerint. Unde infert, quod Miniſterium viſibile haudquaquam omni tempore adeſſe debeat, cum neceſſitate ſic urgente vel ipſa Eccleſiæ membra ſeinvicem inſtruere, & ex divinis oraculis ædificare interdum valeant. Ad verba Jeremiæ ex capite XXXIII, 18. prolata reſpondet, in iis potius agi de Sacerdotio Chriſti in perpetuum duraturo, at ſi nihilominus de Miniſterio eccleſiaſtico ea exponere luberet, non tamen exin viſibilem Eccle-

ſiam

ſiam ſemper manſuram exſculpi poſſe, ideo quod hoc aſſertum ad Eccleſiam quoque inviſibilem quam optime ſe accommodari patiatur. Ad locum Eſ. LXII, 7. notat, inter alia probandum Grabio, quod is de omni ævo promiſſionem contineat, cum certe ad initia N. T. & ad tempora duntaxat Apoſtolorum directus eſſe videatur. Neque multum adeo conferre huc locum Joh. XIV, 16. quem quidem in hac materia Gerhardum noſtrum allegaſſe antagoniſta glorietur: ipſum enim Gerhardum latius oſtendiſſe, quo ſenſu eum capiat, dum ex Spiritus S. præſentia Eccleſiæ promiſſa neutiquam concludi poſſe ſcripſerit, quod illi, qui titulum Eccleſiæ ſibi arrogent, & in publico miniſterio conſtituti vivant, ab omni errore immunes permanſuri ſint. Deum namque & per corruptum verbi miniſterium poſſe ſibi filios ſpirituales gignere, & in corruptiſſimo Eccleſiæ viſibilis ſtatu ſanctum quoddam ſemen conſervare, quemadmodum id hiſtoria temporum Eliæ teſtetur. Prout autem, quæ dicta ſunt ab adverſario de abuſibus, in quos nonnunquam miniſterium prolabatur, ipſam Eccleſiam nondum penitus tollere valentibus, facile concedit Noſter, ita multum ab eodem abit, ubi ad neceſſitatem viſibilitatis Eccleſiæ veræ nunquam interrumpendæ ventum eſt. Loca enim, quæ vel ex Scriptura, vel aliunde protulerat, iſtud, quod debebant, haud probare latius declarat. Poſtremo Eccleſiam veram eſſe catholicam, & per orbem univerſum diſperſam, admittit quidem; negat vero, quod in ea diffuſione ubivis locorum ſub forma viſibili neceſſario cognoſci debeat. Everſis hoc pacto hypotheſibus, quas in fundamenta ſtructuræ poſtea ſuperimpoſitæ Grabius paraverat, quæſtionem ab eodem agitatam: utrum Eccleſia Romana tempore Lutheri talis Eccleſia fuerit? ita reſolvit, ut ſimilem primo hanc in medium afferat: utrum Eccleſia Judaica eo, quo Chriſtus naſcebatur, & in his terris vivebat, tempore, illa fuerit Sanctorum congregatio, in qua Evangelium pure prædicatum & Sacramenta rite adminiſtrata fuerint? Dehinc neque affirmando ſimpliciter, neque negando, ſed ita reſpondendum eſſe ad hanc non minus atque illam exiſtimat: In Eccleſia Romana (ſed ea nequaquam ſola, verum & in aliis cœtibus Chriſtianis) ſanctam conſervatam eſſe Eccleſiam in ſancto illo ſemine, quod ſibi Deus conſervavit, ibidemque Evangelii purum viguiſſe præconium, & Sacramenta rite partim porrecta, partim debito, quantum fieri

potuit, modo uſurpata fuiſſe. Quod ſi ergo Lutherum exiviſſe ex Eccleſia Romana aſſeramus, non a ſancto hoc ſemine, ſed a cœtu malignantium eum exiviſſe a nobis refert innui, ſicuti & illi, qui e Synagogis Judaicis ob confeſſionem nominis JESU ejecti leguntur Joh. IX, 22. 34, a maxima quidem pravorum copia, ſed neutiquam a communione genuinorum Iſraëlitarum ſeparati fuerint. Viciſſim tamen, ſi Eccleſiam Romanam veram tunc Eccleſiam fuiſſe negemus, Grabium minime poſtulare poſſe, ut ubinam alias locorum Eccleſiam veram reperire licuerit, exponamus; tuto enim aſſeri, quod nulla tunc viſibilis extiterit, in qua pure per omnia verbum prædicatum & absque ullo defectu Sacramentorum erogatio celebrata queat aſſeri; ſanctum interea ſemen ubique reſiduum manſiſſe, adeo ut fruſtraneam is operam impendat, qui certo duntaxat cœtui prærogativam illam aſſerere nitatur. Eam ob rem, quæ ratio tunc fuerit Eccleſiæ Græcæ, quæ Waldenſis, Wicleſiticæ & Huſſiticæ, demonſtrat, & quod Lutherus in ſingulis quidem defectus aliquos notarit, eos tamen propter totas minime damnarit, ſedulo inculcat. Longum vero nimis foret, ſi quæ de unaqualibet earum monuit, excerpere ſatageremus, neque cuncta huc transferre licet, quæ ad objectiones adverſarii de Lutheri cum ſimplicioribus in Eccleſia Romana communione reponit Noſter, quæque de eorum, quos iſte hæreticos ſeu ſchiſmaticos materiales appellavit, cum Eccleſia non quidem viſibili, aſt inviſibili tamen, combinatione, de conſenſu cum Symbolo Apoſtolico jactatoque charitatis nexu ad formale communionis nondum ſufficiente commentatus eſt. Properamus potius ad ea, quæ circa cauſas ſusceptæ a Luthero ſeparationis accumulat. Magnam fieri Luthero ait injuriam, ſi dixeris, quod vita Clericorum prava ad ſeceſſum a Romanis faciendum impelli ſe paſſus fuerit; quin potius ob taxatos ab eo pro modulo & ratione ſui muneris abuſus a Romano Papa ipſum fuiſſe ejectum innuit. Errores vero fundamentales non univerſæ Eccleſiæ Romanæ, Curiæ tamen & Clero in eadem a noſtris olim objectos, & proinde merito hos ab illis ſeparatos adjicit. Interim lubentiſſime concedit, quod is, qui hodie Religionem novam ſibi cuderet, cum ſuo iſto propoſito haud præter rem damnandus eſſet; quandoquidem his temporibus per Dei gratiam tali Eccleſia non careamus, cui veræ illius atque unicæ

requi-

requiſita jure optimo vindicentur; id quod Lutheri ævo talibus ex circumſtantiis, quæ nunc ſint obviæ, affirmari non potuerit. Ut autem culpam ſchismatis eo ſolidius a noſtra Eccleſia Auctor removeat, eandem majori cum evidentia in Romanam retorqueri poſſe docet, ac idcirco e Kortholdi libello, cui Papæ Schismatici titulum indidit, præcipua huc affert, atque alia ſubin de ſuo inſuper adjungit. Summa autem horum omnium eo redit, ut ſeceſſionem a Luthero factam zelo maxime laudabili pro gloria nominis divini & propagatione veritatis aſſerenda innixam, injuſtaque reorum oppoſitione, quin & violenta illorum, qui in iſtis corrigendis deſudarunt, ejectione, adhibitisque mediis ipſi conſcientiæ vim inferentibus, promotam fuiſſe evincat. Singula ex hiſtoriis illorum temporum late deducuntur, & duplici adhuc argumento alio idem aſſertum roborante concluditur: videlicet odium, quod ſchismati adhæreat, non ex noſtra, ſed Pontificiorum parte quærendum venire, quandoquidem majores noſtri vitiis equidem Papatus, non autem hominibus iisdem infectis, ſuccenſuerint, horum quippe, dummodo ipſi voluiſſent ad mentem ſaniorem redire, ſalutem votis ardentiſſimis exoptantes; cum contra Papæi monitorum ſaluberrimorum impatientes peſſimam his gratiam retulerint. Deinceps illos notam ſchismaticorum reprehenſione dignorum neutiquam incurrere, qui ab eo cœtu maturata fuga exeant, in cujus communione citra peccatum ſubſiſtere non poſſint.

Hæc pro modo inſtituti noſtri ex reſoluta prima adverſarii ſectione decerpere allubuit. Nunc ea pariter perluſtranda ſunt, quæ Noſter ad alteram eodem ſtudio regeſſit. Exorſus igitur (poſt ſuppeditata monita de circumſpectione, quam is, qui alterum hæreſeos inſimulare velit, adhibere debeat,) a Lutheranorum cum Simonianis convenientia, non certe eam concludendi rationem tanquam validam admittit, quando Grabius ad iſtum modum colligat: hominem non ſalvari per ſua opera Simon quondam docuit, & idem Lutherani aſſerunt, ambo ergo amice in doctrina conſpirant. Idem enim hoc eſſe, ac ſi inferas: Deum eſſe unum, & eſſe Patrem, Filium, & Spiritum S. Simon docuit, docuit & idem Eccleſia priſca Catholica, hæc ergo cum Simone conſpirat; quam profecto theſin nemo facile admiſſurus ſit, qui blaſphemas Simonis in hoc Articulo voces cæteroquin prolatas cogitaverit. Longe enim aliam mentem Simonem habuiſſe, quando

non operibus, ſed fidei, ſalutis conſecutionem adjudicarit, ac ea ſit, quam Lutherani idem aſſerentes teneant. Ibi enim fidem aut in ipſum Simonem directam, aut in nuda ſaltem perſuaſione fundatam, & nil niſi carnalem ſecuritatem procreantem, jactatam reperiri; heic autem longe ſaniora Noſtros confiteri manifeſtum reddit. Ibi nullam adfuiſſe dicit ſanctimoniæ excitationem, quæ heic econtra modis omnibus urgeri ſoleat. Quid? quod & Scriptura & Patres Eccleſiæ idem illud, quod Lutherani, in hoc negotio ſtrenue aſſerant; num ergo & illam quoque & hos Simonianis favere dixeris? Loca vero, quæ in contrarium forſan adverſus doctrinam in Eccleſia Lutherana perſonantem adduci queant, vindicat, atque ea occaſione dicta Ezech. XIIX, 22. XXXIII, 16. Rom. IIX, 10. V, 21. Jac. I, 25. II, 13. Matth. XXV, 35. ſqq. a detorſione adverſariorum liberat; ut adeo nemini non clarum ſatis eſſe poſſit, doctrinam, quod fides ſalvet, non bona opera, pro cœleſti veritate, & neutiquam pro hæreſi Simoniana venditandam eſſe. Eodem modo ſe habere alterum illud Grabii effatum, in quo Lutheranos ob aſſertam Chriſtianorum a lege libertatem Simonis aſſeclas pronunciaverit. Nihil enim huc conferre verba, quæ ille ex Luthero allegarit, utpote cum Lutherus non niſi ex Luthero dijudicandus ſit, ejusque ſententiam de utilitate legis & de neceſſitate vitæ ſanctæ paſſim ex illius ſcriptis cognoſcere queamus. Porro Novatianiſmum a Lutheranis ita removet, ut chriſmatis uſum eodem loco, quo apud nos habeatur, & in Eccleſia antiquiori habitum perhibeat. Eum igitur in finem quædam Baſilii, Paciani, Alexandri ab Hales, Bonaventuræ, Theophili Antiocheni, Tertulliani, Cypriani & aliorum teſtimonia, dicta itidem Scripturæ 2. Theſſ. II, 15. Matth. XIIX, 17. 2. Corinth. I, 21. 22. 1. Joh. II, 27. Pſalm. XXIII, &c. penſitat. Circa prætenſam a Grabio Lutheranorum cum Aërianis ſocietatem, de eo primum diſpicit: utrum Aërius ob dogmata citata rejectus ab Eccleſia antiqua fuerit? & hoc nondum ſatis evictum eſſe reſpondet. Inde examinat: an & quo pacto dogmata illa Lutherani aſſumant ac defendant? Docet nempe, quod haudquaquam absque ullo diſcrimine preces pro defunctis extermineint, & iſtud teſtimoniis Lutheri, Georgii Principis Anhaltini, Urbani Rhegii, & recentiorum, Geieri, Hildebrandi, Urſini, ſimiliumque probat; veteris quoque Eccleſiæ ſententiam de iis in medium adducit, & ſuffragia Theologorum Augusta-

guſtanæ Confeſſioni addictorum plurima, quæ iſti exacte adſtipulentur, coacervat; uſum inſuper ac finem harum precum a Noſtris aſſertum declarat, & ſimili cum induſtria factam pro defunctis oblationem ſub incudem revocat. Nec diſcrimen inter Epiſcopum & Presbyterum ab Aërio ac Noſtris ſublatum tanti eſſe admittit, ut hæreticorum eapropter nomen illi mereantur; præſertim cum Lutherani ipſi in Aërio hoc taxent, quod doctrinam hanc nonniſi ex neglectu ordinationum eccleſiaſticarum invidiaque erga Euſtathium ſibi in Epiſcopatu prælatum tantopere propugnarit. De cætero Epiſcopum & Presbyterum jure divino non differre, a multis, quorum aliquos allegat, dudum eſſe demonſtratum aſſerit. Nec ob neglectum jejunii ad certos dies alligati, & ſigillatim quadrageſimalis, aut Aërianos effici, aut alias quacunq; refutatione dignos reddi Lutheranos oſtendit. Aërium enim ita docentem (ut qui turbulenti homo ingenii fuerit,) ex mera malitia veteris Eccleſiæ ſtatuta convellere voluiſſe; Lutheranos contra medium & in hac ſententia tenere, ac in jejunii præſcripto ita ſeſe gerere, ut ex affectu erga Chriſtianam libertatem laqueum teneriori conſcientiæ injicere modis omnibus caveant. Jovinianum veluti hominem indoctum & agreſtem deſcribit, & eum forſan ad evitandas modo vitæ conjugalis moleſtias virginitatem adeo celebraſſe ſuſpicatur; Lutheranos vero neque cœlibatum conjugio abſolute anteponere, neque citra ullum diſcrimen utrumque ſtatum ad invicem æquiparare, ſed ſuum unicuique tribuere teſtatur. Addit, Lutherum nequaquam virginitatem in ſe conſideratam odio habuiſſe; recte autem impurum Cleri Romani cœlibatum condemnaſſe, quo etiam unice reſpexerit, ubi monaſteria ut funditus delerentur, alicubi optarit. Nec nimis exaggeranda eſſe verba veterum, quando vitam cœlibem angelicam vitam nuncuparint; quippe quæ comparatio, ſi quis ultra juſtos terminos non adſcendat, facili negotio inſtitui poſſit. Rurſus Jovinianum affirmaſſe, quod jejuniorum uſus in ſacris exercitiis plane nullus ſit; verum quam manifeſte Lutherani contraria omnia ſuos edoceant, palam exponit. Vigilantium ab Hieronymo pro more ſuo paulo durius tractatum, nunquam tamen ab Eccleſia pro hæretico declaratum legi annotat. Conſtare interim, quod ille Sanctorum reliquias immundas dixerit, & in locis fœtidis proculcandas cenſuerit; qua in re Lutherani nequaquam ſocios ei ſe adjungant, quin imo ſedulo

providEant, ut ſicut alias, ita quoque heic exceſſum inter & defectum medii obambulent. Ut autem alteri illi errori de bonis pauperibus haud erogandis, quem itidem a Vigilantio Lutherani hauſerint, eo melius ſe opponat, doctrinam prius omnem de bonorum poſſeſſione dilucidat; poſt nullam in ſimultanea eorum erogatione perfectionem ſitam libere fatetur, quinimo ſucceſſivam & pro cujusvis facultatibus moderatam eleemoſynarum largitionem Deo magis placere adſtruit, & objectionibus ex Math. XIX, 21. Act. II, 45. petitis ſatisfacit. Atque ſic pleraque argumentorum Grabianorum proſtrata jacent. Ne quid tamen uſpiam deſideretur, amplius evictum dat, quam elumbe ſit hoc argumentum, quod, dum Lutherani in probandis ſuis theſibus eadem cum hæreticis antiquis dicta allegent, ii vel hoc pacto mentem ſuam amice cum iſtis conſpirantem prodant. Enimvero nebulam hanc offuſam facillimo diſpelli refert negotio, ſi quis inter ipſa dicta & diverſam eorum explicationem atque applicationem diſtinxerit; id quod per exempla quædam ſuperius adducta affatim illuſtrat. Eutychianiſmum a Lutheranis foveri pernegat, & ad ſcripta Theologorum noſtratium communicationem idiomatum dextre explicantia provocat; ſigillatim omnipræſentiam carnis Chriſti pari, ut a nobis, ratione ab antiquis Patribus, iis etiam, qui circa aut poſt Eutychetis tempora in vivis fuerint, aſſertam introducit. Non omnia a Lutheranis vota & eorum obſervationem probat rejici, ac tantummodo in vovendis cælibatu atque paupertate Papæis eos ait cautiores eſſe; unde oppoſito iis a Grabio dicto Paulino 1. Tim. V, 11. 12. minime offendantur. Cæterum, cum dubia, quæ circa ſacrificium Miſſæ & ordinem Liturgiæ adverſarius apud ſe foveat, Auctor heic expromta non viderit, idcirco & ipſe ad finem delatus nihil addit amplius, præterquam quod hæc cuncta huic Eccleſiæ Evangelicæ oppugnatori ſedulo & accurate penſitanda commendet.

## Gründliche Erweiſung/ ꝛc

Hoc eſt:

## *SOLIDA DEMONSTRATIO, QUOD LUTHERUS ET EJUS Aſſeclæ nec ſchismatis, nec hæreſeos accuſari jure queant; exhibitis Conſiſtorio Sambienſi dubiis oppoſita a JO. GUIL. BAIERO.*

Jenæ,

Jenæ, apud Tobiam Oehrlingium, A. 1695. in 8.
Conſtat plag. 22.

MUlto brevius ſcriptum hoc a Theologo νῦν ἐν ἁγίοις, Academiæ tum temporis Fridericianæ Pro-Rectore ac Theologiæ Profeſſore primario, nec non Potentiſſimo Electori Brandeburgico in Ducatu Magdeburgenſi a Conſiliis Eccleſiaſticis, adornatum priore illo eſt, cujus recenſione jam defuncti ſumus, nobisq; adeo in eo referendo prolixitate omni eo magis ſuperſedere licet, quo magis inſuper, quantum ad reſolutiones argumentorum antagoniſtæ principaliores attinet, potiſſima hujus libelli contenta cum ſummis præcedentis capitibus coincidunt. Ac ſane ſi tractatum hunc eo, quo paulo ante uſi ſumus, modo perluſtrare, materiamq; ſingularum fere partium in nucleo exhibere ſtuderemus, non citra nauſeam Lectoris pleraq; eorum, quæ jamtum dicta ſunt, repetere neceſſum foret. Veritas enim uti una ſemperq; ſibi conſtans eſt, ſic ſuos quoq; defenſores accuratos & idoneos nunquam in diverſa rapit, adeoq; & in hiſce ſcriptionibus non poſſunt non, ſi ad ultimam analyſin reſpexeris, cuncta ubiq; ad eundem ſcopum atq; ſenſum collimare. In modo ſaltem proponendi quædam emergere videtur diverſitas, dum, quod Spenerus paulo operoſius prolixiusque, id Baierus conciſe magis & citra argumentorum probantium ac illuſtrantium liberalem adeo elargitionem præſtitit. In prioris culpæ ab Eccleſia Lutherana declinatione eo maxime per totam ſectionem primam reſpicit, quod ſchiſma non a Luthero ſuſceptum, ſed a parte potius Papæorum ipſorummet admiſſum, ſecedendique neceſſitas iſti ab his, modo etiam aperte violento, injuncta fuerit; cui aſſerto fidem conciliat ex indicato ortu ac progreſſu Reformationis, quorum epitomen P. I. §. 61 ad 65. exhibet, & eam in ſubſequentibus adverſus varias objectiones vindicat, theſiq; hac fundamenti in locum ſubſtrata, multis Grabii exceptionibus ſatisfacit. Etenim ſi quid ille agere voluiſſet, hoc præ cæteris incubuiſſe ipſi notat, ut cuivis manifeſto poſuiſſet ob oculos, illam Eccleſiam, a cujus communione Lutherus cum aſſeclis ſe ſeparaverit, unam, ſanctam & catholicam fuiſſe, quæ puro verbi præconio & digna Sacramentorum adminiſtratione partes ſuas expleverit; Lutherum porro & ſocios in communione cum iſta Eccleſia perma-

 nere,

nere, ſi modo ipſis allubuiſſet, potuiſſe, id quod tamen facere recuſaverint; & quidem nil aliud præter odium adverſus ſanctam catholicamque Eccleſiam ad inſtitutum iſtud eos impuliſſe, ex quo deinceps odio peculiaris eorundem ſocietas profluxerit. Neutrum vero horum cum eo, quo debebat, modo pars adverſa comprobaverit, fruſtranea hinc eſſe dicit omnia, quæ in Eccleſiæ Evangelicæ præjudicium confinxerit. In amovendo autem crimine hæreſeos, quod in parte altera Grabius matri ſuæ Eccleſiæ intentavit, ſic verſatur Noſter, ut oſtendat, tum demum alicujus roboris futura fuiſſe argumenta adverſarii, ſi demonſtraſſet, primo, adductas theſes reapſe hæreticas & tales eſſe, quæ fundamentum fidei impugnent ac evertant; ſecundo, eaſdem olim pro hæreticis fuiſſe agnitas & rejectas; tertio, Lutherum atque aſſeclas eadem, qua hæretici antiqui, mente dogmata hæc talia propoſuiſſe atque explicaſſe. At enimvero rem omnem accurate inſpicientibus patere ait, quod in exemplis adductis vel unum aliquod ex hisce requiſitis, vel duo, vel etiam interdum ſingula univerſa deſiderentur, atque hoc in ulteriori uniuscujusque excuſſione amplius probatum dat. Ubi vero cunctos antagoniſtæ ſcrupulos removit, & ejus argumenta ſigillatim atque eo, quo propoſita ab ipſo fuerant, ordine enervavit, ſub finem adhuc in Papæos retorquet tela hactenus in Lutheranos vibrata, illorumque multo clariorem cum variis ex antiquorum hæreticorum numero convenientiam iisdem objicit, licet ultra theſes in tractatu adverſarii productas haud progrediatur. Simonianis quippe eos aſſimilat, quod hi non minus atque illi in traditionibus non ſcriptis mire glorientur; ac Novatianis, ob contemtum conjugii utrinque obvium, quem ipſum etiam Aërianorum eos ſodales efficere obſervat. Cum Joviniano eos comparandos dicit, quod is non ſecus atque ipſi propriis operibus juſtificari coram Deo ac ſalvari voluerit, ſingularemq; in hac vita perfectionem jactaverit. Tandem ſi vel maxime nullus doctrinæ a Vigilantio & a Papæis defenſæ paralleliſmus poſſet efformari, in eo tamen hos ab iſto parum recedere, quod ad illius exemplum innocentem a crimine Eccleſiam multis vellicare modis haud erubeſcant. Quinimo ſingulas quoque theſes, quas pro hæreticis venditarat Grabius, percurrit, & nullam penitus inferri Pontificiis injuriam monſtrare ſatagit, ſi per receptam ab iis ubique antitheſin easdem ipſos tibias cum diverſis, quorum nomina in medium affert, hæreticis inflare quispiam aſſeruerit. Re-

Beantwortung der Dubiorum M. Jo. Erneſti Graben &c.
Hoc eſt:
*AD M. JO. ERNESTI GRABII DUBIA RESPONSIO, ADORnata a BERNHARDO VON SANDEN, Theologo Doctore & Profeſſore in Academia Regiomontana Primario.*

Regiomonti, typis hæredum Reusnerianorum, A. 1695. in 4.
Conſtat Alphabetis quatuor.

Ultimo quidem loco ſcriptum hoc poſt reliqua in lucem prodiit, ſed quantum ad eruditionem Theologicam adhibitamque in ſolvendis adverſarii dubiis dexteritatem, prioribus duobus haud cedit; ſi rerum etiam in eo propoſitarum largam ſpectes ſupellectilem, cum primo per omnia facile contendendum eſt. Quinimo reperias & aliquid in hoc, quod neutri Auctorum hactenus adductorum indagare placuit. Videlicet præfationis ad Lectorem loco integrum diſcurſum concepit Auctor maxime Reverendus, de genuino modo dubitandi ſuper rebus ad religionem attinentibus. Ubi iſtud ante omnia confirmat, quod dubitationes, ut nuſpiam alibi, ſic nec in Theologia citra ullum reſpectum prohiberi debeant. Homines autem dubia ſua heic concipientes cum in ea differentia ſint conſtituti, ut alii Doctorum ſeu in Academia ſeu in Eccleſia officio fungantur, alii viciſſim ſuæ tantum ſaluti privatæ conſulere laborent, rurſusque horum aliqui Eccleſiæ Chriſtianæ membra nondum evaſerint, aliqui econtra in gremium almæ hujus matris ſuſcepti jam ſint, idcirco quam nulli eorum libertas dubia quædam animo agitandi penitus ademta ſit, declarat; aſt ſedulo ſimul, quid ubivis accurate obſervandum ſit, inculcat. Scrupulis nempe his ſcopum haudquaquam alium, præter unicam veritatis inventionem, præfigi poſtulat, & proinde iſtos in religione Scepticos nunquam ultra dubia progredientes rejicit, ac eos tanquam genitores atheorum maxime abominandos deteſtatur. E cenſu porro rerum, de quibus dubitare conceſſum ſit, Librorum Symbolicorum contenta eximit; doctrinas enim, quæ in iis definiantur, tanta ait evidentia probatas haberi, ut qui opponere in contrarium aliquid nitatur, in eorum numerum rejiciendus veniat, quos Paulus 1. Timoth.

VI, 5. Gal. I, 7. & V, 10. acriter pro merito notarit. Dubia vero legitime concepta communicanda eſſe monet minime cum imperitis, imo nec e doctioribus cum iis, quorum doctrina aut ſuſpecta, aut falſitatis abunde jam convicta ſit, facileque fraudem ſubolere monet, ſi quis coram iis, qui veritatem odio habeant, mentem ſuam ambiguam exponat, & tela petat ex ipſorum pharetra; iſtud enim conſilium triſtiſſimos ſemper eventus experiri perhibet. Hinc vero tandem ad dubia a Grabio propoſita accedit, & iſtud primum in eo taxat, quod in horum divulgatione licentiam ſibi nondum conceſſam ſumſerit, quippe cui e vitæ generis præſenti ratione ſcripta ad fidem & religionem ſpectantia cudere ac paſſim diſſeminare integrum non ſit; deinceps monet, haud exiguam eum reprehenſionem incurrere, quod talem ventilare quæſtionem ſuſtinuerit, quales ipſi etiam Doctores & Profeſſores Theologiæ agitare in Corpore Doctrinæ Prutenico manifeſte prohibeantur; ulterius datum hac ratione ab eo urget ſcandalum; ac denique ipſius levitatem notat, qua motus dubia ſua cum Papiſtis contulerit, eademque clam coram juvenibus ac imperitis maxime expoſuerit. A ſe quidem jam ante annos aliquot horum quid conſpectum fatetur Auctor, ſed iſtud receptum quoque ab amico prius aſſerit, quam ſuum de eo judicium in chartam potuerit conjicere. A temporibus autem illis, cum ad meliorem mentem rediiſſe Grabium exiſtimarit, ſe non amplius de ſcripto iſto cogitaſſe; præſertim cum hic expreſſis aliquando verbis Papiſtas inter hæreticos rejecerit, & eorum cum Donatiſtis convenientiam inter confabulandum forte memoratam ita aſſeruerit, ut & quaſdam ſe habere conformitates dixerit, quas Joanni Forbeſio a Corſe, in Inſtructionibus Theologico-hiſtoricis thema hoc pertractanti excidiſſe pateat. Interim quoniam is nunc mentem longe aliam oſtendit, dubia ejus ad manus ſumit, &, licet eum ubivis fere non niſi objectiones Bellarmini a Theologis Lutheranis dudum profligatas denuo in medium proferre innuat, univerſas tamen ſub incudem revocat, ac ſingulas copioſe refellit, adeo, ut & ex hoc libro multum utique utilitatis hauſturus videatur Lector, cui vel controverſiæ Theologicæ ſolide deciſæ, vel Hiſtoriæ eccleſiaſticæ capita erudite expoſita in pretio ſunt; utrinque enim circa themata in hoc negotio occurrentia partes ſuas Auctorem affatim expleviſſe deprehendet. Abſoluto autem opere hoc elenchtico comparent

itidem

itidem nexu nuſpiam interrupto Grabiana dubia, indicatis ſedulo ad marginem iis locis, ubi dictorum refutatio iſtic reperiunda ſit. Sed adjicitur quoque Index dictorum Scripturæ paſſim occaſione ita ferente expoſitorum, Auctorumque allegatorum, & alius idemque prolixiſſimus rerum, quarum notitia e lectione libri ſperanda veniat.

## Ausführliche Beſchreibung der Hütte des Stiffts/ wie auch des erſten und andern Tempels zu Jeruſalem.

Hoc eſt:

*UBERIOR DESCRIPTIO TABERNACULI SANCTI TEMPLIque Hieroſolymitani primi pariter ac ſecundi, adornata a JO. LUNDIO.*

Slesvici, apud Laurentium Eckſtorfium, A. 1696. in 8.
Conſtat Alphab. 3. plag. 17.

SUperiore anno late expoſuimus meritoque commendavimus verſatiſſimi, dum viveret, in Hebraica antiquitate Joannis Lundii induſtriam, quam in id impendit, ut & cultum publicum, quem Numini divino ſacra illa gens hinc a vetuſtiſſimis temporibus præſtitit, e monumentis idoneis erueret, ſummique pariter ac reliquorum Sacerdotum in eo perficiendo præ cæteris occupatorum perſonas, officia, & quicquid alias huc pertinet, deſcriberet. Binos etenim de his thematibus tractatus poſt mortem beati viri relictus ab eodem Filius tunc publicaverat, quorum alterum menſe Majo p. 210, alterum ſequente Junio p. 263. recenſitum dedimus. Atque ſpem ſimul ibi feceramus, fore, ut & loca, ubi cultus ille a Sacerdotibus non minus atque univerſo cœtu peractus fuerit, delineata ab hoc Auctore orbis eruditus cerneret. Nec vanos nos fuiſſe ipſe hic liber, qui jam a nobis ſiſtitur, commonſtrat, in quo & tabernaculum illud ſanctum, & utrumque templum, quo olim Hieroſolymæ ſuperbierunt, vivis quaſi coloribus depictum eſt. Operam ergo eandem, quam duo libri antea commemorati a nobis impetrarunt, etiam in hunc collocare, potiſſimaque ejus contenta ſummatim referre animus eſt.

Bipertitum videlicet eundem eſſe, vel ex ipſa tituli inſpectione jam cuilibet patebit. Primo ſtatim loco conſpiciendum ante oculos proponit Auctor Tabernaculum, idque in ſacro textu mox ſimplici-

ter

Cap. I. ter אהל tentorium, mox cum hoc addito, מועד, quod eſt ex Junii Tremelliique verſione, tentorium conventus appellatum, cujus nominis rationem ille ante omnia indagat, & poſt recenſita alia cognomina, ubinam ante extructum hoc, quod diximus, Tabernaculum in deſerto populus Iſraeliticus convenerit, diſquirit. Et ad certum quidem tentorium hoc factum fuiſſe nullus dubitat, quamvis utrum iſtud pro habitaculo Moſis, an potius pro peculiari quodam & huic uſui ſolum deſtinato loco habendum ſit, in medio relinquat. Ad penitiorem vero iſtius conſiderationem ſe accingens, materiam primo examinat, e qua
2. conſtructum illud legatur. Latera nimirum ejus ad mandatum ipſius Dei conſtituebant aſſeres ex ligno Sittim fabricati, quo de ligno multa diſſerit, & quomodo hi aſſeres erecti, quomodo connexi fuerint, poſt excuſſam eorum menſuram declarat. Hinc ad tecta Tabernaculi progreditur, quorum vicem duo intus aulæa ſubiiſſe ſacras literas inſpici-
3. entibus manifeſtum eſt. Noſter vero horum tum materiam, tum expanſionem, tum colores, tum conficiendi modum, tum alia, quæ rerum iſtarum curioſo abunde ſatisfacient, prolixe excutit. In coloribus præcipue explicandis multum detinetur, ac nonnunquam abit a Luthero, imprimis, ubi iſtum, quem hic vocavit luteum, pro cœruleo agnoſcit.
4. Intextæ his aulæis Cherubinorum figuræ anſam ipſi ſuppeditant, hoc in loco de his ex inſtituto agendi, ut poſtmodum, ubi earum repetita occurrit mentio, deſcriptione generaliori eo commodius ſuperſedere
5. poſſit. Aulæa hæc ſuperimpoſita rurſus alia habebant tegmina, quæ iti-
6. dem ſecundum ſuam materiam formamq; deſcribuntur. Rurſus partes hujus Tabernaculi interiores conſiderat, Sanctum nempe Sanctorum, &, quod impoſterum ſemper vocabimus, Sanctuarium; vela quoque duo, alterum, quod prius iſtud a poſteriori ſecernebat, alterumque, quod poſterius ab inſpectione hominum extra illud conſiſtentium
7. tuebatur. Inde ad exteriora prodit, atriumque Tabernaculum ambiens perluſtrat, ita tamen, ut adhuc ubivis nonniſi ſtructuram architectonicam penſitet. Ac in ſitu quidem hoc notatu ipſi dignum videtur, quod Sanctum Sanctorum occidentem, ingreſſusque in Sanctuarium orientem reſpexerit, & adeo precantes vultum ſuum verſus occidentem dirigere neceſſum habuerint, ſecus ac vel templa pleraque hodienum conſtructa ſint, vel Chriſtiani olim in precibus ſe gerere conſueverint; id quod ea de cauſa factum arbitratur, ut ſuos Deus

a cultu

a cultu Solis exorientis nimium apud populos diverſos frequente revocaret. His ita delibatis ad ſingulas partes revertitur, & quoad res in iis contentas aliasq; circumſtantias, quæ ad eas attinent, mentem ſuam uberius declarat. Negat, Moſen toties in Sanctum Sanctorum in- 8.
greſſum, quoties cum Deo locutus fuerit: Deum namque ex hoc loco ſæpius reſpondiſſe uti haud inficiatur, ita Moſen in Sanctuario duntaxat commorantem oracula hæc divina percepiſſe innuit. Ibi vero 9.
celebratiſſimam illam arcam fœderis repoſitam fuiſſe novimus, quæ merito proin juſtum ſpatium in hoc libro occupat. Fabricam ejus ubi Auctor contemplatus eſt, confeſtim e partibus potioribus ad operculum reſpicit, quod non geminatum, uti quidam alii, ſed unicum facit, illud ipſum nempe, quod frequentius ſub titulo propitiatorii venire ſuevit, cujus formam & finem indicat, Cherubinosque exin emergentes, ac ſummo Numini alarum ſuarum expanſione thronum veluti præbentes contuetur. Hunc videlicet locum majeſtatica ſua præſentia dignari Deo placuerat, in cujus ſignum columna nubis & ignis ſubſerviebat. Illius igitur columnæ naturam ac hiſtoriam ſtudioſe 10.
pandit Auctor, & quidem haud aliam videri nubis, aliam ignis columnam reputat, ſed in una illa eademq; nubem pariter ac ignem comparuiſſe monet. Utrinque veras has, non tamen naturales partes ſtatuit, & quam nihil iis convenientius ad majeſtatem divinam exprimendam habeatur, oſtendit. Quemadmodum autem prævia hac columna 11.12.
Iſraëlitas ſtatim a ſuo ab Ægyptiis exitu die noctuque ductos, formaque ejus in promulgatione legis maxime ad terrorem compoſita in anguſtias haud mediocres conjectos ait: ita de aſpectu illius ad Tabernaculum poſtea alligato multa commentatur, nec dicere omittit, quo pacto ea ipſis ducem ſe per deſertum ubique præſtiterit. Quinimo non ducis ſolum, ſed & tutaminis adverſus æſtum partes eam expleviſſe credit, dum Sole ſubjectas regiones maxime adurente, ſeſe dilatarit, nimiumque ſic calorem a ſingulorum verticibus arcuerit. Et huc reſpexiſſe Paulum autumat, ubi 1. Cor. X, 1. introducat Patres, qui ſub nube olim fuerint. Interim non certo ſatis conſtare profitetur, ad quod præciſe tempus ejus diſparentia referri debeat: iſtud tamen vero reputat ſimillimum, quod paulo poſt deceſſum Moſis Iſraëlitæ hoc illuſtri 13.
beneficio privatos ſeſe intellexerint. Aſt neutiquam ſimul ab arca fœderis remota fuit ſupremi Numinis præſentia, ob quam ſæpiſſime ad

hanc, tanquam ad ordinarium illius habitaculum, attendere in Sacris
jubeamur. Ac viſibilem certe hanc præſentiam conſtituit, utpote cum
ſemper, etiam ubi nubis & ignis columna ceſſarit, nubes tamen ſuper
14. Cherubinis, arca in loco debito conſtituta, apparuerit. Et heic de
Hebræorum שכינה differit, ac Johannem Cap. I, 14. procul dubio
hanc vocem in mente habuiſſe addit. Poſt hæc in ipſam arcam peni-
15. tius introſpicit, ac ſe in ea, præter duas Moſis tabulas Decalogi præceptis
inſignitas, nihil reperire teſtatur, nixus effato 1. Reg. VIII, 9. cui cum vi-
deatur Paulus contradicere, quando Hebr. IX, 4. plura illic aſſervata
commemoret, hinc in duobus hiſce locis conciliandis quam maxime
operoſus eſt, & poſt allatas aliorum explicationes ſcrupulum tandem
optime poſſe tolli aſſerit, ſi Paulum ita locutum eſſe de hac arca fœde-
ris dicamus, ut in ſenſu paulo ampliori additas ei capſas ductiles una
complexus fuerit: in his etenim enumerata ab eo *κειμήλια* omnino
recondita demonſtrat, & ſic inoffenſum pedem ad conſiderationem
ſingulorum profert, Moſis primum tabulas accurate deſcribens, mox e
capſulis annexis unam veluti poſt alteram depromens, & quid in una-
16.---19. quaque latuerit, indagans. In una nimirum legem manu Moſis ſcri-
ptam; in altera vaſculum manna repletum; in tertia virgam Aaronis;
& in quarta quinque hæmorrhoides & mures, clinodia a Philiſtæis ex
auro ſolido confecta & poſtmodum adjecta, deprehendit. Non eſt
autem, quod quis hæc ab Auctore duntaxat nominari ſibi imaginetur;
ſingula namque accurato ſtudio explanat, & cuilibet peculiare caput
20. largitur. Sed præter res hactenus indicatas nihil in Sancto Sanctorum
amplius depoſitum admittit, minimeque iis adſtipulatur, qui vel un-
guentum ſacrum, vel aureum thuribulum, vel Samuelis de jure Regis
librum ibidem quærere ſuſtineant; cuncta enim hæc alibi ſervata con-
21. tendit. Uti autem magnam arcæ laudat præcellentiam, eamque a
cunctis reverenter admodum habendam fuiſſe refert; ita rationem
cladis Bethſemitis & Uſæ ob eam minus recte tractatam illatæ fuſius
examinat. Egreſſus hinc e Sancto Sanctorum, quod non immerito
23. intimius Domini conclave dixeris, ad ea flectit oculos, quæ in Sanctua-
24.25.26.27. rio conſtitutis obvenerint, ad candelabrum puta aureum, ad menſam,
in qua panes propoſitionum collocati, ad thymiaterium ſuffitus, (ubi
& de ſacro thymiamate & particulis iſtud ingredientibus copioſe agit,)
28.29. ad oleum unctionis, (cujus conficiendi modum ſigillatim enarrat, &
illius

illius in ſecundo Templo defectum notat,) quibus omnibus librum denique Samuelis antea commemoratum adjungit. Nihil ergo, quod 30.
in Sanctuario agat, ſupereſſe ſibi animadvertens, niſi quod definiendum paucis ſtatuat, quibusnam ad id aditus patuerit, in atrium ten- 31.
torii exſpatiatur, ac ibi etiam nonnulla, de quibus porro diſſerat, offendit: labrum puta æneum,& altare holocauſti cum ſuis inſtrumen- 32. 33. 34. 35.
tis, ad quod dum defixus hæret, non poteſt non de perenni igne in eodem ſuſtentando, deq; igne cœlitus demiſſo, ac de figura ignea leonis altari incubantis,lemmata curioſa non minus ac perquam utilia cum Lectoribus ſuis communicare. Ut autem eo plenior evaderet hic de celebratiſſimo illo Tabernaculo commentarius, non pigratus fuit multa adhuc dicere, quæ nondum hactenus attigerat. Poſtulatos a Deo 36.
manuque liberaliſſima ab Israëlitis ſuppeditatos ad extructionem ejus ſumtus quo in loco memorat, ibi etiam non pauca congerit de diverſis Hebræorum ſiclis, & occaſione quæſtionis, quanam via populus Israëliticus ad tantas aſpirarit divitias, ut hanc ſuppellectilem copioſam ſane & pretioſiſſimam promte adeo exhibere potuerit, ad ablata Ægyptiis vaſa aurea & veſtimenta excurrit, eaque juſte omnino ab Iſraëlitis retenta,& una cum præda ex hoſtibus deinceps capta in ſacrum hunc uſum converſa probat. Dehinc primam Tabernaculi in deſer- 37.
to erectionem & conſecrationem, ſitum porro ejus,quem in caſtris po- 38.
puli peregrinantis obtinuerit, modumque ac ordinem, quo ſubinde iſtud diſſolutum,portatum,& iterum conſtructum fuerit,deſignat. Lo- 39. 40.
ca quoque diſtinctim enumerat, quæ poſt ingreſſum Israëlitarum in terram Canaan receptaculum ei præbuerint, nec varia, quæ arca fœderis ſubire neceſſum habuerit, fata reticet, & eam modo huc modo illuc translatam, poſtremo penitus a Tabernaculo ſeparatam legi, nuſpiam 41.
autem, quod ordinarie vel ad comitia aſſumta, vel bellico apparatui immixta fuerit, probari exiſtimat.

Cæterum, quod paſſim obſervare poteramus, ſemel heic notaſſe ſufficiat, in ſingulis fere materiis hucusque allegatis typum accommodari ad antitypum, & quam eleganter præfiguratus ibi undique Meſſias fuerit,labore haud quaquam inepto aut fruſtraneo oſtendi. Videas hinc in peculiari capite ejus cum arca fœderis, cum manna, & 22.
cum virga Aaronis inſtitutam comparationem, & alibi cum candelabro aureo, alibi cum panibus propoſitionum, cum ara alibi, alibi cum par-

tibus aliis eundem contendi videas. De quibus tamen plura impræſentiarum dicere nil attinet, cum ad pias meditationes exinde hauriendas ad ipſum potius opus Lector ablegandus videatur.

Cap. I. Perluſtranda nunc a nobis eſt ſecunda hujus libri ſectio, quæ ſplendidiſſimum, & cui nullum aliud in orbe par, Hieroſolymitanum Templum conſiderat. Davidem nempe Regem non auſu quodam & inſtinctu proprio, ſed ad divinum juſſum, de æde Numine hoc digna exædificanda cogitaſſe, varia etiam ad ſtructuram illius neceſſaria comparaſſe, opusq; univerſum filio Salomoni probe commendaſſe, nihil autem inſuper egiſſe poſtquam Auctor retulit, nonnihil in medium adducit de monte Morijah ad hanc molem oſtentandam deſtinato & a

2. Davide itidem delecto; ubi quoddam ἐναντιοφανὲς in locis 2. Sam. XXIV, 24. & 1. Paral. XXII, 25. tollere annititur. Salomonem poſtea de artifici-

3. bꝰ operi tam præſtanti perficiundo idoneis circumſpicientem ſiſtit, ejusque cum Hiramo, Tyriorum Rege, pacta conventa recenſet. Ligna in monte Libano cæſa, lapidesq; in pompam & perennitatem adductos memorat, & dum de ratione hos e ſedibus ſuis nativis evellendi diſpicit, Judæorum quorundam fabulas explodit, quas de verme שמיר uſibus his inſerviente comminiſcantur. Omnia autem ad ſtabiliendum hocce monumentum, quod æternitate digniſſimum fuiſſet, ubi tanquam bene præparata introduxit, ac de theſauris ejus gratia collectis & in im-

4. menſum fere auctis mira retulit, de Templi forma generatim quædam ſubnectit, atque in hac inveſtiganda viſionem illam Ezechielis capite XL & ſequentibus relatam pro norma haud aſſumendam eſſe innuit; in ſua vero deſcriptione præter Scripturam, quæ fundamenti loco heic ponenda veniat, Talmudicum præcipue tractatum Middoth, Joſephum item, Maimonidemque ac R. Judam Leonem ſe ſecuturum pol-

5. licetur. Hinc ad rem ipſam pergens, allegata Hebræorum hujus ædis diviſione in Templum proprie ſic dictum & in ejus atria, ſpeciatim partes omnes perſequitur, & primum Sanctum Sanctorum, uti

6. & antea in Tabernaculo, ad manus ſumit. Ejus ſtructuram ſumtuoſiſſimam qua longitudinem, & latitudinem, & altitudinem, & qua ornatum interius exteriusque conſpicuum proponit, ac inter alia ad quæſtionem: utrum id feneſtris fuerit inſtructum? affirmative reſpondet. Fabulatorum inter Hebræos exortorum nugas de reperto intra hoc lapide, cui nomen tetragrammaton יהוה inſculptum, refellit

fellit, ac lapidem quidem in medio poſitum haud abnuit, verum non alium in finem hunc admotum cupit, niſi ut ſuper eum arca fœderis conquieſceret, quam una cum ſuis capſulis & Cherubinis Moſis olim tempore fabricatis huc allatam, & inſuper duobus Cherubinis majoribus a Salomone illuſtriorem ait redditam. Iis, qui hanc arcam diu ante Templi exciſionem ab Ahaſo loco motam, poſteaque juſſu Joſiæ reſtitutam ex 2.Paral. XXXV, 3 concludunt, ſatisfacit, locoque jam citato arcam potius colligendæ pecuniæ ad ædificium Templi conſervandum & renovandum deſtinatam ſignificari perhibet. Velum in Sancti Sanctorum introitu expanſum & in Templo ſecundo duplicatum cum cura deſcribit, hujusque tempore expirantis Chriſti
diſrupti miraculum exaggerat. Prodit hinc in Sanctuarium, ubi quæ in 7.
Tabernaculo repræſentarat, ornamenta atque utenſilia repetita vice intuenda exhibet, ſed ea in quibusdam maximopere multiplicata, utpote candelabra decem præter unum illud Moſaicum, & decem menſas propoſitionum, cum priſca illa e tabernaculo huc allata. Lampades autem, quarum ſeptuaginta ſeptem undecim hæc candelabra continuerint, non interdiu, ceu Joſephus autumet, ſed nocte ſolum ingruente accenſas; præterea temporibus Herodis unum tantum candelabrum unamque menſam Templo illatam conjicit. Aſt ævo quoque Salomonis nonniſi unicum thymiaterium ſuffitus admittit, juxta quod poſtmodum Zachariæ Angelus Johannis Baptiſtæ nativitatem
annuncians comparuerit. Per portam hujus Sanctuarii verſus Ori- 8.
entem ſitam, veloque pulcherrimo & ſuſpenſo ſuper ea in ſecundo Templo aureo candelabro a liberalitate Helenæ profecto pretioſiſſimisq; aliis cimeliis ornatam, prodit in porticum proxime adjacentem, & aſcendit in ſuperius conclave Templi, quod cœnaculi formam retulit,
reconditasque ibi potiſſimas Tabernaculi reliquias aſpicit, & ex hoc 9.
in ipſum tectum ſuperius ſe confert, unde redux cameras complu-
res ad mœnia Sancti Sanctorum & Sanctuarii extrinſecus annexas, qua- 10.
rum pleræque aſſervandis theſauris ſacris latius heic trutinatis inſervierint, ciſternam quoque, unde pluviarum aqua e Templi tecto de-
currens confluxerit, obſervat. Neque camerarum in porticu an- 11.
te nominata obviarum & ingentes itidem theſauros continentium, ubi huc regreditur, eſt immemor, non item columnarum ænearum
ante eam collocatarum, quarum altera Jachin, altera Boads a Salo- 12.

mone cognominata, obliviſcitur, & duplex inſuper conclave cul-
tra mactandis ſecandiſque victimis aptata recondens in tranſitu viſi-
tat. Tacemus alia, quæ de hujus porticus non minus atque Templi
proprie ſic appellati forma exteriori in primo ſecundoque aliquantum
diverſa diſputat, quæque de reliquis notatu in hoc tractu dignioribus
annectit. Comites enim nos aſſumit in atria ſubjecta per ſcalas de-
ſcendens, eorundemq; tria refert, atrium puta unum interius, alterum
13. exterius, & tertium, quod vulgo atrium gentium vocari aſſolet. Pro-
ximum Templo atrium interius eſt, in quo varias iterum regiones a
ſe invicem diſtinctas monſtrat, e quarum numero ſpatium imprimis
inter Templum & altare interjectum heic meretur nominari, eo quod
perpetratam in hoc cædem Zachariæ, filii Barachiæ, quam ipſe Chri-
ſtus Matth. XXIII,35. Judæis exprobrat, aliquantum fuſius recolere
14. Auctori libuit. Sed nec ſilentio prætereundum mare æneum in atri-
um hoc a Salomone illatum, ut lotioni Sacerdotum aquam mundam,
15. quam per meatus ſubterraneos eo is derivari fecerat, porrigeret. Non
16. reticendi decem aheni victimarum quarundam cruribus inteſtiniſque
& carnibus abluendis inſervientes; & altare holocautomatum, ad
quod conſiſtens (ut e multis, quæ exponit, aliis pauca ſaltem delibe-
mus,)de ratione diſpicit,ob quam lapidibus, e quibus id conſtructum,
cælum adhiberi Deus Exod. XX, 25. prohibuerit; licet in aliorum ſo-
lum conjecturis acquieſcat, certique nil determinet. Jucunda lectu
ſunt, quæ annotat de certis foraminibus in hoc altari conſpicuis, e
quibus ſanguis mactatarum oblatarumque victimarum, poſt factam
aſperſionem reſiduus, in torrentem Kedron per occultos ductus præ-
cipitatus fuerit; quæ de acervis cinerum in altari coagmentatis, deque
promtitudine Sacerdotum in eo purificando declarata narrat; quam-
vis & funeſtos quosdam caſus inde emergentes, quod alter alterum
ſuperſtitioſe nonnunquam antevertere in ſequioribus temporibus ſtu-
17. duerit, minime diſſimulet. Non adeo procul ab hoc altari locum
mactandis ſacrificiis deſtinatum ponit ac ejus opportunitates huic in-
18. ſtituto convenientes ſpectari ſinit. Alibi peculiare Sacerdotum atri-
19.20. um eidem huic primo atrio incluſum; alibi atrium, quod audiverit
Iſraëlitarum; alibi thronum regium; alibi alia curioſis oculis objicit.
21. Et quid de conclavibus ad mœnia hujus atrii ſitis referemus? quæ in-
ter primarium jure locum iſtud obtinet, in quo Synedrium magnum
congre-

congregabatur; ut taceamus reliqua, quorum plura certe ſunt, quam 22.
ut excerpi a nobis & vel ſolo nomine indigitari queant. Nec por- 23.
tam ex hoc in alterum atrium apertam, & Nicanoris vulgo nomine
notatam, pro dignitate admirari licet; quin ex ea potius in atrium ſe-
cundum & exterius properandum eſt, ubi Auctor nos illuc deducit 24.
per quindecim iſtos gradus, in quibus Pſalmi Davidici a centeſimo
vigeſimo usque ad centeſimum trigeſimum quartum in Feſto Taber-
naculorum cantari ſueverint, & ideo Pſalmi quoque graduum au-
dire perhibeantur. Præter conclavia autem, quæ ex Hebræorum 25.
ſcriptis, dubio tamen plerumque fundamento, huic atrio tribuun-
tur, ſeparatæ imprimis mulierum a viris ſtationes in ſecundo Tem-
plo adinventæ obſervatu non indignæ ſunt, atque inſuper æraria illa,
in quæ munera ſua injiciebant Templum frequentantes, & ad quæ
Chriſtus aliquoties conſediſſe legitur, quorum occaſione de vocabu-
lo Corban nonnihil Auctor inſpergit, tandemque, poſteaquam heic
pariter diu ſatis commoratus eſt, parietem intergerinum, hoc & quod 26.
ſtatim jam ingrediemur, gentium atrium ab invicem diſcernentem ex-
hibet, ac ex deſcriptione illius loco Paulino Eph. II,14. lucem aliquam
conciliat. Erat vero atrium gentium omnium capaciſſimum, & ad 27.
deambulationes inibi inſtituendas perquam aptum, turribus etiam in
ſecundo Templo ad ſuſcipiendam ex iis defenſionem inſtructum;
ipſumque hoc eum fuiſſe locum Auctor ait, unde ementes ac ven-
dentes zelo juſtiſſimo incenſus Salvator (heic alias frequentiſſime do-
cere & hinc in atrium exterius aſcendere ſolitus,) ejecerit; heic por-
ticum Salomonis oſtendit; heic Phariſæum atque publicanum con-
ſtitiſſe, a nonnullis ſcribi refert; heic accuſatam ait coram Chriſto
mulierem adulteram. Portas ad tum huc aperientes quinque nu-
merat, & in ſingulis fortaſſe excubias locatas cenſet. Extra iſtud lo-
cum planum quinquaginta cubitos latitudine æquantem ſtatuit, qui
2.Paral XXIX,4. platea orientalis vocitetur. Hunc muro ad ſex cu- 28.
bitos in altitudine adſcendente cinctum ait, & poſt eum vallem pro-
fundiſſimam comparuiſſe credit, unde hanc regionem pro illo loco
agnoſcit, in quo Cacodæmon tentator Chriſtum conſtituerit, ut ſe
in vallem jam modo memoratam demitteret; nemini tamen hanc
opinionem velut apodicticam obtrudit. Vias autem ex diverſis lo-
cis ad hoc Templum deducentes varias commonſtrat, deque inſigni
reve-

29. reverentia eidem magna cum attentione præſtita prolixum caput adjungit, prout & antea paſſim indigitaverat, quod haudquaquam indiſtincte quibuslibet perſonis ad ſpatium ejus quodlibet accedendi libertas conceſſa fuerit. Et Sanctum quidem Sanctorum atque Sanctuarium quam paucis patuerit, notiſſimum eſt. In atrium interius ibique in atrium Iſraëlis nulli fœminæ nullique polluto viro, in atrium Sacerdotum nulli Iſraëlitarum, ne ipſi quidem (paucis tamen caſibus exceptis,) Regi, ad ſpatium inter Templum & altare nulli, qui defectu quodam laborabat, Sacerdoti aditus patebat; in exterius atrium admittebantur quidem Iſraëlitæ ex utroque ſexu, ſed non ante, quam ſatis loti fuiſſent, ac in atrio tandem tertio gentes ſubſiſtebant; ex Iſraëlitis vero omnis is hinc arcebatur, qui Levitica quadam impuritate laborabat. Unde nemini non patere Auctor merito
30. exiſtimat Templi illius præcellentiam, quam æmulari quidem, ſed ſucceſſu non adeo felici, ſtuduerit Manaſſes ope Saneballati in monte Garizim, & Onias in Ægypto Templum exſtruens, cujus utriusque hiſtoriam breviter adumbrat. In reſiduis capitibus Templi Hiero-
31. ſolymitani prioris conſecrationem pariter & factam per Chaldæos Babyloniosque devaſtationem, nec minus antecedaneas illius ſpoli-
32. ationes ac pollutiones diverſas memorat. Deinde refert, quomodo in ejus locum ſucceſſerit ſecundum, ipſum quoque haud parum magnificum, & imprimis ab Herode ſedula cum cura exornatum, primo tamen illi ob varios defectus haud æquiparandum; licet ob manifeſtatum in eo mundi Salvatorem, Dei Filium, gloria ejus gloriam
33. prioris omnino infinitis modis ſuperaverit. Tandem vero & hujus
34. funeſtiſſimum excidium deplorat, & quam fruſtra de eo reædificando complures ſubinde laboraverint, ex fide Hiſtoricorum, quos allegat, innuit.

Hæc ſumma ſunt ſectionis etiam ſecundæ capita, præter quæ multa ſane adhuc a nobis, quod libere fatemur, indicari potuiſſent, aſt brevitatis, quod amamus, ſtudium in ſingulis hærere nos prohibuit. Nec eſt, cur dubitemus, promptum fore ex his Lectorum de reliquis judicium. Eos interim latere nolumus, adjunctam eſſe huic libro ichnographiam Templi æri inciſam, e qua liceat ipſius ſtructuram inſpicienti paulo clarius cognoſcere.

ETHICA

*ETHICA PLATONICA, CUI ACCESSIT SPECULUM VIRTUtum quotidie conſulendum, ſive Aretologiæ Chriſtianæ Compendium; autore MAGNO DANIELE OMEISIO, Comite Palatino Cæſareo & Profeſſore Altdorffino,*

Altorffii apud H. Meyerum, 1696. in 8. plag. 14½.

CUm *Ethicam Pythagoricam* ante triennium editam, & a nobis A. 1693. menſe Octobri p. 452. ſqq. recenſitam viris doctiſſimis haut diſplicere intelligeret celeberrimus Autor, de *Ethica Platonica* elaboranda conſilium cepit, atq; illam ex Platonis hujusq; ſectatorum ſcriptis fideliter concinnatam cum erudito orbe communicare non dubitavit. In cujus prolegomenis, poſtquam de Platonis vita, operibus, ſtylo atque morte quædam notaſſet, oſtendit, juxta Platonem, Philoſophiam nihil aliud eſſe, quam meditationem mortis: Philoſophiæ Platonicæ ab Auguſtino, Alcinoo & Seneca tres partes, ſcilicet moralem, naturalem & rationalem aſſignari, quibus ab Apulejo *l. 1. de Dogmat. Platon.* quarta, intellectualis puta, adjiciatur: Platonem Philoſophiam activam ſpeculativæ præferre: activam in ſchola Platonicorum in tres partes dividi, quarum una ad mores, altera ad præfecturam familiæ, tertia ad civitatem ſpectet: Ethicam ex mente illorum eſſe diſciplinam practicam, quæ rationem humanæ beatitudinis conſequendæ aperiat, & haud incongrue in duas dividi partes, beatitudinis noſtræ cognitionem, ejusdemque acquiſitionem. Quibus præmiſſis duarum harum partium diſtinctam tractationem ſuſcipit, in *priori* demonſtrans, Platonem credere, dari hominis beatitudinem: ſummi hujus boni tres conſtituere primarias affectiones, quarum (1.) quod ſit omnium perfectiſſimum; (2.) ſufficiens non ſolum ſibi, ſed & aliis; (3.) per ſe ac propter ſe ab omnibus expetibile: ſummum bonum in Deo omnis bonitatis fonte rerumque omnium principio ponere: præter Deum autem, tanquam finem objectivum, admittere aliud bonum, ceu finem formalem, atque in eo deſignando diverſimode loqui; modo enim in contemplatione boni primi, ipſiusque pulchri; modo in ſimilitudine illum collocare: facile tamen hæc conciliari poſſe, ſi iſta ſimul ſumta completam conſtituere beatitudinem philoſophicam, & ex con-

templatione amorem, ex utroque ſimilitudinem promanare dicamus: per ideam boni, in qua Plato ſummum bonum aliis quæſiviſſe dicitur, nihil aliud, quam Deum ipſum intelligi: præter illam boni ideam, ideas alias a Platone conſtitui, atque per eas, rerum imagines in ipſa mente divina formatas innui: ideam Platonis ab Ariſtot. *l. 1. Nicom. c. 6.* impugnatam fuiſſe: ex mente Platonis neminem in hac vita plene ac perfecte beatum dici poſſe: Platonem corporis & fortunæ bona ad beatitudinem non requirere; animam ſolam pro ſubjecto, in quod beatitudo introduci ac recipi poſſit, habere; ac inſuper docere, animæ cognitionem nobis eſſe maxime neceſſariam; ipſam animam eſſe eſſentiam ſe moventem, & fontem ac principium aliis, quæ moventur; animas humanas a Deo ante corpora creatas eſſe; non ſolum animam humanam, priusquam in corpus demittatur, alicubi eſſe, ſed & illic in aperta rerum cognitione verſari, ipſius vero corporis contagione in oblivionem vitæ ſuperioris incidere; nec eam quicquam intelligere, niſi per recordationem eorum, quæ olim vidit, cum Deo profecta; animam olim alis a Deo ſibi datis cœpiſſe gloriari, ſuiq; ipſius amore excœcatam ad cœleſtia ſublimia, plus quam par erat, evolaſſe; poſtea culpa ſua præcipitatam hinc in corporis carcerem fuiſſe, quod Deum offendiſſet; animæ humanæ tres eſſe facultates, rationalem, iraſcibilem & concupiſcibilem; hominem nihil aliud eſſe, quam animam; animam humanam, ut divinæ particulam auræ, immutabilem eſſe: Platoni dogma μετεμψυχώσεως ab Origene, Epiphanio, Laertio & Auguſtino tribui, idque nonnullos proprie, nonnullos allegorice interpretari. In *poſteriori parte*, quæ Aretologiam exhibet, poſtquam nonnulla de virtutis natura, origine, forma, diviſione, gradibus & generibus, ac principiis actionum humanarum, ex mente Platonis ejusque aſſeclarum tradidiſſet, de prudentia virtutum omnium directrice agit, oſtendens, Platonicis prudentiam eſſe ſcientiam eligendi bonum & evitandi malum: juxta Platonem prudentiam eſſe duplicem, ethicam ſive privatam, per quam nobis ipſis recte proſpicimus, & politicam ſive communem, cujus ope bene conſulimus Reipublicæ: cauſas ac media, quibus comparatur prudentia, eſſe (1.) pias preces & benignum Dei afflatum; (2.) naturalem ingenii & judicii felicitatem, ac doctrinam; (3.) peregrinationem & converſationem cum viris prudentibus; (4.) experientiam & in rebus agendis peritiam: inter pruden-

prudentiam, ſapientiam & ſcientiam, quibus vocibus ſæpe utitur Plato, hoc intercedere diſcriminis, quod ſapientia ſit cognitio divinorum, ſcientia naturalium, & prudentia humanorum. Ab hac virtute pedem promovet ad temperantiam, ejusque ſpecies, frugalitatem & caſtitatem, nec non illius oppoſita, ebrietatem, ingluviem & libidinem proponit; inter alia tradens, dogma de ſpurca uxorum communione, ſi non falſo, ſaltim dubie admodum Platoni tribui. Temperantiæ annexas virtutes, manſuetudinem & modeſtiam cum oppoſitis ſubjungit. Hinc ad fortitudinis eiq; affinium virtutum, magnanimitatis, conſtantiæ & patientiæ illuſtrationem progreditur. Tandem de quarta cardinalium virtutum, ſcilicet juſtitia, atque illius, ex mente Platonicorum, partibus potentialibus, ſanctitate ſive pietate, veracitate, liberalitate, hoſpitalitate, gratitudine, amicitia eleganter diſſerit. Sub finem quædam non injucunda lectu de affectibus, ex Platonis & Academicorum ſententia, in medium affert, atque Socratem a nefando erga pueros amore, quem veteres non minus quam juniores Theologi ac Philoſophi ipſi tribuunt, immunem pronunciat. Ethicæ Platonicæ Aretologia Chriſtiana a clariſſimo Autore ſubjungitur, atque itidem in duas partes diſpeſcitur: quarum prior de virtutum Chriſtianarum ſubjecto, cauſis, a virtutibus Gentilium differentia, de numero ac diviſione illarum, ſimilibusque generalioribus diſcurſum inſtituit: poſterior autem ſpecialiorem pertractat doctrinam de virtutibus ſingulis, quæ Deum, nos ipſos & proximum noſtrum reſpiciunt: ita quidem, ut cujuslibet virtutis brevis ac perſpicua tradatur definitio, eaq; tum locis S. Scripturæ palmariis eo collineantibus, tum exemplis quoq; ex eodem ſacro codice petitis, illuſtretur, denique & vitia oppoſita ubique ſubnectantur. In additamento, quo huic Aretologiæ Chriſtianæ colophon imponitur, de Eudæmonologia Chriſtiana diſſerit, demonſtrans, in philoſophica de ſummo bono doctrina acquieſcere nec poſſe nec debere hominem Chriſtianum, ſed ex ſacris litteris longe certius quam ex philoſophia addiſcere, Deum eſſe ultimum finem noſtrum, bonum noſtrum perfectiſſimum ſummeque deſiderabile, bonum maxime ſufficiens & jucundiſſimum; item e ſacra Scriptura certius edoceri, hominem Deo, ſummo bono ſuo, potiri per operationem intellectus, nempe per veram ejus cognitionem, qua homo cum Deo conjungitur; ac eundem frui Deo per operationem voluntatis &

actum amoris intenſiſſimum, quo ei, tanquam bono ſuo cognito, inhæret; unde maxima reſultet lætitia, ſive dulciſſima in bono præſente acquieſcentia: beatitudinem Chriſtianam tamen æque ac philoſophicam in hac vita neutiquam perfecte obtineri.

## *JAC. B. PROBLEMA BEAUNIANUM UNIVERSALIUS CONCEPtum, ſive Solutio Æquationis nupero Decembri propoſitæ: $ady = ypdx + by^n qdx$, cum aliis quibusdam annotatis.*

Quod olim Carteſio a Beaunio propoſitum, & aliquot abhinc annis reſuſcitatum fuit Problema (vid. Ephem. Gall. m. Sept. 1692, & Acta Lipſ. m. Maj. 1693) univerſaliter ita proponi poteſt: *Data quavis Curva, ſeu Algebraica, ſeu Tranſcendente, ſeu libera tantum manu formata, invenire aliam ita comparatam, ut ejus applicata ad ſubtangentem candem rationem habeat, quam habet conſtans quædam linea a ad ſummam differentiamve applicatarum curvæ datæ & quæſitæ, vel etiam reciproce, quam hæc ſumma differentiave habet ad conſtantem a.* In caſu enim Beauniano, ubi loco datæ Curvæ Recta aſſumitur angulum ſemi-rectum cum axe conſtituens, utrovis modo conceptum Problema in idem recidit, alias duplex eſt & maxime diverſum. Poſterioris ego ſolutionem hac vice cum publico communicabo, ſed omiſſa analyſi, & prioris quoque enodatione Lectori relicta, ut ſi majorem, quam initio fortaſſe exiſtimarat, in receſſu difficultatem repererit, eo benignius operam hic præſtitam interpretetur. Eſto (fig. 1)
TAB. VI. Fig. 1. Curva data AC, vel Ac, Axis AB, & ſit abſciſſa $AB = x$, BC vel $Bc = q$ data per x, & $BD = y$, erit ex præſcripto Problematis $dy.\ dx :: y \pm q.\ a$, hoc eſt, erit $ady = ydx \pm qdx$. Eſt autem hæc Æquatio non caſus tantum, ut apparet, ſpecialis Æquationis m. Dec. propoſitæ, $ady = ypdx + by^n qdx$, ſed ipſamet potius hæc æquatio ſimplicioribus duntaxat terminis expreſſa, cum una ad alteram perpetuo reduci poſſit, conſentiente illo quod Cel. Dn. Leibnitius nupero Martio obſervavit, ubi dictam æquationem in hanc transformat ... du + ... udz + ... dz = 0, hæc enim & ipſa ulterius ad allatam formulam $ady = ydx \pm qdx$ reduci valet, ſi nempe, quod intelligo, q concipiatur dari per x non modo

# TAB. VI. *ad A. 1696. pag. 332. ſqq.*





Fig. 1.





Fig. 2.





Fig. 3.





Fig. 5.





Fig. 4.





Fig. 7.

Fig. 6.

modo in terminis algebraicis, ſed & in tranſcendentibus, veluti ſi q ponatur $= \int dx \sqrt{aa-xx}$, hoc eſt, ſi Curva data AC fingatur eſſe ex Mechanicarum numero. Quantæ igitur univerſalitatis hoc Problema ſit, quantumque conferat ad promotionem Methodi Tangentium inverſæ, nemo non videt, gaudeoque præfatum Virum Celeb. illud ſua quoque opera dignum cenſuiſſe; hoc enim præſtantiæ & utilitatis ejus argumentum eſſe poteſt.

Solutionem meam quod attinet, ad quam tres quatuorve ducentes vias habeo, illa præter Curvam AC, quæ ut jam delineata ſupponitur, ſolam requirit Logarithmicam, qua mediante inveniri debet alia, per cujus quadraturam quæſitæ ED puncta obtineantur, id quod hoc modo fit: Eſto Logarithmica FG, (fig. 2) cujus ſubtangens $= a =$ AF (quanquam omnis alia idem præſtet, ſed prolixitatem vito,) AC Curva data, AL utriusque axis, AB vel αB $= x$, & BC $= q$, fiatque alia Curva AH, cujus applicata BH quarta ſit proportionalis ad BG, BC & AF; tum ſpatio curvilineo ABH ad AF applicetur æquale rectangulum FL, rurſumque ſtatuatur BD quarta proportionalis ad AF, BG & AL (vel ML, ſumto ubivis in axe AL puncto fixo M) erit D punctum in optata Curva ED, exiſtente BD y æquationis $ady = +ydx \pm qdx$, vel $ady = -ydx \pm qdx$, quorum illud obtinet, ſi AB dicatur x, & M ad ſiniſtram dextramve puncti L conſtituatur; hoc vero, ſi ſit αB quæ vocetur x, atque M viciſſim ad dextram ſiniſtramve ipſius L collocatum fuerit. TAB. VI. Fig. 2.

Notatu dignum hic eſt, quod ſi q ſimpliciter denotat poteſtatem aliquam integram & poſitivam ipſius x, hoc eſt, ſi Curva data AC eſt ex genere Paraboloidum, curvilineum ABH ſemper mediante Logarithmica quadrabile exiſtit, adeoque Curvæ quæſitæ puncta immediate per Logarithmicam abſque quadraturis inveniri poſſunt, quod ſequenti exemplo monſtrabo, e quo lex progreſſionis in cæteris ſatis perſpicietur: Eſto, ut antea Logarithmica FG (fig. 3) ſubtangens ejus $=$ AF $= a$, Parabola quædam ſurſolida IC, vertice I ubivis in axe AB accepto, proinde IB $= x$, & BC $= x^5 : a^4$, productaque indefinite BC ſecet Logarithmicam in G, tum conſtruantur termini progreſſionis ſequentis, $1.2.3.4.5.a$, $2.3.4.5.x$, $3.4.5.xx : a$, $4.5.x^3 : aa$, $5.x^4 : a^3$, Fig. 3.

$x^5 : a^4$; (quod ipſum quoque Logarithmicæ beneficio expeditiſſime peragitur, applicando ipſi in diſtantiis æqualibus AH, HL, LM, MN, NO, rectas HP, LQ, MR, NS, & OT, quarum prima HP ſit $=$ IB $= x$; cæteræ enim ordine erunt $xx : a, x^3 : aa, x^4 : a^3$, & $x^5 : a^4$, quarum multiplices ſeriei noſtræ, ut apparet, terminos conſtituunt) quo facto in recta GB abſcindatur ex puncto G vel deorſum verſus axem vel ſurſum in partes oppoſitas pro ſigni ambigui varietate pars GD, quæ ſit æqualis vel aggregato terminorum hujus ſeriei, ſi habeatur $ady = + ydx \,\&\, qdx$; vel differentiæ inter ſummas terminorum in locis paribus & eorum qui ſunt in imparibus, ſi fuerit $ady = -- ydx \,\&\, qdx$, eritque ſemper, quod hoc pacto obtinetur, punctum D in Curva deſiderata ED. Demonſtrationem non addo, quod unusquisque illam ex conſtructionibus iſtis haud difficulter eliciet. Forte autem recordari poterit Cel. D. Leibnitius, an & quousque ſua Problematis ſolutio cum iſta conſpiret.

Priusquam hinc digrediar, Notatiunculæ, quam hic Vir Martio præterito ad Acta Decembris communicavit, in uberiorem veritatis explanationem pauca quædam hic ſubnectere liceat: Problematis Elaſtici ſolutionem, cujus ipſe primo loco meminit, tam generalem puto me dediſſe, ut ad omnem indefinite hypotheſin veram non minus ac veriſimilem æque ſe extendat, inſuperque fulcra vectium non ſupponat, ſed inveniat; quod totum illud eſt, quod in hac materia jure requiri poteſt, quamdiu ſpeciales tenſionum leges nobis ignotæ ſunt. Conſtructionem Tranſcendentium per puncta algebraice inventa fateor rem egregiæ ſpeculationis fore; dubito tamen hic ut in aliis generale quippiam inveniri poſſe, etiamſi fortaſſe in paucis quibusdam res ſuccedere deprehenderetur: itaque negotium tanti non videtur eſſe, ut ei implicari ſit neceſſe, præſertim cum alia præſto ſint, quæ defectum hic ſupplere poſſint; & conſiderandum Lectoribus relinquo, an alius generalior ſimul, ſimplicior & ad praxin accommodatior conſtruendi modus reperiri poſſit illo, qui fit per Tractiones, atque nuperrime a me ad Acta communicatus, neſcio an etiam publicatus fuit. Quæſtionem de numero radicum oſculi conſenſus Viri celeberrimi jam extra controverſiam ponit. Mutuo cum ipſo candore

candore acturus, quæ de Curvis in ſe redeuntibus putabam olim me demonſtrare potuiſſe, corrigo, gratiasque habeo, quod exemplo me edocuerit, tales quandoque rectificationem admittere poſſe, ſine quo fortaſſe nunquam huc animum advertiſſem. Fecit autem Viri nobiliſſimi monitum, ut diſcurſum m. Jan. 1691, p. 21 hanc in rem allatum denuo examinarem, deprehenderemque, eum in hoc laborare, quod ſupponit, unam duntaxat debere dari æquationem, quæ relationem ipſius x ad t, arcus ad tangentem exprimat. In curvis enim in orbem redeuntibus, quæ rectificationem admittunt, & in quibus x portionem curvæ una cum integra perimetro ſemel aliquotiesve accepta ſignificare poteſt, relatio ipſius x ad tangentem aliamve functionem pro numero vicium, quibus perimeter accipitur, ſubinde variat, peculiaremque æquationem depoſcit.

Quæ vero porro ſubjicit Vir acutiſſimus de Mediis Directionibus, haud ita facile a me aſſenſum impetrant; nec enim ſatis capio, quo ſenſu puncta tendentiarum æqualibus intervallis aſſumi arbitrarium exiſtimet. Mentem meam exemplo declaro: (fig. 4) Sit ventus aliquis circumfuſus æqualiter arcui circulari B b b, vel etiam potentia quæpiam trahens circumpoſita oppoſito arcui C c c, agatque in ſingulis arcus punctis in centrum A viribus, quæ proportionentur rectis AD ſecantibus arcuum Bb vel Cc, quo pacto puncta omnium tendentiarum particularium d, d, reperientur in recta tangente Ddd; adeoque diſterminabuntur intervallulis inæqualibus dd, dd, ob æqualia arcuum elementa bb, bb, vel cc, cc. Nam ſi quis exiſtimet, intervalla dd æqualia aſſumi poſſe, is viciſſim ſtatuere debet inæqualia arcuum elementa bb vel cc, ac proinde ob æqualiter circumfuſam potentiam ejus vires cenſebit eſſe in ratione compoſita elementorum bb vel cc, & ſecantium Ad; non ergo ſunt in ſimplici ratione ſecantium Ad, igitur nec puncta tendentiarum in tangente Dd; utrumque contra hypotheſin. Addo, quod inventio centri gravitatis punctorum dd inæqualiter diſtantium pendet a circuli & hyperbolæ relatione nondum cognita, æqualiter diſtantium a ſimplici biſectione rectæ Dd; unde ſi ſit arbitrarium illa fingere, ut lubet, problema directionis mediæ ſimul & ſimplex erit & transſcendens, quæ denuo repugnant. Navem quieſcentem ab eodem vento fortius impelli, quam procedentem, mecum agnoſcit Vir eximius, idemque videt unusquisque, ſi conſiderat, tantam

TAB. VI. Fig. 4.

ſemper

ſemper velocitatis venti partem motu navis reddi irritam, quanta velocitate ipſa navis progreditur; unde cum hæc, ut dictum alibi, partem velocitatis venti ſatis notabilem, eoque majorem, quo velum ſpatioſius fuerit, adæquet, conſtat etiam diſcrimen hinc oriri, quod in uſu navigationis minime contemni poſſit. At, quod deviationem ſeu declinationem navis attinet, hic rurſus diverſum ſentire cogor; hanc enim ab intenſiore vel remiſſiore venti vi non alterari, mihi extra dubium eſt; prout hoc etiam aſſumit Ingeniarius Gallicus (ſive Renavium appelles *Renau* cum Authore Gallico Hiſt. Oper. Erudit. ſive malis Renaudum *Renaud* cum D. Leibnitio) nec diffitetur Hugenius, etſi prior in ejus quantitate definienda aberret, poſterior definire plane abſtineat. Ex ſyſtemate meo motus fluidorum illam ſic determino (fig. 5.): Ponatur navis AB figuram habens rectangulam oblongam (hæc enim pro diverſitate figuræ variant) proram converſam in E, velumque ad rectos angulos ventum excipiens, cujus ſit directio AD, verus navis curſus fiat per lineam ſtriatam AF, ſic ut ejus declinatio cenſeatur EF; reperio, qualiscunque venti ſit velocitas, ſemper fore DE ad EF in ratione dimidiata ejus, quæ componitur ex ratione DE ad AE, & ex ratione longitudinis parallelogrammi AB ad ejus latitudinem. E quo illud conſectarium fluit, quod quandoq; EF æquare, vel etiam ſuperare poſſit ipſam ED, contra Ingeniarii Gallici hypotheſin, nempe tum, cum ſinus ang. DAE ad ſinum compl. ejus æqualem vel minorem rationem habuerit, quam latitudo navis ad longitudinem. Sed & aliud hic ſingulare occurrit, velocitates navium concernens, & quod multis paradoxum videbitur, ſed tamen veriſſimum; nimirum, quod tum navis AB cæteris paribus velocius movebitur in via ſua AF, quam eadem poſita in AC, proramque juxta ipſam directionem venti AD converſam habens, per AD progrederetur; ac proinde, ſi ex. gr. nauta nave vectus, cujus longitudo latitudinis ſit decupla, flante Borea iter in Auſtrum meditetur, veloque ad ventum recto proram a Meridie parumper deflectat angulo 5 gr. 43. min. illam dirigendo in plagam fere mediam inter Auſtrum & Rumbum huic proximum, nautis Zuyd-ten-Ooſten vel Zuyd-ten Weſten dictum (quo pacto ob accedentem declinationem illum præciſe in Auſtrum ferri ex antedictis conſtat) iter hoc ſuum celeritate revera majore proſequetur, quam ſi manente velo ad ventum recto navigii curſum

TAB. VI. Fig. 5.

recta

recta in Auſtrum inſtituiſſet; quanquam hæc velocitatum differentia in praxi tam ſit exilis, ut unicam tantum leucam in quadringentis lucrefieri hac ratione poſſe deprehendam. Horum vero omnium demonſtrationes, quæ fluidorum corporumque motorum in fluidis affectiones concernunt, cum juſti fere voluminis materiam præbere poſſint, malo aliquando junctim exhibere, ubi Deus vitam tranquilliorem, firmioremque valetudinem indulſerit, quam hinc inde quædam ſparſim atque imperfecte indicando, pretium illorum imminuere.

Dum hæc meditabar, accipio Cl. Nieuwentiit ambos Tractatus de Analyſi Infinitorum, ubi præter quædam bonæ notæ, quæ habet, non contemnenda, id quoque agit, ut difficultates quasdam nobis proponat contra principia Geometrarum hucusque recepta, præſertim calculum nobis uſitatum, eo potiſſimum tendentes, ut differentiationum ſucceſſionem ſeu differentio-differentialia ceu purum *non-ens* vel *nihil*, ut vocat, eliminet; quod nonnullis concluſionibus abſurdis & manifeſto falſis, quas ex iis admiſſis ſequi exiſtimat, evincere conatur. Meum itaque eſſet, ut calculi noſtri probitatem hic loci adverſus objectiones ejus vindicarem, maxime quia mea ſuo tractatui occaſionem dediſſe ſcribit: ſed quia cauſa communis ipſum jam calculi Auctorem Cel. D. Leibnitium defenſorem nacta eſt, qui menſe Julio ſup. anni ſcrupulis omnibus tum ſibi tum mihi objectis ſufficientiſſime & plane ad mentem meam reſpondit, ſuperfluum eſſet, veritatem pluribus contra D. Nieuwentiit aſſerere, vel oſtendere, quam multis ipſe contradictionibus per ſua principia ſeſe implicet.

## *CATOPTRICÆ ET DIOPTRICÆ SPHÆRICÆ ELEMENTA Auctore DAVIDE GREGORIO, M. D. Aſtronomiæ Profeſſore Saviliano Oxoniæ, & Societatis Regiæ Socio.*

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, A. 1695. 8. plag. 6½.

Quæ non ita pridem in lucem prodierunt Catoptrica & Dioptrica Elementa, jam ante undecim annos a Cl. ſuo Auctore publice prælecta fuerunt in Academia Edenburgenſi, atque ita adornata, ut ad ipſa intelligenda Geometria Euclidea tantum opus eſſet, iis ex-

ceptis, quæ ad lucis motum a dato puncto ad alterum breviſſimo tempore factum calculoque differentiali demonſtratum, & proprietates pertinent, quas ſectiones Conicæ habent in reflectendo lumine aut refringendo. Ex his enim oſtendit, circulos, qui iſtas ſectiones oſculantur, quam proxime eadem efficere, quæ ab illis perfectiſſime præſtantur. Complexus vero eſt, quæ tradenda ſuſceperat, 24 propoſitionibus, quarum priores decem ad Catoptricam, reliquæ ad Dioptricam ſpectant, & poſt expoſitam reflexionis & refractionis naturam, illa explicant præcipue, quæ ad focos reflexorum aut refractorum radiorum determinandos, & hinc definiendam imaginem requiruntur, reſpectu oculi in axe radiationis conſtituti, quoniam imago ab oculo ſic poſito viſa alia quavis diſtinctior eſt & magis vivida, atque hinc pleræque Machinæ opticæ ad hunc oculi ſitum jam ſunt comparatæ. Ex his tandem derivantur, quæ ad Microſcopiorum & Teleſcopiorum conſtructionem ſcitu ſunt neceſſaria. Speciminis loco ultimum dabimus Problema, quo doctiſſimus Auctor tale docet conſtruere ſpeculum ex vitro, quod efficiat, ut radiantis longinqui imagines binæ a binis ſuperficiebus ſpeculi efficta coincidant, quodque adeo optimum ſit vel ad comburendum, vel ad longinquorum imagines efformandas; h. e. data concavitatis EBF ſemidiametro $AB = a$ & craſſitie ſpeculi $BD = b$, invenire ſemidiametrum DC convexitatis GDH. Conſtructio derivata ex calculo analytico,

TAB. VI. Fig. 6. 7.

quæ reperitur $DC = \frac{9a^2 + 18\ ab + 5b^2}{9\ a + 5b}$

ita ſe habet: Ab infinitæ rectæ SM puncto quovis L, ab una parte capiatur LN æqualis BD, ab altera vero LR ejus dupla. Capiatur item ab N prorſum recta NT rectæ AB tripla; & TV rectæ NT dupla, item VM rectæ RL etiam dupla. Centro R diſtantia RT deſcribatur circulus, perpendiculari ad L erectæ occurrens in R: junctæque MK ſit KS normalis, infinitæ primo ductæ occurrens in S. In recta DA a D verſus A capiatur DC rectæ LS æqualis, centroque C diſtantia DC deſcribatur circuli arcus DG, arcui BE centro A deſcripto ſimilis, & jungatur EG. Figura ſolida ex rotatione planæ figuræ BDGE circa rectam BD genita & ex vitro conſtans, eſt ſpeculum quæſitum. Verum ſi AB ſit

AB ſit ſatis magna reſpectu craſſitiei BD, Problema expeditiſſime ſic conſtruitur: Dividatur BD in O ita ut majus ſegmentum BO ſit minoris OD ſesqui quartum. Producatur BA ad C, ut C. A ſit æqualis OD, eritq; C quam proxime centrum ſuperficiei exterioris GDH.

## GERARDI DE VRIES

## *EXERCITATIONES RATIONALES DE DEO, DIVINISQUE Perfectionibus, nec non Philoſophemata Miſcellanea. Editio nova, ad quam accedit Diatribe ſingularis gemina, altera de Cogitatione ipſa Mente, altera de Ideis Rerum innatis.*

Trajecti ad Rhenum ex officina J. & G. Vande Water, 1695. in 4. Conſtat 4. Alph. $3\frac{1}{2}$. plag.

VOlumen hoc tribus quaſi partibus conſtat. Primas duas editas ante decennium enarravimus anno MDCLXXXVI. pag. 198. In hac altera editione utraque ſparſim aucta eſt, ac primæ præfixa nova præfatio de fatis doctorum, qui Carteſianismo ſe opponunt, ac in fine acceſſit integra Exercitatio de Imperio & Obſequio in Civitate. Secunda pars itidem aucta eſt Exercitatione de Officio Philoſophi circa Revelata, in quo Carteſium magis cautum & pium ſe exhibuiſſe ait, quam ſectatores ejus periculoſis philoſophematis indulgentes. Tertia pars plane nova conſiſtit in duabus Diſſertationibus, una de Cogitatione ipſa Mente, Petro Poireto, altera de Ideis Rerum Innatis, Hermanno Alexandro Roellio oppoſitis. Prioris iſta occaſio extitit. Cum Auctor in Philoſophia Carteſiana dominantes ideas duas primarias, quarum altera Corporis naturam ſola extenſione, altera naturam Mentis ſola cogitatione abſolvit, impugnaſſet, adverſarios in ſe concitavit. Itaque poſt pugnas aliquot velitares intra Academiæ parietes, ante annos ſeptendecim ad famoſum prælium res deducta fuit, edita a Collega Theologo, *Franciſco Burmanno*, in Noſtrum *Narratione de Controverſiis nuperius in Academia Ultrajectina motis.* Huic *Narratorem confutatum* Vrieſius oppoſuit; ad quem librum nil quidem Burmannus repoſuit, ſed ejus loco in arenam deſcendit chartis eriſticis ea ætate famoſiſſimus *Mantiſſæ ad duodecim Erotematum Decades* Scriptor. Huic poſtquam Noſtri loco reſpondiſſet *Vindiciarum Nar-*

*ratoris Confutati* Auctor, & neque iſti ille regeſſiſſet quicquam, finita videri poterat hæc controverſia. At poſt annos aliquam multos inſtauravit aciem Poiretus, quippe qui aliquid utilioris & ulterioris luminis credidit ſe elicere inde poſſe ſuis *Cogitationibus Rationalibus de Deo, Anima & Malo.* Editione igitur libri iterata pag. 18. & ſeqq. *Narratorem confutatum* denuo refutare aggreſſus, multus fuit in enervandis argumentis, quibus Vrieſius Mentem Cogitationem ipſam atque ſolam non eſſe, iverat demonſtratum. Huic igitur in præſenti Diatribe occurrere clariſſimus Vrieſius voluit, præmiſſisque nonnullis, quæ ad controverſiæ ſtatum rite formandum pertinent, variisque obſervationibus de corporis motu & figura cum cogitatione mentis collata, demonſtrationes ſuas repetit & vindicat. Primam, quod Cogitatio non ſit prædicatum Mentis primum & abſolutum, quia eſt prædicatum reſpectivum. Secundam, quod quædam Mentis attributa actualem Cogitationem non includant. Tertiam, quod nudæ Cogitationis nulla eſſe queat circa corpus activitas. Quartam & ultimam, quod Cogitatio actualis a Mente nonnunquam abſit. In Epilogo ad tria capita revocari omnia poſſe, de quibus diſceptatur, monet: mentem humanam nequaquam indeſinenter cogitare; multo minus eſſe cogitationem ipſam; omnium minime nihil eſſe præter cogitationem. Quorum primum demonſtratione quarta; ſecundum prima; tertium ſecunda & tertia confici confidit.

Ad poſteriorem Diatriben ſcribendam impulit doctiſſimum Auctorem, in Academia Franequerana publice ventilata ante aliquot annos Diſputatio Philoſophica, de dignitate, utilitate ac neceſſitate Theologiæ Naturalis, autore ac præſide Hermanno Alexandro Roëll, S. Theologiæ & Philoſophiæ Profeſſore ordinario, cujus exemplaria in Academiam Ultrajectinam miſſa fuerant pervulganda. In ea enim multam paginam faciebat D. de Vries, quod in *Determinationibus de Deo & Humana Mente*, a doctrina de Idea Dei in Humana Mente abiiſſet. Etiamſi vero diſſenſum ſuum breviſſime teſtatus eſſet Noſter, tamen prolixiſſima diſſertatione eum clariſſimus Roëll impugnaverat. Adverſus hanc igitur Apologiam iſtam ſuam fecit Vrieſius. Initio criminationibus quibusdam, quas vocat, repulſis cum Adverſario conſentit, ſummam diſceptationis eſſe, an Mens ſit idearum cauſa, easque

easque formet, & per diſcurſum quidem illam DEI? Conſentit itidem, idearum nomine intelligi conceptus mentis, per quos res ſibi præſentes ſiſtat, ſive rei in mente repræſentamen, imaginem ac quaſi picturam. Adverſarii ſententiam ait eſſe, Ideas innatas ita eſſe menti cum natura a DEO inſitas & inditas, ut ſint ipſius DEI in mente picturæ ac ſcripturæ; conſequenter eas ſua ſponte ſe ſiſtere præſentes; inveniri a mente, non formari; mentem non eſſe earum cauſam; nullam in ea reperiri vim illas producendi, &c. In quo divortium fieri a Carteſio contendit, qui, utut multa magnifica de Ideis illis proloquatur, tamen quando ad rem ventum fuerit, non auſus ſit tueri Ideas innatas ut imagines rerum, quæ tanquam aliquid reale menti cum natura a DEO ſint inditæ, verum reſolvat tandem eas omnes in innatam menti facultatem eas efformandi. Itaque contra Adverſarium diſputat ex ipſis Carteſii hypotheſibus, mentis conditionem ideas illas innatas non pati, ſuamque concluſionem confirmans P. Malebranchii & L. Forgæi aſſenſu, demonſtrat Mentem ſuo intellectu, tanquam facultate vere activa idearum ſuarum, quoad materiam, eſſe cauſam effectricem; ab eadem quoque eſſe ipſarum formas vel repræſentationes, ſive res ſint ſenſibiles, ſive pure intelligibiles; imo etjam ideam DEI, ut Spiritus independentis ſive Entis infinite perfecti formam a Mentis ſtudio acquirere, atque Apoſtolum Paulum cum hac philoſophatione conſentire. In his reliquisque, quæ vitandæ prolixitatis ergo omittenda ſunt, & quæ Elenchus commatum fini Diatribes adjunctus oculis facile ſubjicit, ſubtilem Noſter ſe exhibet Diſputatorem, Adverſariumque ſuum argumentorum robore valide conſtringit.

## *THUCYDIDIS DE BELLO PELOPONNESIACO LIBRI VIII. Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, impenſis T. Bennet, bibliopolæ Londinenſis, A. 1696. fol.*

Conſtant Alphab. 7. plag. 7. duabusque mappis geographicis.

PRodiit tandem in lucem diu impenſeque deſiderata nova hæc eaque nitidiſſima Thucydidis editio, quam clariſſimi Viri *Joannis*

*Hudſoni*, Collegii Oxonienſis, quod Univerſitatis vocant, Socii laudabili induſtriæ debemus. Eccui enim Scriptori ornando ac perpoliendo rectius haud vulgarem, qua pollet, Græcarum literarum notitiam, & indefeſſum publico inſerviendi ſtudium impendiſſet, quam Thucydidi, Hiſtorico omnium confeſſione πολιτικωτάτῳ, diſertisſimo, ſinceriſſimo? Inprimis quod integri ſeculi decurſu inventus nemo eſſet, qui tam inſignis auctoris, quemq; in omnium manibus verſari par erat, editionem curarit; cum ſcriptoribus tamen Græcis aliis, quibus carere Reſpublica Literaria minori cum damno potuiſſet, ſæpius eo temporis intervallo recudi obtigerit. Itaque fecit, quod virum doctum ac cordatum decebat, Hudſonus, Thucydide omnium uſibus per novam hanc editionem reſtituto; in qua quid præſtitum ab eo fuerit, paucis nunc ediſſeremus. In præfatione dum varias editiones verſionesq; Thucydideas doctiſſimus Editor recenſet, primum omnium Thucydidis Hiſtoriam cum ſcholiis Græcis *Aldum Manutium* Venetiis A. 1502 edidiſſe memorat: ſecutas poſt editiones alias, Florentinam *Bernardi Juntæ* A. 1526; Baſileenſem *Hervagii* A. 1540, operam conferente *Joachimo Camerario*; duas *Henrici Stephani*, alteram A. 1564, alteram 1589, & poſtremam omnium *Æmilii Porti*, quæ Francofurti ad Mœnum A. 1594. prodiit. *Laurentium Vallam* primum Latio Thucydidem donaſſe, ſed incurioſius negligentiusque, ut verſio ejus paſſim emendanda ab *Henrico Stephano* fuerit: non multo poſt novam verſionem dediſſe *Vitum Winſemium*, diſſimili quidem oratione ac ſtylo, non diſpari tamen ſucceſſu: felicius ſpartam hanc adornaſſe *Æmilium Portum*, fideliſſimi metaphraſtæ defunctum officio: ultimum hunc laborem ſuſcepiſſe *Georgium Acacium Enenckel*, ob dictionis elegantiam & ſermonis puritatem aliis præferendum, interpretandi tamen dote Æmilio, quippe qui Græca ſatis intricata & perplexa ordine dilucidiori expoſuerit & obſcura luce majori perfuderit, inferiorem. Hudſonus ipſe in Græco Thucydidis textu, qui ſupremam paginæ cujusque partem occupat, in ſectiones utili conſilio diſtinctus, exprimendo Stephani editionem poſteriorem religioſe ſecutum ſe profitetur. Verſionem Latinam ab Æmilio Porto accuratam, quam non ad latus Græci textus, ut fieri amat, collocavit, ſed ſuas ſecutus rationes illi ſubjecit potius, retinuit; ita tamen, ut immutare illam paululum, ubi ſenſus exigere viſus eſt, non dubitaverit, conſul-

conſultis eam in rem non cæteris tantum verſionibus Latinis univerſis, ſed Gallica etiam Ablancurtii, & Hobbeſii (quem neglectorum fontium Græcorum ab Auctore notarum ad Marmora Oxonienſia inique accuſatum obiter monet) Anglicana. Verſionem variæ lectiones tam ex impreſſis, quam manuſcriptis tribus codicibus ex bibliothecis Norfolciana, Collegii Corporis Chriſti Oxonienſis, & Barocciana depromptis (nam ex duobus aliis, quorum alterum illuſtriſſimus Comes Clarendoniæ, alterum celeberrimus Jo. Georgius Græviius, ſed paulo ſerius communicaverant, collectas ſeorſim in Appendice repræſentavit) excerptæ excipiunt: in quibus annotandis ſingularem diligentiam Hudſonus adhibuit, non neglectis variationibus ullis, niſi quæ aperta librarii eſſent ſphalmata. In infima paginæ cujusque parte comparent ſcholia antiqua Græca, quæ Henricus Stephanus *Marcellum* quendam auctorem habuiſſe in Animadverſionibus ad Libellum de Dialectis Græcis cenſuit; Hudſonus non tam unius quam diverſorum eſſe enarrationes, ad oras codicum primitus adſcriptas, & poſtea in unum faſciculum collectas conjicit. De cætero, quemadmodum Hiſtoriæ ipſi Thucydideæ vita Thucydidis a Marcellino, Anonymo item quodam & Suida deſcripta cum notulis quibusdam, nec non elogia auctorum ac judicia de Thucydide, duæque inſuper tabulæ geographicæ, Græciæ antiquæ altera, in qua delineanda a Viro clariſſimo *Edmundo Hallejo* adjutum ſe fatetur, altera Siciliæ veteris ex *Philippi Cluverii* Sicilia Antiqua maxima ex parte transſumpta, præmittuntur: ita ſequuntur eam, poſt epitomen Hiſtoriæ auctore *Georgio Acacio Enenckel L. Barone Hoheneccio*, & orationum Thucydidis argumenta a *Jobo Veratio* conſcripta, proparaſcevemque *H. Stephani* ad ſcholiorum lectionem, prolixiores Stephani & *Palmerii* annotationes, quæ lectionibus variantibus commode interſeri non potuerant, notis etiam tum ipſius clariſſimi Editoris, tum Porti & Acacii hic illic immixtis. Claudunt opus indices tres ſtudioſe confecti. Unum ſupereſt, quod ſilentio a nobis præteriri nefas fuerit, quo dq; pretium novæ hujus editionis haud parum adauget, ab initio nempe libri ſecundi, unde Thucydides ipſe Annales ſuos auſpicatus eſt, (nam primus non niſi procœmii vicem præſtat) exteriori cujuslibet paginæ parti annos, quibus quæq; geſta ſunt, adſcriptos eſſe, a viro clariſſimo *Henrico Dodvvello* deſignatos, qui Chronologiæ ſuæ rationes,

ut in

ut in Præmonitione ad Lectores Hudſoni Præfationi ſubjecta ipſe pollicetur, in *Annalibus Thucydideis* una cum *Diſſertationibus de Anno Attico veteri* prælo jam ſubjectis, adeoque propediem prodituris uberius exponet.

## LIBRI NOVI.

*Faſti Ducales ab Anafeſto I. ad Silveſtrum Valerium, Venetorum Ducem. Studio Jo. Palatii. Venetiis apud Hier. Albrizzum, 1696. 4.*

*Jo. Raii Synopſis Methodica Stirpium Britannicarum. Acceſſit Cl. Viri D. Aug. Rivini Epiſtola ad Jo. Raium de Methodo, cum ejusdem Reſponſoria. Londini apud S. Smith & B. Walford, 1696. 8.*

*Æſchinis in Cteſiphontem & Demoſthenis de Corona Oratio, cum verſione Latina & explicatione P. Foulkes & J. Friend. Oxoniæ e theatro Sheldoniano 1696. 8.*

*Hiſtoria della Republica Veneta, di Michele Foſcarini Senatore. In Venetia per Combi & La Nou, 1696. 4.*

*Ductor Dubitantium; Or the Rule of Conſcience in all her general meaſures; by Jeremy Taylor. The fourth edition. London for L. Meredith, 1696. fol.*

*Remarks on ſeveral late Writings, priblish'd in Engliſh by the Socinians; by H. de Luzancy. London by Th. Warren, 1696. 8.*

*A Demonſtration of the Exiſtence and Providence of God, from the contemplation of the ſtructure of the greater and the leſſer World; by John Edwards. London for I. Robinſon, 1696. 8.*

*A Phyſico-Medical Eſſay, concerning Alcaly and Acid; by J. Colbatch, London for Dan. Brovvne, 1696. 8.*

*A Diſcourſe concerning Lent, in tvvo parts. The firſt, an Hiſtorical Account of its obſervation: the ſecond, an Eſſay concerning its Original. London by Th. Warren, 1696. 8.*

*A Conference vvith a Theiſt; by W. Nicholls. London for F. Saunders, 1696. 8.*

*Socinianiſm Unmask'd; by J. Edvvards. London for I. Robinſon, 1696. 8.*

*The Preternatural State of Animal Houmours, by their ſenſible qualities. London for M. Johnſon, 1696. 8.*

* * *

ACTA
ERUDITORUM
*publicata Lipſiæ*
*Calendis Auguſti, Anno M DC XCVI.*

## *INTIMATIO SINGULARIS NOVÆQUE EMENDATIONIS Artis Vitriariæ, per D. T.*

QUam incredibile attulerit hucusque damnum generi humano vulgare illud præjudicium, non poſſe quid excogitari melius illo, quod a majoribus noſtris hæreditario jure accepimus, hoc demum ſeculo clariſſime animadverſum fuit, quo multi præclaram navarunt operam in tam firmis nixa radicibus & ab eruditis ipſis propagata opinione ex animis hominum evellenda. Utinam vero illa non tantum exſtirparetur magis magisq;, abjiceretúrq; penitus, ſed contraria quoque invaleſceret ſententia, nihil nempe eſſe certius, quam in ſcientiis artibusque nullum fixum eſſe terminum, ſed quantumcunque etiam procedatur, licere tamen ſemper ultra progredi, pluraque excogitare, quam quæ ſunt reperta. Non patitur temporis ratio ſpecialius hæc confirmare; e re tamen fore putavi, ſi cum publico communicarem aliquid non levis momenti, quod jam dicta multis modis comprobare poſſit.

Etſi compertum mihi dudum fuit, quam præclara ſit Optice clavis ad reſeranda Phyſices penetralia, quamque ſingulares, paucisque forſan rite cogitati progreſſus ejus ope fieri adhuc poſſint; non parum tamen, quo minus deſtinata perficerem, obſtitit, quod non omnia, quæ ab artificibus vitriariis deſiderabam, præſtare ipſi poterant. Id ergo huic arti operam ipſe aliquam ut darem, me coëgit; ſed cum confligtandum mihi fuerit cum ejusmodi hominibus, qui ægre tentant quod novum ipſis & a methodo, quam ſequi ſolent, alienum videtur, vix credibile eſt, quanti ſumtus profundendi, quantumque temporis impendendum fuerit, ut adducerentur ad id, quod

ipſis propoſueram. Quamvis enim nonnulla præſtitiſſem, quæ impoſſibilia illi judicaverant, & e. g. rotundas tabulas vitreas, quarum diameter ulnam fere ſeu duos pedes, craſſities pollices duos æquabat, easque puras & diaphanas, methodo ipſis ſolenni conflari curaſſem; deinde quoque vitra utrinque convexa, quorum chorda ulnam Lipſienſem ſuperabat, craſſities vero media trium & exterior in margine unius erat pollicis, absque uſitato illo, qui flando abſolvitur, modo perfeciſſem, inque eam deveniſſem ſpem, non procul me abeſſe a ſcopo, futurumque ut admoverent manus operæ ad tabulas vitreas craſſitiei magnitudinisque a me propoſitæ elaborandas: fruſtra tamen fuerunt omnia, quæ ad demonſtrandam rei poſſibilitatem ſurdis auribus narrabantur. Quo factum, ut rem ipſe aggrederer, methodique a vulgari alienæ veritate, in efformandis ſine perflatu ferrei tubi tabulis minoribus, quarum diameter dimidii pedis, craſſitudo duorum eſt pollicum, explorata, majus opus molirer. Ad quod dum accingor, incidi in virum artis vitriariæ apprime callentem, Conſtantinum Fremel, Colonienſem, qui, cum quæ jam a me effecta & retuliſſem & objeciſſem oculis, in hanc quoque deſcendit ſententiam, rem non adeo eſſe impoſſibilem, uti a plerisque omnibus vitriariis cenſetur. Non deſii ergo illi addere animum, hortarique, ut aggrederetur opus; ſumtus quoque & apta materia ut ipſi ſuppeterent, curavi. Cum vero in irritum cecidiſſent nonnulla tentamina, parum abfuit, ut ille quoque deſpondiſſet animum a tot contradicentibus fractum, niſi opem eidem ferens confirmaſſem illum in ſententia, rem non eſſe impoſſibilem. Hac ergo ſpe fretus feliciter, Deo propitio, eam ad finem perduxit, tabulamque mihi attulit tam pulchram nitidamque, ut cum quovis vitro cryſtallino certare poſſit. Forma ei circularis eſt, magnitudo trium pedum, craſſities quatuor pollicum, gravitate vero centenarium cum ſemiſſe ſuperat.

Quandoquidem igitur parari jam poſſunt vitra datæ magnitudinis & craſſitiei, datæque figuræ, v. g. cylindricæ &c. ille facile hujus rei momentum ponderabit, qui novit, quam incredibilis ſint firmitatis talia vitra, modo craſſities eorum duorum ſit digitorum. Ut propterea optandum foret, poſtquam hæc res in Germaniæ officina vitriariâ, non procul a celeberrimâ Saxonum Univerſitate Wittebergenſi, feliciter inventa fuit, Principum magnorum Miniſtros operam conferre ſuam, ut opus

ut opus, quod plurimum momenti habet ad commercia promovenda, ulterius provehatur.

Quæ autem hinc ad Opticen commoda ſint redundatura, perſpicaciores facile intelligent, ſiquidem jam ipſe alias ſingularia vitri cauſtici bipedalis effecta recenſui, deinceps autem elaboravi vitra bipedalia in diſtantia duodecim pedum flammam in ligno momento excitantia, certusque jam ſum, talia in incredibili diſtantia poſſe effici. Vitrum quoque formavi ſesquipedale, viginti pedum in diſtantia durum lignum perurens, ſine flamma equidem, ritu vitrorum cauſticorum vulgarium. Poſtquam vero modo alias a me indicato focum, vel imaginem potius Solis, alio vitro contraxi, exſuperavit hoc effectus vitri bipedalis, ita ut ferrum in momento funderetur, & asbeſtus in vitrum mutaretur pellucidum; quod experimentum plus, quam multis videbitur, habet in receſſu. Illi autem quibus perſuaſum eſt, machinis parum boni in Opticis præſtari poſſe, contrarium ſuo tempore experientur; interim dubitare ſaltem fas erit, quenquam ſine machina ad hunc uſum parata vitro, cujus gravitas ſesquicentenarium æquat, ſegmenti ſphærici perfectam formam poſſe inducere.

## ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΑΡΠΟΚΡΑΤΙΩΝΟΣ περὶ τῶν λέξεων βιβλίον.

## *HARPOCRATIONIS DE VOCIBUS LIBER, CUM NOTIS ET OBſervationibus JACOBI GRONOVII. Accedit Diatribe Henr. Stephani ad locos Iſocrateos.*

Lugduni Batav. apud Fred. Haaring. 1696. in 4. Alphab. 2. plag. 6.

FAti cujusdam invidia, clariſſimo Gronovio judice, factum eſt, ut nobilisſimus hic ſcriptor non fere tantum, ſed infeliciter etiam Batavicis literis deſcriberetur. Poſtquam enim egregium & in omnem partem conducibile futurum Jo. Meurſii propoſitum, quo exornandum Harpocrationis Lexicon ſusceperat, a Mauſſaco, per literas etiam blanditiarum pleniſſimas, quas integras præfationi ſuæ inſerere doctiſſimo Gronovio placuit, fuiſſet interpellatum; ſatis ille exinde habuit per varia opuſcula ſpargere miniatulas ſuas, quas ſatis crebras & multiplices fuiſſe etiam poſt Mauſſaci emendationem docuit: quamvis ille

vis ille in modo laudatis literis non diſſimulet, *ſe ſperare, fore, ut poſtquam* ſibi *rem totam ceſſerit Meurſius, nihil deſideraturus ſit in Harpocratione, quod non critico pumice expolitum fuerit.* Anno itaque demum 1683 contigit, ut hic ſcriptor ex officina Batava, & quidem Lugdunenſi, Nicolai Blancardi opera primum prodiret. Cujus etiam editionis a nobis in Actis Erud. illius anni p. 465 mentio facta fuit.

Vix opus eſſe putamus, ut ſalſe dicta, quibus acerbiſſime Blancardi illam editionem celeberrimus Gronovius perfricavit, a nobis hic repetantur. Monuiſſe ſufficiat, eam unice in cauſa fuiſſe videri, ut de edendo denuo Harpocratione ipſe cogitaret. Blancardi enim curas non in præfatione ſolum haud ſine ſtomacho perſtrinxit: ubi emendatum quidem ab eo, diſpoſitum & Latine redditum, ut titulus editionis ejus præfert, hunc Autorem eſſe fatetur, at peſſime ſingula iſta facta eſſe vaſto exemplorum numero docet; ſed notas etiam pleraſque non magis illuſtrando emendandove Harpocrationi, quam taxandis Interpretis vitiis & depravationibus ſcripſit. Cujus eo magis mirandum eſſe ait in verſione Lexicographi hujus conſilium, quod Mauſſacum noverit ea abſtinuiſſe, *ne ſana mente præditis & literarum ſcientibus ludibrio eſſet & contemtui, ad inſtar quorundam e trivio interpretum, qui Pollucem, Suidam & alios id genus auctores interpretandos ſuſceperunt.* Quamvis verba iſta Mauſſaci e præfatione illius expunxerit in ſua editione Blancardus, ne ſententiam contra ſe latam ipſe ulterius propalaret, ſubveritus.

Ne tamen omnem operam ſolis caſtigandis Blancardi erroribus impenſam fuiſſe aliquis exiſtimet, præſtantiſſimi cujusdam codicis Florentini ope, quamplurima Harpocrationis loca reſtituta eſſe, confutatis nonnunquam Meurſii, Mauſſaci & aliorum temerariis nimium emendationibus, noverit. Cumque præterea Aldina quoque editio, Xylandri, Fabri, Sylburgii, Freheri, Rutgerſii & Heinſii manu paſſim notata ſeſe Cl. Editori obtuliſſet, eorum quoque conjecturas nonnullas notis ſuis inſeruit. De quibus ut eo rectius Lectoribus conſtet, pauca ſpeciminis loco excerpere liceat.

p. 1. Merito autem de ipſa ſtatim inſcriptione libri monendum, aliam, quam Mauſſaci & reliquæ editiones præferebant, quæ habent *Λεξικὸν τῶν δέκα ῥητόρων*, ideo Cl. Gronovium ſervaſſe, quod ejus veſtigium non apud Suidam tantum, ut a Mauſſaco jam obſervatum,

occurrat

occurrat, ſed etiam quod eam manifeſte exhibeant MSi duo Medicei. Illa ipſa autem, quæ tanquam duo & diverſa memorat Suidas, Λέξεις τῶν δέκα ῥητόρων, & Ανθηρῶν συναγωγὴν ſi, etiam ut diverſa ſcripſit ac publicavit aliquando Harpocration, vel per eum ipſum, vel per alium coaluiſſe poſtea in unum, & hoc ipſum ſcriptum exiſtimat. In prima ſtatim voce (Ἄβαρις) Ἱππόστρατον aliquem allegat Harpocration, Chronologum, ut ex verbis Lexicographi Gronovius colligit: quæ lectio tamen ei ſuſpecta ideo fuit, quod nuſpiam alias ab illo amplius Autor iſte citetur. Sed MS. Mediceum etiam legere Νικόστρατος ait, quem alibi quoque nominat Harpocration, ſi non ut Chronologum, certe ut virum eruditum, qui potuerit id, quod in voce Ἄβαρις ex eo allegatur, dixiſſe in poeſi, in qua maximam ejus memorandi occaſionem habuit; ſiquidem Athenæus diſerte reſtetur, eum ſcripſiſſe Ἱεροφάντην, Ἡσίοδον, & Πάνδροσον, atq; μέσης κωμῳδίας fuiſſe ποιητήν. Quæ omnia ſane veroſimilitudine apud eos quoque non caritura haud diffidimus, quibus allegatus de rebus non plane diſſimilibus *Hippoſtratus* apud Scholiaſten Pindari ad Olymp. II p. 20 occurrerit, qui ſcrupulum tamen aliquem movere poſſe videbatur. Ad vocem Ἀπατούρια, medelam afferre tentat vexatiſſimo oraculi verſiculo apud Polyænum L. I. Strateg. feſti iſtius originem explicantem. Quomodo Caſaubonus & alii eum emendare voluerint, notum. Noſter ſpretis eorum conjecturis reſcribit: Ξάνθον ἀπατήων ὁ μέλας ὄνομ᾽ ἔσχε Μελαίνας, ambiguitatemq; oraculi in eo conſtitiſſe arbitratur, quod in nominibus eſſent habituri alter flavedinem, alter nigrum. Apud Harpocrationem vero pariter MS. quoque Mediceum egregie habere: τῆς Μελαινίας χώρας Μέλανθος, non ut Mauſſacus reſcripſerat: τῆς τῶν Κελαινῶν χώρας Μελάνθιος, teſtatur. Ad vocem Ἔμπουσα indignatur Blancardo, quod ſcripſerit: Φάσμα τί φασιν εἶναι τῆς Ἑκάτης, ὅπερ δυστυχοῦσιν ἐφαίνετο, cum τοῖς στοιχοῦσιν ἐφαίνετο priores editiones, MS. Mediceus, & ipſa antiquitas adeo bene per Valeſium illuſtrata exigant & ſtabiliant: ex quo non infelices modo, ſed peregrinantes etiam in agris circa meridiem hoc ſpectrum vidiſſe pateat. Verum debere iſtam emendationem Meurſio Blancardum obſervamus, qui eam Lect. Att. p. 140 edidit, cui & alias quamplurimas illum ſurripuiſſe, plagii propterea reum peragens, paſſim ipſe Gronovius indicavit. Ad vocem Μαλακιζόμεν inter alia obſervat,

p. 4. p. 35. p. 60. p. 90.

ſervat, quam fruſtra ſe torqueant Mauſſacus & Valeſius in depravata Æſchyli allegatione, qui in Ελλαδίῳ ibi citatur. Nec feliciorem fuiſſe Stanlejum ait, qui dicit, iſtud Ελλαδίῳ verbum οὐσιῶδες fragmenti potius, quam nomen fabulæ ſibi videri. Ipſe itaque reſcribi jubet: Αἰσχύλος ἐν Λαΐῳ: hoc nomine enim fabulam ab Æſchylo compoſitam comparere apud Heſychium in voce Ἀράχνου. Ipſum autem fragmentum fabulæ illius ab Harpocratione prolatum ita reſtituendum cenſet: κεκμηότι μαλακίων ποδί; cum editum antea eſſet: κεκμῆτι μ. π. Tribus adhuc verbis indicabimus, quomodo vexatiſſimum Harpocrationis locum, quo Munychum τινὸς βασιλέως Παντακλέους filium dicit, interpretetur. Quid Valeſio & aliis hic viſum fuerit, repetere ſuperſedemus; locum tamen Meurſii in Lect. Att. I,14 indicare viſum, in quo contra Mauſſacum, qui παντευκλέους ediderat, παντακλέους tuetur, quod illum doctiſſimo Gronovio in mentem haud veniſſe videamus. Ipſe autem cum in MSo Mediceo πεντακλέους invenerit, certiſſimo indicio, in alterutra duarum in principio ſyllabarum literam ε extare debere, Mausſacum recte edidiſſe contendit; ſed non ut ſit nomen proprium, verum commune, Autorque intelligat τοῦ παντευκλεοῦς h. e. Regis celeberrimi & perilluſtris filium.

p. 95.

De Henrici deniq; Stephani Diatribe ad locos Iſocrateos, quam accedere huic volumini doctiſſimus Editor voluit, ſuperforaneum forte erit monere, eam cum aliis hujus generis a Stephano una cum Iſocratis operibus editam fuiſſe, agereq; de nonnullis vocabulis & loquendi generibus ab Harpocratione & Suida apud Iſocratem obſervatis: quæ quidem jam ad calcem editionis Aldinæ Iſocratis collecta inveniebantur, a Stephano vero notis etiam illuſtrata fuerunt.

*BIBLIA SACRA, SIVE TESTAMENTUM VETUS ET NOVUM ex linguis Originalibus in linguam Latinam translatum a SEBASTIANO SCHMIDT, SS. Theol. D. & Argentoratenſis Univerſitatis Profeſſore Seniore.*

Argentorati, ſumtibus Jo. Frid. Spoor, A. 1696. in 4. Alph. 8.

MUlti hactenus in pretio ac in deliciis habuerunt notas illas Bibliorum e ſacris fontibus in Latinam linguam translationes. Cui enim Vulgatæ, quæ audit, verſionis baſiatores ignorantur? aut quis neſcit, quot

quot & quanta obtinuerint elogia labores Xantis Pagnini, Ariæ Montani, Sebaſtiani Münſteri, Tigurinorum, (Leonis Judæ, Theodori Bibliandri & Petri Cholini, licet alii eorum loco Franciſcum Vatablum nominare ſoleant, ) Sebaſtiani Caſtalionis, Immanuelis Tremellii & Franciſci Junii, Jſidori Clarii, Auguſtini Steuchi Eugubini, Lucæ Oſiandri, Pauli Eberi, Conradi Pellicani ? Ut ſilentio jam prætereamus particulares operas a Thoma Malvenda in libros aliquot Veteris Teſtamenti; a Cajetano & Felice Pratenſi in Pſalterium, inque Novum Teſtamentum ab Erasmo Roterodamenſi, Theodoro Beza, Erasmo Schmidio, ac aliis impenſas. Quemadmodum autem nulli ex his quicquam laudis promeritæ detrahemus: ita apud neminem aut adulationis aut corrupti quacunque ratione alia judicii inſimulatum nos iri confidimus, ſi his ſingulis ac univerſis palmam præreptam conſpici aſſeruerimus in verſione hac, cujus modo titulum Benevolus Lector ob oculos ſibi collocatum deprehendit. Agnoſcit ea auctorem Virum ad interpretationem Scripturæ naturali velut inſtinctu a Deo excitatum, SEBASTIANUM SCHMIDIUM, quem equidem non vivum amplius venerari licet, poſteaquam is ſub ipſis hujus anni primordiis die Januarii decimo, peracto in his terris annorum fere novem & ſeptuaginta curriculo, ad gaudia Domini ſui placide beateque tranſiit; vel mortuum tamen eo magis admiramur, quo præſtantius hoc ipſum opus eſt, cui per integros quadraginta ante mortem annos indefeſſa cum induſtria incubuit. Ac ſane qui tot ejus Diſputationes olim habitas, ac editos complures tractatus exegeticos, commentarioſque in libros utriusque fœderis difficillimos oculo attentiore unquam perluſtravit, ex iſtis profecto partibus haud difficulter feret judicium, quid de hoc toto polliceri ſibi valeat. Nimirum idem accuratiſſimum examen, idem exactiſſimum judicium, quo verba, phraſes & contextum alias examinavit, idem illud diligentiſſimum ſcrutamen, & eandem ἀγχίνοιαν, quam in prioribus iſtis ſeparatim adhibuit, heic quoq; univerſim conſtans ſemperque ſibi ſimilis approbavit; ut adeo plenam librorum omnium non Canonicorum modo, ſed Apocryphorum quoque (quos ex editione LXX. Interpretum transpoſuit, ) verſionem Latinam, & eam quidem fontibus quam maxime reſpondentem habeamus, imo talem, quæ paſſim Lectori majus fortaſſe adjumentum, quam quod ſperari queat e prolixioribus Commen-

mentarlis, præſtitura videtur. Nervoſa ſane heic & ſuccincta, ſed terſa inſuper ac plana omnia deprehendas, & ipſa textus viſcera felici cum ſucceſſu denudata ubique conſpicias; cum ſedulo allaborarit ſolertiſſimus Interpres, ut addito interdum verbo unico, interdum pluribus, (ſed aliis tamen literis impreſſis cancellisq; præterea incluſis,) dictis, quæ obſcuriora cæteroquin apparere poterant, facem lucidiſſimam accenderet.

Non memorabimus aut evehemus tantopere accurata ſingulorum capitum ſummaria & methodicam analyſin; ipſam duntaxat verſionem paulò intueri propius juvabit, indeque ſpeciminis in vicem loca quædam, circa quæ non unam utplurimum Interpretes ſententiam tenere conſueverunt, a Schmidio noſtro expreſſa allegabimus. Effatum v. g. divinum Gen. III, 22. ad eum modum transtulit, ut ſimul per adjecta abs ſe verba pauciſſima ſenſum integrum elegantisſime declararit: dixit Jehovah Deus (*apud ſe:*) ecce, homo fuit ſicut unus ex nobis (*perſonis divinis,*) ſciendo bonum & malum, (*& tamen peccavit;*) nunc ergo ne emittat manum ſuam, & ſumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in æternum, (*emittamus eum e horto.*) Verſum ultimum ejusdem capitis ſic vertit: quumque expuliſſet hominem, habitare fecit ab oriente horti Edenis Cherubim, & flammam gladii hinc inde vertentis ſe ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Gen. IV, 1. Kanithi (*h. e. poſſedi*) virum, qui Iehovah eſt. Capite eodem v. 7. directum Dei ad Cainum ſermonem ita expreſſum legimus: nonne ſi bene feceris (*munus tuum pro peccato*) erit remiſſio: ſi vero non bene feceris, ad oſtium peccatum eſt cubans quis? cujus (*etiam jamjam*) ad te eſt deſiderium (*ad cadem allectans;*) ſed tu dominare illi, (*nec conſenti, ut facias.*) Neque minus elegans eſt verſiculi ſequentis translatio: dixit quidem (*hoc*) Kajinus ad Habel fratrem ſuum. Nihilominus tamen factum eſt, quum eſſent in agro, ut ſurgeret Kajinus contra Habelem, fratrem ſuum, & occideret eum. In verſu 13. interrogationem effert, quaſi dixerit Cain: (*ergone*) majus eſt delictum meum, quam ut remittatur? Signum immunitatis Caino datum accipit pro evidenti quodam miraculo coram ipſo edito, & hinc v. 15. hoc modo eloquitur: ſed & poſuit Jehovah Kajino miraculum (*in confirmationem,*) quod non cæſurus eſſet ipſum, quisquis offenſurus ipſum. Ad verba v. 23. virum occidi in vulnus meum & puerum in plagam meam, ad-

am addit: (*per bigamiam.*) v. 26: tunc cœptum eſt invocare nomen Jehovæ (*publice.*) Gen. V, 29. ita habet: vocavit nomen ejus Noach, (*h. e. quietis auctor,*) dicendo: hic conſolabitur nos (*quiete; in filio Meſſia*) ab opere noſtro. Gen. VI, 3: non arguet Spiritus meus (*per verbum concionis*) hominem in perpetuum. Et v. 4: Nephilim (*h. e. apoſtatæ a vera fide & Eccleſia,*) fuerunt in mundo in diebus iſtis; etiamque poſtquam intrarunt filii Dei ad filias hominis, &(*hæ*) pepererunt illis (*Nephilim tales.*) Hi(*ſunt*) illi fortes, qui olim fuerunt, viri famæ (*malæ.*) Gen. X, 11. vocem אשור non perſonaliter ſumit pro filio Nimrodi, ſed ita potius, ut de Nimrodo ipſo dicat: eque terra iſta egreſſus eſt in Aſſyriam. Gen. XVI, 13. verba Hagaris eo fluunt ordine: Tum vocavit illa nomen Jehovæ loquentis ad ſe; Tu (*es*) Deus videns me. Dixit enim: num etiam hic vidi poſt videntem me? Quod Lutherus reddit Gen. XIIX, 10. ich wil wieder zu dir kommen/ ſo ich lebe/ Noſter ita ſiſtit: revertendo revertar ad te juxta tempus præſens. Gen. XX, 16. Latinus ſermo hac ratione conceptus eſt: ecce dedi mille (*ſiclos*) argenti fratri tuo: ecce hoc tibi erit velamen oculorum, cum omni, quod tecum eſt: omniaque (*reliqua, quæ dixerat Abrahamo etiam.*) Sicq; vindicata eſt. Gen. XXI, 9. culpam Iſmaëlis in illuſione ponit: vidit Sarah filium Hagaris Ægyptiæ illudentem (*Iſaaco.*) Cap. XXIII, 9. nomen מכפלה non pro appellativo, ut plerique Interpretes id per ſpeluncam duplicem reddunt, ſed pro proprio accipit. In loco Gen. XXVI, 8. cum Luthero facit, eumque transfert: quum ecce Jizchakus jocaretur cum Rebecca uxore ſua. Cap. XXX, 11. exclamatoria Leæ vox בגד exponitur per verba: venit cumulus. Gen. XXXV, 16. loco Hebræi כברא Latinum ponit ſpatium. Gen. XXXVI, 24. vulgatæ adhæret ſententiæ de inventis ab Anah mulis in deſerto. Gen. XXXVII, 35. per Scheol, quorſum ſe deſcenſurum dicit Jacob, locum mortuorum intelligit. Gen. XLI, 40. hæc verba habet: tu eris ſuper domo mea, & ſuper os tuum oſculabitur omnis populus meus. Capite eodem v. 43. vocem אברך vertit per: flecte genua. Caput XLVII hoc pacto finit: tum incurvavit ſe Iſraël ſuper caput lecti (*Deo.*) Gen. XLIX, 10. ſic exprimitur: non recedet ſceptrum de Jehudah, nec legiſlator (*natus*) ab inter pedes ejus, usquedum veniat Schiloh, & huic ſit adhæſio populorum. Cap. L, 19. Joſephum quærentem introducit: num enim pro Deo ego ſum? Et ad modum hactenus recenſitum reliquos etiam libros Biblicos perluſtrare poſſemus, nec

 uspiam

uſpiam nobis defutura eſſet occaſio, judicium Interpretis noſtri cuivis comprobandi. Sed nimiam veriti prolixitatem inſtituto noſtro haud convenientem, parcius impoſterum exempla cumulabimus. Exod. I, 21. vulgo ſtatuuntur obſtetricibus ædificatæ domus, ſed Noſter potius ad Iſraëlitas eas transfert: factum nimirum eſt, quoniam timuerunt obſtetrices Deum, ut faceret ipſis (*Iſraëlitis*) domos. Exod. XXXIIX, 8. mulieres צובאות appellat miniſtras, quæ miniſtrabant ante oſtium tentorii conventus. Lev. XXVI, 30. per חמנים innui exiſtimat Solares ſtatuas. Num. XII, 3. Moſen non afflictum dicit, ſed manſuetum valde præ omni homine. Qui ad Num. XII, 12. LXX. Interpretes, vulgatamque & noſtram Germanicam verſionem evolvit, non aliter colliget, quam quod lepra jam dimidium carnis Mirjam abſumpſerit. Secus autem ſtatuet, qui Noſtrum inſpexerit; ille enim ſic: ne quæſo ſit (*illa*) ſicut mortuus, cujus, quum exit ex utero matris ſuæ, dimidium comeſtum eſt. Num. XXI, 6. per ſerpentes Iſraëlitas affligentes notari ait preſteres. Deut. XXVI, 5. dictum: ארמי אובד אבי ſecus atque alii interpretatur: Syrus periens (*erat*) pater meus. Deut. XXVII, 16. vocem מקלה non reddit, ut Lutherus, per: maledicit, ſed per: vilipendit. Joſ. II, 1. Rahab ſub nomine mulieris meretricis introducitur. Judic. XI innuit, quod Jephtha filiam ſuam Domino in ſacrificium obtulerit, & verſum ultimum ſic transfert: ab anno in annum abeunt filiæ Iſraëlis ad meditandum (*lugubria*) ſuper filia Jiphthachi Gileaditæ. 1. Sam. II, 25. (qui locus alias pro ſtabiliendo abſoluto decreto a quibusdam allegari ſolet,) ita infit: ſed non audiverunt vocem patris ſui, quod vellet Jehovah eos occidere. 1. Sam. V, 6. עפלים fuiſſe cenſet hæmorrhoides. 1. Sam. XVII, 4. titulum Goliathi איש־הבנים reddit per virum duelli. 2. Sam. VII, 19. non abit ab ea mente, quam in Commentario ſuo ad poſteriorem Samuelis librum declararat, & ita procedit: atqui parum fuit adhuc in oculis tuis, Domine Jehovi: ideo locutus es etiam ſuper domum ſervi tui in longinquum, idque ad legem hominis, Domine Jehovi. 2. Sam. XX, 18. de gladio Joabi, quo de Lutherus: es ging gern aus und ein/ Schmidius ita: is exivit & cecidit (*facile.*) Exordium ultimorum Davidis verborum 2. Sam. XXIII, 1. paulo concipit aliter, ac Lutherus, ita nempe: dictum Davidis, filii Jiſchaji, dictum (*inquam*) Viri, qui conſtitutus eſt altus, uncti Dei Jacobi, & ſuavis canticis Iſraëlis. 2.

Reg. V.

Reg. V, 17. 18. verba illa maxime in controverſiam tracta ſequentis heic tenoris ſunt: non faciet amplius ſervus tuus holocauſtum, aut ſacrificium Diis aliis, niſi Jehovæ. Quoad verbum hoc propitius ſit Jehovah ſervo tuo; quum intraverit Dominus meus in domum Rimmonis, ad incurvandum ſe ibi, idemque innixus fuerit ſuper manu mea; & incurvavero me in domo Rimmonis (*Regi*,) quum (*inquam*) incurvavero me in domo Rimmonis, propitius ſit, quæſo, Jehovah ſervo tuo, quoad verbum hoc. 2. Reg. XXIII, 5. ubi allegantur כמרים adſtipulatur Luthero, qui in gloſſa ſubintelligendos innuit ſacerdotes idololatricos. Dictum Job. VII, 1. ſic refert: nonne conditio ſervilis homini (*eſt*) ſuper terra? Locus ille Job. XIII, 15. diverſimode alias efferri ſolitus hoc pacto ſiſtitur: ecce, occidet me, in eo tamen ſperabo: tantummodo vias meas arguam coram eo. Job. XIV, 4. aliter ac in Germanico: quis dabit mundum ex immundo? non quiſquam. Illuſtre Jobi effatum c. XIX, 25. ſ. heic ita ſe habet: etiam ego novi Redemtorem meum, quod vivat; & poſtremum, quod ſuper pulverem ſurget. Et poſt cutem meam circumdabuntur hæc: & ex carne mea videbo Deum. Angelum מליץ vocat Angelum interpretem, Job. XXXIII, 23. Si fuerit apud eum Angelus interpres, unus (*ille*) ex millibus, ad annunciandum homini rectitudinem ſuam. Job. XXXVII, 7. iterum diſcedit ab aliis, & verba originalia ſequenti ratione interpretatur: manum omnis hominis obſignat, ut cognoſcant omnes homines operis ſui. Pſ. VIII, 6. ita fluit: carere quidem eum feciſti paululum præ Angelis: ſed (*mox*) gloria & honore coronaſti eum. Ad Pſ. XV, 4. quæri ſolet, quomodo laudetur juramentum להרע, quod eſſet reddendum: ad nocendum? Noſter vero ſic: (*ſi*) jurat ad affligendum ſe, non mutat. Pſ. XVI, 2: dixiſti Jehovæ, Adonai (*Dominus*) tu: bonum meum (*ſeu beatitudinem meam quod attinet*;) non (*eſt illud mibi*) propter te. Pſ. XXII 17. crucem Criticorum כארי parum moratur, & vocem hanc per perfodientes exprimere non dubitat. Pſ. XL, 7. (*nimirum*) ſacrificium & munus non voluiſti; ideo aures fodiſti mihi; holocauſtum & peccatum non petiiſti. Pſ. XLIIX, 15. interpretationem habet ſingularem, cumque alii hunc locum vertant cum Luthero: er führet uns/ wie die Jugend; alii, ille ducet nos usque ad mortem, ſeu in ipſa quoque morte; Noſter viciſſim eum ſic transfert: ille ducet nos (*cum cantico*) Almuth. Pſ. CX, 3. reddit: ex utero au-

ro auroræ tibi ros juventutis tuæ. Pſ. CXIIX, 27. ligate feſtum funibus usque ad cornua altaris. Prov. XVI, 4. omnia fecit Jehovah, ut ſibi reſpondeant: quin etiam malum in diem mali. Prov. XXXI, 4. ne Regibus, o Lemuel, ne Regibus *(mos ſit)* bibere vinum, & dominantibus ſicera non *(convenit.)* Eſ. VII, 9. ſi non credideritis, certe non ſtabiles eritis. Eſ. VIII, 19. 20. annon populus Deum ſuum quæret? pro vivisne mortuos? (*Quare*) legem & teſtimonium *(quæret:)* quod ſi non dixerint juxta verbum hoc, profecto non (*erit*) ulli aurora. Eſ. IX. 2. (*Quum*) multiplicaſti gentem, illi magnum reddidiſti gaudium. Eſ. XXIIX, 16. qui crediderit, non feſtinabit (*cadere.*) Cap. eod. v. 19. unde erit tantum commotio intelligere facere auditum. Eſ. XXXIV, 14. vocem לילית vertit per noctuam. Eſ. LIII. prius hæmiſtichion verſus noni hoc eſt: ut daret impios *(etiam)* in ſepulcro ſuo, & divites in mortibus ſuis; deinde ſequitur: per hoc, quod non violentiam fecit, nec dolus in ore ejus (*fuit.*) Eſ. LXIII, 17. quare errare facies nos, Jehovah, a viis tuis, indurabis cor noſtrum, ut non ſit (*illi*) timor tui? Eſ. LXVI, 17. (*Tum*) ſanctificantes & purificantes ſe ſuper hortis, poſt unam (*arborem*) in medio. Jer. I, 11. baculum amygdali (*vigilans dictæ,*) ego (*ſum*) videns. Quod Jer. XI, 19. Lutherus extulit: Laſſet uns den Baum mit ſeinen Früchten verderben / Noſter ita transfert: perdamus lignum in humore ipſius. Jer XVII, 9. aſtutum (*eſt*) cor præ omni, & deſperatum idem: quis cognoſcet illud? Jer. XVII, 16. יום אנוש non intelligit de rebus ſecundis ac vita deliciis & voluptatibus exuberante, (quo reſpexit procul dubio Lutherus per vocem Menſchentage / ;ſed reddit potius: diem deſperatum non exoptavi (*illis*, iis ſcilicet, qui dicebant: ubi? verbum Jehovæ veniat quæſo!) Jer. XLIIX, 10. maledictus (*eſto*) faciens opus Jehovæ (*cum*) dolo. Dan. IV, 24. quare, Rex, conſilium meum placeat tibi, ut peccata tua in juſtitiam abrumpas, (*mutes,*) & iniquitates tuas in miſereri (*miſerationem*) afflictorum. Dan. V, 25. prodigioſam illam ſcriptionem: Mene Mene Thekel Upharſin, reddit: numeratus, numeratus, appenſus, & dividentes. Dan. XI, 38. ubi mentio fit Dei Maüſſim, ita Noſter habet: Tantum Deum, Munitiones, ſuperſtitione ſua honorabit. Hoſ. XIII, 9. perdidiſti te, Iiſrael: quia in me, in auxilium tuum (*peccaſti.*) Caput quintum Michæ tale ſortitum eſt in his Bibliis initium: tu autem, o Beth-lechem Ephrathæa, parum eſt, ut ſis inter

millenas

millenas Jehudæ: *(nam)* ex te mihi exibit, qui ſit dominator in Jiraële, & cujus exitus *(ſunt)* ab antiquo, a diebus æternitatis. Hab. II, 4. ecce *(namque)* cujus anima efferet ſe dubia, *(ea)* non recta erit in ipſo: at *(qui)* juſtus in fide ſua, vivet. Zach. IX, 9. Rex tuus venit tibi, juſtus & ſervatus ille.

Atque ita ex Interprete noſtro produximus loca Veteris Teſtamenti præcipua, in quibus vertendis alias in diverſum abire ſolent Exegetæ. Nunc etiam ex Novo Teſtamento ſpecimina quædam alleganda ſunt. Matth. VI, 7. μὴ βαττολογήσητε, exponit: ne ſitis multiloqui. Capite eod. v. 11. hæc eſt petitio quarta in Oratione Dominica: panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Matth. XIIX, 6. μύλος ὀνικὸς in Latino eſt mola aſinaria. Sunt, qui Marc. III, 21. verba: ἀκούσαντες οἱ παρ᾽ αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη, ita exponunt, quod illi audientes turbam ſiſtere voluerint, & dixerint, quod illa fureret. Noſter vero circa ea ſic ſe gerit: quod quum audiviſſent ii, qui cum ipſo, exiverunt ad apprehendendum ipſum *(introrſum;)* dicebant enim: quia zelo abreptus eſt *(ut ſe non curet.)* Marc. IX, 23. Jeſus vero dixit ei: quia ſi poſſis credere: omnia enim poſſibilia *(mihi ſunt, ut faciam)* credenti. Luc. I. 28. ſalutationem Angelicam his verbis exprimit: Salve gratiam conſecuta *(ſingularem:)* Dominus *(enim)* tecum eſt; *(ita, ut ſis)* benedicta tu inter mulieres *(præ omnibus.)* Luc. II, 14. reperitur hoc Angelorum canticum: Gloria in altiſſimis Deo, & ſuper terra pax, in hominibus bene placitum *(eſto.)* Luc. XII, 29. illud: μὴ μετεωρίζεσθε explanat per: neque animo ſuſpendimini. Dictum Joh. IIX, 25. in ſpeciem obſcuriſſimum ſic transfert: dixerunt ergo ipſi, tu quis es? Dixit vero illis Jeſus; Principium quia vobis dico. Act. I, 4. Vox συναλιζόμενος a Latinis variis alias transfertur: conveſcens; Noſter vero reddit: congregans. Cap. XIIX, 3. per σκηνοποιοὺς, quorum artificium & Paulus exercuiſſe dicitur, tentoriorum confectores intelligit. Cap. XXVII, 21. verba Græca: πολλῆς τε ἀσιτίας ὑπαρχούσης, non, ut quidam, reddit: cum autem frequens eſſet ſtomachi faſtidium; ſed: mulaautem inedia exiſtente. Rom. VIII, 19. vocem ἀποκαραδοκία per expectationem declarat: nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Quam alii 1. Cor. VII, 23. in verbis: τιμῆς ἠγοράσθητε, agnoſcunt interrogationem, Noſter haud curat, ſed per

theſin ea effert: pretio emti eſtis, ne reddimini ſervi hominum. Illud: ἐν αὐτῷ, quod Beza ad σταυρὸν retulit, Col. II, 15. Noſter cum Luthero refert ad Chriſtum: exuens principatus & poteſtates oſtentavit palam, triumphans de illis per ſe ipſum. 1. Tim. III, 16. ita apud Noſtrum legitur: cæterum in confeſſo magnum eſt pietatis myſterium (*hoc:*) DEUS manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus eſt in Spiritu, viſus eſt Angelis, prædicatus eſt inter gentes, creditus eſt in mundo, aſſumtus eſt in gloria. 1. Pet. II, 13: ſubjecti eſtote omni humanæ creaturæ. 1. Pet, III. notatu digna eſt hæc v. 18. 19. 20. verſio: (*Chriſtus*) mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu, in quo etiam iis, qui in cuſtodia (*erant,*) ſpiritibus abiens prædicavit, (*ſicut iis*) qui increduli fuerunt olim, quum ſemel expectavit Dei longanimitas in diebus Noë. Eodem capite v. 21. συνειδήσεως ἐπερώτημα εἰς Θεὸν ipſi eſt conſcientiæ bonæ interrogatio erga Deum. Ubi vulgata verſio 2. Pet. I, 16 habet: non enim indoctas fabulas ſecuti; Noſter cum pleriſque ſubſtituit: arte fictas. Tametſi quidam autument, quod Apoc. XIII, 8. vocabula: ἀπὸ καταβολῆς κόσμου non ad participium ἐσφαγμένου, ſed ad verbum γέγραπται pertineant, nihilo tamen ſecius Noſter ita: quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt a fundatione mundi.

Sufficiant exempla hæc, quæ non obſcuram ſane præſentis verſionis referent imaginem. De cætero unum, quod notemus, ſupereſt. Cœpiſſe nempe meritiſſimum de ſacris literis Schmidium fundamenta ſuæ translationis ſigillatim ſcripto conſignare, ſed morte eum præpeditum vix ultra prima initia potuiſſe progredi. Annotationes tamen ejus in Geneſin ſub prælo ſudare innuit ſumme Reverenda Facultas Theologica Argentinenſis in Præfatione peculiari, in qua hæc Biblia Latina meritis encomiis celebravit, eademque unicuilibet genuinum Scripturæ ſenſum noſſe cupienti de meliori commendavit.

*TRIPHYLLUM ASSERTIONUM HISTORICO-ELENCTICARUM de Intinctione panis Euchariſtici in vinum. Auctore D. CHRISTOPHORO SONNTAGIO.*

Altdorfi, typis & impenſis Jodoci Wilhelmi Kohleſii. A. 1695. in 4. Conſtat plagulis 6½.

Inter

INter reliquas laude minus dignas conſuetudines, ad quas deſertio ſanctioris literæ in Teſtamento a Chriſto condito hominum ingenia abduxit, ritus etiam intinctionis atque intritionis panis euchariſtici in vinum ex antiquitate eccleſiaſtica obſervari meretur, quem ipſum maxime Reverendus Auctor in hoc opuſculo penitius excutiendum ſibi ſumſit, ita quidem, ut tribus aſſertionibus negotium integrum conficiat. *Prima* enim factum ipſum proponit, ac iſtam, quam diximus, intinctionem non modo in Communione clinica ſive infirmorum antiquitus adminiſtratam, ſed & ſolennioris publicæque Synaxeos exemplis, præcipue in Eccleſia Orientali Græca frequentatam legi, ac inſuper ibidem tam in adultorum quam infantum ſive parvulorum Euchariſtia etiamnum deprehendi perhibet. Exorſus autem a communione clinica, theſin ſuam hanc confirmat exemplo antiquiſſimo Serapionis ſenis, cui, cum jam animam ageret, Presbyter & ipſe ægrotans exiguam Euchariſtiæ partem vino intinctam per puerum tranſmiſerit. Sicut autem hiſtoriam illam Nicephori verbis recenſet, ita in horum verſione, quam a Valeſio mutuatur, iſtud taxat, quod hic verbum ἀποβρέξαι per intinctionem in aquam reddiderit, cum id certe intinctionem in vinum æque ſignificare poſſit, imo convenientius hoc quam illo modo verti videatur. Eandem poſtea communionem τὴν βρεκτικὴν (quam G. J. Voſſius alio quoque exemplo ex Proſpero Aquitanico deſumto dilucidet, videlicet puellæ a Diabolo vexatæ, quæ, cum dies 82. jejunaſſet, brevem particulam corporis Domini tinctam a Sacerdote perceperit,) ſancitam ait a Concilio Carthaginenſi quarto A. C. 436. habito, licet jam ante circa annum 340. Julius I. Papa his, qui ſacrificando varie errabant, accenſuerit quoque eos, qui intinctam Euchariſtiam populis pro complemento communionis porrigerent. Mox alia antiquitatis de hoc ritu teſtimonia producit Auctor, e quibus, quod a parvis initiis ad ſynaxes illico publicas hic mos progreſſus fuerit, ad oculum pateſcat. De recentioris vero Eccleſiæ Græcæ inſtituto huc quammaxime faciente acturus, ex Chriſtophoro Angelo hoc narrat, quod populo ad ſacram menſam conſiſtente Sacerdos ſancta manibus ſuis geſtans, unicuique corpus & ſanguinem Domini ſimul, quod eſt, panem & vinum mixtum, diſtribuat. Addit dehinc ex aliis, quod exhibitio hæc ope cochlearis fiat, imo, quod in miſſa quoque præſanctificatorum Græci ſic

ci ſic procedant, Leonis Allatii effato nixus edocet. Porro infantum euchariſtiam ſimiliter per modum intritæ paratam ſiſtit ex teſtimonio Joſephi Georgirenes, quod Thomas Smith in præfatione epiſtolæ de hodierno Eccleſiæ Græcæ ſtatu produxerit, quodque hic oppoſitum voluerit non tantum Johanni Matthæo Caryophilo, confesſionis a Cyrillo Lucari editæ cenſori, ſed & Jacobo Goaro, Commentarii in Euchologium Græcorum auctori, aſſerentibus, communionem in Eccleſia Græcorum infantibus dari ſub una ſanguinis ſpecie, dum nimirum cochleari guttulam e calice eductam infantis lingua exugendam apponant; cumprimis vero Leoni Allatio, idem ſtatuenti, ut argueret, pari ratione Pontificiis vinum Laicis, ac Græcæ Eccleſiæ panem infantibus, ſubtrahere fas eſſe. De cætero quemadmodum infantum Euchariſtiam jam olim obtinuiſſe, exemplo etiam Eccleſiæ Africanæ apud Cyprianum extante Auctor comprobat; ita ſermones abs ſe cum Græco quodam recentiore ex monte Atho paucis ante diebus, quam hæc ſcriberet, de hac infantum Euchariſtia apud ipſos adhuc uſitata habitos recenſet. Tandem vero diſpicit, utrum ille tingendi interendique mos conſecrationem Symbolorum anticipaverit, an peracta & finita demum conſecrationis liturgia fuerit adhibitus? & ſane poſterius ita uſu veniſſe autumat. Quibus hac ratione deductis, in aſſertione *ſecunda* intinctionis hujus cauſas ex antiquitate eccleſiaſtica eruere conatur, & primo loco nominat infantium agonizantiumve infirmitatem cum deglutiendi ἀδυναμίᾳ conjunctam; obſtetricante imprimis opinione de abſolute neceſſario cœnæ uſu ſive ad infantes, ſive ad infirmos, ſive denique ad ipſos mortuos reſpicias; & in horum namque ora itidem infuſam inſertamque Euchariſtiam ſubinde fuiſſe probat. Secundam rationem quærit in ſtudio vitandæ communionis hæreticorum. Videlicet cum hæretici adhuc & genuini Chriſtiani inter ſe convenientes miſſas celebrarent, ne infirmi in cœtibus orthodoxorum hæretica communione macularentur, utque morituri hi disjungerent ſe ab omnibus iſtorum temporum hæreticis, teſtaturi, ſe eſſe & perſeverare velle in communione veræ Eccleſiæ, ut item illis diebus & horis, quando publice in Eccleſia non celebrabatur miniſterium Euchariſtiæ, ſuccurri poſſet illis, qui in periculo mortis verſarentur, hinc tale excogitatum conſilium, ut ab uno die ſolennis publicæque celebrationis Euchariſtiæ in futuros uſus

aliquid

aliquid ſubinde reſervaverint. Acceſſiſſe tertio intempeſtivum irreverentiæ & periculi effuſionis metum. Cum enim veteres nimium ſoliciti impedire voluerint, ne vel vinum effunderetur e calice, vel miculæ ex panibus grandioribus decidentes perderentur, (in multis enim locis non azymum ſed fermentatum panem adhibitum fuiſſe conſtat,) ideo eos diſſipationi, detritioni, ac depravationi micularum tinctionem earundem oppoſuiſſe. Prætextum quartum collocat Auctor in complemento communionis, quod ab aſſervatione panis benedicti ejusdemque transmiſſione ad abſentes haud pauci ſibi promiſerint, cum quo mox quintum jungit petitum a devotione privata, qua moti quidam aliquid Euchariſtiæ domum ſecum detulerint, ut in mortis periculo ſacrum hoc fruſtulum velut appendicem communionis in publicis ſacris ſub utraque factæ comederent, eoq; ante obitum fidem ſuam confirmarent. Ut autem huic communioni poſtmodum, ex morum aſceticorum immodica & ſuperſtitioſa admiratione, plus nimio indultum, & a forma communionis ab ipſo Filio Dei præſcripta paulatim receſſum fuerit, erudite declarat, variosque Euchariſtiæ abuſus memorat, dum ea nempe adhibita fuerit ad curandam domum quandam a Dæmonum vexatione, ad reſtinguenda incendia, pro novis ſponſis, ad munitionem adverſus gladiorum & bombardarum ictus, & ad fines ejusmodi alios. Merito igitur in aſſertione *tertia* tincti panis anomaliam exploſam eſſe refert, non Pontificis duntaxat Julii, ſed Concilii quoq; Provincialis Braccarenſis tertii A. C. 675. habiti decreto. Manifeſto namq; illam repugnare voluntati Chriſti teſtatoris, quippe qui non edi, ſed bibi ſuum ſanguinem, ac manducationem & bibitionem ſacramentalem actu neutiquam ſimultaneo, ſed ſucceſſivo fieri mandaverit. Præterea nullum ejus vel in Apoſtolica doctrina, vel in conſuetudine eccleſiaſtica primæva fundamentum reperiri urget. Quibus etiam de cauſis præſanctificationem, ac durabilem panis in uſu ſacramentali permanſionem, ejusdemque ad abſentes miſſionem, & immixtionem in calicem miſſalem reprobat, ac Bellarmino, inveteratis iſtis abuſibus communionem ſub una roborare annitenti, latius reſpondet.

## HISTOIRE DES REVOLUTIONS D' ANGLETERRE.

i. e.

*HISTORIA CONVERSIONUM, QUAS ANGLIA A PRIMIS Monarchiæ initiis ſuſtinuit: autore PETRO JOSEPHO AURELIANENSI e Soc. Jeſu.*

Pariſiis apud Claudium Barbin, 1695. 12. Alph. 2. pl. 12.

BRitanniam illuſtre aliquod theatrum maximarum, quæ unquam evenire poſſunt, commutationum eſſe, hiſtoriarum vetera æque ac recentiora momumenta neminem dubitare ſinunt. Quod cum probe exploratum haberet e Societate Jeſu Vir doctiſſimus Petrus Joſephus Aurelianenſis, incredibiles iſtas, quas Anglia experta eſt, rerum ſtatusque converſiones dignas cenſuit, quas eleganti dicendi genere explicaret transmitteretque ad poſteros. Nos eundo per ſumma rerum capita, hinc inde quædam delibabimus.

Lib. I. Poſtquam Romani ultro deſeruerant Britanniam, Picti Scotique, veteres Britonum hoſtes, irruptione facta, provinciam omni præſidio nudatam miſere depopulabantur: Britonibus fruſtra Aetium Conſulem implorantibus, ſive quod eo, odio erga Valentinianum Imperatorem incenſo, adeoque non invito, res undique turbarentur (quod tamen Noſtro non ſit veroſimile) ſive quod aliis Imperii partibus, quas contra Barbarorum inſultus defendi Romanorum magis intererat, ſubveniendum erat. Quod Romani denegaverant, id, qui Britanniam Armoricorum incolebant, tulerunt auxilium, miſſo Conſtantino Duce, qui hoſtibus pulſis fugatisque, in Regem electus eſt. Aſt eo per inſidias a Pictis interempto, filioque majori natu Conſtante ſacro ordini addicto, cæteris autem ex ephebis nondum egreſſis, Pictis autem ſpiritus reſumentibus, communibus ſuffragiis ad regiam dignitatem evectus fuit Vortigernus. Præter jus fasque eum regnum occupaſſe docet Matthæus Weſtmonaſterienſis, perperam quidem, judice Aurelianenſi. Certe minus exacta eſſe, quæ de hoc Rege tradit, Noſter pronuntiat, cum ſua fraudandus laude non ſit Vortigernus, licet magnis multisque præditus fuerit vitiis. Atque hic ipſe Vortigernus, evocatis contra Pictos Scotosque, quibus ſe imparem

imparem eſſe intelligebat, Anglo-Saxonibus, inſigni rerum in Britannia converſioni occaſionem præbuit. Res non una eademque ratione ab omnibus refertur. Auctori autem noſtro illorum maxime ſententia probatur, qui tot Saxones ex patrio ſolo egreſſos eſſe, quot tres naves caperent, ut novas ſibi quærerent ſedes, perque mare circa Britanniæ littora vagatos eſſe, autumant. Vortigernus itaque ad incitas fere redactus, miſit, qui hosce accerſerent, ut ſibi auxilio eſſent contra Pictos. Angli haud inviti paruerunt, cumque hoſtem profligaſſent, Hengiſtus Dux illorum, vir callidiſſimus, impetravit tandem a Rege, ut & alios cives ex patria ſua evocare ſibi liceret, quo ſic tandem Pictis pares eſſe poſſent. Qui poſtquam adventaſſent, filiam Hengiſti virginem formoſiſſimam ſecum adduxerunt, quam Vortigernus, inter pocula amore ejus captus, in matrimonium, utut Chriſtianorum ſacris nondum initiatam, ducit. Sic obſtricto ſibi Rege res ſuas firmare, jugumque ipſis Britannis imponere inſtituit Hengiſtus. Britones autem mirum in modum hinc irritati, contra Saxones Regemque ipſum, Duce Vortimero Regis filio, arma capeſſunt; unde bellum iſtud longe atrociſſimum exortum eſt, quod diverſis eventibus, ipſis tamen Hiſtoricis non raro hic ſecum pugnantibus, geſtum fuit.

Equidem Aurelius Ambroſius Conſtantini filius cæterique Britonum Reges, ad Cadwalladarum usque, cum Anglo-Saxonibus nunquam non de rerum ſumma dimicarunt, ſed tandem ſuccubuerunt creſcenti indies potentiæ, & ad faſtigium tandem, ſeptem Saxonum regnis in unum coaleſcentibus, perductæ. Egberto tam felici eſſe licuit, ut ex Saxonibus Angliæ regno toto potiretur. Sed vix eluctati erant ex hiſce difficultatibus, cum novas illis Dani crearent, alteram eamque non minus celebrem ſtatus converſionem Britanniæ attrahentes. Hinc qui Egbertum exceperunt, Angliæ Regibus Ethelwolfo, Ethelbaldo, cæteriſque cum Danis ſemper fere pugnandum fuit, donec tandem Edmundo, proditore Edrico, interempto & Saxonum in Britannia imperium finiretur. Lectu ſane digna ſunt, quæ de Ethelbaldo, Ethelberto, præcipue Adelſtano fortiſſimo prudentiſſimoque Rege, Edgaro, aliisque Regibus Auctor inſpergit, pleriſque ſuas, quibus pollebant, virtutes aut impuris amoribus, aut aliis vitiis commaculantibus, fabularumque Romanenſium conditoribus argu-

 menta

menta haud vulgaria ſuppeditantibus. De Suenone quoque Danorum Rege, quem Chriſtianorum ſacris imbutum fuiſſe nonnulli ajunt, alii abnuunt, Noſter ita diſputat, ut Saxonis Grammatici, aliorumque ſententiis commemoratis, ea quæ Pontanus tradit, quam minime ſibi ſimilia vero videri, haud obſcure innuat.

Inter Danicos Reges, qui deinceps Anglis imperarunt, maxime laudat Canutum I. vitiorum quidem non immunem, aſt pietate tamen cumprimis inſignem. Nec prætermittit, quod referri ſolet, qua ratione maris fluctibus, ut cederent, imperando, intempeſtivam ſuorum adulationem lepide reprehenderit. Quo minus vero & Danorum in Anglia imperium diuturnum eſſet, imperitia vitiisque illorum, qui Canutum exceperunt, effectum eſt. Accedebat reviviſcens erga priſtinos Reges amor; unde rebus Danorum peſſum euntibus, Eduardus tandem ex Normannia evocatus rurſus aliam faciem Angliæ rebus reddidit. In hocce Rege illud cumprimis Noſter admiratur, quod cum per artes arrogantiamque Godwini Cantii Comitis, omnium contemptui expoſitus fuerit, nihiloſecius tantam ſibi deinceps conciliaverit auctoritatem, ut feliciſſimis Britanniæ Regibus omnium conſenſu annumeretur, pietate quidem, ut putat, ingenii vim bellicamque peritiam ſupplente. Mortuo Eduardo inter Haraldum & Guilielmum Conquæſtorem lis oriebatur, utroque ad regnum adſpirante. Sane utrumq; dignum fuiſſe, qui regnaret, fatetur Auctor. Guilielmum ſuperiorem evaſiſſe, notius eſt, quam ut hic dici debeat. Nec ejus victoriæ, quas a Scotis, Danis, Galliæque Rege Philippo, & ſubditis ſuis frenum mordentibus retulit, quenquam fugiunt. Id vero haud fruſtra Noſter monet, eum rebus ſuis cumprimis bene conſuluiſſe, dum Romani Pontificis ſibi conciliaverit favorem.

Guilielmum Conquæſtorem primo quidem Guilielmus Rufus, deinde Henricus, excepere. De utroque, maxime autem de Henrico prolixe Noſter commentatur, litesque quæ ob inveſtituram, ut vocant, Epiſcoporum cum Anſelmo, ipſoque Romano Pontifice illi interceſſerunt, commemorat. Refellit quoque Polydorum Vergilium, quem multi ſequuntur, Parlamenti, ut vocant, originem ad huncce Regem referentem. Cæterum licet magna in cunctis fere negotiis uſus ſit felicitate Henricus, in eo tamen fatorum iniquitatem expertus eſt, quod triſti naufragio, quicquid illi liberorum

erat,

erat, præter Mathildem Henrico V. Imperatori nuptam perierit. Hinc mortuo Henrico, Mathildis autem filio Henrico ex Gothofredo Plantageneta, Comite Andegavenſi, cui poſt mortem prioris mariti connubiali fœdere juncta erat, nondum adulto, Stephanus Bononiæ Comes Angliæ regnum occupavit. Unde novi iterum motus, poſt cruenta atrociaq; bella, Euſtachio etiam Stephani filio interea repentina morte oppreſſo, ita conſopiti, ut Stephanus Henricum filium & hæredem adoptaret. Henricus itaque II. primi nepos, rerum potitus, ducta Eleonora, quam adulterii ſuſpectam Ludovicus, Galliæ Rex, repudiaverat, Aquitaniam cæteris provinciis, quas hæreditario jure in Gallia poſſidebat, adjecit. Sed hinc bellorum inter Gallos Anglosque fœcundiſſima efflôruit ſeges, ad quæ cum inteſtini motus, rebellionesque ab ipſis Henrici filiis excitatæ accederent, non poterat non tot motibus tandem ſuccumbere fortiſſimus cæteroquin heros, aſt ambitionis æſtro ultra modum percitus. Cumprimis vero & Thomas Becketus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, multum negotii Henrico faceſſivit, in quo exponendo prolixus Noſter eſt. Magnis laudibus evehit Thomam, aulicique conſummatiſſimi exemplar eum omnibus prius præbuiſſe aſſerit, quam ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem eveheretur. Hanc vero dignitatem cum invito Rex fere obtruderet, haud obſcure ſignificavit Thomas, fieri non poſſe, quin in Regis odium incurreret. Id quod & eventus comprobavit. Sacro quippe muneri admotus, ſubito rigidiores induit mores, dignitatisque quam ſacri ordinis viris aſſerebat, acerrimus extitit vindex. Unde lites maximæque contentiones, quæ Thomæ tandem mortem attraxerunt, non invito, nec tamen diſerte quidem jubente, aſt deinde ſerio dolente Rege. Lib. II.

Henricum excepit Richardus I, quem cum fratre moriturus pater Henricus diris devoverat. De expeditione ejus in Palæſtinam ſuſcepta, litibusq; cum Leopoldo Auſtriæ Duce, & hinc ſecuta Richardi captivitate, itemque cum Galliæ Rege bellis, poſtquam multa doctisſimus Auctor expoſuit, ad eam converſionem rerum, quam ſub Johanne Anglia ſubiit, accedit. Hunc Johannem omnibus vitiis coopertum, nullaq; virtute, quæ eum dignum ut regnaret, reddere potuerit, præditum fuiſſe, fidenter aſſerit. Quæ primo cum fratre Richardo, & tandem cum Arthuro Britanniæ Minoris Comite ejusque

ſociis bella geſſit; neminem fugiunt; illud ſaltem hic obſervaſſe noſtra intereſt, quod Auctor illorum refellat errorem, quem & magni admiſerunt viri, qui Conſtantiam Arthuri matrem, ob filii cædem, Johannem coram Galliæ Rege homicidii reum peregiſſe referunt: cum tamen eandem jam ante filii mortem fatis ſuis functam eſſe conſtet. Aſt Britanniæ Minoris Proceres accuſarunt Johannem, eo quidem eventu, ut eo non comparente ad dicendam cauſam, omnium in Gallia poſſeſſionum clientelarium exſors pronunciaretur. Ejusdem Regis cum Romano Pontifice ob Archiepiſcopatum Cantuarienſem lites ediſſerit, quas cum ita conſopitas fuiſſe palam ſit, ut regni nomine tributum quotannis pendendum Romano Pontifici promiſerit, Noſter tamen non definire audet, an Innocentius hanc rationem iram ſuam placandi Regi ſubminiſtraverit, an vero Rex ſponte ſua in eam inciderit cogitationem. Sed licet Pontificis ita recuperaverit gratiam, ſubditorum amorem adeo non recuperare potuit, ut priſtinam potius libertatem armata manu, vocatoque in auxilium Ludovico Philippi Gallorum Regis filio, repeterent.

Lib. III. & IV. In Henrico III, filioque Eduardo, hujusque itidem filio atque nepote, quantæ ſint rerum humanarum viciſſitudines, luculenter apparuit. Henricus maximis motibus agitatus, fortunam domi non minus ac foris adverſam habuit. Sed vero, ut Aurelianenſis noſter exiſtimat, nec propitiam habere poterat. Animi enim iſta firmitudine & robore, quo opus eſt, ut deſtinata feliciter exequamur, prorſus deſtituebatur. Sunt qui Senatum iſtum regni Anglicani, quem Parlamentum vocant, eum inſtituiſſe putant: ſed perperam, ut Noſter aſſerit, cum ſenſim potius iſte enatus & ad faſtigium deductus illi videatur; tantum abeſt, ut Regem tanta capere dementia potuerit, ut ſua ſponte ſubditorum ſe ſubmittere judicio voluerit. Eduardus contra, quem Angli utplurimum primum vocant, Henrici filius, ut fortitudine & prudentia patrem ſuperavit, ita & obſequentiorem fortunam habuit. Aſt variis tamen artibus ad ſupremum Scotiæ dominium graſſari ſibi neutiquam religioni duxit; quod quidem crimen in eo, præter Auctorem, & alii reprehendunt. Quam vero nec virtus, nec fortuna cum ſanguine in liberos propagetur, Eduardus II. primi filius ſuo exemplo rurſus docuit. Favor quo Spenſerios proſequebatur, illi attulit exitium. Primo enim eam ob cauſam Procerum, deinde & Reginæ ipſius

næ ipſius (quam tamen Spenſeriorum odium tegendo impuro amori obtentui ſumpſiſſe, nonnulli ajunt, ideo a Noſtro refutati,) animi ab eo abalienati, ſeditionibus fomitem præbuere, eo erupturis, ut regno ſe abdicare coactus, carcerique mancipatus, tandem crudeliſſimo mortis genere interimeretur. Hac, quæ Angliæ incubuerat, caligine diſpulſa, benignius aſtrum rurſus in Eduardo III. fulgere cœpit. Hunc bella cum Scotis Gallisque geſta oblivioni eripuere. Rem ipſam, utpote notiſſimam indicare non neceſſe eſt. Nec in eventibus ab aliis Auctor diſſentit; cauſam in Gallicis quidem juſtam fuiſſe abnuit, ambitionemque Eduardi accuſat, probitatemque in eo requirit. Iſtud prætermittendum non eſt, quod & communem illam receptamque ſententiam, quæ tamen nonnullis diſplicet, quæ Eduardum hunc Ordinem Periſcelidis in gratiam Comitiſſæ Cantii & Salisberiæ inſtituiſſe tradunt, ſuo quoque calculo Auctor comprobet.

Sub Richardo II, Eduardi III. nepote & ſucceſſore, Anglicanæ res iterum in pejus ire cœperunt, per fati potius quandam iniquitatem, quam Regis culpam. Namque Aurelianenſis de eo ita ſentit, virtutes quibus eminuit, vitia, quorum non erat immunis, multis ſuperaſſe modis. Cum Gallis Scotisq; aut adverſa, aut dubia fortuna, vel ab ipſo, vel ejus ducibus pugnatum eſt. Hibernos repreſſit ſtrenue: ſed ſeditioſorum machinationibus tandem ſumma rerum ad Henricum Lancaſtriæ Ducem translata. Mortem Richardo capto, carcerique incluſo, ipſi ejus amici, utut inviti accelerarunt. Arma enim contra Henricum capientes, & presbytero cuidam Richardi, quem ex carcere elapſum fingebant, perſonam imponentes Henrico ſtimulum addiderunt, ut interfecto Richardo ſuæ conſuleret ſecuritati. Cæterum ipſum Henricum IV. ejusque filium Henricum V. maximis, quos orbis vidit, Principibus annumerandos eſſe, non diffitetur Autor, illum quidem ob pacatum Angliæ ſtatum, hunc ob Galliæ regnum fortiter perdomitum. Aſt utrique ambitionem exprobrat, quam ita illorum mentes occupaſſe dicit, ut regnandi cauſa divinas humanasque migrare leges, & quadrata miſcere rotundis nulli dubitaverint. Lib. V. Lib. VI.

Henrico V. parum erat Angliæ regnum per nefas a patre occupatum, non meliori jure retinere. Idem per Galliam quoque, ſola dominandi libidine, ut Auctor quidem cenſet, ſtimulatus, victricia arma circumtulit. Certe cum pater jam animum agens, haud obſcure innue-

innueret, quam nullo in Angliæ regno occupando niſus fuerit jure, prompte reſponderat filius: gladio conſervabo regnum, quod gladio occupaſti.

Lib. VII. Sed quo minus victoriarum ſuarum fructum perciperet Henricus V, præmatura mors, qua ereptus rebus mortalium fuit, effecit. Henricus VI, admodum puer corona equidem Gallicana Pariſiis redimitus eſt; ſed cum per ætatem rebus ipſe præeſſe non poſſet, profecto mirandum non eſt, quod Gallis reſpirare pauliſper viresque & animos iterum colligere licuerit. Sed plurimum ad profligatas Gallorum res reſtituendas, Anglosque omni laboris præmio privandos contulit Johanna Aurelianenſis, quam Auctor divinitus ad vendicandam aſſerendamque Gallorum libertatem miſſam fuiſſe contendit. Nec vero hæc ſola calamitas fuit, quæ afflixit Henricum. Accedebant enim inteſtini motus ab Eboracenſi Duce excitati, quibus reprimendis cum par non eſſet Henricus, tribusque vicibus infeliciter pugnaſſet, captus tandem carcerique mancipatus, aſt pulſo & fugato Eduardo, a Comite Varvicenſi reſtitutus, regiæque dignitati redditus, mox victore Eduardo iterum, eadem denuo privatus, & nemine reſiſtente, in carcerem detruſus, tandem a Gloceſtriæ Duce interfectus, inconſtantis fortunæ exemplum luculentiſſimum poſteritati præbuit. Certe omnibus iſtis virtutibus eum præditum fuiſſe, quibus Principem feliciter imperaturum fulgere decebat, ipſe Auctor negat, nec tamen cum Cominæo conſentit, qui ſtupidum hominem valdeque imprudentem fuiſſe dicit. Pietatem ejus maxime laudat, eamque miraculis poſt mortem comprobatam aſſerit. Ita ergo per novam rerum commutationem a gente Lancaſtrenſi ad Eboracenſem regia in Anglia dignitas tranſiit. Eduardus IV. ad gerendum reipublicæ clavum non ineptus, Numinis autem parcus cultor, regno occupato, non infeliciter quidem regnavit, nec tamen res memoratu dignas geſſit. Filium ejus Eduardum V. cum fratre Richardus Gloceſtriæ Dux, crudeliſſimus homo, ut regno potiretur, interfecit: ipſe regno deturbatus, & in prælio interfectus ab Henrico VII, qui ducta in matrimonium Eduardi IV. filia, connubiali fœdere Lancaſtrenſem & Eboracenſem gentem junxit. Hunc ob ſapientiam ſummam Salomonem Angliæ dictum eſſe, notius eſt, quam ut ex Auctore hic commemorari debeat. Impoſtorum quoque Symenelli & Perkini Warbekii fata, prolixe ab Auctore expo-

re expoſita nemo ignorat. Uti nec iſtud, quod Henricus magnis ſuis virtutibus, per iniquas exactiones, & injuſtam cædem veri Comitis Varvicenſis, labem, quæ elui nequit, adſperſerit: licet ut ultimo crimine ſe obſtringeret, adductus fuerit, ut Auctor cenſet, a Ferdinando Catholico, qui filiam Catharinam Arthuro Henrici filio, vivente Varvicenſi Comite, dare noluit. Mortuo autem Arthuro, Patrem excepit Henricus VIII. De hoc ut & filiabus ejus Maria & Eliſabetha Auctor ſtrictim ſolum quædam exponit, & commutationum, quæ ſub iis in Anglia contigerunt, breviſſimam quandam ideam exhibet. Hinc cum noſtra ætate magnis ſubinde voluminibus horum Principum Hiſtoria explicata ſit, mirum non eſt, quod Auctor nihil temere adferre potuerit, quod non & aliis jam ſit obſervatum. Lib. VIII.

Quæ Anglia poſt Jacobi I mortem ad noſtram ætatem usque ſubiit fata, ea Tomus tertius, a doctiſſimo Auctore prioribus nunc additus exhibet. Caroli I, Cromwellii, Caroli II, & Jacobi II res geſtas eleganter hic explicari videas. Et ne in rebus hiſce, quæ magnum utique momentum trahunt, ſine auctore aut teſte fide digno aliquid aſſerere videatur, commentarios, ex quibus præcipua hauſit, indicat in Præfatione; quoad Jacobum II. autem, ex ipſis Regis ſermonibus relationibusque multum ſe profeciſſe, non diffitetur. Turbarum, quæ Carolum I. exceperunt, originem altius repetens, ipſum Jacobum I. patrem ejus intempeſtivo pacis ſtudio, ad quod tum per rationes, tum per indolem ſuam ingeniumque, ut autumat, ferebatur, id quidem effeciſſe ait, ut tot vitiis morbisque Anglia ſcateret, quibus ſanandis quantumvis prudens & felix Princeps vix par eſſe potuiſſet. Laudat eundem Jacobum, quod doctos magno proſecutus ſit amore; aſt ipſam Regis eruditionem, quam alii tantopere deprædicant, non tanti faciendam dicit: reprehendit vero omnino, quod paſſus fuerit Buchanani librum, in quo in Regiam ſanctitatem, ipſamque Regis matrem Mariam injurius fuerat, impune ſibi conſecrari. Carolum Jacobi filium non virtutibus quidem, ut alii dicunt, aſt fortuna deſtitutum fuiſſe. Hanc enim, licet aliquando illi favere viſa fuerit, in iis tamen præliis, ubi de rerum ſumma concertabatur, eum profecto minus propitiam habuiſſe. Hinc totam motuum iſtorum ſeriem ediſſerit, eo minus a nobis hic attingendam, quo plures eam literarum monumentis conſignarunt, quoque pauciores eam Lib. IX. X. & ſeqq.

 ignorant.

ignorant. De Cromwellio callidiſſimo ſcelerum architecto, qui totam ſcenam inſtruxit, ita ſentit Aurelianenſis noſter, ut indole nec ad virtutes nec vitia proclivi eum præditum fuiſſe aſſerat; adeo, ut ſi in rectam ingreſſus fuiſſet viam, eam magnis exornare potuiſſet virtutibus, quemadmodum maximis ſceleribus virtutumque, præſertim pietatis callidá ſimulatione, eam corrupit ac depravavit. Tandem & Jacobi II fata, ejusque ex Anglia fugam, & res in Hibernia infeliciter geſtas proſequitur; de quibus itidem, cum in recenti omnium memoria verſentur, aliquid addere ſupervacaneum foret.

## *BARTHOLOMÆI DE MOOR COGITATIONUM DE INSTAURatione Medicinæ, ad ſanitatis tutelam, morbos profligandos, nec non vitam prorogandam, Libri tres.*

Amſtelod. apud Gerard. Borſtium, 1695. 8. plag. 30.

COmplexus eſt hoc tractatu clariſſimus Auctor, quæ in Medicina tum docenda, tum facienda deſiderari animadvertit, ut, cum emendatio nobiliſſimæ artis non in unum cadat hominem, aliis quoque præberet occaſionem ſocias conferendi operas. *Libro* ergo *primo*, poſtquam de vulgari Medicinam tradendi ratione egit, triplicemq; Medicinæ finem conſtituit, *ſanitatis conſervationem*, *amiſſæ reſtitutionem*, & *vitæ prolongationem*, ſtatim accedit ad ea, quæ ad explicandam corporis humani & ſanitatis rationem pertinent. Hic ergo Auctores in partibus impetum facientibus frigide vulgo verſari queritur, hincque natam opinionem, unicum eſſe morbum, nempe ſcorbutum; ſanitatis differentias non accurate ſatis examinari, temperamentique & ſanguinis etiam in ſanis diverſitatem. Maxime proinde utilem eſſe cenſet œconomiæ animalis accuratiorem tractationem, ſed absque logomachiis, ejusque ipſemet hoc loco affert breve aliquod ſpecimen, in quo de ſaliva, manducatione, mutationeq; ciborum in ventriculo non contemnenda afferuntur, oſtenditurque inter alia, in hac & diſſolutionem, & fermentationem, & concoctionem occurrere. Inprimis vero clariſſimus Auctor circulationem ſanguinis, a nullo hucusque rite explicatam, probe conſiderandam monet, animadvertendumque ad *impetum ſanguinis ex corde erumpentis*. Qui cum maximi ſit momenti, & ex vi illa maxima, qua ſanguis premitur in arterias repletiſſimas,

tiſſimas, plurima alias explicatu ardua facile deduci poſſint, fuſius hujus naturam & uſum experientiſſimus Auctor exponit. Ut ergo rite intelligatur valida illa preſſio, quæ vel hinc colligi poſſit, quod cor ſeſe horæ ſpatio bis millies contrahat, & ſupponendo duas uncias ſingulis pulſibus expelli, & ſanguinem humanum eſſe circiter 20 librarum, tredecim vicibus unica hora maſſam ſanguineam in circulum agat, attendere jubet ad ampliſſimarum arteriarum in anguſtiſſimos tubulos divaricationem, ſanguinis texturam ramoſam, aeris externi preſſionem & hinc ortam conſtipationem fibrillarum minimarum, tunicæ arteriarum majorum, quarum tamen capacitas minor capacitate venarum, craſſitiem & contrahibilitatem, valvularumque ſemilunarium, quæ ſanguinis ad latera arteriæ aortæ in circulum & quaſi vorticem acti regreſſum prohibent, neceſſitatem. Provocat etiam ad ejaculationem ſanguinis in capite truncatis, & ſectionibus vivorum animalium, dum ſanguis non ſubſultim, ſed magno & continuato erumpit impetu, quod a ſola circulatione aut motus celeritate non procedit. Huic preſſioni deinde tribuit majorem particularum ſanguinis diviſionem, caloris inteſtini conſervationem & augmentum, nec non mixtionem partium accuratiorem. Unde conſequitur, ſanguificationem nec in hepate aut corde ſolo, nec a ſola chyli & ſanguinis confuſione peragi, ſed valido & inteſtino motu mediante, a particularum diviſione, ſubtiliſatione & plusquam perfectione, tum in corde, tum in ipſis arteriis abſolvi. Ex eodem fonte derivat ſanguinis vim elaſticam, quæ non tam dependeat a particulis aëreis ſanguini in pulmonibus admixtis, quippe quæ admodum copioſæ non ſint, ſed quia particulæ a preſſione diviſæ, mixtæ, in ſanguinem redactæ, calidæ & pulſu valido evibratæ conantur ſe expandere, & ſpatium proinde majus requirunt. Ex eadem preſſione repetenda ratio ſeparationis ſpirituum animalium in cerebro, ſecretionumque reliquarum, imo etiam ipſius motus muſculorum. Hunc enim tum fieri putat clariſſimus Auctor, cum ſpiritus animales influunt in fibrillas nerveas per muſculorum carnem diſperſas &, ubi coeunt, tendinem conſtituentes, easque tendunt, & ſic ſanguinem in progreſſu ſuo per tubulos arterioſos impediunt, qui proinde eos expandit, ut ita muſculus contrahatur, & partem ſibi annexam trahat. A preſſionis hujus imminutione per inediam languorem animalium pendere; ab aug-

mento refocillationem, plurimaque effecta, quæ paſſionis perceptionem ſtatim conſequuntur, aſſerit. Somnum oriri exiſtimat, cum ſanguis particulis heterogeneis a paſtu repletus difficulter per vaſa minima circulatur, & ad cerebrum delatus corticalem ſubſtantiam premit, nervorumque principium quaſi obturat, ut ſpiritus libere ad externorum ſenſuum motus voluntarii organa fluere non poſſint, ſimulque rationem reddit, cur decubitu, calore aëris, ignis, ſtragularum, ſilentio, ſuſurro leni, lectione libri parum nos afficientis, nec non vigiliis protractis, ad ſomnum proclives reddamur; item cur narcotica ſanguinis motum intendant, & tamen ſomnum provocent. Ad eandem preſſionem recurrit in explicanda nutritione & accretione, quæ tum fiat, quando ſanguis per vaſa, quæ cunei rationem habent, & in omnes corporis partes, duriſſimaque etiam oſſa ſe inſinuant, propulſus, particulas arctius cohærentes diducit, novas adjungit, & ita adauget. *Secundus liber* præcipua, quæ in morbis conſideranda ſunt, exponit. Ea fere huc redeunt: Non omnium morborum, ut quibusdam recentioribus placuit, eandem eſſe cauſam, ſed motum quoque ſanguinis juſto quandoque eſſe celeriorem, & ſymptomata, quæ vulgo a nimia ſanguinis quiete deducuntur, revera pendere a nimio ejus motu: poſſe ſanguinem quoque copia peccare, & tunc venæ ſectionem, experientia teſte, juvare: morbi differentias accidentales maximi eſſe momenti, & diligenter attendendum ad morbos complicatos; ejusdem enim morbi diverſas eſſe ſpecies, eundem quoq; epidemium morbum varia producere ſymptomata, ratione variarum anni tempeſtatum: accuratius inveſtigandam & annotandam morborum cauſam: hæreditariorum fontem plerumque eſſe humores fixos & tartareos, vel vitiatam partium ſtructuram, aut pororum conformationem: adſcititios plerumque a prava diæta oriri; commiſſum tamen in diæta errorem quandoque non veræ cauſæ, ſed occaſionis tantum morbi habere rationem: epidemiorum morborum conſiderationem late patere, diligenterque notandam anni conſtitutionis & morborum, qui hanc excipiunt, naturam; temporis quoque, veris, æſtatis &c. rationem in morborum curatione habendam eſſe: ejusdem affectionis poſſe dari diverſas & contrarias cauſas: perperam omnium morborum cauſam chylum vitiatum ſtatui; quia multi morbi a cauſa externa, cum viſcus aliquod læditur, graviaq; ſymptomata, in ſanis etiam, a nimia ſanguinis copia, animi pathematibus,

inedia,

inedia, omnibusque illis, quæ preſſionem ſanguinis multum immutare valent, proficiſcuntur, & animalcula in corpore noſtro producta morborum quandoque ſunt cauſæ: falſo plerumque accuſari ſanguinis quietem & obſtructionem, cum tamen ille nunquam quieſcat, niſi vita aut omnino aut ex parte exſtincta, ut in gangræna & ſphacelo; inflammationem autem hinc fieri, quod ſanguinis cum impetu irruentis progreſſus difficilior eſt redditus, ſicque tunicæ extenduntur, excitatur calor et partis intumeſcentia; atque ex eo explicari poſſe, cur repellentia juvent: deſiderari exactam ſymptomatum doctrinam, quæ tamen neceſſaria maxime ad morborum abſolutam hiſtoriam contexendam: mortis etiam hiſtoriam, & eorum, quæ mortem præcedunt & ſequuntur, conſcribendam eſſe, inquirendasque rationes, cur tam ſubito ceſſet circulatio ſanguinis, & hanc conſequens preſſio; id quod Auctor vel cordis propellentis, vel ſpirituum animalium, vel meatuum vitio contingere autumat, & exemplo eorum, qui vel gaudio vel terrore nimio perimuntur, illuſtrat; in illis ſemilunares valvulas nimium diduci, ut tam cito contrahi non poſſint, ſanguinisque arterioſi motum in cor retrogradum prohibere, in his nimium conſtringi illas valvulas exiſtimans: ad ſigna quoque probe attendendum eſſe: criſes in noſtris regionibus non adeo eſſe conſpicuas, ob aëris conſtitutionem frigidiorem, humores viſcidos & ſcorbuticos, medicorumque nonnullorum imprudentiam, qui naturam materiæ morbificæ exterminationem molientem præpediunt: in ſtatu morboſo illa, quæ videntur pulſum efficere magnum, parvum aliquando producere, minoremque & magis oppreſſum eſſe pulſum, ſi arteriæ nimium repletæ ſpatium ſufficiens non concedant ſanguini a tergo prementi. *Tertius liber* circa ea, quæ ad methodum medendi pertinent, occupatur. Taxatur autem vulgata illa Auctorum plerorumque doctrina, qua temperandi & evacuandi humores neceſſitatem quidem proponunt, ordinis autem & viæ, qua in ſingulis id peragendum, parvam aut nullam faciunt mentionem; cum tamen in generalibus ſubſiſtendum non ſit, ſed diſtinctim exponenda, quænam in morbi principio, augmento, ſtatu, & declinatione ſint adhibenda, v. g. in pleuritide venæ ſectionem in principio & ægris plethoricis celebratam magni eſſe uſus, poſtmodum adhibitis iis quæ ſudores movent; in ſtatu aut ἀκμῇ male inſtitui aut etiam nimium repeti. Quod ſpeciatim attinet ad ſanitatis conſerva-

tionem, ejus fundamentum ſtatuitur, *ſimilia ſimilibus conſervari*, idque perfici mediante commoda diæta. Sanitatis reſtitutio hac propoſitione niti dicitur: *Morbus vel contrariis vel ſubcontrariis* (v. g. diluentibus) *expugnari debet*, *cauſæ ſunt tollendæ*, *ſymptomata mitiganda.* Tandem exponuntur ab Auctore fuſius, quæ ad vitam prorogandam faciunt, probaturque primo, dari artem vitam propagandi, licet huc usque fere neglecta illa fuerit a Medicis; & cum ad vitæ diuturnitatem requiratur præcipue corporis noſtri vigor & robur, ambo hæc autem a ſpiritibus animalibus pendeant, hujus artis induſtriam occupari circa ſpiritus animales, ita ut doceat *illorum vitare jacturam*, & *promovere corroborationem.* Porro jacturam Auctor vel ſuffocationi adſcribit, quando nempe ſpirituum vividorum & luminoſorum productioni & diſtributioni locus non relinquitur, vel diſſipationi. Suffocantur itaq; ſpiritus otio & ignavia, ſomnolentia, vita ſedentaria, crapula, ingluvie & mœrore: diſſipantur ſtudiis, vigiliis, curis, venæ ſectione, purgantibus, emeticis, ſalivatione, gaudio nimio, medicamentorumque ſpirituoſorum, thermarum ac Veneris abuſu. Ea ergo judice Auctore, vitæ ineunda ratio, in qua hæc incommoda vitantur; inprimis diæta bona eligenda, ita tamen ut non nimis ſimus meticuloſi, ſed aliquid demus quandoque appetitui & conſuetudini, attendamusque quos cibos facile feramus, cum multum a ſe ipſis differant ratione ætatis, temporis anni, præparationis; ſicut v. g. juſculum galli decrepiti ægroto ſalubre fuerit, carnes ejus ſanis pepererint anxietates circa præcordia, nauſeam & vomitum. Notandum etiam, a quibus exercitiis bene, a quibus male habeamus, & ea cumprimis eligenda, quæ non tantum pedes, ut deambulatio, ſed etiam manus, brachia, denique totum corpus agitant. Somnus moderatus non negligendus; animus adverſus paſſiones eſt præmuniendus; pathemata ipſa ſedanda, & mens alio avocanda, ut ſua ſorte contenta eſſe diſcat. Quæ ſaluberrima præcepta eruditiſſimus Auctor teſtimoniis optimorum Græcorum Latinorumq; auctorum, ipſiusque S. Codicis, nec non luculentis exemplis comprobat, & de inſpirationis & exſpirationis uſu docte diſſerit. Ultimo tandem loco de Medicinæ inſtrumentis agens, eam profitetur ſententiam: Pharmaciæ ſuum conſtare debere honorem, Chymiæ ſuam dignitatem; huic vero abrogandam tyrannidem, Medicoque utriusque cognitionem ſumme eſſe neceſſariam; Chirurgiam denique

ſedu-

ſedulo eſſe excolendam; medicamina probata publici facienda juris, & affectuum indagandas veras cauſas, ne ad quietem, craſſitiem, lentoremque humorum ſemper ſit confugiendum.

*AD VIRUM ILLUSTREM DN. JO. ABRAHAMUM BIRNBAUMIUM, J.C. Potentiſſ. Elect. Sax. Conſiliarium intimum &c. Epiſtola CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, D.*

Dresdæ apud J. C. Rüger, 1696. fol. plag. 4.

OCcaſionem Epiſtolæ huic præbuit Autori conſultiſſimo locus unicus Libanii, a Jo. Spencero ex Oratione illius ὑπὲρ τῶν ἱερῶν eo fine adductus, ut oſtenderet, ſacra Hebræorum ad certa loca fuiſſe adſtricta, ut variis erroribus & ipſi adeo idololatriæ occurreret divinum Numen. Paſſim enim in agris & triviis templa & altaria extruxiſſe Gentiles, quia ſpes omnis agricolarum de fœcunditate agrorum in illis collocaretur. Quod ipſum ex Oratione Libanii illuſtrare contendens Spencerus aſſeruit, eadem opinione olim ſeductos fuiſſe Iſraëlitas, & ſacra ſua paſſim in campis obtuliſſe, ante hanc legem divinam de tabernaculo & templo latam. Reſpondet Autor, a temporibus Theodoſii M. ad quem habita eſt illa oratio, ad inſtitutum a DEO tabernaculum, grande intercedere ſpatium temporum ac intervallum. Diſpungendum vero fuiſſe hoc totum negotium ex hiſtoria Patriarcharum, ordine rerum multo ſimpliciore. Imo ſub Theodoſio M. perinde in civitatibus habuiſſe Gentiles templa ſua, & ab iis majorem ſecuritatem dignitatemque ſibi promiſiſſe, quam reliquis. Quumque Orationem illam primus ediderit Jacobus Gothofredus JC. cum commentario & translatione Latina, tum vero Codicem Theodoſianum ex Libanii orationibus locis quam plurimis expoſuerit, congruum ſtudiis ſuis putavit Autor, ſi non orationem iſtam tantum, quam innuimus, ſed univerſum Codicem J. Gothofredi Theodoſianum percurreret, quidque in locis præcipuis præſtiterit ſummus hic JCtus, & quantam lucem Libanio & rurſus ex Libanio hiſtoriæ Juris Romani paſſim intulerit, annotaret. Quæ cum aggrederetur, non potuit non Latina interpretatio Federici Morelli paſſim ſub incudem paulo uberius vocari, quam ab ipſo antea Jacobo Gothofredo factum fuerat. Et quanquam ille ipſe, quum annotationes ad Philoſtorgium

gium vulgaſſet anno ſeculi XLIII, in cenſuram Henrici Valeſii inciderit ſatis acerbam, apud Voſſium tamen meruiſſe calculum haud paulo nitidiorem, atque nunc examen novum ſubiturum utrumque Richardi Bentleji, cujus novam Philoſtorgii editionem promiſerit in commentariis ad Julianum illuſtris Spanhemius. Ceterum ex Tomo I. Codicis Theodoſiani affert Autor primum, quæ ad *L.3. de Off. Rectoris provinciæ* ex Libanio commentatus eſt Gothofredus. Et recte equidem ait illum legere, *καὶ οὐ τῶν οὐκ ἀφικνουμένων*, quæ negativa deſit apud Libanium. In eodem vero loco hæſiſſe adhuc mendum, quod Tomo V. demum ad *L. 1. de expenſis ludorum* ſublatum ſit, *πλέον γὰρ δύναται γραμματεῖον δίθυρον, πολλῶν καὶ μακρῶν λόγων ἐγγύθεν λεγομένων*, pro quo Morellus, *γραμματεῖον διθύρων πολλῶν*. Jam ad *L. 1. domin. rei quæ poſc*, illuſtratur alius Libanii locus ex Oratione in necem Juliani, cujus emendationem Gothofredus non tetigerat. Tentavit enim hic Auctor, *ὁ δὲ τοιούτους μὲν ἔθηκεν νόμους, δις εὗρεν ὥστε μεγάλα τοὺς πρὸ τούτων γενομένους ἀνθρώπους ἀζημιοῦσθαι*, *hic vero tales conſtituit leges, per quas vidiſſet homines antehac natos ab omni damno immunes maxime præſtari.* Ubi ſimul ſed veluti obiter mentio fit lectionis Gronovianæ in alio iterum loco *περὶ τῶν προφασιῶν, καὶ πεῖθον φεύγειν ἀπὸ τῶν κινδύνων.* Gronovius enim initio libri primi de Pecunia Vetere maluerat, *καὶ πείθειν.* Noſter autem, *ποιῶν αὐτοὺς καὶ πείθων.* Succedit his elucidatio nova ad C. Theod. *de naturalibus filiis*, & Novellam Juſtiniani 89. c. 12, quam citra locum Libanii de Vita ſua neminem, qua hiſtoriam textus, cogitando aſſecuturum cenſet Auctor. Porro e Tomo II. illuſtratur *L. un. de Conſulibus*, atque iterum plura ad tit. *de Curioſis*, & translatio Gothofredi multis modis præfertur Morellianæ. Tum vero ad L. 12. *de Curſu publico* oſtenditur, perperam Morellum, *τρίχα διελὼν τὴν δύναμιν*, exponere, *vulſit capillum diviſis copiis*, pro, *copias in tres partes vel tripartito diviſit.* Ubi locum ſimilem, ſed æque corruptum ſuppeditat Autor ex Antiochico Libanii, *ὥστε εἴ τις τὸ τρίχα διῃρημένον εἰς ἕνα τύπον συνήγαγεν, ut ſi quis capillum diviſum ad unam formam congregaret.* In eodem hoc Tomo circa laudem Ariſtophanis translationem Morelli & Gothofredi ita recenſet Autor, ut utramque explicet magis reddatque perſpicuam. Ad Tomum III. vero ſuccurrit ei *L. 4. de Malef. & Mathemat.* Ubi rectius Gothofredus, *Juliani no-*

*liani nomen loco Conſtantii infartum.* Nam de Juliano Didio perperam id intellexiſſe Morellum, & contra fidem hiſtoriæ. Ad *L.1. de his qui ad ſtatuas confugiunt*, laudatur Gothofredi emendatio textus Græci pariter & tranſlatio ejusdem, & locus alius ex oratione Libanii in Tiſamenum, quem iſte intactum reliquerat, utrobique lucem accipit. Tomo IV. autem inſtar commentarii in Libanium eſſe perhibetur Gothofredus ad *L. 15. de Annona & tributis.* Sed Autor tamen pro ὃ προξενῶν legit ὁ προξενῶν, Tiſamenum reſpiciens: atque ibidem pro καὶ λόγοις malle eum videmus καὶ ἀλόγοις, quam lectionem paulo inferius codicem MSC. non parum adjuvare ait. Sed ſingula iſta adducere paulo foret prolixius. Illud tamen non prætereundum, quod cum Libanius Senatum appellet τὸ μέγα συνέδριον, anſa data fuerit inveſtigandi, quo ordine temporum vox illa a Græcis ad Judæos migraverit. Gothofredum enim ad *L. 29. de Judæis* ſatis habuiſſe, ſi diceret, Athenis & in aliis Græciæ civitatibus uſurpatum vocabulum hoc fuiſſe; ante oculos autem forte habuiſſe Gul. Poſtellum, quem nimium laudaverit nuper etiam Chriſtianus Wormius. Imo vero apud antiquiſſimos ſcriptorum Græcorum συνέδριον nondum deſignaſſe dicaſterium quoddam forenſe, ex Xenophonte & Plutarcho adſtruitur. Apud Sophoclem tamen occurrere de conſeſſu regio, & conſilii regii orbe vel circulo. Quumque Artaxerxes & Esdras Sophoclem intervallis non adeo disjunctis excipiant, pluribus conjecturis locum viamque muniri. Dictionem autem Strabonis & Diodori Siculi ad uſum ſui ſeculi hic temperatam eſſe, neque adeo vel Menochium vel Seldenum hanc rem expediiſſe, cui diſſertationem ſuam vel præmiſerit vel oppoſuerit Jo. Vorſtius. Rediens hinc Autor ad *L. 103. de Decurionibus*, laudat denuo diligentiam Gothofredi circa loca Libanii, ita tamen, ut exiſtimet, τοὺς ὑπομένοντας τῶν θηρίων non eſſe, qui feras curent tantum, ſed qui pugnent cum iis, & nunc victi ab iis, nunc victores earum fuerint. Multo vero magis ad Tom. V. commendatur induſtria Gothofredi ad *L. 1 de Spectaculis*, niſi quod in novum vulnus lectionis Libanianæ ſe dicat incidere Autor; cum enim ſenſum nullum habere cerneret iſta, ἀλλὰ σὺ μὲν ἡμᾶς ἡμῖν τὴν πόλιν, ſcribere non dubitavit, τιμᾶς ἡμῖν τὴν πόλιν. Ut mens Libanii hæc ſit: *tu, o Imperator, omni honore afficis noſtram civitatem hanc, quæcunque ad legatos noſtros dicuntur a te, vel cum iis tractantur, atque ita*

 *quoti-*

*quotidie urbs hæc ſit illuſtrior.* Locum æque obſcurum occurrere ait apud Gothofredum ad *L. 9. de infirm. his quæ ſub Tyrann.* cujus ſenſum paucis aperit, addens prætereа eundem illum recitari ac retineri ab eruditiſſimo Pagio, qualem invenerit; qui tamen ad annum Chriſti 387 in alio textu Libanii novam attulerit & accuratam tranſlationem, relicta Valeſii pariter & Gothofredi expoſitione Latina. Quare cum chronologiis illius perpetuo conjungendum eſſe Pagium hunc, obſervat Noſter. Nam & a doctiſſimo Baluzio nota ſtringente eas inſignitas eſſe alicubi. Et perinde apud Gronovium de Pecunia Vetere, atque apud Joannem Schefferum de Re Vehiculari, deprehendi non pauca, quæ cum his commentariis Jac. Gothofredi comparari mereantur. Quantum ad ultimum illius Tomum, qui res eccleſiaſticas occupet & ſacras, remittit Autor Lectorem ad ea, quæ ſub initium ex Oratione *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν* ad titulum de paganis, ſacrificiis & templis jam adduxerit. Atque nunc ſub finem novam plane operum Libanii editionem optat ab eruditis ſuſcipi. Nam & ineditas orationes multas fuiſſe in manibus Gothofredi, (quarum nonnullas nominatim ſubjicit,) & ingentem epiſtolarum copiam per univerſos iſtos VI. Tomos ex codice Regio MSC. ſuppeditatam ſpargi. Quibus omnibus ſi accedant commentarii Illuſtris Viri *Ezech. Spanhemii* ad opera Juliani recens editi, & ab eruditiſſimo Gisb. Cupero ad Lactantium de Mort. perſecut. poſt tot alios exoptati, multum lucis Libanio etiam, quod evolutiones illorum paria pene ubique faciant, hinc acceſſurum, ſpondet.

## *HERMANNI WITSII ANIMADVERSIONES IRENICÆ AD Controverſias, quæ ſub infauſtis ANTINOMORUM & NEO-NOMORUM nominibus in Britannia nunc agitantur.*

Ultrajecti apud Guil. Van de Water, 1696. in 12. pl. 10.

INcognita atque auribus noſtris inaudita hactenus nova Britannorum quorundam Theologorum pugna fuit, quæ præſenti libello componendo occaſionem præbuit: neque levis illa eſt, aut talis, quæ circa minoris momenti controverſias occupata ſperni negligive mereatur. *Antinomos* videas hic, nomen ſuperiori præſertim ſeculo noſtræ

ſtræ Germaniæ inviſum, nunc in Anglia, ſine dubio ab exaſperatis concertantium animis, recuſum; videas *Neonomos* novo ſic nomine appellatos, iſtisque oppoſitos: ſub quorum adeo infeſtis ſignis lites nunc novas in Anglia nimio fortaſſe calore agitari ſic memorat, ut doleat Reverendus maxime Witſius, tantum in Prologo ad Theologos Britannos pacis eccleſiaſticæ pietatisque ſtudium profeſſus, ut feliciſſime fortaſſe cum iis hominibus agi, qui non cognoſcentes niſi Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum, & ex Evangelii præſcripto temperanter, juſte & pie viventes, de Theologiæ rixis ne fando quidem audiverint, ſæpisſime ſe animo ſecum cogitaſſe innuat. Certe ita pertæſum ſe creſcentium indies controverſiarum exhibet, ut non minimam calamitatis Theologorum, aut ſane moleſtiſſimam eorum officii partem ducat, quod ſpinoſarum controverſiarum difficultatibus enodandis prolixam ſæpe operam impendere cogantur. Hoc vero cum evitari non posſit, prudentiam juſtorum omnibus iis commendat, quibus verbi commiſſa prædicatio eſt, atque ut in diſſenſu etiam æquitatem ſuam ac modeſtiam Deo hominibusque cum lenitate ſapiente probent, hortatur. Hoc animo pertractatas lites Belgicas, quas ait penitiſſimo ſe dolere animo, æque ac Britannicas, optat: ita enim melius tranquillitati publicæ, & ipſimet veritati ac pietati Evangelicæ conſultum fuiſſe. Ceterum ad ſuum de Britannicis his controverſiis ferendum judicium ſe nonniſi tardum ac renitente greſſu procesſiſſe monet, partim intricata argutiarum ſubtilitate deterritum, quas ex Anglorum libris ſibi ab utraque parte transmisſis ægre, nimirum linguæ illorum ultra mediocritatem non peritus, hauſerit: partim, quod iſtas concinno ordine, & oratione perſpicua exponere, laboris utique multum requireret. Quia tamen maxime ſibi cordi fuerit Fratrum disſidium componere, id eo alacrius ſe ſuſcepiſſe, quo magis perſuaſus eſſet, in ſermone magis quam reipsa diſſenſum eſſe.

Sex autem capita ſunt, ad quæ referri ſummam diſceptationum Anglicarum ait. Primum de ratione ac modo impetrandæ ſalutis agit, variis iterum quæſtionibus ſubdiviſum, quas inter agmen ducit hæc: *an ſolum pœna electorum peccatis debita, an vero ipſa electorum peccata, tam quoad maculam, quam quoad reatum, in Chriſtum ut ſponſorem translata ſint?* Auctor poſterius certo modo affirmat: Deum inquiens omnia omnium electorum (ita enim ex hypotheſi loquitur) p. 9.

 peccata

peccata Filio ſuo impoſuiſſe: ita paſſim Scripturam loqui, Jeſ. LIII, 6.
11. 12. 1. Petr. I, 24: hoc in veteri Teſtamento typice per impoſitionem
manuum & peccatorum in pecudem ſacrificio deſtinatam adumbra-
tum: imo diſerte Pſ. LXIX, 4, 5. fatuitatem reatumque a Chriſto tan-
p. 18. quam ſuum agnoſci; iniquitates etiam Pſ. XL, 13. Hæc autem non ita
eſſe accipienda monet, quaſi Deus, dum noſtra peccata Chriſto impu-
tat, illum ea admiſiſſe judicet, quæ nos admiſimus; inebriatum cum
Noacho; inceſtum cum Lotho, adulterium cum Davide commiſiſſe:
indignam hanc cogitationem homine mentis ſanæ, nedum Chriſtiano:
ſemper manſiſſe Servatorem ſanctum, ab omni malo alienum, ſine la-
be, ſeparatum a peccatoribus: interim vi pacti, ex quo hominum ſpon-
ſor factus eſt, eorumque perſonam in judicio Dei ſuſtentat, per im-
putationem reatum peccatorum ſibimet imputari paſſum, non
maculam, niſi eo ſenſu dicas, quod ſqualentium & ſordidorum
locum occuparit, *deformi ſupra quemlibet forma præ filiis hominum*,
Jeſ. LII, 14. atque, ut Gregorius Nyſſenus bene ea mente locutus ſit,
*τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ῥύπον* tulerit. Ita utrumque dici poſſe, pec-
cata noſtra eſſe, non Chriſti, quippe a nobis patrata, & æternæ mor-
tis reatum contrahentia: eadem vero peccata Chriſti eſſe, non noſtra,
in quantum ipſi, ut expromiſſori imputata ſunt, noſque ob ejus ſatisfa-
ctionem in judicio Dei ad condemnationem aut ſatisfactionem in pro-
pria perſona compellari nec debemus, nec poſſumus. His itaque poſi-
tis ſe neſcire ait, cur quidam dicere malint, pœnam aut reatum noſtro-
rum peccatorum in Chriſtum translata eſſe, quam peccata ipſa quoad
reatum: poſterius a Scriptura dici, cujus locutiones emollire velle ani-
mi perperam delicati eſſe judicat, nec ſapientiæ ſacrarum literarum ju-
p. 23. ſtum pretium ſtatuentis. Ab altera vero parte non bonum, neque
prudens factum exiſtimat, quod nonnulli juſto longius progreſſi du-
rioribus formulis, ſanctoque Spiritui inſuetis uſi dicant, *nos non magis
peccatores eſſe, quam Chriſtus, qui peccatum pro nobis factus æque ac
nos peccator ſit: ita noſtra peccata ipſo actu in Chriſtum translata
eſſe, ut nos amplius peccatores non ſimus: electum, quamvis adul-
terium, furtum, idololatriam commiſerit, eum non eſſe illum adulte-
rum, furem, idololatram, ſed id potius de Chriſto affirmandum: nullum
unquam in terris tantum transgreſſorem fuiſſe, quantus Chriſtus &c.*
Hæc Auctor præter Scripturas dici monet, & vix eſſe, ut aures tene-
ras non

ras non offendant. Ceterum quamvis tutius abſtineri phraſibus his 25.
omnino cenſeat, non vult tamen in calumniam inſolentius dicta rapi,
ſi quæ forſan apud auctores intemeratæ fidei occurrant: ita excu-
ſandos Chryſoſtomum, Oecumenium, Calvinum, Altingium, quos ad-
ducit. Tum factam in juſtificatione perſonarum permutationem, de 28.
qua inter Britannos lis eſt, exponit: non talem nempe, qua Servator
in ordinem ſervandorum redigeretur, aut ſervandi fierent Servator;
quæ inſana cogitatio foret: ſed eam, qua Chriſtus electorum perſo-
nam gerens peccatum pro iis factus ſit, & electi in Chriſto juſtitia Dei
fiant: quam in rem ex antiquis Juſtinum Martyrem, e recentioribus
Turretinum allegat. Quæſitum porro eſt, *an translatio peccatorum* 34.
*in Chriſtum eorumque portatio, inchoanda ſit a Chriſti crucifixione, & in*
*ejus reſurrectione terminanda*? Negat Auctor, dicitque, ab ipſa na-
turæ humanæ aſſumptione numerari debere; cum totum illud σχῆμα
ſervi & ὁμοίωμα σαρκὸς ἁμαρτίας, ab initio vitæ Chriſti usque ad
mortem durans, translati in ipſum peccati argumentum ſit: poſt mor-
tem vero Chriſtum peccatis noſtris gravatum fœdatumque ſtatuere,
hoc vero cum ejusdem τετέλεσται pugnare. Jam quod non nemo in-
ter Britannos porro Chriſtum *toto, quo noſtra peccata tulit, tempore*
*ſeparatum a Deo* dixit, imo *odioſum Patri & abominabilem factum*, ni-
mium in his verbis duritiei & inſoliti horroris agnoſcit Witſius, re ta- 40.
men ipſa controverſiæ parum; cum neutri litigantium hypoſtaticam
unionem ſolvant, ſed potius illud ἀχωρίστως & ἀδιαιρέτως Con-
cilii Epheſini confiteantur, & lætificantis ſolum atque conſolantis gra-
tiæ præſentem illo tempore influxum quidam negent: quanquam id
non admittit Witſius, Chriſtum tōto paſſionum extremarum tempo-
re nullo conſolantis gratiæ ſenſu refocillatum fuiſſe. Quod au- 43.
tem Deo Patri maledictus ſit & execrabilis factus, Scripturam expreſ-
ſis verbis ait aſſerere Gal. III, 13, in quem locum Calvini verba adducit,
defenditque eundem alibi *Chriſtum in damnatione conſtitutum* dicen- 44.
tem. De phraſi vero nonnullis uſurpata, quod Deus ad tempus *Fili-*
*um ſuum abdicaverit*, rurſusque ex mortuis ſuſcitatum pro Filio agno-
verit, aliter ſtatuendum judicat. Neque enim hanc phraſin, nec ul-
lam aliam ei æquipollentem in Sacris Literis inveniri. Nec Deum 46.
Patrem, cum perſonam judicis ageret, Chriſtum unice prout fontem
reſpexiſſe puniviſſeque, ſepoſito omni filii & innocentiſſimi reſpectu.

Aliud Chriſti *Abba Pater*, aliud pendentis de cruce commendationem
48. ſui ſpiritus in manus Patris ſuadere. Ultima circa impetrationem
p. 53. *ſalutis* quæſtio eſt: *num Chriſtus eam ſuis abſolute promeritus ſit, an ſub conditione fidei a Deo Patre dandæ*? Ubi prioris membri affirmativam non potes non expectare a Theologo Calvini de abſoluto prædeſtinationis decreto doctrinam paſſim acriterque propugnante.

Secundum caput Britannicarum controverſiarum de impetratæ ſalutis applicatione eſt. Diſceptatur hic inter eos primo: *an jus æternæ hæreditatis electis applicetur a prima nativitate, numque epocha applicationis figenda ſit in naturali generatione, qua fiunt ho-*
61. *mines, non in ſupernaturali regeneratione, qua fiunt Chriſtiani?* Negat Witſius; inter reprobum & electum ante hujus regenerationem actu nihil intereſſe tradens, niſi quod ex conſilio gratiæ huic concedantur media ſalutis ad regenerationem actu ducentia, illi
70. non item. Quam in rem poſtquam ordinem ſuarum hypotheſium prolixe ſatis expoſuiſſet, decernit tandem: electum ante ſui regenerationem revera eſſe in ſtatu damnabili, non ſolum in foro ſuæ conſcientiæ, ſed & in foro Dei; tum demum a damnatione quoad ſuam perſonam abſolvendum, quando incipiat eſſe in Chriſto, non ſecundum præſcientiam Dei, ſed actuali unione per Spiritum. *Uniri* vero *electos Chriſto etiam ante fidem*, quod alterum circa applicationem
71. ſalutis *ζήτημα* eſt, affirmat; non ſolum in æterno Dei decreto, vel unione confœderationis æternæ, qua Chriſtus a Patre conſtitutus ca-
72. put omnium ſervandorum ſit; ſed & vera & reali unione, quando Spiritus Chriſti ipſos occupet, novæque vitæ principium infundat, quam
73. nempe vitam fides demum ſequatur. Aſt mutuam tamen unionem, quæ a parte hominis actiones etiam atque operationes involvit, per fidem demum fieri largitur. *Imputari* porro (nam & de hoc quæri-
74. tur) *non ſolum fructus juſtitiæ Chriſti fidelibus, verum ipſam quoque juſtitiam* defendit, haud ſecus nempe ac ad condemnationem repro-
75. bis peccatum Adami imputetur. Cumque per eam Chriſti juſtitiam perfecta ſimul ejusdem ſanctitas imputetur, poſſe aſſerit electos non minus juſtos & ſanctos dici, quam ipſe Chriſtus, quanquam huic ſoli præſtitæ ſanctitatis laus competat. Probe tamen hic ſecernenda monet ea, quæ ad juſtificationem pertinent, ab iis, quæ ad ſanctificationem: non enim in hac æque ac in illa licite phraſes iſtiusmodi adhiberi.

Perdu-

Perductus ita ad *Juſtificationis* doctrinam Witſius, tertium iſtud rerum inter Britannos controverſarum caput luculenter pertractat, 89-114.
quo majus nempe ejus momentum eſt. Atque adeo in D. Pauli mentem de negotio illo cum Judæis & Gentibus diſputantis ſollicite admodum inquirit; controverſias eorum temporum inveſtigat; ſcopum epiſtolarum ad Romanos & Galatas, ac occaſionem ſcribendi eruit; quid ſit lex fidei, quid lex operum, exponit; cunctaque eo dirigit, ut non eſſe quibusdam Reformatarum partium accedendum probet, quibus fides & lex fidei apud Paulum non peculiaris aliqua virtus 82.
eſt, ſed efficax aſſenſus Evangelio præbendus, qui univerſam Novi Fœderis conditionem notet, ac exercitium virtutum omnium Chriſtianarum in ſe complectatur. Hoc poſtquam, uti diximus, multis rationibus impugnavit, ſpecialemque virtutem eſſe fidem probavit, pergit ad 116.
eſſentiam ejus explicandam, quam dupliciter conſiderari poſſe obſervat, vel in idea, vel uti eſt in ſubjecto. Si in idea & perfectione ſua ſpectetur, eam ſine dubio in πληροφορίᾳ conſiſtere, firmiſſimaque perſuaſione non de veritate ſolum Evangelii generatim, ſed & ſpeciatim de meo ad Chriſtum omniaque beneficia ſalutaria jure. Ad hanc perfectiſſimam virtutem unicuique Chriſtianorum enitendum ait. Cum vero ſupremum illa gradum conſtituat, & non omnibus promiſcue fidelibus concedatur, ſed inter hos etiam dubitantes atque 119.
tentati ſint; a fide in idea conſiderata fidem in ſubjecto, ſeu quæ in fidelibus eſt, diſtinguit, & hujus eſſentiam in receptione Chriſti ut Servatoris & Domini, animæque ad eum refugio collocat, dictisque dein ſuarum partium Theologorum parallelis illuſtrat. Hinc ad 126.
aliam de *fide* quæſtionem delabitur: *qualem ea σχέσιν ad juſtificationem habeat, an ut cauſa quædam ejus faciendæ, num vero ut factæ jam indicium atque argumentum?* Ut oſtendat, non tam re ipſa quam verbis haſce duas ſententias diſcrepare, diſtinguit cum Charnoco 127.
Anglo juſtificationem in eam, quæ generalis ſeu fundamentalis eſt, qua electos omnes in perſona Chriſti, a mortuis ſuſcitati, qui tum omnium 129.
vices geſſerit, juſtificatos dici poſſe exiſtimat; & ſpecialiorem, quæ cuique electo ita applicetur, ut illi propter Chriſtum prima gratiæ ſalutiferæ ac ſpiritualis vitæ initia communicentur, utque adeo juſtificetur homo, i. e. declaretur unus ex iis eſſe, quibus jus vitæ a Chriſto partum eſt. Hac itaque ratione ſi fides conſideretur, juſtificationis 130.

eam

eam fructum, ſequelam & indicium eſſe ait. Si vero ſtylo Scripturæ
juſtificatio ſumatur pro actione, qua Deus hominem ex hoſte reconci-
liatum declarat, fidem omnino cauſis juſtificationis eſſe adnumeran-
dam monet. Porro non pro conditione juſtificationis habendam,
132. quam exigat Evangelium loco perfectæ illius obedientiæ, quam olim
exigebat lex (quæ Neonomorum, quos vocant, inter Britannos ſenten-
tia ſit, & quæ novæ legis introductio Witſio videtur, dulciſſimum,
gratioſiſſimum, & Chriſto glorioſiſſimum Evangelii genium non pa-
134. rum corrumpens:) ſed pro inſtrumento, quo Chriſti juſtitia in ejus
Evangelio oblata apprehendatur. Quod ubi monuit, & quæ in ad-
verſariorum ſententia ſibi diſpliceant oſtendit, irenicas tamen theſes
iterum ſubnectit. Tum de *reſipiſcentia* ſermonem inſtituit, *an dolor
ille de peccatis, & propoſitum ſecundum voluntatem Dei vivendi, juſtifica-
tionem & remiſſionem peccatorum ut conditio diſponens antecedat*? Com-
140. mendat primo ſimplicitatem S. Scripturæ præ inanibus iſtis ſcholarum
ſubtilitatibus. Affirmat dein quæſitum certo modo; nempe cum
142. actus fidei ac reſipiſcentiæ tempore ſimul ſint, non poſſe eam fidei
actionem, qua Chriſtum recipimus ad juſtitiam, exerceri ſine vel
143. prævia, vel certe concomitante reſipiſcentia & propoſito novæ vitæ.
Poſthæc paradoxa quædam affert, quæ inter Britannos ventilantur:
v. g. *omnia peccata, etiam futura, ſimul, una juſtificatione condonari*;
(quam aſſertionem non ſolum veram & orthodoxam adſtruit, ſed &
144. 158. contra objectiones Galli cujusdam, cui nonnihil indignatur, Theolo-
gi vindicatum it:) *Deum nulla in fidelibus peccata videre*: *vocem eſſe
ſpiritus mendacis, qui dicat fidelibus, habere eos peccata conſcientiam
vaſtantia, & quæ ipſis incumbant, veluti onus gravius, quam ut portari
queat*; ac *Davidem, dum id de ſe querebatur, non ex vero eſſe locutum*:
173. atque alia iſtiusmodi plura, quæ tamen omnia ſic emollit Witſius, ut
videas, verba illum, non res improbare. Faceſſere tamen ex ore
Reformatorum Theologorum immania iſthæc dicta jubet, nec audiri
in opprobrium & dedecus ſanctæ religionis: *peccatum nullam no-
xam, damnumve inferre fidelibus*: & *hominem fidelem mox poſt atrociſ-
ſimi criminis perpetrationem æque veniæ certum eſſe, quam eſſe poſſit poſt
174. accuratiſſimam humiliationem.*

A juſtificatione ad *Fœdus Gratiæ* pergit, quartum controver-
ſiarum iſtarum caput. Quæritur in eo, *num fœdus illud unice in æter-
na in-*

*na inter Patrem, & Filium ut omnium electorum caput repræſentativum, conventione conſiſtat, an præterea adhuc alia conventio inter Deum & electos ſit agnoſcenda?* Dein *an Chriſtus omnes conditiones fœderis gratiæ ita in ſe receperit, ut nulla omnino conditio ab homine exigatur, num vero exigi adhuc certa poſſit?* Verum cum adhibitis paucis diſtinctionibus & prius & poſterius affirmet, & componat totum diſſidium Witſius, non eſt, ut his immoremur. Pergimus cum illo ad paradoxas de utilitate ſanctitatis & bonorum operum aſſertiones, quæ quinto jam loco ſub examen veniunt. Quinque in univerſum ſunt, a Theologo neſcio quo prolatæ, quæ docent: *bona opera ne via* 183.
*quidem ad regnum Dei rationem habere poſſe, nec eſſe aliquid agendum, ut vivamus, ſed quia vivimus: nefas eſſe quidquam boni agere ea intentione, ut noſtram promoveamus ſalutem: ne perfectiſſimo quidem, quantum in hac vita datur, officio ſanctimoniæ vel minimum boni ſive in hac ſeu in futura vita lucri fieri, nec quicquam mali evitari, nec pacem conſcientiæ promoveri poſſe,* &c. *exercitium bonorum operum ne pro idoneo quidem & ſufficienti indicio atque argumento habendum eſſe, quod ſimus in ſtatu gratiæ: ipſamq; adeo fidelium ſinceram ſanctitatem profectam a Spiritu gratiæ, in ſui exercitio ſordes & ſtercus eſſe coram Deo, ut qui illi operatur, nihilo gratior Deo ſit, quam ſi illam negligeret, vitiisve indulgeret.* Non immerito Witſius hæc ipſo verborum tinnitu in- 184.
ſolito horrorem audientium animis incutere, validisque eos adverſus doctorem & doctrinam præjudiciis implere monet. Et quamvis Theologi illius explicationes una in medium proferre & moderatius de iis ſentire non negligit; animadvertit tamen male religioni Gorgonea iſtiusmodi duriſſimarum locutionum larva conſuli, ſeque adeo non videre, cur viri eruditi nonniſi lapides loqui velint, quorum in 193.
unum congeſta durities audientibus propemodum omnibus cerebrum comminuat: exponi profecto religionem cavillis hoſtium, & Arnaldum, celebrem Janſeniſtarum Patriarcham, his demum dictis inſolentiſſimis ad probandum, quod hoſtes bonorum operum Reformati ſint, indiguiſſe. Ceterum reipſa etiam falli, non ſolum verbis impingere Theologum, examinatis ſingulis propoſitionibus, fuſe ſatis oſtendit.

Ultimum libri & controverſiarum caput de *ordine* eſt, *quo prædicatio Legis cum prædicatione Evangelii jungenda ſit.* Auctor, poſtquam quid Lex, quid Evangelium in varia acceptione notet, expoſuit,

218. poſuit, & ut a ſe mutuo diſtinguantur, ſeque iterum includant, nota-
224. vit; quæſtionem de ordine totam propemodum ſupervacuam & in-
230. utilem cenſet, quum utriusque prædicationem jungi ſemper oporte-
at: ſuam tamen ipſe ſententiam non diſſimulat, initium novæ vitæ
232. non ex prædicatione Legis, ſed Evangelii eſſe. Hoc enim eſſe ſe-
men regenerationis noſtræ, quod ubi pectori infuſum agere incipiat,
233. tum vero animam e ſomno quaſi vel morte potius excitatam fœdita-
tem ſuam Deo abominabilem contemplari, ſuamque ſortem longe mi-
ſerrimam ingenti dolore deſperabundam reformidare, ad ſalutem ſibi
aliunde obventuram anhelam: quod ubi Legis ope factum, mox
Chriſtum videre Evangelio monſtratum, deprehenſam in eo ſalutis
plenitudinem amplecti, Chriſtum apprehendere & ab illo viciſſim
apprehendi, tumque ulterius ad inæſtimabilis boni amorem accendi,
totamque ſe illius miniſterio impendere velle, cui ſe ſalutem debere
ſcit. Atque ita rurſus Evangelium ad Legem ut normam gratitudi-
nis manuducere.

His ita expoſitis, Epilogo tandem omnes deductis veluti conſectariis hortatur, ut relictis extremarum opinionum præcipitiis, facili, plana, tutaque via gradiantur: ne dicere reformident, quæ Scriptura dicit, ſtulte ſe duriuſcule illius dicta ſuis phraſibus lenituros perſuaſi: neve moderatas Scripturæ locutiones rigidis ſuis, præfractis & hyperbolicis exaſperent, *μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόντες τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν*: caſtigent, ſi quæ a ſe ipſis dicta incautius deprehendant; aliorum dicta, ſi de mente conſtet, non inclementi cenſura vexent; & quæ alia iſtiusmodi monita annectit Vir moderatiſſimus: quæ ſi candide obſerventur, fore non dubitat, ut valere aliquando juſſis infauſtarum diſſenſionum jurgiis, junctis omnes vocibus Dei in Chriſtoglorioſam gratiam celebremus.

## *SPECIMEN PHILOLOGICUM CONTINENS VARIAS OBſervationes et Emendationes in Diogenem Laërtium, Euripidem, Hippocratem, Philoſtratum &c. exhibitum a SAMUELE BATTIERIO Phil. & Med. D.*

Baſileæ apud Joh. Jac. Battierium, 1696. in 4. plag. 4.

Spe-

SPeciminis hujus Philologici ut qualecunque edamus ſpecimen, locorum, quorum emendationem tentavit clariſſimus Autor, nonnullos adducemus; quam felix in medicina pro iis invenienda fuerit, Lectoribus pro more noſtro judicandum relinquentes.

E Diogene Laertio, in quo multa optime ſeſe habentia male tamen admodum explicata, multa vitio laborantia ſed infeliciter tentata, multa denique quorum ne agniti quidem ſint morbi, hodienum inveniri miratur, producimus potiſſimum locum, qui extat L. II. ſegm. 16. ubi de Archelao ita legimus: *ἔλεγε δὲ δύο αἰτίας εἶναι γενέσεως, θερμὸν καὶ ψυχρόν.--ὁ δὲ λόγος αὐτῷ οὕτως ἔχει. Τηκόμενον φησὶ τὸ ὕδωρ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ, καθὸ μὲν εἰς τὸ πυρῶδες συνίσταται, ποιεῖν γῆν, καθὸ δὲ περιῤῥεῖ, ἀέρα γεννᾷν.* Quæ verba ſi vitio carent, id fere ſibi volunt, aquam a calore liquefactam, quatenus in igneam naturam conſiſtat, terram efficere ſecundum Archelaum. Cum vero tale quid vel ſenſiſſe Archelaum, vel ſcripſiſſe Diogenem, vix fiat probabile, quin aliter plane in conſimili materia loquantur Heraclitus & Hippaſus Metapontinus, qui pariter ignem principium rerum ſtatuerunt, apud Plutarchum de Placit. Philoſ. L. I. c. 3, certiſſimam corruptionem in voce *πυρῶδες* eſſe exiſtimat, proque ea vel *πηλῶδες*, vel *παγῶδες* ſubſtituendum ducit. Firmare conjecturam ſibi perſuadet verba Plutarchi, qui libro de primo frigido, Philoſophorum quorundam de terræ concretione mentem his verbis exponat: *ὅταν ἐκπαγῇ μὲν τὸ ὑγρὸν, ἐκθλιβῇ δὲ τὸ θερμόν. Ὅθεν ἡ μὲν ἐν βάθει γῆ πάγος ἐστὶν ὡς εἰπεῖν καὶ κρύσταλλος ἅπασα.* Cæterum fruſtra in adducto Laertii loco etiam eſſe putat cum Meibomio Menagium, pro *ψυχρὸν*, *ὑγρὸν* reponentes. *Ψυχρὸν* enim retinendum omnino, perque illud *ὕδωρ*, quod *ὑγρὸν* eſt, intelligendum eſſe contendit. Inde vero apparere ait, Archelaum etiam ex iis fuiſſe, qui aquam *τὸ πρώτως ψυχρὸν* dixerunt, in qua ſententia Empedocles etiam & Strabo fuerunt.

p. 6. p. 19.

In Euripidis Phœniſſ. pro fœde corruptis habentur verſus 1399 & ſqq. Sana tamen omnia Autori noſtro videntur, ſi iſto illi legantur ordine,

*Τίθησι πολυνείκης δ' ἀπήντησε δορὶ,*
*Κνήμην τε διεπέρασεν ἀργεῖον δόρυ·*
*Στρατὸς δ' ἀνηλάλαξε Δαναΐδων ἅπας*
*Πληγὴν σιδήρῳ παραδοθεῖσαν εἰσιδών.*

In Hippocratis libro περὶ ἑπταμήνȣ non exigua obſcuritate obvolvuntur iſta p. 165 edit. vander Lindeniane. καὶ κατὰ τὴν γῆν προσκόρσȣς καρπȣ̀ς ῥυθμȣ̃σθαι, ὅκως περ ἐν Αἰγύπτῳ πάντα πρόσκορσα γίγνεται· πολλὰ δὲ καὶ διὰ παντὸς ὥρȣ διὰ τὸ πολυφιλίην τῆς γῆς, καὶ τῆς θέρμης τῆς περὶ οἰκωχώσιος. Nihil hic vidit, juxta Autorem noſtrum, Hippocratis interpres. Ipſe igitur καρπȣ̀ς προσκόρσȣς, quod quidem vocabulum nullibi ſe legiſſe fatetur, pro iis fructibus, qui cito producuntur & germinant, accipit. Reliqua autem ſic legenda eſſe conjicit: διά τε πολυχιλίην τῆς γῆς καὶ τὴν θέρμην τῆς περιοικωχώσιος, vel περιοικωχεύσιος, hoc ſenſu: *multa producuntur & germinant, tum propter abundantiam ſucci nutritii & terræ fœcunditatem, tum propter calorem ambientem.*

Quæ in Philoſtrati operibus obſervat, Morelli potiſſimum verſionem concernunt, qui cum peſſimus Græcorum authorum interpres omnibus fere hodie audiat, parum abeſt quin abolendæ potius quam emendandæ ejus translationes videantur. In divino vero Hieroclis in aurea Pythagoræ carmina commentario p. 65. ita legit: ὀδυρομένȣς δὲ μᾶλλον καὶ θρηνȣ̃ντας ὑπεραλγεῖν αὐτȣ̃ καὶ ὑπερεύχεσθαι, καὶ πάντα πειρᾶσθαι ποιεῖν, τὰ πρὸς τὴν μεταμέλειαν ἐκ τῆς ἀπωλείας εἰς σωτηρίαν αὐτὸν ἐπανάγοντας. hoc ſenſu: *ut conemur omnia illa facere, quæ ad pœnitentiam ipſum commovere valeant, ex pernicie ad ſalutem ipſum perducentes.*

Agmen claudat unicus Æliani locus, apud quem Var. Hiſtor. VIII. 6. hodie ita legitur: ἔνθεν τοι καὶ τολμῶσι λέγειν μηδὲ τὸν Ὀρφέα σοφὸν γεγονέναι Θρᾷκα ὄντα, ἀλλ' ἄλλως τȣ̀ς μύθȣς αὐτȣ̃ κατεψεῦσθαι. Varie locum illum ſolicitarunt eruditi, quem ita corrigit & vertit Battierius: μηδὲ τὸν Ὀρφέα σοφὸν ὄντα γεγονέναι Θρᾷκα. Ἀλλ' ἄλλως τ. μ. α. κ. h. e. *Orphea illum ſapientem Thracem nullo modo fuiſſe, ſed temere fabulas de eo mentitas eſſe.*

## *ARNOLDI WESENFELD GEORGICA ANIMI ET VITÆ*

Francofurti ad Viadrum, impenſis Joh. Volckeri. A. 1696. in 4.

Conſtat Alphabetis circiter quatuor.

CUm Rationalis & Moralis Philoſophiæ Profeſſorem in Univerſitate Viadrina agat clariſſimus Autor, ſuo huic muneri convenientiſſimum exiſtimavit Georgicam hanc animi & vitæ condere, ac Pathologiam

logiam practicam, moralem nempe & civilem, paulo penitius excutere. Obſervaverat, quod illuſtris Verulamius eandem retulerit inter deſiderata Ethices, quæ in corpus doctrinæ nondum redacta ſint, quodque in ea explananda characteres inprimis diſpoſitionum diverſos, affectus deinde, ac eorum tandem remedia accurato ſcrutinio perveſtigare juſſerit. Neminem autem hactenus ſe conſpexiſſe profitetur, quem his conſiliis per omnia obſequentem dicere audeat; quamobrem ipſe viam illam ingredi,&,quantum liceret,in ea progredi tentarit. Gerit autem ſe ad illum modum, ut, ſuppoſita quidem e ſacris defectione generis humani, duabus partibus, generali altera, altera ſpeciali, negotium integrum abſolvat. Utrinque paſſionum originem & dependentiam unius ab altera declarat, cognationesque & influxus earum varias in ſe mutuo oſtendit; tum fines, ad quos a naturæ Auctore deſtinatæ videantur, indagat, atque declinationes ab his finibus una cum modis, non ſuis tantum ſed & aliorum, nævis prudenter & cum effectu occurrendi ſcrutatur; nec in modos ſolum ipſos inquiſiviſſe contentus eſt, ſed etiam eorundem nexum cum ſperato effectu, ac rationem, quo ad illum producendum influant, proponit, ac ubivis radices boni & mali, a quibus omnis paſſio dependeat, radicumque harum fibras examinat. Orſus igitur in parte generali a corpore & mente, hujusque cum illo unione, mox ad varietatem, originem, & naturam paſſionum progreditur; quibus expoſitis generales paſſionum motus declarat, inde paſſionum moralitatem oſtendit, uſumque & abuſum deſignat, locoque ultimo remedia ſeu directionem paſſionum non in ſe modo ſed & in aliis feliciter ſuſcipiendam commonſtrat. In parte ſpeciali ea, quæ ante de paſſionibus in univerſum omnibus generali diſcurſu monuerat, ſigillatim nunc circa primarias earum ſpecies uberius deducit, ac, præmiſſis de ſubordinatione paſſionum variis poſitionibus, admirationem primum, & illius adjuncta atque conſequentia exiſtimationem & contemtum, dehinc amorem ac odium oppoſitum, mox deſiderium & averſationem, ulterius lætitiam triſtitiamque, ſpem porro, deſperationem, audaciam, metum, ac iram denique conſiderat, uniuscujusque e paſſionibus his naturam, varietatem, originem, nexus,phænomena, characteres, uſus, abuſus, remedia, cum modo eam excitandi & ſedandi in aliis fuſius indagans. Nondum tamen ſat perfectum opus

iſthoc ipſe reputat, ac ſe proin Commentario poſthac prolixiori ea, quæ inter meditandum ulterius obvia habiturus ſit, inſerturum, Sylvam inſuper miſcellanearum obſervationum pathologicarum ex Hiſtoricis præcipue collectam aliquando daturum pollicetur. Nos ipſi otium & vitam ad hæc perficienda apprecamur, ſicut & proſpera vovemus incrementa operi illi ejus alteri, quod ſub titulo *Theatri univerſalis motuum vitæ civilis & militaris* lucem publicam aſpiciet, cujusque eam hic σκιαγραφίαν dedit, quod iſtud vim ac impreſſionem, quam res ac relationes univerſæ tum in ſingulos homines tum plures in unam ſocietatem collectos faciant, expoſiturum, motuumq; horum origines, nexus, ac modum impellendi, unde rationes intimæ ſe aliosque in omni occurſu objectorum dirigendi dependeant, manifeſto declaraturum ſit.

## *GEORGII PASCHII, PHILOSOPHIÆ MORALIS IN Academia Kilonienſi Prof. Ordinarii Schediaſma de Curioſis hujus ſeculi inventis, quorum accuratiori cultui facem prætulit antiquitas.*

Kiloni apud Joh. Sebaſt. Riecheliium A. 1695. in 8. plag. 23.

QUamvis paſſim verſentur in eruditorum manibus ſcripta, quæ ſeculi hujus inventa recenſent & exponunt, raro tamen in illis notantur documenta & veſtigia, quæ comparent apud veteres, nobiliſſimi Almeloveenii opuſculum ſi excipias, quo ea, quæ ad Medicinam faciunt, præclare pertractavit. Quapropter non ingratum eruditis laborem ſuſcepit clariſſimus Paſchius in indagandis fontibus veterum, a quibus novarum diſpoſitionum & inventionum per plerasque ſcientias deducti ſunt rivi. Prætermiſſa enim uberiori tractatione eorum, quæ nuper reperta creduntur in arte Machaonia, cujus aliquot tantum adducit arcana, quæ vel plane non vel ſummatim attigit Almeloveenius, diſciplinarum tantum non omnium inventa recenſet, quæ ſuam antiquitati debent originem, demonſtratque breviter, adductis in majorem veritatis fidem ipſis priſcorum auctorum verbis, non eſſe nova illa omnia quæ novitatis blandiuntur ſpecie, pollicetur que ſe daturum operam, ut nobili argumento juſtæ adjungantur acceſſiones.

Poſt-

Poſtquam ergo de inventis nov-antiquis in genere egit *cap. 1.* oſtenditque neque adſpernanda vetera omnia, neque contemnenda quæ nova ſunt, cum tantum abſit ut veteres, quantamcunque impenderint curam & induſtriam expoliendis diſciplinis & artibus, omnibus numeris abſolutas eas nobis reliquerint, ut futura etiam ſecula quod ſcitius effingant habitura ſint, ſemperque laboris provinciam in excogitandis novis occupare queant, *Cap. 2.* laudat diſciplinarum hoc ſeculo factam inſtaurationem, interque illos, qui eam vario, ut eventus docuit, ſucceſſu moliti ſunt, recenſet Baconem de Verumalio & Boccalinum. *Capite* vero *tertio* prolixius de novæ ſectæ conditore Carteſio tractat, recentioresque pariter ac veteres, a quibus Carteſius apparatum ſuum philoſophicum accerſivit, ex Huetio commemorat, inprimis autem, a quibus dogmata de dubitatione, ideis, & brutis automatis acceperit. Pergit hinc de aucta ſenſim doctrina morali, noviſque ejusdem acceſſionibus exponere *capite quarto.* Philoſophiam enim moralem ſegnius, quam par eſſet, excultam ante Socratis tempora, ab hoc vero, Xenophonte, Platone, Ariſtotele plurimum fuiſſe exornatam oſtendit, noſtro autem ſeculo de jure naturali doctrinam luculentius expoſitam a Grotio, inſtructo auxiliis Alberici Gentilis, Balthaſaris Agalæ, JCtorum veterum, Covarruviæ, Vasquii, Ariſtotelis ejusque veterum commentatorum Græcorum, imprimis Epheſii, Euſtratii, Aſpaſii, nec non Philoſophorum, Hiſtoricorum, Poetarum, Rabbinorum, quorum teſtimonia frequenter laudat. Inter commentarios in opus Grotianum, Bœcleri laborem palmam tenere cenſet; Seldeni autem libros de J. N. & G. juxta diſciplinam Ebræorum, non ſubire poſſe vicem pleni ſyſtematis in Jure naturali. Porro Machiavelli librum de Principe examinat, ut adpareat nihil protuliſſe novi Florentinum Politicum, ſed illa dominandi arcana, quæ tradidit, omni tempore obtinuiſſe. Ad Machiavelli autem principia ſe conformaſſe in civilibus Hobbium judicat, cujus errores de felicitate hominis & origine ſocietatis refutat, tandemque allatis Pufendorffii & Alberti noſtri hypotheſibus, recenſione eorum, quæ Becmannus in Morali doctrina deſiderat, hoc caput claudit. In *capite quinto*, poſtquam ſumma capita tractatus Almeloveenii ex Actis Erud. A. 1684. fuere allata, diſſeritur de chirurgia infuſoria & transfuſoria, quarum illam multi exiſtiment deſcripſiſſe circa ſe-

ca ſeculi hujus initium Libavium & Pegelium, hujus autem umbratilem figuram expreſſerit Marſilius Ficinus, qui ſeculo XV. claruit; de circulatione ſanguinis fruſtra oppugnata, poſtquam ab Harvæo iterum in lucem revocata, quamvis ejus inventionem Paulo Servitæ nonnulli tribuant; de Chemiæ antiquitate ejusq; cultoribus, Fratribus roſeæ crucis, Collegio Roſiano, Paracelſo, Arnoldo de Villa nova, & Raymundo Lullio; de Chryſopœia; de ductibus ſalivalibus nuper inventis. *Ultimum caput*, quod ampliſſimum omnium eſt, complectitur inventa Phyſico-Mathematica; atque hic quidem collecta videas, quæ alias ſparſim traduntur, de analyſi ſpecioſa, de circuli quadratura, ſyſtemate Copernicano & Tychonico, tubo optico, maculis Solaribus, comitibus Saturni & Jovis, ſtellis novis, aſteriſmis novis Hevelii & Kirchii, tuba ſtentorea & acuſtica, thermometro & barometro, arte aëronautica, arte volandi, curru velifero, automatis volantibus, campana urinatoria, navigatione ſub aqua, perizonio & caligis aquaticis, Wagenſeilii hydraſpide, inſtrumento profunda maris ſcrutandi, derivatione Viadri in Spream, conjunctione maris mediterranei cum oceano, thaumaturgice circumforaneorum, ſtatuis loquentibus & ambulantibus, horologiis, mobili perpetuo, globo Gottorpienſi, machinis ad tollenda pondera ingentia, operibus adeo minutis ut fugiant pene aciem oculorum, Papini digeſtore, arte lignis parcendi, ſpeculis uſtoriis, ſclopetis pneumaticis, tormentis bellicis & pulvere pyrio, pulvere ſympathetico, typographia, arte pingendi & ſcribendi aucta, inſtrumento pantographico, atramento ſympathetico, tachygraphia, & ſteganographia.

## LIBRI NOVI.

*Catalogus Librorum Manuſcriptorum Bibliothecæ Cottonianæ. Cui præmittuntur illuſtris Viri D. Roberti Cottoni Vita & Bibliothecæ Cottonianæ Hiſtoria: Scriptore Thoma Smitho, Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero. Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1696. fol.*

*Henr. Wilh. Ludolfi Grammatica Ruſſica. Oxonii e Theatro Scheld. 1696. 8.*

*M. Tullius Cicero de Oratore ad Q. Fratrem. Ex MSS. recenſuit Tho. Cockman. Oxoniæ e Theatro Sheld. 1696. 8.*

* * *

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Septembris, Anno M DC XCVI.*

---

*JOMA. CODEX TALMUDICUS, IN QUO AGITUR DE SACRIficiis, ceterisque Miniſteriis diei Expiationis &c. ex Hebræo in Latinum verſus & commentariis illuſtratus a ROBERTO SHERINGHAMIO. Accedit JACOBI RHENFERDII Comparatio anniverſariæ Expiationis Pontificis M. in V. T. cum unica ac æterna Expiatione Jeſu Chriſti.*

Franequeræ apud Wibium Bleck, 1696. 8.
Plag. dimid. 21.

DIgna omnino hæc Roberti Sheringhamii commentatio, Talmudicique tractatus Joma verſio fuit, quam in lucem denuo prodire juberet vir doctiſſimus Jacobus Rhenferdius. Sive enim argumenti gravitatem, ſive doctrinæ, tum in verſione ipſa, tum in commentariis ſubnexis elegantiam ſpectes, utroque nomine non poteſt non omnibus ſe probare: præſertim cum id, quod deſiderari poterat, ipſe Rhenferdius ſuppleverit, eruditam comparationem expiationis anniverſariæ Pontificis Maximi in V. T. cum unica atque æterna expiatione JEſu Chriſti, adjiciendo. Nos eundo per annotationes, nonnullos ex amœniſſimo campo decerpemus flores, illarum indolem Lectoribus demonſtraturos.

Memoratur in Miſchna לשכת פלהדרין *domus Parhedrorum.* Græcam hanc vocem eſſe, jam Buxtorffio obſervatum eſt, & pluribus a Sheringhamio comprobatur. Simul tamen refellit is Conſtantinum L' Empereur in annotationibus ad codicem Middoth aſſerentem, conclave parhedrorum idem eſſe quod conclave loci lapidum, & ſic prius vocatum, quod multum ibi vaſis lapideis utebantur, poſterioribus autem temporibus conclave parhedrorum di- Ad Cap. I. p. 2.

 ctum

ctum eſſe. Sed ſecus ſe rem habere, documentis ex Gemara petitis,
quibus innuitur, quod conclave loci lapidum non fuerit conclave Sacerdotis Magni, ſed Sacerdotis, qui vaccam rufam comburebat, probat. Interim locum hujus conclavis definire non audet, cum ne ipſis quidem Doctoribus Gemaricis notus fuerit, niſi quod hoc ex illis colligatur, ædificatum iſtud fuiſſe e regione domus Abtines, nec procul
p. 10. a domo lotionis, quæ ſupra portas aquarum erat, abfuiſſe. De modo, quo juniores Sacerdotes ſummum Pontificem, ne ſomnum ſibi obrepere pateretur, impedituri, ſtrepitum excitaſſe dicuntur, diſſerens erudite contra Judæos probat, Sacerdotes iſtos inſtrumenta muſica indiee digito percuſſiſſe. Miratur ergo, Doctores Ebræos Gema-
p. 11. ram aut non intellexiſſe, aut ab eadem receſſiſſe. Temporis quoque, quo Judæi ſacra ordiebantur, mentionem injiciens, docet, non Judæis tantum, ſed Chriſtianis quoque in more poſitum fuiſſe, ſummo mane initium divinis rebus operandi facere, quia mens tum ſolutior puriorque exiſtat, nec ullis rebus impedita, majori impetu in Deum feratur. Addit, Chriſtianos veteres ſacra hæc matutina τὸν ὄρθρον vocaſſe: & apud Gentiles quoque eadem obtinuiſſe docet.

Ad Cap. II. De voce תרם diſſerens notat Buxtorffium dicentem, quod
p. 13. vox iſta ad altare relata ſignificet *ſeparare*, *removere cineres ab altari*. Aſt pugnare hoc diſerte cum Talmudicorum effatis oſtendit, cum in tribus majoribus feſtis Sacerdotes delecti ſint לתרום המזבח, in quibus tamen cineres neutiquam ab altari remotos fuiſſe, ex Tract. Tamid cap. II. conſtet. Concludit ergo, hanc vocem melius reddi per: *expurgavit*, *verrit*, *deterſit altare*; *quisquilias*, *pulverem*, *cineres in*
p. 14. *cumulum congeſſit*. De micatione digitorum in ſacris Judæorum quandoque uſitata exponens, obſervat Judæos ideo digitos numeraſſe, quod nefas duxerint numerare homines: cum ergo numerum hominum ſcire deſideraverint, a ſingulis eos aliquid accepiſſe, & res iſtas numeraſſe, ex quibus numerus hominum illis innotuit. Addit, Judæos hoc probare ex I. Sam. XI. 8. ubi Saul dicitur numeraſſe populum בבזק, id eſt, ex mente Hebræorum, *in fragmento*. Per fragmentum autem quosdam intelligere fragmentum arboris, ſive ramum ab arbore avulſum; ſingulos enim ramum geſtaſſe manibus, ut miniſtri Regis non homines, ſed ramos numerarint: alios tamen per fragmentum, fragmentum lapidum intelligere: quosdam τὸ בבזק expo-

exponere *in agnis*, ita ut ſenſus effati hujus conveniat cum loco I. Sam. XV, 4. ubi verba בטלאים eadem fere ratione a Judæis explicentur. Id quod pluribus Noſter exequitur. Vocis חביתין rationem edisſerens, eandem perperam, tum ab aliis, tum etiam a B. Luthero, & Aria Montano, per *ſartagines* reddi contendit, cum potius *frixa* denotet, id quod ex Talmude ſatis conſtare putat. Præterea & iſtud monet, in feſto Tabernaculorum quotannis aquas oblatas fuiſſe; unde non tantum Abulenſem & Sanctium, negantes aquam unquam offerri potuiſſe, erroris convincit, ſed & Chriſtum Servatorem in feſto Tabernaculorum hinc occaſionem accepiſſe, populum, ut ex ſe ceu ex fonte vero divinam ſapientiam & cetera Spiritus S. dona hauriret, adhortandi, ſibi valde veriſimile fieri aſſerit. Addit, ſonante tuba cum ingenti plauſu & gaudio aquas in templum inductas fuiſſe, moremque Latinis frequentatum, tibiis, dum libamina offerebant, ludendi hinc fluxiſſe. p. 16. p. 20.

Lotiones populi Judaici typos atque figuras baptiſmi fuiſſe autumat. Præſertim ſummi Sacerdotis, in die Expiationis ſacris operaturi, lotiones huc ſpectaſſe. Hinc & factum arbitratur, ut Græci poſteriores baptiſteria *κολυμβήθρας* appellitaverint, accepta ab Helleniſtis voce, qui ea piſcinas & lacus aquarum deſignabant. Hac occaſione & quale inter טבילה & קדוש intercedat diſcrimen, exponit. Manus capiti victimæ ideo impoſitas eſſe, ut innueretur, vitam integram moresque inculpatos a ſacrificantibus requiri, ex Philone obſervat. Vocem סגן generalem eſſe contendit, eamque primo ad magiſtratus civiles, deinde ad duces militiæ, & denique ad ſacerdotes referri, exemplis Doctorumque Hebræorum teſtimoniis comprobat. Sic & de voce קלפי docet, eam omne vas, in quod ſortes conjiciuntur, denotare, Hebræosque eam a Græcis accepiſſe, quibus *κάλπη* & *κάλπις* urnam ſignificant, in quam ſortes injicere ſolebant. Ceterum modum ſortitionis, quo Hebræi utebantur, Gentilibus quoque familiarem fuiſſe, ex Juvenalis quodam effato evincit. Sortes ipſæ, quarum & Levit. XVI. 8. mentio injicitur, fuerintne buxinæ an abiegnæ, an ex alia arborum ſpecie factæ, definire non audet, cum vox אשכרוע ad varias arborum ſpecies extendatur: in verſione tamen Maimonidem ſequitur, qui ea buxum denotari credit. Aquas noctu ex Hebræorum ſententia pollui, luculentis ipſorum documentis demonſtrat. Erraſſe ergo Buxtorfium inde concludit, Ad Cap. III. p. 26. p. 32. p. 35. p. 36. p. 37.

dum vocem נפסלין in hocce Talmudico codice per *putreſcerent* tranſtulit, cum de pollutione aquæ, neutiquam de ejus putredine ſit capienda. A Judæis ad Gentiles hanc ſententiam fluxiſſe, ex eo evincit, quod hi crediderint, noctu totum mundum pollui; quemadmodum Virgilii, Perſii, Servii effata Auctori laudata comprobant. Buxtorffium ideo quoque reprehendit, quod voces טרף בקלפי tranſtulerit: *diſrupit arculam*, cum potius reddendæ ſint: *ſuccuſſavit*, ſive *vibravit urnam*. Nec enim Buxtorffianam verſionem ullo modo ad rem ipſam quadrare demonſtrat. בירת שחיטה, *domum ſive locum mactationis*, apud Talmudicos cervicem indicare docet. Moris enim fuiſſe ſacrificiis primo cervicem incidere. Gentilibus idem in uſu fuiſſe, Homeri, Apollonii Rhodii, aliorumque documentis oſtendit.

Ad Cap. IV. p. 41. p. 42.

Conclave vaſorum לשכת הכלים Græcis poſterioribus σκευοφυλάκιον dictum fuiſſe, monet. Habuiſſe enim & eos in templis ſuis conclavia, quibus calices, & quicquid erat vaſariæ ſuppellectilis, cuſtodiebant: id quod Codini teſtimonio probat. Hinc nonnulla de lapide fundationis, de quo mira Rabbinorum commenta extant, in medium affert. Nimirum Hebræos Doctores tradere dicit, quod Deus lapidem iſtum in medio mundi ſive terræ centro collocaverit, unde & lapidem fundationis dici, quod inferius mundi fundamentum & firmamentum fuerit. Aliis autem hunc lapidem fundationis ideo hoc nomine inſigniri porro docet, quod cetera ex ipſo tanquam ex prima materia, ſeu primo fundamento creata ſint. A Græcis forte fabulam hancce accepiſſe Hebræos exiſtimat, quippe qui itidem homines ex lapidibus a Deucalione & Pyrrha projectis procreatos eſſe comminiſcebantur. Cetera quæ de hoc lapide diſſerit, nunc mittimus. Cum expiationibus Hebræorum expiationes Gentilium contendens, magnum quod inter utraſque diſcrimen interceſſit, notat. Hebræorum enim expiationes ſanguine tantum factas eſſe: aſt Gentiles interdum ſulphure, & igne, aliiſque rebus aliquid expiaſſe docet. Sanguinis autem hæc ſparſio quomodo facta fuerit, prolixius ediſſerit, cumque Hebræi Sacerdotem ſummum ſparſiſſe tradant כמצליף *inſtar flagellatoris*, modum flagellandi paucis evolvit, & iſtos hoc demum ſibi voluiſſe inde concludit, ſparſiones ordine fuiſſe factas, ita ut certa ſeries ſparſionum con-

Ad Cap. V. p. 49. p. 53. p. 56. p. 57.

conſpici poſſet. Nonnullos tamen Hebræorum hic ſecus ſentire monet. Ad Cap. VI. p. 67.

Vocem נדבן arcam eleemoſynariam, unde liberalitas exercetur in pauperes, quandoque denotare Buxtorffius aſſerit. Perperam, judice Sheringhamio. Locum enim, quem Buxtorffius ex codice Sanhedrin attulit, ita comparatum eſſe, ut hæc vocis iſtius ſignificatio ad eum plane non quadret, oſtendit. p. 69. Gradus per quos hircus emiſſarius urbe exibat, viam quandam elevatam, ſive aggerem potius vel tabulatum fuiſſe comprobat, ejusque figuram ex Maimonide exhibet. p. 73. Porro tam apud Judæos, quam ceteras Gentes nullam victimam fuiſſe, cujus non pars aliqua fuerit combuſta, demonſtrat. Sed & in eo nonnulla Hebræorum Gentiliumque ſacrificia conveniſſe docet, quod ſaltem viſcera ſuper aras fuerint combuſta. Joſephum obiter refellit, aſſerentem, etiam τὰς ἐξοχὰς ſive extremitates, id eſt, caudas ſuper altare oblatas eſſe.

Idem Joſephus alibi aſſerit, Sacerdotem magnum ſacram ſtolam nunquam geſtaſſe, niſi cum immolaret victimam. Ad Cap. VII. p. 78. In eo non tantum a Talmudicis eum diſſentire, ſed &, ſi de jure loquatur, aperte falſa tradere, Sheringhamius aſſerit. Idq; vel ex eo probari poſſe ait, quod Sacerdotes ſummi & tunc ſacris veſtibus uſi fuerint, cum oraculum Urim & Thummim conſulerent. Cum vero in templo ſecundo id ceſſaverit, fieri potuiſſe addit, ut nunquam Sacerdos magnus ſacras indueret veſtes niſi ſacrificaturus. Gregarios autem Sacerdotes ſacris veſtibus itidem, cum miniſterio altaris non adeſſent, uti potuiſſe, contra Seldenum aſſerit, ſuamque ſententiam prolixe tuetur. p. 80. De ſtola ſive אצטלית ita diſſerit, ut eos refellat qui hac voce genus veſtimenti Medici aut Perſici denotari autumant. Græcis enim hanc vocem ſuam debere originem, quibus ſtola indumentum omne, cujuscunque ſit generis, ſignificet. Ita quoque Helleniſtis hanc vocem uſurpari. Eam autem ſtolam, qua Sacerdos cum legebat utebatur, factam fuiſſe ad modum pallii. Ceterum cum in fine hujus capitis octo ſummi Sacerdotis veſtes, quibus ſacris operaturum indutum eſſe oportebat, recenſeantur, ingens Sheringhamio ſeſe aperit campus de hiſce veſtibus aliquid commentandi. p. 86. ſq. Erudite ergo de tunica, de femoralibus, tiara, pectorali, Ephod ſive ſuperhumerali, pallio, lamina, & cunctis adeo Sacerdotis ſummi ornamentis diſſerit; quæ hic commemorari inſtituti leges prohibent.

hibent. De Urim & Thummim ſaltem ejus ſententiam prætermittere
nequimus. Nimirum quis fuerit modus hocce oraculum conſu-
lendi, certo definiri non poſſe, ingenue fatetur: Talmudicos tamen
Doctores hac de re ita ſentire, ut Pontificem dicant arcam verſus faci-
em inflexiſſe; eum, qui oraculum conſuluit, illi a tergo ſtetiſſe, atque
dixiſſe, faciam hoc aut non faciam? tum Pontificem Urim & Thum-
mim inſpexiſſe, & e veſtigio reſponſum inveniſſe; reſponſum autem
illud divinum exilientes indicaſſe literas; namque nomina Abraha-
mi, Iſaaci & Jacobi, & nomina duodecim tribuum pectorali Sacerdo-
tis ſummi, una cum hiſce verbis כל אלה שבטי ישראל, inſcul-
pta, totum continuiſſe Alphabetum; ſimul tamen tum Spiritum San-
ctum Pontificem erudiviſſe, ne in literis combinandis erraret, aut dubi-
us atque anceps hæreret. Et hanc quidem Talmudicorum Doctorum
ſententiam valde ſibi veroſimilem videri fatetur, ſimulq; Schickardum
notat, quod hanc Judæorum ſententiam rite non habuerit perſpe-
ctam, & multa hac de re tradat, quæ a veritate plane abhorreant.

Ad Cap. VII. De jejunio diei expiationis Miſchna præcipiens, ritus jejunan-
p. 95. tium paucis ediſſerendi Sheringhamio occaſionem ſuppeditat. Mu-
p. 101, lier autem prægnans dum legibus jejunantium adeo non teneri aſ-
ſeritur, ut ei etiam carne vetita veſci nefas non fuerit, addit ex Ge-
mara, moris fuiſſe plumam aut virgulam in juſculum aut humorem
rei vetitæ prius immittere, & in os ei inſerere, & ſi inde cupiditas
ejus ſedata & conſopita non ſit, ipſam carnem ei concedere. De
p. 103. pica, quam κίτταν Græci vocant, itidem hic nonnulla adfert. Tan-
dem & illud obſervat, credidiſſe Judæos, morte omnia delicta expiari.
Hinc ſolennem iſtam formulam ortam eſſe: ſit mors mea expiatio
pro omnibus peccatis meis. Gentiles idem ſenſiſſe, ex Virgilio &
Libanio probat. Ceterum illos, qui alios læſerant, in die expiationis
tum demum ſcelerum veniam impetraſſe, ſi læſo ſatisfeciſſent. Hinc
lucem affundi credit Servatoris effato Matth. V. 23.

Quæ Judæi de ſuo Sacerdote ſummo delicta gentis Iſraëliticæ ex-
piante memoriæ prodiderunt, ea ſcite ad Chriſtum Servatorem ejusq;
unicam & æternam expiationem, veſtigiis Ainsworthi & Altingii in-
ſiſtens accommodat Rhenferdius. Nos, ne & hic documentum ſpe-
cimenque deſit, doctiſſimi Viri de hirco emiſſario ſententiam paucis
ſaltem indicabimus. Nimirum poſtquam ex Willeti Hexaplis in
Levit.

Levit. XVI. octo diverſas Gentilium, Judæorum, & Chriſtianorum ſententias recenſuit, iisque Bocharti, Altingii, aliorumque addidit, illis tandem ſubſcribit, qui duplici hirco duplicem Chriſti patientis χρέων ſignificari exiſtimant, unam erga Deum judicem, cui ſatisfaciendum erat per paſſionem mortis, alteram adverſus Diabolum hoſtem, cum quo luctandum fuit per potentiam vitæ: reſpectu prioris, ſortem jactam fuiſſe pro Domino in hircum mactandum; ratione poſterioris, idem factum eſſe ad Azazel in hircum emiſſarium, ut princeps ille tenebrarum experiretur, quid poſſet cum eo qui omnium peccatis erat onuſtus; quemadmodum in plenitudine temporis in deſertum traductus eſt, ut ab eodem ibidem tentaretur. Atque hanc ſententiam veritati conſentaneam eſſe, primo inde probat, quod cum duplex malum in mundum invectum eſſet, reatus & ſubjectio Diaboli, Chriſtus quoque utrique malo remedium opponere debuerit, & electos ab utroque liberare. Deinde omnes circumſtantias, quas Deus in hirco emiſſario obſervandas præcepit, idem ſuadere putat, id quod prolixe ediſſerit: nos vero inſtituti memores ea prætermittimus, pedemque hic figimus.

## CASPARIS NEUMANNI URATISLAVIENSIS
## ספר תולדות
Hoc eſt
## *GENESIS LINGUÆ SANCTÆ V.T. &c.*

Norimbergæ apud Andream Ottonem, 1696. 4. Conſtat plagulis 21.

SI ullam, Ebræam certe linguam, Viri ingenio præſtantiſſimi tanta induſtria, tantoque ſtudio excoluerunt, ut multi forte in eam induci poſſint opinionem, nihil omnino hic ſcribi aut dici proferrique in lucem poſſe, quod non jam pridem ab aliis traditum expoſitumque ſit. Eos vero, qui ita ſentiunt, in magno verſari errore, non tam verbis aſſerit quam opere ipſo comprobavit Vir clariſſimus & maxime reverendus *Caſpar Neumannus.* De geneſi enim vocum Ebræarum tale quid commentatus eſt, quod nemini antea obſervatum, aut rite ſaltem explicatum fuit. Nimirum Radices, ut vocantur, tribus Cap. I.

tur, tribus quatuorve literis conſtantes, primitivas voces eſſe abnuit. Quin potius voces quasdam monoſyllabas,binis tantum literis conſtantes,& certæ alicujus ſignificationis,ut plurimum generalioris,notas perpetuas exiſtere, & adeo in ceteris vocibus omnibus, in quarum eſſentiam ingrediuntur, ſignificandi principium eſſe contendit. Haſce voces *characteres* vocat, itemque *ſemen*, easque ita a radicibus diſcernit. Contingere autem porro obſervat, ut iſti characteres ſine omni alterius literæ acceſſu naturam aut *particulæ*, aut *nominis* aut *verbi* induant; idque verba quieſcentia *Ain Vau* & *Ain Jod* ſatis ſuperque comprobare, quæ adeo neutiquam pro verbis imperfectis, ut vulgo fieri ſolet, ſed pro radicibus ſimplicibus ſint habenda. Aſt ſi character iſte monoſyllabicus litera quadam augeatur, tum quidem radicem *non ſimplicem* inde prodire. Id autem quadruplici fieri modo, geminando ſcilicet literas characteriſticas, ſervilibus eas augendo, characterem characteri alii combinando, vel deniq; unum & alterum horum modorum conjungendo. Radices ergo alias eſſe geminatas,alias auctas,alias compoſitas, alias mixtas. Geminatæ,ex ipſius mente,vel ſemi-geminatæ ſunt, ut cum a גר fit גרר, vel integre geminatæ, ut cum e. g. a מא *temerariæ ejectionis* nota, fit מאמא *ſcopando vel verrendo aliquid ejicere.* Auctæ vel ab initio incrementum capiunt, ut cum a מס deſcendit המס, vel in medio, ut cum ab eodem charactere מס formatur מאס, vel in fine, ut in מסה. Compoſitio primo imperfecta eſt, cum ſcilicet characteres literis initialibus conveniunt,& ſic prima ultimi characteris litera abſorbetur. Sic ex רח *impetus* nota,& רק *contuſionis* nota,componitur radix רחק,quæ utriusq; characteris ſignificationem refert, & recte vertitur *opprimendo contundere*, *impetu quodam opprimere.* Præterea imperfecte & ita radix componitur, cum characteres literis finalibus conſpirantibus combinantur,& litera ultima primi characteris excluditur. Sic ex מק *minutiarum* nota,& רק diſcerpendi nota, componitur מרק *in partes minimas diſcerpere.* Tertius imperfectæ compoſitionis modus, isque omnium communiſſimus eſt, cum characteres, in quibus litera finalis primi & initialis ſecundi eadem eſt, ita in unum coëunt, ut litera alias geminanda in unam contrahatur. Sic ex חם *fervoris & caloris* nota, fit חמס *violenter & cum fervore auferre.* Compoſitio vero totalis ſive perfecta ita peragitur, ut toti characteres inter ſe combinentur, quod fit in radicibus quadri-

quadrilitteris. Sic כרבל componitur ex כר *diviſionis & diſcretionis* nota, & בל nota *productionis unius rei in aliam*. Denique ad mixtas radices quod attinet, illæ ſunt vel geminato-auctæ, ut ארמרבם, vel geminato-compoſitæ, ut פתלתל, vel aucto-compoſitæ, ut פתלתול. Et hinc porro colligit Auctor, radices retinere quidem characteris ſui ſignificationem, ſed pro vario litterarum acceſſu varie modificatam: & etiam omnes radices ab uno charactere deſcendentes inter ſe cognatas eſſe. Equidem ſyſtema ejusmodi cognationis, quale recenſuimus, non in omnibus radicum familiis ſupereſſe fatetur: ſed hoc ſuæ non obſtare hypotheſi probat. Interim deperditas radices reſtitui & poſſe & debere docet; id quod quo pacto ex aliis linguis & radicibus uſitatis, ex vocibus imperfectis, & alia ratione fieri poſſit, pluribus exponit.

Hiſce hunc in modum explicatis, de ſignificatione vocum Ebraicarum paullo accuratius præcipit. Nimirum aſſerit 1) vocum Ebraicarum ſignificationes earumque ortus & derivandi rationem in plerisque eodem modo ſe habere, quo vulgo in aliis linguis omnibus: 2) verum cujusque vocis ſignificatum ex etymologia & uſu ſimul petendum eſſe: 3) ſignificationem formalem & primariam vocis ſedulo diſtinguendam eſſe a materiali & ſecundaria: 4) ſignificationes vocum Ebraicarum originarias & formales utplurimum generales eſſe, & in ſumma, qua gaudent, abſtractione uſibus longe diverſisſimis aptas: 5) unius ejusdemque verbi ſignificationem & tranſitivam & intranſitivam eſſe: 6) ſummam ſignificandi latitudinem in cauſa eſſe, quod multarum vocum, maxime radicum Ebraicarum ſignificatio in nulla alia lingua uno eodemque vocabulo conſtanter reddi poſſit: 7) ſignificatum illum primarium generalem, illimitatum & abſtractum, per loquendi uſum ut plurimum fieri exercitum, modificatum & limitatum, & ad certam communiter transferri ſpeciem, tam in primitivo ipſo, cujus eſt, quam in ejus derivatis: 8) varias illas ſignificatus formalis in uſu loquendi factas modificationes & reſtrictiones, partim proprias, partim figuratas eſſe: 9) figuratas eſſe vel metaphoricas, vel metonymicas, vel ſynecdochicas, vel ironicas: 10) haſce tamen modificationes neutiquam varias in ipſa voce gignere ſignificationes: 11) nomina quædam ſignificationem ſuam a charactere trahere immediate; contra, radices quasdam ſignificationem ſuam a Cap. II.

Eee primitivo

primitivò accipere mediate: 12) ex hactenus dictis ſequi, quod quælibet vox per ſe ſignificationem originariam & formalem non niſi unicam habeat: 13) ſignificationem formalem voci ſuæ ſemper convenire; contra ſignificationem, quæ non niſi in uno alterove loco ſtare poteſt, indubitato pro materiali eſſe habendam: 14) formalem ſignificationem characteri ſuo ita propriam eſſe, ut eadem in charactere alio nullo inveniatur: 15) ſignificationis characteriſticæ in unaquaque radicum deſcendentium factam modificationem, radici illi ita propriam eſſe, ut in radicum agnatarum alia nulla inveniatur: 16) ſignificationes e linguis cognatis quæ peti ſolent, materiales plerumque eſſe; hinc & contra etymologiæ Ebraicæ conſenſum, ex iis ſolis dubiam vocum Ebraicarum vim atque emphaſin non eſſe determinandam, aut novam etiam ſignificationem inducendam: 17) rerum deperditarum, vel alias non ſatis cognitarum appellationes indagare velle, laborem valde lubricum eſſe atque incertum. Haſce ſuas aſſertiones Vir reverendus & rationibus firmat, & exemplis quoque ſelectis illuſtrat comprobatque.

Cap. III. A vocibus ad literas ipſas progreditur, & tam characteriſticarum quam formativarum valorem ediſſerit. Ab ipſo autem, quod ajunt, ovo rem exorſurus, de primo literarum auctore diſquirit. Sed ſit ne is Deus, an homo, non definit: interim Hebræorum literas vim atque valorem ſignificandi habere vel mere arbitrarium, vel naturalem ſive artificioſum. Si naturalem habent literæ ſignificandi vim, hoc eſt, ut illis inſint certæ quædam rationes, relationes & ſimilitudines, per quas cum notione rerum conveniant, tum quidem fundamentum ejus aut in literarum nominibus, aut figura, aut ſono, aut numero quærendum eſſe. Equidem ſit ne valor Hebræarum literarum arbitrarius, an artificioſus, non definire audet. Saltem illis, qui eum pro mere arbitrario habent, non temere ſubſcribendum cenſet. Ad nomina enim literarum Hebraicarum quantum attinet, licet eorum ratio perobſcura ſit, interim ea nihil cum figura, aut ſono, aut quocunque alio valore commune habere ſibi perſuadere nequit, cum quorundam nominum, ut *Beth*, *Daleth* &c. exempla obſtent. Figuram autem conſiderans, *Jod* literarum minimam eſſe autumat, Servatoremque hoc innuere Math. V, 18 Quin Jod reliquarum literarum quaſi fontem eſſe, ſingulasque ex illius varia re-

ria repetitione componi; quod ſubjecto ſchemate demonſtrat. Præterea literas ſono conſpirantes, figura quoq; ad ſe invicem accedere obſervat, ita quidem ut quæ pleniorem atque fortiorem pronunciationem ſignificare debent, vel arctius concludantur, vel novo *Jod* augeantur. Hæc autem de figura literarum quadrata ſunt intelligenda: de non quadratis enim, quorſum & Samaritanas refert, ita cenſet, harum figuras ex feſtinatione & oſcitantia hominum male ſcribentium ortas eſſe; ut adeo mirum ſit, viros cetera doctiſſimos ſuper antiquitate literaturæ quadratæ & Samaritanæ andabatarum more hactenus pugnaſſe. Soni efficaciam ſaltem in iis conſpici, quibus brutorum propria utcunque exprimi ſolent. In hiſce ergo illorum ſententiam, qui valorem artificioſum defendunt, aliquid præſidii invenire, licet pleraque, excepta literarum geminatione, magnis adhuc involuta ſint tenebris. Hiſce præmiſſis, ad rem ipſam adgreditur, & de literis characteriſticis obſervat, 1) characteres ſignificationum, qui literis vel plane iisdem vel aliquo modo cognatis conſtant, in ipſa etiam ſignificatione aliquam habere cognationem: 2) literarum inverſionem vel transpoſitionem ſæpe etiam vocis invertere ſignificatum: 3) literarum cognatarum molliorem, ipſam etiam ſignificationem molliorem blandioremque & remiſſiorem, duriorem autem eandem reddere vehementiorem. De geminatis autem hoc fidenter aſſerit, & multis exemplis probat, quod geminatio literarum ſignificationem augeat multiplicetque. Serviles literas quocunq; modo aſſumtas ſignificatui vocis aliquid addere, quicquid illud etiam ſit, porro docet. Interim fatetur, quid demum quævis literarum ſervilium valeat, ſe certis includere regulis & indubitato determinare non poſſe. Hoc tamen non obſtante, derivationis & formationis hujus negotio ſuam conſtare rationem, & neutiquam illud ideo eſſe rejiciendum. Aliquando etiam contingere, ut in radicibus diverſis a charactere ſuo aliter atq; aliter formatis nulla plane ſentiatur ſignificationis diverſitas, licet aliquam iis ineſſe extra dubium poſitum ſit. Interim ſi in opere tam remotæ antiquitatis conjiciendo proficere liceat, hoc ſibi valde veroſimile fieri autumat, literas ſerviles omnes & in hoc quoque negotio non aliud quid ſignificare, quam quod alibi ſignificare vulgo credantur. Tandem & de literis ex alio charactere deſumtis addit, eas ſui characteris ſignificatum ſecum inferre.

Cap. IV. Jam nihil aliud ſupereſſe doctiſſimo Auctori videbatur, quam ut multiplicem hypotheſeos ſuæ utilitatem ediſſereret. Prolixe hoc exequitur: nos vero nonnulla ſaltem delibabimus. Inter alia autem contendit, nunc demum veram derivandi rationem pateſcere, quæ alias vel omnino non, vel dubie ſaltem & coacte admodum dari potuerit. Exemplo hoc ut comprobet, affert vocem קֶרֶן. Hæc num a radice קרן, an vice verſa radix קרן a nomine קֶרֶן derivanda ſit, nemo exacte definire potuit. Sed Auctor, ex ſua hypotheſi, characteris קר ſignificatum primarium & formalem eſſe *occurſum & obviationem rei undecunque & quomodocunque ad aliquid venientis*, aſſerit. Perinde ac, eodem judice, inverſum רק *diductionis* ſive *motus quaquaverſum abeuntis & attenuantis* nota eſt. קרן itaque in ſumma ſua latitudine idem eſt ac *promicare*, hoc eſt, *eminentiam quamcunque oblongam in acumen deſinentem & circumſtantibus quaſi occurrentem, emittere.* Atque hæc quidem formalis ſignificatio, ſed modificata, tum in ipſo verbo קרן cum *lucere* ſignificat, tum in voce קֶרֶן *cornu* luculenter conſpicitur. Non minus vox נביא *Propheta* multos hactenus vexavit, in aſſignanda illi radice fluctuantes. Sed res facile ex mente clariſſimi Auctoris expeditur, ſi character נב conſtituatur, *propagandi* nota. Hinc enim non tantum oritur radix נוב & ניב in quibus propagandi ſignificatio ad vegetabilia transfertur, ſed etiam נבב *cum aliqua frequentia aliquid propagare*, & נבא, unde נביא *propagator*, ſive *alicujus rei promulgator*, qualis Propheta eſſe ſolet, qui Numinis mentem annunciat & promulgat. Inſignem quoque uſum hanc hypotheſin in formali ſignificatione invenienda, eaque a materiali diſtinguenda, habere docet. Inter exempla, quibus hoc comprobatur, conſpicitur vox גרם quæ interpretes, præſertim in effato Zephaniæ cap. III, 3. de lupis veſpertinis miſere torſit. Noſter de ea ita cenſet: characterem גר *motus alio trahentis* notam, accedente litera ſervili Mem, radicem גרם progignere, quæ adeo *diſtrahendi, diſſipandi & multum diſpergendi* ſignificatum habeat. Et hanc quidem ſignificationem ad omnia, in quibus occurrit, loca quam pulcherrime quadrare evincit. Monet tamen, dari aliam radicem גרם compoſitam ex גר & גם nota *protenſionis*, quæ cum priori non ſit confundenda. Sic & de voce אב *pater*, de qua non idem omnes ſentiunt, hic diſſerit. Nimirum character אב ei notat *internum quendam impulſum, atque*

*commo-*

*commotionem rei in ſe ipſa quaſi ebullientis atque fermentantis, ſuis ſe terminis continere neſcia &c.* cognationemque habet cum אף itidem ejusmodi impetus & motus, ſed vehementioris ſigno. Transfertur deinde generalis hæc ſignificatio ad *patrem*, ob *motum animi propenſi, benevoli, amoris pleni &c.* Præterea hypotheſin hanc & hoc nomine commendandam eſſe exiſtimat, quod monſtroſa vocum polyſemia & æquivocatio, qua cum hactenus conflictatus eſt Hebraiſmus, quam feliciſſime tollatur. Hac occaſione in ſignificationem formalem radicis דבר, quæ omnibus ejus derivatis competat, inquirit. Radicem hanc compoſitam eſſe putat ex דר & בר. Prior character *ſeriem rerum multarum circumcirca ordinatarum* notat; id quod vocibus דור, דרר, דרדר ſimilibusque comprobat. Alter autem character בר illi nota eſt *productionis rei in apricum*; id quod itidem vocibus cognatis in ſubſidium vocatis evincit. Hinc concludit, radicem דבר exponendam eſſe, *omnibus circumquaque rite ordinatis aliquid producere vel proferre.* Cum itaque ad ſermonem transfertur, non ſignificat quomodocunque loqui, ſed ordinate & diſtincte rem eloqui. Nec דָּבָר dictionem aliquam ſimplicem, ut vulgo credunt, ſed integram beneq; ordinatam rei alicujus enunciationem, narrationem, aut declarationem ei denotat. Hinc quo pacto דֶּבֶר *peſtis* derivetur, facile intelligitur. Namque & illæ ipſæ, quæ a nonnullis afferri ſolent, derivandi rationes, ad formalem radicis ſignificationem, judice Noſtro, apprime quadrant, e. g. cum quidam peſtem a דבר dictam volunt, quod ſit res vel pœna, a Deo ipſo ſpeciali quodam decreto edicta & ordinata. דְּבִיר ſive *adytum*, cum nihil aliud quam oraculum vel locutorium aliquod denotet, ſine ulla difficultate hinc cenſente Auctore deducitur. Vox דֹּבֶר bis in Divinis literis legitur, & Michæ quidem II, 12. per *caulam* vel *ſeptum* verti ſolet. Quo ipſo, ut putat, characterem ſuum redolet, cum ipſe Avenarius huc reſpiciat vertendo, *ſeptum ordine exſtructum.* In altero autem loco Eſa. V, 17. *paſcent arietes* כְּדָבְרָם, rem itidem manifeſtam eſſe arbitratur, cum etiam deſerta caulæ & ſepti ſignificatione, perquam commode per *ordinem*, aut *conſuetudinem* verti poſſit. Eodem modo ſe rem habere putat in דֹּבְרוֹת *rates*, quippe quæ opus ſint e magna lignorum juſto ordine colligatorum ſerie productum, ut ſuper aquis vehi poſſint. Ut & in

in דְבֹרָה *apis*, a miro, quo vivit, exit, laborat, opusque ſuum conficit ordine ſic dicta, non diffitente Bocharto. De vocabulo מִדְבָּר ita cenſet, מ privandi habere vim, denotarique adeo deſertum, hoc eſt, terram incultam, ubi inordinate omnia producuntur. Sed tacemus cetera; infinita enim fere ſunt lectu haud injucunda, aut elegans Auctoris ingenium arguentia, haud parca manu per totum libellum diſperſa.

Priusquam autem hinc diſcedat, mentionem injicit celebris hodie controverſiæ de *ſelavis*, & hac occaſione veram originem vocum שלו, עוף, כנף, גזז, צפור, שרץ, רמש, אבר, אסף, ספר, לתך, בשר, שטח, ex ſua hypotheſi detegit, multisque divinæ Scripturæ oraculis ita lucem affundit. Ne & hic ſpecimen deſit, de prima voce שלו quæ commemorat, indicare nos neutiquam pigebit. Magna obſcuritate eandem laborare, non diffitetur. Sed poſtquam accuratius cuncta ſecum expendit, tandem pronunciare non dubitat, hanc vocem compoſitam eſſe ex של & לו. Priorem characterem *operiendi*, vel *circumquaque obtegendi* gaudere ſignificatu. Id quod ex voce cognata שַׂלְמָה colligit, quæ operimentum ſive amictum denotat. Porro לו ex ל dativi nota & ו copulativo compoſitum eſſe characterem, & *conjunctionis* vel *adhæſionis* notam præbere; id quod ex cognatis לוה, לוי colligitur. Hinc tandem concludit, *Selavim* vi etymi *animalia operiendo adhærentia*, hoc eſt, quæ ubi ſunt operiunt, obruunt, & tegmenti inſtar contegunt omnia, denotare. Hoc pluribus rationibus confirmat, & num ſeptuaginta Seniorum ortygometris, Chaldæi phaſianis, Joſephi coturnicibus, an vero Ludolphi locuſtis, hæc denominandi ratio magis conveniat, aliis judicandum relinquit.

Cap. V, & VI. Ne vero quicquam, quod ad rem omnem conficiendam pertinet, prætermiſiſſe videretur Vir celeberrimus, argumentis quibusdam ſuam ſententiam ſibi adſtruendam ſumpſit. Et id quidem, quod præcipuum eſt, radices ſcilicet trium quatuorve literarum non eſſe vera Hebræorum primitiva, ſed derivata potius ſimplicioris cujusdam primitivi monoſyllabici, primo teſtimoniis Thomæ Angli, Forſteri, Anonymi cujusdam, Stiernhelmii, & Richardi Simonis, quibus jam ſimile quid in mentem veniſſe putat, comprobat. Deinde & idem a linguæ primævæ, quam Hebræam eſſe credunt, ſimplicitate, a derivandi

rivandi legibus, & a radicum cognationibus probat. Nec rationes, quibus cetera aſſerta ſua ſtabiliat, illi deſunt. Tandem & ab objectionibus, quibus hæc ſententia impugnari poterat, eandem ſollicite vindicat.

*DE VIVA DEQUE MORTUA FIDE DOCTRINA JACOBI Apoſtoli evoluta. Adjuncta eſt Diſſertatio, oſtendens, Carteſianum mundi Syſtema non, ut quidam exiſtimant, periculoſum eſſe; Oratio item, qua Deum eſſe, ex mundi hujus inferioris harmonia demonſtratur. Auctore JACOBO GUSSETIO, Theologiæ, Philoſophiæ & Græcarum literarum Profeſſore Gröningenſi.*

Amſtælodami, apud Henricum & viduam Theodori Boom, A. 1696. in 8. Conſtat plagulis 18.

DOctrinam de fide viva ac de mortua, prout eam Jacobus Apoſtolus propoſuit, in publicis prælectionibus paulo latius diligentiusque excuſſit Auctor reverendus, atque adeo commentationes ad Jac. II, a v. 14. usque ad finem illius capitis ſuppeditavit. Eas autem ipſas antequam aggreditur, procemii in vicem agit de difficultatibus rerum Theologicarum & Scripturæ Sacræ, itemque de humanæ rationis circa ipſas officiis; quibus late declaratis, amplius adhuc in generalioribus detinetur, ac de totius epiſtolæ Jacobi auctoritate diſpicit, quam impugnatam quidem dicit ab Euſebio, Hieronymo, Cajetano, ipſoque ab initio Luthero, ſed quid ad ſingulorum dubia ſit reſpondendum, ſimul oſtendit. Divinæ namque illam auctoritatis eſſe affirmat. Argumenta autem eam in rem allata non eſt cur repetamus; paſſim enim reperiuntur & apud alios. Iſtud modo notatu dignum judicamus, quod Noſter, rationes indagaturus, quæ primis Chriſtianiſmi ſeculis nonnullos de auctoritate illius Epiſtolæ incertos reddere potuerint, multum adſcribendum eſſe arbitretur cognitioni ejus paulo ſerius ad Chriſtianos delatæ. Jacobum enim non, ut Paulum, ad Eccleſias urbium celeberrimarum, ſed ad tribus Iſraëlis per varias regiones ſparſas ac ſemotas eam direxiſſe; cui rei acceſſerit ingenium hominum Judæorum, qui poſt converſionem perrexerint eſſe aut metici-

meticuloſi, & ægre cum Gentilibus, etiam converſis, commercia coluerint; unde pluribus fidelibus ignota illa epiſtola manſerit, & agnitio deinceps facile dubium contraxerit. Cæterum pro auctore omnino agnoſcit Jacobum, non illum quidem Zebedæi, ſed alterum Alphæi filium; quanquam haud repugnet, quo minus quis tertium aliquem Jacobum illius auctorem cum Hegeſippo, vicino Apoſtolicorum temporum, ſalutet. Propius vero accedens ad præſentem pericopam, connexionem ejus cum antecedentibus explanat, ac Jacobum capite I, verſu 2 & 3 monere innuit, ut quisque fidem ſuam ſtudeat talem eſſe, quæ ad conſtantiam ſe comparans diſcat omnis gaudii inſtar ducere id, quod illam conſtantiam firmare, obdurare, & invictam queat reddere; unde tentationes etiam incurrentes, tanquam huic fini proficuas amice amplecti deceat. Ne autem officii hujus magnitudine quis terreatur, indicare ipſum refert cap. I, 5. 6, unde auxilium ſufficiens ac tam ſublimi propoſito congruum petere l ceat, a Deo nempe, per pias preces omnem dubitationem plane excludentes. Præterea cum πειρασμὸς tentationem quoque interdum notet homines corrumpentem, idcirco teſtari Apoſtolum, in tali ſignificatu ſe hanc vocem haudquaquam capere, ſed in illo potius alio, quo tentationem homines vexantem denotet; iſtud enim, quod animum vitiet, nulla ratione, qua tale, a Deo oriri poſſe, id quod oppoſitis Dei operationibus ſanctis hominemque ſanctificantibus comprobetur. Progredi deinceps ait Apoſtolum ad interdictum προσωποληψίας, quo cum ſecundum caput ita inchoet: μὴ ἐν προσωποληψίαις ἔχετε τὴν πίστιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς δόξης. In quibus verbis pro principio vitandæ προσωποληψίας aſſumi dicit fidem in Chriſtum. Vocabula autem τῆς δόξης duplici modo ſumi poſſe autumat, ſemel, ut ad ea reſpiciatur ante nomen Chriſti, hoc modo: nolite habere fidem gloriæ Chriſti in acceptione perſonarum; & tunc emerſurum dicit hunc ſenſum: fides veſtra oculos ſuos in gloriam Chriſti tam attente tamque determinate defigat, & eam tam ſerio reſpiciat, ut non ullam eſſe aliam gloriam veram reputet, niſi quæ a Jeſu Chriſto Domino noſtro ducatur, & omnem fulgorem a mundanis reſpectibus emicantem ne quidem ſentiat; quod cum fiet, hoc ſequetur, ut nemini honorem ullum, qui alterum hominem deprimat, exhibeatis. Viciſſim, ſi ita eadem interpreteris: nolite in acceptione perſonarum habere

bere fidem Jeſu Chriſti noſtri Domini gloriæ; tunc ita procedendum eſſe exiſtimat: ſi Jeſus eſt Dominus gloriæ, nullam gloriam cuiquam homini, niſi quam ille dederit, dabimus, proindeque nec ullum propter opes honorabimus præ pauperibus, quia Jeſus, gloriæ dominus ac diſpenſator, nulli gloriam opum aliave tali cauſa impertit. Duo itaque effecta fidei cum ſic deduxiſſet Apoſtolus, conſtantiam nempe in tribulationibus, & fugam acceptionis perſonarum, proponere nunc ipſum monſtrat cap. II, 14 & ſeqq. fidem tanquam fœcundam operibus ex proprio ſinu ac utero prognatis, verbaque huc pertinentia ſic diſponit Auctor, ut dicat, in v. 14. contineri propoſitionem, eamq; luculenter probari a v. 15 ad 25, ducta quidem probatione a rei evidentia, quæ ſignificetur per interrogationem v. 14, ab exemplo charitatis v. 15. 16. 17, a remota objectione v. 18. 19, a fidei ſterilis impotentia ad ſalutem aſſequendam v. 20. 25; poſt quæ inſequatur concluſio propoſitioni ſimillima v. 26. Hæc in ſequentibus uberius deducit, & quæſtionem in propoſitione allatam in hoc effatum categoricum negans reſolvit: homo fidem profeſſus, operibus tamen carens, non poteſt ſua fide ſervari. Deinceps probat, quod fides non ſolum operetur per alias virtutes, ſed modo etiam immediato opera edat, quæ nuncupari debeant opera fidei, ac docet, quomodo id a comparatione Apoſtolica, qua charitatem cum fide contendat, poſſit colligi, indeque hanc eſſe putat fidei deſcriptionem ex mente Jacobi formandam, quod ea ſit conſtans ac perpetua voluntas cogitandi & agendi ex principio fiduciæ in Deum, in rebus præſertim arduis. Ad verſiculum 18. delatus ſummopere defendit lectionem: *δεῖξόν μοι τὴν πίςιν σȣ ἐκ τῶν ἔργων*, eosque redarguit, qui loco *ἐκ* legant *χωρὶς* vel *ἐκτὸς*, ac vertant: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus. Putat autem ab Apoſtolo introduci adverſarium, qui ſe ipſi dicat ſimilem in fide, cæterum vero actus fidei theoreticos pro veris operibus venditet; huic autem ſe opponere Apoſtolum, & nullam velle agnoſcere conformitatem, cum ſua (Apoſtoli) opera manifeſta ſint, & idcirco fidem ejusdem illa progenerantem homini ſpectanti oſtendere valeant; contra vero fides adverſarii, quibuscunque actibus ſtipata ſit, certe operibus iis ſit deſtituta, quibus cuipiam extrinſecus oſtendere ſe & commendare queat. Et ut præjudicium de actibus fidei theoreticis habendis pro operibus eo melius ſanet, aſſumere ipſum ex iisdem refert præ

aliis actum credendi Deum unum; ille enim ſi opus eſſet, quo adjuncto fides redderetur ſalutaris, fore ut & diaboli opus ejusmodi edentes ſalvarentur. Ad exemplum Abrahami ubi pervenit, juſtificationem ejus conſiderari ait ab Apoſtolo Jacobo, non ut conſtitutivam, ſed ut declarativam. Ad hanc requiri omnino opera, non item ad illam; unde nec Paulus Jacobo contradicat, cum ille de juſtificationis conſtitutione egerit, quæ omnino fide duntaxat fundetur, hic vero de ejus declaratione, & declaratione quidem erga Deum, facta ab Abrahamo, cum haud cunctatus fuerit ſemetipſum & filii poſſeſſione & hæreditatis expectatione ſpoliare. Inde autem valide inferri, fidei veræ naturam poſtulare, ut opera ſibi propria eliciat de ſuo quaſi utero & in lucem edat, quæ ſi non proferat, mortuam eam eſſe καθ' ἑαυτήν, ac hominem ſervare non poſſe. In exemplo Rahabæ ſimilem in modum ſeſe rem habere innuit, ac imprimis, quod non negative aſſumendus ſermo ſit, ſed interrogative, ita ut interrogatio affirmativæ propoſitioni reſpondeat, pluribus contendit. Opera autem fidei Rahabæ ex fide per ſe elicita conſtitiſſe dicit in eo, quod ipſa bonis humanis, benevolentiæ Principis ac civium, eorumque fortitudini ac prudentiæ nuncium remiſerit, ac nulla dubitarit de providentia Dei exploratores tectura, & de optato eventu per eos proſpere procurando; quam fiduciam ex eo conceperit, quod hi Jehovæ miniſtri eſſent, Deique miraculis præpotentis & in promiſſis veracis conſilio inſervirent. Hæc ſumma, quorſum tendit Auctoris noſtri præſens periochæ Jacobeæ de fide explicatio. Breviter eam duntaxat indicare voluimus, cum plura adhuc ex hoc libro intimanda ſuperſint.

Annectere enim Auctori viſum fuit diſſertationem Philoſophicam de ſyſtemate phyſico Carteſii, quod vindicandum is in ſe ſuſcepit adverſus oblocutiones quorundam, aſſerentium, quod Carteſius ſacra mundi conditi monumenta a Moſe extructa deturbare molitus, eorum loco commenta ſua de univerſi origine per vortices, per fortuitum atomorum conflictum, & per innumerorum ſeculorum in motum impenſorum curriculum ſubroget ac obtrudat. Sed enim vero quod nec Carteſio ipſi mens hæc fuerit, nec ad eam Lectores ejus, niſi propria fortaſſis culpa, deduci queant, probare Auctor allaborat. Ipſum certe Carteſium teſtari perhibet, non dubiam eſſe creationem; allegare ipſum fidei Chriſtianæ documenta, &, ut veritatem crea-

creationis ex omni parte muniat, adducere præterea rationem, & oſtendere, quod ea ſibi perſuadeatur non ſolum qua Chriſtiano, ſed etiam qua Philoſopho. Quinimo ne videatur id dicis cauſa profiteri, ut apud Chriſtianos bene audiat, proferre eum rationem unam e veſtigio, nempe eam, quæ ab immenſa Dei potentia emicet. Nec eſſe, ut quis objiciat, Carteſium proferre quædam principia, e quibus ſidera & terra & reliquæ mundi partes tanquam ex ſeminibus oriri potuerint. Non enim hæc ex animo dixiſſe ipſum reſpondet, ſed ea ſaltim fini, ut explicationem rerum, quibus mundus conſtat, adjuvaret. Dediſſe enim eum operam, ut, quæ vere per viam creationis ſolam in mundum invecta ſunt, fictione quadam in via generationis exhiberet; cumque videret, & Jureconſultos & Mathematicos fictionibus uti, & absque invidia & cum fructu, ſperaſſe eum, Phyſico pariter hoc fore & valde commodum & nullatenus invidioſum. Ne quis vero inſuper exiſtimet, quaſi ad minimum doctrinis ſuis Carteſius occaſionem dederit aliis æternitatem mundi ſtatuendi, idcirco pleraque illius dogmata, quæ trahi huc forſan poſſent, enumerat, & ſolicite perpendit illa, quæ is terram formatam anteceſſiſſe dixerit; modum deinceps, quo formata hæc ab eodem ponatur; tandemque placita illius de his, quæ in terra vivunt, ſeculaque propagant, ſub incudem revocat. Nuſpiam vero quid ab eo dictum innuit, unde cum quadam veri ſpecie æternitatem mundi exſculpere liceat; quinimo ſic comparatas eſſe putat non paucas ex ipſius aſſertionibus, ut potius errori iſti ſubruendo felici cum ſucceſſu adhiberi poſſint. Alienos autem, utpote Franciſci Forgii, Malebranchii, & aliorum Carteſii doctrinam abducentium a ſenſu Auctoris, errores ipſi affricari non vult, quippe cum eos non modo non agnoverit, ſed etiam unde oppugnarentur, reliquerit.

Denique lectu non injucunda eſt Oratio, quæ loco ultimo apparet, in qua Noſter Deum eſſe ex mundi hujus inferioris harmonia demonſtrat. Nexui enim plurium rerum inſiſtit, atque contemplatur, quomodo res aliæ ad alias referantur, commerciis utilibus aliæ aliis reſpondeant, hæque his inſerviant tam apte, tam opportune, & neceſſitatibus tam plene ſubveniant, ut manifeſtum fiat, unam ex illis eſſe finem, alteram vero medium, cui ille finis propoſitus ſit. Hanc autem finium ſcoporumque conſtitutionem & mediorum operatio-

nem propter fines illos pro efficaciſſimo argumento præſentiæ Rectoris mundi reputat, quandoquidem mediorum directio ad finem opus ſit mentis alicujus, quæ & finem norit & media, eaque ſimul connexuerit. Ipſam illam inſuper connexionem oriri probat a mente, quæ nec in materiæ particulis reperiatur, nec in homine, quin potius ab hujus mente non diverſa ſolum, ſed & ea multo major ſit. Hoc probat, evincendo, quod reperiantur in homine media ad fines certos juſta proportione relata, quæ tamen humanæ menti ne cognita quidem ſint, ac proinde effecta ejus nuncupari haud mereantur; quæque porro humanas artes longius exſuperent, atque adeo mentem illam diverſam humana multum ſublimiorem eſſe doceant. Deprehendi id in iis pariter, quæ homo ratione ſua gerat, ac in illis, quæ nullo rationis ductu apud eundem fiant. Ratione duce hominem movere manus, eadem duce loqui, eadem ipſum reminiſci. Ad hos fines uti eum mediis ſuppetentibus, iisque accommodatiſſimis, ſed ſane non ab homine profectis; unde ipſe fateri neceſſum habeat, eſſe mentem aliam eorum datricem. In rebus autem noſtro imperio exemtis ſimiliter media dicit eſſe intra nos ſuis deſtinata finibus; id quod illuſtrat declaratis primum figuris & poſitionibus oſſium humanorum in genere, qualitatibusq; deinceps ſingulorum ſpeciatim deductis, cranii nimirum, ſpinæ dorſi & colli vertebrarum, coſtarum, crurium, humeri, & ſic porro. Illuſtrat idem petitis argumentis a nervis moventibus & ligantibus, a carne, adipe & membranis, a nervis ſenſuum, a nervorum coitione in cerebro, a partibus commode inter ſe vicinis, a cute, & a rebus aliis ad finem peculiarem obtinendum probe diſpoſitis. Inde ad propagationis formarum corporearum ad hunc modum conſtructarum miraculum progreditur, & conſiderari cupit duos ſexus contrarios eoque ipſo maxime congruentes, varietatem quoque adaptationis ſexuum in variis ſpeciebus, & commoda fœtus, quæ ille in utero reperiat. Refutat autem eos, qui hæc cuncta provenire exiſtiment a facultate plaſtica, & poſt alia commoda homini ſubſervientia proportiones quasdam œconomiæ hujus mundi inferioris conſiderat, anni v. g. tempora, animalium homini utilium copiam, &c. Nec reticet, quod in iis quoque animalibus, quibus imperfectorum nomen alias indi ſolet, inſectis puta & reptilibus, ea fabricæ harmonia reperiatur, quodque & in plantis eadem

dem dexteritas eluceſcat. Provocat porro ad operationes brutorum animalium ſpontaneas, præſertim ad bombycis & araneæ artificia, longeque plura reperiri poſſe argumenta docet, quæ meridiana luce clarius commonſtrent, quod mundo mens ſuprema ejusdem rectrix atque moderatrix præſit. Objectionibus autem nonnullis, quæ a miſeriis in mundo apparentibus, a pluviis in mare & in aſpera ſaxa cadentibus, a monſtris rebusque aliis ſimilibus ab ordine communi diſcedentibus depromi ſolent, accurate ſatisfacit, & quomodo e dictis, præter exiſtentiam divinam, attributa quoque Dei nonnulla queant colligi, eleganter, quanquam brevius, ediſſerit.

*M. TULLIUS CICERO DE OFFICIIS AD MARCUM F. EX MSS. recenſuit THOMAS COCKMAN, e Coll. Univ. A. B.*

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1695. in 8. Plag. dimid. 27.

Ciceronis de Officiis libri (ut opera ejus univerſa) eo in pretio habiti & olim fuerunt, & apud cordatos quosque juris naturalis æſtimatores hodieq; habentur, ut expoliri magis magisque, ac vel centies typis exſcribi, ne unquam intercidant, mereantur. Commendanda itaque & nova hæc utiliſſimi operis editio, auſpiciis Viri celeberrimi *D. Arthuri Charletti*, Collegii Univerſitatis, quod Oxoniæ eſt, Magiſtri ſpectatiſſimi, labore autem ſtudioque doctiſſimi ex eodem Collegio Viri-juvenis *Thomæ Cockmanni* adornata. Scopus præcipuus is fuit, ut textus quam emendatiſſimus exhiberetur: nec operam luſiſſe Cockmannum, res ipſa loquitur. Nōtas ac obſervationes textui illuſtrando explicandoque addere conſultum non duxit: varias tamen lectiones, tum ex impreſſis Gruteri, Grævii & Gronovii editionibus, tum ex decem codicibus manuſcriptis collectas paginæ cuique ſubjecit, ut ſi cui forte non ſatis probetur, quam textus repræſentat, lectio, meliorem deligere ex ingenio judicioque ſuo valeat. Adjectus eſt ſub finem rerum & verborum index, in quo phraſeologiæ Ciceronianæ habitam præcipue rationem videas.

*M. TULLIUS CICERO DE ORATORE AD Q. FRATREM. EX MSS. recenſuit THO. COCKMAN.*

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1696. 8. Plag. dim. 45.

IDem plane diligentiſſimi *Cockmanni*, & quo hortante is hoc quoque ſuſceptum a ſe opus in Præfatione profitetur, clariſſimi *Charletti* in edendis Ciceronis de Oratore ad Quintum fratrem Dialogis inſtitutum conſiliumque fuit, quod in nova librorum de Officiis editione ſectati fuerant; eadem etiam omnino ratio ac methodus ſervata. De quibus cum jamjam dictum a nobis, quantum ſatis erat, fuerit, non eſt ut quicquam hoc loco addamus; niſi quod optamus merito, ut ad reliqua etiam Ciceronis opera pari nitore & accuratione excolenda lucique aliquando exponenda publicæ, Viris reipublicæ literariæ & ſtudioſæ inprimis juventuti inſerviendi laudabili ſtudio accenſis otium & vires ac valetudo integra conſtansque obtingant.

## A DISCOURSE CONCERNING LENT &c.
Hoc eſt:

### *DISSERTATIO DE JEJUNIO ANTE PASCHA CELEBRANDO, in duas partes diſtincta, quarum prior hiſtorice de ejus obſervatione agit, altera in originem illius inquirit.*

Londini apud Waltherum Kettilby, 1696. 8. Conſtat Alphab. 1. plag. 6.

CUm Jejunii quadrageſimalis obſervatio a celebratione feſti Paſchalis, quo reſurrectionis Dominicæ memoriam quotannis renovamus, omnino pendeat; viſum Anonymo noſtro fuit, primo ſtatim hujus operis capite Apoſtolicam hujus inſtitutionem evincere. Facit id, dum copioſe ſatis pro inſtituti ratione exponit controverſiam paſchalem, ſeculo poſt Chriſtum natum ſecundo motam, in qua ad Apoſtolicam traditionem ab utraque parte paſſim provocatum fuit. Iſtorum hac ratione Eccleſiæ Chriſtianæ ſolennium antiquitate evicta, de ipſo jejunio, præcedere illa ex recepta inter Chriſtianos conſuetudine ſolito, agere incipit. Et capite quidem ſecundo triplicem jejunandi rationem ex Tertulliano de Jejun. c. 2. exponit, ſimulque de variis jejuniorum occaſionibus, pœnitentia im-
p. 21. primis atque baptiſmo agit. Non poſſumus non quæ de ſecundo jejunii genere, quo ad veſperam ſaltem usque a cibo abſtinent jejunantes, obſervavit, hoc loco commemorare. *Stationem* illud a veteribus

veteribus dictum fuiſſe conſtat, quod quidem vocabulum eos e caſtris ad uſus ſuos transtuliſſe Tertullianus de Orat. c. 14. exiſtimat. Verum Synagogæ potius illud deberi, Noſter contendit. Adhibitum enim a Judæis fuiſſe probat, adducto Maimonidis ex lib. 2. de Cultu divino c. 6. loco, de religioſa piorum quorundam hominum conſuetudine, qui vel privata devotione moti, vel quod populi nomine facere id juberentur, quotidianis in templo oblationibus præſentes ſe ſiſtere ſolebant. Jam cap. III propius accedit ad quadrageſimalis jejunii conſiderationem: cujus antiquitatem eo primum argumento demonſtrat, quod modo memoratæ controverſiæ paſchalis partem conſtituerint lites de finiendo jejunio paſcha præcedente. Deinde autoritatem Irenæi pro ea affert, qui diſſenſum antiquiſſimarum Eccleſiarum in obſervando jejunio iſto expoſuit Victori, in epiſtolā, cujus fragmentum Euſebius Hiſt. Eccl. V, 24. conſervavit. Cumque non deſint, qui ipſo Irenæi loco ad jejunii paſchalis vanitatem oſtendendam utantur, nihil in eo, ſive ex Valeſii ſive ex Rufini mente interpreteris, occurrere oſtendit, quod eorum opinioni patrocinari poſſit. Præterea autem omnino quadraginta dierum jejunii in iſto loco fieri mentionem contendit, Dallæi atque Valeſii aliter ſentientium interpretamenta variis rationibus oppugnans, ſuamque contra eorum objectiones defendens. Capite porro IV. ad Clementem Alexandrinum & Tertullianum progreditur. Prioris quidem in ſcriptis, quæ hodie extant, nullum pro jejunio antepaſchali occurrere ſuffragium fatetur, quamvis de jejunio quarta & ſexta feria per ſingulas hebdomadas obſervato nonnulla apud eum legantur. Tertulliani vero, ſententiam orthodoxorum de jejunio antepaſchali repræſentantis, locum ex cap. I. XIII. XIV. & XV. libri de *Jejunio* producit, deque poſtremo horum locorum agens refutare conatur Dallæum, qui *duas hebdomadas Xenophagiarum*, quarum ibi meminit Tertullianus, a Montaniſtis ante paſcha celebratas fuiſſe, adeoque illos jejunii antepaſchalis tempus extendiſſe exiſtimat. Orthodoxos enim etiam non exiguam temporis antepaſchalis partem jejunantes tranſegiſſe oſtendit, licet cætera quod ſtabile, multo minus, quod quadraginta dierum fuerit eorum jejunium, ex Tertulliano evinci non poſſe facile largiatur. Capite V. Origenis teſtimonia, quæ huc pertinere videri queant, examinat, quæ tamen vel obſcura vel dubiæ fidei eſſe fatetur. Ex Epiſtola autem p. 63.

tem Dionyſii Alexandrini producit, quæ de tempore præſertim finiendi hujus jejunii, & obſervata per eam, qua paſſus eſt Dominus, hebdomadem abſtinentia, ad Baſilidem ille ſcripſit. Ex illis vero etiam explicat, quid *prima Paſchæ ſolennia* apud Cyprianum Ep. 56. ſignificent, per quæ nihil aliud vult intelligi, quam ſacras cæremonias illa ipſa hebdomade exerceri ſolitas. Capite VI. Petri Alexandrini locum affert, qui quadraginta dierum jejunium iis indicit, qui in poſtrema Diocletiani perſecutione lapſi fuerant; quem locum ut ad jejunium antepaſchale aliquid facere perſuadeat, inſtitutam illam lapſorum cum Eccleſia reconciliationem paſchatos tempore fuiſſe ait, & ex ipſis Petri Alexandrini verbis nonnulla exſculpere nititur, quæ proxime ante paſcha iſtud jejunium a lapſis ſuſceptum fuiſſe indicent. Pergit in cap. VII. ex epiſtola Conſtantini M. apud Euſebium de vita Conſtantini L. III, c. 17. ſqq. jejunii antepaſchalis antiquitatem oſtendere, quamvis nec in ea certum illi tempus præfiniatur. Aſt τεσσαρακοστῆς expreſſa mentio fit in Canone V. Concilii Nicæni, ubi quidem Dallæum, ex laudati ſupra loci Irenæi falſa interpretatione, qualecunque illud jejunii tempus intelligere ait, quod a quadraginta horis, quæ primitus jejunio impendebantur, τεσσαρακοστὴ dictum fuerit, ſed nullo prorſus fundamento. Cum contra ex Chryſoſtomi loco (tomo VI. edit. Savil. p. 381.) Sole clarius evadat, canonem iſtum de quadraginta dierum jejunio eſſe accipiendum. Præcipue vero, ut quadraginta dierum exacte obſervarent jejunium, baptiſmi candidatos & pœnitentes adactos fuiſſe, cap. VIII. oſtendit. Et de baptizandis quidem adducit præcipue Cyrilli Alexandrini teſtimonia, quæ cum Tertulliani locis in lib. de Bapt. capite imprimis 20. comparans, harmoniam antiquiſſimæ Eccleſiæ rituum cum moribus, qui Cyrilli temporibus vigebant, ob oculos ponit. Nam e Tertulliano quoque paſchale tempus baptiſmo fuiſſe deſtinatum, baptiſmum vero præceſſiſſe jejunia, patere arbitratur; imo cum mentionem iſto in loco Tertullianus quadrageſimalis Chriſti jejunii faciat, ad durationem forte jejunii baptizandorum ſimul alludi perſuaſum habet. Quod pœnitentium vero attinet jejunium, quadragenarium numerum ei maxime convenire ex mente Hieronymi, prolato ejus ex Comment. in c. 3. Jonæ teſtimonio probat. Paſchatis vero diem ab Eccleſia antiqua aptiſſimum judicatum eſſe, in quo reciperentur pœnitentes, ex Gregorii Nyſſeni Ep. Canon. ad Letojum ſatis firmiter ſe

eviciſſe

eviciſſe exiſtimat. Jam cap. IX. nihil aliud hiſce omnibus ſe voluiſſe ait, quam ut oſtenderet, jejunium aliquot dierum Apoſtolico ævo jam vergente ante paſcha celebratum; quadraginta vero dies iſti jam a quibusdam ſeculi II. Chriſtianis impenſos fuiſſe; imo pro ſolenni jejunii hujus numero quadrageſimalem habuiſſe Eccleſias non paucas ſub finem ſeculi III. Cum autem poſtea Nicæni patres etiam numerum iſtum commendaſſent, magis magisque eum in Eccleſiis obtinuiſſe ait; quamvis plane fixum eum ne Chryſoſtomi quidem adhuc temporibus fuiſſe, ex Ἀνδριάντων ſerm. 15. ſibi facile perſuaderi fateatur. Hanc ſuam eſſe ait de jejunio antepaſchali ſententiam, ad quam deſtruendam nihil plane facere objectiones Dallæi ex Caſſiano, Hieronymo & Chryſoſtòmo prolatas, facili negotio oſtendit, cum iſtæ omnes non contra omne jejunium antepaſchale, ſed contra illud tantummodo, quod quadraginta præciſe dierum ſit, militare videantur. Capite deniq; X. Socratis & Sozomeni loca adducit, quibus exponunt, qua ratione quadraginta jejunii dies computaverint ſui ſeculi Chriſtiani; ubi ſimul obſervat, quid poſt illa tempora tum a Græca tum a Latina Eccleſia mutatum in iſtorum conſuetudine fuerit. Cumque nulla iſtarum computationum antiquiorum 40 præciſe jejunii dies conficiat (unde ipſe Socrates miratur, cur quadrageſimale illud appellatum ſit) omnia cujuscunque temporis atque durationis jejunia ita antiquitus appellata fuiſſe obſervat. Sic enim Hieronymus ad Marcellam quadrageſimas vocat jejunia a Montano inſtituta, quorum alterum poſt pentecoſtes feſtum celebrabatur, neutrum vero duarum hebdomadum excedebat ſpatium. Rationes hujus rei iſtas ei reddere placet: ait nimirum, Chriſtianos in tantæ devotionis jejunio ad imitationem jejuniorum maxime ſolennium Moſis, Eliæ atque Chriſti adſpiraſſe. Poſtquam autem ſemel iſte dierum numerus Eccleſiæ, ut generalis exempli loco ipſi ſerviret, placuiſſet, anguſtioris quoque ſpatii jejunia eodem nomine, per metonymiam non inuſitatam appellata fuiſſe. Quæ omnia tamen planiora fore putat, ſi iſta quoque jejunia in Scripturis celebrata quadrageſimalia, non a dierum numero, ſed ab obſervationis ſolennitate dicta ſtatuamus, cum ſemper apud Judæos quadragenarius numerus ad humiliationem plusquam ordinariam ſignificandam fuerit adhibitus; qua quidem de re infra iterum dicendi erit occaſio.

Et hæc quidem de parte I. hujus operis dixiſſe ſufficiat. Secunda iterum in duas ſectiones abit, in quarum priori pleroſque ſacrorum Eccleſiæ Chriſtianæ rituum ex Synagoga originem ducere oſtendit; poſteriori vero idem de jejunii quadrageſimalis natalibus tenendum
c. II. III. VI. eſſe docet. Tranſiliendi omnino eſſent præfixi nobis limites, ſi qua ra-
VII. tione baptiſmi & cœnæ Dominicæ ritus, miniſtrorum Eccleſiæ gradus
c. IV. VIII. & ordines, excommunicationis cæremonias, precantium denique fa-
V. IX. ciem & mores, aliaſque nonnullas conſuetudines a Synagoga Eccleſiam accepiſſe in parte priore oſtendat, prolixe hic exponamus. Nec ſane argumenti raritas movere nos poteſt, ut multum ei immoremur, cum ab aliis viris doctis ex inſtituto dudum illud tractatum fuerit. Ne tamen præter rem cuiquam videatur prolixa illa digreſſio eſſe inſtituta, ad ſcrupulum, quem quidam movere ſolent, eximendum eam facere ſciat, quaſi indignum nimirum ſit a Synagoga aliquid accipere Eccleſiam, ut adeo jejunium etiam quadrageſimale ex ea derivari
c. X. non debeat. Cumque ex Judaicarum traditionum incertitudine præterea contra ſententiam ſuam alia quædam dubia oriri poſſe Autor videat, illud quoque obſtaculum removere nititur, *Miſchnajoth* ſeu *Δευτερώσεσι* Judaicis antiquitatem quam poteſt maximam vindicans. Novitatem vero ſententiæ ſuæ de jejunii quadrageſimalis originibus veritati ejus obſiſtere non debere, iis, quibus uti in hujuſmodi negotiis ſolemus, argumentis oſtendit.

Et ſic tandem ad alteram ſecundæ partis ſectionem accedit, quæ, ſi molem ſpectes, omnium quidem minima eſt, quamvis in ea principale ſuum inſtitutum executus eſſe Anonymus noſter videatur. Age itaque pauciſſimis, quæ ille quadrageſimalis Eccleſiæ jejunii veſtigia in Synagoga invenerit, accipiamus. Primo itaque ipſum Chriſtianorum paſcha imitationem Judaici paſchatos fuiſſe, notum eſſe ait. Quod vero ex antiquiſſimarum Eccleſiarum conſtitutione, Alexandrino Præſuli id datum fuerit muneris, ut tempus paſchatis celebrandi mature inveſtigatum reliquis Orientis Epiſcopis ſignificaret, ne ipſos tempus quo præparatoriæ cæremoniæ, feſto huic præmitti ſolitæ, inchoandæ eſſent, lateret; id quoque ex Judaiſmo eſſe probat. Nam pari ratione apud eos a Sacerdotibus per literas ſignificatum fuiſſe populo tempus feſti illius celebrandi, ex Maimonide & Seldeno de Anno Civili vet. Jud. c. 5. & 9. docet, ut ſcilicet illi præcipue, qui

qui in locis longius diſſitis vivebant, decenter ſeſe præparare poſſent. Porro Chriſtianos eadem fere ratione Paſſionis Dominicæ diem celebraſſe oſtendit, qua Judæi diem Expiationis, ſimilesque prorſus ſibi invicem fuiſſe quæ utrumque feſtum præceſſere præparationes; quem utriusque ſolennitatis parallelismum jam olim Tertullianum ſubinnuiſſe monet. Hoc ipſum ut magis reddat evidens, primo ſacrificium in expiationis die oblatum cum ſacrificio Chriſti patientis contendit. Deinde ritus Judæorum in illo die pœnitentium & affligentium ſeſe cum ritibus Chriſtianorum comparat, quibus in obeunda Dominicæ paſſionis memoria jejunantes pœnitentesq; utebantur. Imo ipſas vigilias utriusque feſti ſimili prorſus cæremonia ſolenniores redditas fuiſſe obſervat. Quemadmodum enim in Eccleſia Romana præcipue excommunicatorum reconciliatio inſtituebatur ea, qua S. cœnam Dominus celebravit die: ita Judæos quoq; die, quæ expiationis feſtum præcedebat, latas in excommunicatos ſententias relaxaſſe. Imo cœnam etiam, quam illa die Chriſtiani parabant, quamvis ad exemplum Dominicæ cœnæ inſtituta merito videatur, Judaicam tamen conſuetudinem ſimul redolere, Autori noſtro probabile fit; nam & iſtam præparationem pœnitentialem ad expiationis diem ſolenni quadam cæna finiendam fuiſſe. Quin deniq; illam quoq; cæremoniam, cujus in *Ordine Romano* mentio, qua candelas ſolenniter ſub veſperam diei feſtum paſſionis Dominicæ præcedentis accendebant, Judaicæ eſſe originis, ſibi perſuadet. Solere enim recutitos multum curæ adhibere, ut paratas habeant ſub diei expiationis veſperam candelas ſuas, quibus etiam plus quam alias illa nocte ſynagogas ſuas exornare geſtiant. Jam porro præcedere expiationis diem apud Judæos non tantum dies ſeptem integros pœnitentiæ & jejuniis deſtinatos, ex Leone Mutinenſi & Buxtorfio oſtendit, ſed ex Morino etiam de Pœnit. X, 34.3. obſervat, quadraginta dies pios quosdam inter illos homines iſtis exercitiis impendere. Imo omnes Judæos pœnitentiæ religionem a quadrageſima die ante feſtum expiationis auſpicari ait, quamvis interrumpere paſſim iſta exercitia illis liceat. Numerum vero hunc partim Moſaicum jejunium ipſis ſuppeditaſſe ait, partim receptam in Eccleſia eorum ſententiam, qua illum ſolenni pœnitentiæ & humiliationi cuivis convenientem maxime eſſe arbitrabantur, ut nova exemplorum Scripturæ inductione probat. Et hinc Salvatoris quoque jejunium ad pœniten-

c. II. c. III. c. IV.

tiam ſpectaſſe perſuaſum habet, præcipue cum Joannis baptismum, quem iſtud ſequebatur, pœnitentiæ lavacrum fuiſſe, ex Scripturis conſtet. Non difficile Lectoribus fore ſperamus videre, quo iſta omnia tendant, ut adeo ſingulorum applicationem prolixius addere merito ſuperſedeamus. Utq; deniq; huic recenſioni noſtræ finem imponamus, nihil quod moneamus ſupereſt, niſi quod Autorem noſtrum ex hac de origine jejunii quadrageſimalis ſententia argumentum tandem ducere videamus, contra Socinianorum de ſatisfactione Chriſti hæreſin. Ejus enim paſſionem ſatisfactoriam ſeſe agnoſcere, veteres Chriſtianos anniverſario quaſi teſtimonio fuiſſe profeſſos ait, diem memoriæ ejus deſtinatum, quem expiationis feſto ſucceſſiſſe putabant, pie celebrantes. Scopum poſtremo & uſum hujus jejunii luculente ob oculos ponere, idque ut modernæ quoque Chriſti Eccleſiæ commendatum ſibi habeant, efficere pro viribus ſuis conatur.

c. V.

## INTRODUCTION A L' HISTOIRE D' ANGLETERRE, PAR le Chevalier TEMPLE &c.

i. e.

*INTRODUCTIO IN HISTORIAM ANGLIÆ, AUCTORE GUILielmo Temple, Equite. Ex Anglico in Gallicum ſermonem verſa.*

Amſtelodami apud I. L. de Lorme, 1695 in 8. Conſtat plag. dimid. 17. & figurarum æ nearum plag. 3.

NOn eſt ut integram Anglicanæ Hiſtoriæ ſeriem in doctiſſima hac illuſtris Viri commentatione quis quærat. Ea enim ſolum, quæ ob vetuſtatem obſcuriora erant minusque cognita, aut perperam ab aliis tradita, ſummo ſtudio hic explanantur. Nimirum decreverat ſecum Vir doctiſſimus, in flore ætatis adhuc conſtitutus, nec dum curis negotiisque publicis impeditus, univerſam ſuisque numeris abſolutam Angliæ hiſtoriam condere. Animadverterat quippe non ſine dolore, inter tot præſtantiſſimos, quos Anglia tulit viros, neminem fuiſſe, qui hocce erga patriam officio rite & eo, quo par erat ſtudio, aut functus ſit, aut fungi voluerit. Non deeſſe videbat, qui in partibus hujus hiſtoriæ ſingulari induſtria eſſent verſati; id enim *Thomæ Mori, Franciſci Baconis Verulamii, Herberti, Johannis Hayvvoodi, Guilielmi*

*elmi Camdeni* labores minime profecto contemnendos teſtari affatim. Aſt talem, qui ſparſa hinc inde membra collegiſſet, & in unum coire juſſiſſet corpus, fruſtra ſe quæſiviſſe ait. Quominus tamen deſtinata exequeretur, publica, quibus mox admotus fuit, effecere munera, per quæ illi non licuit multum temporis in hoc ſtudiorum genere collocare. Interim ne plane patriæ defuiſſe videretur, ſaltem aliis munire viam, perq; ea, quæ ardua maxime & ſalebroſa, quin plane impervia videri poterant, ire voluit. Hinc expoſitis variis inſulæ hujus nominibus, de incolis ejus, ſtatuque antiquiſſimo copioſe & eleganter diſſerit. Varias quoque mutationes, quas Britannia ad Normannorum imperium usque ſubiit, morum quoque legumque, utpote quæ itidem viciſſitudinum non fuere expertes, cumprimis habita ratione, accurate enarrat. Nos ſpeciminis cauſa quædam delibabimus, ut ex his genius Auctoris, velut ex unguibus leo, cognoſcatur. Britones a colore cæruleo, quo tum corpora tum clypeos ſuos pinxerunt, dictos eſſe, communi fere conſenſione traditur. Nec refragatur Noſter. Quin exemplis demonſtraturus, quo pacto Romani more ſuo ex voce Brith Britanniam formaverint, inter alia vocem *al mor*, hoc eſt, *ad mare* affert, unde itidem Romanis Almorica enata fuerit. p. 2. ſeqq. Linguam moresque & religionem veterum Britonum plane cum Gallorum religione, lingua & inſtitutis conveniſſe autumat. Quin & eandem inter utrosque fuiſſe imperandi rationem. Multis enim paruiſſe quidem Principibus, aſt bello ingruente, uni rerum ſummam detuliſſe. Druidas quoque non minus apud Britones quam Gallos ſacrorum geſſiſſe curam, legesque & jura dediſſe, & ſapientiæ omnis doctrinæque utrobique fuiſſe antiſtites. p. 9. ſeqq. Cumprimis iſtud ut ſingulare Auctor obſervat, quod integræ quandoque familiæ communes inter ſe uxores ſuas habuerint. Quod licet pro barbaræ impietatis ac ferocitatis argumento vulgo venditetur, ſe tamen non videre ait, cur magis hoc in Britannis veteribus reprehenſionem mereatur, quam aliarum nonnullarum gentium, quæ aut communionem uxorum itidem probarint, aut novas ſponſas a ſacerdotibus deflorari voluerint, aut polygamiam ac inceſtum permiſerint, inſtituta. p. 14 Excuſari autem hunc morem in gentilibus Britannis vel hoc nomine utcunque poſſe, quod hac ratione adulteriis clandeſtinis, zelotypiæ, luxuriæ aliisque vitiis obviam iverint.

De Pictorum origine ita cenſet. Victis a Cæſare Britonibus, ferociores jugique impatientiores in ſeptentrionalem Britanniæ partem & loca inacceſſa ſeſe recepiſſe. Cum libertate itaque mores paternos, interque eos conſuetudinem corpora pingendi, unde a Ro-
p. 21. manis *Picti* appellitati ſint, retinuiſſe; cum ceteri contra, quibus nomen Britonum hæſit, Romanorum genio ſe attemperarent. Falli ergo eos concludit, qui Pictos ex neſcio qua peregrina gente, quæ in Caledonia rerum ſuarum ſedem fixerit, derivant. Sed Scotorum originem a Scythis deducere nullus dubitat. Hoſce namque ex patria egreſſos Norvegiam totumque tractum ſeptentrionalem Europæ occupaſſe,& tandem in Scotiam penetraſſe, & ſub aliis ſubinde nomini-
p. 22. bus, præſertim Getarum & Gothorum, victricia arma longe lateque circumtuliſſe autumat. Qui in Scotiam venerunt, a terris, quas occupaverant, diverſas appellationes ſortitos. Nonnullos a fluvio Jerne vocatos fuiſſe *Iren-Scots*, indeq; tandem vocem *Irenland* & *Irland*, qua tamen tum certus Scotiæ tractus denotatus fuerit, a Saxonibus formatam; ceteros autem *Albins-Scots*, itemq; ſine adjecto alio nomine Scotos dictos fuiſſe. Atq; hæc ita ſe habere, tum aliis argumentis, tum ex ipſo nomine *Scotus* præcipue probat, quod vocem *Scytha* haud obſcure referat. Accedere ait, quod in nonnullis locis Scythicorum morum haud obſcura veſtigia deprehendantur. Hos autem, poſtquam magnam inſulæ partem ſubjugaſſent, cum Pictis, qui Caledoniam inhabitarint, ſe miſcuiſſe, & tum Romanis tum Britonibus multum faceſſiviſſe negotii. Hiberniam ab hiſce Scotis, qui a Jerne fluvio nomen habebant, primitus inhabitatam, indeque denominatam, mox a Danis occupatam eſſe. Hinc Hibernorum originem utcunque patere ait, licet non diffiteatur, Hibernorum res, per neſcio quam virorum do-
p. 31. ctorum ſocordiam, plus quam Cimmeriis tenebris adhuc involutas eſſe. Romanorum rebus in Britannia geſtis delibatis potius, quam prolixe enarratis, Saxonum in Britanniam adventum expoſiturus, gentis hujus originem altius repetit. Gothicam ſcilicet gentem, quæ & Scotos dederit, ex ſeptentrione egreſſam, per omnem ſeſe diffudiſſe
p. 44. Germaniam aſſerit, ſimulque in varias gentes velut diverſos ramos abiiſſe. Suevos ex his maxime celebres fuiſſe, quorum pars a libertatis amore Francorum retulerit nomen. Qui vero intra Albim Rhenumque conſederint, a gladii genere falcis formam exhibente Saxo-

nes

nes dictos eſſe. Hoſce in ſubſidium vocatos a Britannis, eo eventu,
qui neminem fugit. Bella autem inter Saxones Britonesque geſta me-
morans Noſter, Arthuri iſtius injicit mentionem, multorum ſermoni-
bus celebrati: nec tamen diſſimulat, pleraque quæ de eo narrantur,
commentis eſſe annumeranda, utpote a Romanenſium fabulatum p. 51.
conditoribus ficta, & ex illorum lacunis hauſta. Ceterum Saxones ſæpi-
us ſuæ gentis novas colonias in Britanniam accerſiviſſe, quos inter &
Angli fuerint, Scaniæ Jutiæque quondam incolæ, qui tam frequentes in
Britanniam commigrarint, ut novum quoque Angliæ nomen huic re-
gioni dederint. Sunt qui aſſerunt, haud paucos Britonum, Saxoni- p. 55.
cum imperium non ferentes, in Galliam ſe recepiſſe, Britanniæque
minori, in qua ſedem collocaverant, dediſſe nomen. Aſt horum ſen-
tentia neutiquam Noſtro ſe probat. Exiſtimat enim, hanc provinciam
Britonibus illis, qui Romanos ruenti Imperio ſuppetias laturos ſecuti in p. 56. 57.
Galliam fuerint, & deinceps in patriam a Pictis Scotisque oppreſſam re-
verti noluerint, inhabitatam fuiſſe, iisque nomen debere.

Cum Danis per ducentos fere annos colluctatos fuiſſe Saxones
rerum in Britannia potitos, porro memorat. Aſt tantum abeſſe mo-
net, ut leges moresque, aut lingua & religio, ullam hinc ſubierint mu-
tationem, ut potius integra cuncta & intemerata manſerint; cum ta-
men Saxonum dominatus in legibus moribusque longe aliam faciem
Britanniæ dediſſet, religione etiam hujus mutationis non experte. Chri- p. 65. ad 79.
ſtianorum nempe ſacris imbutos jam fuiſſe Britones, cum Saxones in
auxilium vocarent. Hos contra ſuperſtitionem avitam non exuiſſe,
niſi dominatione ſua per Britanniam totam ſtabilita. Tum enim per
Auguſtinum quendam, a Romano Præſule miſſum, tandem ut Chriſto
nomen darent, adductos fuiſſe. Alios inde ritus Saxones in ſacris ha-
buiſſe, alios Britones patriorum, quos ab Apoſtolis accepiſſe ferun-
tur, adeo tenaces, ut vitam ponere maluerint, quam vel latum ab iis
diſcedere unguem.

Ultimam mutationem Britanniæ regno attulere Normanni.
Hanc dum exequitur Auctor, vitam moresque Guilielmi, quem Con-
queſtorem vocant, non minori ingenio, quam induſtria deſcribit.
Quæ de cauſis, quas Guilielmus, ut Angliæ regno potiretur, obtentui
ſumſit, deque ejus cum Haraldo contentionibus; de feliciſſimo ar- p. 84.
morum, quibus Britanniæ regnum ſibi aſſeruit, ſucceſſu; de ſapien-
tiſſima

tiſſima regni adminiſtratione; de cauſis item quare procerum animi a Guilielmo abalienati ſint, & hinc ſecutis motibus, non tam cito ortis quam feliciter conſopitis; de Edgaro Eduardi Confeſſoris nepote, ope Malcolmi Scotiæ Regis fruſtra avitum imperium repetente, & hinc ſecuto bello proſpere itidem a Guilielmo finito, & quæ id genus alia ſunt, exponit, ejusmodi quidem ſunt, ut nemo temere hiſtoriarum adeo rudis ſit, qui hæc ignoret. Nihiloſecius haud raro ea inſpergit, quæ nemini facile obſervata eſſe videri poterunt. Cumprimis quæ de legibus & judiciis Angliæ, cum a Saxonibus, tum a Guilielmo introductis, deque Parlamenti origine diſſerit, multum bonæ frugis habent, ſed a nobis prolixe referri nequeunt. Unicum adhuc prætermiſiſſe nefas fuerit. Pulchram nimirum circa finem inſtituit diſceptationem de incommodis, quæ ex Normannorum imperio ſenſit Anglia, deq; nonnullis aliis quæ in iſta rerum Anglicanarum commutatione nullam mutationem ſunt paſſa. Nimirum ad incommoda primo refert, quod
p. 302. Anglia virorum fortiſſimorum fecerit jacturam, qui aut cum Haraldo in prælio ceciderint, aut Normannici imperii tædio in Scotiam, Hiberniam, Daniamq; commigrarint. Interiiſſe præterea innuit, idque haud leve cenſet, ſtirpem Regum Saxonicorum, quorum in adminiſtranda republica tanta juſtitia, tanta integritas, & erga Deum pietas fuerit, ut nunquam, quamdiu imperarunt, frenum momorderit, aut jugum quaſſaverit populus. Nec ultimum malorum fuiſſe, quod vivendi ratio ad ſimplicitatem probitatemq; compoſita, per commercia cum Normannis plane perierit. Sub Saxonicis Regibus ut ſummam libertatem, ita morum incorruptam fuiſſe integritatem, frugalitatemq; juſtitiæ matrem; quemq; ſuis contentum fuiſſe, & intra naturæ rationisque fines ſuas coërcuiſſe cupiditates. Aſt ſub Normannis cum libertate frugalitatem, cum frugalitate quicquid ſupererat virtutis Anglos perdidiſſe. Id vero a miraculo prope abeſſe tandem addit, quod linguam veterem retinuerint Angli, poſthabita Normannica, utut omnem moveret lapidem Guilielmus, hæc ut reciperetur. Id quod rurſus ſecus acciderit, cum Saxones Angliæ imperitarunt, quorum lingua adeo invaluerit, ut veteris Britannicæ nec vola nec veſtigium compareret. Cum lingua nomen quoque retinuiſſe; cum contra poſt Saxonum imperium non amplius Britones, ſed Angli dicti ſint. Tandem & imperandi modum, leges & inſtituta manſiſſe, qualia ante Nor-

te Normannorum imperium fuerant; id quod eo magis mirandum Auctor cenſet, quo pauciores, quæ in hoc capite ſimilia expertæ ſint fata, reſpublicæ dantur, & quo majori ſtudio animique contentione, ut Normannicis legibus in Anglia viveretur, Guilielmus anniſus fuerit.

## *HISTORIA DE EPISCOPIS ET DECANIS LONDINENSIBUS, nec non de Epiſcopis & Decanis Aſſavenſibus, a prima ſedis utriusq; fundatione ad A. 1540. Autore* HENRICO WHARTON, *A. M.*

Londini impenſis Rich. Chiſwell, 1695. in 8. Alph. 1. plag. 4.

Alia quædam clariſſimi Autoris ſcripta, nempe Appendicem ad Guilielmi Cave Hiſtoriam literariam, Notas & auctarium ad Jac. Uſſerii Hiſtoriam dogmaticam controverſiæ de ſcripturis & ſacris vernaculis, & Angliam Sacram duobus tomis comprehenſam, alibi a nobis recenſita meminimus. Idem omnium, quæ ſunt in Anglia, eccleſiarum cathedralium hiſtoriam moliebatur; verum, quod non modo Anglis, ad quorum antiquitates eruendas natus & factus videbatur, ſed omnibus bonas literas amantibus dolendum eſt, immatura morte præventus, quam trigeſimo ætatis anno ſubiit, ſpecimen tantum magni illius, quod animo conceperat, operis, ſeu brevem, quam nunc memoramus Epiſcoporum, & Decanorum Londinenſium & Aſſavenſium Hiſtoriam, qui a prima ſedis utriusque fundatione ad annum usque 1540 dignitatibus illis conſpicui fuerunt, reliquit.

Prima hujus Hiſtoriæ pars Epiſcopos, qui intra illud tempus Londinenſi Eccleſiæ præfuerunt, exponit. Agmen illorum ducit Reſtitutus, qui A. C. 314 Arelatenſi concilio interfuit. Ultimus isque numero 75. eſt Edmundus Bonner, quem in hiſtoria reformationis Anglicanæ cum Johanne Edmundo collegii Petrenſis præfecto confundi obſervat. Sequitur Hiſtoria Decanorum ædis Paulinæ Londinenſis, quorum catalogum falſum & ſæpe mutilum a Godwino contextum, alium autem melioris notæ ex archivis eccleſiæ Paulinæ a Dugdalio in Monaſtico Anglicano vulgatum notat. Hanc Epiſcoporum & Decanorum Londinenſium hiſtoriam excipit Collectio epiſtolarum, decretorum, aliorumque inſtrumentorum ad hiſtoriam ſedis Londinenſis ſpectantium: quemadmodum & in altera hujus vo-

luminis parte, Hiſtoriæ Epiſcoporum Aſſavenſium & Decanorum eccleſiæ cathedralis Aſſavenſis, collectio quædam inſtrumentorum ad hiſtoriam ſedis Aſſavenſis pertinentium ſubjecta deprehenditur.

## *CHRISTOPHORI CELLARII HISTORIA NOVA, HOC EST, XVI & XVII Seculorum.*

Halæ Magdeburgicæ, ſumtu Jo. Bielkii Bibliop. Jen. 1696. 12. Conſtat plagulis 17.

Diu multumq; deſideratum à quamplurimis fuit præſens hoc opuſculum, quod nuper demum publicam in lucem prodiit. Quum enim *Hiſtoriam Antiquam* anno jam 1685, & *Medii Ævi Hiſtoriam* anno 1688 celeberrimus illius Auctor, in illuſtri Univerſitate Fridericiana Halæ Magdeburgicæ hiſtoriarum hoc tempore & eloquentiæ Profeſſor edidiſſet; fieri non potuit, quin optarent omnes, ad quorum manus Antiqua illa ac Media Hiſtoria pervenerant, ut *Nova* quoque & ad hæc usque tempora producta Hiſtoria pari ab eodem induſtria componeretur. Reſpondit tandem, poſtquam interim lucubrationibus aliis de republica literaria bene meritus eſſet, publicis votis doctiſſimus Vir, & ſuperioris noſtrique ſeculi, adeoque recentiſſimam Hiſtoriam volumine non magno comprehenſam evulgavit. Eandem in ea (niſi quod Tabulæ Synopticæ nullæ hic comparent, quarum adjumento Lectorem non indigere judicavit) rationem, quam in Antiqua Mediaque Hiſtoria, ſervaſſe Auctorem, quisque deprehendet. Unde quæ de ea omnique illius inſtituto in Actis hiſce A. 1685. pag. 357, & iterum A. 1688. pag. 272. dicta jam fuere, hoc loco repetere ſuperſedemus. Agnoſcent omnes *Cellarii* in enarrandis, quæ geſta ſunt, fidem; agnoſcent immenſam rerum varietatem in compendium, & perſpicuum quidem, cogendi artificium; & ſtyli agnoſcent eam puritatem ac elegantiam, quæ omnino Auguſteum ævum redolet. Ut diligens adeo frequensque & attenta libelli perlectio, ſtudioſæ cumprimis juventuti, commendanda merito ſit, ſive imbui cupiat notitia maximarum rerum, quæ duorum illorum ſeculorum ſpatio contigerunt, ſive Latini ſermonis nitori ac munditiei aſſueſcere deſideret.

*GEOR-*

## *GEORGII SCHUBARTI DE FATIS JURISPRUDENTIÆ Romanæ Exercitationes Academicæ.*

Jenæ, apud Andr. Frid. Bottiger 1696. in 8. plag. 41.

Quemadmodum Populi Romani ſi quis totam ætatem percenſeat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quaſi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut poſtea velut conſenuerit, diverſos gradus proceſſusque, cenſente Floro, invenit: ita Romanæ etiam Jurisprudentiæ varias ætates, ſi quis eam bene expendet, deprehendere licebit. Has literis prodere conſtituit in hoc libro, ſcientiæ hujus artisq; omnis, quæ ad Jus ſpectat, tum & omnis politioris doctrinæ callentiſſimus harum Exercitationum Auctor; inque ſingulis ætatibus, ſive dicere malis epochis, quid vel acceſſerit ei, vel pro temporum ac legislatorum ratione mutatum abrogatumque fuerit, commemorat. Ab Urbe incipit condita, & ſic a Jurisprudentia regia, quam ingenioſe nimis ac varie tractant plures: dum non tam genium illius ætatis obſervant, & quid fuerit neceſſarium, quam captum ſecuti proprium ea ſæpius tradunt, quæ & a ſtatu regio, & ab omni hiſtoria juris abhorrent. Viam ingreditur aliam Noſter, ac ſub Regibus, qui a principio habuerunt Urbem, legibusque & inſtitutis præclaris formarunt, primo loco oſtendit contextum publicum, ac regimen cum Senatu & Populo communicatum per Magiſtratus: mox probat, non omnia fuiſſe adminiſtrata *manu regia*, ſive poteſtate illimitata, ſed leges quoq; ſub Regibus vim ſuam habuiſſe. Ex his, per exempla veluti, patriam declarat poteſtatem, itemque dominicam, jura conjugalia, & ſimilia ad perſonas referenda: hinc procedit ad jura rerum, ubi de tigno juncto, de ſpatio parietis, & ambitu, in nova urbe ornanda & augenda, de finibus agrorum & hortorum, deque pactis & contractibus breviter agit. Iſtis vero ſic pertractatis, quærit de ſingulari fato Jurisprudentiæ regiæ, quomodo nimirum illa ſit conſervata, & propagata ad poſteros, an mera ſermonis & loquelæ traditione, an ſcriptura & beneficio literarum? Pauca ſequuntur inde, ſed ex fontibus, de jure Papiriano, & albo Anci Martii, de antiquorum Romanorum lingua & cultu. Regibus ejectis alia rerum facies apparebat undique; quare Exercitatione *altera* Jurisprudentiæ Romanæ fata deſcribuntur

in ſtatu libero. Quemadmodum vero in prima fuit explicata imprimis regia poteſtas legislatoria: ita in hac ſtatim demonſtratur ab initio, penes quos fuerit poteſtas legem condendi. Quando enim nonnulli ex priſcis juxta & hodiernis docent, poſt regifugium nullas plane leges in Urbe fuiſſe, id rationi non tantum, ſed & ſocietati civili ejusque contextui repugnare oſtenditur. Hiſtoria Tabularum cognita ſatis eſt, & obvia paſſim: quæ tamen hic occurrunt, ex altioribus repetuntur. Sic non ſufficit doctiſſimo Auctori, in origine Tabularum nominaſſe ſolum civitates Græciæ, ex quibus legati Romanorum jura collegerunt; ſed harum pariter leges refert ad primordia, & meliora gentium vicinarum inſtituta, per Ægyptum & Syriam. Pythagoræ diſcipulos, & legislatores & optimos legum interpretes fuiſſe conſtat: unde autem in jure tantam hauſerint ſcientiam, cum doctore inclyto, Philoſopho Italico, ex veteribus probat. Ne tamen legum dignitati ac pretio noceant, quæ Sex. Cæcilius & Favorinus apud Gellium diſceptant initio Libri XX, ea contemplatur propius & ad incudem revocat. Hinc progreditur ad fori diſputationem, ad neceſſariam legis interpretationem & applicationem in cauſſis quotidianis: ubi contra Ulr. Zaſium adſerit mediam Jurisprudentiam. In hac fatorum ſerie non omittit exempla legum, quas in libertate addiderunt Romani, earumque potiores illuſtrat, cum variis legis ferendæ ac promulgandæ rationibus. Quoniam vero ſacri ac profani homines in jure condendo partes ſuas habuerunt, ideo quid Pontifices, quid Conſules, ac Prætores contulerint, in compendio deſignat. Jus civile, in ſpecie ita dictum, ex quo fonte derivari debeat, per idoneos teſtes confirmat: qua occaſione de jure formularum diſſerit, quas ad uſum communem ſcriba Flavius protulit. Dum ita excreverunt in Urbe jura, porro commonſtrat, quo fato tranſierint ad gentes extra illam; ubi de jure coloniarum, municipiorum, & bellorum, quibus devictæ civitates in formam provinciæ redigebantur.

Exercitatione *tertia* ſtudia Principum explicantur adverſus Jurisprudentiam Romanam. Quia autem cum ſtatu mutato alia invaluit ratio poteſtatis legislatoriæ, propterea tanquam fundamentum conſiderat illam, & fata hinc præcipua deducit. Nemo non intelligit, quantum hac in parte Lex Regia præſtiterit: quare hæc poſt tot alios, qui hiſtoriam juris conſecrarunt literis, atque contra imperitos præclare

clare adſeruerunt, non ſolum in exiſtentia ſua, quemadmodum vulgo loquuntur, per certa argumenta demonſtratur; verum & per ſingula capita explicatur. Cumque ſemper fuerint, qui legis hujus vim non ex propoſito Senatus Populique Rom. ſed ex arbitratu ſuo propoſuerint, hiſce ſimiliter ut ſatisfiat, opera datur. In libertate nihil magis laudatur in foro, quam Prætoris edictum. Sicuti autem de hoc, in antecedenti Exercitatione, loco competenti egit; ita ſub Imperatoribus primis uſum Edicti perpetui declarat, itemque quid Auguſtus permiſerit Juriſconſultis, quoties in caſibus oblatis de jure deberent reſpondere. Diſputationem fori, cum paucæ adhuc & ſimplices eſſent leges, tanta ſecum incommoda non tuliſſe, quanta ſub Principatu cumularint ſectæ prudentum, affirmat: nec in aula eas diſplicuiſſe ait, ut nempe ex odiis contendentium paterent ſtudia civium.

Atque iſta ſunt potiora doctarum harum Exercitationum momenta, quibus adſperſæ ſunt ſubinde inſignes plane & alibi haud obviæ obſervationes, ad hiſtoriam veterem Juris pertinentes; ut ſunt ea quæ tradit de manu regia, qua ſub initium civitatis Romanæ omnia gubernata ſcribit Pomponius pag. 18. de patronis cauſarum, & patronatus ac clientelæ officio p. 29. de ſocietate conjugali & patria p. 39. de trina liberorum venditione in emancipationibus facta p. 51. de ambitu parietis atque hortis agriſque finiundis p. 65. de lege Terentia ſeu Terentilla p. 147. de legibus XII Tabb. quas a Græciæ civitatibus petiverunt Romani, earumque origine & ſanctione p. 135. de Hermodoro, ſive auctore ſive interprete iſtarum p. 200. (quo loco Cæcilii cum Favorino apud Gellium ſuper iſtis legibus diſceptatio excutitur p. 230.) de interpretatione juris, & ratione leges accommodandi factis p. 264. de Jurisprudentia media, inter leges XII Tabb. & Imperatorum Conſtitutiones interjacente p. 281. de legis actionibus p. 296. de antiquo proceſſus juris more p. 322. de præfecturis Romanorum, & his qui ſub ditione Populi Rom. erant p. 344. de coloniarum, municipiorum, & populorum fundorum apud Romanos jure p. 347. 356. de legibus eorum ſumtuariis, Orcina, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Aemilia, Antia, Metilia p. 366. de legibus adverſus fœnebre malum latis, Sextia Licinia, Duilia Mænia, Genucia, Valeria, Maria p. 387. de prætoriis edictis p. 396. de criminationibus jurisprudentiæ p. 420 de tempore definito, quo Auguſtus

legitimum Principatum adeptus ſit, omnisque poteſtas a Senatu & Plebe tranſierit in Principem p. 464. quod in conſulatum ipſius ſeptimum A. V. C. 727. reponitur p. 466. de lege regia, & impugnantibus ejus veritatem ac aſſerentibus, originemque ejus varie ſcrutantibus p. 483. 486. 491. 493. progreſſu item ejus & capitibus p. 533. de adoptionibus Imperatorum Rom. p. 561. de legibus Julii Cæſaris p. 578. 585. 592. 595. Auguſti p. 598. Tiberii p. 603. Claudii p. 606. Neronis p. 609. Vitellii p. 612. Veſpaſiani p. 615. Titi p. 616. Trajani p. 618. Adriani p. 626. de edicto perpetuo, quod Salvius Julianus juſſu Adriani collegit p. 627. qui male confunditur cum pronepote ſuo Didio Juliano Auguſto p. 630. Tertiam Exercitationem ubi claudit doctiſſimus Auctor p. 645. plura hujusmodi ſe daturum eſſe larga manu promittit: & accepimus, confectas ab ipſo maxima ex parte tres adhuc eſſe Exercitationes, quarum prima ad Jus in ſyſtema redactum ſub Imperatoribus pertineat; altera Jurisprudentiam Romanam ſub Barbaris conſideret; tertia ejus fata poſt reſtitutam ipſam replicet. Quibus egregiis ingenii ac doctrinæ monumentis, e quibus multa hactenus non ſatis expenſa cognoſcemus, ut colophonem ipſe imponat, vovemus, a Deo vitam viresque apprecati.

## *POMPONII MELÆ LIBRI TRES DE SITU ORBIS, NUMmis antiquis & notis illuſtrati ab JACOBO GRONOVIO. JULII HONORII ORATORIS EXCERPTA COSMOGRAPHIÆ, ab eodem nunc primum ex MS. edita. COSMOGRAPHIA FALSO ÆTHICUM AUCTOREM PRÆFERENS, cum variis lectionibus e MS. RAVENNAS GEOGRAPHUS E MS. LUGDUNENSI ſuppletus,*

Lugduni Batavorum apud Jord. Luchtmans, 1696. in 8. Alph. 1. pl. 6.

POmponium Melam, principem Latinorum Geographum, Jacobus Gronovius, Vir clariſſimus, A. 1685 ſuppreſſo nomine ſuo ediderat, a nobis Octobri menſe ejusdem anni p. 445. ſeq. recenſitum; ad quem Notis adjectis id cumprimis egiſſe videbatur, ut Iſaacum Voſſium, Virum itidem clariſſimum, qui eundem Melam A. 1658. Obſervationibus illuſtraverat, præſertim in iis, ubi in Salmaſium ille, ſummo in-

mo ingenio Virum, invectus erat, liberius caſtigaret. Quod quum ad Voſſium, in Britannis agentem, allatum eſſet, inſequuto anno 1686. Londini *Appendicem Obſervationum ad Melam* vulgavit, a nobis menſe Aprili A. 1687. p. 220. ſeq. enarratam, qua priores ſuas Obſervationes a Gronovii reprehenſione acerbius vindicavit. Satisfactum per vicem videbatur, & compoſitum, quod inter hos geſtum erat, ſaltem alterius exceſſu interſtinctum bellum literarium. Quum vero nuper Gronovius editionem novam pararet, etiam Appendicem illam vel pari vel majore acerbitate diſcuſſit. Nec enim verſus tantum aliquos, aut pauca verba Notis ſuis, ſed ſæpe longiores periodos inſeruit, & plane novas animadverſiones adjecit, ut adeo plura ducentis additamenta numerentur. Eſt quoque, ubi præteriit nova editione, quæ in veteri forſan diſplicuerant, v. gr. quæ de parentheſi, *ſicut diximus*, in Strymonis amnis deſcriptione lib. II. cap. II. adnotaverat. Præfatione ſubſidia exponit, quibus utraque editione uſus fuit: MStum nempe codicem, quem Marquardus Gudius, Vir celeberrimus, attulerat, originem & fundamentum editionis ſuperioris, cui Vaticani collatio cum excuſo Salmanticano, a Philippo Rulæo inſtituta, ex dono illius acceſſerat; atq; his prior editio innixa fuit. Alteram Mediolanenſis codex, a doctiſſimo Fratre excerptus auxit, ut ita emendatiſſimum auctorem, membranis optimis conſentientem habeamus, quem nunc clariſſimus Editor nummorum figuris in plurimis locis ornavit; unde non decus modo, ſed præſidium etiam huic libro, ejusq; emendationi accedit, quod uno exemplo, brevitatis cauſa, probaſſe nobis ſufficiat. Lib. I. cap. XIV. Mela *Dianam Pergæam* laudavit, quæ Voſſio *Pergaſæa* videbatur, quia Stephano de Urbibus eſſet Ἄρτεμις Περγασία. Sed Gronovius ex antiquo nummo, cui Αρτεμιδος Περγαιας nomen inciſum eſt, vulgatam lectionem confirmavit. Sed hæc de ipſo Pomponio Mela; cui priori editione adjectum erat *Julii Honorii Excerptum Coſmographiæ* e MSo erutum; & *Coſmographia* alia, quæ *Æthici* nomen adhuc falſo, ut ait Editor, præ ſe tulit. Nunc eisdem repetitis ſuperadditus anonymus *Ravennas* eſt, quinque libris univerſam Geographiam complexus, quos anno 1688 Placidius Porcheron Lutetiæ Pariſiorum publici juris primum e MSto fecit, nunc autem ex Lugdunenſibus membranis ſupplevit nobiliſſimus Gronovius. Luculenta ſupplementorum exempla in præfatione exſtant. Hunc Ravenna-

vennatem, ſubobſcurum & ſemibarbarum ſcriptorem, qui circiter ſeculum VII Chriſtianorum vixit, non brevibus adnotamentis elucidaverat Porcheron, prætermiſſis a Gronovio, quaſi, ut præfatione dicit, *nihil niſi Peutingerianæ Tabulæ, & Itinerariorum, quæ ſub Antonini nomine exſtent, item Ptolemæi collationem referant, hoc eſt, genus ſcribendi, quod a quolibet ex indice præſtari perfacile queat.* Nec vero ingratæ adnotationes eruditis fuere, quæ ſi non aliud adferant, moleſtiam tamen perſcrutandi demunt, præſertim quum nec Tabulæ illius, nec Itinerariorum indices ſuppetant, qui tam facilem inveniendi laborem præſtent. Nec ipſe Gronovius indicem Geographicis hiſce opuſculis, præter eum qui in Melam ab omnibus editus fuit, & breviorem in Notas ſuas ad Melam, adjecit, neglecto etiam neceſſario & copioſiſſimo, quem Porcheron in Ravennatem Geographum confecerat. Quod ſi ex Ravennate quoq; eſt ſpecimen oſtendendum, quod utilitatem illius, quam lectori præbet, breviter commendet; vel ſolum urbis nomen, ad Moſæ Sabisque confluentes ſitæ, & præſenti bello nobilioris factæ, id præſtare poteſt. Quæ enim *Namur* vulgo, aut *Namurcum* ab eruditis appellatur, ab Ravennate *Namon* dicitur lib. IV. cap. XXVI. quod procul dubio antiquum & genuinum urbis nomen fuit, cenſente etiam Gronovio in ſæpe dicta præfatione.

## *FERDINANDI CHRISTOPHORI HARPPRECTI CONSILIOrum Tubingenſium Volumen II.*

Tubingæ apud Joh. Georg. Cottam, 1696. fol.
Alph. 3. plag. 14.

EXhibuimus menſe Aprili pag. 183 hujus anni volumen I. Conſiliorum Tubingenſium a conſultiſſimo Autore collectorum, ſimulque meminimus promiſſi de ſimili ſingulis ſemeſtribus edendo ab illo facti. Hujus itaque memor alterum 17 Conſilia continentem nunc nobis ſiſtit, & cum ex prioris tomi recenſione de inſtituto ac methodo hujus laboris ſatis conſtet, nihil jam dicendum reſtat, quam ut ex ipſis deciſionibus, uti alias fuimus ſoliti, ſpeciminis loco pauca excerpamus. Conſil. XVII. de teſtamento pagani in hoſtico agit, & privilegium pagani in hoſtico teſtandi ad omnes, qui ibi degunt, adeoq; & ad militum uxores extendi; ad validitatem vero, ut in hoſtico decedant,

cedant, requiri decidit. Conſil. XVIII. inter alia prolixe adſtruit, pacta dotalia, licet ſucceſſionis & hæreditatis ibi fiat mentio, in vim contractus inter vivos valere, ſi de hoc paciſcentium inter vivos contrahendi animo aliunde conſtet; ſicut & Conſil. XIX. & XX. varia de pactis dotalibus notabilia tractantur. Conſil. XXI. pacta dotalia ob dolum malum illis cauſam dantem, vel doloſam reticentiam non eſſe ipſo jure nulla. Si uxor cum marito communem negotiationem exerceat, dimidiam exinde acquiſitorum partem ad ipſam tanquam ſociam ſpectare. Conſil. XXIII. æquitatem ſeu extenſionem Legis Rhodiæ de jactu, in caſu quo Abbas Catholicus, per redemptionem hoſtilis flammæ a Magiſtratu Civitatis Evangelicæ atque Imperialis magna pecuniæ ſumma obtentam, ſuum in illa frumentum, vinum, ædes aliaque ab interitu ſervavit, locum obtinere.

p. 330.
p. 413.
p. 418.
p. 456

*THESAURUS BRANDENBURGICUS SELECTUS: SIVE GEMmarum & numiſmatum Græcorum in cimeliarchio Electorali Brandenburgico elegantiorum ſeries, commentario illuſtrata a LAURENTIO BEGERO Ser. Electoris Brandenburgici Conſiliario ab Antiquitatibus & Bibliotheca.*

Coloniæ Marchicæ, typis & impenſis Electoralibus 1696. in fol.
Conſtat plag. 147. & 372. impreſſis iconiſmis.

UT priſcis temporibus Regum ac Principum maxima argenti conflandi & nummorum cudendorum fuit cura; ita hodie eosdem ab interitu vindicandi, & monetam ab Imperatoribus, Regibus & Civitatibus percuſſam veterem colligendi & aſſervandi, ut memoriæ priſcarum rerum lumen accendatur, Principes & Reges ſummos ſollicitudo haud exigua tenet. Celebrata eſt per univerſum orbem hac etiam ex parte inſtructiſſima Regis Galliæ gaza, & Italiæ Principum veteri hac ſupellectile abundant cimeliarchia; ſed Germaniæ etiam potentiſſimorum quorundam Ducum in id incumbit cura & ſtudium, ut inter reliqua fortunæ indulgentiſſimæ præſentia bona, veterum monumentorum & nummorum theſauros congerant. A qua ratione, & ab iſta colligendarum aſſervandarumque vetuſtatis reliquiarum cura, neutiquam alienum eſſe omnibus præclaris artium ac doctrinarum ſubſidiis fovendis propenſum animum Potentiſſimi Brandenburgici Electoris FRIDERICI III, egregium illud ac illuſtre, quod in Regia ipſius

Berolinenſi conſpicitur, documento eſt gazophylacium. Quot priſca in eo marmora, ſtatuæ, ſigna? ſed & quanta in antiqua iſta ſupellectile diſponenda induſtria? imo quam liberalis gazæ hujus cuſtodia? Quippe quæ non in nummariis arculis ac thecis, quibus aptiſſime eſt diſtincta, ad ſplendorem antiquariæ iſtius penus, jacet recondita; ſed ad uſum & elegantiam ſtudiorum, cuivis eam ſectanti patens eſt & expoſita. Utque tanto magis pateat omnibus, iis etiam qui auguſtam Regiam hanc Electoralem non accedunt, deliciis tamen iſtis capiuntur, doctiſſimi cuſtodis gazæ iſtius *Laurentii Begeri*, in nummaria & omni antiquaria re verſatiſſimi, induſtria nunc proſpectum eſt. Is enim velut ante hos decem annos Electoris Palatini gazophylacium erudito orbi expoſuit, & latentes in eo gemmas nummosque veteres cælo ſignatos exhibuit, ac erudita commentatione iconiſmis adjecta colluſtravit; ita nunc Brandenburgicum Electorale cimeliarchium eadem ſolertia, imo majori nitore ut effulgeret, oculis eorum quos elegantiæ hæ delectant, expoſuit. Nimirum poſtquam in jura Potentisſimi Electoris Brandenburgici, poſt obitum Sereniſſimi Electoris Palatini CAROLI, d. 16. Maji A. 1685. ſine prole defuncti, theſaurus iſte Palatinus tranſiiſſet, & ampliſſima acceſſione iſta Brandenburgicæ copiæ inſigniter locupletatæ eſſent; nihil intermiſit Potentiſſimus Elector conquirere, quod ad augendum theſaurum iſtum facere poſſit. Quotidie igitur eundem ſignis nummisve comparatis locupletat Electoralis in priſcas hujusmodi reliquias liberalitas, quicquid rarioris elegantiæ in hoc genere offertur coëmens: ſtudium hoc accendente & cimelia talia ſubinde e propria penu ſuggerente Illuſtriſſimo Viro, aulæ iſtius Mæcenate, *Eberhardo Danckelmanno*. Cujus auctoritas & exemplum alios etiam ſtimulat, ut ſi quæ pretioſa antiquitatis monumenta ſuppetunt, eadem in Electoralem hunc acervum lubenter apportent. Quo loco haud reticendum eſt ampliſſimi Viri, Conſiliarii & in ſupremo Electoralis Pomeraniæ Dicaſterio Aſſeſſoris meritiſſimi *Joh. Gebhardi Rabneri*, multiplicis doctrinæ laudibus præſtantis, erga hanc gazam ſtudium: quo adductus, & ſimul pietate erga potentiſſimum Herum impulſus, eximiam veterum cimeliorum copiam feliciter conquiſitam ei intulit, & XLIV gemmas, quæ in Opere hoc fol. 16. 21. 23. 30. 31. 32. 34. 46. 51. 59. 61. 73. 74. 76. 82. 83. 84. 85. 90. 94. 97. 99. 100. 105. 107. 108. 109. 110. 112. 113. 115. 117. 119. 121.

222.

112.124.127.136.140. 143.146.147.150. ſunt exhibitæ, mira artificii elegantia præſtabiles, in iſtam congeſſit. Ectypas eas videre quibus licuit, in cera & gypſo expreſſas, admirati fuerunt mirificas cælaturas & ſcalpturas, ad quarum elegantiam hodierni artifices haud pertingunt. Sequantur inſigne hujus Viri exemplum, quorum induſtriæ reſpondet fortuna, nec defodiant cimelia hæc obſcuris thecis, ſed hunc imitati illuſtri potius ea in loco reponant, unde in publicum luculentius manare poteſt eorum cognitio. Quod ſane his in Electorali gaza repoſitis accidit: quippe quæ hactenus parce delibata, quædam etiam nondum in publico conſpecta, jam doctiſſimus Begerus non ſolum artificioſo opere exſculpta, verum etiam fuſa commentatione illuſtrata exhibuit. Ut autem hæc lectu redderetur tanto amœnior, in dialogi modum (quem etiam antehac veterum nummorum rationem exponens tenuerat Ant. Auguſtinus) eandem contexuit, diſſerentem *Archæophilum*, ſeu antiquitatis cultorem, cum *Dulodoro* gazæ Electoralis cuſtode introducens, & conjecturas ſuper nummis his gemmisque diſcurſui iſtorum amborum intexens, unde & perſpici poſſit, quid ipſe Auctor exiſtimet, & unde aliis doctis amplius cogitandi occaſio ſuppeditetur. Totum opus tribus ſectionibus diſtinxit, quarum *prima* gemmas & annulos, *altera* nummos, *tertia* ſtatuas, imagines, ſigna, ſigilla, & aliam veterem ſupellectilem exhibet. Quumque magna omnium horum cimeliorum ſit copia, quam unicum volumen vix capiat; duo iisdem complere conſtituit, eorum prius jam evulgans. In quo figuras cælo artificioſe expreſſas non oſtentat nudas, verum eruditis commentationibus, quarum nonnullæ juſtarum Diſſertationum modum implent, eas illuſtrat, & diverſas de quavis gemma aut nummo quolibet ſententias profert, Archæologum cum Dulodoro ſuper iſtis diſquirentem faciens. Amplum nimis eſt opus, recenſione tamen haud paulo fuſiore dignum; cujus ratio ne inſtituti noſtri modum ſupergrediatur, juvabit e ſectione prima, quæ gemmas mira arte vel ἐγγλύφȣς ſeu inſculptas & inciſas imagines rerum, vel ἀναγλύϕȣς ſeu cælatas & prominentes vel protuberantes, nec non annulos quosdam ſpectandos offert, documenti loco cimelia quædam ex tam ingenti theſauro depromta oculis Lectorum hic ſubjicere: delibanda autem e ſecunda Sectione in alius menſis penſum rejicere.

TAB. VII. *Gemmas* in duas claſſes diſpeſcit Auctor, quarum una certas & indubiæ fidei notas vetuſtatis præ ſe ferentes, altera ambiguam ætatem prodentes continet. In priori ea emicat, quæ primo

Fig. I. loco collocata eſt p. 6. Cererem κυεστεφον referens, quam prolixe explicat Auctor, & quid infantes cum cornubus copiæ in pectore deſignent, cur papaveris capita crinibus Cereris implicita ſint, quid cordis ſpecie collo dependeat, an bulla, an μηνίσκος, aliudve

Fig. II. κάθημα, exponit. Hercules amori ſuccumbens p. 34. oſtenditur, jam antea in Theſauro Palatino p. 40. monſtratus: unde agnoſcere licet, cuncta ſubeſſe Amori, cui ne fortiſſimus quidem reſiſtere potuerit Hercules, quem Omphales amore captum fuiſſe vulgo notum eſt, & e numiſmate Mæoniorum ſect. II. fol. 500. allato patet: ut de fortiſſima amoris vi appoſite omnino Oppiani verſus e Lib. II.

Fig. III. Cyneget. allatos intelligamus. Judicium Paridis in ſardonyche raræ magnitudinis eleganter expreſſum, quod viſuros nos eſſe clariſſimus Morellius in Specim. p. 124. promiſerat, bona fide p. 43. monſtrat Begerus, fabulamque explicat; & Deas non nudas ſed veſtitas, rupibus inſidentes, Paridi nullas adpoſitas oves, habitu etiam paſtoritio eum deſtitutum, & in Minervæ clypeo non caput Meduſæ, ſed

Fig. IV. caprinam pellem conſpici annotat, & rationes reddit. Aliis imaginem Victoriæ deſtitutam, quæ alata ferme ſemper conſpicitur alibi, p. 51. oſtenſam, e Pauſania aſſerit; nec Minervam repræſentari, aut hanc cum Victoria eandem eſſe, quod Gyraldus cenſuiſſe videtur,

Fig. V. docet. Æſculapium, Apollinis filium, Soli & Lunæ ſacrificantem in gemma p. 70. ſiſti, iterum e Pauſania oſtendit, clariusque e Pro-

Fig. VI. cli verbis demonſtrat. Neptunum in gemma p. 71. delineata, biga alatorum equorum vectum e Platone in Critia confirmat, Tom. III.

Fig. VII. ed. Serrani fol. 113. ſeq. E Plutarcho Theſeum, ſuis Crommyoniæ interfectorem, in gemma quæ p. 90. conſpicitur, contemplandum proponi indicat, & clavam non minus Theſeo quam Herculi conſuetum veluti geſtamen adponi, lapidumque (non pomorum) acervum, ad pedes ejusdem qui cernitur, in Mercurii honorem congeſtum, viæ & itineris notam eſſe, aut cum devictæ & proſtratæ ſuis capite, quod tanquam tropæum oſtentat coacervatis lapidibus, pulcher-

Fig. VIII. rimæ victoriæ memoriam conſecrari tradit. Palladium qui geſtans p. 94. conſpicitur, haud abſurde Diomedem cenſeri, qui juxta Virgilium

TAB. VII.
ad A. 1696.
pag. 436.

Fig. 10.



Fig. 6.



Fig. 13



Fig. 11.



Fig. 9.



Fig. 8.



Fig. 7.



Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 2






Fig. 12.



Fig. 3.



Fig. 1.

Digitized by Google

gilium fatale hoc ſacrato avulſit templo, ex Photio & Servio aſſerit, Julii Cæſaris apotheoſin in jaſpide, quam iconiſmus p. 117. refert, denotari, ubi macie notabilis ſenex globo cœleſti inſidet, dextra temonem, ſiniſtra lauream, ipſe laureatus geſtans, obſervat: nec alienum ab ambitione Cæſaris eſſe, cœli gubernaculis admoveri, e Juliano probat, ubi Silenus Jovem admonere fingitur, ſibi ut caveat, nec regnum eripi a Julio patiatur. Vigilantiam tamen etiam ejus ſignificari potuiſſe affirmat, qua ad immortale faſtigium aſcenderit, dignus omnino poſt mortem, qui ad gubernandam univerſi machinam Jovi ſufficeretur. Vulpem a gallo vectam, quam hæmatites p. 135. expreſſus deſignat, prudentiam & induſtriam bellicam æque ac civilem, quarum neutra iſtis adjumentis deſtitui poteſt, denotare monet, quod nullius rei felix ſit progreſſus, quam non induſtria promoveat, prudentia dirigente. Ex *annulis*, quorum inſignes aliquot capita Galbæ, Serapidis, Panis, Trajani, Criſpinæ, Mercurii, Socratis & alia repræſentantes Auctor profert, iſtum ſolum ſpeciminis loco conſpiciendum dabimus, qui jaſpidi inciſam Deam Hygeiam ſeu Valetudinem oſtentat p. 159. Hæc an eadem ſit quæ Salus, an Æſculapii filiarum una, quas quatuor enumerat Plinius, & an Panacea, vel Jaſo, vel Aceſo hic repræſentetur, disquirit. In præſtantiſſimarum gemmarum numero eas etiam habere non detrectat, quæ haud adeo indubiæ ſunt antiquitatis, quas nec novas prorſus nec antiquas eſſe, pro certo affirmari poteſt. E quarum numero duas proferemus viſu perquam jucundas. Una Veneris triumphalem oſtentat pompam p. 170. in qua ipſa nuda leonibus vecta telum manu geſtat curru ſublimis: Cupidines adſunt, quorum aliquis leonum bigas agitat, alius cum ſerto in aere volitat, iſtud capiti materno impoſiturus: Hymenæus cum cithara præcedit: Concordia & Gratia faces gerentes currui adſtant vel eundem comitantur, quem Pan cum fiſtula diſparibus ſeptem compacta cicutis ſequitur, & ordines claudit. Singula hæc qua ratione Veneri conveniant, prolixe docetur; pulchræque aliæ gemmæ, Πάνδημον ab hirco tractam Venerem p. 176, & Επιποντίαν ſeu marinam delphine vectam, Tritonibus adnatantibus, p. 178 repræſentantes ſubjiciuntur. In altera duæ fœminæ conſpiciuntur p. 194. quarum ea quæ humi jacet, Auram Lelantis & Peribœæ filiam; quæ autem nubibus ſubnixa in aere recumbit, Venerem

Fig. IX.

Fig. X.

Fig. XI.

Fig. XII.

Fig. XIII.

dormienti Auræ amoris latices inſpirantem referre Auctori videtur. Reliquas gemmas, plerorumque Deorum & Dearum, aut maximorum Regum & Imperatorum formas referentes enumerare nil attinet, ſed paucæ eæ quas produximus, de iis, quas luſtrandas in ipſo opere Lectori relinquimus, indicium facere earumque præſtantiam oſtendere poterunt. Quam non minorem in *Numiſmatibus* reperiri, quorum copia Electorale cimeliarchium abundat, ſectio operis hujus Begeriani ſecunda pulcherrime nos docet; quam alio tempore, quædam ex ea depromentes & conſpectui exponentes, delibabimus.

## *ARISTOPHANIS COMOEDIÆ DUÆ, PLUTUS ET NUBES, cum Scholiis Græcis antiquis.*

Londini apud R. Clavel, 1695. in 8. Alph. 1. plag. 10.

IN uſum ſtudioſæ Græcarum literarum juventutis duæ hæ, ex undecim ſuperſtitibus, Ariſtophanis Comœdiæ ſunt editæ, eo quidem ſtudio & accuratione, ut optandum merito ſit, ab eodem viro docto, cui has debemus, reliquis etiam excolendis parique forma edendis manum admoveri. Textum utique quam emendatiſſimum dedit: verſionem Latinam adjecit plane novam, quod Friſchlinum, dum in verſione ſua ſenarios affectaret, mentem Poëtæ non ſatis ubique expreſſiſſe deprehendiſſet: ſcholia vetera, quæ ſemper apud doctos magno in pretio fuerunt, textui ſubjecit, Odoardi Biſeti Carlæi tamen ſcholiis Græcis recentioribus, nec non Caroli Gerardi in Plutum notis, quæ in Caldoriana ſeu Genevenſi editione anni 1607 exhibentur, quod nihil magni momenti ſapere judicaret, omiſſis: pauculas vero notas ſub finem attexuit ipſe, & duplicem denique indicem, alterum auctorum in ſcholiis citatorum, rerum alterum & verborum adjecit.

## *ÆSCHINIS CONTRA CTESIPHONTEM ET DEMOSTHENIS de Corona Orationes. Interpretationem Latinam & vocum difficiliorum explicationem adjecerunt* P. FOULKES & J. FREIND, *Ædis Chriſti Alumni.*

Oxoniæ e Theatro, 1696. in 8. Alph. dimid. 2.

Nec

NEc aliud Duumvirorum horum fuit inſtitutum, quam ut juventuti Græcarum literarum cupidæ conſulerent. Duas itaque ſelegerunt Orationes, easque inter ſe contrarias, quas linguæ illius vim copiamque & Atticam inprimis elegantiam percipere deſiderantibus commendarent, Æſchinis alteram, qua Cteſiphontem, quod de Demoſthene aurea corona ornando violatis Reipublicæ legibus decreviſſet, in judicium adduxit, in Demoſthenem quoque ipſum vehementer acerbeque invectus; alteram Demoſthenis de Corona, qua & Cteſiphontis factum, & dignitatem ſuam ac in rempublicam merita graviter accurateque vindicavit. In quibus edendis id curæ habuerunt doctiſſimi viri, ut ſimul & Græci & Latini ſermonis genius indolesque attento Lectori pateret. Quem in finem novam Orationum illarum adornarunt verſionem, qua non verbum pro verbo reddiderunt, ſed ſententiis earumque formis retentis, verba atque numeros ad Latinam conſuetudinem maluerunt inflectere, ut Latine dixiſſe Oratores noſtri videri poſſent. Non pigebit conaminis illius dare ſpecimen, collatis primi cujusque orationis paragraphi verſionibus. Æſchinis nimirum initium ita reddiderat Hieronymus Wolfius: *Quanto conatu quantisque copiis ſe ad hoc judicium adverſarii pararint, & quibus in foro precibus ſint uſi quidam, ne ea fierent, quæ & æqua ſunt & uſitata in civitate, vidiſtis Athenienſes.* Noſtri idem ſic expreſſere: *Quanto apparatu, Athenienſes, quantisque copiis inſtruatur forum, quanta ſit certorum hominum in prehenſando ſedulitas, ne in civitate juſta & uſitata judiciorum ratio teneatur, nemo non videt.* Prima Demoſthenis verba ſic translata ſunt a Wolfio: *Primum Deos & Deas omnes precor, Athenienſes, ut quantam ego benevolentiam erga & Rempublicam & vos univerſos conſtanter habeo, tanta mihi a vobis in hoc judicio tribuatur.* Noſtri hunc in modum: *Imprimis quidem, o Athenienſes, Deos Deasque omnes obſecro, ut quanta ego benevolentia civitatem veſtram & vos univerſos usque proſequor, tanto vos ſtudio in hac contentione erga me utamini.* Orationibus ipſis index ſubjectus comparet, vocum difficiliorum, earum præſertim, quæ ad res Atticas pertinent, explicationem complexus: & ne quid ornamenti nitidæ editioni deſit, trium ſummorum Oratorum, Ciceronis, Æſchinis & Demoſthenis effigies æri inciſæ exhibentur.

## ΟΜΗΡΟΥ ΙΛΙΑΣ καὶ εἰς αὐτὴν ΣΧΟΛΙΑ ΨΕΥΘΕΠΙΓΡΑΦΑ ΔΙΔΥΜΟΥ.

i. e.

## *HOMERI ILIAS, ET IN EAM SCHOLIA, QUÆ PERPERAM Didymo tribui ſolent.*

Oxonii e Theatro, 1695. in 8. Alph. dimid. 5.

NOndum octo elapſi anni ſunt, ex quo Anglia Iliadem Homeri nobis dedit, Cantabrigiæ cum ſcholiis, quæ vulgo adſcribi Didymo ſolent, novaque verſione Latina, A. 1689. editam, & a nobis Sectione VI. Tomi II. Supplementorum pag. 263. ſqq. recenſitam. Præter expectationem ergo omnium fortaſſe, nova denuo & Iliados ipſius & ſcholiorum eorundem editio Oxonii ſuperiore anno prodiit; ſed in qua Græcus ſolummodo textus exhibetur, nulla adjecta verſione Latina. Hæc quo conſilio omiſſa fuerit, facile divinabunt, qui Anglorum in excolendo ac juventuti commendando Græcarum literarum ſtudio induſtriam, qua nationibus Europæ aliis omnibus palmam hoc tempore præripere videntur, non ignorant. Nimirum ea juvenes linguæ Græcæ peritia imbuere ſatagunt, ut Auctoribus Græcis quibuscunque, ſine verſionum Latinarum adminiculo, legendis intelligendisque idoneos reddant; certe Homerum ut capiant, ſcholia ipſa, nihil habentia difficultatis (unde & in Cantabrigienſi editione nulla eorum verſio Latina comparet) ſuffectura iis arbitrati.

## LIBRI NOVI.

*Principes de Phyſique, par Nicolas Hartſoeker. A Paris chez Jean Aniſſon, 1696. 4*

*Plaidoyers & autres Oeuvres de M. Gillet. A Paris chez Jean Boudot, 1696. 4.*

*Hiſtoire Evangelique confirmée par la Judaique & la Romaine; par le R. P. Dom Paul Pezron. A Paris chez Jean Boudot, 1696. 8.*

*Traité Hiſtorique des Dieux & des Demons du Paganiſme, avec quelques remarques critiques ſur le ſyſteme de Mr. Bekker. Par Benjamin Binet. A Delſt chez André Voorſtad, 1696. 12.*

* * *

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Octobris, Anno M DC XCVI.*


## *CATALOGUS LIBRORUM MANUSCRIPTORUM BIBLIOTHECÆ Cottonianæ, Scriptore THOMA SMITHO.*

Oxonii, e theatro Sheldoniano. A. 1696. in fol. Alph. 2. plag. 16. chart. regal.

Dum in eo jam eſt doctiſſimus Eduardus Bernardus, ut Manuſcriptorum, quæ in Bibliothecis tum Bodlejana, tum ſingulorum Collegiorum Academiæ Oxonienſis celeberrimæ cuſtodiuntur, Catalogum in lucem edat; ſingulari ſtudio Bibliothecam Cottonianam, manuſcriptorum optimæ notæ fidelem maxime aſſervatricem, delineare inſtituit Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter plurimum reverendus, Thomas Smithus. Cum enim Bibliothecæ modo laudatæ illuſtris poſſeſſor Jo. Cottonus, Baronettus, inaudiviſſet, paſſim tam in Anglia quam in Hibernia viros honoratiſſimos nobiliſſimosque ſymbolas ſuas Bernardo labori jam a nobis dicto inſudanti conferre, exemplo illorum incitatus ipſe in Avi, Patrisque & propriæ ſuæ familiæ honorem, bibliothecam ad ſe delatam carere amplius idoneo indice haud voluit. Neque tamen hunc in alieni operis appendicem conceſſit, ſed ab aliis ſejunctum catalogis edi curavit. Equidem non ipſe modo fundator, Robertus Cottonus, catalogum illius primum ſtruxit, aliumque poſtea Seldenus adornavit; verum uterque admodum brevis eſſe dicitur. Paulo majorem induſtriam adhibuit Richardus Jameſius, in ædes quondam Cottonianas lauto ſtipendio aſſignato exceptus. Multos autem & ille codices aut omnino intactos reliquit, aut levi ſaltim manu attigit. Inſuper ab illius exceſſu multi codices ex dono clariſſimorum

virorum, multi etiam ſumtibus Thomæ & Joannis, quorum ille filius, hic nepos Roberti Cottoni, acceſſerunt. Adeoque cauſas ſat prægnantes habuit Smithus, cur, ad incitationem maxime Joannis, quem modo nominavimus, laborem hunc quaſi primus exantlaret, ſplendidiſſimumque hunc Catalogum in lucem ederet.

Iſthoc autem munere Noſter ſic defunctus eſt, ut mox ſub ipſa operis auſpicia illius, a quo hujus Bibliothecæ fundamenta jacta ſunt, Roberti Cottoni, Equitis aurati & Baronetti, vitam plenius abs ſe deſcriptam exhiberet. Cognoſcas exin, natum eſſe eum ex antiqua valde nobilique proſapia in viculo Denton in Comitatu Huntingdonienſi, prope Coningtonam, A. 1570. die 22. Januarii, atque de vitæ ſtatione deceſſiſſe ſexto die Maji Anno 1631, poſtquam tres menſes pauculoſque dies ſupra ſexaginta annos complevifſet. Quæ autem alias de eo tradit Smithus, maximam partem conſignatos ab ipſo libros reſpiciunt. Cum enim amplo patrimonio beatus Cottonus nullis ſe magiſtratibus officiisve publicis addixiſſet, ſed nobile vitæ privatæ otium bonis literis ad patriæ & poſteritatis emolumentum conſecraſſet, non potuit non, præſertim a viris in maxima dignitate conſtitutis, quin ipſis quoque Regibus, impulſus ac rogatus varios de controverſiis negotiiſque graviſſimis tractatus ſingulari eruditione, quam ex inſtructiſſima hac ſua bibliotheca hauriebat, refertos concipere; quos in univerſum omnes ſic enarrat Biographus noſter, ut ad ſingulos fere ſubminiſtratam iis occaſionem latius deſcribat, eoque pacto non paucas nec leves Hiſtoriæ, imprimis Anglicanæ, particulas inſerat. Scripta autem ejus ſimul collecta Jacobus Howellus Londini A. 1652. edidit; inter quæ tamen duos occurrere tractatulos obſervat Noſter, de quibus juſta oriri poſſit dubitatio, an Cottonum auctorem habuerint, necne. In iſto enim opuſculo, in quo de methodo, quæ ſupprimendis cohibendiſque Romanenſium ſubditorum contra fidem & allegiantiam Regi debitam molitionibus, expeditior meliorque videretur, alterutrinque inſtituta ſit diſceptatio, auctorem notat bis rotundis verbis aſſerere, Italiam ſe petiiſſe, & Romæ moram aliquam feciſſe; cum tamen Cottonum pedem nunquam extra Angliam extuliſſe conſtet. Deinceps diſſertationem illam, quæ in poſthumis Cottonianis extet ſub nomine Argumenti, Eduardo potius Littletono, J.C. ex interiori Templo, poſtea Cuſtodi magni ſigilli

Angliæ

Angliæ adſcribendam venire reputat. Quemadmodum interim Cottonum Hiſtoriæ Anglicæ ſe totum addixiſſe refert Noſter, ita eum mature receptum ait in Societatem illam Antiquariorum, quam ſeculo ſuperiori exeunte Londini inierit induſtria & curioſitas quorundam ingenio præſtantium virorum, qui ſæpe, prout ratio negotiorum ſiverit, convenire ſueti, de patriis antiquitatibus inveſtigandis in commune conſuluerint. Hujus hiſtoriam quandam heic reperire & ex eadem licet perſpicere, quibus primum initiis cœperit hæc Societas, quibus deinde modis per annos aliquot continuata, tandemque præjudiciis quibusdam ac ſuſpicionibus adverſus Academias, Oxonienſem & Cantabrigienſem, onerata ſub Jacobo I. Rege finita fuerit, Sociis ſedulo caventibus, ne ſuis iſtis conſiliis, quantumvis innocentiſſimis, mali quidpiam contra rempublicam moliri viderentur. Novo Baronettorum ordini, ſub Jacobo I. A. 1611 conſtituto, conſiliis ſuis egregiam Cottonum operam navaſſe Auctor innuit, ac ipſum inter primos in iſtum cooptatum affirmat, eaque occaſione ſimul quandam Baronettorum deſcriptionem ſuppeditat, ac de cætero in enumerandis Cottoni amicis, inque memorandis eruditiſſimis ſcriptoribus, quos ille vel conſilio vel depromptis e ſua bibliotheca monumentis multum juverit, & quam benevolentiam ipſi haud diſſimularint, perquam prolixus eſt.

Expoſita ſic vita a Roberto Cottono tranſacta, ad ipſam ejus Bibliothecam pergit, illiusque Hiſtoriam quandam & ſynopſin ſtylo eleganti atque ubere conſignat. Videlicet non univerſalem bibliothecam condere Cottonum ſibi propoſuiſſe refert, ſed præcipuum ipſius ſtudium fuiſſe ait comparare libros atque inſtrumenta, quæ ad patriarum antiquitatum illuſtrationem quoquo modo conducere viderentur; non aliis tamen interim, qui ſeſe felici caſu obtuliſſent, quantivis pretii & ſummæ antiquitatis, licet longe diverſi argumenti, ſusque deque habitis. Sed unde & a quibus reliquias iſtas, ex horrenda domorum religioſarum ſtrage ſub Henrico VIII. fataliter inducta ſervatas comparaverit, illud ſtatuere incertum, aſt hoc viciſſim certiſſimum exiſtimat, magnam vim pecuniarum in iſtas merces impenſam fuiſſe, ut aliqui crediderint, licet falſo & male, illum non modicam partem patrimonii hac de cauſa vendidiſſe. Ut vero quis aliqualem bibliothecæ hujus celeberrimæ ideam in animo formare,

& cujus generis ac argumenti libros illic reponi curaverit Cottonus, comprehendere valeat, idcirco ſex eorum claſſes præcipuas conſtituit, ac unamquamque poſtea uberius declarat & commendat. Primo nempe celebrat codices lingua Anglo-Saxonica ſcriptos, quorum quidem catalogum extare dicit in appendice Grammaticæ Anglo-Saxonicæ & Mœſo-Gothicæ Georgii Hickeſii, ſed illum mutilum vocat & e vitioſo apographo depromptum, quem longe accuratiorem is daturus fuiſſet, niſi eo tempore, quo huic contexendo diligentem operam navaturus Londinum ſe contulerat, Cottonus ruri habitaſſet. Inter hoſce codices vero maxime memorandum ducit illum Evangeliorum, interlineata verſione Saxonica illuſtratum, de quo, licet eum Joannes Seldenus & Thomas Mareſchallus fuſe jam tum delinearint, Noſter tamen denuo agere, & quædam ex induſtria ſuperaddere haud abnuit. Huic aſſociat Pſalterium quoddam Davidis antiquiſſimum, & librum Geneſeos cæterasque Hiſtorias ſacras de geſtis Moſis & Joſuæ, excerptas partim ex libris Moſaicis & libro Joſuæ, partim ex Joſepho, cum brevibus ſcholiis & annotationibus Latinis Saxonicisque. Ejus auctorem a quibusdam perhiberi notat Cædmonem Whitbeienſem, ſed ipſe magis adſtipulatur Uſſerio, qui Ælfricum Abbatem Malmesburienſem, & poſtea Archi-Epiſcopum, dubium an Cantuarienſem an Eboracenſem, ſubſtituat. Reliquos codices Anglo-Saxonicos noſſe cupientem remittit ad ipſum Catalogum, locoque ſecundo in Bibliotheca hac conſiderari cupit chartularia monaſteriorum, quæ itidem ſummo ſtudio conquiſiverit Cottonus, & in quibus breviuſculæ de fundatoribus & benefactoribus cœnobii cujusque narrationes, & Calendaria illorum dies emortuales ſignantia non raro compareant, ſed & potiſſimum omnis generis chartæ, bullæ Pontificum, diplomata & epiſtolæ Regum, Magnatum, Epiſcoporum, aliorumque, & quicquid ad prædia, reditus, privilegia, jura, eccleſiarum ſive advocationes ſive appropriationes, lites forenſes, ſacri cultus exercitia, diſciplinæ regulas, rerumque adminiſtrationem ſpectent, multaque alia congeneris argumenti deſcribantur. Porro Vitas & Paſſiones Sanctorum Martyrumque a Cottono ſolerter conquiſitas memorat; ac dehinc in claſſe quarta provocat ad tabulas genealogicas & momumenta ad ſcientiam Heraldicam apprime facientia, quorum ingentem copiam Catalogus ſubjunctus ſiſtat. In

quinta

quinta laudat ejus ſtudium in colligendis Hiſtoriis, Annalibus & Chronicis, ad cultum tam eccleſiaſticæ gentium Britannicarum quam civilis hiſtoriæ facientibus; ac denique ad claſſem ſextam delatus innuit, quam laudabili inſtituto Acta regni authentica coacervarit, literas nempe originales Imperatorum, Regum & Principum, in Angliam de rebus maximi momenti variis temporibus miſſas, uti & Regum Angliæ, Reginarum, Magnatum, aliorumque familiares epiſtolas & teſtamenta, fœdera pacis & commercii, pacta conventa, contractus matrimoniales, poſtulationes Legatorum, univerſumque rerum politicarum, quæ inter Principes ſolenni ritu tractari ſolent, apparatum. Ea omnia, ut inveſtigantibus facilius ſub aſpectum venirent, ſub diſtinctis iſtarum gentium, ad quas pertinent, titulis juxta ſeriem annorum accurato ordine digeſta fuiſſe teſtatur. Sed ſupereſſe dicit libros manuſcriptos adhuc alios varii & miſcellanei argumenti, inter quos primum locum ſibi vendicent codices, qui quasdam ſacrarum Scripturarum partes, præſertim Evangelia & Pſalteria, quæ olim ad aliquos e Regibus tum Anglo-Saxonibus tum Anglis pertinuerint, complectantur; quo in loco multa quoque diſſerit de libro Geneſeos Græco, ſine accentibus, literis uncialibus ſimul coaleſcentibus inque eadem linea junctim continuatis, ante annos, ut videatur, mille quadringentos exarato. Deinde nominat tractatus, commentarios, homilias, ejusque generis ſcripta alia ſanctorum Latinæ Eccleſiæ Patrum, & tum ſenioris tum ſequioris ævi Doctorum; collectiones Canonum; monumenta de Conciliis Nicæno primo, CPtano ſexto, Turonenſi, Lateranenſi, Conſtantienſi, Baſileenſi, aliisque. Authenticum unionis inter Eccleſiam Græcam & Latinam Florentiæ A. 1439. initæ decretum in Bibliotheca hac ſervari, invictis argumentis liquere autumat. Nec Philoſophis arcanorum naturæ indagatoribus, Philologisque deeſſe ait, quo ſua ſtudia fovere poſſint. Habere enim ipſos Vitruvium, Vegetium, Solinum, Prudentium, aliosque claſſicos ſcriptores: multa eos reperturos de India, Ægypto, Palæſtina, aliisque Orientis regionibus; de Mohammede illiusque dogmatibus, inſtitutionibus ac ritibus ſuperſtitioſis; de Longobardis, Scanis aliisque Septentrionis populis; de templis, theatris, columnis, portis, arcubus, & ſimilibus Romæ veteris antiquitatibus, &c. Non deſiderari quoque fabulas amatorias, & prophetias de incertis rerum futuris ſeculis gerendarum

eventibus, & alia ejusmodi, quæ hoc loco a nobis recenſeri prolixum nimis foret.

Poſt hanc generalem Hiſtoriam, in Catalogum ipſum Lectorem intromittit Auctor, ubi modo adhuc antea elogia & teſtimonia clariſſimorum doctiſſimorumque Virorum de Cottonis, Roberto patre, Thoma filio, & Joanne nepote, deque Bibliotheca Cottoniana recenſuit. Ita vero in Catalogo conficiendo ſeſe geſſit, ut ſolos librorum titulos apposuiſſe haud contentus, argumentum inſuper ipſum ſubinde plenius retulerit, aliaque de codicibus notatu digna paſſim adjecerit. Fruſtra autem ſibi quis pollicebitur ſpecialem omnium chartarum, diplomatum, epiſtolarum aliorumque inſtrumentorum enumerationem. Viderat enim Auctor earum clariſſimus, vel nudos titulos in ſpiſſum volumen evaſuros, iſtudque opus eſſe vix unius hominis, ſaltem non niſi multorum annorum curriculo perficiendum. Hinc in duobus ſolum codicibus ſpecimina laboris iſtiusmodi ob oculos poſuit, in reliquis autem indicandis nonniſi generalem notitiam inſinuare voluit. De reſiduis, quæ in pyxidibus ſerventur, veteris ævi monumentis, deque variis antiquorum characterum figuris, ſigillis, numiſmatibus, iconibus, ac alio ſupellectilis antiquariæ apparatu ſe dicturum pollicetur, ſi quando aliquot Analectorum tomos, afflicta valetudine ætateque ingraveſcente non impeditus dederit. Interea duplicem Catalogo indicem ſubjecit, quorum alter auctorum in hac Bibliotheca reperiundorum nomina ſiſtit, alter præcipuarum rerum, de quibus in codicibus his manuſcriptis pluribus agatur, ſyllabum complectitur.

## *ANTONII VAN DALE, POLIATRI HARLEMENSIS, DISſertationes de origine & progreſſu idololatriæ & ſuperſtitionum: de vera ac falſa prophetia: uti & de divinationibus idololatricis Judæorum.*

Amſtelodami, apud Henr. & viduam Theodori Boom, 1696. in 4. Conſtat Alphab. 4. plagulis 12.

SUperſtitionem ex animis hominum magis magisque eradicaturus clariſſimus Autor, fontes ac ſcaturigines ſuperſtitionum in prima Diſſertatione aperit, ac cap. I. fundamenti quaſi loco ponit, ſolum Deum

um facere miracula, eundemque proprii ſui honoris ſeverum eſſe vindicem, neque ulli concedere creaturæ, ut is ſibi præripiatur; adeoque nec Ethnicorum Deos aliquid præter vel ſupernaturale perpetrare, aut aliquid poſſe, quo vel juvent, vel noceant, vel futuri aliquid prædicant, vel hiſce ſimile quid perficiant. Cap. II. docet, R. Maimonidem, in Tract. de Idololatria, cultus idololatrici ortum ad Enoſi tempora referre, ejusdemque ſententiam Scripturæ S. verbis, quæ Gen. IV, 26. leguntur, corroborari poſſe. Eorum enim ſenſum eſſe tradit: tunc profanatum eſt circa invocationem nominis divini; non, ut alii volunt: tunc cœptum eſt invocari nomen Dei; cum nullo modo ſit veriſimile, tum demum homines pios primum invocaſſe nomen Dei, cum & Abel & Cain jamdudum ſacrificia ex primitiis ſuis obtuliſſent Deo, ac multo magis veriſimile ſit, tum ſenſim homines, præſertim ex Caino prognatos, in idololatriam prolapſos fuiſſe, iisdemque poſtmodum filios Dei acceſſiſſe, & a cultu uni ac ſoli Numini debito declinaſſe: hanc Maimonidis de idololatria opinionem plerisq; Hebræorum (ſui temporis ſaltim) ab Hieronymo haud temere tribui, eandemq; a R.D. Kimchi foveri: objectum primum cultus idololatrici fuiſſe exercitum cœli, atque eam idololatriæ ſpeciem in Scriptura V. T. Deuter. IV. 16. primum manifeſtari. Hinc de Baalim, Aſtheroth, Aſcheroth & Aſcherim erudite diſſerit. Cap. III. oſtendit, dæmonomaniam in Chaldæa ortam tranſiiſſe in Ægyptum ac Perſiam, ex Perſia in Aſiam minorem, ex hac denique in Græciam & Italiam, aliasque tam occidentales quam orientales mundi regiones. Cap. IV. probat, ex inſtitutionis publicæ defectu, ac codicum Legis penuria, Judæos in idololatriam ſubinde prolapſos. Qua occaſione ſingularem aliquam opinionem, quam tamen pro ſua modeſtia nemini obtrudere vult, in medium affert, cenſens, ab Eſra cæterisque Prophetis, ſimul cum populo ex captivitate reverſis, Pentateuchum tum ex ipſa lege Moſis, tum ex reliquis libris Propheticis in iſta memoratis, forſan & ex aliis tunc adhuc exſtantibus, divino inſtinctu adornatum, ac vel ſtatim vel tractu temporis in ſectiones hebdomales diviſum, ac populo ſingulis ſabbatis ita prælectum fuiſſe: poſtea iſtum Pentateuchum Legis nomine veniſſe, eo, quod tota lex a Deo Moſi tradita, præter alia huc maxime facientia, illo contineretur: hanc denominationem tunc maxime locum habuiſſe, quum jam Haphtaroth ſeu lectiones propheticæ adornatæ eſſent, ac publice quo-

que

que prælegerentur, ut ſic Lex ac Prophetæ ab invicem diſtinguerentur. Id autem tempore Antiochi Epiphanis accidiſſe, ex R. Eliæ Levitæ Thisbi probat, memorans, cum ab hoc peſſimo Rege legis lectio tam publica quam privata ſub capitis pœna prohiberetur, pios atque legi patriæ firmiter adhærentes inſtituiſſe, ut loco legis prælegerentur Prophetæ, quorum ſcripta ad ea usq; tempora a ſolis ſacerdotibus ac ſcribis conſervata fuerint atque lecta. Improbat inſuper ſententiam eorum, qui Scripturæ S. vel aliquam partem, ſcil. Pentateuchum, vel totam compagem ex Hebræo idiomate in Græcum, Ptolemæi Philadelphi auſpiciis, translatam eſſe ſtatuunt, atque ea de re in peculiari tractatu ſe acturum pollicetur. Præterea perhibet, ad Cuthæos cæterasque gentes regionum Samaritanarum, poſt devectas inde decem tribus Iſraelis, novos incolas, legem Hebræorum ſive Pentateuchum ante Chriſti nativitatem anno 332. demum perveniſſe. Monſtrat quoq;, Judæorum calamitatem, qua poſt devaſtationem tum regio Iſraelitica, tum urbs Hieroſolymitana, tum denique Templum Hieroſolymitanum, per totum triennium deſolata manſerunt, libros apocryphos pro canonicis Judæorum vulgo obtrudendi occaſionem ſuppeditaſſe. Et tandem notat, ſacerdotes ac ſcribas, ut ſibi ſemper autoritatem atq; imperium in plebem Judaicam pararent ac conſervarent, legem quandam oralem, ſeu non ſcriptam, a Deo Moſi in monte Sinai traditam, quæ legis ſcriptæ perpetua quaſi clavis eſſet, confinxiſſe, ſecundum illam Legem atque Prophetas expoſuiſſe, atque hac ratione conſtitutionibus, interpretationibus ac traditionibus ſuis Scripturam S. admodum corrupiſſe. Cap. V. loca ſacri codicis, Eſ. XIII, 22. XXXIV, 14. Levit. XVII. 7. Deut. XXXII, 17. Pſalm. CVI, 37. II. Paralip. XI, 15. examinat, eaque de Dæmonibus non agere, ſed ex Targumiſtarum, Talmudiſtarum ac Rabbinorum aliorum interpretamentis Diabolos in libros V. T. irrepſiſſe, ac per Sehirim hircos ſeu vitulos, per Schedim autem aſtrum Remphan cæterosque Deos a Cananæis cultos, intelligendos eſſe, modeſte judicat. Cap. VI. varia Judæorum de Diabolis ex Adamo, Eva, Naema genitis, ac ab ipſo Deo creatis commenta adducit, atque interpretes ſacrorum Bibliorum Græcos Dæmonia aliaque monſtra ſacris autoribus incognita verſione ſua imprudenter intruſiſſe, aliquot exemplis edocet; Angelos item Urielem ac Jeremuelem, quorum apud libri IV. Eſræ autorem cap. 4. fit mentio, ex fonte cabaliſtico, ac

pue-

prætenſo magico, originem traxiſſe, obſervat. Cap. VII. poſtquam monuiſſet, libri Maccabaici ſecundi Scriptorem frequenter ſatis Angelorum apparitiones fabulari, refert Flavium Joſephum, ubi occaſio datur loquendi de vero Chriſto noſtro, magis mutum eſſe quam piſcem; ubi vero occaſio naſcitur, ipſius dicta aut facta ad alias perſonas detorquendi, ſtudioſam in illa renavare operam: ipſum etiam ſæpius mala fide egiſſe, multis in medium adductis exemplis corroborare ſtudet. Cap. VIII. demonſtrat, in libro II. Maccabæorum, Sapientiæ item & Tobiæ libris præter alia figmenta etiam nugas de ſpectris atq; Dæmonibus reperiri. Cap. IX. obſervat, a Judæis varios Angelos bonos præter Scripturæ mentem eſſe confictos: ab iisdem doctrinam de Angelis tutelaribus ad Chriſtianos tranſiiſſe: ex Actor. VII. Angelum tutelarem neutiquam probari poſſe: cultum Angelorum inter Judæos ac multos primitivæ eccleſiæ Chriſtianos locum habuiſſe. Cap. X. epilogum primæ huic diſſertationi imponit, atque in compendio exhibet, quibus de cauſis, quibusque modis doctrina vulgaris de Dæmonibus ex Chaldaiſmo, Judaiſmo atque Ethniciſmo ad Chriſtianam religionem tranſitum fecerit, ſcilicet per 70. vulgo ſic dictorum Interpretum pravam verſionem; librorum apocryphorum de lemuribus, ſpectris, Angelis & Diabolis fabellas; hæreticorum facta ac ſcripta, per quæ ſectis ſuis autoritatem conciliare ſtuduerint, & in quibus pene nihil præter Angelos bonos ac malos creparint; ſcripta ſuppoſititia Hermæ, Dionyſii Areopagitæ, ſimiliaque, Angelorum Dæmonumque ordines ac revelationes perhibentia; Origenem atque Hieronymum, ſuperſtitionibus Judaicis non leviter tinctos; lexica Hebraica, in quibus cum multa vocabula ad mentem Chaldæorum ac Rabbinorum explicata inveniantur, eodemque ſenſu a nimium ſuperſtitioſis vel incautis interpretibus Scripturæ S. adhibita fuerint, ipſa præjudicia Chaldaica & Rabbinica in Scripturam S. irrepſerint; tandem per ſuperſtitionis Chaldaicæ præjudicia, non ſolum ex Judaiſmo, verum & ex Ethniciſmo in Chriſtianiſmum tranſplantata, ab hominibus inter Gentiles vel Judæos natis & educatis atque ſuperſtitioni vel ſuperſtitioſis ſectis tum Judæorum, tum Platonicorum & Pythagoreorum nimium addictis, ad Chriſtianorum religionem tranſeuntibus.

Diſſertatio II. duabus partibus abſolvitur, earumq; prior veram, poſterior autem falſam Prophetiam ſub V. ac N. T. exhibet. In priori

poſtquam Cap. I. de veræ Prophetiæ origine, mediis, ac Prophetarum functionibus egiſſet; Cap. II. diſtinctionem illam, multis iisq; doctiſſimis Theologis uſitatam, qua Prophetia dividitur in eam, quæ conſiſtit in divinis revelationibus, atque inſtinctu vel mandatis extraordinariis, ac modo plane ſupernaturali a Deo Prophetarum menti oblatis; & quæ occupatur tantum in pia ac attenta conſideratione verborum ſcriptorum vere ac proprie Propheticorum, adeoque & illorum publica interpretatione, aliove ejusmodi docendi modo; plane rejicit, ac Prophetas alicubi in Scriptura appellatos fuiſſe homines, qui ſolum Doctores, Paſtores aut Magiſtri, ſive publici ſive privati eſſent, ſe neque in V. neque in Novi Teſtamenti ſcripturis invenire potuiſſe teſtatur, eamque materiam ex profeſſo perſequitur, oſtendens Cap. III. ex I. Cor XIV. ſecundum hoc genus prophetiæ neutiquam adſtrui poſſe, ac multos, ſuo tamen judicio præpoſtere, ſibi imaginari, Apoſtolum Paulum in citato capite eccleſiis (Corinthiacæ ſaltim) ordinem quendam eccleſiaſticum, perpetuo obſervandum præſcripſiſſe; imo, quæ de Prophetis dixerit, illa omnibus ac ſingulis virilis ſexus fidelibus, qui aliquid ad religionem vel cultum divinum pertinens ſe publice proponere ac defendere poſſe præſumebant, applicaſſe, iisdemque adeo libertatem publice in eccleſia loquendi permiſiſſe, modo vitaretur confuſio. Quod autem Apoſtolus in citato capite certum aliquem publice docendi ordinem neque directe neque indirecte præſcripſerit, ex eo quoque ſe demonſtrare poſſe confidit, quod non neceſſe fuerit ejusmodi peculiarem ordinem inſtituere, cum primus Chriſtianiſmus ſolum Judaismus reformatus fuerit. Tandem notat, omnes primitivæ eccleſiæ ſcriptores unicam tantum veræ Prophetiæ ſpeciem, nullamque adeo præter eam, quæ in extraordinaria ac miraculoſa revelatione, ac mandato de ea ſive in publicum ſive ad privatos perferenda conſiſtebat, agnoviſſe. Cap. IV. in originem ſecundæ hujus ſpeciei Prophetiæ inquirit, eandem inde ortum traxiſſe autumans, quod, ſicuti ea quæ ordinaria erant in Judaiſmo, applicuerint perſonis, muneribus ac ritibus Chriſtianis; ſic & illa, quæ extraordinaria erant temporibus apoſtolicis, ſuorum temporum perſonis, muneribus ac ritibus accommodarint: & ut poſterioribus ævis Epiſcopos Apoſtolorum nomine ſalutarint, ac Chorepiſcopos 70. Diſcipulis compararint; ſic quoque Epiſcopos atque Presbyteros nuncuparint

parint Prophetas, quaſi ipſorum in eo munere ſucceſſores, cum tamen neque Apoſtoli, neque 70. Diſcipuli, neque Prophetæ ullos poſt ſe ſucceſſores, ut ſucceſſores, reliquerint. Obiter obſervat, Chorepiſcopos duplicis fuiſſe generis: alios, qui in parvulis oppidis majori cuidam civitati ſubjectis, in vicis ac pagis ſimilibusq; locis, Epiſcopi vicem gerebant, eo tamen modo, ut nil alicujus majoris momenti inconſulto agerent Epiſcopo ejus civitatis, cui ipſorum ſedes adeoque & eccleſiæ ſubjectæ erant; alios, qui in urbibus, etiam majoribus, iſtarum urbium quandoque Epiſcopos ordine ſequebantur, iisque adeo in epiſcopatu ſubſerviebant: tales autem & Chorepiſcopos fuiſſe, licet a nemine id ſatis obſervetur, ex Canone 8. Concilii Niceni clare pateſcere cenſet. In poſteriori hujus diſſertationis parte, ejusdemque Cap. I. monet, Pſeudoprophetarum falſas Prophetias nunquam Diabolis, ſed ipſorum falſorum Prophetarum malignitati in Scripturis adſcribi: Deum ſæpe homines per Pſeudoprophetas tentaſſe, an amantes ſui eſſent: ante captivitatem Babylonicam, non modo terram Iſraeliticam falſis Prophetis ſcatuiſſe, ſed & poſteris temporibus, maxime quidem paulo ante & poſt adventum veri Meſſiæ, Pſeudoprophetas ac Pſeudo-Meſſias ſurrexiſſe. Cap. II. Simonis Magi, Pſeudoprophetarum ſub N. T. anteſignani volatum per aëra eſſe confictum, ac ſcriptores antiquos in illius narratione admodum variare, luculenter docet. Cap III. digreſſionem aliquam inſtituit, atq; de tentationibus ſub N. T. a Deo per Pſeudoprophetas factis; item Canonis librorum N. T. ortu, progreſſu & perfectione; nec non de ſcriptis ſpuriis, quæ Apoſtolis, Evangeliſtis aliisq; Viris apoſtolicis attributa falſo fuerunt, diſcurſum movet. Cap. IV. in texenda Pſeudoprophetarum hiſtoria pergit, atque de Marco Mago, Menandro, Carpocrate, Montano, Priſcilla & Maximilla, Apollonio Thyanæo, Baſilacio agit, inter alia obiter obſervans, Deos aut Dæmones paredros quadruplicis fuiſſe generis: alios, qui Diis majorum gentium, ſeu magnorum Deorum concilio, ab hominibus adulatorie adjungebantur: alios, qui Diis iſtis, qui apud inferos obtinebant imperium, aſſociabantur, adeoque & primas obtinebant partes inter beatorum animas: alios, qui hominibus, uti famoſum illud Socratis dæmonium, ſemper aderant: alios tandem, qui ſeſe a magis ac ſagis ſinebant evocari ab inferno, illisque ut famuli aut ſervi, non tantum ignota & futura indicabant, verum &

aliis, ipſorum juſſu, mala & infortunia omnis generis inferebant. Præterea notat, Dæmones ſic immiſſos miſeris hominibus, ut inde illi fierent energumeni, Catabolicos fuiſſe dictos, quod homines ſæpius raptarent, ſubito dejicerent, ac ſolo affligerent. Cap. V. progreditur ad falſos gentilium Prophetas, notans, eorum vaticinia plerumque ac pene ſemper χρησμὸς ac λόγια i. e. oracula fuiſſe vocitata: vocem λόγια Act. VII. 38. Rom. III. 2. Hebr. V. 12. 1. Petr. IV. 11. non per verba aut ſermones, ſed oracula verti debere: ipſos impoſtores χρησμολόγους & χρησμῳδοὺς, quaſi oraculorum enarratores, &, ſi per civitates, vicos ac fora lucri captandi gratia circumvagarentur, ἀγύρτας vocitatos: hoc hominum genus ſeſe oggeſſiſſe, ubi aut factiones ac diviſiones in regnis aut rebuspubl. exortæ erant, aut externa bella jamjam inſtabant aut metuebantur, aut denique ubi novus alicujus Reipublicæ ſtatus novusque rerum ordo ſeſe aperire videbatur. Cap. VI. de Sibyllinis erudite diſſerit, atque inſtituta inter Rhetras ſeu leges a Lycurgo Lacedæmoniis præſcriptas cum Romanorum Sibyllinis comparatione, & librorum Sibyllinorum poſt incendia diverſa ac ruinas Capitolii e variis locis corraſione, genuinorum a falſis diſcretione, novorum canonizatione expoſita, docet, primorum ſeculorum Chriſtianis ſcriptoribus, ac præcipue quidem Græcis, quia e Sibyllarum commentis argumenta pro religione Chriſtiana adducebant, ab Ethnicis, quibus hæc melius cognita erant, Sibylliſtarum nomen per deridiculum impoſitum fuiſſe: primos Chriſtianos in deſignando Sibyllinorum ſimiliumque vaticiniorum autore primario admodum variare, aliis ſummi Numinis virtuti, aliis autem inſpirationi Dæmonis eadem adſcribentibus. Cap. VII explodit ſententiam Iſaaci Voſſii, perperam aſſerentis, ſcripta Sibyllina vere Canonica, & ut talia a Paulo Chriſtianis ſuis commendatos eſſe, quamvis a poſterioribus Judæis poſt ac propter adventum veri Meſſiæ ex Canone extruſa fuerint.

Diſſertationis III, quæ divinationes idololatricas in Scriptura V.T. memoratas exhibet, & multa ſcitu digna pariter atq; jucunda affert, ſumma tantum capita, ob brevitatis ſtudium, attingemus. Siſtit autem Cap. I. auguria, II. haruſpicinam, III. aſtrologiam judiciariam, præſtigia & ſomnia, IV. ſortes ac ſortilegos, V. incantationes, VI. exorciſmos & curioſas artes, litteras Epheſias, amuleta, VII. ordinem Exorciſtarum in eccle-

eccleſiam introductum, VIII. magos & veneficos, IX. Ovooth & Jideonim, & illos qui mortuos evocabant, aut aliter ipſos conſulebant, ex Deut. XVIII, X. necyomanteias vel necromanteias publicas ac privatas, II. XI. Teraphim. Quibus diſſertationibus ſubjunguntur aliquot elegantiſſimæ epiſtolæ celeberrimi Autoris ad clariſſimum Stephanum Morinum, cum ipſius eruditiſſimis reſponſoriis, in quibus diſquiritur, quando primum Pentateuchus Hebraicus ad Cuthæos ſive novos Samaritas pervenerit? an ſcilicet ante Eſræ ætatem, an vero diu poſt Eſram, ac Alexandri Magni tempore, illum per Manaſſen ad ipſos transfugam acceperint? Quorum prius Morinus, poſterius autem Van Dale propugnat. Nos ex univerſo Auctoris Opere delibare pauca voluimus, relicto Theologis ſingulorum accuratiore examine.

*JOH. CLERICI PHYSICA, ſive DE REBUS CORPOREIS LIBRI V.*

Amſtelodami apud Georg. Gallet, A. 1696. 12. plag. 22.

BRevem de rebus naturalibus doctrinæ Synopſin Cl. conſcripturus Auctor, procul recedere conatus eſt a ſcopulis, ad quos plurimi Phyſici impegerunt, dum de rerum proprietatibus fere ſecuri, omittunt experimenta quæ de iis ſumta ſunt, rebusque compertis ſuas miſcent conjecturas, easque non quaſi ſuſpiciones, ſed ut ex demonſtrationibus collecta conſectaria, proponunt. Ipſe enim pluribus paſſim corporum phænomena & proprietates tradit, quam conjecturas, quæ de earum cauſis a Phyſicis proponuntur, & anxie ubique quod conſtat, ab eo quod certum eſt, diſcriminat, & pro conjecturis acriter nusquam pugnat; quamvis eas, quæ maxime omnium ſibi arrideant, indicaverit, paratus abjicere, ſi meliora diſcat. Quam in rem non parum utilem cenſuit ordinem, quem ſecutus eſt. Neque enim principia poſuit ab initio, ſed analyſi potius uſus eſt, ut facile quamlibet operis ſui partem emendare poſſit, aut ditare aliorum inventis, incolumi ſuo ſyſtemate; quod nequeunt, qui ſyntheſin adhibent, ſine univerſorum ſuorum operum immutatione. Huic accedit, quod fruſtra ſyſtema ſyntheticum Geometrico more demonſtratum a Phyſicis expectari cenſet, quia ne natura quidem corporis in genere, quæ totius Phyſicæ fundamentum eſt, exponi poteſt, cum quæ tenuiſſimarum particularum, quibus corpora conſtant, ſit diſpoſitio & figura, ſola conjectura perſequamur, quoque nexu teneantur

antur inter ſe particularum illarum partes, plane ignoremus, fortaſſis etiam perpetuo fruſtra futuri in inveſtiganda penitus rerum natura. Neque enim ullo certo argumento oſtendi poſſe, ſenſum intellectumque noſtrum ejus eſſe capacitatis, ut omnia percipere atque intelligere poſſint, quæ ad corpoream pertinent naturam, modo facultatibus illis recte utamur; ſed graviſſimas contra eſſe rationes, quæ ſuadeant, ejusmodi facultate reipſa nos eſſe deſtitutos, cum diſpoſitionem ac figuram tenuiſſimarum particularum cernere, & quibus vinculis ſoliditas conſtet, ſcire indubitato nequeamus. Quod ſi quis forte reponat, quod ſenſus nequeunt, id rationem efficere, & ubi ſentire deſinimus, oportere nos ratione uti; id eo redire judicat, ac ſi quis cœco diceret, quoniam ſenſu eſt ad videndam lucem deſtitutus, oportere eum ratiocinari, ut intelligat, quid ſit lux, quosque edat effectus: poſſe enim & illum & nos indulgere conjecturis, ut propoſita ænigmata ſolvamus, ſed certo ad ultima principia nunquam devenire, adeoque pauca tantum ſcire generalia, quæ nitantur iis, quæ cernimus usque adeo, ut de iis dubitare non poſſimus; cætera omnia eſſe dubia. Id quoque non probat, quod quidam acutiſſimi viri dicere ſolent, modo inveniatur hypotheſis aliqua ſimplex & clara, cujus ope omnia phænomena exponantur, hac nos contentos eſſe oportere; quandoquidem, ut concedamus, ejusmodi hypotheſin poſſe inveniri, affirmari non poteſt, rem ita ſe habere, cum ejusdem effectus cauſæ poſſint eſſe diverſæ, nec omnes naturales cauſas in numerato habeamus; ſi autem merarum conjecturarum inſtar hæc in medium afferuntur, hoc ipſum eſt, ſyſtema ſyntheticum neque eſſe neque fieri poſſe, fateri. Unde efficitur, nihil aliud Phyſicam candide tractantibus ſupereſſe, niſi ut præcipua naturæ phænomena recenſcant, & analytica methodo in illorum cauſas inquirant, ſi forte palpando queant inveniri; ſin minus, quousque in unaquaque procedi poſſit ſine erroris periculo, oſtendant, limitesque indubitati veri vacillantiumque conjecturarum diligenter ac ſincere ſignent. Id quod doctiſſimus Auctor hoc in opuſculo, in quo potius rationem tradendæ hujus diſciplinæ oſtendere, quam eam, ut res poſceret, tractare ſuſcepit, ſtudioſe, quantum licuit, præſtitit. Poſt præfationem enim, in qua tum jam dicta exponuntur fuſius, tum etiam quæ ad uſum, dignitatem & diviſionem Phyſicæ pertinent, traduntur, *libro primo* univerſitatis rerum

rum ſummatim conſideratæ diſpoſitionem explicat, brevibus complectens ea, quæ de mundi ſyſtemate, planetis fixis & cometis ſcitu ſunt neceſſaria: in ſpecie diſpoſitionem & generationem cum vorticis noſtri, tum aliorum, ex Carteſii potiſſimum ſententia delineat, eamque pariter ac ſyſtema Copernicanum laudat. Quemadmodum vero hoc graviſſima difficultate cenſet laborare, quod explicare non poſſit, cur eædem partes planetarum ſemper easdem partes cœli reſpiciant, & planetarum tanta corpora in fluido rapta ſemper, nec imminuto nec aucto motu, æque a Sole diſſita ſint, & æquis temporum ſpatiis circa eum ferantur; præſertim ſi conſideremus, cometas altiſſime in vorticem noſtrum immergi, & ab eo rurſus emergere: ita non diſſimulat, quibus hypotheſis Carteſiana rationibus, iisque vix ſolvendis oppugnetur. Nempe, quod motus particularum materiæ, licet circularis, intelligi nequeat, ſi omnia cum Carteſio ſolida materia plena ſupponamus: quod, cum materia tertii elementi, fatente Carteſio, ad motum ſit ineptior, neceſſe ſit eam perpelli ad centrum vorticis a particulis primi & ſecundi elementi, ſecus ac ſupponit Carteſius: quod non explicet, qua ratione Terra novum circa ſe vorticem effecerit, eumque in orbem agat; vel ſi dicatur Terra a materia fluida circumagi, quomodo tamdiu eandem vim ſervet, nec ejus peculiaris motus a motu communi majoris vorticis particularum unquam turbetur, aut quare materia fluida magni vorticis, quæ eo in loco, in quo ſuſpenſa eſt Terra, intra annum circa Solem rapitur, vorticem illum minorem, cujus motus ei partim contrarius eſt, non abſorbeat, quemadmodum priſtinum Terræ vorticem hauſit; quodq; tandem, ſi Terræ vortex a majori vortice raperetur, ubi Terra eſſet in eo loco, quo particulæ majoris vorticis celerius fluunt, celerius etiam progrederetur; quod tamen Aſtronomicis obſervationibus contrarium. *Liber ſecundus* de Terra & Mari, *tertius* de Aëre & Meteoris, *quartus* de Plantis & Animalibus agit. In his vero Clariſſimo Auctori ſequentes, ut paucas e multis afferamus, probantur hypotheſes: ignem eſſe materiam tenuiſſimam, quæ e poris & interſtitiis aëris in unum locum majori copia cogatur, & alatur particulis variarum materiarum vehementiſſime commotis, quibus aër disjiciatur: metalla conſtare particulis oblongis & quadrangularibus, quamvis in ſingulis metallis ſit aliquid ſingulare: aquam regalem aurum, non alia metalla, ſolvere,

vere, quia miſtione tot ſalium ejus partes tenuiores factæ ſunt aptæque ad tenuiſſimos auri poros ſubeundos, tenuiſſimasque ipſius partes divellendas, inter quas cuneorum inſtar liquoris, in quo natant, motu aguntur; quando vero laxiores poros ſubeunt, nihil efficere, quemadmodum cuneorum ad res conjunctas ſeparandas nulla vis eſt, niſi agantur in anguſtiores fiſſuras: magnetis phænomena oriri a materia inconſpicua, quæ circa magnetem in orbem feratur, ejusq; particulas eſſe vel inſtar pennæ aut ſagittæ pennatæ, quæ adverſis pennarum fibris ægre foramen ſubit, quod facile ingreditur, ſi ex altera parte immittatur; vel ſtriatas, ita ut certo modo circumactæ poros ſimiliter ſtriatos ſubeant, inſtar cochlearum, quos alia ratione motæ ingredi non poſſunt; quamvis hæc hypotheſis difficultatibus his prematur, quod, ſi fingamus materiam pennatam eſſe, non conſtet, quare magnes ſemper eundem polum terræ polo obvertat, cum iſta ex ſeptentrione aut ex meridie veniens utrumque ex æquo ſubire poſſit, prætereaque juxta dictam hypotheſin, cum admoventur duo magnetes, incidens ab utroque in alterum materia magnetica & ſolidas partes plures quam poros offendens, deberet utrumque dimovere, quia major vis eſt illius materiæ ſolido lapidi & vehementer & magna copia illiſæ, quam poteſt eſſe aëris, quem dimovet & ad exteriores magnetis polos circumagit, cum præſertim tot poris ſcatere conſtet aërem, ut tranſitum ſatis liberum ei materiæ concedat: fontes oriri ex vaporum in montibus collectorum copia, pluviis, nivibusque liquefactis: ineſſe aëri nitroſam aliquam materiam aut etiam ſulphuream, qua ignis alatur; cauſam venti eſſe Solem & motum vaporum, ſed ſi excipiamus conſtantes illos & periodicos ventos, quibus perflatur Oceanus, cæterorum fines indicari non poſſe, adeo ut poſſimus oſtendere, ubi oriantur & ubi deſinant; nec poſſe etiam cauſam oſtendi, ob quam per certam ætatem flaverit fere occidentalis e. g. ventus, per aliam vero orientalis: inſecta non gigni ex putrefactione, eorum vero corpora eſſe veluti ſacculos aut veſicas coarctatas, antequam naſcantur, ſed ſuccis & aëre ſubeuntibus inflari ſubito ſacculos, atque hinc fieri, ut muſcæ tam brevi tempore creſcant, ut vix credibile ſit ex ovis tantæ tenuitatis eas prodiiſſe: venenum viperarum nihil aliud eſſe, quam ſuccum qui in illorum gingivis latet, & qui cum mordent, in vulnus, quod faciunt, influit ſanguini

guinique miſcetur: ex cerebri partium conſtitutione nihil poſſe circa uſus earum in imaginando, recordando, ſentiendoque ſatis certum colligi, ſed hoc duntaxat paulo veriſimilius conjicere licere, glandulas cum cerebri tum cerebelli ſecernere ſuccum, qui ſubeat nervoſas fibras eo pertinentes; ſuccum vero illum conſtare corpuſculis, quæ ſint velut inſtrumenta ſenſuum, eundemque, poſtquam cavitatem omnem nervorum implevit, exundare in partes contiguas easque tumefacere ita, ut vel leviſſimo pulſu concutiantur; ratiocinationem aliquam brutis tribuendam eſſe, neque ullam poſſe afferri rationem, qua conſtet, non eſſe varios naturarum ſentientium ac intelligentium ordines, quorum aliis alii ſint perfectiores, ſeu pluribus gaudeant proprietatibus. *Libro* tandem *quinto* de corpore in genere doctiſſimus Auctor exponit, nec non de corporum qualitatibus. De corpore docet, ejus ideam eſſe ſubſtantiæ quæ eſt extenſa, diviſibilis, ſolida, figurata & mobilis: ſi autem a nobis quæratur, an nihil aliud ſit in natura corporea, nihil eſſe quod reſpondeamus, niſi nos quidem aliud nihil in ea noſſe, ſed propterea tamen nihil præter ea, quæ novimus, ineſſe corpori, non affirmari debere, quia fieri poteſt, ut adæquatam ideam naturæ corporeæ non habeamus; de ſpatio, eſſe illud ens extenſum ſine ſoliditate, quod neque corpus ſit, neque ſpiritus, prout eæ voces intelliguntur ab omnibus, & quod omnia corpora ambitu ſuo contineat: de ſoliditate, ejus rationem hactenus a Phyſicis redditam nullam eſſe. Materiæ diviſibilitatem in infinitum propugnat, quamvis non contemnendis urgeatur objectionibus; quippe cum non oſtendant in demonſtrationibus errorem, ſed tantum in re demonſtrata maximam obſcuritatem, nec mirum ſit, ubi de infinito agimus, difficultates occurrere, quæ ſolvi non poſſint, quia de re agatur, cujus ideam nullam dilucidam & veram habemus, ac proinde cujus naturam exponere non poſſumus. Motum ſtatuit eſſe ſimpliciſſimam modificationem corporis, quæ non poteſt definitione clarior fieri, ut nec animi ſimplices modificationes definitionibus exponi poſſunt; cauſam vero motus ignotam nobis eſſe. Qualitates diſtinguit in primitivas & derivativas. Primitivas vocat, quæ forte ſunt in ſubſtantia corporea & nobis ignotæ, ut eſt cauſa ſoliditatis; derivativas, quæ ex primitivis fluunt, ſenſusque noſtros percellunt, easque ex varia diſpoſitione inſenſibilium particularum, quantitate, varioque motu oriri

ſtatuit. In luce explicanda Hugeniana utitur hypotheſi; quod ad colores vero attinet, præſtare judicat, in generali hypotheſi acquieſcere, qua conſtat, radios pro varietate ſuperficiei corporis varie colligi aut ſpargi colorumque ſenſationem excitare, quam animum ulteriori inveſtigatione excruciare, cum nihil præterea certum inveniri queat. Sequitur etiam Hugenium in gravitatis natura declaranda, ita tamen ut ingenue fateatur, difficillimum eſſe intellectu, quomodo Terra magna rapiditate intra 24. horas circa axem ſuum circumacta, ſecum in eandem partem, h. e. ab occaſu in ortum, materiam fluidam circumjacentem non rapiat, ita ut ea materia potius circa axem terræ, quam circa ejus centrum moveatur, contra quam ſupponunt Hugenianæ hypotheſeos patroni. Nam aut a Terra abripi debere illam materiam, aut materiam rapere ſecum debere Terram; huncque nodum videri Gordium, quem nemo hactenus ſolverit. Tandem reliquis etiam qualitatibus ſenſibilibus ex mente Corpuſcularium Philoſophorum illuſtratis, concludit: ex hoc libro ſatis liquere, nondum potuiſſe inveniri hypotheſes, quibus poſitis proprietatum omnium rerum corporearum ratio redderetur, & totam hanc diſciplinam ſcatere incertiſſimis conjecturis, quamvis multa præclara inventa ſint & quotidie inveniantur. Itaque ut nequaquam ſpernenda eſt, ſic neque nimio in pretio habendam. Utile eſſe, ut ſint viri ingenioſi, qui Democriti inſtar, in experimentis & inveſtigatione veri vitam terant, & aliis facem præferant; ſed plerisque paucis eſſe philoſophandum, aliisque gravioribus tempus potius tribuendum.

## *TRACTATUS DE SALIS CATHARCTICI AMARI IN AQUIS Ebeshamenſibus & hujusmodi aliis contenti Natura & Uſu. Auctore NEHEMIA GREW, M. D. utriusque Regiæ Societatis Socio.*

Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1695. in 12. Plag. 5.

IN duas diviſus partes reperitur Tractatulus, quarum prima ſalis catharctici amari natura; altera uſus exhibetur. Illa ſex circumſcripta capitibus, primo modos tradit, quibus ab anno 1620 non tantum innotuerint hæ aquæ, ſed operationis quoque benignitate tantam indeptæ ſint celebritatem, ut uno die duo hominum millia ad bibendum viſendumve illas convenerint. Poſtmodum vero a triginta

ginta annis Londinum aquæ laborantibus advectæ, pluresque alii fontes in uſum adhibiti memorantur, ut Barnetenſes, Northavenſes, Actonenſes, Cobhamenſes, Dulcivenſes, Strethamenſes &c. nec dubium putatur, quin plures poſthac inveniantur iſthoc indicio, quod aquæ dulces fere e montium jugis: amaræ ex imis plerumq; radicibus ſcaturiant. Cap. II. aquarum catharcticarum amareſcentium natura in genere traditur, quoad ſaporem, ſcilicet mediocriter, ſed tamen ſenſibiliter amarum; quoad virtutes, quibus quædam præ aliis magis pollent; quoad odores; quoad effectus, ſi cum ſirupo violarum, cum aqua calcis, cum lacte &c. commiſceantur: vel ſi evaporentur, & cremorem in ſuperficie coloris cineritii lapideum, & quodammodo gypſeum; ſedimentum vero in fundo partim muriatico, partim proprio aquis ſale relinquant. Cap. III. ſalis aquarum purgantium proprii, h. e. amari natura ita evolvitur, ut color ipſius inſtar nivis candidus, ſapor, figura, differentia ab aliis, ob oculos ponantur, ſubjunctis variis experimentis, quibus oſtenditur, ſalem iſtum amarum ex principiis ſaltem potentia acidis, & etiam alcalinis ſeu potentia aliquo modo lixivialibus conſtare. Figuræ autem deſcriptio pag. 13. & ſeqq. exhibetur. Cap. IV. preſſius exponitur, quomodo ſal catharcticus amarus ab alumine & ſale muriatico differat; ubi imprimis ratione ſpiritus ex utroque per ignem educti, deinde ratione ſaporis, qui in alumine non amarus, ſed acerbus, ac denique ratione figuræ comparatio inſtituitur, & quædam cum lacte experimenta adducuntur. Cap. V. e ſalis nitri genere catharcticum non prodire, ſaporis atque figuræ diverſitate imprimis declaratur. Præterea ad candelæ flammam facile ſalem catharcticum; difficulter vero aut vix nitrum liquefieri: ac porro differre inter ſe utrumque illorum lac coagulandi proprietate aſſeritur, quod hæc quidem in catharctico, nullo tamen modo in nitroſo ſale reperiatur. Hinc ſolubilitate & gravitate inter ſe diſcrepare utrumque, experimento evincitur. Quod vero nomine calcarii ſalis ſal amarus ille inſigniri nequeat, a vario effectu oſtenditur, quem hic ab illo diverſum præſtet. E. g. dum longe aſtrictius uberiusque lac coagulet, quam aqua calcis, item dum ab aqua affuſa citiſſime in maſſam abeat duriuſculam, poſt paucula momenta lapideſcentem; cum e contrario lapis calcarius uſtus ab affuſa aqua ſtatim ac ſponte in pulverem abeat, &c.

 Cæte-

Cæterum ſalem catharcticum amarum, ſi nullo alio modo a ſupra memoratis ſalibus omnibus, ſua tamen virtute medicinali eminentiſſime diſtingui, pluribus affirmatur, ac fuſius parte II hujus opuſculi tradetur. Cap. VI. de natura ſalis catharctici amari obſervationes quædam adduntur; ubi imprimis memoratur, quod ſapor ejus leniter & pene ſimpliciter amarus deprehendatur, atque huic ſaporis ſimilitudine argenti cryſtalli præ reliquis cunctis ſalibus proxime accedant. Cum autem in lapide calaminari nonnullæ qualitates appareant cum argento communes, ceu experimento probatur, dubium relinquitur, utrum ſal catharcticus ex aliqua minera argentea perfecta vel imperfecta, vel lapidi calaminari cognata, an vero potius ex quadam alia generetur. Hinc porro proportio, natura atque unio principiorum ſalem catharcticum conſtituentium conſideratur, hac gemina imprimis annotatione: (1.) quod alia purgantia quæcunque mitiora Medici ſcopum non raro eludant; hic ſal vero nunquam ſua vi catharctica deſtituatur: (2.) quod ita puriſſimus hic ſal cenſendus ſit, quamvis e diverſis principiis compoſitus, ut ne quidem milleſimam partem cujuscunque rei extraneæ in ſe recipiat. Nam ſi ſtillatitia aqua hujus ſalis uncia una imprægnata evaporetur, ne granum ſalis heterogenei, aut ſedimenti lapidei, aut cremoris particulam, ſed denuo ſalis catharctici puriſſimi eandem unciam relinqui.

Altera hujus Opuſculi pars ſeptem capita complectitur, quorum primo catharctici ſalis amari uſus generalior præcellens ac multiplex traditur. In morbis enim permultis gravioribus efficaciſſimum remedium præbere dicitur, cum ſcilicet nulla inſalubri qualitate præditus ſit, nec unquam aliquid mali, ſi appoſite præſcribatur, procreet, purgantium prope omnium leniſſimum exiſtat, humores non exagitet, atque nunquam ægritudines, deliquia aut tormina excitet. Objectioni autem, quod aquæ Ebeshamenſes, ex quibus ſal paratur, inter coquendum lapideum cremorem exhibeant, adeoque generationi calculi in humano corpore materiam ſuppeditare valeant, ſtatim obviam itur duplici ratione: (1.) enim experientia Medicorum conſtare fertur, quod qui vel 30. annos affatim, & per multos dies continuos illas aquas potarunt, nunquam arthritide, veſicæ aut renum calculo laborarint. (2.) liberum omnino aeris appulſum requiri, ſi lapideus cremor in ſuperficie enaſci debeat. At

vero

vero hoc in corpore humano non poſſe contingere, cum illud aër non ſine colatura ingrediatur. Cæterum ſalem catharcticum amarum præ aqua, ex qua paratur, laudem mereri, vel inde manifeſtum putatur, quod ipſe ab omni lapidifica ſubſtantia & fece muriatica liberatus ſit, atque æqualem quovis tempore vim purgatoriam exerat: aqua autem a ſicca humidave tempeſtate, tam æſtate quam hyeme, nec non a hydropolarum fraude auctam vel imminutam vim obtineat. Caput II. modum præſcribendi ſalem catharcticum amarum explicat. In more autem dicitur poſitum, in quovis vehiculo ægroti temperamento conveniente, aut guſtui grato, ſalem ſolutum propinare, in aqua ſcilicet fontana, ſtillatitia, aliave puriſſima, decocto hordei, avenæ, aut lactis ſero &c. Clariſſimo Auctori in frequenti uſu eſt aqua parum cocta & mace condita, cujus libras duas, tres, vel quatuor, ſalis catharctici ſemiuncia vel uncia imprægnatas præſcribere ſolet, vel etiam majori doſi, e. g.

℞ aquæ fontanæ *libras quatuor* ℔iv.
macis *drachmam unam*, ʒj.
Coquantur parum, & in colatura diſſolv.
Salis catharct. amar. *uncia una* ℥j.
vel *drachmæ decem*, ʒx.

pro apozemate ſeu decocto catharctico mane, jejuno ventriculo, calide vel tepide, interdum frigide bibendo, bihorii ſpatio, cum levi exercitio. Sumendum vero hoc apozema jubetur ab Auctore vel per ſe, vel durante aliorum catharcticorum operatione. Subnectuntur porro quædam adhuc formulæ, in quibus vel fol. ſenn. vel manna ſali catharctico pro majori efficacia adjiciuntur, vel hic in aqua bulliente ſolutus cum lacte alterari ſuadetur, coagulo per colatorium auferendo. Quin & clyſteribus acuendis commode ſalem catharcticum ad ʒiij vel ℥ß. loco gemmei ſalis inſervire poſſe perhibetur. Cap. III. exponit ejusdem ſalis uſum ſpecialem, imprimis in ventriculi morbis; ubi fuſius explicatur, qua ratione & appetitum & digeſtionem promoveat. Hinc in compeſcendis vomitionibus, nec non in cardialgia, & calida affectione hypochondriaca, quomodo opem valeat ferre, adjectis quibusdam præſcribendi formulis docetur. E. g. in dolore ſtomachi, colici affectus æmulo, ℞. Sennæ mundatæ ʒij. macis ʒj. Coqu. in aquæ fontanæ q. ſ. ad ℔iij. vel IV. Colaturæ adde

 ſalis

ſalis catharctici amari ʒvj. vel ℥j. ad ʒx. ſir. chalyb. ℥jß. M. F. apozema catharcticum (vel m. ſine ſenna) mane & pro more bibendum. Sumatur vel per ſe, vel cum pilulis ſequentibus: ℞. pil. ſtomach. c. gumm. gr. XXV. limatur. chalyb. ſubtiliſſ. gr. X. ſir. chalyb. q. ſ. M. F. pil. no. IV. hora ſomni ſumendæ. Die proximo repetatur apozematis uſus, ut ſupra, & ſic per triduum vel diutius. Cap. IV. agitur de uſu ſalis catharctici in inteſtinorum partiumque adjacentium morbis, ut in colico & nephritico dolore, in vermibus, in urinæ ardore & ſuppreſſione, in diabete, in ictero. In his omnibus affectibus quomodo partim per apozemata, partim per clyſteres ſal catharcticus valeat exhiberi, per formulas traditur. Ubi obiter notamus, quod in colico & nephritico dolore, nec non in ictero & urinæ ſuppreſſione, raro venæ ſectionem omittendam eſſe nobiliſſimus Auctor arbitretur. Cap. V. idem ſal amarus commendatur in capitis affectibus, mania, cephalalgia & vertigine. In mania præter venæ ſectionem & repetita vomitoria, unguenta cephalica, ſetaceum in nucha, veſicatoria tibiis appoſita, ſal amarus laudatur, ſi vel in apozemate, vel ſequenti modo propinetur: ℞. ſalis catharct. amari ℥j. diſſolve ʒj. in hauſtu aquæ Spadanæ vel cujuscunque ferratæ, & bibantur hujusmodi hauſtus octo. In vertigine, nec non in cephalalgia & oculorum inflammationibus, præmiſſa venæ ſectione, cucurbitulas cum ſcarificatione non tantum ſcapulis, ſed & ipſi raſo occipiti clariſſimus Auctor feliciter ſolet admovere. Cap. VI. quid ſal valeat catharcticus in hyſterica paſſione, arthritide vaga & pruriginoſo affectu, declaratur. Ubi obiter obſervamus, quod in arthritide vaga venæ ſectio alternis diebus ad quintam ſextamve vicem repetenda quidem ſuadeatur: catharctica tamen, eaque fortiora, potentius non raro una vice, quam phlebotomiæ ter quaterve iteratæ, morbum enervare putentur. Capite VII. tandem affectus quidam recenſentur, in quibus aquarum amareſcentium, earumque ſalis uſus noxæ eſſe deprehendatur, ut in hydrope, in ſynocha & intermittente febre, in chloroſi, in hæmoptoſi, cholera, paralyſi, urinæ ſuppreſſione, ſi ſcilicet hæc ex ulcere veſicæ urinariæ calculove grandiorpre oveniat.

THE

THE REASONABLENESS OF CHRISTIANITY, AS DElivered in the Scriptures;

h. e.

*RELIGIONIS CHRISTIANÆ, PROUT IN S. LITERIS TRAditur, Rationalitas.*

Londini apud Jo. Awnsham & Jo. Churchil. 1695. in 8. pl. 20.

NUnquam ſibi ſatisfeciſſe Corpora iſta Doctrinam Chriſtianam continentia, quæ Syſtematum Theologicorum nomine vulgo appellari ſolent, Autor hujus libri, cui Pockii nomen eſſe dicunt, conqueritur. Ut itaque penitius Chriſtianam Religionem pernoſceret, S. Literis animum ſeſe adjeciſſe ait; hauſtam autem ex illis doctrinam præſenti Opere ob oculos poni, ſpecioſe prætendit. Hanc igitur ut ſecum vel amplectantur omnes, vel a veritatis via deflectentem ad illam reducant, orat; quod quo fecerit animo, ejus qui corda rimatur erit dijudicare.

Cum vero univerſa de redemtione & ſalvatione noſtra doctrina, ſuppoſitioni de lapſu Adami innitatur, ab eo rerum dicendarum capit exordium. Status itaque, quo excidit communis p. 3.
ille generis humani parens, ex ejus ſententia non alius fuit, quam ſtatus perfectæ obedientiæ, qui juſtitia originalis vulgo appellatur. Pœ- p. 4. 6.
nam lapſum illum ſecutam, mortem temporalem eſſe ſibi perſuadet; poſt eum enim marceſcere quaſi vitam Adami cœpiſſe exiſtimat, nec abſimile eſſe tempus, quod inter lapſum & mortem Adami interceſſit, illi ait, quod capitis damnato a lata ſententia usque ad ejus executionem conceditur. Quod vero tota ejus poſteritas ſimilis miſe- p. 7.
riæ particeps reddita fuerit, id hac ratione cum juſtitia & bonitate divina conciliat, ut non pœnam in illis mortalitatem & alia hujus generis eſſe dicat, ſed excluſionem ab eo, quod nullo juris titulo ſibi vindicare poterant; ſiquidem immortalitas illis non magis debeatur, quam ulli alteri creaturæ. Pœnam vero neminem, niſi ob propria delicta, non vero ob Protoplaſtorum crimen, ſentire. Cum p. 9.
autem talis mors ſit per Adamum in poſteros derivata ex ejus mente, vitam etiam per Chriſtum reſtaurari non aliam putat, quam illam, quæ poſt reſurrectionem nobis reddetur, quamque, niſi Adami peccatum

inter-

p. 11. interceſſiſſet, ſine interruptione eramus continuaturi. Adeoque Chri-
ſti redemtione cautum eſſe ſibi perſuadet, ne aliquis, qui juſtitia per-
fectaque obediéntia Deo ſeſe in hac vita probaverit, adeoque jus ad
immortalitatem fuerit conſecutus, ideo ea carere cogatur, quod ex
mortali Adami progenie ſit oriundus. Omnes itaque a Deo reſuſci-
tatum iri ait, ut juſti vita promerita fruantur, injuſti vero æternæ mor-
p. 13. ti juſto judicio reddantur. Cum vero omnes in legem a Deo latam pec-
p. 14. caverint, ob cujus quidem difficultatem Deus accuſandus non ſit, cum
aliam naturæ humanæ puritatisve divinæ ratio non admiſerit (quam-
p. 17. obrem etiam priorem iſtam legem eandem cum naturali eſſe mox
p. 15. oſtendit;) novam juſtificandi homines inventam fuiſſe rationem,
ſi nimirum legi fidei recens inſtitutæ conformiter viverent, docet.
p. 25. Lex illa fidei ex ejus mente breviter hæc eſt, ut credat unusquisq;
quod credere eum Deús jubet, utpote qui conditionem hanc eſſe vult
fœderis ſecum initi, nec quicquam de promiſſionum ejus impletione
dubitet. Jam igitur, quid Deus a nobis credi velit, ſibi ſumit inqui-
p. 26. rendum; nimirum quod Jeſus ſit Chriſtus, h. e. *Meſſias* ſive *Filius*
p. 35. *Dei*; quam appellationem nihil aliud quam alteram *Meſſiæ* ſignifi-
caſſe inter Judæos, locis Scripturæ oppido multis inter ſe collatis
evincere conatur. Hanc itaque primariam doctrinam, imo ſum-
mam omnis Apoſtolorum prædicationis fuiſſe, ubi inductione innu-
p. 47. merorum fere Novi Teſtamenti teſtimoniorum confirmaſſet, inde
concludit, unicam illam ſolamque propoſitionem eſſe, quæ ut credi-
tu neceſſaria ad juſtificationem noſtram in S. Literis nobis propo-
p. 61. ſita fuerit. Eam tamen ab Apoſtolis demum clare pronunciatam
fuiſſe ait, ipſo Chriſto, dum in vivis adhuc eſſet, eam ſapientiſſima
œconomia nonnihil occultante, ne pro Rege atque Meſſia ſeſe ge-
rendo, furores Judæorum Romanorumve contra ſe excitaret, ante-
quam Propheticum, ad quod miſſus erat, munus abſolvere illi daretur,
p. 72. vel etiam plebem Judaicam, Meſſiam illo tempore magna expecta-
p. 76. tione præſtolantem, ad ſeditionem erigeret. Contentum itaque
ipſum, dum inter homines verſabatur, fuiſſe ait, ſi miraculis officii &
dignitatis ſuæ ederet teſtimonia, quibus gloriam ſuam manifeſtans,
fidem in ſe, utpote verum Meſſiam, promoveret: eo enim omnia
Chriſti geſta tetendiſſe, percenſitis omnibus ejus ad populum ſermo-
p. 102. nibus atque miraculis oſtendit. Imo ne ipſis quidem diſcipulis ob
cauſas

cauſas ſupra allegatas expreſſis verbis unquam dixiſſe Salvatorem, Meſſiam ſeſe eſſe, ex Marci VIII, 27 inter alia colligit, idque eo minus, quod proditorem Judam noſſet inter illos verſari, qui apud Judæos, ſi tale quid Jeſus dixiſſet, id erat editurus. Indeque explicat reſponſionem illam, quæ abrupta vulgo videtur, a Salvatore Petri confeſſioni Joh. VI, 70 ſubjunctam. Hac enim fere eam paraphraſi illuſtrat: Veritatem certe de me & ore confeſſi fuiſtis & corde tenetis; ſum enim omnino Meſſias Rex veſter: verum mirari non debetis, quod nunquam aperte id ſignificaverim vobis; in veſtro enim collegio eſt aliquis (διάβολος) calumniator & proditor, qui, ſi tale quid aperte de me fuiſſem profeſſus, Judæis id ſine mora erat indicaturus. Quod p. 41.
tamen Samaritidi expreſſis vocibus Meſſiam ſe eſſe exponat, id propterea factum Auctor arbitratur, quod apud Samaritanos verendum non erat, ne ſimiles ac apud Judæos hujusmodi confesſio ſequelas haberet. Clarius tamen inter Judæos quoque Meſſiam ſe eſſe Salvato- p. 109.
rem indicaſſe, cum jam immineret tempus paſſioni ejus deſtinatum, obſervat, primumque eſſe locum Marci IX, 41. arbitratur, in quo verbis perſpicuis Meſſiæ nomen dignitatemve ſibi tribuat; poſtquam ſcilicet finito officii ſui curſu vitam deponere conſtituiſſet, adeoque ſupra allatæ cauſæ profeſſioni luculentæ amplius non obſtarent. Per p. 154.
gradus itaque doctrinam Evangelii manifeſtatam fuiſſe obſervat, dum Joannes initio appropinquare regnum Dei (h. e. Meſſiam non longe abeſſe) exclamat; poſtea vero Chriſtus illud adeſſe docet, datis ſubinde indiciis ſubobſcuris, ſe Regem illius regni eſſe; cui poſtremo Apoſtoli ſuccedunt, ſine ullis involucris Jeſum eſſe Meſſiam prodentes. Quam apti autem fuerint Apoſtolatui illi, quos Chriſtus ad id munus elegerat homines, in ſequentibus oſtendit, ejusque ſummam in iis vocandis ſapientiam deprædicat. Inter alia autem, quæ de his an- p. 176.
notavit, lubet hic repetere cauſam, ob quam Spiritum S. poſt Chriſti demum aſcenſionem eos accepiſſe arbitratur. Scilicet non ante, quam Jeſus cœlis eſſet redditus, clare prædicandam fuiſſe de ipſo Meſſia doctrinam putat, ne ſcilicet, quod jam indicavimus, ipſo vivente ſeditiones & alia ſcandala, quæ præjudicio eſſe doctrinæ Evangelii potuiſſent, excitaret. Non opus itaque fuiſſe doctore ductoreve Spiritu, qui veritates iſtas clare animis eorum ſiſteret, & ad prædicandas illas impelleret, priusquam tempus appetiiſſet, quo libere

& ſine ſcandalorum iſtorum metu eas evulgare, Chriſto ad dextram
p. 181. Patris jam exaltato, illis liceret. Ultima autem verba Chriſti, quibus
ad inſtruendos eos, antequam crucis mortem ſubiret, imo & poſt
reſurrectionem ſuam uſus eſt, alium ſcopum habuiſſe nullum oſten-
dit, quam ut veritatem illius propoſitionis, Jeſus eſt Meſſias, fir-
p. 188. miter animis eorum infigeret. Hincque, quod jam antea oſtendit,
& nunc porro confirmare nititur, nullum alium fidei articulum Apo-
ſtolos quoque inculcaſſe quam illum, examinatis omnibus eorum
ad populos Regesve ſermonibus, docet. Unde quid aliud emer-
git, quam nullum alium fidei articulum ad ſalutem obtinendam cre-
p. 191. ditu neceſſarium, præter illum haberi? Cum autem objici ſibi poſſe
videat Auctor: credere quod Jeſus Nazarenus ſit Meſſias, fidem mere
hiſtoricam, non juſtificantem & ſalvificam eſſe; plane rejicit iſtam
diſtinctionem, eamque Syſtematum conſcribillatoribus relinquendam
eſſe dicit, quos, ſi pro hiſtorica ſolum habere velint iſtam fidem,
quam unice Chriſtum & Apoſtolos requirere ſibi falſo perſuadet,
p. 193. ſenſu ſuo abundare jubet. Sed cum Diabolos talem etiam fidem ha-
bere urgeamus ex Jac. II. 19, omni tamen ſalvationis ſpe deſtitutos; eos
propterea per illam fidem ſalvari non poſſe reſpondet, quod tanquam
ſalutis medium fides iſta propoſita eis non fuerit; aliter vero rem ſeſe
p. 194. habere cum hominibus. Deinde autem propterea quoque malis
Angelis fidem illam prodeſſe haud poſſe addit, quod alteram fœde-
ris gratiæ conditionem non impleant, quæ ſit pœnitentia. Hanc enim
non minus ac fidem, qualem ipſe deſcripſit, a ſalvandis Chriſtum & A-
poſtolos exegiſſe, nova teſtimoniorum Scripturæ congerie proban-
p. 197. dum ſuſcepit. Pœnitentiam vero iſtam deſcribit, quod ſit mœror ob
delicta tempore præterito commiſſa, cum ſeria emendatione conjun-
p. 199. ctus. Duarum autem harum conditionum, quibus implendis unice ſal-
vandum adſtringi opinatur, æquitatem ut rectius cognoſcamus, retro-
ſpicere nos jubet, & conſiderare, quod Adam qui erat filius Dei (Luc.
III, 38.) hac quoque parte imaginem parentis ſui geſſerit, qua fuit im-
mortalis, mandatum vero ejus transgreſſus immortalitatem amiſe-
p. 200. rit, liberosque ſuſceperit ſuam imaginem ferentes, h. e. mortales. De-
um vero, quæ eſt ejus miſericordia, vita immortali mortales homines
beare volentem, Jeſum Chriſtum miſiſſe ait, qui in Virginis utero im-
mediata ipſius potentia formatus, Filius Dei proprie vocari meru-
erit,

erit, qui ut Filius, Patris inſtar immortalitate gaudebat. Hanc ve-
ro immortalitatem partem eſſe imaginis divinæ, redemtis per Chri-
ſtum reſtitutæ, tum ex locis quibusdam hiſtoriæ Adami ſibi pro- p. 201.
babile videri ait, tum etiam ex quibusdam loquendi formulis, de
Jeſu Filio Dei adhibitis, v. g. Coloſſ. I,15, ubi Chriſtus imago Dei
inviſibilis ideo dicatur, quod (v. 18.) ſit primogenitus ex mortuis; ut
hujus generis alia loca quamplurima ab eo cumulata taceamus. Hanc- P. 202.
que cauſam eſſe putat, cur Chriſtus fratres appellet eos, qui per eum
immortalitatem conſecuti fuerint, imo quod Deus tam frequen- p. 208.
ter in novo, tamque raro in V. T. *Pater* appelletur. Addit præterea
quædam de immortalitate Chriſti, quodque ſponte, non naturæ vel alia
neceſſitate cogente, vitam depoſuerit. Indeque ad concluſionem
ſuam redit, quod per fidem in eum, tanquam Meſſiam & Regem, homi- p. 210.
nes Deus juſtificet. Præter iſtam vero fidem requirere etiam Deum
oſtendit, ut per baptiſmum in regnum illius recipiamur, & ut decet p. 213.
fideles ſubditos, legibus ejus obedientia, ſi non perfecta, ſincera ta- p. 217.
men pareamus. Jam itaque, quæ leges regni Chriſti ſint, oſtendere
aggreditur. Et quemadmodum ad nullum alium fidei articulum,
quam illum, quod Jeſus Meſſias ſit, Chriſtianos adſtringi, congeſtis in-
numeris Scripturæ locis oſtendit: ita etiam omnia loca Novi Fœderis,
quæ faciendum quidquam nobis imponunt, coacervat, ut alias leges p. 233.
nullas nobis incumbere evincat. Conditionem autem eſſe ſalutis obe-
dientiam, legibus illis Evangelicis de pœnitentia, abnegatione ſui &c.
debitam, non minus ac illam quam deſcripſit fidem, in ſequentibus pro- P. 234.
bare nititur, utpote quam etiam fidei in prædicationibus ſuis Apoſtoli p. 238.
ſemper junxerint, & cujus neglectum in extremo judicio ſevere ſeſe pu- p. 239.
niturum ipſe Salvator prædixerit. In illo judicio, quod non propria, ſed
delegata ſibi a Patre poteſtate Filium exercere dicit, contra neminem
propter incredulitatem, ſed propter iniquitatem & inobedientiam ferri p. 242.
ſententiam obſervat. Non quaſi ſine fide aliquis ſalvari poſſit, cui
Evangelium fuit annunciatum; ſed quod illi, quibus hoc beneficium
haud obtigit, non ob fidei defectum, ſed ob legis transgreſſionem, quæ p. 243.
fide non compenſetur, ſint condemnandi. Ad quæſtionem autem,
qua ratione, ſtante iſta hypotheſi, V. T. homines ſalvati fuerint, re-
ſpondet, ab illis non fidem in Jeſum Meſſiam, ſed in Dei promiſſiones,
de eo præcipue factas, exactam fuiſſe. Homines autem, quibus nulla p. 252.

unquam revelatio vel promiſſio facta fuit, æternæ vitæ aptos red-
p. 254. di exiſtimat, dum in bonitate atque miſericordia divina, naturali notitia ſibi cognita, fiduciam ſuam collocant. Movet autem etiam quæſtionem, quænam fuerit Salvatoris mittendi neceſſitas, & quis miſſionis ejus uſus? Ad quam generatim primo reſpondet, ſapientiam divinam ad examen non eſſe revocandam ab intellectu humano,
p. 256. mundi intellectualis cognitione parum inſtructo. Deinde vero ſpe-
p. 264. cialius oſtendit verum de Deo ſenſum, deſtructis idololatricis opinionibus: diſtinctam officiorum hominis notitiam, a gentilibus Phi-
p. 242. loſophis imperfecte traditam, utpote quam humana ſapientia perfe-
p. 244. cte edocere non poterat: cultuum Dei externorum reformationem: incitamenta ad vitam virtuti conſentaneam per clariſſimas de vita fu-
p. 289. tura promiſſiones, & pœnarum æternarum comminationes: pro-
p. 290. miſſionem denique auxilii divini ſincere obedientibus factam, unice Salvatori in mundum miſſo deberi. Id adhuc ſibi reſtare dicendum videt Auctor, cui bono tot Epiſtolæ ab Apoſtolis ſcriptæ fuerint, ſi doctrinæ in iis contentæ homini Chriſtiano neceſſariæ non ſunt, utpote cui ſufficit ex mente ejus, uti audivimus, credere quod Jeſus Meſſias ſit, & pauca quædam quæ ad eum pertinent, quod reſurrexerit nimirum, quodque ad judicium ſit rediturus? Exiſtimat itaque, principalem iſtarum Epiſtolarum ſcopum ſemper potiſſimum eſſe attendendum; quæ enim in ejus tractatione inſperguntur veritates, ad fidem neceſſarias omnes eſſe neutiquam admittit. Imo ſcriptas eas eſſe ait ad Eccleſias & homines, qui Chriſto nomen jam dederant, adeoque in fide probe jamjam inſtructos; quamobrem eo fine ad illos datæ eſſe non potuerint, ut in fundamentis fidei eos demum inſtruerent. Exaratas itaque eas eſſe judicat ob peculiares quosdam caſus, & absque illis ſi fuiſſet, nunquam ſcribendas fuiſſe dicit. Ad ſalutem proinde neceſſarias eas eſſe non cenſet, quamvis ſcientiam,
p. 295. & praxin noſtram reformatio errorum in illis obvia, dubiorumque variorum reſolutio multum juvare queant. Neque ex Epiſtolis diſcendum religionis noſtræ fundamentum ait, utpote in quibus ſparſim & occaſione data ſolum tradatur, ſed ex Evangeliis, in quibus ipſius Chriſti verba atque ſermones nobis repræſententur, nec non
p. 829. ex Apoſtolorum orationibus, convertendis ad Chriſtum populis, docendisque Chriſtianiſmi fundamentis unice deſtinatis. Illa vero quæ

in

in epiſtolis habentur ad fundamentum fidei non ſpectantia, tuto quidem ignorari poſſe, non tamen negari, ubi tanquam a Deo profecta agnoſcuntur, ſtatuit.

Hæc fere eſt, quam de religione Chriſtiana Anonymus noſter fovet, ſententia, quam quantum pôtuit fieri, accurate proponere placuit, ut corectius Lectores intelligant ea, quæ in poſterum erunt dicenda. Factum enim eſt, ut exiguo; poſtquam ſcriptum iſtud prodiiſſet, tempore, Cl. Vir Joannes Eduardi, qui præclare hactenus in Anglia contra Socinianam hæreſin variis ſcriptis militavit, librum aliquem ederet, cui titulum fecit *Meditationum quarundam de cauſis & occaſione Atheiſmi, hodierni præſertim ſeculi.* In eo paſſim Anonymi noſtri ſententias, ut periculoſas & a Socinianiſmo ac Atheiſmo non alienas perſtrinxit. Equidem ad manus noſtras liber ille non pervenit; quæ tamen ad præſens negotium ſpectantia, qualiave in eo reperiantur, facile erit ex aliis duobus ſcriptis cognoſcere, quorum en tibi B. L. titulos brevemque ſummam:

A VINDICATION OF THE REASONABLENESS OF Chriſtianity &c.

h. e.

*VINDICIÆ LIBRI DE CHRISTIANÆ RELIGIONIS RATIOnalitate, contra imputationes JOANNIS EDUARDI.*

Londini, 1695. 8. plag. 5.

SOCINIANISM UNMASK'D

h. e.

*SOCINIANISMUS DELARVATUS, SIVE DISSERTATIO IN qua vanitas opinionis nuperi Scriptoris* RATIONALITATIS RELIGIONIS CHRISTIANÆ, *de unico fidei articulo oſtenditur. Accedit brevis ad alterius cujusdam Sociniani objectiones reſponſio. Autore JOANNE EDUARDI, Collegii Joannei apud Cantabrigienſes olim Socii.*

Londini apud Joh. Robinſon & Jo. Wyat, 1696. 8. pl. 10.

SOcinianismi ſe accuſari ob librum ſuum de Religionis Chriſtianæ rationalitate ab Eduardo, in Vindiciis Anonymus noſter ait: cum vero Socinianiſmum pro via ad Atheismum idem Eduardus habeat, lo-

cum ſibi quoque in libro iſto de cauſis Atheismi ab eo conceſſum fuiſſe queritur. Cauſas vero, quæ Socinianiſmi ſuſpectum eum Eduardo reddiderint, ſequentes allegat, quamque infirmi iſtæ ſint hujus ſu-
p. 5. ſpicionis tibicines, oſtendere ſatagit. Primò ipſi objecerat, quod ſatisfactionis Chriſti nullam fecerit mentionem, neque vitæ & ſalvationis per mortem ejus nobis partæ. Aſt hac de re noſter Anonymus pro inſtituti ratione ſe egiſſe ait, & aliquot loca producit, in quibus vi-
p. 6. tam a Chriſto hominibus redditam dicat. Quod autem ſatisfactionis Chriſti ſubobſcure ſolum mentionem fecerit, non vero de ea egerit ex inſtituto, ideo factum ait, quod iis librum ſuum ſcripſerit, qui vel dubitent, vel ſatis informati non ſint de Chriſtiana religione, quos ne offenderet ſubtili minutiarum hujusmodi tractatione, prudenter cave-
p. 9. re voluerit. Alterum crimen ſibi ab Eduardo objectum eſſe ait, quod omiſerit inſigne iſtud de Trinitate teſtimonium Matth. XXIIX, 19, & de æternitate λόγυ Jo. I. 1. Sed reſpondet, alia quoque Scripturæ teſtimonia ſe omiſiſſe; illa enim ſolum ſe adducere voluiſſe, quæ in ſermonibus Chriſti & Apoſtolorum occurrant, utpote quos ſolos ſuppeditare illa ſibi perſuadeat, quæ creditu ad ſalutem ſint neceſſaria.
p. 15. Dixerat porro Eduardus, epiſtolica Apoſtolorum ſcripta ideo eum præteriiſſe, quod in illis alias videret occurrere veritates fundamentales, cum tamen ipſe unicam ſolum velit admitti. At non iſtam ſibi hujus rei cauſam fuiſſe, denuo expoſita illa, quam ſupra ex eo reddidimus, oſtendit. Cæterum cum profane de iſto ſacrorum ſcriptorum genere ſentire porro accuſetur, allegatis ex libro ſuo verbis,
p. 21. quanta ea proſequatur reverentia cupit evincere, prætereaque ideo etiam negat præterita a ſe illa fuiſſe, quod præclara adeo de S. Trini-
p. 22. tate in illis occurrant teſtimonia, ut Eduardus quidem fuerat ſuſpicatus. Id quoque vitio illi verterat Adverſarius, quod Adamum & Chriſtum eodem ſenſu Dei faciat filios, more ſcilicet Socinianorum. Nec audet hoc Anonymus noſter negare, eo ſe excuſaſſe contentus, quod a Socinianis id non acceperit, quodue idem etiam ſenſerint nuperus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Jo. Tillotſonus, & quem inferi-
p. 24. us addit, Rev. Elienſium Epiſcopus Patricius. Cum denique Eduardus prolixus ſit in perſtringenda ejus opinione de unico fidei articulo, quem poſthabitis reliquis omnibus pro creditu ad ſalutem neceſſario commendet, negare velle videtur, ſe unicum ſolum fidei

arti-

articulum admittere, idque vel inde patere ait, quod credere unum Deum ad ſalutem requiri etiam dixerit. Tandem tamen circa unicum illum fidei articulum Rev. Epiſcopum Elienſem, D. Patricium idem ſecum ſtatuere, jactare non erubeſcit. p. 44. p. 38.

Verum tempus jam eſt, ut ad librum Eduardi accedamus, quo ex inſtituto explodere ſuſcepit falſas Autoris hujus, in libro de Chriſtianæ Religionis rationalitate, ejusque Vindiciis prolatas opiniones. Neve fruſtra aliquis laborem iſtum ab eo ſuſceptum fuiſſe exiſtimet, paſſim non in Anglia tantum jactari iſtum Anonymi libellum ſciat, ſed apud Belgas etiam nuperrime Gallico habitu indutum prodiiſſe. Age igitur, quod ei Vir clariſſimus antidotum ſcripſerit, videamus. p. 4. Tria itaque potiſſimum ait eſſe crimina, quorum reum peragere illum, ſibi propoſitum eſſe dicit. Primum eſt, quod temere omnes fidei articulos in unum coagmentare fuerit auſus, eo fine ut peſtiferæ Socini hæreſi auxilium ferret. Hic ante omnia, prolatis ex libro ejus p. 5. locis quamplurimis, genuinam hanc eſſe mentem ejus oſtendit, quantumcunque id in Vindiciis audeat negare, in quibus tamen nullum alium præterea fidei articulum, quem tanquam neceſſarium admittat, p. 7. memoret, niſi illum de uno Deo, qui, ad Naturalem Religionem quippe pertinens, neutiquam ad præſens negotium ſpectare videatur. Hinc jam oſtendere incipit, quam neceſſarii ſint ſalvando alii quoque p. 8. fidei articuli, de lapſu ſcilicet humani generis, de perſona duabusque Chriſti naturis, de Trinitate, de reſtaurationis noſtræ ratione & circumſtantiis, de officiis hominis Chriſtiani, de gratia Dei & vanitate meriti operum, de reſurrectione denique, judicio, & vita æterna. Horum omnium fidem non quidem (liceat cum ſchola loqui) actualem, habitualem tamen requiri docet. Cumque contrariæ ſententiæ p. 25. de unico fidei articulo fundamentum præcipuum eſſe imbecillitatem maximæ hominum partis, qui capere tot tantaque non poſſint, ipſius adverſarii verbis (quamvis in Vindiciis id non agnoſcere velit) oſtendiſſet, propoſitionem iſtam, *Jeſus eſt Meſſias*, totidem plane difficultatibus laborare docet, quot a reliqui omnes fidei Articuli: eſſeque inſuper commune iſtud fundamentum Adverſario ſuo cum Socinianis evincit. In illa autem ſententia omnino perſiſtit, ex contemtu p. 37. ins epiſtolas Apoſtolicas profectum eſſe, quod iis in ſtabiliendis Chriſtianæ Religionis principiis uſus non fuerit, quicquid contradicat in Vin-

Vindiciis. Illam enim veram non eſſe hujus rei cauſam, quod exillis, utpote ad fideles datis, principia Religionis non ſint derivanda, hoc argumento adductus ſibi perſuadet; quod Lucæ quoque Evangelium & Apoſtolorum Acta ad Theophilum hominem fidelem ſcripta ſint, ex quibus tamen ea deducere non dubitaverit. Deinde vero non firmiter illum concludere ait; ad fideles ſcriptæ ſunt illæ Epiſtolæ, ergo fundamenta fidei ex illis non ſunt derivanda. Fidelibus enim etiam fundamentalia exponi per epiſtolas potuiſſe, patet ex 1. Joh. II. 21; quid quod ſeceſſerint nonnulli a veritate, quam ſemel
p. 40. fuerant edocti, ut Galatæ, eam proinde denuo edocendi? Quod vero dicit Adverſarius, promiſcue ſaltem & aliis veritatibus interſperſa in his epiſtolis fidei fundamenta haberi, id meram eluſionem eſſe, Eduardus noſter exiſtimat; Nam in Evangeliis quoque ſparſim occurrere iſtas veritates obſervat, non in unum cumulum omnes congeſtas. Porro quod affert in Vindiciis, ut excuſet ſe ob doctrinas in Epiſtolis illis contentas, a ſe vero in libro ſuo non propoſitas, præſertim vero doctrinam de ſatisfactione; illud quoque fraudulentum effugium eſſe, Eduardus oſtendit. Non enim tantum obſervat, ne verbo quidem in ipſo libro ſuo monuiſſe Anonymum, ſibi cum infidelibus potiſſimum rem eſſe, ſed ipſam etiam libri inſcriptionem aliud quiddam nobis polliceri ait, quæ ex Scripturis diſputaturum eum pro-
p. 53. mittat, quas contra infideles in auxilium vocare haud ſoleamus. Ut vero redeamus ad unum iſtum fidei articulum, religionem ei ſuperſtructam a Mahomedana non multum eſſe diverſam Eduardus oſtendit, cui alias quoque Antitrinitariorum affinis ſit fides. Imo ipſos Diabolos majorem fidei gradum, quam Adverſarius deſcribat, conſequi poſſe affirmat. Veram itaque & Chriſtianam fidem ubi deſcripſiſſet, periculoſiſſimam de uno fidei articulo ſententiam eſſe evincit, a Socinianis primum venenato fotu excluſam, Crellio præcipue, cui to-
p. 69. tum Syſtema ſuum debere Adverſarium, perſuaſum habet. Jam non repetimus quæ, ut ad Atheiſmum tendat iſta doctrina oſtenſurus, in medium affert Eduardus. Ea potius breviter commemorabimus, quæ ad objectionem, an frequens, imo ſola in nonnullis N. T. locis mentio propoſitionis iſtius: *Jeſus eſt Meſſias*, evidenter non arguat, alium fidei articulum ad ſalutem neceſſarium præter illam non eſſe? reſpondet. Negat id etiam atque etiam Eduardus: primo enim

enim ideo ſolum tam frequentem hujus propoſitionis fieri mentionem dicit, quod primum illa ad Chriſtianiſmum gradum ſternat. Deinde vero non ſtatim ſequi ait, nullas alias doctrinas propoſitas fuiſſe, ubi illa ſola tanquam præcipua memoratur. Indeque ſupplenda hujusmodi loca putat ex aliis, in quibus cæteri fidei articuli diſtincte proponuntur. Denique veritates evangelicas non una omnes, ſed gradatim manifeſtatas fuiſſe credit, indeque non omnes ab Evangeliſtis eſſe expectandas, ſed aliquas earum ex Apoſtolicis epiſtolis colligendas eſſe exiſtimat.

Et hæc quidem eſt ſumma eorum, quæ dum primi criminis Adverſario ſuo dicam ſcribit clariſſ. Eduardus, in medium attulit. Jam ad alterum, quod ipſi impegit, crimen accedamus. Eſt illud, quod loca S. Scripturæ, quæ de SS. Trinitatis myſterio teſtimonium perhibent, p. 81.
vel omiſerit plane, vel Socinianis interpretamentis commaculaverit. Prius quidem non alio fine factum eſſe, quam quod iſti hæreſi gratificari conſtituiſſet, denuo inde confirmat, quod in Vindiciis, ubi huic imputationi reſpondet, ne minimum quidem fidei ſuæ de hoc articulo edat indicium. Alterum vero per ſeipſum, quibus partibus adhæreat, ſatis loqui ait. Præcipue autem urget, quæ de filiatione Chriſti ille ſtatuerat, e Slichtingii quippe Tractatu contra Meiſnerum de Trinit. & Socino contra Wiekum c. 5. deſumta, contra quos prolixe ſatis oſtendit Eduardus, quam infirma ſit illa argumentandi ratio, qua *Chriſtum* & p. 83.
*filium Dei* idem ſignificare evinci, ſibi perperam perſuaſerunt. Quamvis p. 89.
autem facile largiatur, Chriſtum ob miraculoſam ſuam conceptionem quandoque, quandoque ob miſſionis ſuæ dignitatem, nonnunquam etiam ob glorioſam reſurrectionem, filium Dei vocari; ſolide tamen ob æternam illam filiationem ei titulum iſtum competere defendit. Reverendiſſimum vero Cantuarienſem Archiepiſcopum idem hac ex parte cum Adverſario ſuo ſenſiſſe, uti temere ille jactaverit, ex ejus verbis non eſſe ſatis evidens declarat; quemadmodum & doctiſſimum Elienſium Præſulem ab eadem ſuſpicione vindicat.

Ultimum denique crimen, quod in Adverſario ſuo Eduardus p. 94.
invenit, eſt, quod de ſatisfactione Salvatoris ne verbum quidem habeat; quod denuo ſuſpicionem de ejus Socinianiſmo confirmet, idque eo magis, quod ex profeſſo beneficia adventus Meſſiæ exponens, eam plane intactam reliquerit. Cum autem ſupra memoraverimus, eum pro-

ducere verba quædam, quibus ſatisfactionem ſubinnuiſſe ſe dicat, generalia nimium illa hic videri Eduardo obſervamus. Reliqua, quæ de ejus ingenio & artibus veteratoriis notat, prætèrimus, nec prolixe repetimus juſtas animadverſiones, quibus ob ſyſtemata, ſymbola, ipſamque orthodoxiam paſſim deriſam eum perfricavit. Accuſationem vero ejus, qua perſuadere aliis voluit, neminem eſſe, quem Atheum Eduardus facere non cupiat, ſtudioſe a ſe depellit, zelumque ſuum paſſim ab eo improbatum defendit; quæ cum aliis hisce ſimilibus ſine Lectorum injuria intacta relinquere nos poſſe exiſtimamus.

Reſponſio ad alterius Sociniani objectiones, huic libro annexa, Eduardo nata inde eſt, quod Socinianus quidam Scriptor, ægre ferens ſuam ſectam inter Atheorum turmas in libro Eduardi de Atheiſmi origine cenſeri, depellendam iſtam, ut putavit, injuriam crederet. Ejus itaque exceptionibus paucis paginis reſpondendum duxit, in quibus cum pauca magni momenti occurrant, & nos quoque diu ſatis in hisce morati fuiſſe nobis videamur, pace Lectorum noſtrorum filum iſtud hic abrumpere nos poſſe, plane perſuaſum habemus.

## *D. VITI RIEDLINI, PHYSICI AUGUSTANI ET ACADEmici Curioſi Lineæ Medicæ, ſingulos per Menſes quotidie ductæ.*

Auguſtæ Vindelicorum, impenſis Laur. Kronigeri & Hæredum Th. Gobelii, 1695. in 8. Alph. 1. plag. 16.

TUm noto illo adagio Apelli adſcripto; *nulla dies ſine linea*, tum Naturæ Curioſorum lemmate, nunquam otioſos ſuos eſſe jubente, incitatus Auctor experientiſſimus, Lineam hanc Medicam anno 1694. ducere cœpit, & ſingulis diebus aliquid, quod vel ipſa praxis, vel lectio auctoris, vel ſermones cum amicis habiti ſuggeſſerant, in chartam conjecit, cumque per integrum illum annum hic labor Dei gratia feliciter ſucceſſiſſet, tandem tum per typos eundem communicare, tum continuare, ſecum decrevit, & ſemper ſub anni ſequentis, quo nempe primus typis expreſſus fuit, titulo, uti & ex præfatione conſtat. In hisce Lineis licet nonnulla inveniantur, quæ communia & quotidie occurrentia jure merito nominantur, ea ipſa tamen ſunt, circa quæ tyrones practici plerumque valde hærent, & ſi vel plu-

res

res evolvant auctores, ſæpe incertiores ac ante fuerant, recedunt; ubi hæ Lineæ iisdem maxime ex uſu eſſe poterunt, ſæpius quippe iteratæ experientiæ innixæ, & fideliter communicatæ: non deſunt tamen & curioſa quædam, & jucunda, & quæ doctioribus anſam meditandi ſufficientem ſuggerere poſſunt; ſunt quædam, quæ ſententias adhuc dubias magis confirmant, & alias, ut magis confirmentur, opus habere demonſtrant, & quæ ſunt plura, quæ ſedulus Lector facile notabit. Et ut ex ſingulis menſibus unicum hic producatur exemplum, in primi Linea XXIV narratur, quod nonnulli, qui petechiis, maculis illis tantum pleriſque metum injicientibus, laborarint, aeri frigido impune ſe commiſerint, interque hos Centurio quidam & iter ingreſſus fuerit, non imitando tam, quam mirando exemplo, docente tamen ſimul, quod nihilominus de ægrotis & hoc modo ſe gerentibus, non ſemper ſtatim deſperandum ſit. Februarii XVII Linea indicat, quod quædam enormi menſium fluxu correpta per errorem pulverem ſympatheticum ore ſumſerit, hincque vomitu ſuccedente curata fuerit, errore huic quidem feliciter cedente, quantum tamen fieri poteſt in aliis evitando. Martii XXIII hiſtoria, quod quidam Confectionem Hamech loco confortantis præſcripſerit, quantum opus ſit, ut compoſitorum ingredientia noſcat medicus, probatur. Quam merito Chamæmelum inter febrifuga referatur, in Linea V menſis Aprilis legitur. Cum China Chinæ hac ipſa de cauſa tantum non in omnium ſit ore, quomodo hactenus illam adhibuerit Auctor, & quidem Dei gratia feliciter, Linea VIII. menſis Maji docet; cum Linea hanc antecedens, quod & in aliis morbis periodicis non ſine fructu in uſum trahatur, probaſſet, Nimium cum nonnulli de alvo aperienda ſoliciti ſint in morbillis etiam, quibus tamen jam præſentibus quæcunque purgantia haud ita conveniunt, quod per ſex vel ſeptem dies nonnullis alvi obſtructio nullum faceſſerit negotium, ex Linea XII menſis Junii legi poteſt: tuto itaque & alii inpoſterum alvum obſtructam in ejuſcemodi morbis eo minus curabunt. Cum inter quoſdam intercedant de ſuperfœtatione lites, quomodo equorum quidam magiſter eandem exacte notaverit in equa, quæ binos diverſos uno partu edidit fœtus, cum bis antea marem admiſiſſet, menſis hunc ſequentis Linea XXV deſcribit. Quam difficile ſit certi quid de morbis prædicere, communis eruditorum etiam medicorum eſt querela, quam qua morbos puerorum magis con-

firmat Linea XVIII menſis Auguſti. Quod virgo quædam genus mutaverit, cum clitoris inſtantibus primo menſibus admodum turgens notaretur, nonnullos credidiſſe, ex menſis Septembris Linea XV conſtat. Quæſtio medico-legalis, an tortura in ſenibus inſtitui poſſit, in menſis Octobris Linea XXIV. aliquo modo deciſa invenitur, exemplo vetulæ cujusdam, in qua conceſſa fuit. November, præter alia, de conſultationibus medicis notatu digna nonnulla Linea III. adducit; & ultimi hujus anni menſis Linea XXVII, quomodo ſerum ſingulis menſibus per ſcrotum in ſat magna quantitate evacuatum quendam ab hydrope præſervaverit, narrat. Deſcribuntur inſuper in his ipſis Lineis nonnulla tum ſimplicia tum compoſita medicamenta, viribus illorum, quas experientia aut ſuggeſſit, aut confirmavit, adjectis. Continuabitur vero, Deo juvante, hic labor, & ſicuti ſecundus annus jam totus fere typis exſcriptus eſt, ita & tertius brevi, & hunc forſan plures ſequentur.

## Zugleiche Vorſtellung derer älteſten und berühmteſten Baumeiſter ꝛc.

Hoc eſt:

***PARALLELISMUS ARCHITECTORUM CELEBRIORUM &c.***

*Auctore JOANNE CHRISTIANO SEYLERO.*

Lipſiæ, ſumtibus Autoris, 1696, in fol. Plag. 19, cum figuris æneis 9 regalis formæ.

QUanto ſemper in pretio fuit ſtudium, Græcis & Romanis antiquitus in extruendis exornandisque ædificiis; præcipue publicis poſitum, eorumque æmulatione quadam ad alias Europæ gentes politiores derivatum, ac ab his ad noſtra usque tempora ſtrenue exercitum: tanta etiam difficultate laborare creditum eſt pleriſque, quibus rationes operum antiquorum, quæ ſtudii hujus artificibus legum inſtar eſſe ſueverunt, tam inter ſe diſſonæ deprehenſæ ſunt, tamque laxis & inconſtantibus proportionum vinculis nexæ, ut ipſo etiam architectandi conſultiſſimorum judicio ſolida ratione deſtitui, ſolaque architectorum idiognome ſuffulciri, ſaltem ab hoc probro non ſatis vindicari poſſe cenſerentur. Quæ hujus argumenti ſunt, concinno diſcurſu in *Opere ſuo Ordinationis quinque columnarum &c.* erudite complexus eſt *Claudius Perraltius*, cujus momenta, cum ante duodecennium, *Actorum anni 1684 menſe Martio, p. 128*, librum hunc recenſeremus, ſtudioſo Lectori pluribus expoſuimus. Præ-

Præter hunc legum architectonicarum, a diverſis magiſtris ſic aliterve ſancitarum diſſenſum, pulcherrimæ utiliſſimæque hujus artis ſtudioſis non parum negotii ſubinde faceſſit probatorum Architectonices ſcriptorum penuria, atque ob raritatem eorum, ſumtusque magnitudinem, comparandi eos difficultas; tum labor in conferendis artificum præceptis adeo difformibus, nec uno pede modulove (in quo tamen cardo totius architectonici negotii vertitur) incedentibus: ut adeo merita commendatione defraudandi non ſint, qui collatis inter ſe celebriorum artis hujus autorum ſenſis, eosdem uno opere operaque complexi, utrique huic difficultati medelam adhibere contenderunt.

Laudandus inter hos eſt gentilis noſter *Andreas Bœcklerus*, qui primus, quantum quidem conſtat, operam ſuam huic rei collocavit, & hoc fine ante quinquaginta circiter annos, duo paria famoſiſſimorum architectorum, *Palladium* ac *Barozzium*, *Serlium* item & *Scamozzium*, in *Compendio Architecturæ civilis*, inter ſe commiſit: quem non ſequiori cura, judicio vero limatiori, ante viginti, & quod excurrit, annos edito *Curſu Architectonico* (vide *Acta anni 1685 menſ. Sept. p. 428.*) inſecutus *Franciſcus Blondellus*, cum *Vitruvio* optimisque ejus interpretibus; cum *Barozzio* rurſus, *Palladio* & *Scamozzio*, exacto ſtudio penſitatis eorum ſententiis, paria exſecutus eſt. Paulo poſt hunc *Philippus Duſſartius* in *Theatro Architectonico*, inſtituto gemino, *Cataneum Palladio*, *Serlium Barozzio*, *Brancam Scamozzio* contulit. His utique jungi meretur in limine nobis memoratus *Perraltius*, qui dicto opere non ſolum diverſorum artificum placita, ſed ipſa etiam antiquitatis exempla maxime illuſtria ex adverſo poſita juſto ſubjecit examini, decretumque ſuum tam varie inter ſe certantibus interponere non dubitavit.

Utcunque autem hi aliive in hac arena hucusque deſudaverint: non tamen aliorum induſtriæ nihil reliquiſſe cenſendi ſunt, in quo & ipſi publico militare commodo non poſſint. Cum enim architectorum, qui inter principes haberi merentur, omnium merito ſuffragia audienda ſint, ubi leges pangendæ architectonicæ; ex collatione unius cum altero, aut paucorum inter ſe, neglectis cæteris ingenio non inferioribus, judicium de argumento propoſito non æque dextre ferri poteſt, quam perceptis omnium, unique velut aſpectui expoſitis ſententiis.

 Occu-

Occupavit hanc operam præſenti libro clariſſimus *Seylerus* noſter, celeberrimorumque novem virorum, *Vitruvii*, *Leonis Baptiſtæ Alberti*, *Sebaſtiani Serlii*, *Petri Catanei*, *Andreæ Palladii*, *Jacobi Barozzii* (ſub *Vignolæ* nomine aliis decantati) *Vincentii Scamozzii*, *Joannis Brancæ* & *Nicolai Goldmanni* placita, circa quinque columnarum ordines, eorumque columnationes & arcuationes, portas, feneſtras, forulos, incumbas & interliminaria ſigillatim at compendioſe tradita, novem tabulis grandioribus æri eleganter accurateque inciſis, ita Lectorum oculis explicavit, ut uniuscujusque eorum ſtructuras, harumque ſingularum a cæteris differentias uno obtutu plane pleneque poſſit comprehendere.

Ipſe *Liber*, præmiſſis terminorum explicationibus, communiora problemata, delineationibus columnarum neceſſaria reſolvere docet; poſt columnationes & arcuationes per ſingulos ordines, juxta ſupra nominatos *Autores*, earumque partes & partium menſuras in Tabella recenſas deſcribit. Sigillatim deinceps Ordinum quinque originem & natales, ut plurimum ex *Scamozzio*, & columnarum conſtructionem juxta præcepta dictorum *Autorum* tradit. Cumque *Autori* noſtro *Blondellus* omnium diligentiſſime in Architectonices ſcriptorum doctrinas & ſententias inquiſiviſſe, eorumque errores correxiſſe viſus eſſet, operæ pretium judicavit, ex ipſius Curſu architectandi regulas & ſtricturas potiſſimas per ſingula columnarum membra in ſynopſi ſub finem libri annectere.

Quantum ad *Tabulas*, earum *Ima* definitionum & problematum initio libri propoſitorum explicationi inſerviens, partium columnæ principaliorum per ſingulos ordines altitudines, ecphoras & crepidines numeris expreſſas, cum rudi earum delineatione ſiſtit, membrorumque minorum ſeu ornamentorum ſpecies, & ſchemata problematum ſolutioni neceſſaria; II & IIItia, columnationes & arcuationes &c. ſecundum *Palladium*, *Vignolam* & *Scamozzium*, cum portis & feneſtris *Palladianis*: *reliquæ* ad *ultimam* usque, ipſas columnas, *ſingulæ* ſingulorum ordinum, ex ſæpius nominatis novem *Autoribus* integras cum partibus ſuis ære expreſſas referunt. *Nona* denique, ab uſu *univerſalis* Autori nuncupata, aſſumta vice moduli ſemicraſſitie ſcapi, omnes partium columnæ menſuras *Autoribus* dictis uſurpatas, tanquam in abaco exhibens, Indicis inſtar eſſe poteſt, qui non ſolum membrorum minu-

TAB. VIII. ad A. 1696.
*pag. 479.*

*fig. 2.*





*fig. 1.*





*fig. 3.*





*Fig. 4.*




*E Andre-Sohn f.*

minutiorum altitudines in antecedentibus tabulis forte minus dilucide ſignatas, ipſaque membrorum nondum expreſſa nomina, promte ſuppeditet, & ordinationes ac ſpecies membrorum, unicuique *Autorum* proprias indicet; ſed etiam, quantum hi in unaquaque parte a ſe invicem diſſideant, quaque ratione columnæ juxta cujuscunque praxin juſte delineari queant, artis hujus ſtudioſum dextre informet. Pollicetur autem *Autor*, ubi hunc laborem ſuum Lectori gratum cognoverit, ejus continuationem, circa publicationem ichnographiarum coronicis per ſingulos ordines, diverſosque modos conſtructionis ſcalarum & caminorum.

## *J. B. COMPLANATIO SUPERFICIERUM CONOIDICARUM & Sphæroidicarum.* Conferantur *Acta m. Junii hujus anni p. 296.*

OCcaſione Problematis Florentini, inter alias ejus ſolutiones ante hoc quadriennium m. Aug. 1692 exhibitas, primus aperui artificium, ex ſuperficie ſphærica portionem abſcindendi dato cuivis plano æqualem. Habui quidem jam tum modum iſtud efficiendi mechanice in quavis alia ſuperficie conoidica vel ſphæroidica, cum & ſimplicioris quodammodo ſit inventionis, & meditanti mihi primo ſeſe obtulerit; ſed quoniam rectificationem lineæ circularis ſupponebat, contempſi. Nunc quia video, Fratrem hæc dignari, quorum mentionem faceret publice, placet etiam Lectori breviter exponere, quid ego hic tum præſtiterim. Sint duæ Curvæ (Fig. 1.) quæcunque AHC & PEF in eodem plano exiſtentes, & ſumtum in priore indefinite punctum H, e quo demiſſa intelligatur in axem normalis HI ſecans curvam PEF in E, necnon ducta tangens HM, eique perpendicularis radius oſculi HN ſecans axem in G, & curvam PEF in F. Eſto etiam punctum aliquod in axe fixum O, & ſit ducta OH ſecans curvam PEF in P, eique normalis OR tangenti HM occurrens in R. Quibus poſitis inveni, quod ſi ſumatur quarta proportionalis ad tangentem HM, ſubtangentem MI & applicatam IE, eique ex peripheria circuli HKL rotatione puncti H circa axem AD deſcripti æqualis abſcindatur arcus HK (quod fieri poteſt mediante Quadratrice, Trochoide, Linea ſinuum, aut aliter) atque hoc ubique fiat, junganturque in ſuperficie conoidis omnia puncta K curva AK, æquabitur trilineum TAB. VIII. Fig. 1.

neum gibbum AHKA ſpatio curvilineo plano AIEPA. Quod ſi fiat arcus HK æqualis quartæ proportionali ad duplam NH, NF + NG & NF - NG ſeu GF, reſultabit trilineum AHK = portioni dati plani AGFPA. Sin vero ſtatuatur HK talis, ut habeat ad ſemiſſem rectæ OP rationem compoſitam ex ratione totius OP ad OH, & ipſius OR ad RH, fiet AHK = portioni AOPA: multifariam enim Problema confici poſſe animadvertebam, prout datum planum hoc vel illo modo in elementa diviſum conciperetur. At quoniam omnes iſtæ conſtructiones circuli tetragoniſmum ſupponebant, cœpi cogitare, annon etiam absque hoc liceret intentum aſſequi, ſi curva data PEF, quæ modo in plano per axem conoidis intelligebatur, transferretur in planum baſis conoidis; nec mea me fefellit opinio, mox enim deprehendi, quod in ſuperficie quorundam conoidum etiam geometrice conſtitui poſſit portio, quæ dato plano ſit æqualis: quanquam vero id de ſola ſphærica oſtendiſſe tum contentus fui, cum de alia non ageretur, puto tamen, neminem perſpecta conſtructionis meæ analyſi latere poſſe methodum hoc univerſaliter præſtandi, indeque omnia TAB. VIII. determinandi conoidea, in quibus negotium abſolute ſuccedat. Eſto Fig. 2. (fig. 2.) AC curva, ut antea revolutione ſua circa axem AD generans conoides, cujus baſis circulus BHC, in cujus plano ſit projecta data curva PEF, tum vero in plano per axem conoidis ADC concipiatur alia curva LMN ita comparata, ut applicata GM ubique ſit æqualis rectæ IK ductæ ab interſectione I ad axem AD normaliter curvæ AIC. Quo poſito ſumatur indefinite aliud quodvis planum per axem ADH, formans in ſuperficie conoidis curvam ARH eandem cum AB vel AC, & ex puncto H agatur radius HD, & recta HQ perpendicularis ipſi BD, quarum illa ſecet curvam datam PEF in E, hæc in P. Dico, ſi ex curvilineo ADNL reſecetur portio AGML, quæ ſit æqualis vel ſemiſſi quadrati rectæ DE, vel toti ▭lo HQP, atque reſectæ portioni curvæ AI ex ARH æqualis abſcindatur AR, idque ſemper fiat, fore trilineum gibbum ARSA in priori caſu = portioni dati plani BDEPB, ſin poſteriori = portioni BQPB; hic enim iterum res varie conficitur, & obſervari poteſt, quod ſi loco portionis AGML altera DGMN æqualis ponatur ſemiſſi dicti quadrati DE vel dicto ▭lo HQP, atque abſciſſæ curvæ CI æqualis ubique ſtatuatur HR, tum quadrilineum gibbum BHRS dato plano BDEPB vel BQPB futurum eſt æquale. E qui-

quibus patet, quoties curvilineum ADNL quadrabile eſt, hoc eſt, curva AIC talis exiſtit, ut ſumma omnium perpendicularium IK ductarum in elementa abſciſſarum AG geometrice haberi poſſit (quod non tantum in circuli peripheria, ſed etiam in linea recta, curva parabolica & infinitis aliis in caſibus contingit) ſemper dato plano æquale ſpatium ex ſuperficie conoidis abſcindi poſſe; & utile eſt, ſimpliciores caſus, qui præ cæteris elegantiora Theoremata ſuppeditant, ſpeciatim annotaſſe. Sed & hoc tenendum eſt, quod in ejusmodi Conoidibus omnibus eadem quoque facilitate abſolvatur converſum Problematis, nempe: *Datam portionem ſuperficiei conoidicæ vel ſphæroidicæ in planum projicere, ſeu planum conſtruere illi æquale*; quod pluribus explicare opus non videtur.

Quoniam hæc omnia occaſione Problematis, quod celeberrimus Vivianus Magni Ducis Hetruriæ Mathematicus, edito A. 1692. ſcripto publice propoſuit, in medium allata ſunt, non alienum erit hoc loco memorare, quod paucis Lectorum noſtrorum animadverſum puto; nempe conſtructionem Problematis, quam clariſſimus ejus Auctor (vid. m. Majum 1694) ope torni inſtituendam exhibuit, reipſa plane convenire cum ea, quam dederam m. Aug. 1692. p. 370. artic. 1. quod ita demonſtro: In baſe hemiſphærii (Fig. 3.) ABCDE, cujus centrum F, diameter BD, radiis BF, FD tanquam diametris alii duo circelli BHF, FLD deſcribantur, quorum uterque ſit baſis alicujus cylindri recti, quo velut trepano perforari intelligatur globus. Sumatur in circumferentia alterutrius circelli BHF quodvis punctum H, e quo excitetur HI recta ad planum baſis BHF, occurrens ſphæricæ ſuperficiei in I, quod ſic unum erit eorum, in quibus ſuperficies ſphærica & cylindracea ſe mutuo interſecant. Dico, hoc idem quoque reperiri per meam conſtructionem: Ductis enim BH, HF, FI, ac demiſſo per I quadrante verticali AIG, liquet, quod in Triangulis BHF & FHI, propter BF = FI, latus commune HF & angulos BHF & FHI rectos, latera BH & HI quoque æquentur; unde & arcus BG & GI, quorum ſinus iſta latera ſunt, æquabuntur; id eſt, ſi circulus BCDE fingatur eſſe æquator, A polus, BAD primus meridianus, AIG meridianus loci I, longitudo puncti I ipſius latitudini æquabitur. Quod ipſum eſt, quod noſtra conſtructio articuli primi præſcribit.

TAB. VIII. Fig. 3.

## EXPLICATIO MARMORIS CUJUSDAM ANTIQUI.

TAB. VIII. Fig. 4. MArmor ipſum, cujus figuram æri inciſam hic exhibemus, Romæ in ædibus illuſtriſſimi Marchionis *Camilli Maximi*, Equitis Romani non generis minus nobilitate quam rei antiquariæ cultu florentiſſimi, viſitur. Hujus inſcriptio cum ſubobſcura eſſet, nec idem de ejus ſenſu Romæ Viri eruditi ſentirent, noſtram quoque de ea mentem Vir clariſſimus *Jo. Baptiſta Marinella* explorandam cenſuit, figura marmoris, prout ea ab eruditiſſimo Abbate *Paſtritio* Græcarum literarum in Collegio de Propaganda Fide Profeſſore delineata fuit, per illuſtriſſimum S. R. I. Comitem *Mediobarbum Biragum* eo fine transmiſſa. Et deprehendimus utique ſculptoris ruditatem ac oſcitantiam, per quam non potuerunt non nebulæ hic illic Lectorum oculis offundi. Nec difficili tamen negotio *Joh. Godofredus Herrichius* noſter, Vir clariſſimus & Græce ac Latine doctiſſimus, vocibus probe ſeparatis, paucisque literis, quæ perperam inciſæ aut mutilatæ erant, emendatis, inprimis vero τῷ CAC, quod in ſuperiore area conſpicitur, & vel maxime crucem figere Lectori poteſt, ſuum in locum repoſito, & lectionem inſcriptionis genuinam reſtituit, & ſenſum ejus ſatis ita nunc, ut arbitramur, planum ac perſpicuum eruit. Epitaphium nempe eſt Hexaſticha exhibens, in infantem puerulum decem duntaxat menſium, eumque formoſiſſimum, fortaſſe etiam nobili & Patricia ſtirpe oriundum, a liberto, ut apparet, ſeu cliente quodam, gratiæ a Patrono ineundæ ergo concinnatum: quod ut cum omnibus harum rerum cupidis communicaretur, operæ pretium duximus. Ita ergo legendum:

*Βαιὸν ἐπιςήσας ἴχνος ἐνθάδε τύμβον ἄθρησον*
*Παιδὸς ἄφνω μαζῶν μητρὸς ἀποπταμένȣ.*
*Ὤχετο δ' ἐν νεκύεσσι λιπὼν πατρὶ πένθος ἄληκτον*
*Δισσὴν πληρώσας πεντάδα τῶν συνόδων.*
*Τοῖος δ' ἦν γεγαὼς, οἷος ποτε φῦσεν Ἴακχος,*
*Ἢ θρασὺς Ἀλκίδης, ἢ καλὸς Ἐνδυμίων.*

Latine ita reddit laudatus Herrichius:

*Paulum ſiſte gradum, puerique hic aſpice tumbam,*
*Matris ab uberibus qui velut umbra volat.*

Is

*Is deſiderium patri luctumque reliquit,*
*Impleſſet menſes cum vaga Luna decem.*
*Attamen hic moriens, oriens velut alter Jacchus,*
*Pulcher & Alcides Endymionque fuit.*

## *CHRISTIAN WEISENS CURIEUSE* Fragen über die *LOGICA.*
h. e.
## *CHRISTIANI WEISII QUÆSTIONES LOGICÆ CURIOSÆ.*
Lipſiæ apud Hæredes Groſſianos, 1696. in 8. Alph. 2. plag. 19.

## *CHRISTIANI WEISENS* Außführliche Fragen über die Tugend-Lehre.
i. e.
## *CHRISTIANI WEISII QUÆSTIONES ETHICÆ UBERIORES.*
Lipſiæ apud Jac. Gerdeſium, 1696. in 8. Alph. 1. plag. 16.

CONſultumne ſit, in ſcholis noſtris patrio idiomate artes tradi ac ſcientias, disquiri ab aliquo tempore hominum ſermonibus cœpit. Sunt enim, qui probant id ſuadentque omni ſtudio, quod nulla ratione rectius feliciusque accendi ad Germanicæ linguæ cultum animi adoleſcentum poſſe videantur, quem magis magisque provehi, utile non minus ac decorum arbitrantur. Neque deſunt tamen viciſſim, quibus inſtitutum hoc adeo diſplicet, ut ea via linguarum, Græcæ ac Latinæ, quas intemeratas tamen conſervari totius literati orbis intereſt, neglectum nauſeamque paulatim obrepturam, priſtinamque reductum iri barbariem ominentur. Sed de eo decernere illorum eſt, qui cum auctoritate ſcholis moderantur, ac juventutis ſtudioſæ fata diſpenſant. Nec quisquam tamen facile inficiabitur, non inutile fore publico, & ad decus patriæ linguæ, quam ex genio indoleque ſua exprimendis perſpicue artium ac diſciplinarum præceptis imparem minusque idoneam perperam multi credunt, pertinere, ut illarum minimum ſcientiarum, quibus imbui quosvis promiſcue decet, ſyſtemata extent Germanico ſermone adornata. Nec alia mens clariſſimi *Weiſii* fuit, quando diſciplinas duas, quarum altera intellectus, ne in veritatibus inveniendis, comprehendendisque & di judicandis aberret, munitur, altera voluntas ad fugam vitiorum ſectandamque honeſtatem inſtruitur, Logicam inbuam atque Ethicam, patrio idiomate

eoque, qua eſt in exprimendis perſpicue meditationibus ſuis felicitate, claro liquidoque tradendas ſuſcepit. Utique enim non iis tantum, qui literarum ſtudiis ſe totos dediderunt, ſed & aliis quodcunque vitæ genus profeſſis animi cultus merito commendandus eſt, ſubminiſtrandaque ad eum rite inſtituendum media; qui qua in re alia, quæſumus, quam in duabus illis animæ facultatibus, ratione ac appetitu regendis ac perficiendis, rectius occupabitur? De cætero, præter ea, quæ in aliis Dialecticis Moralibusve ſyſtematibus tradi conſueverunt, haud pauca alibi non obvia, ſed ex fœcundo Auctoris celeberrimi ingenio profecta in hiſce noſtris exhiberi, facile deprehendet, quisquis perluſtrandis illis operæ aliquid impendere non gravabitur.

*JOH. FRANCISCI BUDDEI S.S. THEOL. LIC. & PHIL. Mor. ac Civ. Prof. P. Ord. Diſſertationes Academicæ de Præcipuis Stoicorum in Philoſophia Moralia Erroribus.*

Halæ Magdeburgicæ apud Chriſt. Henckelium, 1696. in 4.

Licet multa a Stoicis, præſertim in morum doctrina, recte atque præclare dicta ſint: multos tamen eosque haud quaquam leves ſubinde admiſerunt errores, iisque Philoſophiam contaminarunt. Præcipuos ergo unico velut faſce complexurus Auctor celeberrimus, initio illorum de anima hominis ſententiam ſub examen revocat. Nimirum & Stoicos animam noſtram pro particula eſſentiæ divinæ habuiſſe aſſerit, idque Epicteti & Senecæ, cumprimis M. Aurelii Antonini effatis comprobat. Addit conſenſiſſe in hoc capite cum Stoicis Pythagoræos, & Platonicos, & veteres quosdam Hæreticos, interque hos Marcionitas a Stoicis potius quam ex Platonis ſchola huncce accepiſſe errorem, probare annititur. Confutato autem eo, de celebri Philoſophiæ Moralis definitione, quod ſit meditatio mortis, diſſerit, eamque Stoicis vendicat, & duos errores graviſſimos, animam ſcilicet noſtram divinæ eſſentiæ particulam eſſe, & omne malum a materia provenire, in ea latitare autumat. Hinc porro obſervat, Stoicos brutis quoque rationem tribuiſſe, & inde celebrem juris naturalis definitionem, quod ſit jus, quod natura omnia animalia docuit, in Jureconſultorum ſcholas fluxiſſe. Rejicit vero & hoc Stoicorum dogma, & bruta ratione utique deſtituta eſſe, paucis demonſtrat.

Diſſert. I.

Quæ

Quæ de bonis quoque & malis Stoicorum ſententia fuerit, ediſſerit, ſuamque hac de re exponit ſententiam. Non diffitetur, de voce hanc litem eſſe, idemque & Senecam aliosque cenſuiſſe docet: interim jure reprehendi Stoicos ait, quod vocibus boni & mali non ita utantur, quemadmodum iis uti conveniat.

Diſſert. II.

In ſecunda Diſſertatione de ſummo, ut vocant, bono diſputat. Recitat nimirum diſſentientes ipſorum Stoicorum de eo ſententias, easque inter ſe conciliat. Hinc quid per ſequelam & imitationem Dei intelligant, exponit, ſimulque oſtendit, impia dogmata præclaris hiſce vocibus tegi. Namque ad fati ineluctabilis leges cuncta redire, Deumque iisdem cum hominibus ſubjici legibus, quin hominem ſapientem cum Deo ſæpius ita componi, ut eidem præferatur, evincit. Paradoxa Stoicorum maximam partem ad ſummam hominis ſapientis felicitatem exhibendam, excogitata eſſe perhibet, & poſtquam quid paradoxum ſit explicavit, cum Chriſtianæ religionis effatis paradoxis ea comparat, tandemque concludit, ea neutiquam rejicienda & reprehendenda eſſe quod ſint παράδοξα, ſed quod multa παράλογα inter ea occurrant. Ad ſingula dum deſcendit, effatum Stoicorum, *Sapientem ſibi ſufficere*, ut παράλογον, damnat. Erraſſe eosdem dicit, dum ſapientem inter tormenta beatum pronunciarunt. His hunc in modum explicatis, ad principia actionum humanarum progreditur. Ea ex Stoicorum quoque mente duo eſſe, intellectum & voluntatem aſſerit. De intellectu præcipiens, ſententiam Stoicorum de intellectu agente refert & explodit, ſimul tamen, quod tum a Platone, tum ab Ariſtotele diſſenſerint, monet. Voluntati libertatem quandoque Stoicos tribuiſſe, Antonini teſtimoniis probat. Sed erraſſe tamen eos, & quidem non una ratione autumat. Primo enim voluntati hominis plus quam par erat eos detuliſſe contendit, dum virtutem a Deo petendam negarunt, eo quod unusquisque a ſe bonam mentem impetrare poſſit. Quo ipſo Pelagio eos præiviſſe exemplum, exiſtimat. Deinde errore contrario & cum priore pugnante, eosdem omnem libertatem voluntati hominis eripuiſſe, eam duriſſimis fati legibus ſubjiciendo, comprobat. Hi ergo errores ut eo facilius ab omnibus agnoſcantur, voluntatis humanæ libertatem rationibus nonnullis adſtruit. Ipſas actiones humanas dum conſiderat, erraſſe Stoicos deprehendit, dum peccata æqualia dixerunt; quem

errorem itidem profligare ſuarum partium eſſe duxit. Tandem et, quod de pœna quoque minus recte cenſuerint Stoici, indicat, effatumque illorum, *Sapientem non ignoſcere*, explodit, & hac occaſione varias illorum λογομαχίας redarguit.

Diſſert. III. De officiis Stoicorum errores indicaturus, perperam officia in κατορθώματα & καθήκοντα ab illis diſpeſci autumat. Interim & ita ea in ſcholis illorum diſtingui, ut alia ſint quæ erga Deum, alia quæ erga nos ipſos nos præſtare deceat, alia denique quæ alii homines ſuo jure a nobis exigant. Hinc erraſſe Stoicos docet, dum Deum pro anima mundi venditarunt, itemque dum duo rerum principia admiſerunt, materiamque æternam eſſe aſſeruerunt. Confert hæc Stoicorum placita cum dogmatibus ſimilibus veterum hæreticorum, & hoſce ea ab illis accepiſſe pronunciat. Conficit quoque hoſce errores rationibus, & num Stoici unum Deum admiſerint, diſquirit, perperamque eos a Lipſio hoc nomine laudatos eſſe contendit. Sed & bonitatem Numinis a Stoicis everti probat, ſimulque fati Stoici malignitatem ediſſerit.

Diſſert. IV. Ad officia quæ homo erga ſeipſum præſtare tenetur, dum progreditur, ἀπάθεια Stoicorum illi occurrit. Quid ergo affectus ſint, & quænam illorum ſit cauſa, ex mente Stoicorum explicat, ſimulque probat, affectus inepte per opiniones ab iis definiri. Indicatis porro diverſis gradibus, in generatione affectuum ab ipſo Seneca obſervatis, Stoicos a Peripateticis reipſa diſſentire negat, modum tamen eos conciliandi pleriſque hactenus uſurpatum rejicit. Hinc quo usque Stoici αὐτοχειρίαν probaverint diſpicit, erroremque huncce longe turpiſſimum explodit, ſuamque ſententiam rationibus firmat. Tandem & hoc nomine Stoicos reprehendit, quod aſſeruerint, *veri ſapientis eſſe publicis muneribus ſe ſubtrahere*. De officiis hominis erga alios multa præclare dicta in Stoicorum ſcriptis occurrere non abnuit, quin eosdem exiſtimaſſe inimicos quoque diligendos eſſe, nonnullis documentis probare conatur. Sed addit tamen, cuncta fere illorum effata quantumvis præclara lubricis & falſis inniti principiis; id quod probare etiam exemplis annititur.

LIBRI

## LIBRI NOVI.

*Bibliotheca Hiſpana Vetus, complectens Scriptores omnes qui ab Octaviani Auguſti imperio usque ad annum MD floruerunt. Auctore D. Nicolao Antonio. Romæ apud Antonium de Rubeis, 1696. fol.*

*Samuelis Lib. Bar. De Puſendorff de Rebus a Carolo Guſtavo Sueciæ Rege geſtis Commentariorum Libri VII, elegantiſſimis tabulis æneis exornati. Norimbergæ apud Chriſtoph. Riegel, 1696. fol.*

*Sentimens des plus habiles Peintres ſur la Pratique de la Peinture & Sculpture. Par Henry Teſtelin. A Paris chez la Veuve Mabre-Cramoiſy, 1696. fol.*

*Specula Phyſico-Mathematico-Hiſtorica notabilium ac mirabilium Sciendorum &c. Autore Jo. Zahn. Norimbergæ apud Jo. Chriſtoph. Lochner, 1696. fol.*

*Muſeum Regium, ſeu Catalogus Rerum tam naturalium quam artificialium, quæ in Baſilica Bibliotheca Auguſtiſſimi Daniæ Norvegiæque Monarchæ Chriſtiani V Haffniæ aſſervantur, deſcriptus ab Olig. Jacobæo. Haffniæ, 1696. fol. Proſtat Lipſiæ apud J. L. Gleditſch.*

*Chronicon Tragicum, ſive de Eventibus Tragicis Liber ſingularis, Hiſtorice & Chronologice deſcriptus a D. Carolo Joſeph Imbonato. Romæ apud Hæredes Corbelletti, 1696. in 4.*

*Abbreviatoris de Curia Compendiaria Notitia Jo. Ciampini, in utraque Signatura Referendarii. Romæ ex typographia R. C. Ap. 1696. in 4.*

*Diſſertatio de nomine Patriarchæ Joſephi a Pharaone impoſito. Appendix de tempore Iſiorum & ætate Gemini, nec non altera de tempore Serapiorum ac Paſſionis S. Marci Evangeliſtæ. Autore F. Guillielmo Bonjour. Romæ apud Fr. de Rubeis, 1696. in 4.*

*Joach. Vicofortii Epiſtola ad Gaſparum Barlæum, cujus Reſponſoria etiam inſerta. Amſtel. apud Georgium Gallet, 1696. 12.*

*Judicium Eccleſiæ Catholicæ trium primorum ſeculorum de neceſſitate credendi, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit verus Deus, aſſertum contra M. Simonem Epiſcopium, authore Georgio Bullo. Amſtel. apud Georg. Gallet, 1697. 8.*

*Jo. Vincentii Gravinæ Opuſcula. Romæ apud Antonium de Rubeis, 1696. 12.*

*Hiſtoire du Marechal de Gaſſion. A Amſterdam, chez J. Louis de Lorme & E. Roger, 1696, 12.*

Tra-

*Traité de la Reſtitution; ou l' on trouvera la reſolution des cas de conſcience, qui ont du rapport à cette matiere. Par Jean de la Placete. A Amſterdam chez G. Gallet, 1696. 12.*

*Jo. Marckii in Hoſeam Commentarius. Diatribe annexa eſt ſingularis de accipienda uxore & liberis fornicationum. Amſtelod. apud Ger. Borſtium, 1696. in 4.*

*Que la Religion Chretienne eſt tres-raiſonnable. Traduit de l' Anglois. A Amſterdam chez H. Wetſtein, 1696. 8.*

*Hiſtoire Chronologique d' Eſpagne, tirée de Mariana & des plus celebres Auteurs Eſpagnols. A Rotterdam, chez Abraham Acher, 1696. 12.*

*Examen de l' Hiſtoire Critique du Nouveau Teſtament, par Antoine Coulan. A Amſterdam chez Paul Marret, 1696. 8.*

*La Religion du Latitudinaire, avec l' Apologie pour la Sainte Trinité, appellée l' Hereſie des trois Dieux. Par le Sieur P. Jurieu. A Rotterdam chez Pierre Vande Slaart, 1696. 8.*

*Juliani Aurelii Leſſignienſis de Cognominibus Deorum gentilium Libri III. Editio nova. Franequeræ apud Jac. Horreum, 1696. 8.*

*Johannis Nicolai Tractatus de Græcorum luctu lugentiumque ritibus variis. Marburgi Cattorum, apud Ephraimum Boncke, 1696. 12.*

*Pauſaniæ Græciæ Deſcriptio, Græce & Latine, cum notis Sylburgii, & Animadverſionibus Joac. Kühnii. Lipſiæ apud Thomam Fritſch, 1696. fol.*

*Annus & Epochæ Syro-Macedonum in vetuſtis urbium Syriæ nummis præſertim Mediceis expoſitæ. Additis Faſtis Conſularibus Anonymi omnium optimis, &c. Autore Cardinale eminentiſſimo Henrico Noris Veronenſi. Lipſiæ apud Thomam Fritſch, 1696. in 4.*

---

Poſtquam abſolutus eſt *ſecundus* Supplementorum *Tomus*, cujus *Sectio duodecima* ſeu ultima nunc editur, indicandum Lectori Benevolo cenſuimus, auſpicaturos nos propediem *tertium* Supplementorum *Tomum*, cujus proinde *Sectio prima* una cum menſe Januario anni proximi, Deo juvante, prodituta eſt.

---

Errata.

Pag. 260. lin. antepen. pro *ipſa* lege *ipſa*, p. 262. l. ult. lege *poſſunt. At quoniam*. P. 263. l. 9. ante *reperiri* pone *ope duarum ſimpliciorum Mechanicarum*. P. 415. l. 29. pro *Xenophagiarum* lege *Xerophagiarum*.

* * *

N. XI.



# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Novembris, Anno M DC XCVI.*

---

ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ, καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις ΚΥΡΙΛΛΟΥ Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας πρὸς τὰ τοῦ ἐν ἀθέοις Ἰουλιανοῦ λόγοι δέκα.

*JULIANI IMP. OPERA QUÆ SUPERSUNT OMNIA, & S. CYRILLI Alexandriæ Archiepiſcopi contra impium Julianum libri decem: cum P. Martinii, C. Cantoclari, Th. Marcilii & Dion. Petavii notis, recenſente EZECHIELE SPANHEMIO, qui Obſervationes adjecit.*

Lipſiæ apud Jo. Lud. Gleditſchium, 1696. in fol. Conſtant alphab. 15. plag. 2.

JULIANI Imperatoris nomen, quam Eccleſiæ inviſum reddidit fœda Chriſtianæ fidei deſertio, atque hoſtilis plane inſectatio; tam acceptum idem atque rei literariæ commendabile effecit excellentis ingenii vis, & exquiſitæ variæque doctrinæ præſtantia. Unde opera ejus & ſcripta, ea quidem parte, qua odii calumniæque virus in veri Numinis cultores effundunt, aut gentilis ſuperſtitionis ineptias incruſtare conantur, optimo cuique diſplicent & improbantur; qua vero ſingularem eruditionis ſpirant elegantiam, & dicendi cum acumine tum copia præcellunt, eruditis in ſummo ſunt pretio atque deliciis. Hujus ergo auguſti Scriptoris monumenta, quæ & temporum injuriam & Chriſtianorum evaſere odium, a renatis literis avide conquiſita, & a viris doctis per partes in lucem protracta, in unum tandem corpus coaluerunt. Primus cum aliis Græcorum *Epiſtolis* Juliani nonnullas anno 1499 divulgavit Aldus, easdemque Miſopogoni adjectas Francofurti Wechelius anno 1565 edidit: *Miſopogonem* vero a Bonaventura Vulcanio Latine verſum Baſileenſes,

 quod

quod indice Simlero e Bibliotheca Geſneriana conſtat, protulere. *Cæſares* Carolus Cantoclarus Latinitate donatos ac notis inſtructos Pariſiis anno 1577 publicavit, nec multo poſt, anno 1583 in eadem urbe Juliani *opera*, quæ tum quidem innotuerant, omnia prodiere, triumviris in id operam conferentibus, Petro Martinio Navarro, qui Miſopogonem & Epiſtolas, Carolo Cantoclaro, qui Cæſares denuo cum MSto codice collatos, & Theodoro Marcilio, qui Hymnum Solis in Latinum convertit & illuſtravit. Felicioribus demum auſpiciis Juliani ſcriptis manum admovit Dionyſius Petavius, magnum in republica literaria nomen, primusque *tres Orationes* panegyricas e MSto Regiæ Bibliothecæ erutas, Latinaque interpretatione & notis illuſtratas, Flexiæ anno 1614 in lucem protulit; & tandem ſedecim poſt annis, integra Juliani opera, quotquot edita aut MSta extare noverat, anno hujus ſeculi triceſimo, Græce Latineque cum notis evulgavit. Quæ Petaviana operum Juliani editio quum jamdiu fruſtra in tabernis librariis quæreretur, perſuaderi ſibi paſſus eſt noſtratium librariorum quidam, ut iſta ſuis ſumptibus in lucem revocanda ſuſciperet. Ut vero in recudendis iis aliquod operæ pretium fieret, nec tanto operi ſummi Imperatoris impar contingeret novus editor, adeundum rogandumque cenſuit eum, cujus in transferendis in linguam Gallicam illuſtrandisque Juliani Cæſaribus præclariſſima opera anno 1683 eluxerat, EZECHIELEM SPANHEMIUM, ſummis in rem civilem & literariam meritis illuſtrem, ut is pro ſua omnis doctrinæ copia hanc editionem ornare, eidemque de ſuo nomine ſplendorem & gratiam conciliare vellet: præſertim quod orbi erudito in Præfatione ad Cæſares fidem quodammodo obſtrinxiſſet, fore ut univerſa Juliani opera a ſe illuſtrata aliquando in lucem emitteret. Quamvis autem illud edendi Juliani opera propoſitum, aliis gravioribus curis & a potentiſſimo Hero demandatis negotiis impeditum, intra deſtinationem adhuc ſtetiſſet, nec ſylva vel apparatus explanando tam docto atque ingenioſo Scriptori neceſſarius collectus digeſtusve eſſet, quin potius in alias lucubrationes, quas Belgarum præla expectabant, perficiendas aut perpoliendas, quantum Reipublicæ ſinebant negotia, Vir illuſtriſſimus totus eſſet intentus; dedit hoc tamen precibus bibliopolæ, ut, ſepoſitis quæ præ manibus erant, ad hoc opus ſe accingeret, & oblata hac occaſione fidem olim da-

tam

tam liberaret. Primum ergo Petavianam editionem integram exhibuit; Græca tamen e MStis correctiora & hinc inde lacunis expletis auctiora dedit: idque ope potiſſimum codicis MSti longe optimæ notæ, quem ex Iſaaci Voſſii bibliotheca depromtum jam olim in Gallia Angliaque excellentiſſimus Editor verſaverat: qui & Miſopogonem cum chartaceo codice Reginæ Chriſtinæ Romæ contulit; & ultimam Juliani Epiſtolam, multis antea hiatibus adeo informem ut nec bene verti potuerit, ex Allatii libro ita ſupplevit, ut huic quoque verſionem addere licuerit. Denique Pariſiis incidit in Cæſares Cantoclari, quibus literata manus varias lectiones, easdem ferme quas Voſſianus codex demonſtrabat, adſcripſerat. His vero ſubſidiis ad emendandum Julianum tam religioſe uſus eſt, ut in ipſis Auctoris verbis nihil, niſi veterum librorum auctoritate, immutaret aut ſuppleret; quæ conjecturis vero, licet nonnunquam prorſus veris, niterentur, ad Obſervationes, exemplo Petavii, rejiceret. Neque verſionem Interpretum interpolare ſuſtinuit, frequentes licet illorum lapſus deprehenderet, & ne ea quidem, quæ Petavius converterat, reliquæ ejus in transferendis Græcorum ſcriptis diligentiæ aut facultati reſponderent. De his ergo interpretationum nævis lectores potius in Obſervationibus admonendos cenſuit, ita tamen ut ab omni contumelia & inſectatione interpretum ſibi temperaret. Deinde S. Cyrilli Alexandrini in Julianum libros decem ab operibus Juliani abeſſe non oportere judicavit, eo quod ipſum illud Juliani adverſus Chriſtianam fidem opus, (ſeu Hieronymo teſte ſeptem, ſeu Cyrillo affirmante tribus conſtiterit libris), communi alias fato cum reliquis Gentilium in Chriſti doctrinam ſcriptis involutum, & juxta Theodoſii junioris legem ſine dubio abolitum, in illa Cyrilli apologia conſervatum, eique magna ex parte inſertum legatur. Has ergo graviſſimi Patris pro tuenda divina veritate ſuſceptas cum callidiſſimo rei Chriſtianæ adverſario diſputationes, ſi non acuminis, ingenii & eloquentiæ laude, at rationum pondere, gravitate, fide Julianeis multo ſuperiores, pari cura & induſtria recenſendas atque illuſtrandas ſumſit. Porro ne quid huic editioni deeſſet, quod in prioribus extaret, non Petavii modo præfationem & notas, ſed & aliorum doctorum virorum, Martinii, Cantoclari, Cunæi, Marcilii, in Julianum curas & præfationes in calcem operis conjecit. Denique præter ſplendidiſſimam & au-

guſto Principe dignam Dedicationem, quæ potentiſſimi Electoris Brandenburgici ingentia pace belloque merita veriſſimis laudibus exſequitur, & perfecti panegyrici vicem ſuſtinere poteſt, luculentam toti Operi præmiſit Præfationem, qua & inſtituti ſui rationes, quas attigimus, ornate graviterque exponit, & de Juliani ſcriptis eorumque præſtantia & fructu erudite & copioſe diſſerit.

Ac ſcriptorum quidem Juliani, quæ ab ipſo Juliano aut a veteribus memorantur, quædam deperdita obſervat: veluti *Orationes in nobilem freti conjunctionem* elaboratas, Orationem *invectivam in Conſtantium Imperatorem*, Commentarios *rerum a ſe in Germania geſtarum*, Librum *de tribus figuris*, & alterum *unde ſecundum indoctos oriantur mala*, *Saturnalia*, (utpote quæ a *Cæſaribus* diverſa eſſe jam viderat Petavius) nec non quasdam *Epiſtolas* aut *Poemata*, de quibus ex teſtimoniis veterum de Juliano, ad calcem Præfationis diligenter congeſtis, abunde conſtare poteſt. Quæ vero ad hanc ætatem pervenerunt, ad quatuor claſſes illuſtrisſimus Editor revocat: *Orationes*, *Epiſtolas*, Satyricos duos libellos, *Cæſares* & *Miſopogonem*, & denique *adverſus fidem Chriſtianam ſcriptos libros*, in eorundem confutatione, a S. Cyrillo ſuſcepta, magnam partem ſervatos & ad poſteritatem tranſmiſſos. Ex *Orationibus* tres ſunt panegyricæ, quarum duæ Conſtantii Imp. tertia Euſebiæ Auguſtæ laudes celebrant. Duæ hymnorum vicem ſubeunt, in Solem & in Matrem Deûm conditæ: prior tempore ludorum INVICTO SOLI apud Romanos exeunte Decembri ſolennium; poſterior occaſione ſuſceptæ a Juliano ad Deam Phrygiam expeditionis elucubrata. Succedunt duæ in Cynicos imperitos, ſeu verius adulterinos, ſcriptæ, quod illi a veris ſectæ hujus placitis & ab ejusdem auctorum moribus longe recederent. Has excipit Sermo conſolatorius ad Saluſtium Galliarum præfectum, quem a latere Juliani jam Cæſaris Conſtantius abſtraxerat, eo quod inter hos arctisſima intercederet amicitia, e multis Saluſtii in Julianum, diſciplinæ ſuæ alumnum, officiis nata & conſtituta. His adnectuntur duæ longiores Epiſtolæ, prior ad Themiſtium de imperii gerendi ratione & difficultate; poſterior ad Athenienſes apologetica de ſuſcepto imperio & in Conſtantium expeditione. Hinc fragmenta exhibentur Epiſtolæ ad Pontificem quendam gentilem, antea Epiſtolæ ad Themiſtium intexta, de hominum inter ſe com-

mu-

munione, beneficentia, & officio Sacerdotum. Hæc ergo priorem claſſem ſcriptorum Juliani abſolvunt: altera duos continet argutiſſimos lepidiſſimosque libellos, *Cæſares* & *Miſopogonem*. Illo omnes ante ſe Imperatores Satyrico ſale non ingenioſe minus, quam erudite perfricat; hoc Antiochenſium in ſe barbamque ſuam promiſſam jacta dicteria; quum armis poſſet, verbis ulciſci maluit, corruptosque illorum mores venuſtiſſima uſus ironia omnibus deridendos propinavit. Tertiam claſſem variæ conſtituunt *Epiſtolæ*; ex quibus poſtrema, quæ in Sacerdotum officio deſcribendo verſatur, nunc demum integrior & Latine converſa prodit. Quartæ claſſis nihil in codicibus Juliani comparet, ſed quicquid aut ſugillandæ Chriſtianæ religioni, aut tuendæ Gentilium impietati ſcripſit, ex Cyrilli, ut aliquoties diximus, Apologia eſt repetendum. Hæc ipſa vero ſcripta omnia Julianus in ipſo ætatis flore, ab anno nempe viceſimo quarto ad triceſimum ſecundum, quo exſtinctus eſt, compoſuit: & quidem anno æræ Chriſtianæ CCC LV Cæſar a Conſtantio creatus, mox primam condidit orationem panegyricam; & in Galliam miſſus duas ſequenti anno CCCLVI orationes in laudem Conſtantii & Euſebiæ ſcripſit; & inde ad annum CCCLX aliquot epiſtolas e Galliis ad amicos dedit; ipſo illo anno ſermonem conſolatorium ad Saluſtium, & quum arma in Conſtantium cepiſſet, epiſtolam ad Athenienſes perſcripſit. Majorem vero partem ſcriptorum ſolus rerum potitus, a menſe Novembri anni CCCLXI, usque ad V. Kal. Julias anni CCCLXIII, quo periit, inter curas imperii bellorumque diſcrimina, effudit verius quam elaboravit. Quibus nihilo minus tantam ingenii, eruditionis & facundiæ laudem promeruit, ut hac parte ex omni Auguſtorum numero parem habeat neminem. Eloquentiam ſane, ſuos ipſe magiſtros Libanium Themiſtiumque ſupergreſſus, omni Sophiſtices fuco & declamatorio tumore ſpreto, ad ſincerum ſanumque illud Atticorum oratorum judicium exegit. Variis etiam eruditionis ornamentis, atque interiorum literarum præſidiis, orationi ſplendorem & gratiam conciliavit, & cum reliquas lucubrationes mirifice exornavit, tum Cæſares inprimis & Miſopogonem tam feſtive, ſuaviterque condivit, ut ſingula pene verba Oratoris, Poetæ, Hiſtorici, aut alterius veteris Scriptoris, lectionem & uſum erudita alluſione prodant. At gravioris illius doctrinæ, quam Philoſophiam

dicimus, eo frequentiora in his libris apparent documenta, quo profundius ſe Imperator his ſapientiæ ſtudiis immerſit; non clariſſimos modo ſui ævi Philoſophos, & in his Maximum inprimis Epheſium aſſectatus, ſed veterum quoque monumenta hujus generis omnia perreptans, atque in his Platonis maxime ſtudioſus: cujus placita cum Ariſtotelicis conjungenda eſſe, ut ex utrisque perfectæ Philoſophiæ inſtar conflaretur, iſtius ævi communis erat ſententia. Prava etiam curioſitate abreptus, ultra doctrinam a veteribus traditam, neſcio quod arcanæ ſapientiæ genus inde usque ab Ægyptiis, Chaldæis, Pythagoricis, repetitum, & a Jamblicho non ignoto de Myſteriis libro, doctiſſimi Galei cura nuper illuſtrato, expoſitum affectavit, præ quo ſimplex & aperta Chriſti doctrina, quam antea hauſerat, ipſi ſordere cœpit. Hujus autem ſe compotem fore credidit anima Theurgicis purgata ſacris, quæ Platonici recentiores prava Chriſtianorum myſteriorum æmulatione excogitarant, quibusque initiati arctius cum Numine commercium ſeu θειασμοὺς & afflatus divinos jactabant. Quæ quidem Myſticæ Sapientiæ vanitas ex orationibus in Matrem Deûm & in Solem maxime eluceſcit, quibus aniles ineptiſſimasque fabulas ex illa ſacrorum diſciplina explicare & ad ſanum ſenſum traducere ſtuduit. Quanquam & veras piasque de Dei cultu ſententias, & ſanctiſſima vitæ morumque præcepta, quæ Chriſtianum magis quam Gentilem ſapiunt, in libris Juliani deprehendimus: veluti, bonorum omnium maximum eſſe pietatem & religionem: breve tempus bene & innocenter actum peccátis exigendæ immortalitati anteponendum: hecatombas cum ſanctitate neutiquam conferendas, ſed hanc illis longe præferendam: fieri non poſſe, ut, qui ſe Divino Numini permiſerit, prorſus deſeratur: virtutem eſſe rerum omnium honeſtiſſimam, ad eamque actiones omnes referendas: rectam doctrinam non eſſe verborum & linguæ ſonum, ſed mentis bene conſtitutæ affectionem: præſtare hominem præcipitari in Charybdim & Cocytum, quam in vitæ genus delabi, quod ventri & libidini ſerviat: temperantis eſſe, ab illa quoque ſe abſtinere voluptate, quæ nec admodum turpis nec inhoneſta videatur: quæque ſunt hujus generis plurima, quæ non aliis magis quam ſibi præcepit, iisque ſe legibus ſic adſtrinxit, ut in ſumma fortuna quam minimum ſibi licere cuperet. Nec civilis prudentiæ deſunt

docu-

documenta, præſertim in Cæſaribus; ut ab horum ſcriptorum lectione & meliorem quemque diſcedere liceat & prudentiorem. Magnam quoque lucem Hiſtoriæ illius ævi fœnerantur Juliani ſcripta, & inprimis Conſtantii Imperatoris vitam resque contra Magnentium Perſasve geſtas, ab aliis maligne aut confuſe traditas, aut prorſus ſilentio præteritas, orationes priores duæ accuratius pleniusque produnt. Quin ipſius Juliani vita, fortuna, mores & ſtudia non aliunde certius meliusque, quam ex his ejus ingenii monumentis cognoſci poſſunt. Qui vero vel eloquentiæ capiuntur ornamentis, vel eruditionis ſectantur amœnitates, in his libris abunde invenient quæ ad utriusque incrementa faciant. Sunt enim & inſignibus orationis luminibus diſtincta, & antiquitates ritusque variarum gentium illuſtrant. Neque vero Chriſtianorum illius ævi inſtituta ſilentur, quæ ignorare non potuit Julianus, qui ad viceſimum usque ætatis annum illorum ſacris addictus Anagnoſtæ perſonam in Eccleſia ſuſtinuerat. Quare paſſim mores ritusque illorum tangit, nunc cavillatorie reprehendens, veluti cum illorum vigilias ad tumulos Martyrum irridet; nunc Gentilibus in exemplum & æmulationem oſtentans, ut quum beneficentiam illorum erga pauperes, aut invictam adverſus mortis pericula, ſi de fide ſua aſſerenda ageretur, conſtantiam prædicat. Quin & quæ conditio fuerit Chriſtianorum, imperante hoc infenſo Chriſtiani nominis hoſte, non obſcure ex his ejus operibus apparet. In quibus ſane extant aperta illius impietatis veſtigia, quæ auguſtum cætera Scriptorem hunc juſtiſſimæ ſanctorum Patrum indignationi expoſuit, ut ad æternam ipſius infamiam *impii* & *apoſtatæ* cognomine notaretur. Unde forte religioſiori cuidam ſcrupulus injici poterat, ut hæc monumenta potius ſupprimenda quam edenda, aut ſaltem illa quæ in Chriſtianos iniqua ſunt, reſecanda duceret. Verum dubitationem hanc jam pridem exemerunt Martinius & Petavius in Præfationibus: nec æquum eſt, ut, quæ certiſſimo doctrinæ & eloquentiæ fructu nos augere poſſunt, ob nævos quosdam aboleantur aut mutilentur, quibus nullum hodie periculum ſubeſt, ne Chriſtianæ rei detrimentum afferant. Neque enim qua Chriſtianos ſugillant, nobis obſunt; ſed qua laudant & defendunt, proſunt. Illic malevolentiam animi prodit auctor; hic veritati vel invitus teſtimonium perhibet. Nam quæ impugnandæ religioni Chriſtianæ

impio

impio intentoque ſtudio iſte fidei deſertor excogitavit & prodidit, ea dudum Alexandrinus Antiſtes graviſſima diſputatione retudit & confutavit. Equidem e Philoſophis Gentilium ſtrinxerat jam olim in Chriſtianos ſtylum Celſus, quem Origenes; Hierocles, quem Euſebius; & maledicentiſſimo ſcripto Porphyrius, quem idem Euſebius, & poſtea Methodius, omniumque optime Apollinaris refellerunt. Sed quæ Julianus ad ſubruenda Chriſtianæ fidei dogmata ſummo ſtudio omnique adhibita ingenii vi conquiſivit & protulit, iis tanto plus inerat ponderis vel ad confirmandos Gentiles, vel labefactandos infirmos, quanto Auctor ipſe non ſumma ſolum virtutis & doctrinæ opinione, ſed interiore Chriſtianæ religionis notitia præſtare cenſebatur. Unde non trita illa & dudum exploſa, nocturnos cœtus, Thyeſteas cœnas, Oedipodeos concubitus, ſimilesque in Chriſtianos calumnias recoxit, ſed ex ipſis ſacris literis tela petiit, quibus fidem illis ſuperſtructam oppugnaret. His itaque quum Gentiles mirifice ſe jactarent, eaque a Chriſtiano doctore everti poſſe negarent; ſatis graves cauſſas habuit Cyrillus, cujus ævo nondum idolorum cultus orbe Romano prorſus erat abolitus, cur vanitatem hujus ſcripti coargueret, malamque ejus fidem in pervertendis ſacræ Scripturæ teſtimoniis & præceptis omnium oculis exponeret. Ne vero vim & pondus argumentorum, quibus uſus eſt Julianus, declinare vel effugere videretur; ipſis ejus verbis illa expoſuit, & ſuam cuique argumento reſponſionem ſtatim ſubjecit. Nec illo genere armorum, quo Julianus maxime pugnaverat, in hoc certamine uti dubitavit, multisque Poetarum, Hiſtoricorum & Philoſophorum teſtimoniis (quæ magna ex parte apud Clementem Alexandrinum, Euſebium, & Cyrilli æqualem Theodoritum quoque leguntur) aut Moſis præ Græciæ doctoribus antiquitatem aſſeruit, aut Gentilium de Diis fabularum inſaniam oſtendit, aut conſenſum cum nonnullis Chriſtianæ fidei placitis (non ubique ſatis appoſite aut circumſpecte) evincere eſt conatus. In univerſum vero de his libris id pronunciari poteſt, multa erudite, ſapienter ac opportune in iis animadverſa, quibus importunæ ſeu potius futiles Juliani cavillationes diluuntur.

Quare facturum ſe operæ pretium vere judicavit illuſtriſſimus operum horum Editor, ſi hoc Cyrilli æque ac Juliani opus reliquis

liquis hujus ſcriptis non adjiceret modo, ſed & idem, æque ac reliqua Juliani opera, notis illuſtrandum ſuſciperet. Id enim auguſti Scriptoris dignitati & præſtantiæ deberi exiſtimavit, ut in verba & mentem ejus paulo diligentius inquireret, quæque vel reconditi ritus & dicti factique minus obvii indicium præferrent, vel doctrinæ elegantia commendabilia viderentur, eo uberius explanaret, quo Petavii notæ in hoc genere parciores ac tenuiores deprehenduntur, Lectorem tantum non ubique deſtituentes hiantem, quædam etiam perperam & confuſe tradentes. In hoc vero commentandi labore dum ſic verſatur Vir excellentiſſimus, ut e divite variæ eruditionis penu liberaliter & copioſe depromeret, quæ & rei propoſitæ plenam certamque notitiam afferrent, & eadem opera priſcis omnis memoriæ Scriptoribus lucem affunderent, en! librarius Lipſienſis, qui edendum hoc opus ſuſceperat, moræ impatiens urget & obtinet, ut operis deſtinati priorem Tomum, ipſa ſcilicet Juliani & Cyrilli ſcripta, cum virorum doctorum notis & præfationibus, pace illuſtriſſimi Editoris divulgare, ejusdemque in primam Juliani Orationem obſervationes, a reliquis divulſas, tantiſper velut ſpeciminis loco adjicere poſſet, donec & illæ ſub prælo jam ſudantes, & juſtum impleturæ volumen ſuo tempore prodirent. Ægre quidem aſſenſus eſt Vir ſummus huic totius Operis diſtractioni, eo quod multa vel Græci contextus vitia, vel Interpretum peccata, ſciens volens diſſimulaſſet, quorum in Obſervationibus mentionem facere decreverat: neq; ipſi conſilium illud probari potuit, quo ſolæ in primam Orationem notæ huic tomo ſubjectæ ſunt, quum illa Oratio in laudibus Conſtantii decurrens ſingulari aut eruditæ notationi locum non reliquiſſet, neque iis operam atque induſtriam ſuam in hos libros illuſtrandos collatam æſtimari vellet. Cæterum non dubitamus, quin omnes elegantioris doctrinæ amantes nobiſcum magnam illuſtri Auctori ſint habituri gratiam, quod expugnari ſe paſſus ſit, ut cum ipſis Juliani operibus, digno cultu habituque nunc exornatis, ſuas in primam Orationem locupletisſimas obſervationes prodire ſineret. Quibus ſane orbis eruditi deſideria, totius Operis exſpectatione jamdiu accenſa, aliquantum leniuntur, ut ſuaviſſima hac promulſide refecti lautisſimas illas variæ eruditionis dapes, altero volumine apponendas, æquiore animo exſpectent. Quanquam & hic ea doctrinæ lautitie

excipiuntur Lectores, ut vel acerrimam famem facile ſedare poſſint. Nam qui vel ſolum indicem inſpexerit optimorum omnis memoriæ Scriptorum, qui in his annotatis vel laudantur, vel notantur, vel illuſtrantur, is facile intelliget inexhauſtum eſſe infinitæ lectionis atque eruditionis fontem, ex quo uberrimæ illæ Notæ profluxerint. Hic invenient Hiſtoriarum ſtudioſi expoſita & elucidata, quæ Scriptorum incuria vel penuria multis tenebris obruta jacebant. Inprimis in res Conſtantii Imperatoris, perplexe aut jejune ab Hiſtoricis traditas, diligentiſſime hic inquiritur, immo geſtis Conſtantini Magni, totique ejus Genti nova quædam lux infertur. Hic diſcimus, falſo accuſari Conſtantinum M. quod limitem Romanum verſus Danubium & Rhenum præſidiis nudaverit: hic intelligimus, quando ejus monarchia cœperit; quando urbem ad Boſporum Conſtantinopolim ab ipſo dictam condere cœperit, & quot annos in ædificanda ea conſumſerit; an aliam uxorem poſt Maximiani filiam Fauſtam duxerit; Vicennalia quando celebrarit. Nec illius ævi modo aut gentis res attinguntur, ſed & aliarum, puta Gothorum, Francorum, Saxonum, Scytharum, Celtarum, Saracenorum, Arabum, origines, ſedes, mores, & fata paſſim illuſtrantur. Inprimis de Laconum & Perſarum rebus & inſtitutis afferuntur pluſcula, & in his Iſaaci Voſſii ſententia, quod Xerxes cum patre Dario regnaverit, & hoc modo decem annos apparatu belli adverſus Græcos conſumſiſſe dici poſſit, in dubium vocatur. De Neſibis in Meſopotamia urbis, & Romanorum coloniæ, quæ Julia Septimia in nummis dicta, poſtea Antiochia Mygdonia nuncupata, obſidione a Perſis ter ſuſcepta, precibus & virtute Jacobi Epiſcopi tolerata, multa etiam afferuntur; nec non de auctorum diſſenſu ſuper tempore & loco apparitionis crucis ſub tempus pugnæ inter Conſtantii & Magnentii exercitus, ad Murſam oppidum Pannoniæ, quod hodie Eſſek dicitur, fuſe disquiritur. Quin & ad Geographiæ veteris cognitionem exactiorem quæ faciunt, multa hic traduntur: provinciarum nomina, partes, limites, fluvii deſignantur: Galliarum opes & cenſus demonſtrantur: urbium multarum ſitus, & tracta ab Imperatoribus cognomina e nummis indicantur: utriusque Romæ, cumprimis autem Novæ, notitia & origo panditur. Quæ vero ad ritus & antiquitates pertinent, ex interioribus litteris petita, eorum largam hic meſſem licet metere. Auguſtei & Cæſarei faſtigii diſcrimina

mina & variæ appellationes; divini honoris cultusque nomina Imperatoribus tributa; natalis & ortus & imperii ſuſcepti celebratus; Pontificis Max. dignitas a Chriſtianis quoque Imperatoribus ad Gratianum usque retenta; amici Cæſarum & comites qui dicti, quæque eorum jura & dignitas; purpuræ uſus & ſpecies; adlocutionis ritus; encomii, & in univerſum laudationum ratio; purgationum & luſtrationum genera modique; votorum nuncupandorum ſolennitas; adoptiones Cæſarum; legum Romanarum in civitatibus Imperii Rom. uſus; Paryſatis ſoror & conjux mater & filia Regis Perſarum; athletarum victus ratio; tribunal, e quo duces alloquebantur milites, prætorio caſtrenſi antea junctum, ab eo poſtea ſeparatum; & hujus generis longe plurima, ſelectiſſimis Veterum teſtimoniis adſtructa, erudite exponuntur, & pro re nata nunc brevius nunc fuſius explicantur. Neque veteris rei militaris ratio & prudentia hic negligitur: aciei quæ fuerit apud Romanos ordinatio; quæ phalanx Macedonum; Romanorum quæ claſſes; equitatu vel peditatu quæ gentes præſtiterint; equitatus ubi ſuperior, quid agendum; varia armorum & machinarum genera, galeam, ſcutum, loricam qua tecti clibanarii & cataphracti, ocream, gladios, crates, teſtudines aggeſtitias, foſſorias, arietarias; militum victum, exercitationes, decurſiones, pœnas; Pæana Marti ante prælium cani ſolitum, cujus loco Chriſtiani Κύριε ἐλέησον, aut *Deus nobiſcum* acclamarint, & alia huc ſpectantia non parce delibata videas. Quæ vero ad Græcæ linguæ vim & proprietatem in quibusdam vocibus rectius cognoſcendam bene multa annotantur, ea peculiari indice omnium oculis ſunt expoſita. Neque in loco deſunt civilis prudentiæ monita, aut Juris Romani in Juſtinianeo ac Theodoſiano codice ornamenta, non quidem præter rem ambitioſe congeſta, ſed æque ac prioris generis obſervata, ad unum Auctorem illuſtrandum opportune relata. Quæ ſingula ſi documentis in medium allatis comprobanda ſuſciperemus, ipſæ Obſervationes integræ repetendæ forent. Satius erit ad ipſas Lectorem dimittere, qui illuſtriſſimo Auctori & pertexendis his in Julianum Obſervationibus eruditis, & reliquis quæ in ſalutem & decus rei literariæ molitur, perficiendis, ab arduis & graviſſimis negotiis aulæ liberale otium, firmamque valetudinem, nobiscum apprecabitur. De Notis ſane in *Callimachum*, quas in his Obſervationibus Julianeis p. 192-218.

260. 282. memorat, bene ſperare nos jubent bibliopolæ Batavi, brevi eas prodituras: quas ut eæ ſequantur, quas *in Aeſchylum* eum contexuiſſe, e p. 34. 175. 262. harum Obſervationum apparet, quam maxime vovemus. Diatribas etiam *de nummis αὐτονόμων & ἐλευθέρων urbium ſub Romanis*, p. 37. promiſſam, & aliam *de civitate Romana coloniis data*, p. 35. 36. indicatam, ut cum aliis vaſti ingenii doctis monumentis publicæ luci exponat, eundem publico nomine obſecramus.

*RESPONSIO DANIELIS PAPEBROCHII, EX SOC. JESU Theologi, ad Exhibitionem errorum per Adm. R. P. Sebaſtianum a S. Paulo Ord. Carmelitani in Belgio bis Provincialem &c. A. 1693. Coloniæ evulgatam.*

Antverpiæ ex typographia Henr. Thieullier, 1696. in 4. pl. 10.

VAſtum illud opus Sanctorum Acta continens, quod autoribus Johanne Bollando, Godofredo Henſchenio, Daniele Papebrochio, Franciſco Baertio & Conrado Janningo, intra dimidium, & quod excurrit, ſeculum a Calendis Januarii usque ad 7. Id. Junii hactenus proceſſit, & in viginti volumina jam excrevit, varia hactenus opuſcula impugnarunt. Prodiit enim A. 1683 Gallice, poſtea Latine quoque reddita *Reſponſio ad epiſtolam, quæ viſa Leodii graſſari, ſub titulo N. Conſiliarii Regii, contra originem & ſucceſſionem ordinis Carmelitarum.* Et Conſiliarium quidem illum Regium, cujus epiſtolæ de libellis in Flandria adverſus Henſchenium & Papebrochium diſſeminatis reſponſio hæc oppoſita eſt, fuiſſe Carolum du Fresne Dominum du Cange, in Actis noſtris menſe Februario A. 1683 indicavimus. Etſi autem prædicta Reſponſio ſub nomine Dn. Antonii Herovallii, ad quem Cangii epiſtola directa fuerat, publicata fuerit, graviter tamen ille de abuſu ſui nominis queſtus eſt, & hanc ſibi factam injuriam ſolennibus inſtrumentis vindicavit. Ejusdem cum illa Reſponſione furfuris ſunt libelli ſequentibus titulis ornati: *Amyclæ Jeſuiticæ, ſive Papebrochius ſcriptis Carmeliticis convictus ſuo ſilentio proditus, autore D. N. Conſiliario Regio; Suada Harpocratis, ſive Daniel Papebrochius Jeſuita a Carmelitis convictus ſibi ſuadens ſilentium, Hermopoli, typis Lippiis 1683; Jeſuitica ad epiſtolam in Suada contentam Reſponſio; Synopſis*

*Synopſis authentica & curioſa errorum commiſſorum a Dan. Papebrochio contra utrumque Carmelitarum ordinem, autore Alberto Zennero de Veſalia Clivorum, Ord. Prædicat. SS. Theolog. Magiſtro & Profeſſore.* Omnes autem iſti tractatus, cum primum ſeorſim prodiiſſent, poſtea ſimul cum *Jeſuitico papali* & *Jeſuitico nonpapali* in unum volumen collecti ſunt, cui hic titulus præfixus legitur: *Jeſuiticum nihil, R. Papebrochio Jeſuitæ ſuper ipſius cum Carmelitis quoad Ordinis illius hiſtoriam controverſia Carmeliticis ſcriptis convicto & ad ſilentium redacto, demonſtratum auctore Petro Fiſchero Françone, Salisburgi apud Godofredum Junck.* Huc etiam referenda *Heroica Carmeli Regula a Sanctiſſimo Propheta Dei Elia vita & exemplis tradita, ab Hieroſolymitanis Patriarchis Johanne & Alberto ſcripta, a cujusdam muſtei Scriptoris vilipendio vindicata, per Valentinum a S. Amando ejusdem Ordinis Hiſtoriographum, Colon. apud Petr. Alsdorf 1682*; item *Pomum diſcordiæ, ſive diſſidii inter Papebrochium & Carmelitas origo, progreſſus & fructus*; nec non. *Novus Iſmael, ſeu Papebrochius omnes impugnans orbi expoſitus per Juſtum Camum*: ut *Harpocratem Carmelitarum Papebrochio loquentem per Maximilianum a S. Maria*; *Harpocratem Jeſuiticum Papebrochium ſalutaris ſilentii, debitæque palinodiæ monentem, per Valentinum a S. Amando*; *Prodromum Carmelitarum, ſive Papebrochii erga Elianum Carmeli Ordinem ſinceritatem velitatim & remiſſive diſcuſſam, zelo & ſtudio ejusdem Valentini a S. Amando*; *Debita Papebrochiana, ſive palinodiæ cantatæ & cantandæ a Dan. Papebrochio computum primum, continentem debita ſoluta ſive palinodias cantatas, ſubductum per D. I. S*; *Papebrochium Hiſtoricum conjecturalem bombardizantem in Actis Sanctorum S. Lucam, & SS. Patres, Pontifices, Cardinales, Indulgentias, Bullas, Breviaria & veteres fundationes monaſticas, reſtinctum a Dn. Chriſtiano del Mare*; *Epiſtolam informatoriam ad Societatem Jeſu ſuper erroribus Papebrochianis*, aliaque ejus generis ſcripta taceamus. Etſi autem Papebrochius & Socii opuſcula iſta ex conſilio Virorum illuſtrium contemtu potius & ſilentio quam refutatione digna cenſuiſſent, reſpondendi tamen neceſſitatem ſibi impoſitam animadverterunt, ex quo Carmelitarum in Belgio Provincialis Sebaſtianus a S. Paulo variis ſcriptis Acta Sanctorum Romanæ Curiæ odioſa reddere annifus eſt. Ac primum quidem Conradus Janningus in opuſculis quibusdam

 apo-

apologeticis, quæ menſe Martio hujus anni recenſuimus, Papebrochium & Acta Sanctorum a Sebaſtiani a S. Paulo accuſationibus defendit. Poſtea vero & ipſe Papebrochius ad Exhibitionem errorum, quam ille Carmelitarum in Belgio Provincialis ante triennium evulgavit, articulatim reſpondere operæ pretium putavit; ex qua reſponſione ſi aliqua breviter excerpamus, non ingratum id Lectori fore ſperamus. Cum igitur Carmelita in primo Exhibitionis ſuæ articulo, qui circa Chriſti vitam verſatur, octo errores Papebrochio exprobret, ad ſingulos Jeſuita noſter paucis reſpondet. Nam quantum ad primum errorem attinet, accuſatus quod de Chriſti paupertate agens a SS. Patribus & communi fidelium ſenſu receſſerit, ſe quoad Chriſti paupertatem nihil S.S. Patribus & communi fidelium ſenſui contrarium docuiſſe probat: neque admittit, adverſarium ſuum tanto propius ad veritatem accedere, quanto longius a Wicleffi, Erasmi, & Lutheri ſententia recedit, cum ſæpe homines ab uno extremo ad alterum labi contingat, quemadmodum Calvinus, dum a Pelagiano errore longiſſime abiit, in alium huic contrarium inciderit. Ad ſecundam accuſationem in eo ſitam, quod cum Natali Alexandro ab Eccleſia damnato Chriſtum 37. annis vixiſſe aſſeruerit, regerit, ſe quidem eatenus Natalis Alexandri ſententiæ faviſſe, quatenus Chriſtum ultra 33 annos vitam ſuam protraxisſe aſſerat, neque tamen ſe cum Alexandro annos 37 Chriſto tribuiſſe, ſed potius eam ſententiam pro paradoxa declaraſſe. Præterea notat, ſe Alexandri ſententiam allegaſſe ante quam Romæ damnaretur, & fruſtra ab Antagoniſta ſuo obtendi, quod ex ſanctorum Patrum ſententia certum & indubitatum in eccleſia hactenus fuerit, Chriſtum duntaxat annis 33 vixiſſe, cum diverſa plane de annis Chriſti Patrum ſententia fuerit, & alii plures, alii pauciores annos Chriſto adſcripſerint. Atque hinc colligit, ſe Chriſto annos 33 cum tribus menſibus tribuentem minime argui poſſe, quaſi a communi eccleſiæ ſententia recedat, cum Carmelitæ potius a communi eccleſiæ ſententia abiverint, cum in comitiis provinciæ Toloſanæ Biteris A. 1682 Pythagoram, omnium conſenſu gentilem, in Carmelitarum numerum recipere, theſibus publice propoſitis, veriti minime fuerint. Tertium accuſationis caput eſt, quod imagines Chriſti & Mariæ a Luca pictas cum hæreticis impugnet. Scripſerat enim Papebrochius, quod S. Lucam, quem medicum fuiſſe ex Paulo conſtet,

ſtet, pictorem quoque pia fidelium credulitas faciat, innixa variis Chriſti & Mariæ imaginibus, quæ Romæ & alibi venerationem habent. Fatetur hæc a ſe ſcripta, neque diſſimulat, ſe addidiſſe, quod quæ Paulus de Angelis in commendationem illarum imaginum diſſeruit, examine aliquo egeant. Non diffitetur etiam, ſe num Chriſtus S. Angelum Carmelitam cum imagine Mariæ per Lucam depicta in Siciliam ire juſſerit, dubitaſſe. At negat inde ſequi, quod nullas imagines a Luca pictas admittat. Urget quidem Adverſarius vocem credulitatis, & autoritatem Calepini, qui credulitatem per errorem interpretatus eſt, ideoque à Papebrochio per piam fidelium credulitatem, temerarium fidelium errorem intelligi colligit. Verum Papebrochius reponit, adverſarium ſuum verba Planci apud Ciceronem perperam Calepino tribuere, qui ea tantum allegavit, cum Calepinus credulitatem per credendi facilitatem definiat. Credendi autem facilitatem non ſemper temerariam & levem, ſed nonnunquam probabilem & diſcretam eſſe notat, & ſe non de temeraria ſed probabili credulitate locutum inde probat, quod credulitatem eorum, qui Lucam pictorem faciunt, piam dixerit. Quarta accuſatio Papebrochium reprehendit, quod anſam dubitandi præbeat, an vera Chriſti facies ſudario S. Veronicæ revera impreſſa fuerit. Quod ſibi objici miratur, cum ipſe adverſarius faſſus fuerit, quod Papebrochius ſudarium Chriſti faciem exprimens citra ullam dubitationem admittendum agnoſcat. Lubens interim concedit, ſe in Actis Sanctorum dubitaſſe, num mulier quædam nomine Veronica, quæ Chriſto crucem bajulanti occurriſſe, eique faciem ſudario ſuo terſiſſe perhibetur, unquam in rerum natura fuerit, qua de re etiam jampridem dubitatum fuiſſe notat, antequam Sanctorum Acta prodirent. Obſervat enim, nomen Veronicæ in Galeſinii Martyrologio quidem legi, at Baronium, cum multis Sanctis martyrologium augeret, Veronicam tamen addere auſum non fuiſſe, imo Gregorii XIII tempore adjunctam expunxiſſe, & in ſuo Martyrologio alto ſilentio preſſiſſe. Adducit præterea Scriptores, qui ipſum ſudarium Veronicam appellarunt. Unde ſuſpicatur, quod Veronica nihil aliud ſit, quam vera icon Chriſti, quæ ſucceſſu temporis corrupte Veronica appellata fuerit. Poſtremo addit, ſe ſanctæ mulieris cultui nequaquam invidere, imo gratiſſimum ſibi fore, ſi Romanæ Sedis auctoritate Veronicæ nomen

Mar-

Martyrologio reſtituatur, ſanctitas ejus definiatur, & ſic qualiscunque dubitandi locus omnibus eximatur. Sequitur quinta accuſatio, juxta quam Papebrochius Chriſti columnam, ſcalas ſanctas, aliaque monumenta ſacra Romæ exiſtentia arroſit. Ad haec reſpondet, quod inter ſanctitatis incerta monumenta non retulerit columnam, ad quam Chriſtus flagellis cæſus eſt, ſed eam, de qua in vita S. Franciſci de Paula legitur, quod Chriſtus in illa convitium dæmoniaci ab impiis Judæis in ſe conjectum tulerit; quam columnam jam pridem ex hominum oculis remotam, & in neſcio quem angulum projectam aſſerit. De ſcalis ſanctis negat ſe ſiniſtre judicaſſe. Etſi enim ſcripſerit, quod e Pilati prætorio advectæ credantur, negat tamen inde exſculpi poſſe, quod ſcalas illas inter incerta ſanctitatis monumenta retulerit. Graviſſima omnium eſt accuſatio ſexta. Nam in ea meritum Chriſti impugnaſſe dicitur. Verum ſanctiſſime proteſtatur, ſe iſtud crimen, non vulgari omnino execratione dignum, ex animo abhorrere. Occaſionem autem accuſationis inde natam aſſerit, quod in vita S. Canionis illuminationem Tobiæ, quæ ante Chriſti incarnationem contigit, non ſatis apte Chriſto tribui dixerit, idque absque ulla læſione venerandi dogmatis de merito Chriſti a ſe fieri potuiſſe minime dubitat. Septimæ accuſationis objectum eſt hiſtoria inventæ crucis, quam in eccleſia receptiſſimam, & Romano Breviario inſertam, a Papebrochio tanquam fabulam repudiari, Carmelita ferendum non exiſtimat. Reſpondet Papebrochius, ſe veram inventæ crucis hiſtoriam nequaquam repudiaſſe, ſed tantum fabuloſa, quæ circumferuntur, inventionis illius acta rejeciſſe, cum clariſſime demonſtrari queat, autorem iſtorum actorum, quicunque fuerit, mera temporum, locorum, perſonarum & geſtorum figmenta protuliſſe. Oſtendit præterea, mala fide adverſarium ſuum dixiſſe, quod Gelaſius & Epiſcopi in concilio Romano congregati hiſtoriam de inventione crucis Dominicæ cum omni honore ſuſcipiendam decreverint; cum potius Gelaſius in illo decreto hiſtoriam de inventione crucis inter novellas relationes numeret, & Chriſtianos cum Apoſtolo Paulo moneat, ut ejusmodi acta legentes omnia probent, & quod bonum eſt teneant. Ad octavam eamque ultimam primi articuli accuſationem, quæ Antverpienſe Chriſti præputium concernit, Vir celeberrimus breviſſime reſpondet, tantum abeſſe, ut Chriſti præputium

Ant-

Antverpiæ ſervatum impugnet, ut potius indubitabilem ejus a quinq; ſeculis poſſeſſionem variis documentis probatam aſſeruerit.

In ſecundo Exhibitionis ſuæ articulo, octodecim accuſationes continente, Sebaſtianus a S. Paulo oſtendere conatus eſt, quam graviter Papebrochius circa ſummos Pontifices impegerit. Cum autem inſtituti noſtri ratio non patiatur, quæ ad tot accuſationes reſpondit Vir doctiſſimus, omnia referre, aliqua tantum ſeligemus. Negat igitur, ſe magnum piaculum in eo commiſiſſe, quod cum plurimis aliis celeberrimis Viris Romanæ Eccleſiæ addictis Petrum quinque & viginti annis Romæ ſediſſe negaverit, & Sylveſtri acta & fabulam de Conſtantino M. Romæ baptizato, ac edictum quod donatio Conſtantini appellari ſolet, tanquam ſpuria & ſuppoſititia repudiaverit. Negat vitio ſibi verti poſſe, quod in quæſtione, num jus eligendi Imperatorem per ſeptem Germaniæ Principes a conſtitutione Apoſtolica profluat, Natali Alexandro adjutore uſus fuerit, cum ob cenſuram in libros ejus factam doctrinæ excellentis elogium non amiſerit, & eruditiſſimus S. Galli Abbas, nuper Eminentiſſimus Cardinalis, Sfondrati in libro, quem Innocentiam Vindicatam inſcripſit, eundem celeberrimum ætatis noſtræ Theologum & Doctorem Pariſienſem appellaverit. Non arbitratur, ſe acta Sinueſſani concilii rejicientem, contra dignitatem & autoritatem Romanæ ſedis graviter deliquiſſe. Etſi enim Nicolaus I. acta illa tanquam genuina allegaverit, levius tamen Papebrochio videtur dicere, quod Nicolaus I. in illa allegatione erraverit, quam quod S. Marcellinus, qui & ipſe Romanus Pontifex fuit, nefando idololatriæ crimine, cujus in actis illis poſtulatur, pollutus fuerit. Neque ſe propterea damnandum judicat, quod ſcripſerit, in fabuloſis illius concilii actis Papam nullo caſu a quoquam judicandum falſo aſſeri. Aſſertionem enim illam omnino falſam eſſe, ex eo probat, quod in canone *ſi Papa*, *diſtinct.* 40. verbis S. Bonifacii Papam ſaltem in cauſa fidei judicari poſſe definitum fuerit. In cauſa Felicis V, qui in concilio Baſileenſi contra Eugenium IV. Papa electus eſt, ſecutum ſe aſſerit ſententiam Petri Monadi Jeſuitæ, qui nomine ſuo ſuppreſſo, A. 1624 Amadeum Pacificum, ſeu de Eugenii IV. & Felicis V. controverſiis commentarium Taurini ediderit, quem commentarium a Bzovio totum pene deſcriptum, & tomo 17. Annalium eo fine adjectum, ut, quæ antea de Felice ſcri-

pſerat, caſtigaret, ex Bibliotheca Jeſuitica obſervat. Neque huic ſententiæ, quæ Felicem excuſat & defendit, obeſſe putat, quod Eugenius IV. in fervore contentionis Felicem illum filium perditionis nominavit, cum illud juſto quidem zelo ignoſcendum, non tamen pro oraculo habendum videatur, cum ſaltem conſcientia electi Felicis, ſi vel maxime ejus electio illicita fuiſſet, a culpa immunis fuerit, ſiquidem Papatum, ut in ejus epitaphio legitur, non regnandi libidine, ſed obſequendi neceſſitate in ſe ſuſceperit. Quod ulterius ab accuſatore de Sergii ſigillo objectum fuit, quaſi nempe in Actis Sanctorum ſigillum Sergii Papæ Sergio hæretico tributum fuerit, ex ignorantia linguæ Græcæ potius, quam ex cœca calumniandi libidine profectum Papebrochius ſuſpicatur. Cum enim ſigillum, de quo agitur, Græcis literis notatum ſit, cujus altera facies verba ΒΟΗΘΗ ϹΕΡΓΙΟΥ exprimit, altera quatuor has literas ΘΕΟΣ per totidem crucis extrema partitas exhibet, non improbabile eſſe putat, quod hoc ſigillum in Vaticano aſſervatum potius ad Sergium Patriarcham Cplitanum hæreticum, quam ad Sergium aliquem Romanum pertineat. Cur Formoſi epiſtolam Epiſcopis Angliæ inſcriptam merum ſeculi XI. figmentum eſſe ſuſpicatus fuerit, rationes varias allegat. Negat ſe Pontifices in materia religionis erroris arguiſſe, etſi ſcripſerit, quod Hiſtorici non exiſtiment, Pontificia autoritate ſe conſtringi, ut pro canonizato habeant, quicquid Romæ quomodocunque probatum vel improbatum fuerit. Egerat enim, cum iſta ſcriberet, de hiſtoria fictitii Papæ Cyriaci, qui dimiſſo Papatu virgines Urſulanas comitatus perhibetur. Quæ hiſtoria etſi in quibuſdam Breviariis lecta, & a Johanne Andrea in gloſſis decretalium approbata fuerit, obſervat tamen, quod plurimi ad eam credendam ſe Pontificia autoritate conſtringi minime patiantur, & ipſe Gregorius XIII. eam ex gloſſa decretalium eradi juſſerit. Fatetur quoque ſe ſcripſiſſe, multa Pontificum bullis ex alia relatione inſeri, quibus inde ne minimum quidem majoris probabilitatis, quam antea habuerint, accedat. At nec hujus aſſertionis ipſum pœnitet, nec ex ea ſequi cenſet, quod Pontifices in materia religionis erroris arguerit. Probat autem aſſertionem ſuam, ut reliqua argumenta taceamus, ex Brevi Clementis IX. dato d. 24. Sept. 1668, cui inſerta legatur relatio Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum, quam tamen ſubdolam & falſam Cle-

mens

mens X. in ſuo Brevi pronunciarit. Non putat ſe Alexandro VII. injuriam feciſſe, cum ſcripſit, eum, quæ de S. Suiberti canonizatione per Leonem III. celebrata dixerat, nunquam a ſe dicta optaturum fuiſſe, ſi quæ Bollandus in illius rei examine diſſeruit, legere potuiſſet, nec, antequam Martius editus fuiſſet, extremum diem obiiſſet. Neminem Catholicum eſſe aſſerit, qui non Sedem Romanam ut veritatis magiſtram revereatur; at neminem Theologorum eſſe, qui Pontificem in meris factis ex aliorum relatione & ex communi opinione referendis infallibilis autoritatis eſſe ſtatuat; unde Baronius allegatam a Nicolao I. Polychronii damnationem repudiare veritus minime fuerit. Negat igitur, ſe Theologorum illorum veſtigiis inſiſtentem cum Romana ſede agere ut Judæi cum Chriſto, qui, cum ave ipſi dicerent, in faciem ejus exſpuerunt. Inficiatur quoque, ſe hæreticorum aliorumque ab eccleſia damnatorum quam Romani Pontificis autoritatem pluris facere; etſi non diſſimulet, veritatem, ſi ab hæreticis defendatur, minime deſerendam eſſe. Notat ipſos Pontifices quandoque faſſos, quod mandata particularia per pravam inſinuationem ſibi extorqueri poſſint; unde perperam eos cum apoſtatis comparari cenſet, qui Pontifices erroris alicujus arguunt. Librum Joachimi Abbatis ab Innocentio III. & Honorio III. damnatum ſe unquam approbaſſe aut laudaſſe negat, etſi docuerit, Joachimum illum in Pſalterio ſuo de Trinitatis myſterio catholice ſcripſiſſe, & ſatis conſtare, quod ſaltem ultimis quindecim vel ſedecim annis ejus doctrina circa myſterium Trinitatis orthodoxa fuerit, ideoque disquiri poſſe, num libellus citra controverſiam hæreticiſſimus meritoque damnatus revera Joachimi, an alterius autoris ejus nomine abuſi fuerit. Hæc aliaque cum pro ſua defenſione ad ſecundum articulum Papebrochius attuliſſet, Roma nunciatum ipſi fuit, circumferri ibidem comparationem propoſitionum ab ipſo aſſertarum cum propoſitionibus Pontificum Romanorum, ut quantum Romanæ ſedi adverſaretur, inde innoteſceret. Quamobrem in appendice reſponſionis ad hunc ſecundum articulum, ad comparationem illam ſibi communicatam ſic reſpondet, ut primum prothesin Pontificum Romanorum, & ex adverſo antitheſin ſibi imputatam ponat, tum vero ſuam theſin ſubjungat, ejusque ſenſum breviter illuſtret. Sunt autem theſes illæ numero decem, & omnes Carmelitarum Ordinem ſpe-

 ctant,

ctant, quibus etſi laudes ſuas detractas nolit, diſſimulare tamen non poteſt, quod in facultate hiſtorico-critica parum exercitati ſint, neque perſuadere ſibi poteſt, ut ſomniis illis fidem adhibeat, quæ pro ſumma Ordinis ſui antiquitate levi quadam & ſimplici credulitate tradunt. Hæc de reſponſione ad primum & ſecundum articulum dicta ſufficiant.

*HISTORICA DISSERTATIO DE UNO EX TRINITATE carne paſſo. Accedunt Hiſtoriæ Pelagianæ* HENRICI NORIS *ab Anonymi ſcrupulis Vindiciæ.*

Romæ, typis Fr. de Rubeis, 1695. in 4. Alph. 1. plag. 18. & Venetiis, apud Paulum Balleonium, 1696. in 8. plag. 21.

ANnum agi ſecundum ſupra viceſimum, in præfatione ad hoc opus innuit Cardinalitia haud ita pridem epomide ornatus Noriſius, e quo Hiſtoriam ſuam Pelagianam Vindiciasque Auguſtinianas in lucem publicam emiſerit. Ab utroque autem ſcripto, A. 1672. ſupremæ Romanæ Inquiſitionis decreto a Viris doctiſſimis Romæ diligenti & accurato examine expenſo atque approbato, gratiam ſe tantam retuliſſe ait, ut a Clemente X. inter Romanæ Inquiſitionis Qualificatores allectus fuerit. Sed cum A. 1673. iidem libri Patavinis typis excuſi, ac dein iterum tertioque extra Italiam impreſſi fuiſſent, quosdam tradit contra eos clanculario primum inſurrexiſſe, poſt animoſiores factos eosdem apud Romanæ Inquiſitionis tribunal plurium errorum accuſaſſe, alterumque de iis examen impetraſſe, e quo tamen illi A. 1676. indemnes nullaque theologica nota perſtricti evaſerint. Interim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Profeſſorem in Academia Piſana ſe agente, inducias eos usque in annum decimum ſextum ab adverſariis obtinuiſſe. Demandata autem ſibi A. 1692. ab Innocentio XII. Bibliothecæ Vaticanæ præfectura, in nova eos adductos diſcrimina, cum adverſarii ſparſis quaquaverſus libellis Auctorem prædamnatæ Janſenii doctrinæ inſimularent. Delegiſſe tunc Summum Pontificem plures Theologos a partium ſtudio procul remotos, illisque librorum horum examen commiſiſſe, qui munere demandato accurate perfuncti nullam in iis ſententiam cenſorio ſtigmate confixerint; cujus quidem judicii, licet ſecretis ſuffragiis peracti, exitus e facta Auctoris in Collegium Conſultorum Romanæ Inquiſitionis cooptatione ſatis appa-

apparuerit. Nihilo tamen ſecius inventum nunc eſſe novum criminandi modum queritur, quo non tam ſua volumina, quam exercitum de iisdem judicium in invidiam vocetur; dum nonnemo, quo debitam erga ſupremum Quæſitorum fidei tribunal reverentiam in ſpeciem ſaltem præferre videretur, quosdam ipſismet librorum illorum Cenſoribus libellos Scrupulorum titulo obtulerit, ad eos ſcrupulos veluti ad ſcopulos eorundem cenſorum judicium alliſurus; prout & idem tres diverſas ſcriptiunculas alias libris Noriſianis oppoſitas diſſeminarit. Iis ergo juſtam opponere apologiam Auctor minime detrectare voluit. Cum vero impugnationis capita præcipua concernant defenſos ab Eutychianiſmo Scythas monachos, Vincentiumque Lirinenſem ac quosdam Galliæ Epiſcopos Semipelagianiſmi accuſatos, & aſſertum ab Auctore in nonnullis fidei capitibus Janſenismum; idcirco diſtinctis ea Diſſertationibus hic excuſſit, quarum ſummam more noſtro breviter jam referemus.

Monachos Scythas haud peccaſſe, quod unum de Trinitate carne paſſum dixiſſent, quondam aſſeruerat Eminentiſſimus Auctor. Iſtud ergo denuo jam probaturus, non inconſultum arbitratus eſt, totam illius controverſiæ hiſtoriam a ſuis incunabulis ad exitum usque perducere; quod ejus inſtitutum *primam* in hoc libro Diſſertationem peperit. Videlicet damnato in Synodo Epheſina Neſtorio, hæreſeos ipſius ſectatores aliunde autoritatem ei conciliaturos id conſilii cepiſſe refert, ut dogmata plane eadem a Theodoro, Epiſcopo Mopſueſtiæ in Cilicia, dudum tradita fuiſſe perhiberent. Verum orthodoxos Epiſcopos ac Abbates majoris Armeniæ ſyllabum errorum ex Theodori libris colligentes, eosdem S. Proclo, Patriarchæ Conſtantinopolitano, damnandos per Legatos obtuliſſe, qui, cum iſtas doctrinas veluti Neſtoriana peſte infectas rejiceret, primus omnium propoſitionem illam: *Unus de Trinitate paſſus eſt*, protulerit. Hanc in Synodo Chalcedonenſi laudatam probatamque dici a quibusdam refert; ab aliis viciſſim innui ſubjungit, quod ea ibidem damnata fuerit. Sed neutra ex his opinionibus Auctori noſtro arridet, quin ipſe potius ſic ſtatuit, noluiſſe Patres eam propoſitionem ſynodicis inſerere definitionibus, ne viderentur intellectum loquentis potius approbaſſe, quam verba; quandoquidem Catholici ea dextro & congruo ſenſu acceperint, Eutychiani contra depravate interpretati fuerint. Nar-

rat enim, Petrum Fullonem, Eutychianorum peſſimum, Antiochenæ ſedis invaſorem, cum unicam eamque divinam in Chriſto naturam adſtrueret, affirmaſſe, eandem quoque fuiſſe paſſam; ubi ea tradere ſe dixerit, quæ magni in univerſa Eccleſia nominis Proclus paulo ante docuiſſet. Eundem Fullonem triſagio: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis!* appendicem inſeruiſſe, *qui paſſus es pro nobis*. Cum vero a non paucis argueretur, quod Trinitatem, quæ iſto hymno invocabatur, paſſam mentiretur, novo errore priorem commutaſſe ipſum, ac triſagium ſoli Verbo Deo cani aſſeruiſſe, qua de cauſa propoſitio: *unus e Trinitate paſſus*, in ore ipſi ſæpe fuerit. Oſtendit vero Auctor, communi conſenſu credidiſſe Catholicos, Chriſtum unum de Trinitate dicendum eſſe, quod ipſum etiam hæretici omnes Henoticum Zenonis admittentes faſſi fuerint, ſolis eam theſin Neſtorianis negantibus. Factam autem Henotici illius in Latina Eccleſia repudiationem effeciſſe, ut propoſitio de uno ex Trinitate incarnato in Occidente neutiquam uſurparetur, & ejus vice Latini unam de Trinitate perſonam dicerent. Quinimo cum Anaſtaſius quoque Imperator propoſitione illa de uno e Trinitate paſſo, vocem *carne* omittens, Eutychiana fraude abuteretur, hinc eo magis ab eadem abalienatos fuiſſe Occidentalium animos concludit. Accidiſſe interim refert, ut imperio ad Juſtinum delato, inter reliquos Epiſcopos in regiam urbem adventantes, Paternus quoque Tomorum in provincia Scythia Metropolitanus illuc ſe contulerit, quem e veſtigio quidam monachi cum eo diſſidentes ſint inſecuti, iſto forſan conſilio, ut coram Johanne Patriarcha cauſa diſceptaretur. His cum monachis Victor quidam Diaconus controverſiam habebat inter alia de uno de Trinitate crucifixo, quam monachi Scythæ ad Legatos ab Hormiſda Pontifice Conſtantinopolin tunc miſſos detulerunt, rogantes, ut iſtam theſin de uno ex Trinitate tanquam orthodoxæ fidei canonem comprobarent. Utut autem, ceu latius oſtendit Auctor, dextre eam explicare modisque omnibus roborare niterentur, non tamen id, quod quærebant, a Legatis impetrare poterant, quippe qui monachos Scythas ea in cauſa non quidem ut hæreſeos alicujus aſſertores rejecere, interim tamen theſin modo memoratam uti novam, nec a Synodis uſpiam aſſertam, admittere recuſarunt. Quamobrem monachi cauſam integram Hormiſdæ Pontifici expo-

nere

nere decernentes clanculum ex urbe regia diſceſſerunt, Romamque profecti ſunt. Plura equidem fuiſſe capita, ſuper quibus cum Victore monachi Scythæ contenderint, affirmat Auctor, videlicet, quod unus e Trinitate carne paſſus ſit, quod beata Virgo vere proprieque ſit Dei genitrix, quod Chriſtus ſit compoſitus; hæc tamen ſingula illata fuiſſe exiſtimat ex primo illo atque principali, quod Chriſtus debeat dici unus de Trinitate. Inquirit autem, cur Legati Pontificii de controverſia monachorum ad Hormisdam ſcribentes, unius tantum quæſtionis de uno de Trinitate crucifixo mentionem fecerint, ac theſin de Chriſto uno de Trinitate omiſerint? Ubi ſolutionis in locum conjecturam iſtam adhibet: ſæpius ſolere diſputantes, quo validius adverſariorum dicta refellant, eadem ab abſurdo inde conſectario oppugnare. Jam fuiſſe abſurdum viſum, paſſionem affirmare de uno ex Trinitate, qui quatenus e Trinitate, ſit omnino impaſſibilis. Præterea Imperatorem Anaſtaſium, Eutychianam hæreſin promoturum, juſſiſſe Epiſcopos ſibi addictos Synodali ſententia eos damnare, qui non confiterentur, unum de Trinitate crucifixum; unde ea propoſitio hæretico ſenſu incruſtata Eutychianismum apud Catholicos oluerit. Narrat dehinc Auctor ulterius, quod, ubi primum Legatis Pontificiis innotuiſſet, monachos Scythas quosdam e collegis Romam miſiſſe, & ipſi ſtatim literas ad Hormisdam ſcripſerint, quibus ea in cauſa hactenus geſta ſignificarint, ac non unam monachis iisdem notam inuſſerint; quod Dioſcorus etiam, unus ex iſtorum numero, privatim literas, ſed paulo acerbiores, ad Pontificem de iis miſerit. Nec dicere omittit, ut ipſi Monachi id, quod ſuum fuerat, ſtrenue ſcribendo egerint, ut itidem Juſtinianus nondum tunc Imperator ſed Juſtini imperantis nepos, ex adverſario mox addictiſſimus monachorum patronus factus, aliquoties eorum cauſam allegarit in epiſtolis ad Pontificem, qui ab initio negotium univerſum ad locum, ubi lis exorta, remittendum, ac Patriarchæ Cpolitano examen ejus committendum, at poſtremo tandem decretoriam ſententiam uſque ad ſuorum Legatorum reditum differendam judicaverit. Monachos interim hostum patronos, tum etiam adverſarios in Italia ſortitos fuiſſe obſervat. Prioribus annumerat Dionyſium Exiguum, qui Scytharum theſin defenderit, ac Procli epiſtolam ad Armenios latinitate donarit. Inter poſteriores nominat

Trifolium

Trifolium quendam Presbyterum, qui a Fauſto Senatore Romano ſuper iſthac controverſia conſultus, tum ex parte ſubjecti, tum ex parte prædicati, propoſitionem toties commemoratam oppugnarit. Verum argumentis ipſius ſuo ordine adductis doctiſſimorum ejus ætatis Scriptorum teſtimoniis Auctor ſatisfacere laborat, ac tandem aſſerit, quod tota illa contentio pura inter Catholicos logomachia fuerit: utramque enim partem duas in Chriſto naturas indiviſe, inconfuſe, inconvertibiliter, adverſus Eutychianos crediſſe; utramque inſuper unam in eodem perſonam contra Neſtorianos adſtruxiſſe, ita ut unus idemque eſſet Filius Dei & Filius hominis: ſolum eos inter ſe diſputaſſe, num Chriſtus dicendus eſſet una perſona, vel potius unus de Trinitate? cum monachis Scythis illa formula, *una Trinitatis perſona*, Neſtorianam hæreſin, adverſariis contra theſis, *unus de Trinitate paſſus*, Arianiſmum ratione quidem ſubjecti, Eutychianiſmum autem reſpectu prædicati ſapere viſa fuerit. Quinimo & illos, qui pro voce *perſona* τὸ *unus* uſurparint, de interjecta præpoſitione ſecum invicem diſſenſiſſe refert, negantibus quibusdam, Chriſtum unum eſſe *de* ſancta & individua Trinitate, cum tamen eum unum eſſe *ex* Trinitate admitterent. Verum hoſce nodum in ſcirpo quæſiviſſe perhibet, cum Patres Nicænum Symbolum interpretantes promiſcue dixerint Deum ex Deo & Deum de Deo, ac præterea perinde ſit, utrum dicas, M. Antonius fuit unus de Triumviris, vel unus ex Triumviris. Ut porro cæteris quoque Orientalibus Catholicis locutionem illam de uno de Trinitate inſuetam fuiſſe evincat, profeſſionem fidei adducit, quam clerici & monachi Antiochenæ atque Hieroſolymitanæ dioeceſium Juſtino Imperatori exhibuerint, & in qua ſemel iterumque ac tertio formula illa adhibita deprehendatur. Equidem vel ideo profeſſioni iſti Dioſcorum, Hormisdæ Legatum, ſe oppoſuiſſe dicit, ſed Imperatorem ejus oblocutiones parum æſtimaſſe addit, ut qui, cum de verbo, non de re quapiam diſſenſionem eſſe animadverteret, merito illius dubitationes incongruas appellaverit. Interea monachos Scythas novas aliunde ſuppetias advocaturos, inito cum aſſeclis conſilio, ad Africanos Epiſcopos, Thraſamundi Vandalorum Regis juſſu in Sardiniam deportatos, ſua per Legatos capita transmiſiſſe, & promtum eorundem ſuffragium obtinuiſſe, tandem vero, cum jam Romæ annum exegiſſent integrum, nec ſatis felicem contro-

verſiæ

verſiæ exitum ſibi pollicerentur, inde, invito licet Pontifice, deceſſiſſe notat, quem ipſorum diſceſſum Hormisdas datis ad Poſſeſſorem Epiſcopum literis graviter exprobrarit, quas literas a Maxentio, monachorum aſſecla, præter fas & æquum confutatas queritur. Juſtinianum de cætero pro definienda theſi controverſa plures ad Hormisdam literas ſcripſiſſe, Legatos quoque Epiphanii, Patriarchæ CPtani, Romam adveniſſe, ſed Pontificem locutionem monachorum Scytharum approbare noluiſſe innuit, quamvis eos ideo nec hæreticos dixerit nec ſchiſmaticos, ſed contentioſos, qui diſſidia ac lites pro novitate vocum inculcanda paſſim diſſeminaſſent. Mortuo dein Hormisda, toto decennio ab illius obitu propoſitionem de uno de Trinitate carne paſſo inter adiaphoras relictam, & in utramque partem inter Catholicos diſputatam fuiſſe. Ferrandum, Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconum, cum a Severo interrogaretur, ſuſpenſo in hac controverſia calamo ſcripſiſſe docet, ſed cum Anatolius, Romanæ Eccleſiæ Diaconus, ipſum ſimiliter conſuleret, univerſam eum quæſtionem ſumma eruditione pro monachis definiviſſe, ac præcipue diſcuſſiſſe, quod veluti abſurdum de uno ex Trinitate carne paſſo principali propoſitioni objiceretur. Addidiſſe ipſum & hoc, quod utroque modo a Catholicis theſis illa poſſit affirmari, ſive vocem *carne* addideris ſive omiſeris, modo eam ubique tacite ſubintellexeris. Denique hunc controverſiæ eventum narrat Auctor: ſcripſiſſe Juſtinianum ad Johannem II. Pontificem, ipſique theſin de uno ex Trinitate approbandam per Legatos propoſuiſſe, id quod ille etiam, Acœmetarum Legatis fruſtra ſe opponentibus, impetraverit. Hoc facto cum A. 534. Codicem novis legibus ac conſtitutionibus auctum publicaret Juſtinianus, eidem ſub titulo de Summa Trinitate & Fide Catholica, reſcriptum quoque Papæ huc collimans inſertum aſſerit, quo apud omnes eo clarius vim legis obtineret. Poſtmodum & S. Agapetum Papam eandem propoſitionem confirmaſſe, eamq; & Vigilium approbaſſe innuit; tandem vero in Synodo Oecumenica V. anno 553. habita, Scytharum monachorum capita in fidei canones relata memorat.

His hunc in modum in Diſſertatione prima deductis, jam in *ſecunda* ante omnia id agit Eminentiſſimus Auctor, ut iis ſatisfaciat, qui Romanorum Pontificum infallibilitatem ex hiſtoria modo penſi-

tata enervari poſſe autument. Cum enim Hormisdas monachos Scythas, propoſitionem de uno ex Trinitate carne paſſo defendentes, tanquam procacis verborum novitatis aſſertores acerrimis literis perſtrinxerit, atque ex adverſo Johannes II. eam theſin & a Patribus uſurpatam & Catholicæ fidei conformem poſtea declaraverit, videri ſane, ac ſi inter ſe adverſis frontibus iſta duorum Pontificum reſponſa pugnent. Verum Cardinalis ad objectionem iſthanc regerit, quod Hormisdas eam controverſiam nunquam vocarit ſub examen, nihilque de ea definiverit. Si vero quam maxime durioribus adverſus eam locutionem effatis fuiſſet uſus, ſalvam tamen adhuc rem eſſe contendit, ſiquidem Eccleſia aliquas propoſitiones, imo & verba æquivoca, modo approbare ſoleat, modo rejicere; id quod exemplis nonnullis ex Hiſtoria Eccleſiaſtica petitis illuſtrat, eaque occaſione Brunonis Neuſſeri in Prodromo Velitari ſolutionem hanc, ab Auctore noſtro jam in Vindiciis Auguſtinianis allatam, impugnantis rationibus ſe ſimul opponit; mox autem ad anonymum ſe confert, a quo in Scrupulis quibusdam ipſis Romanæ Inquiſitionis cenſoribus oblatis, ob ſcriptam monachorum Scytharum apologiam, modis variis impetitus fuit. Heic autem adverſarium κατὰ πόδα inſequitur, verbisq; ipſius repetitis ſuas ubique reſponſiones interſerit. Confeſtim in limine ſtatum controverſiæ non ſatis ab ipſo intellectum innuit. Mox productis ab iſto Baronii, Bellarmini, & quorundam aliorum teſtimoniis, parum illis monachis faventibus, opponit alia Vaſquezii, Chriſtophori de Ortega, Petavii, Thomaſſini, Duhamelii, Lupi, & Dionyſii a S. Martha, quorum quilibet monachos Scythas defenderit ac laudarit. Porro negat, ex defenſione monachorum Scytharum impugnatam a ſe eſſe Romani Pontificis infallibilitatem, niſi & idem factum aſſerere velis ab antea nominatis auctoribus, quorum aliqui tamen hanc Romani Præſulis eminentiam vindicare totis viribus anniſi ſint. Negat, monachos Scythas hæreſeos damnatos aut ab Epiſcopis ſuæ provinciæ, aut a Johanne Patriarcha CPtano, aut a Legatis Pontificiis; ubi, quod Dioſcori ſecus opinantis judicium tanti non ſit, oſtendit. Hormisdam Pontificem nullam in eos decretoriam ſententiam tuliſſe, in epiſtola vero privata ad Poſſeſſorem illos non velut hæreticos confixiſſe, ſed turbulentos tantum eorundem mores, novarum quæſtionum cupidinem, veterum auctorum con-

tem-

temtum, genium inquietum, ingenium turbidum, ferox ac violentum acri reprehenſione perſtrinxiſſe. Dixerat adverſarius, Africanos in Sardinia exules nihil ſciviſſe de contentionibus in Oriente recens exortis, nec fraudem Eutychianorum ſub ambiguis vocibus latentem noviſſe, unde eo facilius ſcriptum monachorum probare potuerint. Verum cuncta longe aliter ſe habuiſſe, evincit Noriſius. In ſuum commodum traxerat adverſarius, quod Maxentius tantopere invectus in epiſtolam Hormiſdæ fuerit. Verum Noriſius unius verba omnibus monachis Scythis imputanda non eſſe reſpondet. Tacemus, quo pacto effatum ſuum Auctor Eminentiſſimus latius contra hunc anonymum vindicet, ubi Lib, II. Hiſt. Pelag. c. 20. Joanni Maxentio & Scythiæ monachis ob egregie navatam nomini Auguſtiniano operam grates referendas aſſeruerat.

Properandum enim nobis eſt ad Diſſertationem *tertiam*. Objecerat Noriſio anonymus, quod plures Galliæ Epiſcopos, & hos inter inprimis Vincentium Lirinenſem, Semipelagianis adſcripſiſſet. Semet ergo defenſurus Auctor, initio de Vincentio Lirinenſi plura allegat teſtimonia eorum, qui parili ratione Semipelagianiſmi maculas in pulchro alias illius corpore notaverint. Nec deeſſe addit alios, qui ſecum ſtatuant, Vincentium Commonitorium ſuum ſcripſiſſe, ſpecie quidem adverſus omnium temporum hæreticos, reipſa autem, ut Auguſtinum impugnaret; heic namque ὁμοψήφους citat Chriſtianum Lupum, Claudium Fraſſenium, Joſephum Antelmium. Tantum porro abeſſe dicit, ut ſe erraſſe fateatur, quando pleroſque Galliæ Epiſcopos ſeculo quinto Semipelagianiſmi inſimularit, ut potius diverſos eorum puros putos Pelagianos fuiſſe probatum det ex edicto Cæſaris Valentiniani III, ut item e conſenſu graviſſimorum, quorum verba deſcribit, Auctorum ſententiam ſuam priorem ulterius confirmet. Non interim ſe detraxiſſe ipſis ait laudem ſanctitatis, quandoquidem ante Synodum Arauſicanam ſententia Semipelagiana, non ſecus ac pleræque aliæ opiniones ante expreſſam Eccleſiæ definitionem, ſub lite inter Catholicos fuerit. Atque heic, quænam adſcribenda iſtis Patribus ſit ignorantia, prolixe diſputat. Vincibilem nempe eam facit, & ejus quidem, quod ii ſcire nulla adhuc lege adſtringerentur, unde eadem omnino compaſſibilis eſſe cum ſanctitate potuerit; id quod multis exemplis aliis manifeſtum ſtudet reddere. Hoc au-

 tem

tem pacto cenſet inanem reddi operam adverſarii, qua ille probare voluerit, datam eſſe anſam exteris objiciendi Eccleſiæ Romanæ, quaſi eadem in re graviſſima & ad ipſum religionis caput ſpectante fallatur, ſubditosque ſibi populos in errorem inducat, dum colendos ejusmodi homines illis proponat, quos vel hæreticos fuiſſe vel formalibus hæreticis non multo meliores conſtet. Nec fundamento idoneo niti dicit, quando anonymus affirmet, Noriſium affectatam prorſus & malæ fidei cœcitatem iſtis Doctoribus tribuiſſe. Nuspiam enim hoc abs factum ait Auctor. Negaſſe ſeſe, illos laboraſſe ignorantia invincibili, at vero ignorantiam vincibilem ortam ex eo, quod non tanta diligentia collocata fuerit in inveſtiganda veritate, quanta adhiberi poterat; non eſſe nuncupandam affectatam & malæ fidei cœcitatem, ſed neſcientiam ejus, quod ſcire nulla eos lex adhuc obligaverit, quæ & proinde immunis a culpa ſit. Non metuendum quoque, prout velit adverſarius, ne Lutherani & Calviniani, traditionum hoſtes, eo fortius reſpondeant urgentibus Vincentii Lirinenſis aſſenſum Pontificiis, Semipelagianum eum fuiſſe, ac propterea nihili faciendum ejus teſtimonium, quippe cum hi non minus atque iſti ſatis faveant Vincentio; id quod e productis quibusdam eorundem ſuffragiis colligendum dat, ac fruſtra proin ſcripſiſſe antagoniſtam dicit, quod odioſiſſimum ipſis ſit Vincentii Commonitorium. Denuo vero ad Scriptores varios, ſibi circa Semipelagianiſmum Vincentii & Epiſcoporum Galliæ adſtipulantes, anonymum remittit Auctor, ac de cætero, ut is nihil porro protulerit, niſi quod jam in antecedentibus ſatis refutatum legi poſſit, demonſtrat.

In Diſſertatione *quarta* iterum in eo eſt Noriſius, ut, appendice auctoris ſcrupulorum ita exigente, denuo plura in medium afferat de Vincentii Lirinenſis & Galliæ Epiſcoporum Semipelagianiſmo; unde teſtimonia ejus jam ante allata non aucta ſolum, ſed amplius etiam deducta Lector ſibi polliceri poterit: quemadmodum & controverſiam de qualitate ignorantiæ apud iſtos reperiundæ adhuc dilucidius heic ab Auctore explanatam deprehendet.

Sicut autem lites hactenus agitatæ res potiſſimum hiſtoricas ſpectarunt; ita in Diſſertatione *quinta* eaque ultima ad Theologica ſe trahi monet illuſtriſſimus Auctor. Tres enim diverſas ſcriptiunculas a diverſis velut auctoribus compoſitas prodiiſſe ait, quas tamen unius

mente

mente conceptas & ab eodem illo anonymo, qui antea diſcuſſos ſcrupulos publicarit, fabricatas fuiſſe exiſtimat. In iis accuſatus fuit Noriſius, ac ſi in ſcriptis ſuis Janſeniani erroris ſectatorem ſeſe oſtendiſſet. Maculam ergo hanc ut a ſe abſtergat, ſummopere is nititur. Et quidem cum in his primo propoſitionibus quandam Noriſii cum Janſenio affinitatem adverſarius quæſiverit, quod ille aſſeruiſſet, transgreſſorem legis reum eſſe peccati, tametſi negata fuerit ipſi gratia proxime ſufficiens, qua poſſet exequi mandatum; iterumque, tali auxilio proxime ſufficiente privari etiam juſtos tum, cum urget obſervatio alicujus mandati, quod non poteſt impleri ſine gratia: hinc utrumque ex his curatius examinat, menteque ſua dilucidius expoſita oſtendit, quod nihil a Doctoribus probatiſſimis alienum, plura vero Janſenianis dogmatibus contraria ita ſtatuens docuerit; qua de cauſa ipſiſſima non Janſenii modo, ſed ſua etiam verba, ſecum invicem contendenda apponit, eademque methodo evictum dat, quod de potentia proxima ad orandum urgente præcepto ea adſtruxerit, quæ directe adverſentur Janſenio. Porro admittere ſe ait in ſtatu naturæ lapſæ adjutorium ſine quo non, cum Janſenius in alia omnia viciſſim abeat; quomodo autem hoc adjutorium ſine quo non ab adjutorio quo ſit diſtinguendum, latius declarat. Trahi ſe ab adverſario refert in conſortium Arnaldi, qui aſſeruerit, Petro tentato defuiſſe gratiam proxime ſufficientem ad evitandam negationem, quæ tamen ejus propoſitio a Facultate Theologica Pariſienſi condemnata fuerit. Aſt enimvero reſpondet, docere ſe, Petro defuiſſe gratiam proximam ad orandum pro impetrando ulteriori adjutorio neceſſario ad ſuperandam tentationem negationis, ſi eidem gratiæ Petrus de ſuis viribus præſumens obicem libere oppoſuerit. Num autem reipſa ita ſeſe geſſerit, quæſtionem eſſe facti, in qua S. Auguſtinus ſuis in libris ſæpiſſime ac conſtanter affirmativam tenuerit. Hanc vero aſſertionem diverſiſſimam eſſe arbitratur a damnata Arnaldi & Janſenii opinione, quandoquidem illi dixerint, Petrum præſumſiſſe nimium de ſuis viribus, ideo, quod deſertus prius fuerit a gratia efficaci, ſine qua orare non potuerit; cum tamen potius dicendum ſit, Dominum deſeruiſſe Petrum de ſuis viribus præſumentem, non autem illum præſumſiſſe, quia prius deſertus fuerat. Ultimo tandem loco ſententiam ſuam de privatione potentiæ proxime ex-

peditæ ad perſeverandum in juſtitia accepta in ſtatu naturæ lapſæ ita adſtruit, ut eam ſuffragiis Auguſtini & Suarezii roborari, nuſpiam autem ex eadem harmoniam cum Janſenio inferri poſſe obtendat.

LEX II. C. QUI ET ADVERS. QUOS IN INTEGR. RESTIT. illuſtrata a *JOHANNE HENRICO BERGERO, ICTO, POTENTISS. ELECT. SAXON. in ſummo Appellationum Judicio Conſiliario, & Anteceſſore Wittembergenſi.*

Proſtat Lipſiæ apud Hæredes Lanckiſianos, A. 1696. in 4. plag. 19.

OBtinuit hoc argumentum, quo de *Reſtitutione liberorum adverſus facta parentum* diſceptatur, Interpretem, quem omnino deſiderabat illud, accuratiſſimum; quippe qui ſedulo operam dedit, ut & jurisprudentiæ domeſtica præſidia afferret, & quæ ex Græcis Latinisque literis cauſam propoſitam vel illuſtrarent planamque facerent, vel ornarent, ſcite conquireret. Enimvero in prædicta lege ita verſatus eſt Auctor magnificus, ut primum paragraphos ſingulos, & quæ in ipſis occurrunt ſubinde, verba emphaſi ſingulari vel ambiguitate aliqua notabilia ſolide excuteret, & ad inſtitutum ſuum attemperaret, collatis *l. 27. l. ult. ff. de minor. l. 11. §. 1. l. 12 ff. & l. 5. C. de dolo malo*, aliorumque textuum ſuffragiis. Summa deinde doctrinæ his theſibus nervoſe incluſa paſſim repetitur.

*Liberos majores æque ac minores, ex cauſa non ſolum abſentiæ conſimilisve impedimenti, ſed etiam doli metusve, adhibito tamen verborum temperamento, reſtitui in integrum.*

*Econtra minores liberos libertosve adverſus parentes patronosve, quibuscum rationes inierunt, omnino non reſtitui eo ſubſidii genere, quod a Prætore ex ſola ætatis cauſa allatum.*

*Denique ſi parentes patronive non ipſi, ſed nomine liberorum libertorumve cum alio contraxerunt, remedium reſtitutionis omne non majorum ſolum, ſed etiam minorum locum habere.*

Potius ergo duxit Auctor conſultiſſimus tueri ſententiam uſu tritam & communem, ac legem præſentem ceu correctoriam ſtricte intelligere, ut cæteris textibus *l. 11. ff. & l. 5. C. de dolo malo. l. 2. C. Si advers.*

*vers. vendit. l. 2. C. ſi advers. rem judic.* ſua ſervetur auctoritas; quo in argumento ex recenſione Strauchii, qui & ipſe conſentit, Bartolus, Baldus, Salicetus, Fulgoſius, Caſtrenſis, Mudæus, Fr. Raguel Mauritius, Sf. Oddus, Caldas vota ſua pridem contuliſſe perhibentur, quibus alii recentiores Doctores accedunt, ut Giphanius, Donellus, Hilliger, Perez, Wiſſenbachius, Brunnemannus. Quamvis autem contraria ſententia, quod contra facta parentum indiſtincte potius liberis ſit deneganda reſtitutio, a Duareno, Ant. Fabro, Bachovio, Schiltero, JCtis itidem præſtantiſſimis, adſtructa hactenus fuerit, ſuaque ſubtilitate applauſum paſſim demeruerit; ea tamen argumentorum gravitate facile vincitur, ſi res ad vivum reſecetur. Quare clariſſimo Strauchio cæterisque cauſæ ſuæ patronis induſtriæ laudem, quam ejusdem legis enarratione adepti ſunt, non invidit Noſter; verum non acquievit unice in illorum rationibus, ſed ulterius progreſſus firmiora præſidia ſententiæ approbatæ attulit. Nec neglexit fori exercitia, quidque in eo hoc valeat argumentum luculenter oſtendit, dum variantes ſententias Collegiorum, cumprimis Saxonicorum, & ſigillatim ſummi, quod Dreſdæ eſt, Appellationum Judicii, re ab origine ducta recognitaque, curate recenſere inſtituit.

## *RESPONSIO AD OBSERVATIONES DOMINORUM BERNOULLiorum, quæ in Actis Eruditorum menſe Junio hujus anni continentur, per D. T.*

PErſpexi paucas ante hebdomadas in Actis Erud. menſ. Junii, quæ celeberrimi Bernoullii circa meditata mea Geometrica, quæ menſe Nov. 1695 publicata ſunt, annotarunt; in quæ utinam incidiſſem tali tempore, quo Viris tam ſingulari præditis eruditione eo potuiſſem, quo ipſi deſiderant, modo ſatisfacere. Verum enim vero continuis itineribus, & ejus generis occupationibus, quæ ab hoc argumento diverſiſſimæ ſunt, diſtractus fui, facileque prævidi, vix mihi conceſſum iri ante hyemem inſtantem his ſtudiis dare operam. Quo factum eſt, ut ſatius duxerim pauca interim quam nihil reſpondere.

Primum ergo ea in ſententia me fuiſſe profiteor, recte & ex ordine me facturum, ſi facilia & nova exempla mearum methodorum generalium exhiberem, ut alii ex his intelligerent, quo modo illas

illas ad omnes alias curvas applicare, & , ſi ipſis ita viſum foret, mecum augmentum veritatis promovere poſſent. Quapropter etſi theorema circa *fig. 1.* de ellipſi aliis, imo infinitis modis demonſtrari poteſt, nihil tamen hoc theſi meæ officit, qua novum hoc eſſe theorema, quod ad omnes pertinet ſectiones conicas, & (quod præcipuum eſt) ejusmodi via omnes curvas menſurari aſſero. Quam quidem methodum ſingularem plane eſſe puto, neque miror Cl. Joh. Bernoullium hujus theorematis momentum, pro ea, qua pollet, ingenii acie, bene perſpexiſſe.

Quod attinet ad theorema *fig. 2.* perplacuit mihi ejus augmentum, quodque univerſalius fuit traditum: ego vero in tantum illo ſolum uſus fui, quantum ad focorum naturam indagandam fuit neceſſarium. Quamvis enim Cl. Jacobus Bernoulli aſſerat, conſiderationem focorum nihil hic ad rem facere, neque negari poſſit, primo intuitu non ſtatim adparere conſiderationem centri gravitatis in Geometria alicujus eſſe uſus, ſatis tamen notum eſt, quantum quamque egregium uſum habeat in curvarum dimenſione invenienda, facileque adparebit perſcrutanti curvarum deſcriptionem per focos, quantum quamque ſingulare conſideratio centri gravitatis hic præſtet commodum; neque proinde ſine prægnantibus rationibus ad alios eo deducendos, & ad inquiſitionem ulteriorem excitandos, tale theorema cum publico communicavi. Quod vero Dn. Joh. Bernoulli ſequentia verba: *ſeſe extendens ad omnes curvas, ſive ſint per focos ſive aliter quomodocunq;, & ſi vis, libera manu deſcriptæ*, innuere videntur in ea ipſum eſſe ſententia, non omnes curvas per focos deſcribi poſſe, ejus contrarium facile demonſtrari poteſt.

Circa *fig. 3.* dicitur: *etiam procedit cum diverſos focos habent, item, nihil hic peculiare tribui video parabolis, quod non idem quoque valeat de omnibus ejusdem ſpeciei curvis &c.* ut facile poſſit in eam deduci Lector opinionem, me tale quid non animadvertiſſe. Velim ergo, ut hæc cum verbis meis conferantur: *neque abſolute neceſſe eſt, ut eundem focum habeant &c. item, datur unicum tale theorema pro omnibus curvis ejusdem ſpeciei.* Quapropter cum non conſtet mihi, ejus generis quiddam ab alio publici juris factum, dignum illud judicavi, ut ejusdem aliquod exhiberetur ſpecimen, ſed ita comparatum, ut facile hinc ad cognitionem theorematis univerſalis perveniri poſſit.

Quod

Quod num Dn. Jacobo Bernoullio cognitum ſit, ex illis, quæ addidit, non ſatis colligere licuit, cum longe ſit univerſalius. Quamvis autem facile largiar, ejus demonſtrationem, non ſecus ac omnium maxime univerſalium, haud difficulter inveniri poſſe; nihilo tamen ſecius facilitatem non imminuere puto ejus pretium, præſertim cum facillima viris ingenioſis quandoque ſint ignota.

Methodum tangentium inverſam ante aliquot annos magno in pretio me habuiſſe, jam vero eandem non leves ob cauſas eo loco non amplius a me haberi fateor: neque tamen quenquam, cujus ingenium ad eam excolendam fertur, animus eſt retrahere. Et quamvis ante annos bene multos methodum illam eo deduxi, ut nihil hactenus propoſitum viderim, quod ejus ope, cum operam dare ei licuit, non potuerim determinare, ipſasque adeo non ita pridem proprietates tangentium, quæ pluribus curvis ſunt communes; in ea tamen opinione ſemper fui, non eſſe hanc genuinam viam determinandi curvarum deſcriptiones & dimenſiones: & quia nunc mihi tantum temporis non relinquitur vacuum ad hæc ſtudia perſequenda, lubenter hæc aliis relinquo, & quod mihi ſuppetit otium tribuo hujus generis ſtudiis eo ordine tractandis, qui mihi pariter & publico maxime conducere videtur.

Quæ pertinent ad focos in qualibet curva ſpeciali, jam in Medicina mentis pertractavi, oſtendique, quantum ſufficit harum rerum peritis, quomodo omnes certo ſint determinandi. Quamvis enim mea ſententia quælibet curva, e. g. circulus, infinitos habet focos, omnes tamen ita poſſunt inveniri; cujus rei jam in Act. Erud. exhibui ſpecimina. Id tamen negare non poſſum, peculiaria hic dari compendia, ſine quibus ordinaria analyſi hanc rem ſuperare pæne impoſſibile eſt, lubensque, ſi quis huic rei, quam maxime utilem in tota Matheſi meo quidem tenui judicio eſſe cenſeo, incumbere vellet, in commune conferrem, & cum ipſo, quæ mihi jam ſunt cognita, communicarem, quamvis in parabolæ cubicæ focis determinandis non adeo magna ſit difficultas, ut jam diu, cum in illos inquirerem, comperi.

Ad menſurandam aream hyperbolæ arcum adhibui curvæ mechanicæ, quia ſtatim hinc conſequitur per eam, qua utor, methodum, idemque ſucceſſus in ellipſi & parabola, imo omnibus cur-

 vis

vis deprehenditur; quod etiam Dn. Hugenio placuiſſe video in hyperbola, & tanquam ſingulare quiddam Geometris conſiderandum fuiſſe propoſitum, a me autem longe univerſalius fuit præſtitum. Dimenſio areæ hyperbolicæ per arcum parabolæ, quam Heuratius jam detexit, tam naturaliter ſecundum hanc univerſalem viam non provenit, niſi forſan non rite genuina ſecutus ſum veſtigia, ad quæ tamen in ulteriori diſquiſitione probe attendere decrevi.

Porro quod attinet ad ſpecimen, quod in *fig. 4.* de parabolæ portionibus inter ſe conferendis dedi, non poſſum non candide fateri, me cum incidiſſem in viam, qua univerſaliter partes curvæ inter ſe poſſunt comparari, ſtatim hujus rei deprehendiſſe momentum; ſed cum in applicatione calculi difficultas ſurgeret non exigua, a ſimpliciſſimis incepiſſe, & inter alia quoque incidiſſe in curvam paraboli-cam, in qua principio quidem ſe difficultates non exiguæ objiciebant, quæ tamen evaneſcebant, poſtquam inveneram univerſalia quædam theoremata, ſimplicia illa quidem, nec dum tamen ſatis nota, pro omnibus ſectionibus conicis, ex quibus omnia quæ de illis hactenus innotuerunt, faciliori longe, quam ſolet fieri, via derivantur. Cum ergo rem totam cum Viro ingenioſo communicaſſem, ipſeque calculum ſibi optime conſtare confirmaſſet, conſtitui aliquid proferre in publicum, ipſamque rem ulterius perſequi. Non licuit tamen hac in re procedere ultra, niſi paucos ante menſes, reperique methodum ipſam plane certam calculumque ſatis exactum eſſe. Quoniam vero uſus ſum aliqua ſuppoſitione, quam omnes quidem, qui in calculo indefinite parvorum verſantur, adhibent, in errorem tamen inducere poſſe quandoque mihi conſtat, dum ſæpe ſumma quantitatum indefinite parvarum, quæ ſemper reſtant, quantitatem finitam conſtituit; rem alio plane aggreſſus ſum modo, qui nullam ſuppoſitionem, quæ ſcrupulo cuidam ſit obnoxia, requirit, jamque ipſum calculum, qui magnus ſatis eſt, abſolvi. Cum vero nondum mihi de ejus exactitudine certo conſtet, ſupprimam interim concluſum, eritque hoc, quamprimum dabitur tempus commodum, prima mea diſquiſitio, qua finita plura ſpecimina ipſamque forſan methodum communicabo: quam nunc quidem confirmo certam eſſe & univerſalem, ad partes omnes non ejuſdem curvæ duntaxat ſed quarumvis diverſarum curvarum inter ſe comparandas, ut ita quid fieri aut non

fieri poſſit, innoteſcat. Tandem quod ſpectat ad Dn. Joh. Bernoulli pulcherrimum & maxime ingenioſum inventum, diverſas curvas ad curvam circularem reducendi; nihil eſt quod ei velim objicere. Interim facile mihi erit demonſtrare, idem poſſe infinitis modis per meas curvarum evolutiones augeri; adparetque hinc, quam arduum ſit quandoque in aliorum cogitata penetrare, quæ tamen a noſtris non adeo ſunt remota. Cumque Vir, cujus ingenium ſingulare, prorſus capaciſſimumque mihi ſatis notum eſt, quamvis ad ipſum fontem, Medicinam mentis, digitum intenderim, hæc non ſatis fuerit aſſequutus, valde dubito alium id eruere poſſe. Ille vero ut videat, quam paratus ſim ejus excellenti ingenio obſequi, non pigebit commemorare, quemadmodum ipſius methodo omnes curvæ, quæ per evolutionem Hugenianam deſcribuntur, hoc eſt, quæ unicum ſecundum me focum habent, ad circularem lineam poſſunt reduci; ita mea methodo curvas, quæ duos habent focos, ad ellipſin, hyperbolam, aut parabolam, quæque tres, quatuor &c. focos habent, ſemper ad curvas Geometricas ſuperiorum graduum reduci poſſe: quod quanta ſit Geometriæ promotio, nemo non videt; ut proinde mirum foret, quenquam, qui vel hoc unum perſpexerit, meliorem deſcriptionem abſolute omnium curvarum conceptibilium vel deſiderare poſſe illa, quæ in Medicina mentis traditur. Quod ſi nec hoc mentem meam fortaſſis exprimat ſatis, lubens totam communicabo methodum. Cæterum occaſione ejus, quod Dn. Joh. Bernoulli commemorat, proprietatem circuli, quod rectangula rectarum ſe interſecantium inter ſe ſemper ſint æqualia, non eſſe circulo eſſentialem, non poſſum quin addam, me ſingularia habere theoremata univerſalia, quæ viam muniant ad novam doctrinam locorum, aliam ab ea quam Des-Cartes docuit. Hujus generis aliquod ſpecimen jam ante biennium cum Dn. Leibnitio communicavi, valdeque mihi probabile videtur, dictam proprietatem abſolute omnibus curvis competere. Id autem certiſſimum eſt, in ipſa quoque parabola, hyperbola & ellipſi hanc veritatem, quod duabus rectis ſe interſecantibus rectangulorum ſegmenta inter ſe infinitis modis certa ratione ſint æqualia, demonſtrari poſſe.

Ultimo & hoc publico indicaſſe forſan operæ pretium erit, quod ad curvilineorum diviſionem pertinet. Notum eſt, Archimedem aream circuli

culi per lineam ſpiralem in partes rationales diviſiſſe, id quod per neotericos, imprimis Dn. Sluſium in Miſcellaneis, per infinitas ſpirales in ratione numeri ad numerum factum quoque eſt. Hanc rem ulterius promovit Jacobus Gregorius, & in Geom. Univerſ. prop. 62 pag. 113 quadrantem circuli per curvas Geometricas, quæ per gradus aſcendunt, rationabiliter partitus eſt. Mihi vero nota eſt methodus hæc omnia poſt ſe relinquens, quippe cum ejus ope quodlibet ſpatium duabus rectis & curva Geometrica terminatum, quamvis non ſit quadrabile, in ratione data lineæ ad lineam, per unicam curvam Geometricam, idque infinitis modis dividatur, ſimulque, cum ſpatium datum eſt quadrabile, quadratura hæc infinitis modis determinetur. Id quod, cum neſciam in ſimile quid incidiſſe hactenus quenquam, publico indicare volui, cui quoque rem ipſam, ſi eam acceptam illi fore intellexero, impertiri data occaſione non gravabor.

## *THEOREMATA FAMILIARIA DE PHYSICO MEDICIS Lucubrationibus juxta Leges Mechanicas JOH. BAPT. SCARAMUCCI.*

Urbini apud J. B. Buſtum, 1695. in 4. Alph. 1. pl. 16.

CUm tot tamque varia, ex ingenio Veterum ac Recentiorum prolata, animos illorum, qui ad Medicinæ ſtudium ſe applicant, facile turbare ac confundere poſſint, Theoriæ aliis, aliis vero Praxi magis intentis: in gratiam horum Theoremata ſua conſcribere ſecundum leges mechanicas Auctor nobiliſſimus voluit. A præjudiciis igitur liberatus, rationibus præcipue atque ingenio, ut fas eſt, veritatem rimatur. Univerſum vero tractatum Theorematibus abſolvit viginti, quibus, quæ in praxi ab ipſo aliisque obſervata ſunt, intricatiſſimaque videntur, extricare atque evolvere, principiis nixus mechanicis ſtudet. Nos ex univerſo Opere pauca pro inſtituti ratione delibabimus. Inter alia primo ponimus loco illud Theorema, in quo principia, quibus ſtabilire cætera videtur, quærit ea, quæ ſub ſenſus cadunt, appellatque, rejectis aliorum ſententiis, *corpus* ſive elementa quatuor, & *motum* cujus ope illud in particulas infinitas, diſpoſitione, figura,
Th. I. motu & magnitudine diſcrepantes dirimi poſſit. Ita cum quæritur, cur phlebotomia ſit proficua in febribus & inflammationibus? in

ſtatum

ſtatum Auctor clariſſimus primo inquirit naturalem ſanguinis, ſupponensque, quod ex pluribus partibus heterogeneis, acidis nempe, ſalſis, acerbis, dulcibus amarisque componatur; harum amicam connexionem, æthereis moleculis elaſticitate ſua motum & calorem promoventibus, vitam ſervare aſſerit. Quamprimum vero aliquid heterogenei, mole exigui, nimium tamen activi, miſceatur, particulas heterogeneas luctam aggredi, præternaturalique fermentatione, æthereis moleculis in libertatem vindicatis, igneas vehementius motas calorem, fibras diſtendendo tumorem, ſanguinis curſum cohibendo ruborem, acorem augendo dolorem atque inflammationem producere exiſtimat. Ad hunc maſſæ humoralis orgaſmum compeſcendum venæ ſectionem recte inſtitui ab omnibus & cum ſucceſſu, in comperto habet, non quod ſanguis refrigeretur, aut putridus humor ex corpore extrahatur, ut alii ſentiunt, ſed quod diminutione facta proportionatum in vaſis ſpatium ſanguini tranſeunti concedatur. Major enim ex rarefactiva maſſæ ſanguineæ expanſione ampliatio arteriarum atque venarum impedit, quo minus fibræ, præter naturam diſtenſæ, contrahi, motumque ſanguinis conſuetum promovere queant. Ex interrupto igitur circuitus ordine ſtagnationes aliaque proficiſci mala, haud miratur. Non aliter vero, quam extrahendo diminuendoque ſanguinem, hæc pelli poſſe, ex mechanica corporis noſtri ſtructura porro demonſtrat; quæ neceſſario requirit, ut facta venæ ſectione in brachio, curſus intercipiatur ſanguini refluo per venas brachii ad ſubclaviam ſiniſtram, chylusque cum lympha, valvula ductus chyloſi non amplius compreſſa a ſanguine, qui a jugulari impetuoſe in ſubclaviam influit, liberius fluat. Si vero maſſa ſanguinea per acidi energiam coagulata fuerit, eodem medio, ſcilicet phlebotomia, demptam copiam ſolvi, moleculasque a ſtrictiori vinculo liberatas circulari promptius, Auctor noſter arbitratur. Modus, quo ſanguis tum extractus ſponte coagulari, tum in corpore noſtro ab acido conſtringi poſſit, alio Theoremate ab Th. II. Auctore ſupra laudato traditur. Sanguinem arterioſum fluidiorem exiſtere venoſo, nemo eſt qui negat; illud tamen ex halitu ſpirituoſo ætheræ naturæ, ut aliis placet, proficiſci non concedit, rationemque ex mechanicis adducit ſequentem, quod moto in arteriis ex lato in anguſtum ſanguine, ejusdem textura fibroſa non poſſit

 non

non promptius ſcindi, aërisque vis elaſtica ex preſſione majori ſe expandere activitate. Motu igitur aucto, aërisque diverberatione in libertatem concitatis particulis, magis vividum in arteriis ſanguinem quam in venis deprehendi, in quibus ex anguſto in latum motus, aliquo pacto cohibeatur. Denegatis contra motu, calore, ſpirituque halituoſo, ſponte coagulari debere ſanguinem Auctor ſibi perſuadet, quod fibroſæ ſanguinis particulæ, quæ ramoſæ & reticularis figuræ ſunt, aqueam ſeroſitatem exprimere neceſſe habeant. Pari modo ab acidis moleculis ſanguinem ſubeuntibus reticulares has particulas conſtringi, nullus dubitat, adeo ut ſerum in ſuo ſervatum motu fluidum relinquant. Hujus tamen particulas ramoſas atque irregulares, a copioſis moleculis acidis ſimul incuneatas, fluorem facile amittere poſſe cenſet. Porro occaſione Religioſæ Veſtalis febre correptæ, ab eaque uſu pulveris Peruviani liberatæ quidem, ſed in tantam diabetis vim incidentis, ut quovis die quadraginta urinæ libras excerneret; qua ratione hæc fieri poſſint, diligentius examinat. Probabiliſſimum ſuſpicatur, latitaſſe ſales exoticos ac corroſivos in ſanguine, qui partes aqueas ſanguinis, cumque his carnoſas, ex ſalino-corroſivis particulis in minima divulſas, per renum tubulos, a copioſiori fluore jam laxiores factos excernant. Nec obſtat, carnoſas partes impedire motum fluoris potuiſſe, cum aqua fortis, licet particulæ argenti innatent, fluorem ſuum retineat. Verum cum hæc nondum ſufficere videantur ad tam copioſum humorem procreandum, concludit, ex terreis ſanguinis particulis cum terra pulveris Peruviani tale, humiditate deperdita, conſtitutum fuiſſe caput mortuum, quod ab aere media reſpiratione propulſo aquam recipiat, aut quod aer aqueis abundet granulis, aut quod particula aeris, diverſimode juxtaponi coactæ, in aquam facile abeant; id ipſum ſclopeto pneumatico probans, in quo aer condenſatus, ſibique aliquamdiu relictus in aquam abit. Aeris particulas facile caput mortuum ſubire atque amplecti poſſe, experimento vitrioli Auctor declarat, cujus caput mortuum, educto ſpiritu per deſtillationem, demptoque phlegmate, aeri denuo conceſſum, pauloque poſt deſtillationi commiſſum, copioſum præbet fluorem. Aliud jam Auctor exhibet Theorema, quo ex luxata medulla ſpinali, lotii fæcumque ſuppreſſionem, modoque ſubſecutam incontinentiam fuſius exponit. Perſuaſum vero

ro habet, in luxatione ſpinalis medullæ, denegato influxu ſpirituum ſuccoque nerveo, (ut loquitur) in nervorum propagines, qui inteſtino recto ac veſicæ inſeruntur, motum periſtalticum neceſſario ceſſare, nullasque ſentiri poſſe vellicationes, quæ fæces urinamque ejiciant. Cum vero incontinentia potius ex jam dictis exſpectari poſſet, adjicit, ſphincterem, qui præter nervos ex ſpinali medulla venientes, nervos ſextæ conjugationis etiam poſſidet, ſpiritus ab his recipiendo robur ſuum aliquamdiu ſervare, fæcesque ſuſtinere, donec morbi decurſu, paralyſi affectis omnibus nervis, a ſuo tenore recedere coactus, illas elabi patiatur. Supereſt unicum, quod ſicco pede præterire non poſſumus. Obtulit ſeſe Auctori noſtro, Tuderti cum eſſet, vir quidam, dyſuria & ſtranguria vexatus, qui paulo poſt de renum gravitate uretherisque dextri dolore conqueſtus, calculo laborare videbatur. Facta igitur exploratione per catheterem, lapidem eſſe Chirurgus autumavit, ſectionemque exſecutus eſt. His præmiſſis Auctor noſter materiam arenulis circumvolutam cum adſtantibus aliis vidit, quam abluendo funiculum fuiſſe deprehendit. Ægrotus, examine inſtituto, num unquam tale quid deglutiverit, fatebatur, ſe ante viginti dies matutinis diebus avide aquam ex puteo hauſiſſe, aliquidque moleſti cum aqua inter deglutiendum expertum fuiſſe. Viam igitur facilem fuiſſe funiculo ad ventriculum, nullus dubitat; tranſitus vero in veſicam difficilior apparet. Credit itaque, non modo ordinario cum circulatione ad renes deveniſſe funiculum, ſed per venas lacteas ad ciſternam usque chyli provectum, breviori via per ſurculos lacteos (vaſa intelligit lymphatica, ut ex ſequentibus patet) in arterias emulgentes inſertos, ad renes abiiſſe & ſic porro. Renum ſubſtantia dura, compacta, denſaque tranſitum negare videtur, ſed ſinus, quorum ſubſtantia laxa atque cavernoſa eſt, ex uretheribus in renum cavo expanſis & dilatatis membranaceos, facile eundem permittere potuiſſe ſuſpicatur. Uretheres duos fere digitos admittere pro certo habet, vaſaque lactea in viventibus longe ampliora quam in defunctis ponenda eſſe ſtatuit. Objectionibus denique, quæ in contrarium afferri poſſent, ſatisfacere omnibusmodis annititur. Th. XX.

*EPHE-*

*EPHEMERIDES PERSARUM E LIBELLO ARABICE, Perſice atque Turcice MSto nunc Latine verſa & Commentariis illuſtrata a MATTHIA FRIDERICO BECKIO.*

Auguſtæ Vind. apud L. Kronigerum, 1695, in fol. Alph. 1, pl. 14.

CUm expugnata Turcisque erepta urbe Eſſeck, opima præda onuſti milites Germani reverterentur, hocce quoque Calendarium Auguſtam Vindelicorum delatum, tandem munere amici ad clariſſimum Beckium pervenit. A Turca pro Turcis illud ſcriptum eſſe ex eo colligit, quia Abubecri atque Omaris mentionem perquam honorificam facit, quos tamen Perſæ ut illegitimos Muhamedis ſucceſſores averſentur, ſuumque Ali, hic ne nominatum quidem, venerentur. Unius autem ſolum anni, ſexcenteſimi ſcilicet noni, epochæ Gelalææ, quam accuratiſſimam vocat, qui anno 1687, & aliqua ex parte ſequenti æræ Chriſtianæ reſpondet, hocce Calendarium eſſe autumat. Unde porro conjicit, eſſe illud recentiſſimum inter omnia Calendaria Perſica, aut Turcica, aut mixta, quæ in Chriſtianorum doctorumque virorum manus inciderunt. Neque ſolum Semi-Perſicum & Semi-Arabicum eſſe addit, ut manuſcriptum Scaligeri, ſed & Semi-Turcicum, & quidem elegantiſſime exaratum, variisque coloribus, partim ornatum, partim diſcretionis cauſa pictum. Obſervat porro, in Calendario M. S. omnium epocharum numeros rubrica exprimi, ſolius æræ Syro-Græcæ Chriſtianorum dies atramento, utpote colore infauſto, deſcriptos eſſe: bene tamen factum eſſe ait, ut Arabica æra ruffo, quippe ſanguinolento colore ſit deſignata. Hinc & quædam Calendaria perpetua ab Orientalibus confici docet, & commemoratis, quibus uſus ſit, ſubſidiis, operisque difficultate, præfationem finit.


Præter ipſam vero Calendarii verſionem, quinque Commentariorum libros adjecit, Chronologicum, Aſtrologicum, Aſtronomicum, Phyſicum & Hiſtoricum. In Chronologico de epochis apud populos orientales celebrioribus agit. Sex autem apud eos epochas ejusmodi occurrere, Hegiræ ſcilicet, Perſicam, Græcam, Melicæam, ſive Gelalienſem, Chataiam & Iguræam: & haſce quidem in hiſce etiam Ephemeridibus adhiberi, excepta Chataia & Iguræa, earumque loco Ægyptia atque Chriſtiana ſubſtitutis. Ad Rumæam ſive Chriſtianam


anam quod attinet, hanc Philippi quoque, Alexandri & Seleucidarum æram dici, eaque Græcos, præſertim Macedones qui ſub Seleucidis in Syria & Aſia fuerunt, uſos fuiſſe monet, eamque in Canonibus, qui Apoſtolorum dicuntur, & apud Epiphanium hiſce nominibus, *ἔτος κατὰ τοὺς Ἕλληνας*, item *ἔτος Συροελλήνων*, indicari; originem autem hujus æræ ab anno XII poſt mortem Alexandri elapſo, Seleuco Nicanore, rerum in Syria atque Aſia potiente, ducendam eſſe autumat. Initium anni a menſe Martio juxta hanc æram capitur. Hac occaſione omnes epochæ Rumææ menſes ex Rusname quodam manuſcripto recenſet, & nonnulla ex Rusname Weickmanniano a doctiſſimo Velſchio ſine verſione edito, exponit & uberiori commentatione illuſtrat. De nomine tandem hoc addit, non ſolum Græcos, ſed & reliquos Chriſtianos Europæos Rumæos dici. Sequitur epocha Ægyptia, quam ab æra Syro-Græcorum annis 594, diebus 322, a Chriſtianorum autem 283 annis & 241 diebus diſtare tradit. Ægyptiam autem hanc æram ab Ægyptiis, a Diocletiano inter alios Chriſtianos e medio ſublatis appellitari, & ceteroquin etiam Martyrum æram vocari, docet. Initium tamen hujus æræ ab Imperio Diocletiani, & primo quidem anno, quo rerum ſumma potitus eſt, neutiquam autem a perſecutione, quæ decimo nono demum ejus imperii anno contigit, duci. Menſes Coptitarum, quorum nomina itidem refert, omnes æquales eſſe, dierum ſcilicet 30; ſub finem tamen anni & ultimi menſis Meſori quinque, in anno biſexto autem ſex dies adjici, eosq; מסתרקה *ἐπαγομένας* ſive appendices appellitari. Anni principium in hac æra diem vigeſimum nonum, aliquando & trigeſimum Auguſti eſſe, annumque Coptitarum 1404 cum anno æræ Chriſti 1687 recte connecti, ita tamen ut ille incipiat ubi hic finit; octo enim fere menſes anni 1687 præterlapſos eſſe, quando annus Coptitarum 1404 init. Æra Hegiræ non a gente Hagarena, ut Joſephus Juſtus Scaliger cenſuit, ſed a vocabulo הגרה quod Arabibus eſt fuga, judice Auctore dicta eſt. Fuga autem a qua Turcæ, Perſæ & Africani putant, Muhammedis eſt Pſeudo-Prophetæ, qui ut Auctor porro refert, Mecca pulſus, Jatrippam adiit; quam quidem nonnulli contigiſſe perhibent ſecundum medium motum Lunæ, anno Chriſti 622, nocte 15 Julii, feria quinta. Addit tamen, nonnullos, ut Scaligerum, Calviſium, Chriſtmannum, & Beveregium aliosque, annos Hegiræ a ſequenti die 16


Julii feria ſexta inchoare, eo quod Judæis aliisque in more poſitum ſit a veſpera diem incipere. Formam anni ſecundum hanc æram Lunarem eſſe dicit, eamque Muhammedanos cum Judæis habere communem. Hinc indicatis menſium nominibus, obſervat, ſingulos menſes quibusdam velut honorum titulis inſigniri, ut alius benedictus fauſtusque, alius ſanctificatus, alius laudabilis, & ſic in ceteris, audiat. Præterea 6 menſibus plenis 30 dierum, totidemque cavis 29 dierum, alternatim ſibi ſuccedentibus annum hujus æræ conſtare aſſerit: cumque annus Lunaris inſuper 8 horas & 876 ſcrupulos conficiat, inde fieri obſervat, ut undecies per τριακονταετέριδα intercaletur, & tum poſtremum anni menſem, Dulheggia dictum, dierum 30, ipſum vero annum ἐμβολιμαῖον 355 dierum eſſe: denique annum æræ Hegiræ 1099 connecti cum anno Chriſti 1687. Sed hujus non niſi duos poſtremos menſes cum 5 diebus reſtare obſervat. Perſarum æram geminam eſſe docet, antiquam & novam, illam Jesdegirdicam, hanc Gelalienſem vulgo dici. Jesdegirdica a Jesdegirdo Perſarum Rege poſtremo, docente Auctore, denominatur, & quidem ab imperio, neutiquam autem a morte ejus, ut nonnulli ſibi perſuadent. Annos æræ hujus non Lunares, ut epochæ Hegiræ, ſed Solares eſſe, ſingulosque 12 menſibus 30 dierum conſtare docet. Obſervat quoque, in hac æra menſes a Regibus nomina ſortitos eſſe, addita in fine voce מאה *Meh*, quæ menſem ſignificat. Ut vero annus Solaris 365 dierum compleatur, quinque dies ἐπαγομένȣς ſive intercalares, & hoc perinde ut in æra Ægyptia, addi ſolere, monet: quemadmodum & iſtud, quod 6 horæ, quæ ſingulis annis remanent, & in hac æra ſingulis quadrienniis diem unum conficiant, unde annus intercalaris oriatur. Antiquitus tamen Perſas horas neglexiſſe docet, & inde annum Perſarum antiquum vagum atque ſolutum eſſe; ſpatio tamen 1460 annorum (quem cyclum annum Dei ab iis vocari ait) ad idem, unde erat digreſſa, punctum antiquam Perſarum æram reverti. Denique & iſtud obſervat, annum æræ Chriſti 1687 cum anno 1057 æræ Jesdegirdicæ convenire; in aſſignandis tamen die menſis & feria hebdomadis Calendarii hujus auctori non convenire cum Joh. Gravio, quocum ceteroquin ſemper conſentiat. Nova Perſarum epocha Gelalæa, ut Auctor tradit, vocari ſolet a Gelaloddin, vel ut apud Ulug Beigium plene deſignatur, Sultano Gelaloddin


Melic-

TAB. IX. *ad A. 1696. pag. 559.*




E. Andr. John. sc.

Melicſchach filio Alb Arslan Selgiukæo. Melicæam eandem epocham appellari putat ab altera agnominis compoſiti parte, quemadmodum Gelalæa a nominis itidem compoſiti altera parte vocetur. Sed & Sultanenſem, id eſt Imperatoriam, ab eodem Sultano Gelaloddino vocari autumat. Nimirum Gelaloddinum huncce epocham Perſarum Jesdegirdicam, utpote vagam, ſolutam, minusque accuratam antiquaſſe, & congregatis octo Perſidis Sapientibus, rerum cœleſtium peritiſſimis viris, annum confuſum correxiſſe, atque annum Tropicum dierum 365, hor. 5, $48'$, $53''$ & $20'''$ fere ordinaſſe refert. Confirmat hoc ex Beveregio, qui annum hunc 365 diebus, 5 horis, $49'$, $15''$, $0'''$, $48''''$ conſtare ait. Addit ex eodem, methodum hujus anni in eo fere conſiſtere, ut cum ſexies vel ſepties, quadriennio quovis vertente, facta fuerit intercalatio, ſemel ad quintum annum prorogetur. Hunc ergo annum, ſi quem alium, vere Tropicum eſſe, motibus Solaribus quam exactiſſime reſpondentem. Embolismum enim ſextum & nonnunquam ſeptimum in annum quintum delatum æquinoctia & ſolſtitia iisdem perpetuo menſium diebus affigere. Atque hanc emendandi temporis rationem inſtante ſeculo Chriſti XIIX Glorioſiſſimo Chriſtianorum Imperatori Imperiique Statibus amplectendam eſſe, Auctor noſter exiſtimat. Ceterum nomina menſium in hac æra eadem eſſe cum nominibus epochæ antiquæ monet, ſingulosque menſes 30 eſſe dierum, hinc 360 dies confici; unde in fine poſtremi menſis Eſphandar quinque dies Muſteraka appendantur quolibet anno communi, embolimæo vero ſextiduum adjungatur; idque nunc epochæ hujus anno 609 contigiſſe, qui ſub finem cum anno æræ Chriſtianæ 1688 conveniat.

In commentario Aſtrologico primo obſervat, Arabes, Perſas Lib. II.
ipſosque Turcas Aſtrologico ſtudio deditiſſimos eſſe. Hinc Dodecaëteridem Chaldaicam exhibet, & ex Scaligero obſervat, in ea ſingulos annos animalium nominibus appellari, quæ affectum ejus anni indicent, ſic ut annus leporis fertilitatem, ſerpentis peſtilentiam &c. denotet. De Planetarum quoque conjunctionibus præcipit, & ex Cardano obſervat, conjunctionem ut plurimum validiorem eſſe op-

poſitione, oppoſitionem quadrato, quadratum trigona radiatione. De triplici quoque ſuperiorum planetarum ♄ & ♃ conjunctione, magna, media & minori diſſerit, & quæ hinc rerum omnium, præcipue imperiorum, ut nonnulli putant, ſequi mutationes ſoleant, indicat. Erudita quoque ſunt, quæ de Horoſcopis in medium affert. In illo quem præſentes Ephemerides exhibent, duodecim conſpiciuntur partes ſive domus, octo triangulares & quatuor quadrangulares, quæ mediæ præcipuæque ſunt. Singulas domus Noſter perluſtrat, & inter alia in decima domo exiſtere סהם אלעיב i. e. ut Pocokius vertit, lineam occultationis, obſervat. Sed addit tamen, Franciſcum a Meſgnien Meninski hanc vocem transferre per *ſagittam inviſibilem ac fatalem;* unde lucem affundi putat loco Pſalm. XCI, 5, *ne timeas a ſagitta, qua volat interdiu.* Namque ad hæc Aſtrologorum ſcita alludi, nonnullæ Ebræorum interpretationes Auctori innuere videntur. Fatetur tamen, ſe Judæorum ſuperſtitionem haud approbare. Tandem viginti octo manſionibus Lunæ enumeratis & breviter explicatis, Aſtrologiam judiciariam cum cordatioribus rejicit, ejusque vanitatem agnoſcit.

Lib. III. Sequitur commentarius Aſtronomicus, in quo primo de ſtellis fixis præcipit, quas poſtquam ratione ſitus & plagarum cœli in Septentrionales, Auſtrales, & intermedia XII Zodiaci ſigna diſpeſci indicavit, ad ſingulas deſcendit, & ea quæ in Ephemeridibus afferuntur, illuſtrat. Hinc Planetas, eorumque nomina Arabica pariter ac motum exhibet. Sed & de Syzygiis ſive Aſpectibus Planetarum diſſerit, & inter alia docet, Planetam quando cum Luminari magno, h. e. Sole conjungitur, *combuſtum*, ipſam vero conjunctionem אחתראק *combuſtionem* appellitari: alios tamen addit diſtinguere inter oppreſſionem & combuſtionem, Planetasque qui a Sole 15 gradibus diſtant, ἐπαύγους ſive Solis radiis oppreſſos, qui vero non niſi 6 gradibus a Sole abſunt, vel juxta Arabes cum illo conjuncti ſunt, combuſtos vocari; quæ prolixius explicat. Cumprimis autem in Lunæ mutationibus declarandis occupatus eſt, idque diligenter agit, ut quando Ephemerides præſentes ab aliis diſſentiant, indicet & in cauſas hujus diſcrepantiæ inquirat. Tandem poſtquam & de horis diei nonnulla commentatus eſt, de loco harum Ephemeridum concludit, eas aut Theſſalonicæ aut Dyrrachii conſcriptas eſſe. Ex aſperti-

aſpectibus enim Planetarum colligit longitudinem loci eſſe 43 aut 44 graduum; latitudinem vero 41, 39: quam longitudinem & & latitudinem Dyrrachio ſecundum mappas Mercatoris & Danckeri, Theſſalonicæ autem ſecundum mappam Joh. & Cornelii Blaeu convenire ait. Ceterum auctorem Ephemeridum ad Meridianum Thracicum, vel Macedonicum potius, ſuas inſtituiſſe ſupputationes monet. Id quod illos non ignorare fas eſt, qui accuratius in rem totam inquirere volunt.

Commentarius Phyſicus primo de quatuor anni temporibus, vere, æſtate, autumno, hyeme, diſpicit. Accurate enim in ipſis Ephemeridibus æſtus frigoriſque initium & finis, & gradus, & partium temperatura, & quæ id genus alia ſunt, indicata conſpiciuntur. Hinc de mari, Nilo atque aquis nonnulla tradit. Namque & motum maris & quietem, tempuſque adeo navigabile, itemque Nili exundationem ejuſque receſſum, & tempus etiam quando ob ſummum æſtum homines in aquas ingrediantur, auctor Calendarii deſignavit. Sic & de meteoris, pluvia, pruina & ventis, itemque de vegetabilibus, ut & animalibus tum volatilibus tum natatilibus eadem ratione diſſeritur. Et animalia quidem quod attinet, occultationem formicæ, abitum gruis & hirundinis, adventum ciconiæ & milvi, gemitum philomelæ & ſimilia auctor Calendarii cum cura indicavit, quæ clariſſimo Beckio occaſionem varia obſervandi ſuppeditant. De homine vero non tantum, quando ex mente Calendariographi medicata potione corpus purgare debeat, ediſſeritur, ſed & Muhammedanorum ſuperſtitio gemina perſtringitur & exploditur. Namque a die XXV Decembris ad diem VII Januarii a λυκανθρώποις, quos Kara-Kongiolos Turcæ vocant, cavere jubet, manifeſto argumento, Turcas eodem errore de hominibus in lupos mutandis teneri, qui & alios Europæ populos afflavit. Deinde & illud notat, quod iidem Muhammedani credant, veſpera die XXIX Decembris Dæmones in aquam vomere, adeoque aquam eo tempore ex vaſe aperto potam epilepſiam inducere. Judæos itidem ſimile quid tradere, monet. Lib. IV.

Ultimum locum tenet Commentarius Hiſtoricus. Hic iterum ipſæ Ephemerides, ejectionem Adami ex paradiſo ad diem 7 Aprilis, ejus obitum ad diem 9 ejuſdem menſis, Noachi ingreſſum Lib. V.

in navem ad 17 ejusdem menſis, & diluvium ad diem 30 Maji referentes, Auctori occaſionem varia monendi ſubminiſtrant. Hinc poſtquam dies, quos Muhammedani pro fauſtis atque infauſtis habent, recenſuit, de B. Virginis Mariæ nativitate, annunciatione, & dormitione, ut vocant, quædam tradit. Ubi tamen haud raro ab Ephemeridum auctore diſſentit, eique Ruſname aliquod manuſcriptum, quod ipſe poſſidet, præfert. Sic & de ipſo Chriſto Servatore noſtro ſequenti capite diſſerens, notat ab Ephemeridum conditore nativitatem ejus ad diem 24 Decembris, ſed in Ruſname ſuo rectius ad diem ſequentem referri: ſed & jejunium, quod feſtum nativitatis more quorundam Chriſtianorum præcedit, & fere *Adventus tempori*, ut vocari ſolet, reſpondet, in hiſce Ephemeridibus, ut & alia jejunia, quæ feſtos dies præcedunt, deſignari indicat. Sed cumprimis memoratu dignum, quod, obſervante itidem Auctore, ad diem XVI Aprilis deſignetur felicitas deſcenſus Evangelii, quod ſcilicet eo die Evangelium a Chriſto e cœlo allatum fuerit; & die VII Januarii annotetur: ***Crux in aqua.*** Nimirum feſtum Epiphanias hiſce verbis innui pronunciat, eo quod jam pridem apud varias gentes in more poſitum fuerit, eo tempore aquam conſecrare; auctorem autem Ephemeridum contemtim hiſce verbis ritum iſtum deſignare, ſimulque ad Græcorum modernorum morem, crucem ex materia confectam in aquam demittentium, alludere arbitratur. Manifeſtius Turcam, Ephemeridum ſcriptorem, ſuum erga Chriſtianos odium prodere ait, dum Paſchatos feſtum hiſce deſignat verbis: ביצה טרח *ova rubicunda*, perinde ac ſi puerilibus commentis & ludicris rebus Chriſtianorum de reſurrectione Domini ſententia annumeranda ſit. Quare & haud immerito Auctori noſtro vapulat. Hæc poſtquam executus eſt, de ſtructura Conſtantinopoleos & monaſteriorum, itemque de feſtis diebus, S. Crucis, Luminarium, Demetrii, Georgiique quædam commentatur. Cumprimis de Georgio prolixus eſt, eumque voce Turcica Chidder deſignari contendit, qua voce cum & ceteroquin Elias denotetur, in tranſitu Judæorum & Muhammedanorum commentum, ac ſi Elias ipſe Pinehas fuerit, vel anima Pinehæ per *μετεμψύχωσιν* corpus Eliæ inhabitaverit, explodit, & Georgium iſtum Divorum numero adſcriptum pro Imperii Orientalis defenſore, & Chriſtianorum exercituum contra Saracenos ductore habitum

fuiſſe

fuiſſe docet. Obſervat quoque, ipſis Turcis Georgium quendam, quem Chederlis vocant, inter Sanctos celebrari. Finit tandem totum opus in capitibus ſequentibus de natali die Muhammedis, ſociis Elephanti Meccenſis, item de potentiæ, Baræ, & ſupplicantium noctibus, de expugnatione Meccæ, horto & ejus ſolennibus, & peregrinantium ritibus ſacris, porro de obitu Abubecri, & Omaris ſucceſſione, ut & de feſto ſacrificii, quadrageſima & quinquageſima diſſerendo, & denique miſcellanea quædam ſubnectendo.

## THE DOCTRINE OF THE GLORIOUS TRINITY, not explained, but aſſerted.

Hoc eſt:

***DOCTRINA GLORIOSÆ TRINITATIS, NON EXPLIcata quidem, confirmata tamen variis S. Scripturæ locis, ad mentem antiquorum Patrum & ſecutorum temporum Theologorum expoſitis. Autore FRANCISCO GREGORIO SS. Th. D. &c.***

Londini apud Walterum Kettilby, 1695. 8. Plag. 15.

VIdit Rev. Autor noſter, quam parum feliciter ceſſerit pleriſque myſterii SS. Trinitatis ſcrupuloſa nimis explicatio: utpote quæ nec plebis Chriſtianæ captui attemperari, neque doctorum omnium turbæ ita probari ab ullo hactenus potuerit, ut non in diverſa ſemper abierint eorum opiniones atque judicia. Et quidem eo usque proceſſum eſſe queritur, ut pro principiorum diverſitate, ex quibus explicatio iſta inſtituitur, Ciceroniana alia, alia Carteſiana, Platonica item alia & alia rurſum Peripatetica Trinitas appelletur, id quod minime in honorem SS. hujus myſterii cedere arbitratur. Imprimis vero nuper exortam inter celeberrimos duos Anglicanæ Eccleſiæ Doctores, (per quos Eccleſiæ cathedralis D. Pauli Decanum D. Sherlockum, & alium magnæ inter ſuos famæ Virum D. Southum dubio procul intelligit) controverſiam, quam alibi ex inſtituto nos quoque exponemus, id confirmare ait. Quamobrem etiam ipſe *ἀπιςίας σημεῖον* cum veterum Patrum quibusdam eſſe credens *τὸ πῶς ζητεῖν*, ſeorſim habita diſtincta hujus myſterii explicatione, veritatem ſolum ejus clariſſimis Scripturæ oraculis adſtruere voluit. Hac nimirum ſola ratione optime confundi ſtultam Antitrinitariorum ſapientiam exiſtimat, cum

frustra

fruſtra omnino quæri de poſſe, quando certiſſimis teſtimoniis conſtat de eſſe, omnes uno ore confiteantur. In tres itaque claſſes Scripturæ oracula, quibus armatus in pugnam contra Trinitatis hoſtes procedit, diſpeſcere ipſi viſum fuit. In prima iſta collocavit, quibus Perſonarum pluralitas ex doctiſſimorum inter veteres atque modernos Scriptorum ſententia innuitur. In altera iſta loca ponit, quæ ternarium præciſe in Deitate numerum evincunt; & in tertia denique ea quæ diſtinctam tres iſtas in Deitate Perſonas ſubſiſtentiam habere demonſtrant. Ut exempla ex ſingulis claſſibus depromamus, vix opus eſſe videtur. Nihil enim aliud a Rev. Autore præſtitum fuit, quam quod variis Hæreticorum contra hujusmodi oracula cavillationibus, interpretum recentiorum & veterum interpretationes oppoſuerit. Id forte obſervandum, raro admodum priorum trium ſeculorum Patres in teſtimonium ab eo vocari, ſed Athanaſii, Baſilii, aliorumque, qui poſt concilium Nicænum floruerunt, auctoritatibus utplurimum eum uti.

## REMARKS ON SEVERAL LATE WRITINGS &c.

Hoc eſt:

*ANIMADVERSIONES AD VARIA SCRIPTA NUPERA A SOCINIANIS Anglica lingua publicata, quatuor Epiſtolis comprehenſa, ſcriptis ab H. de LUZANCY SS. Th. Bacc.*

Londini apud Th. Warren, 1696. 8. plag. 13.

FRuſtra quoque hic Vir doctiſſimus eos exiſtimat eſſe, qui in SS. Trinitatis myſterio de modo nimium ſunt ſoliciti. Ipſe proinde etiam in literis hiſce, ad Socinianæ hæreſeos fautorem quendam exaratis, nihil aliud ſibi agendum putavit, quam ut productis S. Literarum teſtimoniis, Filii & Spiritus S. Divinitatem, adeoque Trinitatem primo evinceret, ſecundo vero loco Socinianorum contra hujusmodi oracula objectiones ſolide dilueret atque confutaret. Studioſe autem collegit potiſſimas cavillationes, quibus Chriſtianæ fidei, qua hoc myſterium pie credimus, præcipuos tibicines evertere conati ſunt, in variis libellis vernacula lingua ſcriptis, autores Sociniani. Inque iis explodendis ita verſatur, ut ſimpliciores etiam lectores facile admittat, quibus nihil hic ab affectatis ſubtilitatibus erit metuendum. Styli inſuper ea elegantia eſt & perſpicuitas, ut rectius ſentienti plebi, cujus uſibus inſervire poſſe, ſi ederentur, has epiſtolas Rev. Auctor exiſtimavit, acceptiſſimæ non poſſint non eſſe.

* * *

N. XII. 537

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Decembris, Anno M DC XCVI.*

## *A CONFERENCE WITH A THEIST &c.*

h. e.

*COLLATIO CUM THEISTA IN QUA 1. OSTENDItur, quam abſurda ſit de mundi æternitate ſententia. 2. Dubia quæ circa creationem Moſaicam moveri ſolent, ſolvuntur. 3. Lapſus humani generis hiſtoria defenditur. Archæologiarum Philoſophicarum, & Oraculorum Rationis, aliisve Autoribus oppoſita a*

*GULIELMO NICHOLLS, S. Th. D.*

Londini apud Franc. Saunders & Thom. Bennet, Anno 1696. in 8. plag. 18.

Oppoſita eſt hæc Collatio potiſſimum Volumini cuidam Epiſtolarum, ſpecioſum *Oraculorum Rationis* titulum præferenti. Prodiit iſtud in Anglia ante annos non adeo multos vernacula lingua ſcriptum, parentemq; agnoſcit quoad maximam ſui partem Carolum Blount. Hic enim poſtquam in notis ad Philoſtrati libros duos priores de vita Apollonii Thyanei, in Anglicum ſermonem a ſe converſos, profani animi ſenſa non obſcure jam prodidiſſet; aperte impietatem profiteri in quibusdam epiſtolis, cum aliis hujus furfuris hominum literis in memorato volumine una editis, non erubuit. Quam doctus ille homo ſit, paucis exemplis in præfatione ſua noſter docuit Autor, quibus tamen mire ejus inſcitiam omnium oculis expoſuit. Pleraque propterea, quæ alicujus momenti ſunt, a Præadamitici ſyſtematis fabro, & Archæologiarum autore Cl. Burnetio mutuo ſumere fuit coactus: quorum adeo ſententiæ, ab ipſis licet eo fine, ad quem Blountius illis abutitur, non prolatæ, paſſim in præſenti libro ſub examen revocantur.

Dialogi forma ad hoc negotium aptiſſima doctiſſimo Autori viſa fuit. In tres autem partes hunc abire Dialogum, titulus jam indicavit. In prima, in qua de mundi æternitate diſputatur, Ocelli Lucani potiſſimum argumentis, utpote quæ omnia ab autore Oraculorum Rationis etiam fuerunt adhibita, ad eam adſtruendam utitur Philologus, cui male de fide ſentientium partes tuendas Autor dedit.
p. 23. Primum ab eo in medium allatum iſto dilemmate comprehenditur: Si factus eſt mundus, vel ex *nihilo* factus eſt, vel ex *aliquo*: ſed ex *nihilo* factus non eſt; ex *nihilo* enim *nihil* fieri omnes agnoſcunt: nec ex *aliquo*; *aliquod* enim illud pars mundi ſive univerſi neceſſario eſt, cum nihil præter univerſum cogitari poſſit, adeoque ex ſeipſo aliquid produci ſtatuendum
p. 26. eſſet, id quod contradictionem involvit: Ergo mundus plane factus non eſt. Alterum hujus dilemmatis cornu ut retundat Credentius, qui religionem defendit, ex Cudwortho obſervat, axioma quo illud nititur, *ex nihilo nihil fit*, a veteribus Philoſophis, Phyſicæ corpuſcularis autoribus, Empedocle & aliis jactatum ideo præcipue fuiſſe, ut doctrinam de *formis ſubſtantialibus* & *eſſentiis* deſtruerent. Harum enim patroni ſi aſſererent v. g. ſpatium aliquod illuminari *forma* lucis, vel ignem extingui corruptione *formæ* ignis, quam maxime opportune illis axioma iſtud opponebatur; *ex nihilo nihil fit*, h. e. nihil producitur annihilatione *formæ* veteris, & productione novæ *ſubſtantiæ* quæ antea non exſtiterit, ſed omnia in Natura phænomena ex figuræ alteratione & vario partium motu procedunt. Hic itaque cum genuinus ſit atque antiquus iſtius axiomatis uſus, luculente Credentius
p. 26. oſtendit, nihil prorſus illud valere contra omnipotentem Dei virtutem, quam in prima creatione exeruit. Ad illum enim usque aſcendere canonis iſtius vires non poſſe arguit, dum neque Deo deeſſe vires ad
p. 28. producendum ex nihilo aliquid, neque repugnare rem ipſam quo minus id fiat, clariſſime probat. Imo contradictionem nullam involvere creationem ex nihilo, vel inde evincit, quod ſecundum Philoſophorum quorundam hypotheſes, ipſis creaturis ea quodammodo ſit adſcribenda. *Accidentia* enim pro *entium* ſpecie habent, quæ ex nihilo a creaturis producantur, delegata quadam & ſubordinata creandi potentia. Sic cogitationes mens humana, calorem ignis, lucem Sol producit, diſtincta a ſubſtantiis a quibus producuntur entia, ex nihilo ta-
p. 30. men facta. Cur igitur Deo impoſſibile ſit, ex nihilo ſenſu ſubliniori

ali-

aliquid efficere? Et hæc de primo argumento. Ad alterum, quod ſcilicet mundus, ſi factus eſſet, ætatum differentiam ſentire debeat, tandemq; ad ſenectutem, imo interitum declinare, cum omnia tamen in eodem ſtatu permanere videamus; reſpondet primo, dubium adhuc eſſe, annon ita res ſeſe omnino habeat. Receptam ſane fuiſſe diu inter eruditos de mundo in eodem ſtatu permanente ſententiam, quam tamen primus ante LX. hos annos impugnaverit Hackwellus in ſuo de Providentia libro, multis propterea reprehenſus; quamvis non omni ex parte vero abſimilem ejus ſententiam eſſe deprehenſurus ſit, qui moderna tempora cum temporibus diluvium proxime inſecutis ſaltem contendere velit. Deinde vero etiam addit, neceſſe non eſſe ut admitta- p. 32.
mus, mundi productionē in omnibus noſtræ reſpondere; ut adeo iſtas ætatum varietates eam experiri debere nullo argumento colligi poſſit. Imo tertio ait, inde quod oculis non pateat quomodo deficiat mundus, p. 33.
non ſequi, eum plane non deficere, ſed in eodem ſtatu ſemper eſſe perſtiturum, cum in inſtanti eum diſſolutum iri ſacra etiam oracula nos doceant. Omnia a Philologo prolata, atque exploſa a Credentio argumenta hic repetere, prolixum nimis foret: non poſſumus p. 36.
tamen ſilentio plane præterire, quæ ad abſurdam eorum ſententiam convellendam afferuntur, qui eundem eſſe Deum & mundum ſtatuunt. Contra illos ex attributis, Deo omnium conſenſu adſcriptis, in mundo tamen hoc ſenſibili nuſpiam obviis, Credentius arguit. Ex *immutabilitate* puta præcipue Dei, quam cum mutationibus, quæ in mundo occurrunt, conciliari nulla ratione poſſe, clariſſime evincit. Ad ar- p. 49.
gumentum de ſphærica mundi figura, inter alia quamplurima reſpondet, ex illa æternum ejus motum ſolide colligi non poſſe. Cumq; ex- p. 50.
cipiat Philologus, rem ſemel in motu conſtitutam, nullo impedimento intercedente, in æternum neceſſario moveri, indeque mundum, quem nihil impediat, nunquam a motu eſſe ceſſaturum; ad id Credentius reſpondet, non usque quaque certam eſſe Philologi ſuppoſitionem, cum nos, quid motus ſit, accurate haud quaquam ſciamus. Poſito autem, veram illam eſſe, ad præſens tamen negotium nil facere ait, cum mundus non in immenſo quodam vacuo, ſed in ſubtili æthere eum undique ambiente rotetur. Æther autem ille cum corpus ſit, *impenetrabilitate*, indivulſo quippe corporum attributo gaudet, quæ *reſiſtibilitatem* arctiſſimo nexu ſecum trahit. Quicquid autem alteri

ſive corpori ſive motui reſiſtit, vel retro iſtud aget, vel ejus motum quaſi deglutiet. Cum igitur mundus in æthere natet, fieri non poſſe ait, quin motus illius ab hoc nonnihil retardetur. Quamvis autem retro agendæ terræ, hujus vires non ſufficiant, continuos tamen illos impulſus quantumcunque etiam infirmos, infinitorum temporum
p. 54. exacto ſpatio, abſorbere tandem motum mundi poſſe exiſtimat. Cum vero explodendis Ocelli argumentis, quorum potiſſima ſolum repetere hic voluimus, finem feciſſet Credentius, ipſe variis rationibus mundi æternitatem oppugnare inſtituit. Primā deſumit a petrificatio-
p. 55. ne, ſive lapidum aliarumve oſſearum ſubſtantiarum generatione; qua explicata concludit, mundum, ſi ab æterno eſſet, omnem in petram
p. 58. jampridem neceſſario fuiſſe converſum. Alteram deſumit a montibus, quos ſubſidere magis magiſque oculis patere ait, adeo ut nullus ſupereſſe clivus poſſit, ſi ab æterno mundum fuiſſe ſtatuamus. Ter-
p. 66. tiam humani generis incrementa ei ſuppeditant. Si enim paucos ſolum annorum millenarios retro conſideremus, parum tum mundum habitatoribus frequentatum inveniemus; cujus rei, ſi mundus ab æterno fuit, nulla ſufficiens ratio reddi poteſt. Multa hic curioſe de generis humani multiplicatione, & numero hominum hodie viventium diſputantur, quæ tamen præterire nos jubet eorum, quæ dicenda nobis reſtant, copia. Ad quartum igitur argumentum denique properamus, quod hiſtoriarum anguſtum ſpatium, modernæque artium inventiones Credentio contra mundi æternitatem ſuggeſſere.

p. 95. Jam de altera hujus Collationis parte quædam dicenda ſunt. Ejus argumentum Hiſtoria Creationis eſt, prout a Moſe eam deſcriptam habemus. In ea ſcrupulum primo movet Philologo, quod omnia ſidera, ut inſerviant terræ, condita eſſe a Moſe dicuntur; cum
p. 98. terra tamen minima hujus univerſi & contemtiſſima pars ſit. Hunc ut eximat ei Credentius, mundi ſolum quem nos habitamus, eorumque, quæ ad illum pertinent, creationem deſcribi a Moſe ſtatuit, indeque errare eum, dum putet, quod ſiderum omnium creationem ille deſcripſerit, mundoque noſtro inſervire ea dixerit, probare conatur.
p. 99. Primo enim, cum Deus dicitur creaſſe cœlum & terram, cœlum aliud quam aerium intelligendum haud eſſe, contendit. Quod vero v. 16. dicitur: *faciebatque Deus duo luminaria majora, unum quod diem, alterum quod noctem regeret, & ſtellas*; id ita explicat, ut *ſtellas* non ad

ad verbum *faciebat* referendas eſſe dicat, ſed ad *regeret*, ut ſenſus ſit, Lunam lumine ſuo profuſo regere, hoc eſt, reſpectu ad nos habito, ſplendore ſuperare ſtellas, tantum quippe ſcintillantes; quam ob cauſam etiam μεγάλοι Θεοὶ a Platone aliisque Sapientibus Sol & Luna appellentur. Nihil itaque in textu Moſaico obſtare ait, quo minus ſtatuamus, peculiarem mundum unamquamque ſtellarum fixarum conſtituere, ad noſtri orbis miniſterium haudquaquam conditum. p. 102.

Secundum Philologo dubium movet, quod lumen ante Solem conditum Moſes dicat; id quod monſtro ei videtur ſimile. Facilem tamen Credentius illud ſolvendi viam invenit, dum per lumen prima die conditum non radiorum a corpore quodam luminoſo emiſſionem, vel corpuſculorum inter illud, viſumque noſtrum interpoſitorum tremulum motum, (qui lumen iſtud, quo fruimur actu, conſtituit,) intelligi jubet; ſed formationem tenuiſſimarum partium, talemve earum configurationem, qua aptæ reddantur lumen ad nos transmittere, ſi quando poſtmodum corpus hujusmodi luminoſum condatur. Iſta enim, ex ejus mente, antequam particulæ ita diſponerentur, materiæ in rudi illa indigeſtaq; mole erat opacitas, ut ſi vel maxime luminaria tum extitiſſent, radiis tamen ſuis denſitatem ejus penetrare neutiquam potuiſſent. Iſtam itaque emiſſi ex ore divino mandati, *fiat lux*, virtutem fuiſſe exiſtimat, ut poſtquam incubatione Spiritus divini confuſa iſta ſtagnantiaq; materiæ principia in ordinem fuiſſent redacta, obſcuræ atque terreſtres partes expanſum obnubilantes, mandato illo monitæ, ad propria centra ſtatim ſeceſſerint, ita ut alia earum pars in centro Terræ, alia Jovis, Saturni alia &c. ſubſideret: donec tandem globis Planetarum iſtorum exinde exſtructis, totum expanſum ab opacis iſtis particulis repurgatum, tenuis atque pellucidus globus evaderet. Et hanc lucem primi diei fuiſſe opus exiſtimat. p. 107 p. 109. p. 111.

Aquæ porro ſupracœleſtes Philologo abſurdum videntur Moſis commentum. Credentius vero nihil doctrinam de iis abſoni habere contendit, ſi aquas ad quemlibet Planetarum ſpectantes per eas intelligamus. Lunam enim aquas complecti, diverſam lucis reflexionem in variis ejus partibus aliaq; argumenta evincere ait, remq; ſimiliter in reliquis quoque Planetis ſeſe habere, ea quam inter ſe habent cognatione probabile reddi putat. Supponit itaque, ante ſecundi diei opus, ſine ordine diſperſas per univerſum expanſum aquas iſtas, ſecundo autem die verbo virtu- p. 112. p. 115.

 tis

tis divinæ in varios globos ſuos apte diſpertitas fuiſſe. Quæ ad alia Phi-
p. 117. lologi circa creationem Moſaicam dubia, de fluminum nimirum
mariumq; alveis, ad quos aquæ terreſtres deferebantur, ſubito adeo
efformatis, item de plantis & arboribus antē Solem conditis, ingenioſe
p. 119. reſpondet, nunc prætermittimus. Præterire tamen non licet, quæ
p. 122. ejus contra quartæ diei opus objectionibus reponit, quod ad paulo an-
te allatorum ulteriorem explicationem ea nonnihil facere videantur.
Luminaria enim omnia una die condi potuiſſe, cum tot dies ſoli globo
noſtro terraqueo impenſæ eſſe dicantur, perſuadere ſibi non poteſt
Philologus, ſi vel maxime ſoli planetæ, utpote qui tot globi ſint no-
ſtro orbi prorſus ſimiles, per luminaria intelligantur. Præterea inquit
non bene convenire huic Moſaicæ traditioni cum ſupra expoſita Cre-
dentii doctrina, quæ prima die, particularum opacarum ad centra di-
p. 123. verſa ſeceſſione, planetas formatos eſſe ſtatuebat. Reſpondet itaque
Credentius, omnes planetas quarta die cum omni apparatu ſuo condi-
tos fuiſſe, verbis Scripturæ probari non poſſe. Quin potius omnium
prima lineamenta una cum terra, cui natura ſunt ſimiles, poſita, cumque
ea etiam magis magisque eos expolitos fuiſſe ſtatuit. Facti autem di-
cuntur die quarta ex ejus mente, quod illa demum die reſpectu ad nos
habito Luna erraticæque ſtellæ conſtitutæ fuerint. Cum enim inviſi-
biles antea opaci ve globi ſolum eſſent, Sole condito conſpicuæ redde-
bantur, lumenque ab eo mutuo acceptum in terram refundere incipie-
bant. Ne vero obſtare huic interpretationi Hebraicam vocem עשה
aliquis putet, eam non *facere* tantum, ſed *novam* quoque *faciem habi-
tumve induere* ſignificare obſervat. Sed operæ pretium erit, qua ra-
tione de planetarum creatione in univerſum Credentius philoſophe-
p. 129. tur, exponere. Prima hexaemeri die opacis materiæ particulis, quæ in
expanſum fluitabant, ad varia centra ſua delatis, eorum corpora ex ejus
mente formari cœpiſſe, ſecunda vero aquas quoque ad eos ſeceſſiſſe,
jam ſupra dictum eſt. Præter aquam autem, in omnibus corporibus flui-
dam quandam, oleoſam & inflammabilem dari materiam, nunc por-
ro ait, quæ per univerſum expanſum, aquis etiam remotis, diffuſa
manſerit. Eam verbi divini virtute centrum totius *magni orbis* occu-
paſſe, & ex ea, in unum globum compacta, poſtea die quarta flammam
Solarem prodiiſſe ſtatuit. Jam itaque expanſum ab omni rudi mate-
ria erat perpurgatum, ita ut nihil niſi æther liquidiſſimus eſſet, cui pla-

netæ

netæ commodiſſime innatare poſſent. Præterea ab omnibus, quæ obſiſterent, nec flecti facile poſſent, particulis erat immunis, ita ut tremor univerſam ejus diametrum ſumma velocitate percurrere poſſet. Fitque probabile, ante tertiam hanc expanſi purgationem, ætherem oleoſis iſtis particulis fuiſſe paſſim impeditum, ut adeo luminarium minorum lucem, ob celerioris tremoris defectum, non facile adeo transmittere valuerit; id quod iis in globum Solis coactis faciliori negotio faciebat. Quamobrem merito dubium videri ait, an oculus, ſi eo tempore in expanſo fuiſſet conſtitutus, fixarum quoque ſtellarum lucem percipere potuiſſet. Purgato vero ab oleoſis quoque iſtis corpuſculis expanſo, ubique ſtellas in eo comparuiſſe ait, ubi quidem potentius Solis lumen eas non obfuſcarit. Et hanc ob cauſam fixas quoque ſtellas hac die conditas dici poſſe docet, licet altius forte, ſi quoad ſubſtantiam ſuam eas conſideres, ætas earum ſit repetenda. Ad Lunam tamen potiſſimum hæc referri vult, cum de aliis ſtellis paulo coactior videri poſſit metaphora; eam enim revera, quatenus ut Luna conſideratur, ea die exiſtere cœpiſſe ſtatuit, utpote quæ phaſes ſuas, eam (ut cum ſcholis loquamur) reſpectu noſtri in eſſe Lunæ conſtituentes, tum primum a Sole acceperit. Verum hæc quidem de iſtis. Reliquos qui Philologum pungunt ſcrupulos, qui ſunt, quod paucos adeo, juxta relationem Moſaicam, ſub initium Deus homines creaverit, totamque ſpeciem iſtam in uno ſolum mare unaque fœmina ſubſiſtere juſſerit, cum tamen innumeræ rationes ſuadeant, plures eosve diverſi generis homines ſub initium ſtatim extitiſſe, (qua occaſione de Æthiopũ, deque eorum qui inſulas Americanas aliasve habitarint, origine, eleganter ſimul diſſeritur); quod ex coſta Adami Eva creata dicatur; quod Adamus & Eva primi homines ferantur, cum tamen ipſa S. Hiſtoria argumenta ſuppeditet, alios ante eos extitiſſe; quod Adamus una die omnibus animalibus, intime perſpecta eorum natura, nomina impoſuiſſe ſtatuatur; quodq; alia denique etiam quam plurima illa die peracta eſſe dicantur, quæ majus quam unius diei ſpatium requirere videantur: Hos inquam omnes ſcrupulos, Credentiique in iis eximendis Philologo dexteritatem absque mentione nunc prætermittimus, ne integrum librum exſcribere velle videamur.

p. 130. p. 135. p. 140. p. 165. p. 170. p. 174.

Paucis tamen etiam attingenda tertia hujus Dialogi pars eſt, quæ generis humani miſere denique lapſi hiſtoriam, contra eorum, quibus

ſa-

p.195. ſapientia eſt religionem evertere,cavillationes tueri conatur. Primum
hic dubium movet de Serpente ſeductore Philologus,in cujus ſolutio-
ne novi quidem nihil affert Credentius,niſi quod de figura ſerpentis,
quam induit Diabolus,idem quod doctiſſimus Cantuarienſis Archie-
piſcopus, (cujus ſententiam Actorum hujus anni p. 194. expoſuimus)
ſtatuat. Deinde de arboribus vitæ & ſcientiæ boni malique inter ſe
diſputant; ſcientiam enim & æternitatem arborum fœtus credere, pla-
p.210. ne Philologo videtur abſonum. Vitæ itaque arborem quod attinet, ni-
hil videtur obſtare Credentio, quo minus dicat corpus humanum,
natura ſua haud immortale, fructu arboris cujusdam conſervari
in æternum potuiſſe, eadem ratione, qua noſtris etiam corporibus
ciborum quorundam ope ad tempus aliquod vitam producere licet.
Arborem autem ſcientiæ boni & mali non inde,quod impertiri hujus-
modi ſcientiam poſſet, nomen eſſe ſortitam; ſed quod Diabolus vir-
tutem hujusmodi mendaci & impudico ore ei tribuiſſet, exiſtimat.
Quod enim ante lapſum quoque hoc nomine appelletur, id per πρὸ-
p.214. ληψιν fieri ſtatuit. Porro Paradiſi quoque deſcriptio Philologo
diſplicet, imprimis vero ideo, quod Moſaicæ de quatuor magnis flu-
minibus eum irrigantibus traditioni Geographia manifeſte contradi-
cere videatur. Verum Geographiam de iſtis fluminibus tradere vix
quicquam poſſe Credentius ait, cum diluvii aquæ de Paradiſi ſitu nihil
p.216. plane nos ſcire permiſerint. Cumque excipiat ille, ſupervacaneam
itaque Moſaicam illam eſſe deſcriptionem, quæ ideo inſtituta eſſe vi-
deatur, ut ſitum Edenis curioſis harum rerum indagatoribus exquirere
liceat; negandum hic eſſe exiſtimat eum Moſis fuiſſe ſcopum, qui
nihil aliud iſta deſcriptione ſibi voluerit, quam ut horti hujus pulchri-
p.219. tudinem ob oculos poſteritati poneret. Quæ de præcepto porro,
p.225. quod obſervare protoplaſtos Creator voluit, de ipſa item eorum
p.227. transgreſſione; de pœnæ, omnibus Adami poſteris inflictæ, juſtitia;
p.234. de terræ maledictione; de ſententia in ſerpentem pronunciata; de
p.237. apertis Adamo poſt lapſum demum oculis deprehenſaque nuditate ſua,
p.239. (id quod de pudore circa res Venereas Credentius interpretatur); de
p.242. veſtium denique,quibus poſt lapſum induebatur ille cum uxore, appa-
ratu,ultro citroque diſputantur, nunc quidem prolixius exponere non
licet, Cherubinum tamen flammeo enſe inſtructum, cuſtodiæq; Para-
diſi præfectum, quid eſſe velit Credentius, referre juvat. Flammeum
itaque

itaque gladium pari ratione, qua Grotius (quem tamen non allegat) interpretatus eſt. Ea tamen ex parte a Grotio abit, qua ipſe Cherubini inſuper mentionem fieri ideo exiſtimat, quod moris apud Hebræos ſit, omnia extraordinaria Dei opera Angelorum nomine ſignificare: ſic enim famem aut peſtem *Angelum Vaſtatorem* appellant; ut alia hujusmodi taceamus. Denique ut finem tandem faciat p. 249.
Philologus, id ſolum adhuc quærit, an non negata hiſtorica traditionis Moſaicæ veritate, conſultius ſit, allegorice ſaltem eam explicare, ita ut lapſus animæ hieroglyphice ea repræſentetur? Commode enim ſatis eum oculis ſiſti putat pictura, quæ ſerpentem, una cum muliere pomum viro tradente, exhibeat. Pomum ſcilicet atq; mulier voluptates ſenſuales deſignant, quibus immerſa anima in præcipitia ſeſe dedit, ſerpens Dæmonem a quo in eas illa fuit adducta, vir denique animam ita ſeductam. Rationem autem, cur non pictura, ſed verbis hieroglyphicum iſtud Moſes repræſentaverit, eam reddi poſſe ait, ut Judæorum refractariorum, omnesque præterea imagines abhorrentium, menti eo certius infigeretur. Verum iſta opinio merito diſplicet Credentio, cum nihil hiſtoriæ magis quam allegoria ſit contrarium, totum vero Moſis opus hiſtoricum ſit. Præterea allegoriam ſemper indubitatos characteres præ ſe ferre ait, quibus ab hiſtoria diſcernatur, quod in Æſopi fabulis aliisque hujus generis fictionibus patet, quales tamen in hac narratione nulli compareant. Moſen porro nuſpiam tale ſcribendi genus alibi ſecutum eſſe dicit, nec eas habuiſſe illud ſectandi cauſas, quas alii ſcriptores habuerunt.
Quibus omnibus fuſius paulo deductis, oſtendit, quam multa Hiſtoria lapſus humani Moſaica planiſſima reddat, quæ nulla ſapientum hujus mundi mentis acies explicare unquam potuerit. Tale quid eſt depravatio voluntatis humanæ, quam alii principio cuidam malo, cum Perſarum Magis, eorumque ſectatoribus Manichæis; alii animæ cum materia mixturæ, alii aliis cauſis adſcripſerunt. Tale quid etiam eſſe p. 255.
exiſtimat, quod rationem pudoris humani circa Venerem aliunde reddere non liceat æque commodam. Tale, quod inde, quæ cauſa dolorum ſit mulieribus in partu tolerandorum, explicari poſſit. Tale denique, quod ſterilitatis terræ nobis ex ea cauſæ clariſſime innoteſcant. p. 259. p. 262. p. 263.

## Die erſte Liebe der Gemeine JESU Chriſti / das iſt / wahre Abbildung der erſten Chriſten nach ihrem lebendigen Glauben und heiligen Leben.

Hoc eſt:

*CHARITAS PRIMÆVA ECCLESIARUM CHRISTI, ſive vera Effigies primorum Chriſtianorum, tum in vera fide, tum vita ſancta, cum Elucidatione Chriſtianiſmi Primitivi GUILIELMI CAVE, Auctore*

*GOTHOFREDO ARNOLDI.*

Francofurti apud Gottliebium Frideburg, 1696. in fol. Conſtat Alph. 12. plag. 6.

CUm illorum opera maximi omnino æſtimanda ſit, qui Antiquitates Eccleſiaſticas, obſcuritati ſuæ per plura ſecula immerſas, improbo labore luci ſuæ reſtituunt, quod quidem ab ingeniis exquiſitis per tempus bene longum non ſine egregio ſucceſſu agi cœpit; tum vero illi ſummam merentur laudem, qui faciem Chriſtianiſmi paulo accuratius ita repræſentant, ut quæ fides fuerit Chriſtianorum, quam ardens & pene incredibilis charitas, quam ſevera morum diſciplina primis illis, quibus *ſanguis Chriſti*, ut ſanctus *Hieronymus* loquitur, *in pectoribus Chriſtianorum adhuc calebat*, ſeculis viguerit, ex monumentis ſcriptorum eccleſiaſticorum dextre & abſque animi præjudicatis opinionibus exponunt. Tentarunt id quidem Viri ſcientia rerum eccleſiaſticarum inſtructisſimi a renatis literis ſæpius, & laudem induſtriæ pariter & ingenii, quam meruerunt, ab orbe erudito præclaram & nunquam intermorituram adepti ſunt. Sed cum per partes tantum illud ab ipſis factum eſſet, & multa etiam, ut facilis in ejusmodi argumento lapſus eſt, iidem prætervidеrint, vel quod ſubſidiis neceſſariis eam in rem deſtituerentur, vel quod ſuis, quibus in religionis negotio addicti erant, partibus plus æquo ſtuderent; ſurrexit demum, qui rem eccleſiaſticam multis modis ſibi obſtrinxit, GUILIELMUS CAVE, cujus eruditiſſimus de *Chriſtianiſmo primitivo* liber, cum ſæpius in Anglia recuſus eſſet, nunc etiam una cum *Vitis Apoſtolorum* civitati Germanicæ donatus, & curis ſecundis emendatus, nuper apud nos prodiit. Cum vero Viro celeberrimo ſuæ cauſæ fuerint, quibus indu-

ductus ampliſſimum hoc argumentum conciſius perſequeretur, ut propterea in aliquibus vel elucidatione vel ſupplemento indigere viſus ſit, operæ pretium facturum ſe ratus eſt Vir in literatura eccleſiaſtica verſatisſimus, GOTHOFREDUS ARNOLDI, ſi paulo impenſiori cura ad ſpartam hanc tanti momenti ornandam accederet. Neque, ſi quid judicamus, deſtituit eum omnino eventus. Enatum enim hinc ipſi eſt opus iſtud, quod præ manibus habemus, eximium atque vaſtum, in quod ſane, quicquid in antiquitate eccleſiaſtica ad fidem, mores & diſciplinam Chriſtianorum facit, ſtudio plane ſingulari comportavit, perſuaſus videlicet, ut opinamur, tum demum recte & ordine ſtudium antiquitatis eccleſiaſticæ excoli, ſi quæ ad uſum ſpectant, veluti in tabella ad imitationem omnibus proponantur. Quam in rem ipſe ſua libertate uſus, & in lectionem Patrum effuſus ea ſelegit, quæ ſcopo ſuo videbantur eſſe convenientiſſima; quæ quidem omnia typis publicis exſcripta eruditi orbis judicio ſubmittit.

Nemo vero expectet a nobis, ut integri libri excerpta hic ſiſtamus; cum tanta rerum pulcherrimarum ubique lectoribus offeratur ſeges, ut vix ſeligendi, quæ præſtantiora ſunt, ſuperſit copia. Quapropter contentorum tantum ſumma capita & partitionem totius libri propoſuiſſe ſufficiat. Integrum nempe opus in duas partes, quæ octo complectuntur libros, diſpeſcere ipſi placuit. Et in *parte* quidem *prima*, ante omnia *libro primo* de *officiis*, quæ *erga Deum* obſervaverint Chriſtiani primi, diſſerere inſtituit; atque hic prolixe agitur de converſione hominis ad Deum, de receptione converſorum in eccleſiam, de illuminatione fidelium, de regeneratione & adoptione apud DEum, de copioſa & prædivite effuſione Spiritus ſancti in novo teſtamento, de primorum Chriſtianorum fide viva & efficaci, de nomine Chriſtianorum eorumque ſignis, de vitæ ratione, quam ad verbum DEI & juxta Chriſti tum doctrinam tum exemplum formaverint, de obedientia eorum erga DEum, de ſervatione præceptorum divinorum, cui ſtuduerint, de fuga peccatorum proæreticorum, de perfectione qua primitus Chriſtiani conſpicui fuerint, de amore erga Deum ceu patrem ſuum, de fiducia & timore Dei, de ſpe, de humilitate, de gratiarum actione & gaudio in Deo, de fructibus & prærogativis veri Chriſtianiſmi, de reſtauratione imaginis divinæ, denique de unione cum Deo; atque his abſolvitur liber primus.

In *ſecundo* agitur de Chriſtianorum in primitiva Eccleſia precibus ad DEum fuſis; de cantionibus, de conventibus & templis, de tempore quo peracta ipſorum exercitia divina; de perſonis eccleſiæ & ſpeciatim de laicis; de fœminis & mulieribus; de aliquorum ſingulari vivendi genere, ubi & de ſolitarie degentibus ſermo eſt; de electione & vocatione miniſtrorum verbi, tum in genere, tum in ſpecie; de eorum diſtinctione, gradibus & numero; de publica verbi lectione, de catecheſeos exercitiis, de baptiſmo, & denique de cœna Domini.

Jam pergit *libro tertio* ad ea, *quæ Chriſtianos, qua ad ſe invicem conſiderantur, attinent*; & hic agit de fraterna unione in genere, de amore Chriſtianorum adverſus ſe invicem ſincero; de unione cum fratribus, & manſuetudine erga eosdem; de humilitate erga alios; de fraterna ſublevatione & auxilio in afflictionibus, tum corporalibus tum ſpiritualibus aliis præſtito; de fratrum correptione & admonitionibus, de communione bonorum; de liberalitate fidelium; de provida cura pro pauperibus, orphanis, ægrotis, captivis, ac martyribus inſumta; denique de hoſpitalitate erga advenientes hoſpites liberaliter præſtita.

Sed *libro quarto* ea perſequitur *officia*, quæ *a Chriſtianis ſibi ipſis* ſunt præſtanda. Hac occaſione ſermonem facit de abnegatione ſui ipſius, de contemtu mundi, de temperantia & ſobrietate, de jejuniis, de caſtitate, de abſtinentia ab omni petulantia, uti ſaltationibus, comœdiis, ſpectaculis, ludisque aliis; quæ virtutes omnes in Chriſtianis illis primis quam maxime eluxerint. Porro loquitur de cruce & afflictionibus, quibus fuerint obnoxii; de ipſorum ſub iisdem patientia; de martyribus ipſorumque admiranda patientia; qua de re jam pridem etiam peculiari ſchediasmate ſeorſim excuſo & alibi a nobis memorando, egiſſe Auctorem meminimus.

*Libro quinto*, quo *ſecundam partem* auſpicatur, pergit ad *ea officia Chriſtianorum, quæ impiis exhibuerint*. Ubi docet, quam cautionem & diligentiam adverſus impios adhibuerint, & quanto tamen erga ipſos uſi fuerint amore; quanta erga inimicos fuerit ipſorum manſuetudo; quomodo ſe geſſerint erga magiſtratus infideles & judicia forenſia; quibus ſuppliciis & pœnis proſecuti ſint maleficos; quæ fuerit ipſorum de bello & vita militari ſententia; quam ſtudioſe candorem

&

& veritatem in omni vita, æquitatem vero & juſtitiam in contractibus & pactis coluerint.

*Sextus liber* vitæ Chriſtianorum privatæ & domeſticæ impenditur. Ubi diſſeritur de ipſorum nuptiis & conjugio; de officiis conjugum, parentum, liberorum, dominorum & ſervientium; quomodo mane & veſperi, inter cœnandum & inter labores, quomodo & in colloquiis aliisque in occaſionibus ſe geſſerint; de educatione liberorum, qualis fuerit domi & in ſcholis; de ſtudiis & eruditione; de morte denique & ſepultura.

*Libro ſeptimo* de *chariſmatibus miraculoſis Chriſtianorum* narrationem inſtituit; & hic ante omnia in genere inquirit in ipſorum indolem, veritatem & fructum: poſtea progreditur ad ſingula in ſpecie, agitque de ſanatione ægrotorum, de mortuorum reſuſcitatione, & uti excíſis etiam linguis tamen aliquando locuti fuerint. Porro de martyribus, quos nulli cruciatus vel lædere potuerint, aut ſenſu dolorum afficere: de expulſionibus dæmoniorum; de prophetiis ſeu vaticiniis, revelationibus, viſionibus, ecſtaſibus & ſomniis divinis, eorumque exemplis; denique de defectu miraculorum ejusque cauſis.

In *octavo* demum *libro* in eo elaborat, ut oſtendat Auctor, *Chriſtianiſmum verum ſub Conſtantino Magno a primæva puritate & innocentia defeciſſe*, priſtinumque nitorem amiſiſſe. Sed hic primum diſputat de optimo Chriſtianorum ſtatu, dum ſub cruce eſſent, monſtratque, quemadmodum ſub externa felicitate facillime deficiant ab integritate, qua antea florebant, Chriſtianorum animi, id quod præſertim Conſtantini Magni & ſequentibus temporibus contigiſſe appareat; quod tamen ut luculentius doceret, edifferit prolixius, in quæ enormia peccata prolapſi tum ſint Chriſtiani, qualia ſunt, incredulitas & contemtus divini Numinis, idolomania, magia, ſuperſtitio, avaritia, tyrannis, & perſecutiones piorum. Progreditur dein ad corruptum Cleri ſtatum, & ita agit de ipſorum illegitima vocatione, contemtu Dei & ipſius verbi, ignorantia, negligentia, & peſſima muneris ſui functione, de ipſorum ambitione, titulorum pompa, litibus ob prærogativam ſuſcitatis, elatione ſuper alios, invidia & odiis, quibus erga ſe invicem indulſerint: de ipſorum porro hypocriſi ejusque ſignis, de elatione eorum ſuper Magiſtratus, & ſubtractione ab obedientia Principum, exhibitisque eam in rem fraudulentis arti-

bus, de ipſorum inverecunda ad ſecularia tractanda negotia intruſione & ἀλλοτριοεπισκοπίᾳ, maxime de curis militaribus, de cleri avaritia, ejusque ſignis & fructibus, præcipue ſimonia, lucri cupiditate & immiſericordia, de ejus voluptate & inde ortis commeſſationibus, ludis, impudicitia, ſimilibusque. Quibus vitiis quis neget maxima in eccleſiam damna & invehi & invecta eſſe? Proximum igitur erat, ut ageret etiam de pœnis, quæ & miniſtris verbi, eorumque auditoribus a Deo immiſſæ fuerint. Sed mox ad clerum regreditur, agitque de dominio doctorum in conſcientias, & inde infallibilitate ac tyrannide ſibi vindicata, quam præcipue in confeſſionibus audiendis & abſolvendis peccatoribus exercuerint; de abuſu clavis ligantis & excommunicatione injuſta; de dominio in conſcientias per concilia & conciliorum decreta; deque iis quæ concilia conſecuta ſunt, de exortis hæreſibus & erroribus; ubi imprimis, quid ſit hæreſis, diſquiritur. Addit, quomodo Chriſtiani primi adverſus hæreticos ſe geſſerint; & de iis, qui alios in hæreticorum numerum retulerint, aut ab aliis relati fuerint; denique de perſecutionibus hæreticorum ſub apoſtaſia, quæ omnia exemplis plurimis illuſtrantur.

Hæc ſumma eſt totius diffuſi admodum operis, in quo ſane pleraque obvia occurrere palam eſt, quæ in evolvendis ſcriptis Eccleſiæ primitivæ, ejusque doctoribus obſervare convenit. Ut vero fidem dictis adſtrueret, verba ſemper ex auctoribus eccleſiaſticis ipſa allegat, ſed in linguam Germanicam converſa. Apparet autem ex locis ad ſingulos paragraphos magno numero adductis, Auctorem præcipue eos allegaviſſe, quorum in eccleſia magna ſemper fuit auctoritas; de quibus ſingulis, quando vixerint, quid de unoquoque ſit habendum, indice Auctorum, quem toti operi præmiſit, fuſius explicat.

Cæterum ſcopus *Arnoldi* doctiſſimi, quantum nos perſpicere poſſumus, verſatur in eo, ut oſtendat, res quibus Chriſtianiſmus imprimis cenſetur, primis poſt Chriſtum ſeculis ſub truculentiſſimis gentium perſecutionibus, omnium maxime floruiſſe, ſed deinceps, Chriſtianis Principibus ad imperii gubernacula admotis, ſenſim collapſas, poſterioribus temporibus penitus concidiſſe, invectis omnis generis ſuperſtitionibus, crudelitate, & erroribus, omnemque defectionem tantum non clero eſſe imputandam. An vero Auctor clariſſimus ſingulis in relationibus ea, quæ certiſſima ſunt, ſectatus ubique fuerit;


in

in exponendis rerum cauſis aliisque circumſtantiis rem acu tetigerit; an vero juxta ſcopum aliqua in parte erraverit, ſanctorumque Patrum admonitiones veluti rem in facto poſitam laudaverit; & quomodo ipſius lucubrationes in uſum nunc ſint convertendæ, iis relinquimus diſcutiendum, qui antiquitatibus eccleſiaſticis perſcrutandis ſuam collocant operam, quique totius compagis, qua cohæret ſacrum eccleſiæ ædificium periti, quid ex uſu ſit eccleſiæ Chriſtianæ, ſtatuere prudenter & ex vero poſſunt.

## *JOH. BERNOULLI TETRAGONISMUS UNIVERſalis Figurarum Curvilinearum, per Conſtructionem Geometricam continue appropinquantem. Addatur ad ea quæ in Actis 1694 menſe Novemb. de eadem materia habentur.*

QUod rarum olim & inuſitatum fuerat, nunc a duobus tribusve luſtris nihil vulgarius nihil tritius eſt apud Geometras, quam quadraturas ſpatiorum (algebraice non determinabiles) ad ſeriem infinitam, quod ultimum eſt refugium, revocare. Primus ego & forte ſolus publicavi Act. 1694 m. Novembr. ſeriem univerſalem pro omnibus ſine diſcrimine ſpatiis quadrandis curvisque rectificandis, quam neque irrationalitas neque implicatio indeterminatarum impedit. Non moror, multoque minus reſponſione dignor, quicquid quidam obganniat: ſufficit tanto applauſu præſtantiſſimorum Mathematicorum exceptam fuiſſe, quod privatæ ipſorum literæ teſtatum reddunt, ut non ſit cur ejus me pœniteat, quin potius & in publicum & in me injurius eſſem, ſi diutius in chartis meis latitare paterer hanc ſecundam methodum, quæ alteri priori multis occaſionibus commode ſuccenturiari poteſt, eo quod prior illa analytice expreſſa applicatu difficilis evadit, in exemplis ubi perplexus requiritur calculus; hæc vero quam nunc traditurus ſum, nullam analyſin reſpiciens, ſpatiorum magis minusve compoſitorum quadraturas pari ſimplicitate expedit, ſuppoſito tantum curvarum datarum datas eſſe vel dari poſſe tangentes, ipſamque curvam propoſitam jam deſcriptam eſſe: hic enim nullas expeditiones analyticas, quibus ſeriei termini explicentur, adhibeo, ſed quod inſolitum hactenus fuit quadraturas ita determinare, ipſa conſtructio geome-

metrica conſtanti lege eaque valde ſimplici in infinitum continuata exhibet veram rationem figuræ curvilineæ quadrandæ ad rectangulum circumſcriptum.




Sit propoſita figura curvilinea quæcunque A C B, cujus coordinatæ A B, B C; quæritur quam habeat rationem ad circumſcriptum rectangulum B L; cui quæſito ego ſic generaliter ſatisfacio: Ob datam curvam A C, datur ejus tangens C M; deſcribatur ergo nova curva A D, hac lege ut ubique B D ſit = ſemiſſi ipſius A M; hinc & hæc nova datur; jam fiat tertia A E, quæ eodem modo conſtruatur ex A D, quo hæc ipſa A D conſtructa eſt ex A C, nimirum ut B E ſemper ſit = ½ A N. Eadem hac lege ex inventa tertia curva A E, deſcribatur quarta A F, & ex hac quinta A G; tum ſexta, ſeptima, & hoc in infinitum continuari intelligatur: Habebit rectangulum circumſcriptum B L ad ſpatium curvilineum A C B eam rationem, quam dupla B C ad B C + B D + B E + B F + B G + &c.

Quod ſi alternatio ſignorum magis arrideat, en ex pluribus qui excogitari poſſunt, modum hunc alterum: Curvæ A D, A E, A F, A G &c. deſcribantur hac conditione, ut ubique B D ſit æqualis ipſi L M ſeu A C — A M; B E = B D — A N; B F = B E — A O & ita conſequenter; quibus factis dico rectangulum B L fore ad figuram curvilineam A C B, ut B C ad B C — B D + B E — B F + &c.

Notare convenit, non opus eſſe integras deſignare curvas A D, A E, A F &c quas majoris intelligentiæ gratia ita repræſentavi: minimæ enim earum portiunculæ prope B C ductæ ſufficiunt ad determinandum interſectiones D, E, F, G &c.

Hoc etiam monendum, quando methodum ad praxin deducere lubet, in nonnullis exemplis ut in ipſo circulo accidere, ut delineatis jam

jam aliquot ex curvis A D, A E, AF reliquæ interſecent applicatam B C infra punctum B, & quidem ita ut punctum interſectionis magis magiſque recedens a B, tandem ab eodem infinite diſtet, unde nihil determinati habebitur. Ne tamen hiſce in caſibus regula noſtra fiat inutilis, ſuumque non ſortiatur effectum, multis modis huic inconvenienti remederi licet, quorum tutiſſimus eſt, ut figura propoſita transformetur (quod quomodo fieri debeat jam omnibus & vel tyroni notum eſt) in aliam quæ terminetur curva aſymptotica; ſciendum enim, hujusmoſpatia modo memoratæ incongruitati nunquam eſſe obnoxia.

Cæterum non prætereundum puto, quod notavi, interdum ubi ſpatia ſunt abſolute quadrabilia, ſeriem B C + B D + B E + B F &c. in priori modo; vel C D — D E + E F — F G in altero, fieri manifeſte ſummabilem, unde quadratura terminis finitis ſponte prodit: Ut quando curva propoſita A C eſt ex parabolarum genere cujusvis gradus $n$, erit ex proprietate parabolarum B C ad A M in ratione conſtante $n$ ad $n - 1$, & propterea curva A D, ut & omnes reliquæ A E, A F, A G, erunt parabolæ ejusdem gradus cum AC. Hinc per priorem modum ſeries B C + B D + B E + B F conſtituit vulgarem hanc progreſſionem Geometricam in infinitum deſcendentem, $\frac{1}{1} BC + \frac{n-1}{2\,n} BC + \frac{Q.\,n-1}{4\,nn} BC + \frac{C.\,n-1}{8\,n^3}$ &c. cujus ſumma per communes regulas invenitur $= \frac{2\,n}{n+1} BC$. Dico itaque rectangulum circumſcriptum eſſe ad ſpatium parabolicum A C B, ut 2 B C ad $\frac{2\,n BC}{n+1}$ id eſt ut $n+1$ ad $n$, & hoc perfecte congruit cum eo, quod per infiniteſimalem calculum jam diu repertum habemus; non enim ut aliquid novi, ſed quatenus methodi hujus univerſalitatem commendat, huc refero: Pariter per poſteriorem modum ſeries B C — BD + BE — B F &c. hanc producit progreſſionem Geometricam $\frac{1}{1} BC - \frac{1}{n} BC + \frac{1}{nn} BC - \frac{1}{n^3} BC$ &c. cujus ſumma $= \frac{n}{n+1} BC$. Habebit ergo rectangulum B L ad ſpatium A B C rationem, quam B C ad $\frac{n}{n+1}$ B C id eſt $n$ ad $n+1$, ut ante.

## *ADDITIO AD D. T. INTIMATIONEM DE EMENdatione artis vitriariæ.*

ILlis, quæ nuper in Actis menſe Auguſto p. 346. ſeq. de vitrorum prægrandium formatione dicta ſunt, non poſſumus quin adjiciamus, ab eodem artifice paratas fuiſſe adhuc duas tabulas vitreas rotundas, quarum una libras habet 220, diametrum ſeptem ulnæ quadrantum, craſſitiem quatuor pollicum; altera pondere ſuo æquat libras 300, cum ejus diameter ſit quatuor fere pedum, craſſities quinque pollicum, atque hanc nuperis nundinis Lipſienſibus in artificis dicti vitriaria taberna curioſorum oculis publice fuiſſe expoſitam.

## *DISSERTATIONES MEDICO-PHYSICÆ, DE ANtris Lethiferis, de Montis Veſuvii Incendio, de Stupendo Oſſium Coalitu, de Immani Hypogaſtrii Sarcomate. Autore BERNARDO CONNOR, M. D. Seren. Polon. Regis Medico, e Regia Cameræ Pariſienſis Societate.*

Oxonii, apud Henr. Clements, A. 1695. in 8. plag. dimid. 21.

QUamvis hactenus, quicquid vaſtiſſimo ſuo ſinu rerum mater Natura complexa eſt, ingenium hominum atque ſolertia ſtudioſiſſime exquiſiverit; infinita tamen adhuc eſſe, quæ cognoſcere humanus animus poſſit, Auctor nobiliſſimus non dubitavit. Occaſionem igitur iter faciendo opportunam nactus indagandi Naturam, ſtudio, quanto potuit maximo in cauſas rerum inquiſivit, & quatuor Diſſertationibus Medico-Phyſicis illa, quæ obſervatu digna videbantur, publici juris facere, orbique erudito exponere voluit. Ordinem ab Auctore inſtitutum in recenſu earundem ſervabimus. Primam Diſſertationem, *Diſſ. I.* quæ agit de Antris lethiferis, articulis abſolvit undecim. Art. I. terram univerſam nitide corpori humano comparans, meatus ſubterraneos ac cavernas a vaporibus produci ſuſpicatur, qui ex conſtipatis ab hyemali gelu telluris ſpiraculis deorſum reverberati, terræ motus atque eruptiones cauſentur: non aliter, ac miaſmata corporis noſtri, poris a frigore conſtrictis præcluſa, inordinatos procreant tumultus. Has vero cryptas latente halitu venefico ſæpius ſcatere, qui animalia faceſque accenſas extinguat, ſpiſſum item malignumque emittere fumum, qui lethalis ſit, negare non audet: interim perſuaſum habet,

bet, eſſe quasdam, quæ, licet nulla virulentæ auræ ſuſpicio adſit, mortem animantibus inferant; quarum effectum ex denegato aere elaſtico, hoc eſt, materia reſpirationi conveniente, ut in antlia pneumatica conſpicimus, produci veriſimile credit. Art: 2. ſpecificam virulentorum miaſmatum naturam inveſtigans, ſola mineralia, præcipueque illa, quæ ſalina, aut ſale acerrimo imprægnata ſunt, (quicquid alii de mercurialibus & antimonialibus ſentiant) exiſtimat lethiferis aerem inquinare particulis poſſe. Illa vero fixa aut volatilia angulis ſolidis aut acutis ſanguinem præter modum coagulare vel diſſolvere arbitratur. Hinc pro majori minorive eorum copia, mortem ſubito vel paulatim animalibus inferri, ſtupendis comprobat exemplis, quæ inter primarium eſt, quod Pariſiis contigit. Foſſores, theſaurum in cella vinaria detegere cupientes, extinctos, inque ſitu naturali repertos fuiſſe narrat, ex vapore ſubtiliſſimo, accedente frigore, id accidiſſe credens. His tandem, ſi nondum mortem obierint, remedia convenientia adjungit. Art. 3. ſcrobes Charoneas, quæ ſpiſſam continuo eructant nubem, examinat, illasque non tam veneno, quam craſſitie effluviorum animalia e medio tollere facesque extinguere, ſibi perſuadet; ſtatim enim ac liberiori exponantur aeri, ſponte reviviſcere conſpexit, quod poruli veſicularum in pulmonibus, qui a vaporoſo aere obſtructi fuere, aperiantur, liberumque aeri concedant ingreſſum. Nec obſtare ait, quod aliæ cryptæ ſubterraneæ, licet vapore ſpiſſo gaudeant, nihil afferant damni; cum experientia doceat, in his ſemper vel auram tenuem, ut in Cumanæ Sibyllæ antro, vel ventum haud exiguum, ut in Cracovienſibus ſalifodinis perſenſit, denſum fumũ detergere. In his denique ſi qui in deliquium animi incidant, eos idoneis ſolatur remediis. Art. 4. examinatis cavernis, quæ aut virulenta materia aut fumo craſſiori necant, aliam producit cryptam, quæ canicidio celebris, Italis la Grotte del Cane dicitur, quam alio plane modo lethalem credit. Hanc in fundo ſubvirideſcentis, in ſuperiori vero regione nativi terræ coloris ſe vidiſſe, modicumque calorem inibi ſenſiſſe teſtatur, figuram cryptæ ipſam, ut eo clarius res pateat, adjiciens. Ubi A. A. A. A. feralis Cavernæ facies & ingreſſus. B. B. B. B. altitudo ſpatii lethiferi & virideſcentis muri coloris. CC. æther ſubtilisſimus & inſenſilis, in horizontali linea a toto antri ambitu in cavitatem ejusdem ingrediens. D. D. D. D. regio cryptæ ſupe- TAB. IX. Fig. 1.

 rior

rior, in qua animantia vita fruuntur. Art. 5. experimentum vulgare cum cane, qui cavernæ immiſſus, in convulſivos motus & ſpaſmos incidit ore hiante, paulo poſt in lacum, Agnanum dictum, rejectus ſibi reſtituitur; exponit. Art. 6. ſua quoque, quæ ipſe fecit, commemorat experimenta. Columbam nempe in antri area detinuit, quæ languens fereque mortua, vitam aëri expoſita recuperavit, e manibusque evolavit. Idem iterum iterumque alia columba caneque expertus fuit. Aërem denique exploraturus inferiorem, bilance ſumpta, unum illius brachium, contortis in nodum ſtaminibus, brevius reddidit, poſitumque in æquilibrio cum longiori, quod inferiori immiſit aeri, vix ad ſenſum mutatum fuiſſe deprehendit. Art. 7. varias circa mortiferam foveæ hujus virtutem enarrat auctorum opiniones, omnibus fere venenoſum halitum defendentibus, aliis tamen alkalinam, aliis acidam potius naturam ipſi tribuentibus. Art. 8. nihil vero veneni hac in crypta quempiam ſuſpicari poſſe, evincere conatur, quod columbæ intra cavernam mortuæ ſanguinem in ſolito fluore retinuerint, & in alimentum a cuſtode cryptæ hujus ſumptæ fuerint. Cæteras Auctoris rationes adducere ſuperſedemus. Art. 9. in eam abit ſententiam, ut ſtatuat, æthereum quendam & tenuiſſimum ſpiritum, aere communi longe ſubtiliorem, ſubire hujus foveæ regionem lethiferam, qui rapido motu ſuo vivificum removere aerem, animaliaque ac faces extinguere poſſit, idque experimento, ſi aer elaſticus in antlia pneumatica extractus fuerit, fuſius declarat. Hujus tamen auræ originem non perpendiculariter e terra eſſe, ſed in linea horizontali e margine virideſcentis parietis ad oppoſitum determinari, unde torrens æthereus parietibus reſpondens naſcatur, perſuaſum habet. Latere vero diſperſum quoddam ſeminium minerale vel marcaſitam metallicam, cujus beneficio ingreſſum egreſſumque æther liberum inveniat, haud ambigit. Modum circulationis a parietibus ad centrum, & vice verſa a centro ad parietes perenni motu fieri, veriſimile ipſi eſt. Art. 10. perſuadet tandem ſibi, perire animantia in hac caverna, quod aer elaſticus ſive craſſior deficiat, h. e. quod innatans aeri ſal, nitroſam indolem æmulans, ſanguinem reducem ex venis craſſescentemque novo fermentaceo ſtimulo non rarefaciat. Quod ad flammam attinet, extingui eam putat, quod nulla ſit aeris gravitas, quæ comprimat particulas igneas cogatque (ut conica teſtatur figura,) in ſe invicem.

Nam

Nam licet aer non abſolute neceſſarius videatur ad flammam eliciendam, (ut pulvis pyrius docet, cujus granula diſſeminata, extracto aere craſſiori in antlia pneumatica in flammam & auram fumoſam abeunt) requiritur tamen, ut flamma aliunde generata diu conſervetur. Nitrum aereum, quod Mayow aliique ſtrenue defendunt, ejusque defectu interire animalia credunt, rejicit, quod omnes præparationes nitri, quomodocumque cum ſanguine mixtæ fuerint, ipſum coagulent, hincque inſpiratæ ejus particulæ motum ſanguinis retardare neceſſum habeant. Art. II. de locis ſubterraneis ſive fodinis diſſerit, in quibus artifices quidem libere reſpirant, paulo poſt vero in varios prolabuntur morbos. Id quod inde fieri credit, quod pulmonum veſiculæ arenulis vel alia ſpiſſa materia infarciantur, aut quod ſanguis acrimoniam acquiſiverit. His generalem adjicit curam.

Secundam aggredimur Diſſertationem, cujus titulus eſt Mons Veſuvius, & noviſſimum ipſius incendium, quod contigit A. 1694. Ad ſummum montis Veſuvii faſtigium, circa Idus Decembris A. 1693, maximo cum labore, per inſtabiles atque arenoſos cineres, Auctor aſcendit anhelus, lapideæque naturæ materiam, ferreis præprimis particulis gravidam, e barathro ejus tum temporis ejectam deprehendit; quare incendia hæc a ferro, ſulphure & nitro forſitan excitari opinatur. Eructantem vero peculiare quid Veſuvium A. 1694 (Romæ tum erat) examinat diligentius, recenſetque, montem per triduum diu noctuque ardentiſſimas flammas ſpiſſasque fumi nubes evomuiſſe, quarto ſtrepitu conflagraſſe minori, quinto igneum liquefacti metalli flumen ex apice ad mare devolviſſe, quod juſſu Proregis fovea exceptum fuerit. Hunc torrentem mineralem ad diſtantiam unius milliaris in materiam ſolidam concreviſſe. Superius ſtratum levius, materiam vero fundum tenentem longe graviorem ſplendidioremque ad metalli naturam propius acceſſiſſe. Maſſam igitur hanc malleo percuſſam in pulverem abiiſſe videns, non unius eſſe ſubſtantiæ, imo nitro & antimonio abundare conjecit: confirmatusque experimento, facto a D. Scaly Anglo, (qui materiam liquefactam in vaſculum efformavit, cui vinum rubrum infuſum famulo propinavit, quo ſumpto ille bis evomuit) concludit, emeticum vinum regulinis antimonii particulis rigidisque nitri cuſpidibus fuiſſe aculeatum. Denique e terræ viſceribus nova quotidie generari mixta, ex hoc Veſuvii phænomeno evin- *Diſſ. II.*

evincere conatur contra illos, qui omnia mineralia a creato mundo fuiſſe ſtatuunt.

*Diſſ. III.* Tertiæ Diſſertationi conſcribendæ de ſtupendo oſſium coalitu anſam dedit ſceleton humanum, quod Pariſiis apud D. Molalli videre ipſi licuit, cujus oſſa omnia in unum combinata erant. Deſcriptio cadaveris hæc eſt: oſſa omnia trunci humani, qui ex vertebris dorſi & lumborum, coſtis, oſſibus ſacro & innominatis alias compoſitus eſt, intime unita non niſi unicum monſtrarunt corpus figuræ ſemicircularis. Coſtarum extrema, quæ ſterno adhærent, deorſum ad hypogaſtrii regionem inclinarunt, osque ilium attigerunt. Inſpiciatur figura ipſa, quam hic exhibemus. In Campania truncus repertus fuiſſe dicebatur. Sententiis aliorum, qui ab acido, ſale, aquis petrificantibus, ſpiritu oſſifico &c. hanc oſſium cohærentiam deducebant, rejectis, ſuam hac de re declarat mentem. Curvaturæ vero primum originem indagat, a qua hoc oſſificium fuiſſe oſtendit. Explicata itaque formatione fœtus naturali, præter naturam, ſi forte ab ambientibus partibus in una ſui parte embryo comprimatur magis quam alia, truncum in figuram curvam determinari, veriſimile credit. Incurvato hunc in modum trunco, coſtas neceſſario ad os ilii & pubis accedere, neminem latet, qui modo pectus cum capite ad genua flectere velit. Ex hac compreſſione non potuit non ex mente Auctoris impediri ſanguinis & humorum inter fibras coarctatas circulatio, quæ ſiccæ in oſſeam neceſſario abeunt ſubſtantiam. Coſtarum cartilagines & ligamenta facile indurari potuiſſe ſuſpicatur, quod fœtus in utero non reſpiret. Majoris difficultatis fuiſſe putat, quomodo talis homo natus vivere diu ac reſpirare potuerit, cum pectus propter continuationem coſtarum cum vertebris minus commode dilatare potuiſſet. Verum paſſionibus hyſtericis atque apoplexia correptos cenſet ſatis teſtari, haud magnam abdominis dilatationem requiri, ut ſufficiens ingrediatur aer. Adhæc coſtæ ſternum verſus, quarum cartilagines non erant oſſificatæ, motum ſuum retinebant. Accedit, quod ſanguinem alimento auctum per foramen ovale & canalem arterioſum, ſtructura trunci idem ſatis urgente, curſum ſervaſſe ſuum, nullum ſit dubium.

TAB. IX. Fig. 2.

*Diſſ. IV.* Quarta ſe denique offert Diſſertatio, quam de immani uteri ſarcomate conſcripſit. Materiam ſuggeſſit vidua quinquaginta circiter & ſeptem annorum, quæ, cum ejus hypogaſtrium maritus

ebrius

ebrius pede percusſiſſet, ſuppreſſis hinc menſibus, ſucceſſu temporis in ſumorem horrendæ molis incidit, quem viginti quinque annos ſuſtinuit. Mortuam aperuit Auctor clariſſimus, obſervavitque aquæ ſubſalſæ & ſubrubicundæ paululum exiiſſe ex abdomine, uterum peritonæo adnexum fuiſſe, vaſa hypogaſtrica præter modum tumida, venam cavam inteſtini craſſi inſtar ampliatam extitiſſe, nervosque uteri externam ipſius ſuperficiem circumdediſſe; in cujus cavitate carneam molem conſpexit, quæ præter modum in ſiniſtra parte extenſa, ovarium deſtruxit. Cultello anatomico porro explorans uterum, glandulosam hujus membranam detegere non potuit; quare glandulas in hanc ſurrexiſſe molem tot annorum ſpatio ſuſpicatur, confirmatus in eo ex conſpecta inſertione vaſorum uteri ſanguineorum in maſſæ centrum. Ex figuris res erit clarior. TAB. IX.

Figura 3. exhibet totum tumorem utero circumdatum, ubi matrix cum appendicibus apparet. *Fig. 3.*

A. A. A. A. Tumor in utero incluſus ſine inciſione facta.
B. Tuba ſiniſtra tumefacta, ſine ovario & ligamento.
C. Orificium externum vaginæ.
D. Vagina integra ſine inciſione.
E. Orificium internum uteri ſemi-apertum.
F F Duæ venæ hypogaſtricæ, quæ ſerpunt ſupra uterum.
G. G. Duæ arteriæ hypogaſtricæ.
H. Vena ſpermatica inoſculata cum vena hypogaſtrica.
I. I. Duo ligamenta rotunda.
K. L. Ovarium dextri lateris cum ſuo ligamento.
M. M. Duo proceſſus laterales tumoris.
N. Nervorum faſciculi & vaſa, quæ hic tumorem ſtringunt.

Fig. 4. apertum & in medio inciſum tumorem repræſentat. *Fig. 4.*

A. A. A. A. Subſtantia tumoris aperta, ubi apparent globuli, quos cum microſcopio detexit, & innumera filamenta vaſculoſa.
B. B. B. B Uterus ſeparatus & ad latera revolutus.
C. C. C. C. Inciſio in medio tumore facta.
D. D. D. D. D. D. Vaſa ſanguinea, quæ ſubeunt & perforant uterum devolutum, & in maſſam ingrediuntur.
E. E. Ligamentum rotundum reverſum.
F. F. Orificium internum uteri, & vagina aperta.

G.

G. G. G. G. G. Sinus, vel cavernoſi ventriculi molis carneæ.
H. Caput tumoris inciſum.

Portionem denique maſſæ hujus decoxit, & microſcopio globulos filamentaque exilia, quæ inter globulos percurrebant, Spectatoribus oſtendit, quæ maſſam texturæ fuiſſe glanduloſæ ſatis evincere opinatur. Originem hujus ſarcomatis a timore percuſſioneque pedis derivat. Quippe retardatum ex timore ſanguinis motum effeciſſe cenſet, ut, cum craſſior hinc præterque modum inſpiſſatus ſanguis permeare glandulas fibrasque carneas nequeat, menſium ſuppreſſio tumorque productus fuerit. Objectionibus, quod nervi requirantur ad tale quid perficiendum, qui tamen nulli aderant, obicem ponit, inſtando, molas absque nervis fieri in utero. Mortuam cenſet, quod tumor in tantam excreſcens molem compreſſerit venam cavam, ſanguinisque motum turbaverit. Ex his denique concludere nullus dubitat, omnes tumores ab interrupto vel ſuppreſſo humorum circuitu generari.

## *LECTORI BENEVOLO, PROFUNDIORIS IN-primis Matheſeos Cultori, Salutem!*

PRopoſuit in hiſce Eruditorum Actis menſe hujus anni Junio, pagina 269, Vir clariſſimus Dn. Jo. Bernoulli, Mathematum hoc tempore in Academia Gröningenſi Profeſſor Publicus, Problema novum, & ad ejus ſolutionem Mathematicos invitavit, pollicitus ſemet eam publicaturum, ſi elapſo hoc anno nemo alius eam promulgaverit. Cum vero hactenus nemo quicquam ad nos transmiſerit, quod ad problematis illius ſolutionem ſpectaret, & dignum tamen problema videretur, quod aliorum, ad quos forte Junius Actorum noſtrorum menſis nondum pervenit, ingenia exerceret, atque perſuaſum inſuper haberemus, in Gallorum etiam & Italorum Ephemeridibus idem problema propoſitum interea fuiſſe, & ad plurium adeo notitiam perveniſſe; prorogandum terminum celeberrimus Bernoullius cenſuit, ſolutionem ſuam ad feſtum uſque Paſchatos anni proximi ſuppreſſurus. Itaque ſpatium Mathematicis ſuppetit, experiendi vires ſuas, & Problematis, ubi eam conſecuti fuerint, ſolutionem, ſeu in Actis hiſce noſtris, ſeu in exterorum Diariis cum publico communicandi.

INDEX

# INDEX AUCTORUM
## quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

## I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*


DE Aguirre (*Joſephi Saenz*) *Cardinalis Collectio Maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ & Novi Orbis.* 120.164.214.217

Alciati (*Andreæ*) *Epiſtola ad Bernardum Mattium contra vitam monaſticam.* 290

*Anonymi Diſſertatio de jejunio ante Paſcha celebrando.* 414

*Anonymi Tractatus de Religionis Chriſtianæ, prout in ſacris literis traditur, Rationalitate.* 463

— — *Vindiciæ Tractatus illius contra imputationes Jo. Eduardi.* 469

Arnoldi (*Gothofredi*) *Charitas primæva Eccleſiæ Chriſti.* 546

Baieri (*Joh. Wilhelmi*) *ſolida Demonſtratio, quod Lutherani nec ſchiſmatis, nec hæreſeos accuſari jure queant.* 314

Calixti (*Friderici Ulrici*) *Hiſtoria Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.* 285

Carpzovii (*Samuelis Benedicti*) *Præfatio ad librum Hauboldi a Mildiz de Vita & Morte Filiorum Dei.* 239

Clerici (*Johannis*) *Translatio & Paraphraſis Exodi, Levitici, Numerorum & Deuteronomii, cum Commentario &c.* 113

— — *Tractatus de Incredulitate, in quo cauſæ generales, quæ ad rejiciendam Religionem Chriſtianam Incredulos commovent, examinantur &c.* 272

*De la* Croix *Status præſens Nationum & Eccleſiarum Græcarum, Armeniarum & Maronitarum.* 4

Cyrilli *Alexandriæ Archiepiſcopi contra impium Julianum Libri X.* 489

*Van* Dale (*Antonii*) *de origine & progreſſu idololatriæ: de vera ac falſa prophetia: de divinationibus idololatricis Judæorum.* 446

Eduardi (*Joannis*) *Socinianiſmus delarvatus*, *ſive Diſſertatio oppoſita Auctoris anonymi libro de Rationalitate Religionis Chriſtianæ.* 467
Euthymii *Zigabeni liber contra Maſſalianorum hæreſin.* 298
Gregorii (*Franciſci*) *Doctrina Glorioſæ Trinitatis, non explicata quidem, attamen confirmata.* 533
Guſſetii (*Jacobi*) *Doctrina Jacobi Apoſtoli de viva deque mortua fide evoluta.* 407
Hannemanni (*Jo. Ludovici*) *Commentarius de Appellatione ad Vallem Joſaphat.* 227
Janningi (*Conradi*) *Apologia pro Actis Sanctorum contra P. Sebaſtianum a S. Paulo.* 131
Ittigii (*Thomæ*) *Appendix Diſſertationis de Hæreſiarchis ævi Apoſtolici & Apoſtolico proximi, cui accedit Heptas Diſſertationum ſelecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita illuſtrantium.* 105
Kortholti (*Chriſtiani*) *Paſtor Fidelis, ſeu Opuſculum de Officio Miniſtrorum Eccleſiæ.* 7
Leydekkeri (*Melchioris*) *de Hiſtoria Janſeniſmi Libri VI.* 17
Lœſcheri (*Caſparis*) *Amœnitates Evangelicæ.* 217
Lundii (*Joannis*) *Deſcriptio Tabernaculi ſancti, Templique Hieroſolymitani primi pariter ac ſecundi.* 319
Luzancy *Animadverſiones ad varia ſcripta nupera a Socinianis publicata.* 564
*A* Miltiz (*Hauboldi*) *Dynaſtæ in Scharfenberg &c. Vita & Mors Filiorum Dei ad ductum Col. III. 3. 4. delineata.* 238
*De La* Mothe (*C. G.*) *Tractatus de Inſpiratione ſacrorum librorum Novi Teſtamenti.* 153
Nichols (*Gulielmi*) *Collatio cum Theiſta.* 537
Noris (*Henrici*) *Cardinalis Hiſtorica Diſſertatio de Uno ex Trinitate carne paſſo. Accedunt Hiſtoriæ Pelagianæ ab Anonymi Scrupulis Vindiciæ.* 508
Papebrochii (*Danielis*) *Reſponſio ad Exhibitionem errorum per Sebaſtianum a S. Paulo A. 1693 Coloniæ editorum.* 500
Patricii (*Simonis*) *Commentarius in Geneſin.* 195
*Du* Pin (*Lud. Ell.*) *Novæ Bibliothecæ Scriptorum Eccleſiaſticorum Tomus VII.* 31

Rhen-

Rhenferdii (*Jacobi*) *Comparatio anniverſaria expiationis Pontificis M. in V. T. cum unica & æterna expiatione Jeſu Chriſti.* 393
*Von* Sauden (*Bernardi*) *Reſponſio ad Dubia M. Jo. Ern. Grabii.* 317
Schmidt (*Sebaſtiani*) *Nova Verſio Bibliorum Sacrorum.* 350
*De* Sfondratis (*Cœleſtini*) *Cardinalis Innocentia Vindicata, in qua oſtenditur, S. Thomam pro immaculato conceptu Deiparæ ſcripſiſſe.* 283
Sheringami (*Roberti*) *Joma. Codex Talmudicus de Sacrificiis &c. Latine verſus & commentariis illuſtratus.* 393
Sonntagii (*Chriſtophori*) *Triphyllum Aſſertionum de Intinctione panis Euchariſtici in vinum.* 358
Speneri (*Philippi Jacobi*) *Evangelicæ Eccleſiæ Vindiciæ adverſus culpam ſchiſmatis.* 303
Sterringa (*Julii*) *Animadverſiones Philologico-Sacræ in Pentateuchum.* 12
Teelmanni (*Henrici*) *Commentarius in caput XVI Evangelii Lucæ & alias Sacri Inſtrumenti partes.* 95
*A* Til (*Salomonis*) *Continuatio Atrii Gentium, fundamenta Legis Moſaicæ cum ſana ratione concilians &c.* 294
Tollii (*Jacobi*) *Inſignia Itinerarii Italici, quibus continentur Antiquitates Sacræ.* 297
Vitringæ (*Campegii*) *de Synagoga Vetere Libri tres.* 66
Whartoni (*Henrici*) *Hiſtoria de Epiſcopis & Decanis Londinenſibus & Aſſavenſibus.* 425
Witſii (*Hermanni*) *Animadverſiones Irenicæ ad controverſias, quæ ſub infauſtis Antinomorum & Neonomorum nominibus in Britannia nunc agitantur.* 378

## *II. Juridici.*

Bergeri (*Jo. Henrici*) *Lex II. Cod. Qui & adv. quos in integrum reſtit.* 518
Harprechti (*Ferdinandi Chriſtophori*) *Conſiliorum Tubingenſium Volumen I.* 183
— — *Volumen II.* 432
Nicolai (*Jo. Georgii*) *Reſolutiones Caſuum Juris dubiorum practicæ.* 62

Reyheri (*Samuelis*) *Diſſertatio Juridico-Statica de tribus argenteis nummis.* 86

Schubarti (*Georgii*) *de Fatis Jurisprudentiæ Romanæ Exercitationes Academicæ.* 427

## *III. Medici ac Phyſici.*

Clerici (*Joannis*) *Phyſica, ſive de Rebus Corporeis Libri V.* 453

Connor (*Bernardi*) *Diſſertationes Medico-Phyſicæ de Antris Lethiferis, de Montis Veſuvii incendio &c.* 554

Creech (*Thomæ*) *Notæ ad T. Lucretium Carum de Rerum Natura.* 149

Fontanæ (*Cajetani*) *Inſtitutio Phyſico-Aſtronomica.* 207

Franci (*Georgii Friderici*) *de Franckenau Onychologia curioſa, ſeu de Unguibus Tractatio Phyſico-Medica.* 15

Gaubii (*Johannis*) *Epiſtola problematica III.* 270

Græbneri (*Davidis*) *Medicina Vetus reſtituta, ſeu Paragraphe in Theodori Craanen Tractatum de Homine.* 147

Grew (*Nehemiæ*) *Tractatus de Salis Cathartici amari in aquis Ebeshamenſibus Natura & Uſu.* 458

*Titi* Lucretii *Cari de Rerum Natura Libri VI. cum interpretatione & Notis Thomæ Creech.* 449

*De* Moor (*Bartholomæi*) *Cogitationes de Inſtauratione Medicinæ.* 370

Ortlob (*Joh. Friderici*) *Hiſtoria partium & œconomiæ hominis ſecundum naturam.* 161

Ramazzini (*Bernhardi*) *Ephemerides Barometricæ Mutinenſes anni 1694, una cum Diſquiſitione cauſæ aſcenſus & deſcenſus in Torricelliana fiſtula.* 41

Raynaldi (*Franciſci*) *Tractatus de Febribus malignis & purpuratis.* 179

Ridley *Anatomia Cerebri.* 201

Riedlini (*Viti*) *Linea Medica ſingulos per menſes quotidie ducta.* 474

Scaramucci (*Joh. Bapt.*) *Theoremata Familiaria de Phyſico-Medicis lucubrationibus juxta leges mechanicas.* 524

Schelhammeri (*Güntheri Chriſtophori*) Ογκολογία *parva, ſeu de humani corporis tumoribus eorumque legitima curandi ratione liber.* 219

De

*De* Tſchirnhaus ( *Ehrenfried Waltheri* ) *Intimatio ſingularis noveque emendationis Artis Vitriariæ.* 345

## *IV. Mathemateci.*

Beckii ( *Matthiæ Friderici* ) *Ephemerides Perſarum Latine verſæ & Commentariis illuſtratæ.* 528

Bernoulli ( *Jacobi* ) *Obſervatiuncula ad ea quæ nupero menſe Novembri de Dimenſionibus Curvarum leguntur.* 260

— — *Conſtructio Generalis omnium Curvarum tranſcendentium ope ſimplicioris Tractoriæ & Logarithmicæ.* 261

— — *Problema Beaunianum univerſalius conceptum.* 332

— — *Complanatio Superficierum Conoidicarum & Sphæroidicarum.* 479

Bernoulli ( *Johannis* ) *Demonſtratio Analytica & Synthetica ſuæ Conſtructionis Curvæ Beaunianæ.* 82

— — *Supplementum defectus Geometriæ Carteſianæ circa Inventionem Locorum.* 264

— — *Tetragoniſmus univerſalis Figurarum Curvilinearum, per Conſtructionem Geometricam continuo appropinquantem.* 551

Bontempo ( *Jo. Andreæ Angelini* ) *Hiſtoria Muſica complexa plenam cognitionem Theoriæ & Praxeos antiquæ Muſicæ Harmonicæ &c.* 241

Caſſini ( *Joannis Dominici* ) *Meridiana Templi S. Petronii ducta & præparata ad Obſervationes Aſtronomicas.* 93

Fontanæ ( *Cajetani* ) *Inſtitutio Phyſico-Aſtronomica.* 207

Gregorii ( *Davidis* ) *Catoptricæ & Dioptricæ Sphæricæ Elementa.* 337

Leibnitii ( *Godfridi Guilhelmi* ) *Notatiuncula ad Acta Decemb. 1695.* 145

Marchetti ( *Angeli* ) *Natura Rationis & Proportionis nova methodo explicata.* 244

*De* Morettis ( *Cajetani* ) *Firmamentum noviſſime denudatum.* 118

Nieuwentiit ( *Bernardi* ) *Analyſis Infinitorum, ſeu Curvilineorum Proprietates ex Polygonorum natura deductæ.* 80

Ozanam *Recreationes Phyſicæ & Mathematicæ.* 85

Seyleri (*Jo. Chriſtiani*) *Parallelismus Architectorum celebriorum*. 476

*De* Tſchirnhaus (*Ehrenfried Waltheri*) *Intimatio ſingularis novæque emendationis Artis Vitriariæ.* 345

— — *Reſponſio ad Obſervationes Dnn. Bernoulliorum, quæ in Act. Erud. menſe Junio continentur.* 519

— — *Additio ad Intimationem de emendatione artis vitriariæ.* 556

Wallis (*Joannis*) *Opera Mathematica.* 249

## *V. Hiſtorici, Geographici &c.*

*Anonymi Hiſtoria præliorum a Francis ab initio eorum Monarchiæ usque ad hæc tempora editorum.* 151

*Anonymi Hiſtoriæ Anglicanæ Compendium.* 296

*Anonymi Hiſtoria optimorum pictorum tam inter veteres quam recentiores.* 76.80

Aurelianenſis (*Petri Joſephi*) *Hiſtoria converſionum Angliæ a primis Monarchiæ initiis.* 362

Blackmore (*Richardi*) *Poema Heroicum de rebus geſtis Arthuri Britonum Principis.* 224

Bœcleri (*Jo. Henrici*) *Hiſtoria Univerſalis quatuor primorum a nato Chriſto ſeculorum.* 74

Camdeni (*Guilielmi*) *Britannia, cum Additionibus Edmundi Gibſoni.* 188

Cellarii (*Chriſtophori*) *Hiſtoria nova, hoc eſt XVI. & XVII. ſeculorum.* 426

*De La* Croix *Status præſens Græcorum, Armeniorum & Maronitarum ſub Imperio Turcico.* 4

*Du* Fresnoy *Cenſura pictorum hujus & ſuperioris ſeculi.* 76

Gibſoni (*Edmundi*) *Additiones ad Guil. Camdeni Britanniam.* 188

Gronovii (*Jacobi*) *Notæ in Pomponium Melam aliosque Geographos antiquos.* 430

Helwichii (*Georgii*) *Genealogia Gentis Kolbianæ ſeu Wartenbergicæ.* 91

Julii Honorii *Oratoris Excerpta Coſmographiæ a Jac. Gronovio nunc primum edita.* 430

Laudi

Laudi (*Gulielmi*) *Hiſtoria Motuum Angliæ & Inquiſitionis contra ſe inſtitutæ.* 139.
Menzelii (*Chriſtiani*) *brevis Chinenſium Chronologia.* 199
Monconyſii *Itinera quinque voluminibus deſcripta.* 1
Pedrúſii (*Pauli*) *Cæſares aurei, collecti in Muſeo Farneſiano, & evulgati, cum conveniente iis interpretatione.* 57
Pomponii *Melæ Libri III. de Situ Orbis &c.* 430
*De* Pufendorf (*Samuelis L. B.*) *de Rebus geſtis Friderici Wilhelmi M. Electoris Brandenburgici Commentarii.* 234
Temple (*Guilielmi*) *Introductio in Hiſtoriam Angliæ.* 420
Thucydidis *de Bello Peloponneſiaco Libri VIII, curante Jo. Hudſono.* 341
Tollii (*Jacobi*) *Inſignia Itinerarii Italici.* 297
Whartoni (*Henrici*) *Vita Gulielmi Laudi ab eo ipſo deſcripta, Actaque alia ad illius Hiſtoriam ſpectantia.* 140. 145

## VI. Philologici & Miſcellanei alii.

Æſchinis *contra Cteſiphontem Oratio.* 438
Alciati (*Andreæ*) *ad Bern. Mattium Epiſtola: Epiſtolæ item Variorum, edente Ant. Matthæo.* 290
Ariſtophanis *Comœdiæ duæ, Plutus & Nubes, cum ſcholiis Græcis.* 438
Bacchini (*Benedicti*) *de Siſtris eorumque figuris Diſſertatio.* 246
Bærii (*Nicolai*) *Ornithophonia, ſive Harmonia Melicarum Avium Carmine Latino-Germanico decantatarum.* 48
Battierii (*Samuelis*) *Specimen Philologicum, ſeu Obſervationes in Laertium, Euripidem &c.* 386
Begeri (*Laurentii*) *Theſaurus Brandenburgicus ſelectus, ſeu Gemmarum & Numiſmatum Græcorum ſeries commentario illuſtrata.* 433
Blackmore (*Richardi*) *Poema Heroicum de Principe Arthuro.* 224
Boyle (*Caroli*) *Annotationes ad Epiſtolas Phalaridis.* 102
Buddei (*Jo. Franciſci*) *Diſſertationes Academicæ de præcipuis Stoicorum in Philoſophia Morali erroribus.* 484

Ciceronis (*Marci Tullii*) *Libri de Officiis, ex recenſione Thomæ Cockman.* 413
— — *De Oratore Libri, ex recenſione ejuſdem.* 414
Colomeſii (*Pauli*) *in Gyraldi Dialogos de Poetis Animadverſiones.* 230
Demoſthenis *de Corona oratio.* 438
Dryden (*Gulielmi*) *Comparatio Poeſeos & Graphicæ Artis.* 76
Faes (*Joannis*) *Commentarius in Gyraldi libellum de vario veterum ſepeliendi ritu.* 230
Frencelii (*Abrahami*) *de Originibus Linguæ Sorabicæ Libri II. Caput II.* 92
*Du* Freſnoy *Ars Graphica.* 76
Gorlæi (*Abrahami*) *Dactyliotheca cum explicatione Jacobi* Gronovii. 302
Gregorii *Nazianzeni Carmina Cygnea inedita.* 298
Gronovii (*Jacobi*) *Notæ ad Harpocrationis librum de Vocibus.* 347
Gyraldi (*Lilii Gregorii*) *Opera omnia.* 229
Harpocrationis *de Vocibus liber.* 347
*Ab* Hoffmanswaldau (*Chriſtiani*) *Carmina.* 174
Homeri *Ilias, & in eam Scholia.* 440
Juliani *Imperatoris Opera omnia, cum variorum Notis.* 489
Kolbii (*Johannis Caſimiri*) *de Wartenberg Paterna ad Liberos Inſtitutio.* 89
Miltoni (*Joannis*) *Opera Poetica, cum notis Anonymi ad Poema Heroicum, cui titulus:* Paradiſus amiſſus. 226
Neumanni (*Caſparis*) *Geneſis Linguæ Sanctæ Veteris Teſtamenti.* 399
Omeiſii (*Magni Danielis*) *Ethica Platonica.* 329
Palearii (*Aonii*) *Verulani Opera.* 43
Paſchii (*Georgii*) *Schediaſma de curioſis hujus ſeculi inventis.* 390
Phalaridis *Agrigentinorum Tyranni Epiſtolæ.* 101
Reyheri (*Samuelis*) *Diſſertatio de tribus argenteis nummis, iisque uncialibus antiquiſſimis.* 86
Smithi (*Thomæ*) *Catalogus librorum manuſcriptorum Bibliothecæ Cottonianæ.* 441

Span-

Spanhemii (*Ezechielis*) *Obſervationes ad Juliani Imperatoris opera.* 489
Stuckii (*Joannis Guilielmi*) *Antiquitatum Convivialium Libri III, & Sacrorum Sacrificiorumque Gentium Deſcriptio.* 103
De Vries (*Gerhardi*) *Exercitationes Rationales de Deo &c. Accedit Diatribe de Cogitatione ipſa Mente, & altera de Ideis rerum innatis.* 339
Wächtleri (*Chriſtfridi*) *ad Virum Illuſtrem Dn. I. A. Birnbaumium Epiſtola.* 375
Weiſii (*Chriſtiani*) *Quæſtiones Logicæ & Ethicæ.* 483
Weſenfeld (*Arnoldi*) *Georgica animi & vitæ.* 388

# INDEX RERUM NOTABILIORUM in hoc Volumine obviarum.

Acta *Sanctorum, quæ a Patribus Societatis Jeſu eduntur, defenſa.* 131. 500. *ſqq.*
*variis ſcriptis oppugnata.* 500. *ſeq.*
De Adami *lapſu ſententia paradoxa Anonymi.* 463
Advocatus *ad præſtandum patrocinium a Judice compelli poteſt.* 65
*ratione ſalarii in illa re quam patrocinio ſuo conſervavit, cæteris creditoribus præfertur.* 65
Ægyptia *æra.* 527
Ælianus *emendatus.* 388
Aer *num levior pluviæ tempore?* 42. *ſeq.*
*levior Auſtro flante.* 42
*gravior ſpirante Borea.* 42
42
*frigidus in petechiis quandoque innoxius.* 475
Aereæ *ſphæræ altitudo non determinabilis ex crepuſculorum obſervatione.* 213
Aereum *nitrum rejectum.* 557
Aeri *nitroſa ineſt materia & ſulphurea.* 556
Aerianis *male comparati Lutherani* 312. *ſeqq.*

Æſchylus *emendatus.* 350
Æſtus *maris notabilis.* 191
*a fermentatione aquæ marinæ.* 213
Æternitas *mundi refutata.* 538. *ſeq.*
*De* Affectibus *doctrina Stoicorum.* 486
Affectuum *natura & varia genera.* 388. *ſeq.*
Agobardus *num Coepiſcopus, an Chorepiſcopus Leidradi fuerit?* 38
Alexander *VII Pontifex num immaculatam B. Mariæ Virginis conceptionem omnibus abſolute credendam injunxerit?* 286. 288
Alexander (*Natalis*) *ab eruditione laudatus.* 505
Algebra. 3
Algebraica *Carteſii ex Harriotto deſumta.* 256. *ſeq.*
Allatius (*Leo*) *notatus.* 360
Alvi *adſtrictio in morbillis innoxia.* 475
Amadeus Pacificus, *liber Petri Monadi a Bzovio totus pene deſcriptus.* 505
Ambitione *multi ad repudiandam religionem Chriſtianam inducuntur.* 274
Analyſis *infinitorum.* 80
*differt ab Arithmetica infinitorum.* 252
Anaſtaſius *Bibliothecarius quorumnam Pontificum Vitas ſcripſerit?* 40
Angliæ *ſub Carolo I. motuum origo.* 140. *ſeq.*
*Antiquitates illuſtratæ.* 185. *ſeq.*
*Converſionum a primis Monarchiæ initiis Hiſtoria.* 362. *ſeqq.*
*ſub Saxonicis Regibus felicitas.* 424
*In* Angliæ *Hiſtoriam Introductio Guilielmi Temple.* 420
Anglicanæ *claſſis conditio diverſa.* 191
*Hiſtoriæ compendium* 296
Animalis *motus abſque concurſu ſanguinis perficitur.* 206
Animam *particulam eſſentiæ Divinæ quinam ſtatuerint?* 484
Anteri *Papæ ad Bæticæ & Toletanæ provinciæ Epiſcopos epiſtola vindicata.* 128
Antinomorum & *Neonomorum in Anglia lites.* 378. *ſeq.*
Antra *abſq; veneno lethifera.* 555
Aortæ *trunci haud duo.* 271
Aplanarii *cur Orthodoxi Manichæis dicti?* 301
Apoſtoli Θεόπνευςοι, & *quomodo?* 156. 158
Apoſtolicorum *Canonum auctoritas ſub examen vocata.* 123
Apoſtolorum *Pſeudepigrapha.* 107
*Epiſtolæ cui uſui?* 468. 470. 472


In

*In* Apothecæ *mercibus num maritus uxori ſuccedat?* 65
Appellandi *jus ad Pontificem Romanum, antiquum.* 125. *ſeq.*
Appellatio *ad Vallem Joſaphat num licita?* 228. *ſeq.*
Aqua *ſtyptica.* 223
*regia cur aurum, non alia metalla ſolvat?* 456
Aquæ *in feſto Tabernaculorum quotannis oblatæ.* 395
*noctu ex ſententia Hebræorum polluuntur.* 395
*ſupracœleſtes quænam?* 541
*Ebeshamenſes cathartica.* 458
Aram *idem qui Hieronymus.* 113
*De* Arbitrio *& Gratia controverſiæ* 19. *ſeq.* 34
*De* Arbore *Vitæ & Scientiæ boni & mali ſententia Guil. Nichols* 544
Arca Fœderis *Judæorum deſcripta.* 321
Architectorum *celebrium paralleliſmus.* 476
Ariſtoteles *notatus.* 78
Ariſtoxenus *notatus.* 243
Arithmetica *infinitorum.* 251. *ſeq.*
*differt ab analyſi infinitorum.* 252
Armeniorum *ſub Turcico Imperio ſtatus & religio.* 617
Arnaldi *ſententia de æquali Petri & Pauli primatu.* 111
Arteriæ *& venæ meningis duræ.* 202
*vertebralis in calvariam ingreſſus.* 202
*ſcroti, perioſtii, coſtarum & pleuræ, itemque pericardii & mediaſtini.* 271
Arteriarum *per ſubſtantiam cordis & tunicas aortæ dirimatio.* 271
Arteriola *cerebri nova.* 202
*De* Arthuro *Britonum Principe Poema Heroicum.* 224. *ſeq.*
Articulatio *in medio carpi.* 224
Artuum *amputatio.* 223
*De* Aſina *Bileami quæ Num. XXII. 28. memorantur, num Bileamo in ſomnio obtigerint?* 115
Aſſavenſium *Epiſcoporum & Decanorum Hiſtoria.* 425. *ſeq.*
Aſtrologia *Perſica.* 529. *ſeq.*
Athei *quam inanibus rationibus ducantur?* 273. *ſeqq.*
*refutati.* 294. *ſeqq.*
Athenæus *emendatus.* 232
Auguſtini *acerrimus defenſor & adorator Janſenius.* 20. *ſeq.*
Auguſtinus *expurgatus.* 106
*emendatus.* 107
Aviū *cantus carmine expreſſus.* 48
Auſtro *flante levior aer.* 42

Baieri (*Joannis Guilielmi*) *obitus.* 51
Baji (*Michaelis*) *ſectator Janſenius.* 26
*De* Baleami *aſina quæ Num. XXII. 28. memorantur, num in ſomnio ipſi obtigerint?* 115

Baluzius (*Stephanus*) *refutatus*. 125
*In* Baptiſmi *adminiſtratione ut gerere ſe debeat Eccleſiæ Miniſter?* 10
Baptizandorum *jejunium*. 416
Barometricæ *Ephemerides*. 41
*In* Barometro *cur depreſſior ſit Mercurius tempore pluvio?* 213
Baronettorum *in Anglia ordo*. 443
Baronius *notatus*. 76. 129
Baroſcopii *phænomena explicata*. 41. *ſeq*. 213
Beatitudo *alia Gratiæ, alia Gloriæ*. 240
Beaunianæ *Curvæ conſtructio demonſtrata*. 82
Beaunianum *problema univerſalius conceptum*. 332. *ſeq*.
Belgicæ *linguæ cum Hebraica convenientia*. 13
*Sub* Bertrami *nomine qui exſtat liber de corpore & ſanguine Chriſti, cujus auctoris fuerit?* 36
Bibliorum *ſacrorum verſio Belgica emendationis indiga*. 12
*nova Sebaſtiani Schmidii*. 350. *ſeq*.
Bibliothecæ *Cottonianæ Manuſcriptorum Catalogus*. 441. *ſqq*.
Biclanenſis (*Joannis*) *Chronicon vitiatum*. 171. *ſq*.
Blancardi (*Nicolai*) *editio Harpocrationis reprehenſa*. 348
Blound (*Carolus*) *refutatus*. 537. *ſeq*.
Bochartus *notatus*. 230
Bœcleri (*Jo. Henrici*) *elogium & ſcripta*. 74
Boethius *correctus*. 243
Bononiæ *latitudo*. 95
*Circa* Bononiam *locorum longitudines & latitudines correctæ*. 213
Bononienſis *Heliometri Deſcriptio*. 94. *ſeq*.
Bononcini (*Joh. Mariæ*) *refutatus*. 244.
Bonum *ſummum quodnam ex mente Platonis?* 329. *ſq*.
Borea *ſpirante aer gravior*. 42
Bouhourſius *notatus*. 176
Brandenburgicum *cimeliarchium*. 433. *ſqq*.
Breviarium *Romanum minime infallibile*. 133
Britanniæ *Antiquitates illuſtratæ*. 189. *ſqq*.
*Almaricæ ſeu Minoris nomen unde & quando ortum?* 421. 423
Browerus (*Chriſtophorus*) *notatus*. 215
Brutis *ratio a Stoicis tributa*. 484
*vindicata*. 457
Bulengerus *notatus*. 168
Burnetius (*Thomas*) *refutatus*. 537. *ſq*.
Buxtorffius *notatus*. 395. 396. 397

CAdaverum *humanorum Conſervatio Ruyſchiana.* 270. 271
Cæſaraugustanum *concilium A. 381 celebratum.* 168
Cæſaris (*C. Julii*) *Apotheoſis in Gemma expreſſa.* 437
Calendarium *Turcicum illuſtratum.* 528 ſq.
*quomodo quam rectiſſime emendandum?* 529
Calor *nativus.* 222
Camdeni (*Gulielmi*) *Britannia emendata & additamentis aucta.* 189
Camerarii (*Eliæ Rudolphi*) *obitus.* 50
*In* Cancro *non exulcerato medicamina externa interdicuntur.* 222
Canonum & *Conciliorum Collectio Iſidoriana num Iſidoro Mercatori, an Iſidoro Hiſpalenſi tribuenda?* 122
*Apoſtolicorum auctoritas ſub examen vocata.* 123
Canticum *Iſraelitarum Exod. XV metrice deſcriptum.* 113
Capuani (*Leonardi*) *obitus.* 49
Caraffæ (*Caroli Mariæ*) *Principis obitus.* 49
*De* Carmelitarum *Ordinis antiquitate diſceptationes.* 132. ſqq.
*In* Carpo *medio articulatio.* 224
Carteſiana *hypotheſis de Syſtemate mundi dubia.* 455
Carteſii *vortices rejecti.* 208
*Algebraica ex Harriotto deſumta.* 256. ſq.
Carteſius *circa Revelata cautior ſectatoribus ſuis.* 339
*num Hiſtoriam Creationis Moſaicam perverterit?* 410
Caſaubonus (*Iſaacus*) *notatus.* 233
Catharcticæ *Ebeshamenſes aquæ.* 458
Catharctici *ſalis amari natura.* 459. 460
*differentia a nitro & ſale calcario.* 460
*uſus generalis.* 460
*ſpecialis.* 461. 462
Catholici *titulus quando Hiſpaniæ Regibus primum fuerit tributus?* 171
Cave (*Guilielmi*) *Vita Apoſtolorum in linguam Germanicam traducta.* 546
Cavernæ *ſubterraneæ a vaporibus.* 554
Cauterium *cultellare rejicitur.* 223
Centri *gravitatis conſideratio & uſus in Geometria.* 502
Centrum *percuſſionis & oſcillationis idem.* 255
Cerebelli *proceſſus chordalis.* 204
*plexus choroideus.* 204

Cerebri *venarum diſtributio cur peculiaris?* 202
*contextus vaſculoſus.* 203.
*calloſum corpus fornicis veri munere haud fungitur.* 204
*ventriculi tres, non niſi unicus.* 204
*nervorum diverſorum exortus accurate notatus.* 205
*uſus.* 457
*arteriola nova.* 202
Ceres *in gemma expreſſa.* 436
Chamæmelus *febrifugum.* 475
Chinenſium *Annales.* 199. *ſq.*
*Imperator hodiernus.* 200
Chorepiſcopi *qui?* 451
Choroïdei *plexus vaſa lymphatica.* 203
Choroideus *plexus cerebri duplex* 203
Chriſmatis *uſus qualis in antiquiori Eccleſia?* 312
Chriſti *num juſtitia ipſa, an vero fructus tantum ejus, fidelibus imputetur?* 382
*pſeudepigrapha.* 107
*ſudarium Veronica corrupte dictum.* 503
*præputium Antwerpiæ aſſervatum.* 504. *ſq.*
*Ad* Chriſti *tribunal num provocare ſit licitum?* 228. *ſq.*
Chriſtianæ *Eccleſiæ ritus non pauci ex Synagoga Judaica derivati.* 418
*potius ex Synagoga Judaica, quam ex Templo petita.* 67. *ſq.*
Chriſtianæ *Religionis Rationalitas aſſerta.* 463. *ſeq.*
*acerrimus oppugnator Julianus* 496.
Chriſtianam *religionem quare profani homines repudient?* 273. *ſqq.*
Chriſtianiſmi *primævi ſtatus.* 546. *ſeq.*
Chriſtianiſmus *quando & quomodo a primæva innocentia deficere cœperit?* 549. *ſeq.*
Chriſtianorum *primorum pietas & virtutes aliæ.* 547. *ſq.*
*A* Chriſtianorum *pravis moribus & controverſiis ad religionem improbandam male argumentum ducitur.* 277. 278. 279
Chriſtum *eſſe Meſſiam, num ſumma prædicationis Apoſtolorum?* 464. 466. 471. 472.
Chriſtus *quo ſenſu non pœnas tantum peccatis noſtris debitas, ſed peccata etiam ipſa ſuſtinuiſſe dici poſſit?* 380.
*a quo tempore peccata noſtra ſuſtinuerit?* 381
*quo ſenſu Deo patri, dum peccata noſtra tulit, abominabilis fuiſſe dici queat?* 381

cur

*cur non apertius Meſſiam ſe fuerit profeſſus?* 464
*& Filius Dei num idem ſignificent?* 473
*quot annis in his terris vixerit?* 502
Chronica *Hiſpanica Dextri, Maximi, Luitprandi, Helecæ & Juliani Perez confiſta.* 167
Chryſoſtomi *Homilia in Nativitatem Domini genuina & Antiochiæ habita.* 110
Chylus *vitiatus non omnium morborum cauſa.* 372
Ciacconius *notatus.* 135
Circulatio *ſanguinis cur ſubito ceſſet?* 373
Circumciſio *cur die octavo fuerit peragenda?*
Cirtenſe *Conciliabulum.* 108
Ciſſoidis *reductio ad aream circuli.* 254
Claſſis *Anglicanæ hodierna conditio cum antiqua collata.* 191
Cleri *vitia religioni Chriſtianæ non obſunt.* 278
*in Eccleſia corruptus ſtatus.* 549. *ſeq.*
Clerici *de inſpiratione librorum ſacrorum Novi Teſtamenti doctrina refutata.* 153.
Codici *Theodoſiano ex Libanio ſubinde lux a Jac. Gothofredo allata.* 375 *ſeqq.*
Codicilli *patris, in quibus uxori aut extraneo quid relinquitur, quinque teſtes requirunt.* 185
Cœleſtium *motuum finales cauſæ* 207
*In* Cœna *ſacra quomodo panis in vinum intingi, ſed perperam, cœperit?* 358. *ſqq.*
*De S.* Cœna *controverſiæ ſeculo IX. motæ.* 35. *ſq.*
Cogitatio *num ipſam mentis eſſentiam conſtituat?* 339. *ſq.*
Coli *valvula quid?* 223
Colomeſius *(Paulus) notatus.* 233
Colores *quid in genere?* 458
Cometæ *ſunt Planetæ ſui generis* 212
Cometarum *cauda quid & cur in plagam Soli oppoſitam porrigatur* 212
Commiſſum *fidei familiæ filias non includit.* 66
Communio *ſub una ſpecie a Leone Alcatio & Bellarmino ex abuſu priſcæ Eccleſiæ male probata.* 360. 361.
Compenſatio *in concurſu creditorum quatenus locum habeat?* 66
Concilia *Hiſpaniæ.* 120. 165. 214
Concilii *Nicæni decreta num plura quam viginti fuerint?* 126. *ſq.*
*Sinueſſis acta rejecta.* 505
Concilium *Eliberitanum quo tempore celebratum?* 165. *ſq.*
*Cæſarauguſtanum A. 381 celebratum.* 168

Tole-

*Toletanum I.* 168
*II.* 170
*III.* 170. *ſq.*
Concordiæ Evangelicæ *auctor Cornelius Janſenius diverſus a Cornelio Janſenio Yprenſi.* 19
*In* Concurſu *creditorum compenſatio quatenus locum habeat?* 66
Congregationum de Auxilio *ſub Clemente VIII & Paulo V Hiſtoria.* 27
Coni *recti proprietas inſignis.* 269
Conoideas & *Sphæricas ſuperficies complanandi methodus.* 269. 479. *ſeq.*
Conſonantiæ *in Muſica quænam admittendæ?* 242
Conſtantii *Imperatoris vita ex Juliani ſcriptis haurienda.* 495. 498
Conſtantini *Magni geſta.* 498
*De* Conſtantini *M. Baptiſmo diſceptationes.* 134. 135
Conſtructio *transſcendentium, per puncta Algebraice inventa eſt magis analytica.* 146
Conſtructiones *quænam optimæ?* 262. 334
Conſtructionum *Geometricarum genera varia.* 262
Contignationis *planæ ex tignis brevioribus conſtituendæ modus.* 255
Contrapunctus, *ſeu canendi ratio, qua plures ſibi voces conſonant, non uſitata veteribus.* 242
Controverſiæ *inter Chriſtianos agitatæ Religionis ipſius veritatem non deſtruunt.* 279
*A* Corde *ſanguinis preſſio maxima.* 371
Corporis *in genere natura nondum expoſita.* 453. 457
Cornuum *ſtructura.* 16
Corporis *animalis cum machina comparatio antiqua.* 148
Corpus *calloſum cerebri fornicis veri munere haud fungitur.* 204
Cottoni (*Roberti*) *Vita, ſcripta, bibliotheca.* 442. *ſq.*
Craanius *notatus.* 149
Creatio *ex nihilo nullam involvit contradictionem.* 538
*De* Creatione *Diſcurſus Monconyſii.* 1
Creationis *Hiſtoria Moſaica vindicata & explicata.* 540
Creditor *poſt ſententiam præcluſionis ulterius non admittendus.* 66
Creditoris *regreſſus contra fidejuſſorem.* 187
*In* Creditorum *concurſu compenſatio quatenus locum habeat?* 66
Credulitatis *a fide differentia.* 276. *ſq.*
*Ex* Crepuſculorum *obſervatione aereæ ſphæræ altitudo non determinabilis.* 213
Cromwelli *nummi unciales.* 87

Crucis

Crucis *inventæ hiſtoria num fabuloſa?* 504
Crux in aqua, *quid in Calendario Turcico?* 532
Crypta *canum Neapolitana cur lethifera?* 555
*In* Crypta *canum Neapolitana cur flamma extinguatur?* 556
Cubicæ *parabolæ flexus.* 251
Cultrivori *Pruſſiaci hiſtoria vindicata.* 149
Curva *ordinaria in ſe rediens rectificabilis.* 335. 146
*vera motus Planetarum.* 208
Curvæ *Beaunianæ Conſtructio demonſtrata.* 82
Curvarum *rectificatio.* 254
*tranſcendentium conſtructio generalis ope ſimplicioris tractoriæ & logarithmicæ.* 261. *ſq.*
Curvilinearum *figurarum Tetragoniſmus univerſalis.* 551. *ſq.*
*De* Cupri *&* *Stanni fodinis in Anglia memorabilia.* 190
Cycloidis *hiſtoria.* 253
Cylindroidis *hyperbolici concavo-convexi formatio ope torni.* 254

DActyliotheca *Gorlæi.* 302
*De* Dæmonibus *doctrina unde?* 449
Dæmonum *varia genera.* 451
Dallæus *refutatus.* 415. 416
Dani *Angliæ olim domini.* 363. *ſq.*
Decimandi *jus an ad regalia referendum?* 188
*an a Laico acquiri poſſit?* 188
*juris poſſeſſores non teneantur ad fiſci inſtantiam poſſesſionis titulum edere.* 187
Dei *idea num Menti inſita ſit actu, an ab ea formetur?* 341
*exiſtentia ex mundi harmonia demonſtrata.* 411
Derivationis *vocum Ebraicarum ratio.* 404
Deſertio *malitioſa num ſit, ſi maritus fiat profugus ob delictum commiſſum?* 188
Diabetes *ab uſu pulveris Peruviani, ejusque ratio.* 526
Diabolis *cur fides hiſtorica non proſit?* 466
Diapente *ſitus naturalis cur infra diateſſaron?* 243
Diaphragma *humanum e duplici muſculo haud compingitur.* 223
Diatonicum *in Muſica genus a natura.* 242
Differentiales *æquales quantitates non habent æquales ſummas.* 83
Differentias *ſtellarum fixarum aſcenſionales, aſcenſiones & deſcenſiones obliquas &c. deſignantes tabulæ.* 119

Differentialis *calculi inventio & uſus.* 258

Differentiationum *ſucceſſio defenſa.* 337

Differentio-Differentiales *quantitates num admittendæ?* 81

Directiones *mobilium mediæ quænam?* 146. 335

Divinationes *idololatricæ Judæorum.* 452

Divinitas *librorum Novi Teſtamenti aſſerta.* 154. *ſqq.*

Dodwelli (*Henrici*) *Annales Thucydidei una cum Diſſertatione de Anno Attico veteri præmiſſi.* 344

Dolii *Sphæroidalis truncati dimenſio.* 255

Dominicanorum *cum Jeſuitis lites.* 26. *ſq.*
- *cum Franciſcanis lites de immaculata conceptione B. Mariæ Virginis.* 287. *ſqq.*

Donationes *mortis cauſa inter conjuges quomodo valeant?* 65

Donatiſtarum *Schiſma.* 108

Dotalium *pactorum notabilia.* 433

Drydeni (*Gulielmi*) *Poetæ Anglicani obitus.* 50

Dubitare *de Chriſtianæ religionis capitibus quatenus liceat?* 317

Ebræarum *vocum geneſis.* 390. *ſq.*
- *ſignificatio.* 401. *ſq.*
- *derivatio.* 404

Ebræorum *literanum naturalem an arbitrarium ſignificandi valorem habeant?* 402

Eccleſia *quatenus ſemper manſura?* 308
- *num ſemper futura viſibilis?* 308. *ſqq.*
- *ubi fuerit ante Lutherum?* 310
- *Chriſtiana ex Synagoga Judæorum nata.* 67
- *quomodo differat a Synagoga?* 68
- *filia quatenus ſequatur matrem?* 63

Eccleſiæ *Miniſtrorum officium.* 7. *ſqq.*
- *bonorum ſeculariſatio num valida?* 187

Eccleſiaſtica *Hiſtoria L. E. Du Pin.* 31. *ſqq.*

Eccleſiaſtici *juris controverſia inter Evangelicos & Catholicos.* 187

Eccleſiaſticorum *bonorum ſeculariſatio an valida?* 187

*Ex* Elaſtica *vi reflexio corporum oritur.* 255

Elaſticitas *ſanguinis unde?* 371

Electi *num ante regenerationem jus æternæ hæreditatis conſequantur?* 382
- *num etiam ante fidem Chriſto uniantur?* 382


Ele-n

Elenchus *quomodo a Miniſtris Eccleſiæ exercendus?* 9. 10
Elias *quo ſenſu auctor ordinis Carmelitarum dici poſſit?* 133
Eliberitanum *Concilium quo tempore celebratum?* 165. *ſq.*
Ellipſis *non eſt Curva motus Planetarum.* 208
*proprietas.* 260
Emeticæ *unguium vires.* 16
L'Empereur (*Conſtantinus*) *notatus.* 393
Enharmonicæ *in Muſica rationes non introducendæ in contrapunctum.* 243
Enochus *quis inter auctores Carmelitarum Ordinis memoretur?* 136
Enochus *de Amathim male inter Sanctos numeratus.* 136. *ſqq.*
Ephemerides *Barometricæ.* 41
Ephemeris *Perſica anni 1687.* 558
Epiſcoporum *ab una ſede ad aliam translationes quatenus licitæ olim fuerint?* 128
Epiſtolæ *Phalaridis Agrigentinorum Tyranni.* 101
*Pontificum ad Hiſpanos Iſidorianæ Collectionis num genuinæ?* 123. *ſq.* 128
*Ex* Epiſtolis *doctorum Virorum concinnanda Polymathia univerſalis.* 229
Epochæ *celebriores apud populos Orientales.* 528. 558
Ethica *Janſenii doctrina.* 29
Ethica *Platonica.* 329
*In* Evangelia *Dominicalia & Feſtivalia Commentarius.* 218
Evangelici & *Epiſtolici textus in linguam Sorabicam verſi.* 47
Evangelii *prædicatio quomodo conjungenda cum prædicatione legis?* 385. *ſeq.*
*doctrina per gradus manifeſtata.* 464. *ſq.* 473
*In* Euchariſtia *adminiſtranda quomodo gerere ſe debeat Eccleſiæ Miniſter?* 10
*De* Euchariſtia *controverſia ſeculo IX mota.* 35. *ſqq.*
Euchariſtia *infantum qualis in Eccleſia Græca?* 360
Euchariſtiæ *abuſus.* 361
Euchariſtici *panis in vinum intinctio olim uſitata fuit, & hodieque in Eccleſia Græca obtinet.* 359
Euchitarum *hæreſis.* 298. *ſqq.*
Euripides *emendatus.* 387
Eutychianiſmi *prave accuſantur Lutherani.* 314
*num rei, qui dicunt Unum e Trinitate carne paſſum?* 509. *ſq.* 512
Exhalationis *accenſæ novum Meteorum in Anglia.* 193
Expiatio *anniverſaria Pontificis M. in V. T. collata cum unica & æterna expiatione Jeſu Chriſti.* 393. 398

Expiationes *aliæ apud Hebræos, aliæ apud Gentiles.* 396
Farneſiana *numiſmata edita partim, partim edenda.* 57. ſqq.
Farneſianum *Muſeum.* 58
Fatum *Stoicum.* 485
Fauſti (*Joannis*) *obitus.* 51
*In* Febribus *& inflammationibus cur conducat phlebotomia?* 524
Febrifugum *Chamæmelum.* 475
Febrium *malignarum ortus.* 179
*cura.* 182
Felix *V. Papa defenſus.* 505. ſq
Ferræ (*Bartholomæi*) *elogium.* 243
Feſta *in honorem B. Mariæ Virginis celebrata.* 289
Fidei *articulus num unicus tantum, Chriſtum eſſe Mesſiam?* 464. 466. 471. 472
*lex ex mente Pockii.* 464
Fideicommiſſum *familiæ filias non includit.* 66
Fidejuſſor *contra creditorem an posſit præſcribere?* 66
Fidem, *non bona opera, ſalvare, theſis orthodoxa.* 311. ſq
Fides *non idem quod credulitas.* 276
*& lex fidei apud Paulum*
*num peculiaris aliqua virtus?* 383
*vel in idea, vel uti eſt in ſubjecto, conſideratur.* 383
*qualem σχέσιν habeat ad juſtificationem?* 383
*viva & mortua, ut diſtinguantur?* 407. ſeq.
*qualis juſtificet?* 466
Filia *Eccleſia quatenus ſequatur matrem?* 63
Filiæ *illuſtris renunciatio hæreditatis quatenus valida?* 183. 184
Filias *familiæ fideicommiſſum non includit.* 66
Fixarum *ſtellarum unaquæque num peculiarem mundum conſtituat?* 541
*catalogus.* 119
*diametri non excedunt 5 ſcrup. ſecunda.* 212
*ſcintillationis ratio.* 212
*influxus vix ſenſibiles.* 214
Flamma *cur in crypta canum Neapolitana extinguatur?* 556
Florentini *problematis conſtructio ope torni.* 481
Florentinum *problema.* 259
Fluidi *animalis habitudo.* 205
Focorum *conſideratio Geometrica.* 260
*contemplatio magni momenti.* 267
Focus *vitri ſeſquipedalis, ſi contrahatur, virtute ſuperat vitrum bipedale.* 347
*De* Fœdere *Gratiæ novæ controverſiæ.* 384 ſq.
Formoſi *Epiſtola ad Epiſcopos Angliæ ſuppoſititia.* 506
*In* Fornicationis *crimen graves olim pœnæ ſtatutæ.* 173
Franciſcanorum *& Dominicanorum controverſia de immaculata*

ta

*ta conceptione B. Mariæ Virginis.* 287. *ſq.*
Friderici Wilhelmi *Magni, Electoris Brandenburgici character, corporisque forma ac animi indoles.* 523
Fullo (*Petrus*) *Eutychianæ hæreſeos patronus.* 510
Functiones *animales multa a preſſione ſanguinis derivatæ.* 371
Funiculus *arenulis circumvolutus loco calculi ex veſica exſectus.* 527
*deglutitus quomodo ad veſicam pervenerit?* 527
Furti *iterati pœna.* 186
*cum violenta effractione commisſi pœna.* 187

GAleno *ſuſpectæ occultæ qualitates.* 148
*pulmonum ſtructura nota.* 48
*A* Galeno *reſpiratio thoraci adſcripta.* 148
Galliæ *Epiſcopi plerique ſeculo V num Semipelagiani fuerint?* 515. *ſq.*
Gallorum *victoria & clades.* 151. *ſq.*
*De* Gallorum *Poeſi judicium.* 176
Ganglii *remedium.* 221
Gelalæa *Perſarum æra.* 528.
Gemmæ *antiquæ a Jac. Gronovio illuſtratæ.* 302
*in cimeliarchio Electorali Brandenburgico aſſervatæ.* 433. 436. *ſeqq.*
*In* Geneſin *Commentarius Simonis Patricii Epiſcopi Elienſis.* 195. *ſeq.*
Gentiles *quare ex mente Pockii condemnentur?* 467
Geographica *recenſio locorum quorum longitudines ab obſervatoribus Gallis correctæ.* 214
Geographicarum *mapparum errores.* 93
Geometriæ *Carteſianæ defectus ſupplementum circa locorum inventionem.* 264
Geometricarum *conſtructionum genera varia.* 262
*S.* Georgius *quidam & Chriſtianis & Turcis cultus.* 532. *ſq.*
Germanorum *Poeſis collata cum Poeſi Gallorum.* 176
*Poetæ excellentiores.* 177
*G.* Gibieuf *Specimen fidei & pietatis Janſenio-Sancyranæ.* 30
Glandula *ſalivalis Nuckiana fruſtra in homine quæritur.* 223
Glandulæ *pituitariæ ſitus in homine.* 203
*ſubſtantia peculiaris.* 203
*pinealis magnitudo extraordinaria & præternaturalis.* 203

Glandulæ *conglomeratæ rectius dicuntur congeſtæ.* 221
*in pulpa digitorum.* 224
*uterinæ in ſarcoma abeuntes.* 559
Glandularum *Rivinianarum ductus ſæpe Warthonianis communicant.* 223
Gotteſchalcum *inter & Rabanum qualis de Gratia & Arbitrio controverſia?* 34. ſq.
Graduum *prohibitio in nuptiis quousque extendenda?* 63
Græcorum *in Religionis Chriſtianæ capitibus cum Romana conſenſus & ab ea diſſenſus.* 4. ſq.
*ſtatus ſub Imperio Turcico miſer.* 4
Gratia *qualis Petro lapſo defuerit?* 517
*De* Gratia *& Arbitrio controverſiæ.* 19. ſqq. 34
*alia Janſenii, alia Cardinalis Noriſii Auguſtinum ſecuti ſententia.* 517
Gravitatis *ratio dubia.* 458
Gregorii *Nazianzeni Carmina Cygnea, nunc demum vulgata.* 298
Guilielmus Conqueſtor *Angliæ ſubjugatæ nec linguam nec leges antiquare potuit.* 424

HÆreditatis *filia illuſtris etiam poſt juratam renunciationem capax.* 183
*renunciatio quatenus valida?* 183. 184
Hæreſium *antiquarum num poſtulari Lutherani queant?* 306. ſq. 311. ſq. 316
*poſtulandi potius Romano-Catholici.* 316
Haimo *Halberſtadienſis auctor Commentarii in Epiſtolas Pauli.* 39. ſq.
Harpocration *emendatus.* 349
*Ex* Harriotto *deſumta Carteſii Algebra.* 256. ſq.
Hauberti *Hiſpalenſis Pſeudo-Chronicon.* 167
Hazazel *quid Levit. XVI. 8.?* 114
Hebræi. *Vide Ebræi.*
Hegiræ *æra.* 527
Heliometri *Bononienſis deſcriptio.* 94. ſq.
Hercules *amori ſuccumbens in gemma expreſſus.* 436
Hermanni *(Pauli) obitus.* 50
Heylini *(Petri) de Vita Guilielm Laudi liber.* 140
Hibernorum *origo.* 422
Hieronymus *unde Aram dictus?* 123
Hieroſolymitanæ *Synodi A. 1672 habitæ hiſtoria.* 111
Hieroſolymitani *Templi deſcriptio.* 324. ſq.
*De la* Higuera *( Hieronymus Roman)*

*man) Eccleſiaſtica Hiſpanorum Hiſtoriæ corruptor.* 130. 167. 171
Hilarii *de Confesſione Sirmienſi judicium explicatum.* 112
Hinckelmanni (*Abrahami*) *obitus.* 51
Hincmari *Remenſis Archiepiſcopi cum adverſariis contentiones.* 34. ſq.
Hippocrates *emendatus.* 388
Hippocrati & *Galeno pulmonum ſtructura nota.* 148
Hircus *emiſſarius duplex quomodo duplicem Chriſti patientis σχέσιν ſignificarit?* 399
*In* Hiſpania *num tribus prioribus a Chriſto nato ſeculis Concilia fuerint celebrata?* 127
Hiſpaniæ *Regum majores Reccaredus & S. Hermenegildus fratres.* 171
*Regibus quando primum tributus titulus Catholici?* 171
Hiſtoria *Eccleſiaſtica Dupinii.* 31. *ſeqq.*
*quatuor primorum a Chriſto nato ſeculorum J. H. Bœcleri.* 74
*converſionum Angliæ a primis Monarchiæ initiis.* 362. *ſeq.*
*Nova ſeu XVI & XVII ſeculorum Chriſtophori Cellarii.* 426
*Friderici Wilhelmi Magni, Electoris Brandenburgici.* 522. *ſq.*
*Pelagiana Henrici Noris (hodie Cardinalis) vindicata.* 508. *ſq.*
*Muſicæ.* 241
Hollandii *ad Britanniam Camdeni Additiones.* 189
Homo *ut ex contemplatione ſui exiſtentiam Dei cognoſcat?* 412
Hormisdas *Pontifex Romanus cur propoſitionem:* Unus e Trinitate carne paſſus eſt, *probare noluerit?* 510. *ſq.* 513 514
Horologia *elementaria.* 86
Horologii *Hydroſtatici conſtructio* 86
Hottingeri (*Jo. Henrici*) *colloquium cum Janſeniſtis, & de iisdem judicium.* 31
Hugenii *laus.* 147
*Ab* Hydrope *quomodo quis præſervatus fuerit?* 476
Hydrophobiæ *cauſa.* 181
Hydroſtatici *horologii conſtructio* 86
Hypotheca *poſſeſſoris de prædio nondum inveſtiti in allodialibus valida.* 65
Hypotheſis *de ſyſtemate mundi Carteſiana dubia.* 455

IAcobi *Epiſtolæ auctoritas Canonica aſſerta.* 407
*analyſis.* 408

S. Ja-

*S.* Jacobus *num in Hiſpaniam pervenerit?* 127. *ſeq.*
Jacobus *I. Rex Magnæ Britanniæ notatus.* 369
Janſenii (*Cornelii*) *odium in Reformatos.* 21. 24. 25
*epitaphia adverſa.* 23
*dogmata.* 23. *ſq.* 31
*Auguſtinus, ſeu Theologia Auguſtiniana.* 24 *ſeq.*
*errores & nævi* 24. 27. *ſq.*
*doctrina a Reformatorum doctrina in quibus diſſentiat?* 28
*vita, geſta, ſcripta, munera, mors.* 19. *ſq.*
*doctrina moralis.* 29
Janſeniſmi *Hiſtoria.* 17. *ſq.*
Janſenius *Concordiæ Evangelicæ auctor male cum Janſenio Yprenſi Epiſcopo confunditur.* 19
Ibrabimi *Turcarum Imperatoris mores & mors.* 2
Iconoclaſtarum & *Iconomachorum contentiones.* 32. *ſq.*
Ideæ *menti innatæ quo ſenſu admittendæ?* 340. *ſq.*
Idololatriæ *origo & progreſſus.* 446. *ſq.*
Jejunii *quadrageſimalis ſeu antepaſchalis antiquitas aſſerta.* 415 *ſeq.*
*ex Synagoga Judaica ortus demonſtratus.* 418. *ſeq.*
Jeſuitæ *Pelagianiſmi accuſati.* 26. *ſeq.*
Jeſuitarum *cum Dominicanis lites.* 26. *ſq.*
Igneus *globus Sol.* 209
Ignis *elementum genuinum Sol.* 180
Ignis & *nubis columna uſus apud Ebræos in deſerto.* 321
*quid?* 455
Ignorantia *Epiſcoporum Galliæ Semipelagianorum ſeculo V qualis fuerit?* 515. *ſq.*
Ildephonſi *locus in Continuatione ad Chronicon Iſidori ſuppoſitus* 123
Imagines *a S. Luca pictæ.* 503
Imaginis *in Opticis locus.* 338
*De* Imaginum *cultu contentiones ſeculo IX agitatæ.* 32. *ſq.*
Immortalitas, *pars imaginis divinæ* 466
*Ex* Inedia *languor animalium.* 371
Infallibilitas *Papæ in meris factis recenſendis negata.* 506. *ſq.*
*num ex eo recte impugnetur, quod Scytharum Monachorum de Uno ex Trinitate carne paſſo doctrinam Hormisdas approbare noluerit, Johannes II. autem approbarit?* 514
Infantum *Euchariſtia qualis in Eccleſia Græca?* 360

Infi-

Infinite *parvæ quantitates quænam?* 81
Infinitorum *analyſis.* 80
*arithmetica.* 251. *ſq.*
*differt ab analyſi infinitorum.* 252
*In* Inflammationibus *repellentia & defenſiva adſtruuntur utilia contra Recentiorum nonnullos.* 222
*cur conferat phlebotomia?* 524
Inflammationis *levis remedium.* 221
*geneſis.* 222. 373
Influxus *Stellarum fixarum vix ſenſibilis.* 214
Innocentii *XII Pontificis Romani Decretum in cauſa Janſeniſmi.* 17. *ſq.*
Inſectorum *generatio ex putredine rejicitur.* 456
Inſpiratio *Divina librorum Novi Teſtamenti aſſerta & explicata.* 153. *ſq.*
*De* Inſtitutis Monachorum *libri num pro idonei auctoris fœtu habendi?* 138
Interrogatoria *in cauſa teſtamenti.* 65
Inteſtinum *cœcum in homine quid?* 223
Inventa *Nov-Antiqua.* 390. *ſq.*
Joachimus *Abbas num myſterium S S. Trinitatis oppugnaverit?* 507
Joannis *IIX Pontificis epiſtolarum editio Labbeana notata.* 40
Joſephus *notatus.* 397. 449
Joviniani *hæreſeos prave accuſati Lutherani.* 313
Isdegirdica *Perſarum æra.* 528.
Iſiaca *Myſteria.* 246
Iſidoro *Hiſpalenſi collectio Canonum & Conciliorum, licet non integra, aſſerta.* 122
Iſraelitarum *per mare rubrum tranſitus quatenus miraculo factus?* 116. *ſq.*
Italiæ *chorographia.* 214
Itinerarium *Monconyſii.* 1
Judæorum *Synagoga.* 68.
*ſchola.* 68
*de Diabolis commenta.* 448
*divinationes idololatricæ.* 452
*Ex* Judaiſmo *multa in Eccleſiam Chriſtianam derivata.* 450
Judicii *extremi diem num inſtare dixerint Apoſtoli?* 160
Juliani *Imperatoris virtutes & vitia.* 489. 493. 494. 495.
*operum editiones.* 489. *ſq.*
*opera deperdita.* 492
*opera quæ ſuperſunt* 492. *ſeq.*
Juramentum *ob adverſæ partis contumacem abſentiam habetur pro præſtito.* 66
Juris *Eccleſiaſtici controverſiæ inter Evangelicos & Catholicos.* 187
Juriſprudentiæ *Romanæ fata.* 427

*De* Juſtificatione *non docuerunt adverſantia Jacobus & Paulus.* 410
*In* Juſtificatione *qualis permutatio perſonarum Chriſti & fidelium?* 381
*num etiam futura peccata condonentur?* 384
Juſtificationem *num antecedat reſipiſcentia?* 384
Juſtificationis *diverſo ſenſu & cauſa & fructus fides dici poteſt.* 383

קרן *vox unde?* 404
Kircherus *notatus.* 243
Kolbianæ *ſeu Wartenbergicæ Gentis Genealogia.* 91

LAertius (*Diogenes*) *emendatus.* 387
Languor *animalium ex inedia.* 371
Lapis Fundationis *Hebræorum.* 896
Laryngis *valvulæ.* 223
Laudi (*Guilielmi*) *Archiepiſcopi Cantuarienſis Vita.* 140. *ſq.*
*innocentia* 142. *ſq.*
*mors.* 144. *ſq.*
*epiſtolæ.* 145
*Per* Lazarum *in Parabola quis intelligatur?* 99
Legata *ad pias cauſas num teſtes requirant?* 184
Leges *antiquorum Imperatorum.* 430
*ſumtuariæ.* 429
Legis & *Evangelii prædicatio quomodo jungenda?* 385. *ſq.*
*Regiæ hiſtoria & explicatio.* 428. 430
*II. C. de liberorum reſtitutione explicatio.* 518
Legum *XII tabularum origo antiquiſſima.* 428. 429
Leontii, *Urſatii, & Taurini nomina num vera fuerint, an a Donatiſtis ficta?* 109
Lex *fidei ex mente Pockii.* 464. 467
Libanius *emendatus.* 376. *ſq.*
Liberi *quatenus in integrum reſtitui poſſint contra facta parentum?* 518
Liciniani *Carthaginis Spartariæ Epiſcopi Epiſtolæ.* 172
Linguæ *ocelli.* 223
Liquorum *pondus.* 3
Literæ *Ebraicæ naturalemne an arbitrarium ſignificandi valorem habeant?* 402
Liturgia *Scotis obtruſa motuum Angliæ & Scotiæ ſub* Carolo I *origo.* 140. *ſq.*
Locorum *Geometricorum doctrina.* 264
Locus *quid ſit?* 207
Locuſtæ *quomodo vitiare aerem poſſint?* 193. *ſq.*
Londinenſium *Epiſcoporum & Decanorum Hiſtoria.* 425. *ſq.*

Lon-

Longitudines & *latitudines locorum circa Bononiam correctæ.* 213
S. Lucas *num pictor fuerit?* 502. *ſq.*
Lucis *motus a dato puncto ad alterum ſit tempore breviſſimo.* 338
Lucretii *variæ editiones.* 150
*De* Lucretio *judicium.* 149. *ſq.*
Ludovicus a Dieu *notatus.* 107
Lumen, *quod ante Solem conditum, quale?* 541
Luna *aquas complectitur.* 541
*cur non vertatur circa ſuum axem?* 210
*apogea in ſyzygiis magis diſtat a terra, quam apogea in quadraturis.* 210
*perigea in ſyzygiis eſt telluri vicinior, quam perigea in quadraturis.* 210
*cur in ſyzygiis non habeat tantam latitudinem, quantam circa quadraturas, in æquali a nodis diſtantia?* 210
*& Sol prope horizontem non apparent majores ob refractionem.* 213
*circa horizontem cur majores appareant?* 239
Lunæ *variatio Tychonica unde oriatur?* 210
*libratio cur fiat?* 211
*differentia a noſtra tellure.* 211
*De* Lupo Servato *diverſa judicia.* 39
Lutherani *num ſint ſchiſmatici?* 304. *ſq.* 308. *ſeq.*
*num antiquas hæreſes reſuſcitarint?* 306. 311. *ſqq.* 316
*num preces pro defunctis abſolute rejiciant?* 312
Lutherus *quo ſenſu dicatur exiviſſe ex Eccleſia Romana?* 310. 315
*quas cauſas exeundi habuerit?* 310
Λυκάνθρωποι *Turcis etiam cogniti.* 531
Lymphatica *vaſa plexus choroidei.* 203
Lyra *Mercurii quos tonos habuerit?* 242

MAcarii *Alexandrini de Exitu animæ juſtorum & peccatorum Sermo.* 302
*Cum* Machina *corporis animalis comparatio antiqua.* 148
Machinarum *in Opticis vitris elaborandis uſus.* 347
Macrobius *illuſtratus.* 294
Maculæ *Solis cur in Zona media & quis earum uſus?* 209
Magnetis *phænomena unde?* 456
Maimonides *refutatus.* 115
Malpighius *notatus.* 204
Manetis & *ſequacium libri.* 30
Manicheiſmi *hiſtoria illuſtrata.* 300
Mapparum *Geographicarum errores.* 93

*De* Marca (*Petrus*) *refutatus.* 125. 126.
Marcelli *libellorum editiones.* 105
*B.* Mariæ *pſeudepigrapha.* 107
*immaculata conceptio a ſex millibus auctorum defenſa.* 283
*num & a Thoma fuerit agnita?* 283 *ſq.*
*emblematibus illuſtrata.* 285
*impugnata.* 286. *ſq.*
*varie affirmata aut negata.* 287. *ſq.*
*De B.* Mariæ *Virginis cultu ſcripta contraria.* 30. 31
*In B.* Mariæ *Virginis honorem inſtituta feſta.* 289. *ſq.*
Maris *æſtus notabilis.* 191
*a fermentatione aquæ marinæ.* 213
Marmor *Græcum antiquum explicatum.* 482
Maronitarum *ſub Imperio Turcico ſtatus & religio.* 6. 7
Mars *ruber cur appareat?* 212
Maſſalianorum *varia nomina & hæreſis.* 298. *ſeq.*
Materia *in infinitum diviſibilis.* 457
Mathematicarum *Recreationum ſcriptores.* 85
Matrimonium *contra interdictum magiſtratus contractum an reſcindendum?* 64
*vitrici cum vidua privigni illicitum.* 64
Matthæus *Weſtmonaſterienſis notatus.* 362
Maximianiſtarum *Epiſtola Synodica ex quo Concilio data fuerit?* 109
Mechanica *Walliſii.* 254
*Juxta* Mechanicas *leges Medicinæ theoremata.* 524
Medicamentorum *compoſitorum ingredientia noſſe debet medicus.* 475
Medicinæ *theoremata juxta leges Mechanicas.* 524
Medullæ *oblongatæ corporum pyramidalium ſitus.* 205
Medullam *ſpinalem luxatam cur lotii fæcumque nunc ſuppreſſio, nunc incontinentia excipiat?* 526
Medullares *proceſſus novi.* 204. 205
Medullaris *tractus thalamos nervorum opticorum & corpora ſtriata interjacens, cum fornicis radicibus continuatus.* 204
Melchiadis *Papæ ad Hiſpaniæ Epiſcopos Epiſtolæ vindicatæ.* 167
Mendozæ (*Ferdinandi*) *libri III ad Clementem VIII de Concilio Illiberitano confirmando.* 129
Meningis *duræ ſinus delineati.* 163

con-

*contextus fibroſus.* 201
*arteria & vena.* 202
*ſinus novus circularis.* 202
*ſinus haud pulſant.* 202
Meninx *intermedia quid?* 201
Mens *num nihil aliud quam ipſa cogitatio?* 339. *ſq.*
*num idearum ſuarum ſit formatrix?* 340. *ſq.*
Menſium *fluxus nimius per vomitum caſu curatus.* 475
Mercatoris (*Nicolai*) *laus.* 259
Mercurii *lyra quos tonos habuerit?* 242
Mercurius *cur depreſſior ſit in Barometro tempore pluvio?* 213
Meridiana *linea num ſenſibiliter mutetur?* 93
Meridianæ *in templo S. Petronii deſcriptio & reſtitutio.* 94 *ſq.*
Metalli-foſſorum *morbi unde?* 557
Metallorum *textura.* 455
Methodus *tangentium inverſa quot partibus abſolvatur?* 261
Miaſmatum *virulentorum natura.* 555
Microſcopia *deſcripta.* 3
*A* Mildiz (*Hauboldi*) *Elogium.* 238. *ſeq.*
Militia *veterum Romanorum illuſtrata.* 499
*De* Miniſtrorum Eccleſiæ *officio opuſculum Chriſtiani Kortholti.* 7
Minorennis, *licet veniam ætatis adeptus, aliena negotia tractare nequit.* 66
Miraculorum *a Chriſto perpetratorum veritas aſſerta.* 282
Miraculoſa *primorum Chriſtianorum chariſmata.* 549
Miraculum *num interceſſerit in tranſitu Iſraelitarum per Mare Rubrum?* 116. *ſeq.*
Miſſionarii *notati.* 131
Mobilis *primi præcepta.* 119
Molendinarum *ædificatio quatenus licita?* 64
Molinæ *de Gratia & Arbitrio doctrina quas turbas excitarit?* 26. *ſeq.*
Monachi *Scythæ, Unum ex Trinitate carne paſſum aſſerentes, ab Eutychianiſmo defenſi.* 509. *ſeq.* 514
Monaſtica *vita impugnata ab Andrea Alciato.* 290. *ſq.*
Monetæ *cudendæ jus in Anglia non niſi Regi competit.* 190
Moralis *Janſenii doctrina.* 29
*Jeſuitarum doctrina improbata.* 29
*Philoſophiæ profectus.* 391
Morbi *metallifoſſorum unde?* 557
*In* Morbillis *alvi adſtrictio innoxia.* 475
Morborum *cunctorum haud eadem cauſa.* 372
*non omnium chylus vitiatus cauſa.* 372

*hæreditariorum fons ſolennis.* 372
Morelli (*Federici*) *Verſio Latina Operum Libanii emendata.* 376. *ſeq.*
Morinus (*Johannes*) *notatus.* 131. 166.
Morte *omnia delicta expiari, Judæis & Gentilibus creditum.* 398
Moſaica *creationis hiſtoria vindicata.* 540
*quam multa planiſſima reddat, quæ explicari alias nequeunt?* 545
Moſes *num mortuus fuerit creditus?* 116
*num auctor Pentateuchi?* 196
Motus *muſculorum quomodo a ſpiritibus animalibus dependeat?* 204
*animalis absque concurſu ſanguinis perficitur.* 206
*clare definiri nequit.* 457
*cauſa ignota.* 457
Motuum *obliquorum compoſitio defenſa.* 255
Mundi *creationem, prout a Moſe deſcripta eſt, num negaverit Carteſius?* 410
*æternitas refutata.* 538. *ſeq.*
*De* Mundi *ſyſtemate hypotheſis Carteſiana dubia.* 455
Mundus *num in eodem ſtatu perſiſtat, an vero ad interitum declinet?* 539
Muſculorum *motus quomodo a ſpiritibus animalibus dependeat?* 204
*quomodo peragatur?* 371
Muſea & *Gazophylacia deſcripta.* 2
*In* Muſica *diatonicum genus a natura.* 242
*conſonantiæ quænam admittendæ?* 242
*cur ſexta major octavam, minor quintam requirat?* 244
*quintæ duæ an adhiberi poſſint?* 244
*mutationis vocum difficultas quomodo tolli poſſit?* 243. *ſq.*
Muſicæ *hiſtoria.* 241
*genera.* 241
*A* Muſico *modo in alium tranſitus non ſenſim faciendus.* 243
Muſicum *ſyſtema temperatum vel participatum.* 242. 244
Mutationis *vocum in Muſica difficultas quomodo tolli poſſit?* 243. *ſeq.*
Myſticus *Scripturæ ſenſus qualis?* 96

NAmurcum *olim Namon.* 432
Narcotica *cur ſomnum provocent, etiamſi ſanguinis motum intendant?* 372
Nativitatis Dominicæ *feſtum quando die 25 Dec. celebrari cœperit?* 110

Navis

Navis *declinatio num eo major, quo major venti violentia.* 147. 336
Navium *deviationis determinatio.* 336
נביא *vocis quæ radix?* 404
Neapolitana *crypta canum cur lethifera?* 555
Neonomorum *&* *Antinomorum in Anglia lites.* 378. ſq. 384
Nicæni *Concilii decreta num plura quam viginti?* 126. ſq.
Nicephori *Patriarchæ Conſtantinopolitani Hiſtoria.* 33
Nicolai *Theologi Gallici obitus & ſcripta.* 50
*Ex* Nihilo *aliquid a Deo creari, non involvit contradictionem.* 538
Ex Nihilo nihil fit, *quis axiomatis hujus uſus?* 538
*In* Nihilum *quando abeat quantitas?* 81
Nili *incrementa unde?* 3
Nitroſæ *exhalationes in aere.* 42
Nitrum *aereum rejectum.* 557
Noctu *aquas Judæi, totum mundum Gentiles pollui crediderunt.* 395. ſq.
Normannorum *Imperium Angliæ damnoſum.* 424
Nubis *&* *Ignis columnæ uſus apud Ebræos in deſerto.* 321
Nuckiana *glandula ſalivalis fruſtra in homine quæritur.* 223
Numerare *homines quomodo ſoleant Judæi?* 394
Numericæ *notæ ab Indis inventæ.* 250
Numerorum *principium non eſt unitas.* 250
Nummi *unciales tres antiquiſſimi* 86. ſq.
Numiſmata *Farneſiana edita & edenda.* 57. ſq.
Nummorum *uncialium ſeu Joachimicorum ortus.* 56
*Saxonicorum & Francicorum convenientia.* 189. ſq.

OCellus Lucanus *refutatus.* 538
*De* Operibus bonis *ſcandaloſæ theſes.* 385
Optati *locus illuſtratus.* 108. ſq.
*In* Opticis *oſculi uſus.* 338
*imaginis locus.* 338
Oratoria *Chriſtianorum ad typum Synagogarum efformata.* 71
*In* Orcadibus *monumenta Romanorum, Danorum, Pictorum.* 195
Orientalium *Epochæ.* 558
Oſculi *radicum numerus.* 146
*uſus in opticis.* 338
Oſius *defenſus.* 166
Oſſium *ſtupendus coalitus.* 558
Ottfridi *Weiſſenburgenſis Hiſtoria Evangelica a Flacio edita.* 40

PActorum *dotalium notabilia.* 433

Palea-

Palearii (*Aonii*) *fata.* 45

*in Germanos ſtudium.* 46

Pallavicinus *doctrinam de probabiliſmo olim defenſam condemnat.* 121

Papa *num ullo caſu judicari posſit?* 505

*in hiſtoria & meris factis referendis non eſt infallibilis.* 506. *ſq.*

Paphnutii *num plures?* 131

Parabola *de Divite & Lazaro Luc. XVI. explicata myſtice.* 98. *ſq.*

Parabolæ *Cubicæ flexus.* 251

*De* Paradiſo *Hiſtoria Moſaica vindicata.* 544

Paradiſus amiſſus, *Poema Heroicum Jo. Miltoni, notis illuſtratum.* 227

Paradoxa *num abſolute damnanda?* 485

Parallelarum *conſtructio per rotationem.* 267

Parhedrorum *conclave.* 393. *ſq.*

Paridis *judicium in gemma expreſſum.* 436

Parlamenti *Anglicani origo.* 364

Parochianus *quis?* 187

Paronychiæ *ſedes.* 16

*remedium.* 221

Paryſatis *ſoror & conjux, mater & filia Regis Perſarum.* 499

Paſchalis *ſchiſmatis Hiſtoria.* 106

*feſti inſtitutio Apoſtolica aſſerta.* 414

Paſchatos *feſtum quam contemptim in Turcarum Calendariis ſignetur?* 532

Patrum *primitivæ Eccleſiæ de Θεοπνευςίᾳ doctrina aſſerta & explicata.* 145. *ſq.*

Paulus & *Petrus num recte duo Eccleſiæ capita dicantur?* 111

Peccata *ipſa, non eorum pœnæ tantum, in Chriſtum ut ſponſorem tranſlata.* 379. *ſq.*

Peccatoribus *poſt pœnitentiam lapſis quo ſenſu nova reconciliatio Canone XI Concilii III Toletani fuerit negata?* 170. *ſq.*

Pedum *Hippocampi fibræ obliquæ.* 204

Pelagiana *Henrici Noris (hodie Cardinalis) Hiſtoria vindicata.* 508. *ſq.*

Pelagianiſmi *Hiſtoria.* 29

Pelagianiſmus *Jeſuitis objectus.* 26

*De* Pelagii *patria diſceptatio.* 231. *ſeq.*

*De* Pentateucho *ſingularis opinio Antonii van Dale.* 447

Percuſſionis *leges.* 255

Pericoparum *Evangelicarum quis collector?* 217

Perioſtii *coſtarum, ſcroti & pleuræ, itemque pericardii & mediaſtini arteriæ.* 271

Perſarum *æra gemina.* 528.

Perſecutionum *tempore quatenus*


*fugan*

*fugam capeſſere Miniſter Eccleſiæ poſſit?* 9
Perſicum *Calendarium illuſtratum* 558. *ſq.*
A Peruviani *pulveris uſu diabetes ejusque ratio.* 526
Petro *tentato qualis gratia defuerit?* 517
Petrus & *Paulus num recte duo Eccleſiæ capita dicantur?* 111
Phalaridis *Agrigentinorum Tyranni vita & mortis genus.* 102. *ſq.*
Phlebotomia *cur conferat in febribus & inflammationibus?* 524
Photii *Conſtantinopolitani Patriarchæ lites & ſcripta.* 37
Photini *Sirmienſis Epiſcopi Hiſtoria.* 112
Photius *emendatus.* 300
Phyſica *incerta.* 458
Phyſicæ *methodus analytica magis quadrat.* 453
Phyſicarum & *Mathematicarum rerum ſcriptores.* 85
Picti *qui & unde dicti?* 422
Pictoria *ars cum Poeſi comparata.* 76. *ſq.*
Pictorum *Hiſtoria.* 80
Picturæ *rariores deſcriptæ.* 2
Pilorum *radices unde?* 270
Pinealis *glandulæ magnitudo extraordinaria & præternaturalis.* 203
Pituitariæ *glandulæ ſitus in homine.* 203
*ſubſtantia peculiaris.* 203
Planetæ *quo creationis die & quomodo formati?* 541. 542. 543
*cur Solem circumeant?* 208
*cur circa ſuum axem volvantur?* 208
*cur modo accedant ad Solem, modo recedant?* 208
*in ſe habent principium ſuorum motuum.* 208
*non moventur in Curva elliptica.* 208
Planetarum *motus tempora periodica.* 209
*patibilitas a Sole.* 209
Plantarum *in foſſilibus figuræ.* 194
Platonis *Philoſophia Moralis.* 329
Pleonaſmi *an in Scriptura S. reperiantur?* 101
Plethora *datur.* 372
Pleuræ, *ſcroti & perioſtii coſtarum, itemque pericardii & mediaſtini arteriæ.* 271
Plexus *choroideus cerebri duplex.* 203
*cerebelli.* 294
*choroidei vaſa lymphatica* 203
Pluvio *tempore cur Mercurius depreſſior ſit in Barometro?* 41. *ſq.* 213
*num levior aer?* 42. *ſq.*
Poema *Heroicum de rebus geſtis* Ar-

*Arthuri Britonum Principis.* 224
Poëmata *Germanica Chriſtiani ab Hoffmannswaldau.* 174
*Poſt* Pœnitentiam *lapſis quo ſenſu nova reconciliatio Canone XI Concilii Toletani III fuerit negata?* 170. *ſq.*
Poeſeos *comparatio cum Arte Graphica.* 76. *ſq.*
Poëſis *Germanica cum Gallica comparata.* 176
Poetæ *Germani excellentiores quinam?* 177
Polyænus *emendatus.* 349
Polydorus *Vergilius notatus.* 364
Polymathia *univerſalis ex Epiſtolis concinnanda, promiſſa.* 229
Pons *Varolii verus.* 204
Pontificum *Romanorum ad Hiſpanos epiſtolæ Iſidorianæ collectionis num genuinæ?* 123. *ſq.* 128
Præadamitarum *ſyſtema refutatum.* 537. *ſq.*
Prædictio *in morbis incerta.* 475
Prægnantes *mulieres jejunantium legibus apud Ebræos ſolutæ.* 398
Præſcriptio *fidejuſſoris contra creditorem an valida?* 65
*hæreditatis contra liberos ad annos 90. non extendenda.* 65
Precaturi *in Eccleſia Judaica vultum verſus Occidentem direxerunt.* 320
Preces *pro defunctis num abſolute improbentur a Lutheranis?* 312
Presbyteri *quinam in primitiva Eccleſia?* 72
Presbyteriale *in Eccleſia primitiva regimen aſſertum.* 73
Primi mobilis *præcepta.* 119
Priſcillianiſtarum *hæreſis.* 168
Probabiliſmi *doctrina refutata.* 121
Probatorius *terminus.* 66
Problema *Florentinum.* 259
*Beaunianum univerſalius conceptum.* 332. *ſq.*
Problematis *Florentini conſtructio ope torni.* 481
Proceſſus *annularis ſtriæ craſſæ.* 204
*cerebelli chordalis.* 204
Proceſſus *medullares novi.* 204 205
Prophetæ *num etiam dicti, qui Scripturas interpretantur?* 450
Prophetiæ *veræ & falſæ ſub Veteri & Novo Teſtamento characteres.* 449. *ſq.*
Proportiones *ponderum ex chordis conſonantibus ſuſpenſorum falſo traditæ.* 242
Proportionis *& rationis doctrina Euclidea & Borelliana examinata.* 245
Proportionum *doctrina defenſa a Walliſio.* 250

Pro-

Provocatio *ad Tribunal Chriſti num licita?* 228.*ſq.*
Prynnii (*Gulielmi*) *adverſus Gulielmum Laud malitioſe geſta.* 140. 143. 145
Pſeudepigrapha *Chriſti, Mariæ & Apoſtolorum.* 107
Pſeudoprophetæ *ſub V. & N. Teſtamento.* 451.*ſq.*
Pulmonum *ſtructura Hippocrati & Galeno nota.* 148
Pulſus *minor & oppreſſus unde?* 373
*Ex* Putredine *generatio inſectorum rejicitur* 456
Pyginæi *num dentur aut exſtiterint?* 294
Pyramidalium *corporum medullæ oblongatæ ſitus.* 205
Pythagoras *num Carmelita fuerit?* 502

Quadrageſimale *jejunium non præciſe quadraginta dierum fuit.* 417
Quadrageſimalis *jejunii antiquitas aſſerta.* 415.*ſq.*
*ortus ex Synagoga Judaica derivatus.* 418
Qualitates *occultæ Galeno ſuſpectæ.* 148
Qualitatum *diviſio.* 457
Quantitas *quando in nihilum abeat?* 81
Quantitates *infinite parvæ quænam?* 81
*differentio-differentiales num admittendæ?* 81
*differentiales æquales non habent æquales ſummas.* 83
Quintæ *duæ an adhiberi posſint in Muſica?* 244

Radicum *in lingua Ebraica ratio & varia genera.* 399. *ſeq.*
*oſculi numerus.* 146
Ratio *brutis vindicata.* 457
Rationalitas *Religionis Chriſtianæ aſſerta.* 463.*ſeq.*
Rationes *ſunt relationes quantitatem habentes.* 245
Rationis *& proportionis doctrina Euclidea & Borelliana examinata.* 245
Rationum *æqualitas & inæqualitas non ſeorſim definienda.* 245
*compoſitio.* 250.*ſq.*
Ravennatis *anonymi Geographia a Placidio Porcherone edita.* 431
Receptaculi *chyli quandoque ſitus in canibus.* 223
Recreationum *Phyſicarum & Mathematicarum Scriptores.* 85
Reflexio *corporum ex vi elaſtica oritur.* 255
Reformati *quænam deſiderare ſoleant in doctrina Janſenii?* 28
Refractio *non eſt cauſa, cur Sol & Luna*

*Luna in horizonte majores appareant.* 213
Refractiones *ſiderum remotiorum majores quam propiorum.* 213
Religionem *Chriſtianam quam frivolis rationibus inducti Athei repudient?* 273. *ſq.*
Religionis *Chriſtianæ ſumma ex mente Clerici.* 278
*veritas aſſerta.* 282
*rationalitas aſſerta.* 463. *ſq.*
Renum *ſtructura.* 223
Repellentia *& defenſiva in inflammationibus utilia adſtruuntur contra Recentiorum nonnullos.* 222
Reſpiratio *a Galeno thoraci adſcripta.* 148
Reſurrectionis *corporum poſſibilitas ut rationi humanæ pateat?* 296
Rete *mirabile homini vindicatur.* 203
*humanum cur a brutorum diverſum?* 203
*non ſolum arteriis, ſed & venis gaudet.* 203
Reticulare *corpus cum papillis pyramidalibus Malpighii.* 271
Romana *Eccleſia tempore Lutheri num fuerit vera?* 310
Romanæ *Antiquitates illuſtratæ.* 498. *ſq.*
Romanorum *in Anglia monumenta.* 192
Rumæa *ſive Chriſtiana æra apud Orientales.* 528. *ſq.*

SAbbati *ſanctificatio jam in Paradiſo præcepta.* 197
Sacculariorum *pœna.* 187
Sacerdotum *apud Ebræos veſtes.* 397
*De* Sacrificiis *codex Talmudicus illuſtratus.* 393. *ſq.*
Sacrificiorum *origo.* 198
*De* Salazar (*Tamayi*) *Martyrologium Hiſpanum figmentis fœdum.* 130
Salis *catharctici amari natura.* 459. 460
*differentia a nitro & ſale calcario.* 459. 460
*uſus generalis.* 460
*ſpecialis.* 461. 462
Salivalis *glandula Nuckiana fruſtra in homine quæritur.* 223
Salvator *cur in mundum mittendus fuerit?* 468
Sandovalius *notatus.* 215
Sanguificatio *quomodo fiat?* 371
Sanguinis *a corde preſſio maxima.* 371.
*elaſticitas unde?* 371
*quies & obſtructio imaginaria.* 373
*circulatio cur ſubito ceſſet?* 373

*A* Sanguinis *preſſione derivatæ functiones animales multæ.* 371
*Abſque* Sanguinis *concurſu animalis motus perficitur.* 206
Sanguis *quomodo coaguletur vel ſponte, vel ab acido?* 525
*arterioſus cur fluidior venoſo?* 525
Sarcoma *uteri ingens.* 558
Sarcomatis *uteri ingentis cauſa.* 56
Saturnii *annuli uſus.* 211
Saturnini *Acta unde ſupplenda?* 108
Saturnus *cur quinque lunulis illuſtretur?* 212
Savilius (*Henricus*) *laudatus.* 249
Saxonum *in Britannia dominatus.* 422.424
Schickardus *notatus.* 398
Schiſmatis *num accuſari Lutherani poſſint?* 304.ſq.308.ſq.315
Scholarum *olim apud Judæos ratio.* 69
Scintillationis *fixarum ratio.* 212
Sclicenſes *nummi unciales.* 88
Scoti *Scytharum progenies.* 422
Scriptorum *variorum errores notati.* 105.113
Scripturæ S. *loca illuſtrata:*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Genes. | I. | 1. | 197.540 |
| | | 3. | 541 |
| | | 14. | 542 |
| | | 16. | 540.ſqq. |
| | II. | 3. | 197 |
| | III. | 1.ſqq. | 197 |
| | | 22. | 352 |
| | IV. | 7.8.15. | 352 |
| | | 26. | 447 |
| | VII. | 14. | 15 |
| | X. | 11. | 353 |
| | XV. | 6. | 97 |
| | XIIX. | 10. | 353 |
| | XX. | 16. | 353 |
| | XXIII. | 9. | 353 |
| | XXVIII. | 13. | 14 |
| | L. | 23. | 13 |
| Exod. | I. | 21. | 354 |
| | XIV. | 22. | 116 |
| Levit. | XVI. | 8. | 114 |
| | XVII. | 7. | 448 |
| Num. | XII. | 3.13. | 354 |
| | XXII. | 28. | 115 |
| Deuter. | XXXVI. | 6. | 116 |
| 2.Sam. | VII. | 19. | 354 |
| 1.Reg. | VIII. | 9 | 322 |
| 2.Reg. | V. | 17.18. | 355 |
| 2.Paral. | XXXV. | 3. | 325 |
| Job. | XIX. | 25. | 355 |
| Pſalm. | XV. | 4. | 355 |
| | XLVIII. | 15. | 355 |
| | XCI | 5. | 560 |
| | CVI | 37. | 448 |
| Prov. | XXX. | 1.ſqq. | 101 |
| Eſai. | V. | 17. | 405 |
| | IX. | 2. | 356 |
| | XXXIV. | 14. | 448 |
| | LIII. | 9. | 356 |
| | LXII. | 6.7. | 309 |
| Jerem. | XVII. | 16. | 356 |
| | XXXII. | 18 | 308 |
| Dan. | V. | 25 | 356 |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Zeph. | III. | 3 | 404 |
| Matth. | V. | 18. | 402 |
| | | 23 | 398 |
| | VI. | 7.11. | 357 |
| | XVIII. | 17. | 68 |
| | XXIV. | 28. | 101 |
| Marc. | III. | 21 | 357 |
| | VIII. | 27.30. | 465 |
| | IX. | 23. | 357 |
| Luc. | II. | 21. | 218 |
| | III. | 38. | 466 |
| | XII. | 29. | 357 |
| | XIV. | 19.ſqq. | 98 |
| Joh. | VI. | 70. | 465 |
| | XIV. | 16. | 309 |
| Act. | I. | 4. | 357 |
| | XXIV. | 25. | 274 |
| Rom. | VIII. | 24. | 239 |
| 1.Cor. | X. | 1. | 321 |
| | XIV. | 1.ſqq. | 450 |
| | | 32. | 357 |
| Gal. | III. | 13. | 381 |
| Col. | I. | 15. | 467 |
| | III. | 34. | 238 |
| 2. Tim. | II. | 17. 18. | 106 |
| 1. Petr. | I. | 24. | 380 |
| | III. | 18. | 358 |
| Hebr. | IX. | 4 | 322 |
| Jac. | II. | 1. | 408 |
| | | 14. | 407. ſqq. |
| | | 19. | 466 |

Scripturæ *S. quatenus diverſi ſenſus attribui posſint?* 96.*ſq.*

Scroti *membrana adipoſa,* 270
*ſeptum.* 270
*arteria.* 271

Scythæ *Monachi, unum ex Trinitate carne paſſum afferentes, ab Eutychianiſmo defenſi.* 509.*ſq.* 514

Sebaſtianus a S. Paulo *refutatus.* 500.*ſqq.*

Seculariſatio *bonorum Eccleſiæ num valida?* 187

Selavim *quid?* 406

Seldenus *notatus.* 397

Sellæ *equinæ receptacula in homine ficta.* 202

Semipelagiani *quidam hæretici quomodo inter Sanctos referri potuerint?* 515 .*ſq.*

Senſus *plures ejusdem Scripturæ S. dicti,* 96. *ſq.*

Septuaginta Interpretes *fuerintne* Θεόπνευςοι? 155

Sepulcra *Romanorum in Anglia* 192.195

Seraphini *Angeli ſub qua forma comparuerint?* 198

Sergii *hæretici ſigillum male Sergio Papæ tributum.* 506

Series *infinita variorum.* 257

Serpens *Protoplaſtorum ſeductor qualis?* 197.*ſq.*

*De* Sibyllinis *oraculis quid ſentiendum?* 452

Sigeberti *de Illuſtribus Viris Supplementum num ſpurium an genuinum?* 138.*ſq.*

Significatio *vocum Ebraicarum certis regulis definita,* 401.*ſq*


Simo-

Simonianis *male comparati Lutherani.* 306. 311. *ſq.*
Simonis *Magi volatus per aera confictus.* 451
Sinenſium. *Vide* Chinenſium.
Sinueſſani *Concilii Acta rejecta.* 505
*In* Sinum *longitudinalem venarum implantatio qualis?* 203
Sinus *meningis duræ novus circularis.* 202
Sinus *duræ meningis delineati.* 163
*novi πολύμορφοι.* 164
*duræ meningis haud pulſant* 202
Siſtrorum *deſcriptio variæque figuræ.* 246
Sol *genuinum ignis elementum.* 180
*globus igneus.* 209
*cur vertiginis agatur motu?* 210
*& Luna prope horizontem non apparent majores ob refractionem.* 213
*cur majores appareant?* 259
*A* Sole *Planetarum patibilitas.* 209
Solem *cur circumeant Planetæ?* 208
*Ad* Solem *cur modo accedant Planetæ, modo recedant?* 208
Soliditatis *ratio nondum ſufficienter expoſita.* 457
Solis *maculæ cur in zona media & quis earum uſus?* 209
Somnum *cur narcotica provocent, etiamſi ſanguinis motum intendant?* 372
Somnus *quomodo oriatur?* 372
Sorabicæ *linguæ convenientia cum Ebraica.* 92
Spanhemii *(Ezechielis) opera, quæ expectantur.* 500
Spatium *quid?* 457
Speculi *vitrei uſtorii optimi conſtructio.* 338
Spenceri *(Johannis) opinio de voce Hazazel refutata.* 114
Sphærica *Mundi figura num inferat ejus æternitatem?* 539
Sphæricas *& conoideas ſuperficies complanandi methodus.* 269 479
Spinoza *refutatus.* 153. *ſq.* 259
Spiralium *doctrina.* 252
Spiritus *S. quo modo Apoſtolis, quando libros ſacros ſcriptis conſignarunt, adfuerit?* 158 *ſq.*
*cur poſt Chriſti aſcenſionem demum in Apoſtolos effuſus?* 465
*De* Stanni *& cupri fodinis in Anglia quædam notabilia.* 190
Stationes *veterum Chriſtianorum unde?* 414. *ſq.*
Stellæ *univerſæ num hominum gratia conditæ?* 540. *ſq.*
Stellarum *verticalium loco alicui efficacia.* 119
*efficacia.* 180. *ſq.*

*fixarum influxus vix ſenſibilis.* 214
Stephanus *Byzantinus emendatus.* 231
Stercoraniſtarum *ſecta.* 37
Stoicorum *in Philoſophia Morali errores.* 484. *ſq.*
Straffordiæ *Comitis fata.* 141. 143
Stuckii (*Joh. Guilielmi*) *Epitaphium & ſcripta.* 104
Styptica *aqua.* 223
Sudarium *Chriſti Veronica corrupte dictum.* 503
Suidas *emendatus.* 232
Superfœtatio *in equa.* 475
Superſtitionis *origo & progreſſus* 446. *ſq.*
*Turcica exempla.* 531
Synagoga *& Eccleſia quomodo differant?* 68
*E* Synagoga *Judæorum derivati in Eccleſiam Chriſtianam ritus.* 418
*derivatum jejunium quadrageſimale.* 418. *ſq.*
Synagogæ *apud Judæos inſtituta collata cum Templi ritibus.* 67
Synagogarum *Judaicarum deſcriptio* 69. *ſq.*
*regimen.* 73
Syncope *in Muſica.* 244
Synedrii *vox quando a Græcis ad Judæos migraverit?* 377
Synodi *Bethlehemiticæ ſeu Hieroſolymitanæ A.* 1672 *habitæ hiſtoria.* 111
Syricii *Papæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſtola.* 168
Syſtema *Muſicum temperatum vel participatum.* 242. 244

TAbernaculum *ſanctum Judæorum exacte deſcriptum.* 320. *ſq.*
Tabulæ *differentiales aſcenſionales, aſcenſionum & deſcenſionum, obliquarum & fixarum.* 119
Tangentes *inverſas ad quadraturas redigendi modus.* 147
Tangentium *methodus inverſa quot partibus abſolvatur?* 261
דבר *radix & ejus derivata.* 405
Templi *Judaici ritus collati cum inſtitutis Synagogæ.* 67
*Hieroſolymitani deſcriptio.* 324. *ſq.*
*In* Templis *cadavera fidelium ante ſeculum undecimum non ſepulta.* 131
*Circa* Templorum *ædificationem quid notandum?* 63
Tempora *periodica motus Planetarum.* 209
Terminus *probatorius.* 66
Terræ *motus cauſa.* 554
*In* Terræ *viſceribus nova quotidie generantur mixta.* 557

Tertulliani *de jejunio antepaſchali ſententia.* 415
Teſtamentariæ *ſchedæ quomodo valeant?* 185
Teſtamenti *imperfecti ratione voluntatis invaliditas.* 185
*literarum imperiti validitas quæ?* 64
*pagani in hoſtico facti validitas.* 432
Teſtamenti Novi Θεοπνευςία *aſſerta & explicata.* 154. *ſq.*
Teſtamentorum *antiquorum formulæ.* 294
Tetragoniſmus *univerſalis figurarum curvilinearum.* 551. *ſq.*
Thalamorum *nervorum opticorum ſtriæ.* 204
Theodori Studitæ *Teſtamentum ad diſcipulos ſuos.* 302
Theologiæ *ſyſtema paradoxum.* 463. *ſeq.*
Θεοϖνευςία *librorum ſacrorum Novi Teſtamenti aſſerta & explicata.* 154. *ſq.*
Thermometra *deſcripta.* 3
Theſeus *ſuis Crommyoniæ interfector in gemma expreſſus* 436
Thomæ *Becketi Archiepiſcopi Cantuarienſis fata.* 363. 366
Thomas *num immaculatum conceptum Deiparæ ſtatuerit?* 283
Thoraci *reſpiratio a Galeno adſcripta.* 148
תרם *quid?* 394
Thucydidis *editiones variæ.* 342
Thule *veterum quæ?* 194
Thymionis *remedium.* 221
Toletanorum *Præſulum Chronologia.* 121
Tortura *in ſenibus inſtitui poteſt.* 476
Tragœdiæ *indoles.* 77
Tranſcendentium *conſtructio per puncta Algebraice inventa eſt magis analytica.* 146. 334
*curvarum conſtructio generalis ope ſimplicioris tractoriæ & logarithmicæ.* 261. *ſq.*
Tranſitus *a modo Muſico in alium non ſenſim faciendus.* 243
Trigla *Vandalorum Dea quæ?* 293
*Ex* Trinitate *unus carne paſſus num recte dicatur?* 508. *ſq.* 514
*S.S.* Trinitatis *myſterium Scripturæ oraculis adſtruere præſtat, quam ſcrupuloſe explicare.* 533
*probatum ex Scriptura S.* 533 534
Tumorum *cauſa generalis.* 560
*natura & cauſa.* 219
*indicatio generalis.* 220
*diviſio.* 220
Turcicæ *ſuperſtitionis exempla.* 531
Turcicum *Cal..darium illuſtratum.* 528
Tychonica *Lunæ variatio unde oriatur?* 210
Tzetzes (*Joannes*) *illuſtratus.* 230.

*De* Valentia (*Gregorii*) *fatum.* 26
Valeſius (*Henricus*) *notatus.* 359
Valvula *coli quid?* 223
*A* Vaporibus *ſubterraneæ cavernæ.* 554
Variſuus *quis?* 105. 106.
Varorum *cura.* 221
Venarum *cerebri diſtributio cur peculiaris?* 202
*in ſinum longitudinalem implantatio qualis?* 203
Venditionis *ſub conditione factæ retractio.* 188
Venditoris *pactum de fundo ab oneribus libero præſtando in quantum valeat?* 65
Veneficium *puerorum & puellarum evidentisſime probandum.* 185
Veneris *triumphus in gemma expreſſus.* 436
Ventorum *cauſæ.* 213. 456
Ventus *idem magis impellit navem quieſcentem quam procedentem.* 147. 335
Vergerius *cur primus Janſenismi parens vocari ſoleat?* 20
Veronica, *cujus ſudarium Chriſti celebratur, num unquam in rerum natura fuerit?* 503
Verrucarum *remedium promtisſimum.* 221
Vertebralis *arteriæ in calvariam ingreſſus & flexura.* 202
Veſica *inflata pondus attollens.* 256
*E* Veſica *funiculus arenulis circumvolutus loco calculi exſectus* 527
*Ad* Veſicam *quomodo pervenerit funiculus deglutitus?* 527
Veſtes *Sacerdotum Ebræorum.* 397
Veſuvii *montis incendii cauſa.* 557
*ab incendio ultimo quænam eructata fuerint?* 557
Victoriæ *imago alis deſtituta.* 436
Vieuſſenius *correctus.* 201. 202. 204. 205. 206.
Vincentius *Lirinenſis num Semipelagianus fuerit?* 515. *ſq.*
Vinum *intra milliare vendere prohibere poteſt civitas inſtructa privilegio de non vendenda cereviſia extranea intra tale ſpatium.* 65
Viperarum *venenum in quo conſiſtat?* 456
*De* Virtutibus *doctrina Platonis.* 330. *ſq.*
Vitalitas *quid?* 525
Vitam *prorogandi methodus.* 374
Vitra *bipedalia in diſtantia 12 pedum flammam excitantia.* 347
Vitrearum *tabularum, quarum diameter trium pedum, craſſities quatuor pollicum, quæque gravitate centenarium cum ſemiſſe ſuperant, elaboratio.* 346

Vi-

Vitrea *tabula librarum 300, cujus diameter quatuor fere pedum, craſſities quinque pollicum.* 554
Vitri *ſesquipedalis focus ſi contrahatur, virtute ſuperat vitrum bipedale.* 347
Vitringæ (*Campegii*) *de diverſo Scripturæ S ſenſu ſententia.* 96
Vitrum *ſeſquipedale in diſtantia 20 pedum durum lignum perurens* 347
Unciales *nummi tres antiquiſſimi.* 87. *ſq.*
*Sub* Unguibus *ſtratum coccineum.* 224
Unguium *ſtructura.* 16
*nutrimentum.* 16
*vaſa.* 16
*augmentum poſt mortem.* 16
*uſus.* 16
*vires emeticæ.* 16
Ungularum *textura.* 16
Unitas *non eſt principium numeri.* 250
Vocum *Ebraicarum geneſis.* 399. *ſq.*
*ſignificatio.* 401 *ſq.*
*derivatio.* 404
*Per* Vomitum *menſium fluxus nimius caſu curatus.* 475
Vortices *Carteſii rejecti.* 208
Vortigerni *Britonum Regis fata.* 362. *ſq.*
Voſſius (*Gerhardus Johannes*) *notatus.* 232. 233.
Voſſius (*Iſaacus*) *notatus.* 431. 452. 498
Urim & Thummim *quale oraculum & quomodo conſultum?* 398
Urinæ *materiam quis Veterum vapores abdominis aſſeruerit?* 148
Urnarum *diverſæ ſpecies.* 195
Uſuardi *Martyrologium Carolo, non Magno, ſed Calvo dedicatum.* 41
Uteri *ſarcoma ingens.* 558
Uteri *ſarcomatis ingentis cauſa.* 560
Uterinæ *glandulæ in ſarcoma abeuntes.* 559
Vulnerum *inſpectio in crimine latrocinii tam exacte non requiritur.* 186
Uxorum *olim apud Britones communio.* 421.

WAlkeri *nummi Saxonici illuſtrati.* 189
Wallisii *Mechanica.* 254
Warthoni (*Henrici*) *obitus.* 49
Willisius *notatus.* 204
*A* Wood (*Antonii*) *obitus.* 49

ZArada *Manichæorum quis?* 300
Zarlinus *notatus.* 243

# ERRATA.

Pag. 78. l. 11. pro *methodo* leg. *methodus*. pag. 79. l. 1. pro *reperiit* leg. *reperit*. ibid. l. 6. pro *hinc* leg. *hiſce*. pag. 85. l. 11. pro *idemque* leg. *ideoque*. ibid. l. 12. pro IH leg. IK. ibid. l. 13. pro Q.C.D. leg. Q.E.D. pag. 265. l. 3. a fine pro *rationales* leg. *irrationales*. pag. 266. l. 6. pro *illud* leg. *aliud*. ibid. l. penult. ſumenda eſt poteſtas *n* totius x-xx. pag. 268. l. 6. a fine pro *quodcunq;* leg. *quotcunque*. pag. 269. l. 2. leg. *habentes*. ibid. l. 5. deleatur comma inter *conoidea parabolica*. pag. 512. l. 24. pro *inſuetam fuiſſe* leg. *non inſuetam fuiſſe*. Corrigendi & hic illic erunt paginarum numeri. In Menſe nempe Februario poſt paginám 80. pro 77. lege 81. pro 78. lege 82. pro 79. lege 83. In Menſe vero Novembri poſt paginam 523. pro 554. lege 524. pro 555 lege 525. pro 556 lege 526. & ita porro usque ad Menſem Decembrem.

# ACTA ERUDITORUM

## ANNO M DC XCVII

publicata.

*Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Sereniſſimi Potentiſſimique Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ privilegiis.*

---

*LIPSIÆ.*

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes & JOH. THOM. FRITSCHIUM.

---

Typis JOHANNIS GEORGII.
M DC XCVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE DOMINO

# DOMINO

# FRIDERICO AUGUSTO,

REGI POLONIÆ, MAGNO DUCI LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KYOVIÆ, WOLHYNIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ ET CZERNICHOVIÆ; DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-MARESCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET SUPERIORIS INFERIORISQVE LUSATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGI, COMITI PRINCIPALI HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ, RAVENSBERGI ET BARBYÆ, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN, &c.

*DOMINO NOSTRO INDULGENTISSIMO.*

SEdecim fluxerunt anni, ex quo Tibi, *Rex Auguſtisſime*, & recordationis glorioſisſimæ Fratri, Actorum horum primitias ſubjectisſima veneratione nuncupavimus. Princeps eras ea tempeſtate floris vernantisſimi, duodecimum ætatis annum non ita pridem egreſſus: ſed in divinarum animi corporisque dotium, quas ſupremi Numinis indulgentia cumulatisſime in Te effuderat, admirationem jam tum rapiebas omnes, ac ad ſumma quæque Te natum univerſis comprobabas. Nec quisquam tamen fortaſſe tum exſtitit futurorum adeo præſagus, ut tam brevi ſpatio iſti Te faſtigio admotum iri auguraretur, in quo hoc tempore Majeſtatem Tuam collocatam ſuſpicimus. Superſtes nempe adhuc erat æternæ memoriæ Pater, cujus integra ætas & vividæ corporis vires ſeram illi canitiem Neſtorisque annos pollicebantur. Iſto autem Heroe inter ipſas excubias, pro ſalute S. Romani Imperii fortisſime ſuſceptas, præmature exſtincto, ad capesſendum Electoratus Saxonici regimen Frater Tuus natalium prærogativa vocabatur, Princeps floridisſimæ juventutis, initoque mox connubio Sobolem opinione omnium ſuſcepturus, quæ ad ſolium Electorale Tibi, *Rex Potentisſime*, aditum præcluderet. Enimvero ſecus viſum fuit ſupremo, quod ſummorum Principum fatis liberrime moderatur, Numini, quod Fratre Serenisſimo improli ac inopinata morte rebus huma-

nis

nis exempto, Electorali Te tunc quidem purpura, nuper etiam Regio diademate indutum ornatumque voluit. Nimirum auguſtior multo erat virtus Tua, quam ut Principis alieno obnoxii imperio ſortem diu ſuſtineret: neque Saxonicis illa provinciis, utcunque inſignibus, quarum regimen felicibus auſpiciis ſuſceperas, coërceri poterat; ſed vaſtiorem anhelabat campum, in quo vim ſuam illuſtrioribus factis laureísque proderet. Nec minus fortisſimæ Polonorum Gentis ſaluti aſſerendæ, quam promovendis honoribus Tuis, *Rex Sereniſſime*, Divina Providentia cenſeri debet invigilaſſe. Orbata illa erat Rege incomparabili, cujus prudentia ac dexteritate, propulſata, certe ſublevata, videri mala poterant, quæ atrocisſima olim bella Regno invexerant: augebant ærumnam publicam ex Principis deſideratisſimi obitu, diverſa Procerum de novo Rege decernendo ſtudia; quæ in eas jam ſimultates exarſerant, ut citra prævium civilis funeſtique belli experimentum, tranſactum iri haud pauci diffiderent. Quo rerum ſtatu, dubio utique & ancipiti, cum Tu, *Rex Auguſtisſime*, velut Deus ex machina, auſpicato intervenires, atque a ſuſcipiendis, ſi offerrentur, Regni habenis haud alienum Te oſtenderes; Inclytisſimi ipſius Senatus Polonici, & Nobilitatis Generoſisſimæ audemus compellare conſcientiam, annon omnem expectationem ſuam votaque ſuperata tum agnoverint? Hanc certe mentem niſi propitia Poloniæ Fata Tibi ſubdidiſſent, quid cauſæ, quæſumus, fuiſſet, ut cum ipſe Electo-

rali

rali dignitate, quæ Regiæ proxima eſt, effulgeres, avitasque terras ab omni turbarum quarumcunque metu immunes fortunate pacateque gubernares, externum diſſitumque ambires Regnum, non hæreditariis acceſſurum provinciis, ſed Tuis opibus & victore exercitu, cum validisſimæ Gentis viribus amicisſime conjunctis, in priſtinum decus atque florem, Deo Ter Maximo juſtisſimis auſibus opitulante, aſſerendum liberandumque a gravi Barbarorum vicinia? Et vero Saxones, quibus Tua, *Indulgentisſime Princeps*, ceu Solis ſui præſentia privari malum eſt intolerabile, fortunam eam Polonis invideremus merito, niſi dextra nunc potius illis, velut Fratribus communem Patrem pari nobiscum obſequio & ſubjectione venerantibus, porrigenda foret; certaque ſpe foveremur, æquisſimo vicisſim animo laturam eſſe Gentem inclytam, ut ubi in Polonia firmatæ res fuerint, exoptatisſimæ lucis Tuæ radiis ex cœlo Saxonico in nos iterum effuſis reficiamur, communiaque nobis ſint partitis vicibus tanti Principis ſolatia. De Tuo ipſius enim, *Clementisſime Domine*, paterno in nos affectu nefas foret vel minimum ambigere aut angi, metuereve ne aliquando animo Tuo memoria amorque noſtri decedat, qui cunas jam Tuas ſumus venerati; qui poſt improviſum prorſus Sereniſſimi Fratris exceſſum, Te velut cœlitus delapſum munus excepimus; qui imperanti devotisſimam & ne ulla quidem ſiniſtræ cogitationis macula contaminatam ſubjectionem nunquam non præſtitimus. Inter hæc vero, dum

dum Regium culmen Majeſtati Tuæ gratulatum undique concurritur, dumque Regni Polonici Magnates Heroicarum virtutum Tuarum, quas non niſi fama, ſed minime fallaci, rerum in Hungaria præcipue adverſus Turcas ſtrenue geſtarum, cognitas ante habuerant, exempla cominus capiunt quotidie, atque incredibile Tuum pro ſalute ſua ſtudium, regnandi prudentiam ſummam, & inuſitatam illam omnium animos conciliandi devinciendique vim, domi magis indies magisque admirantur: nobis etiam, qui Eruditi Orbis Acta ad poſteros propagare ſtudemus, quod devotisſimæ gratulationis atque pietatis qualecunque pignus ad Majeſtatis Tuæ pedes deponere audemus, non futurum arbitramur reprehenſioni. Poſtquam enim præſens operis iſtius volumen, poſt alia numero ſeptendecim, divino adjutu abſolvimus, illius nunc quidem anni, quem, præter pacem publicam Europæ Chriſtianæ reſtitutam, delata Majeſtati Tuæ Poloniæ Corona in omnem ætatem memorabilem reddidit, geſta litteraria complexum; Auguſtisſimo Nomini Tuo idem humillima reverentia ſacrum eſſe cupimus, Supremum Numen ardentisſimis precati ſuſpiriis, ut fauſtum porro atque fortunatum Poloniæ pariter ac Saxoniæ regimen, & præter ea omnia, quæ Regiis ipſe deſideriis complecti unquam potes, Turcarum & Tartarorum Cherſoneſo Taurica omnique Europa depulſorum gloriam clementisſime Tibi largiatur. Serva interim, *Rex Auguſtisſime*, nobis & ſubditis tuis u-

niverſis

niverſis animum priſtinum, & ſi e throno Regio Muſas reſpici a Te fas eſt, Acta etiam hæc noſtra, quæ Divi Parentis auſpiciis olim cœpta, in aliquam jam molem ſuccreverunt, gratia Tua & Regio patrocinio tueri porro ne dedignare. Dabamus Lipſiæ exeunte anno M DC XCVII.

*Regiæ Majeſtati Veſtræ*
*& Serenitati Electorali*

*devotisſimi*

Actorum Eruditorum Collectores.

N. I.

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*
*Calendis Januariis, Anno M DC XCVII.*


## PRINCIPES DE PHYSIQUE.
Hoc eſt;
*PRINCIPIA PHYSICÆ, AUCTORE NICOLAO HARTSOECKER.*
Pariſiis apud Joh. Aniſſon, 1696. 4. plag. 32.

UT Clariſſimus Auctor principia cauſasque præcipuorum phænomenorum naturalium explicet, ſubſtantiam, hoc univerſum replentem, neque ex omni parte duram, neque totam abſolute liquidam eſſe poſſe cenſens, duo rerum naturalium elementa eſſe ſtatuit, quorum primum infinite ſit extenſum, perpetuo in omnibus ſuis partibus agitatum, undequaque homogeneum abſoluteque liquidum, ita tamen ut dividi nequeat in partes plane a ſe invicem ſeparatas; alterum vero finite ſit extenſum & perfecte durum, h. e. conſtans ex corpuſculis numero infinitis, figura & magnitudine differentibus, actu indiviſibilibus & impenetrabilibus. Atque hæc quidem corpuſcula elemento primo ita innatare ſupponit, ut ab eodem undique cingantur, nec ſe invicem contingere poſſint, nullaque proinde corporum talis detur contiguitas, qualem omnes adhuc Philoſophi admittere non dubitarunt. Quæ quidem prolixius exponit *capite primo*, *ſecundo* agens 25 propoſitionibus de motu ejusque quantitate, quam cum Carteſianis vocat productum ex numero qui magnitudinem corporis deſignat, & illo qui denotat ejus celeritatem. Utitur autem hoc quoque axiomate, quodlibet corpus manere in ſtatu vel motus vel quietis, niſi externa cauſa illud ab eodem depellat, æquilibriumque corporum ex eo deducit, quod corpora, quæ ſibi occurrunt mutuo æqualibus momentis, rediguntur ad quietem, & corpora libræ affixa ſpectari poſſunt,

ac ſi directe ſe mutuo percuterent, cum uno moto alterum quoque moveatur. *Tertio* capite formationem terræ planetarumque deſcribit, hac aſſumpta hypotheſi: Divinum Numen principio rerum creatarum elementis motum impreſſiſſe, quo factum, ut ſecundi elementi, confuſe innatantis elemento primo, particulæ minores plus motus acquiſiverint majoribus, ſeceſſionemque facientes a majoribus lentius motis, & verſus circumferentiam tendentes, has ad centrum depulerint, ita ut ſphæram, & illam quidem, cum valde differrent figura & magnitudine, ex diverſis ſtratis conſtantem componerent: fortaſſis etiam circa centrum ita concurriſſe putat moleculas, fornicem ut conſtituerent ſubtiliori materia repletum, perinde ut ſtratorum hinc inde partes, cum reſiderent, fornicatam induerint formam, ſicque ortum globum vallibus, montibus, & cavernis ſubterraneis inſtructum, qualis terra noſtra eſt, ruinisque valde obnoxium, ſi ab ignibus in cavernis ſubterraneis excitatis ei vis inferatur. Eodem modo reliquorum planetarum & annuli Saturnii originem concipi poſſe exiſtimat, & *capite quarto* ex hoc corpuſculorum ſubtilium receſſu a centro deſcenſum gravium corporum derivat, ac proinde, cum ille percuſſioni debeat ſuum ortum, contra Galilæum & Borellum concludit, vi primi ſtatim ictus gravia determinatam ſpatii longitudinem percurrere tempore determinato. Speciatim aerem gravem eſſe comprobat experimento barometri, rationemque cur tempore pluvio levior deprehendatur, hanc reddit, quod tum vapores aquei adſcendant & quodammodo ſublevent aereas particulas, in quas impingunt. Hinc *capite quinto* tranſit ad naturam & proprietatem plurimorum corporum, tam ſolidorum quam liquidorum indagandam. Præcipua huc redeunt: ſoliditatem ex gravitate ſeu preſſione ſubtilioris materiæ naſci, eamque eo majorem eſſe, quo altiores ſunt columnæ incumbentes, planaque, quibus ſe contingunt partes corporum, ampliora; hinc & difficilius liquari & malleo tenuari hujus generis corpora, præſertim ſi plana partium non ſunt polita, ſed aſperitatibus prædita; eidem quoque cauſæ elaſticitatem acceptam referendam eſſe; fluidorum partes eſſe ſphæricas aut ſphæroideas vel etiam polyedras, magnitudine ſoliditateque differentes, prout ipſa fluida pondere, aut fluiditate ſunt diverſa, ut v. g. mercurii partes ſint ſphærulæ ſolidæ, aquæ cavæ, aeris ex armillis quaſi contextæ, & ſic porro;

ex

TAB. I. ad A. 1697 pag. 7 ſqq.




E Andre-Sohn ſculpſ: lipſ:

ex partium configuratione proprietates corporum eſſe arceſſendas. Quod qua ſit ratione faciendum poſtquam variis ſpeciminibus oſtendit in auri, mercurii, aeris, ſoni, ferrique proprietatibus, *capite ſexto* deſcribit formationem Solis ſtellarumque fixarum, ortarum nimirum ex elemento primo, abeunte, cum ſecundum in planetas coaleſceret, in plurimos globos igneos. Horum natura ut eo rectius intelligatur, de igne pluribus agit, ejusque ortum fermentationi tribuit, exemplo uſus aquæ fortis limaturæ ferri affuſæ; flammam vero putat excitari, cum corporum partes irregulares levesque in aerem abreptæ, & cum ſalis aerei particulis fermentantes, primo elemento innatant; pondus autem atmoſphæræ terram ambientis flammamque comprimentis efficere, ut ex ea rivuli primi elementi promanent, quos radios luminis appellamus. Supponit ergo, cum fixæ conderentur ex elemento primo, cinctas illas fuiſſe diverſis quaſi ſtratis aut atmoſphæris craſſioris ſubtiliorisque materiæ, ignesque illos majores minoresque factos, pro quantitate materiæ combuſtibilis circumſtantis, aut prout gravitate ſua magis minusve apta fuit, ut in hos ignes incideret: ipſam autem materiam fixas ambientem pondere ſuo infinitos rivulos elementi primi ſeu radios luminis exprimere. Manere porro eadem magnitudine fixas cenſet, quia fumi partes, qui continue ex illis egreditur, atque nutrimento ipſis fuit, in certa diſtantia denuo collectæ gravioresque factæ, quam ut viam ſuam continuare poſſint, in aſtra illa recidunt, fermentantesque cum ſalibus aeris, qui illa cingit, flammam ſuſcitant, novumque ſtellis alimentum ſuppeditant. *Septimo capite* Cl. Auctor explanat motum terræ & planetarum eadem fere ratione, quam in *Tentamine novi Syſtematis Mundi anno 1691 Pariſiis edito* ipſe tradidit anonymus, cujus hæc brevis ſumma eſt: ſi ponamus (Fig. 1.) punctum T fuiſſe locum æquilibrii telluris, eam æqualiter impulſam a radiis Solis non ad B usque ſolum propelli debuiſſe, in quo reſiſtentia impulſui æqualis, ſed ritu omnium corporum ad æquilibrium tendentium, ulterius ad D usque procedere, atque hinc fere usque ad T regredi, ſicque plures oſcillationes peragere, antequam in B quieſceret; cum vero æqualis illa impulſio locum non habuerit, ob partes telluris heterogeneas, ex quibus fluidæ tantum non recipiunt impetum, quantum ſolidæ, multumque difficilius telluri fuerit a T procedere usque ad D, quam circa TAB. I. Fig. I.

Solem gyrum deſcribere, hinc ipſam viam percurrere cœpiſſe ex utraque quaſi compoſitam, circulum nimirum eccentricum TC. Hoc in curſu tellurem ſecum abripuiſſe materiam cœleſtem, & circa Solem vorticem effeciſſe, adeoque viam quaſi muniviſſe reliquis planetis, ut impulſi a radiis ſolaribus ab occidente verſus orientem moverentur. Hinc effici, majorem olim fuiſſe telluris eccentricitatem, eamque ſenſim minui, donec tandem tota evaneſcat. Aphelium locum mutare, quia materia cœleſtis a planetis in motum concitata tellurem a ſuo curſu aliquantum abripit. Planetas aphelios tardius, perihelios velocius revera moveri, quia in hos major agit radiorum ſolarium quantitas quam in illos, quamvis in tellure id non admodum ſit ſenſibile, quoniam in aphelio terras, in perihelio maria Soli obvertit, atque ita dicta inæqualitas quodammodo compenſatur. Tantum motus imprimi a radiis ſolaribus planetis, quantum impertiuntur materiæ cœleſti ipſis reſiſtenti, ac proinde motum ipſorum non amplius augeſcere. Planetas olim non determinatos fuiſſe a radiis ſolaribus, ut in eodem moverentur plano, ſed cum unus alterum quaſi ſecum abripuerit, factum, ut fere in uno plano moverentur, ſeu ut orbes illorum ſe interſecarent, & tanto quidem obliquius, quo majori vi cientur, ſeu quo Soli propiores. Lunam circa Solem quidem primum motam, ſtatim vero cum propior facta fuiſſet atmoſphæræ æthereæ telluris, a radiis ſolaribus propulſam circa hanc gyrare cœpiſſe, cumque ſecum abriperet materiam cœleſtem terram cingentem, ab hac tellurem, alias jam impulſam a Solis radiis circa axem, qui per centrum gravitatis ejus tranſit, in orbem fuiſſe motam. Jovem citius converti circa ſuum axem quam terram, quoniam atmoſphæra ejus a quatuor ſatellitibus propellitur, longe velocioribus noſtra Luna. Lunam eandem faciem ad nos ſemper convertere, quia cum fortaſſis in parte averſa mera ſint maria, ſolidiores autem partes hemiſphærium nobis conſpicuum componant, gravior pars ſemper deorſum verſus nos propendet. *Capite octavo* fluxus & refluxus maris cauſa petitur a motu Lunæ, mediante materia cœleſti telluris atmoſphæræ aereæ communicato, quæ deinde aquas oceani non ex illis tantum locis, quibus Luna imminet, ſed oppoſitis quoque, propellat. Quod autem fluxus major contingat in noviluniis & pleniluniis æquinoctialibus, ex diſpoſitione marium littorumque derivatur

tur. Porro ut naturam proprietatesque magnetis explicare poſſit Cl. Auctor, ſumit *capite nono*, in terra circulari mollem limum triangularibus prismatibus eodem ordine ſitis repletum, ita tamen ut axis circulationis differat ab axe motus terræ diurni, perinde ut contingit in ſphæra vitrea aqua repleta, cui injecti cylinduli cavi ejusdem cum aqua gravitatis ſpecificæ (Fig. 2.) prismata vero illa intus cava, illisque ex quibus ferrum componitur ſimilia eſſe, niſi quod ſtrictioribus gaudeant canaliculis materia ſubtili repletis, quæ dum terra ab occidente verſus orientem convertitur, magno impetu ex illis erumpat, reflexaque a circumſtantibus corporibus per circulum redeat in prismata, continuoque circa tellurem gyretur: magnetem autem nihil aliud eſſe, quam limi prismatibus ferreis repleti partem induratam, commodeque terrellam vocari, cum non ſecus ac terra a materia ſubtili, quæ magnetica dici ſolet, ambiatur & pervadatur. Cenſet ergo, declinationem magnetis propterea variari, quod poli magnetici limi convertantur ab oriente verſus occidentem circa polos motus terræ diurni A & B, in circulo v. g. *a c*, ex ſuccedentium temporum obſervationibus determinando: ferrum ad magnetem ideo accedere, quod materia, dum magnetem ingreditur, viam breviſſimam affectans in ſolidas prismatum ferri partes impingat: vim magneticam ferro tribui a magnetis contactu, dum partem aliquam atmosphæræ magneticæ recipit & ſecum aufert, atque hinc quoque magnetes optimæ notæ fieri debiliores, ſi plura iisdem fruſta ferri admoveantur virtute donanda. Quam plurima quoque alia ſingulariaque experimenta ex ſua hypotheſi declarat, quæ ex ipſo Auctore cognoſcere non pigebit Lectorem rerum naturalium curioſum. Ita quoque deprehendet *capite decimo*, ignes ſubterraneos & terræ motus derivari ex fermentatione analoga illi, quæ contingit, quando limatura ferri cum ſulphure miſta humectatur aqua, dum dilatat aerem incluſum ſubterraneis cavitatibus: *capite XI* ventorum cauſam ordinariam ſtatui motum terræ diurnum, quæ tamen turbetur a radiis Solis nunc hic nunc illic aerem rarefacientibus, ab occurſu montium, vaporibus ex terra marique aſcendentibus, fermentationibusque in aere factis, & hinc ventorum ſtatorum rationes afferri: *capite* vero *duodecimo* de meteoris, & *decimo tertio* tandem de origine fontium & fluminum docte breviterque tractari.

TAB. I. Fig. 2.

*DISSERTATIO DE NOMINE PATRIARCHÆ JOSEPHI A Pharaone impoſito, in defenſionem vulgatæ Editionis, & Patrum, qui Joſephum in Serapide adumbratum tradiderunt. Auctore Fratre GUILLELMO BONJOUR Toloſano, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.*

Romæ, typis Franciſci de Rubeis, & Franciſci Mariæ Acſamitek a Kronenfeld, 1696. plag. $8\frac{1}{2}$.

VExatiſſimum eſt cognomen ZAPHNATH-PAHANEACH, quo Joſephum a Pharaone condecoratum legimus Gen. XLI, 45, multumque in eo explicando variant Interpretes. Receptiſſima eſt ſententia, quæ iſtis vocabulis arcanorum revelatorem innui contendit. Aſt verſio vulgata per *Salvatorem mundi* iſta transtulit. Sed cum a non paucis hactenus oſtenſum fuerit, quod dicta modo expoſitio vix ulla ratione alia, quam prævio Hieronymi exemplo nitatur, hinc translationis non minus vulgatæ ac Hieronymi auctoritatem vindicaturus hic viginti quinque annorum Juvenis haud indoctus, Joanni ante omnia Gregorio contradicit, qui aſſeruerat, eum, qui Hieronymo gloſſam de vocibus iſtis per τὸ Salvator mundi exponendis revelaverit, ſatis ipſi impoſuiſſe. Non enim fugiſſe perhibet Hieronymum notitiam linguæ Ægyptiacæ, e qua ſola tamen clavis interpretationis heic petenda veniat. Atque hoc aſſertum inde ſtabilire nititur, quod epiſtolas, quas Pachomius, Cornelius & Syrus Ægyptio ſermone ſibi ſcripſerant, & quarum mentionem Gennadius facit in Pachomio, Hieronymus Latinas fecerit, ſeque Ægyptii ſermonis ſimplicitatem imitatum ipſe fuerit profeſſus; id quod manifeſte ſatis edoceat, quam idoneus ipſe teſtis ſit ſignificationis vocabulorum hujus linguæ, ac illis omnino præferendus, qui nulla Ægyptii ſermonis ratione habita, nomen hoc revelatorem arcanorum interpretentur. Sed ut paulo penitius vocabulorum eruat ſignificationem, per vocem צפנת ſervatorem notari, primo loco oſtendit. Radicem namque צפן idem eſſe vult ac ſervare, cuſtodire & conſervare, unde Prov. XIII, 22, tam in paraphraſi Chaldaica, quam in verſione Syriaca, reddatur per verbum נְטַר, ſervavit, eandemque ſignificationem & in aliis, quæ affert, locis obtinere commemorat. Porro Chaldaicum נְטַר id eſſe ait, quod Hebraicum שׁמַר: ſicut ergo hoc fœminina terminatione

שמרת

שמרת ſit ſervator, conſervator, cuſtos, ita quoque צפנת idem denotare exiſtimat. Quod interim Ægyptius ſermo fœmininam in maſculis terminationem admittat, alibi ſe demonſtraturum dicit, ubi de veteri Ægyptiorum lingua ſit acturus. Deinde altero vocabulo פענח mundum innui ſecundum Ægyptios ſic probat, ut præ cæteris alleget Ægyptium Orphicorum Phaneta, qui ex ovo profuſus hieroglyphice dicatur; ovo autem mundum adumbrari oſtendit. Panaporro eſſe mundum dicit, interque alia id inde probat, quod eum nomine quoque Chemmis donarint Ægyptii; iſtud ipſum vero mundum ſignificare, prolixis uſus deductionibus docere ſatagit. Ad hæc Herodotum teſtari, quod Pan Ægyptiace quoque Mendes vocetur: ſicut ergo Græcorum τὸ πᾶν ſit univerſum, ita τὸ Mendes ipſi idem eſt, quod Latinorum mundus. Tandem vocem פענח aſperrima literarum enunciatione adhibita proferri poſſe *phongbanc*, cui vicina ſit Japonica vox *phongacu*, quæ omnes mundi partes ſignificet. Eo autem nomine ideo inſignitum refert Joſephum, quod cuſtos fuerit & curator theſauri totius orbis. Nam LXX Interpretes Hebraico verbo צפן ſæpe ſubſtituere verbum θησαυρίζω: ut adeo Servatoris mundi nomine quæſtorium Joſephi munus, quo pro orbe terrarum a fame liberando donarit eum Pharao, quam optime expreſſum fuerit. Quid? quod & dicta hactenus ex nomine uxoris Joſephi illuſtrare liceat. Virorum quippe officia dignitatesque in uxores ut recidant, atque inde iis nomen fiat, haut ait eſſe infrequens. Aſt nuncupatam ejus conjugem אסנת Gen. XLI, 45. hoc eſt, reconditricem ſeu coacervatricem, a Syro themate אסן, coacervavit; ſicuti & reconditum eſſe Hebraice dicatur נחסן ab inuſitata radice חסן.

Hæc primi capitis in Tractatu iſthoc contenta ſunt. Nunc in ſecundo Auctor probat, quod in allata quadam ex Grutero inſcriptione *Serapis* Servator Joſephus ſit. Serapis enim, qui & Sorapis, nomen habere ipſi videtur ab Hebraico שור, bos, & אביב, quod ſit ſpica. Id vero omnium optime quadrare in Joſephum, de bobus & ſpicis interpretem. Huc pertinere dicit Serapidis natalitia diebus ſeptem ab Ægyptiis acta, & procul dubio bovem ſpicamque ſeptuplicem innuentia. Porro Oſirim quosdam Serapim exiſtimaſſe edocet. Ægyptios autem vaccam ſub ſolſtitium hybernum ſepties circa templum circumferre ſolitos, quem ritum vocarint indagationem Oſiridis, circulum-

culumque Solis; jam Solis circulum notare ait curſum annuum, unde cum ſeptem boves ſeptem annos olim denotarint, indagatum fuiſſe iſta ſolennitate Oſirim ſive Joſephum Servatorem mundi, theſauros pro univerſo a fame per totidem annos liberando facientem. Nec male in eum quadrare Oſiridis nomen, quandoquidem Hebraicum אוצר theſaurizantem ſeu theſauros facientem indigitet. Oſirim quoque cum Pana multi eſſe exiſtiment, occaſionem apprehendit Auctor explicandi iſtum nummum, in quo deſcribendo Rigordus atque Graverollus jam ante deſudarunt, prout nos Tomo II. Suppl. p. 369. ſeqq. dixiſſe meminimus, ubi & ipſe nummus æri inciſus poteſt conſpici. In anteriori nempe parte apparere putat Oſirim imberbem & cornutum: figuras autem, quæ in poſtica parte conſpiciuntur, creſcentis puta Lunæ cornua ſuper tripodem variis tæniis exornata, una cum globulo papillato & quatuor punctis interſtincto, ſimilem in modum Oſiridi vindicat. Literas adjectas Lc interpretatur λυκάβαντος ʹσ anno ducenteſimo. Hunc annum accipit de anno periodi Julianæ 4589, V.C. 629, & ante Chriſti epocham 125, quo conſulatum geſſerint M. Plautius Hypſæus & M. Fulvius Flaccus. Hoc ipſo autem maximam ſterilitatem in Africam intuliſſe ingentem locuſtarum numerum, quæ occaſionem nummo iſti præbuerit, dum Ægyptii, ſeu conſternatione ob iſtam famem affecti, ſeu ſaluti Africæ ſuis divitiis conſulturi, ad Joſephum ſervatorem & nutritium orbis confugientes eundem cudi fecerint. Deinde, quod Ægyptus fame laborantium aſylum, ejusque Serapis iſtorum Servator habitus fuerit, oſtendit: hieroglyphicam quoque ſimulacri Serapidis expreſſionem a Macrobio lib. I. Saturn. c. 20. delineatam ita explanat, ut cuncta in Joſephum haud difficulter quadrare evincat. Serapæum canem Anubim vulgo nuncupari dicit, procul dubio quia Joſeph fuerit הניב, progerminans, frugifer, fructum proferens. Inſcriptionem apud Reineſium, ubi frugifero Sarapi fortuna adjungatur bonusque eventus, optime quoque de Joſepho capi poſſe, totus ſibi perſuadet.

Serapidis comes individua Iſis eſt: quamobrem, poſteaquam Auctor per Serapim Joſephum Servatorem adumbratum fuiſſe oſtendit, ulterius, quod in eundem quoque Iſis recidat, capite tertio evictum dare conatur. Potiſſimum autem in eo eſt, ut probet, Iſidem dictam fuiſſe ſalutarem, pictamque eam bovis habentem cornua, utpote

utpote cui vaccas etiam conſecrare Ægyptiis placuerit. Nobile hinc argumentum peti poſſe autumat, quod Iſis fructiferum Joſephum, boum ſomnii Pharaonis interpretem retulerit. Spicas eam capite circumtuliſſe, e teſtimoniis antiquis monſtrat: has ergo non alium in finem ipſi tributas conjicit, quam ut ſpicarum a Pharaone viſarum imaginem exhiberent. Filium Iſidis dictum legi Conſum, ideo, quia Joſephus fuerit כונס hoc eſt colligens ſeu congerens. Munus Conſi fuiſſe, ſalutaria & fida ſuggerere conſilia: idem feciſſe Joſephum. Iſidi addi Bubaſtin ſive Dianam: hanc vero exhiberi multimammiam ſpicasque manu præferentem; quod quilibet ad Joſephum facile queat trahere. Fabulatos veteres, Dianam aprum immiſiſſe magnitudine & robore inſignem, qui terram coli & in ea ſata fieri minime ſiverit, pecoraque omnia & obvium quemvis e medio ſuſtulerit, usquedum Meleager transfoſſo latere beluam interfecerit. Apro ſterilitatem denotari; quia vero ſepoſitis ad uſum famelicorum frugibus inopiæ occurrerit Joſephus, hinc traditum, quod is aprum interfecerit, dictumque eum Meleagrum, quod Hebræis מלא ſit multitudo, & אגר ſignificet congregare, congerere. Iſidem dici Inachi filiam; qua fabula reſpectum credit ad amnem, unde emergentes boves Pharao viderit, ac cum Joſepho locutus dixerit: הנה אחו, *Inneachu*. Argum centum oculorum vaccæ Ius ſive Iſidis cuſtodem refert ad centum conjectores ſive prophetas atque ſacerdotes Ægyptios, quos Pharao ſuper ſuo ſomnio conſuluerit. Nec male in eos quadrare ait nomen Argi, quia Hebræis ארחא comitatum ſeu cohortem ſignificet.

Ita illuſtrata Iſide, Iſiorum tempus in obſcuritate latere Auctor noluit, præſertim cum Gemini, nobiliſſimi Scriptoris, ætas exinde poſſit detegi. Iſia videlicet ſolennia erant Ægyptiorum in honorem Iſidis celebrata. Annis vero 120, poſtquam hæc inciderunt in ſolſtitium hibernum ſecundum Eudoxum & Ægyptios notatum, Geminus ſe ſcripſiſſe dicit elementa ſua Aſtronomica, librum antiquitatis ſtudioſis perneceſſarium. Niſi ergo Iſiorum tempora recte determinaveris, nunquam etiam Gemini ætatem determinare certo poteris. Iſia proinde Auctor noſter in prima Appendice neutiquam cum Scaligero in VI Paophi, nec cum Petavio in XVII menſis Athyr conjicit, ſed a prima die menſis Athyr ad quintam incluſive, hoc eſt,

B V, IV,

V,IV,III,prid. & Kal. Novembris celebrata oſtendit. Iis autem,quibus in hoc negotio nitatur, rationibus late deductis, eo tempore, quo ſcribebat Geminus, quod ante annos 120 Iſia inciderint in ſolſtitium hibernum, (Ægyptii enim annum iſto ævo vagum adhuc in uſu habebant,) neceſſario actum fuiſſe annum ante Chriſti epocham 137, decimum nempe Ptolemæi Evergetis ſecundi, concludit, mentemque hanc ſuam pluribus, quam heic referre liceat, declarat.

Sed & alia Appendix ſupereſt, in qua de tempore celebratorum ab Ægyptiis Serapiorum disquirit Auctor, idque refert ad octavum anni ipſorum menſem, Pharmuthi nomine inſignitum. Quod autem ad diem menſis attinet, obſervat; Ægyptios diem ad Solis occaſum facere, & ad alterum occidentem terminare. Serapia ergo celebrari cœpta perhibet die menſis Pharmuthi vigeſimo nono; hoc eſt, VIII Kal. Maji. Eodem tempore paſſum fuiſſe S. Marcum Evangeliſtam, eumque ipſo illo vigeſimo nono Pharmuthi die comprehenſum, ac trigeſimo ſubſequenti martyrio coronatum ſtatuit. Annum Chriſti aſſignat ſexageſimum octavum, cyclo Solis XXI, litera Dominicali B, pridiano die in Dominicam elapſo. Annum vero Marci tempore apud Ægyptios ſaltem occidentales, quos inter & Alexandrini, vagum non fuiſſe perhibet. De Orientalibus autem usque ad Diocletiani tempora longe aliter hoc in capite ſentiendum eſſe demonſtrat.

*WILHELMI ERNESTI TENZELII HISTORIOGRAPHI Ducalis Saxonici Epiſtola de Sceleto Elephantino Tonnæ nuper effoſſo, ad Virum toto orbe celeberrimum, ANTONIUM MAGLIABECHIUM, Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarium & Conſiliarium;*

Editio ſecunda. Jenæ apud Bielkium, 1696. in 8. Plag. 2.

POſt debitas illuſtriſſimo MAGLIABECHIO laudes, deſcribit Auctor clariſſimus locum, ubi ſceleton iſtud repertum eſt. Tonna, inter Thuringiæ Dynaſtias haud poſtrema, Sereniſſimo Duci Saxo-Gothano hodie ſubjecta, binos præ cæteris habet pagos ejusdem nominis, quorum alter *Burg-Tonna*, alter *Græfen-Tonna* appellatur. Priori adjacet mons ſive collis arenoſus, arenam in fundo præbens puriſſimam albiſſimamque, in variorum artificum uſum longe lateque transportari

tari

tari ſolitam: quam effodientes anno 1695, oſſa quædam maxima reperiunt, ad pedes poſteriores ſpectantia, unum novendecim librarum pondere: deinde globum ſive caput rotundum acetabulo inſertum, capite viri majus, novemque librarum: hinc majus os femori ſimile, triginta duarum librarum: mox ſpinam dorſi cum coſtis adhærentibus, profundiusque in arena abditos globos longe majores binos, una cum oſſibus eo pertinentibus, pedum nempe anteriorum; tum os humeri, quatuor pedes longum, duasque ſpithamas latum cum dimidia: inde vertebras colli cum vertice acuminato: denique caput prægrande cum quatuor dentibus molaribus, quorum ſinguli duodecim libras pendebant, & duobus maximis dentibus ſive cornubus, duarum & dimidiæ ſpithamæ craſſitie octoque pedum longitudine ex capite prodeuntibus. Dolendum vero, & caput & dentes, exceptis maxillaribus, quos integros ferme acceperunt, & reliqua oſſa adeo fragilia, conſumta carie, ſituque corrupta jacuiſſe, ut nullum eorum ex omni parte incontaminatum erui potuerit, ſed in plurimas particulas disjecta fuerint. Cum primum fama emanaret, vulgarem ſimul opinionem de oſſibus gigantis circumferebat, quæ tamen viſo capite ſtatim evanuit. Poſtea duæ opiniones emerſerunt, quarum altera pro elephanti ſceleto, temporis diuturnitate maximam partem petrefacto; altera pro unicornu foſſili, ut vulgo vocant, ſeu minerali jocantis naturæ fœtu, habet. Prior ſententia Tenzelio noſtro cumprimis placet, quam ita defendere aggreditur, ut primo oſtendat, ſceleto Tonnenſi omnia convenire, quæ ad vera elephanti oſſa requiruntur; deinde evincat, non eſſe minerale foſſile, ſed animale petrefactum; denique inquirat, quomodo in has terras ipſumque locum pervenerit elephantus.

Primum oſtendit ex collatione ſceleti Tonnenſis cum anatomia elephanti, ab A. Moulino in Hibernia ſuſcepta & deſcripta, quam & in Actis noſtris A. 1684. menſe Decembri memoravimus. Refert Moulinus, in cranio exſtare magnum cellularum numerum, plerumque triangularium, membranulis obductarum &c. Has cellulas in fragmentis cranii Tonnenſis monſtrat Tenzelius, modo oblique, modo directe cranium tranſeuntes; membranulas autem, vaſis ſanguineis exſiccatis, firmiſſime agglutinatas, colore flavo ſubrubicundo tinctas, ſcalpro forte tentatas in fruſtula diſſilire, ſimulque co-

lorem iſtum auferre, ut cranii albedo emineat: meatum quoque medullæ ſpinalis & poſticam cranii partem, in duos prægrandes ſinus ſeu lobos ita dividi, ut clunes humanos referre videatur; quod Raius in Synopſi Animalium Quadrupedum de elephantis notavit. Porro duos maximos dentes, ſingulos centum & amplius librarum pondere, duarum & dimidiæ ſpithamæ craſſitie octoque pedum longitudine ex capite prodire, ſimulque referre nativum lævorem, colorem ſubflavum, nigricantibus maculis ſubinde conſperſum, curvaturam, & ſtrias nullis aliorum animalium dentibus cornubusque communes: imo quod maxime notari meretur, ſupereſſe adhuc cuſpidem dextri dentis, apertiſſimo limationis ſigno conſpicuam, de qua Plinius libri XIIX initio. Allegat etiam Tenzelius mercatoris cujusdam apud Indos diu verſati teſtimonium, ſecundum regulas Indorum ex dentibus illis judicantis, elephantum noſtrum plusquam ducentos annos vixiſſe: idque ex Cadamuſto confirmat, ſimulque ex aliis ſcriptoribus ac itinerariis docet, nec pondus, nec longitudinem dentium Tonnenſium inſolita eſſe. Veterem diſputationem, cornua dentesve ſint appellandi, non definit; placere tamen ſibi innuens Aldrovandi Bochartique de media illorum natura ſententiam, applicat Raii obſervationes de interna illorum conſtitutione, quod ex conjunctis iisque admodum exilibus tubulis conſtent. Dehinc ad quatuor dentium molarium maſſas Tonnenſis elephanti progreditur, evictaque illorum cum definitione Raii ſimilitudine, inquirit cauſam differentiæ, quod alii elephantum quatuor, alii octo dentes habeant molares. Brevioribus abſolvit reliquorum oſſium collationem, quoniam pauca ex illis fragmenta ſuperſunt; varia tamen profert indicia, magnitudinem elephantis Hibernici Tonnenſem bis æquaſſe. Situm denique totius animalis non naturalem vel ordinarium, ſed extraordinarium plane violentumque attendit, quod cornua ſive dentes maximos verſus ortum ac ſeptentrionem protendebat; pes anterior ſiniſter lateri capitis adjacebat extenſus; dexter ſub corpore deorſum inclinatus; ſiniſter poſterior in acetabulo incurvatus; dexter initio ſtatim repertus & hinc inde diſtractus fuit.

Alterum diſquiſitionis caput ita tractat Tenzelius, ut primo ex Kircheri Mundo Subterraneo deſcribat rationem foſſilium ſeu mineralium, calvariarum prægrandium, dentium oſſiumque ſpecie efficto-

effictorum: & cum Kircherus diſcrimen eorum a veris oſſibus in eo ponat, quod hæc ſemper tibiarum canales fiſtuloſosque meatus olim medulla refertos retineant, illa vero ſolidum lapidem ſine ulla tibiarum concavitate mentiantur; Tenzelius oſtendit, quæcunque in elephanto ſunt oſſa concava & fiſtuloſa, medullisque referta, ea in Tonnenſi etiam ſceleto paria facere; nec reliqua Kircheri obſervata omittit, probatque ex Conringio, non poſſe naturam ſibi relictam, ſine omnibus adminiculis, oſſa undiquaque perfecta condere. Multo igitur veriſimiliorem cenſet Anſelmi Boëtii ſententiam, qui tradit, margam lapideſcente aqua irrigatam lactis inſtar fluere per terræ cavitates, & ſi in ligna vel oſſa vetuſtate arefacta incidat, ea transmutare eorumque partes ſibi aſſimilare. Hoc ſceleto Tonnenſi competere prolixe contendit Tenzelius, ſcrutiniumque chymicum advocat, & varia oſſium elephantinorum petrefactorum exempla ex Bartholino, Lambecio Ciampinoque producit: addens conjecturas de elephanti Tonnenſis ſedecim pedum altitudine, quo tamen multo majores dari, & nonnullos ad 24 vel 27 pedes adſcendere docet.

Tertium caput exorſus Tenzelius removet aliorum conjecturas, qui elephantum quondam Tonnam delatum ibique tumulatum finxerunt, iisque cum alia argumenta opponit, tum ipſam maxime montis arenoſi rationem, qui diligentius inſpectus nunquam ſe perfoſſum & deinceps rurſus repletum, manifeſtiſſime prodat. Primum ſtratum ſuppeditat humus atra quatuor pedum; ſuccedit glarea friabilis duorum & dimidii pedum, cujus medium oſteocollæ tofaceique lapides duorum pedum altitudine explent, ut & ſub ea dimidii pedis ſpatium: ſequitur argilla arenoſa ſex circiter pedum, in qua iterum oſteocolla duorum digitorum, & infra unius pedis altitudine occurrit: hanc excipit alterum glareæ ſtratum ſex circiter pedum, eique demum ſubjacet arena alba & pura, cujus profunditas nondum explorata eſt, quod in ea vix tres pedes effoſſa elephanti ſceleton apparuit. Enimvero ſi unquam perfoſſus, injectoque elephante repletus iterum fuiſſet hic collis, minime ſtrata ſtratis ordine impoſita, ſed omnia illa arenarum genera terræ nigræ permixta inveniremus, ut quotidie in tumulis fodiendis fieri ſolet: multo minus tofacei lapides in hanc duritiem coaleſcere, aut oſteocollæ radices ſuas venasque, per totum montem ad ipſam usque ſuperficiem conſpicuas ſpargere, tan-

cave quantitate creſcere potuiſſent, ut ſtatim in medio primæ glareæ, quæ atram humum proxime contingit, duos pedes, & ſub ea dimidium explerent, ſeque inferius in argillam arenoſam extenderent, ſpatium duorum digitorum & ſub ea pedis unius occupantes. Nihil igitur ſupereſſe dicit Tenzelius, præterquam univerſale diluvium, in quo perierit cum aliis ſui generis diverſique animantibus elephas noſter, undisque immanibus raptus & jactatus, aquis tandem decreſcere incipientibus fundum petierit, cui aquæ iſta diverſarum arenarum ſtrata induxerint, iisque in ſuperficie exſiccatis atra tandem humus ſenſim accreverit. In ſubſidium itaque vocat celebrium Medicorum Stenonis & Grandii de diverſis illis ſtratis, Rudbeckii de atra humo, & Conringii de variis in Germania diluvii indiciis, obſervationes, iisque ad propoſitum applicatis concludit, Magliabechii aliorumque in Italia eruditorum, Ciampini præſertim, judicio omnia ſubmittens, & collationem cum ſceleto elephanti Florentino fieri exoptans.

*Atque hæc de celeberrimi* Tenzelii *ſententia retuliſſe ſuffecerit, quæ quam pulchre cum nova clariſſimi Angli* Joannis Woodwardi *circa Naturalem Hiſtoriam Telluris hypotheſi (quam nuperrime in* Sectione I Tomi III Supplementorum pag. 7-19. *prolixius expoſuimus) congruat, non injucundum erit Lectori Benevolo expendere.*

## *EPISTOLÆ ANATOMICÆ PROBLEMATICÆ IV, V, VI, AD Virum Clariſſimum FREDERICUM RUYSCHIUM M. D. Anatom. & Botan. Profeſſorem; una cum hujus totidem Reſponſionibus.*

Amſtelodami apud Joh. Wolters, 1696. in 4. plag. 6. Fig. tab. 4.

TRes exercitatiſſimi in arte anatomica Ruyſchii Reſponſiones, ad epiſtolas problematicas Dn. Joh. Gaubii datas, A. 1696 menſe Junio p. 270 recenſuimus. Poſtmodum ad novas tres aliorum Auctorum epiſtolas idem accurate, ut ſolet, reſpondere voluit. *Quarta* nempe in ordine Reſponſio ad Dn. Joh. Jac. Campdomercum dirigitur, qui accuratiſſimam glandularum, fibrarum atque cellularum lienalium ab experientiſſimo Ruyſchio efflagitaverat explicationem. Liene humano hinc methodo conſueta præparato, & vaſis ſanguineis turgidis factis, ſubſtantiam ejus non niſi congeriem arteriarum, venarum, lymphæductuum & nervorum, quæ membranis ambientibus

tibus coerceantur, Ruyſchius eſſe vidit. Molles vero vaſorum ſanguineorum propagines, glandulas; quæ nullæ tamen adſint, repræſentare, plurimisque præclaris Anatomicis, ſibique ipſimet impoſuiſſe, quod faſciculatim diſponantur, & in corpuſcula molliora, ſuccoſa magis, ac rotunda redigantur, ad oculum in TAB. IV. fig. 4. lit. C. (nobis TAB. I. fig. 4.) oſtendit. Has inter nullas eſſe intercapedines aut cellulas, niſi violento modo producantur, comprobat; admittit tamen illas in liene vitulino, quas fibræ, quæ in humano non adſint, innumeræ variaque ſerie diſpoſitæ, loco ramorum venoſorum, ut ex Fig. 3. patet, conſtituant. *Quinta* ſcripta eſt ad Dn. Gerhardum Frenz Med. D. in qua totius corporis perioſtia vaſis ſcatere ſanguiſluis evincit, oculisque TAB. V. Fig. 1. & 2. (nobis Tab. I. Fig. 5. & 6.) exponit. Oriri illa docet, inprimis perioſtii anticnemii, ab utroque latere uniuscujusque oſſis tibiæ, & præſertim e vaſis ſuralibus, tamque numeroſa detexit, ut infarcta ſanguine aut materia ceracea perioſtium totum ſumma tingant rubedine. Explicationem viæ, qua billis ad veſiculam felleam deſcendat, jungit, eamque appellat cum celeberrimo Bohnio ductum cyſticum, glandulas tunicæ interioris veſiculæ eidem ſcopo inſervientes adjiciens, quas in collo plures, circa fundum rariores fig. 7. lit. E. E. delineatas exhibet. Radices quasdam e veſiculæ felleæ fundo emergere negat, ſatis in eo confirmatus, quod veſiculas bile repletas luſtraverit, quæ hepati fundo ſuo nequaquam connatæ, cervice tamen hepati adhæſerint. Arterias cyſticas non tantum veſiculæ inſervire, ſed per duplicaturam membranæ hepar ambientis copioſe quoque diſſeminari declarat, jureque eas accenſeri poſſe vaſis hepatis communibus non ambigit, idem de venis ſanguiferis & lymphæductibus harum partium judicans. Ligamentum umbilicale in homine adulto, & in fœtu humano venam umbilicalem arteriis ſcatere, ac lymphæductibus conſeri, ultimo demonſtrat. Petitis D. Joh. Henr. Grætz ſatisfacturus, in *Sexta* arteriam bronchialem, quam 31 fere annorum ſpatio elapſo in vitulo primus invenit Noſter publicique juris fecit, in homine diligentius ſcrutatur. Exortum hujus, circa quem Naturam ſæpius luſiſſe vidit, frequentiorem in infima parte, & quidem in arteriæ intercoſtalis ſuperioris trunculo locat, ut Tab. VII. Fig. 2. (nobis Tab. I. Fig. 8.) lit. C. notatur. Hanc anaſtomaſibus aſſociari ramuſculis arteriæ pulmonalis minutiſſimis Fig. 5. (nobis 9.) lit.

TAB. I. Fig. 4.

Fig. 3.

Fig. 5. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

Fig. 9.

lit. CCC exhibet. Illam vero an vena comitetur, dubius eſt, cum nedum eam luſtrare oculis potuerit; minime tamen neceſſariam credit, quod in hepate arteria hepatica nullam ſibi ſociam vendicet venam. Vaſa pulmonalia tuſſi ejici poſſe, ut alii credunt, ſibi non perſuadet, polypoſasque concretiones fuiſſe, quæ vaſa mentiebantur, judicat: quarum quasdam domi ſibi reſervari, ſolaque cavitatis abſentia ab arteriis veniſque diſtingui poſſe, fig. 4. (nobis 10.) ad oculum exprimere voluit.

TAB. I. Fig. 10.

*Explanatio Figurarum.*

*Figura tertia.*

*A.* Portio lienis vitulini, poſt faſciculorum eductionem ac demum inciſionem, oblata.

*B.* Fibræ transverſæ.

*CC.* Fibrarum intercapedines, quæ cellulæ audiunt, & in liene humano in ſtatu naturali nequaquam inveniuntur.

*Figura quarta.*

*A.* Ramulus arteriæ ſplenicæ.

*B.* Ramulus venæ ſplenicæ.

*C.* Faſciculi ceu penicilli, circa quos notandum, eos a ſe invicem eſſe deductos, ut diſtinctius ſeſe videndos exhiberent: in ſtatu autem naturali ſibi invicem impoſiti ſunt.

*Fig. 5.*

*A. A.* dextri, B. B. ſiniſtri lateris ramus arterioſus per perioſtium anticnemii oſſis tibiæ diſtributus.

*Fig. 6.*

*A.* dextri, B. ſiniſtri lateris vaſa ſanguiflua, per patellæ perioſtium tendinoſum diſſeminata.

*Fig. 7.*

*A.* Superficies veſiculæ interior inæqualis atque reticulata, quæ non inepte comparari poteſt cum ſuperficie melonis reticulati, cujus textura reticularis inæqualitatem meloni conciliat, id quod faciei internæ veſiculæ quoque evenit.

*B.* Portio ductus hepatici.

*C.* Portio ductus communis.

*D.* Ductus cyſticus.

*E. E.*

*E. E.* Glandulæ per veſiculam diſſeminatæ, quæ haud ſolum inhærent parti inferiori jecori connatæ, verum etiam oppoſitæ, ut & veſiculæ collo, ductui cyſtico, nec non hepatico. Notandum autem, dictas glandulas aliquanto majores eſſe delineatas, ut melius conſpici poſſint. Præterea in omni veſicula humana non æque diſtincte conſpiciuntur, quam quidem in ſuilla, aut bovina, idque ob dictam reticulatam faciem internam.

*F.* Valvuloſa & celluloſa diſpoſitio in ductu cyſtico exiſtens.

Notandum autem, veſiculam hanc eſſe ſecundum longitudinem diſſectam, aciculisque expanſam, unde juſto major apparet.

*Fig. 8.* TAB. I. Fig. 8.

*A. A.* Trunculi arteriæ bronchialis e corpore infantis.

*B. B. B.* Ramificationes ejusdem arteriæ.

*Fig. 9.* Fig. 9

*A.* Portio trunci deſcendentis arteriæ magnæ.

*B. B. B.* Trunculi arteriarum intercoſtalium abſciſſi.

*C.* Exortus arteriæ bronchialis e tertia arteria intercoſtali.

*D.* Portio venæ azygos.

*Fig. 10.* Fig. 10.

*A.* Truncus polypi ex aſpera arteria rejectus.

*B. B.* Ejus ramuli.

*Fig. 11.* Fig. 11.

*A.* Ramulus arteriæ pulmonalis.

*B.* Ramulus arteriæ bronchialis.

*C. C. C.* Inoſculationes ramulorum arteriæ pulmonalis cum ramulis arteriæ bronchialis.

*SAMUELIS SCHELGUIGII, S. S. THEOL. D. PROF. P. ATHEnæi Gedanenſis Rectoris & ad S. S. Trinitatis ibidem Paſtoris,*

*QUAKERISMUS CONFUTATUS.*

Francof. & Lipſiæ apud J. A. Plener, 1696. in 4. Alph. 2. pl. 18.

CUm Quakerorum colluvies majora ſubinde augmenta capiat, non male de Eccleſia orthodoxa merentur, qui abſurdas, quibus Quakeriſmus ſcatet, opiniones orbi Chriſtiano ad vivum repræſentant, easdemque ſolide refellunt. In quorum numerum ſuo merito referendus celeberrimus Schelguigius, qui in præſenti Tractatu

C pri-

primum Quakerorum hypotheſes ex illorum ſcriptis, quæ haberi potuerunt, ſumma fide excerpſit, & convenienti ordine, filo quaſi hiſtorico, contexuit, dein orthodoxas antitheſes accurate demonſtravit, & tandem objectiones nervoſe diſcuſſit. In prolegomenis, præmiſſa onomatologia, primo omnium de origine Quakerorum diſpicit, obſervans, Hornium ad Novam Angliam, Americæ provinciam; Laſſenium autem ad Scotiam eorundem natales referre: initium Quakeriſmi a Laſſenio anno 1655, a Catone vero anno 1694 vel 1650 alligari, hujusque ſententiam veroſimiliorem videri, cum anno 1656 Quakeri jam in Hibernia nidificaſſe a Schledero perhibeantur, in Anglia autem James ſeu Jacobus Naylor, unus e Quakerorum primiceriis anno 1656 Briſtoliæ ſe pro Jeſu Chriſto, mundi Salvatore, ſuis adorandum exhibuerit; propter quod facinus in carcerem conjectus, & altero poſt anno virgis cæſus, litteraque B, ad caſtigandam blaſphemiam, ope ferri candentis in fronte notatus, quin imo & macilento equo ſine ephippio, facie ad caudam reflexa, impoſitus ac circumductus, debitam veſaniæ pœnam luerit. Quakeriſmum porro fimbrias ſuas longe lateque extendiſſe tradit, ac quamplurimas provincias invaſiſſe, ita ut Quakeri palam multitudinem ſuam deprædicent, ſeque populum magnum multis hominum millibus conſtantem jactitent. Incrementorum vero horum *cauſam* non eſſe inſtituti veritatem & bonitatem, nec patronorum in defendendo inſtituto ſuo ſcientiam & prudentiam; ſed *a parte Dei*, juſtam in contemtores veritatis Divinæ iram; *a parte noſtri* ignorantiam ſanæ doctrinæ, propenſionem ad novitatem, averſationem peccatorum palam graſſantium: *a parte Quakerorum* gloriationem de donis eminentioribus, ſpeciem pietatis in verbis & factis, querelas de perſecutione, ſugillationem orthodoxorum, inprimis Miniſterii Eccleſiaſtici, æqualitatem inter complices, largitiones in egenos, impudentiam in propagando errore. Doctrinam Quakerorum difficulter agnoſci, quia dictione utantur obſcura & perplexa; terminos Theologicos in alia plane ſignificatione, quam hactenus accipi conſueverunt, uſurpent; dogmata, ex quibus ſibi aut factioni ſuæ incommoda ſuboriri poſſe prævident, inprimis de loco de Deo, Perſona Chriſti, Magiſtratu, regni novi a Chriſto in terra erigendi conditione, callide occultent; Scholaſtica ſtudia, adeoque & modum procedendi Logicum averſentur, ſi Barclajum exceperis,

qui

qui Scholaſtico ordine in Theologia ſua egerit, quamvis in præfatione, facto contrarius, proteſtetur. Nec a Quakeris ſua Syſtemata luculenta objici poſſe, cum in iisdem exponatur quidem, quid Quakeri ſe credere profiteantur, non vero, præſertim in articulis maxime controverſis, & in quibus a veritate longiſſime diſcedunt, quid revera credant: quod ſpeciatim e Barclaji Catechiſmo & Confeſſione probatur, eosque libros cothurno eſſe ſimillimos oſtenditur. Quibus ita præmiſſis, ad ipſorum dogmatum examen procedit, ac in primo articulo Quakeriſmi principium cognoſcendi perluſtrat, oſtendens, Quakeros de veræ religionis principio ante ipſos deperdito haud leviter conqueri; juxta ipſos principium cognoſcendi eſſe internam & immediatam revelationem, eandemque hodie adhuc in rebus ſpiritualibus dari, ac per lumen aliquod internum fieri; adeoque per revelationem immediatam ab iis, non omne prorſus medium, ſed duntaxat externum excludi. Et cum lumen hoc toties & tantopere deprædicent Quakeri, paulo curatius illud ſibi contemplandum ſumit Rever. Auctor, idemque quoad nomina pariter atque rem ipſam ex ſcriptis illorum luculentiſſime pertractat, in anteceſſum monens, neminem debere mirari, ſi contradictoria ſibique mutuo adverſantia nonnunquam offendat, quoniam ut veritas ſemper una, ſic e contrario falſitas circa idem objectum frequenter multiplex ſit. Agit autem primo de luminis hujus *eſſentia*, & quidem tum *negative*, oſtendendo, lumen illud adverſariorum non eſſe accidens, nec eſſentiam aut naturam Dei, neque partem aliquam hominis aut facultatem animæ, vel reſiduum boni poſt lapſum ſuperſtitis: tum *poſitive*, monſtrando iſtud deſcribi ut (1.) ſubſtantiam realem, ſpiritualem & qua animam, ſenſibilem: (2.) quippiam divinæ naturæ particeps, imo ipſum Deum: (3.) aliquid non ſolum in corde hominis, ſed etiam extra cor ſubſiſtens, quod ante omnes creaturas fuerit; (4.) inſeparabile quid a Deo & Chriſto. Ab eſſentia hujus luminis ad ejusdem *principia tam eſſendi quam operandi* progreditur, docens, quod *illa* attinet, Quakeros ad unum omnes conſentire, lumen a Deo provenire; pro Chriſti autem ac Spiritus Sancti dono non poſſe ab omnibus agnoſci, quia nonnulli lumen hoc pro ipſo Chriſto ac Spiritu S. venditent. Qua occaſione, circa quæſtionem, utrum Deus lumen ſuum immediate hominibus impertiat, an mediante natura? ſive, quod eodem redit, num lumen, de quo

glorianturQuakeri, ratione originis ſit naturale, an ſupernaturale? notat adverſarios (1.) concedere, præter lumen ſupernaturale dari etiam naturale: (2.) negare lumen ſuum eſſe ex reliquiis imaginis divinæ poſt lapſum ſuperſtitibus, aliove modo ratione originis naturale: (3.) invehi in eos, non abſque bile, qui idem illud pro naturali lumine venditent: (4.) quosdam fateri eſſe lumen naturæ, videlicet ut ſubjecti, non tamen naturale, nimirum reſpectu principii: (5.) docere lumen eſſe in conſcientia, ut cereum in laterna, non autem eſſe ipſam conſcientiam. *Principium operandi*, cujus occaſione lumen influendo magis magisque ſe apud homines diffundere creditur, eſſe ſilentio conjunctam exſpectationem perhibet. Poſthæc ad *ſubjectum quod & quo* ſe convertit, atque obſervat, Quakeros tradere, *illud* eſſe quemlibet hominem ſine ulla exceptione; interim aſſerere, nec Chriſtum, nec Spiritum S. in omnibus exiſtere; adeoque non ſatis ſibi conſtare, cum doceant, lumen reperiri in omnibus, Chriſtum autem & Spiritum S. qui ex mente Quakerorum illud ipſum lumen ſint, non in omnibus inveniri; nec a Barclajo diſtinctione inter eſſe in aliquo ſtricte, id eſt, per unionem, & late, id eſt, velut in ſemine, nodum illum ſolvi, quia ſi Chriſtus ſit in omnibus velut in ſemine, utique ſtricte loquendo foret in omnibus: ipſum Chriſtum lumine hoc imbutum fuiſſe, a Quakeris perhiberi. *Subjectum quo mediatum* innui, cum lumen nunc in anima, nunc in corde fulgere ſtatuatur: *immediatum* autem *ſubjectum* eſſe ipſam conſcientiam: per hanc autem Quakeros intelligere nudam cognitionem ejus, quod per aliud, nempe per lumen applicatur & judicatur. Hinc *adjuncta* hujus luminis eaque duplicia, abſoluta, quæ lumini in ſe ſpectato, & reſpectiva, quæ eidem in ordine ad alia, præſertim ad hominem conſiderato, tribuuntur, in medium adducit, ac inter *abſoluta* refert, cum lumen a Quakeris, ut *unicum* (non ſpecie duntaxat, verum & numero,) *æternum* (quod non fine tantum, ſed & initio careat,) *perfectum*, *immutabile* (tam in eſſentia, quam ſententia) *ſibi ſemper idem*, nec in ulla re contrarium depingitur. Pro *reſpectivis* habet, cum Quakeri lumen ſuum aſſerunt *univerſale*, de quo omnes homines participent: *intenſivum & remiſſivum*, ut magis in hoc, minus in illo, imo nunc magis nunc minus in uno eodemque homine reperiatur: *clarum*, & perſpicue ac abſque caligine & ſe & alia, quæ homini revelanda ſunt, mani-

feſtans:

feſtans: *infallibile* ac ſummæ certitudinis: *ſufficiens* ad omnia & pro omnibus, in iis, quæ ad ſalutem requiruntur: *indemonſtrabile* ſeu ἀνϑόπιςον, cui per ſe credatur: *Scripturæ & ſanæ rationi conſonum*: *qua prædicationem, antiquiſſimum*: & denique *qua prædicationem perpetuo duraturum.* Tandem *effectus* lumini a Quakeris tributos exponit, eosdemque in ordinarios & extraordinarios ſubdiſtinguit. Effectibus *ordinariis* annumerat, quod lumen iſtud Quakeris dicatur regenerare, & conſequenter Chriſtianos facere, omnia docere, ita, ut nulla prorſus inſcitia relinquatur, bonum a malo diſcernere, ad bonum movere, intrinſecus accuſare vel excuſare, æternum ſalvare vel perdere, prout videlicet recipiatur aut eidem reſiſtatur. Ad *extraordinarios* effectus raptum, viſiones, vaticinia & ſimilia, inprimis autem tremorem refert, annotans: (1.) quod Quakeri fateantur, ſe lumine ſuo colluſtratos, interdum tremere: (2.) quod, juxta narrationem eorum, tremor in cœtu Quakerorum quandoque etiam Quakeriſmo nondum initiatos invadat: (3.) quod tremorem pro divina operatione habeant, tantique faciant, ut contemtores illius peccato ſe polluere cenſeant: (4.) quod indecoros geſtus corporisque agitationes, quibus primi Quakerorum notabantur, hodie aut negent, aut extenuent. Mente Quakerorum de principio cognoſcendi ex ſcriptis illorum genuinis ita clare propoſita, omnia referri poſſe judicat ad iſtam propoſitionem: quicquid lumen internum immediate revelat, verum bonumque, & conſequenter credendum ac faciendum eſt. Hypotheſibus Quakerorum poſtea Antitheſes orthodoxas cum probatione ſolida & nervoſa dubiorum ſolutione opponit ſequentes: I. Principium veræ religionis inter Chriſtianos, nec deperditum fuit hactenus, nec deperdi potuit. II. Principium Chriſtianæ religionis non eſt obligatio ad imitandum Chriſtum. III. Immediatæ rerum ſpiritualium, ad ſalutem cognitu neceſſariarum, revelationes, completo Scripturarum ſacrarum canone, ceſſant. IV. Principium primum & adæquatum Chriſtianæ religionis, non eſt interna, immediata & objectiva revelatio. V. Non datur lumen internum, per quod ut per ordinarium medium, res ſpirituales ad ſalutem cognitu neceſſariæ, immediate & objective revelentur. VI. Quakeri in congerendis luminis ſui ſynonymis multivariam impingunt. VII. Lumen Quakerorum non eſt ſubſtantia. VIII. Lumen

Quakerorum non eſt divinæ naturæ, aut ipſe Deus, ipſe Chriſtus, ipſe Spiritus Sanctus. IX. Lumen Quakerianum non ſubſiſtit extra hominem. X. Lumen Quakerianum eſt ſeparabile, imo ſæpius actu ſeparatum a Deo & Chriſto. XI. Lumen Quakerianum, ratione originis proximæ, quoad effectus quosdam ordinarios, vere ei competentes, prorſus naturale eſt. XII. Lumen Quakerianum in eo, quod bonum a malo diſcernit, ad bonum movet, & a malo avocat, hominemque intrinſecus, ſi male egerit, accuſat, ſi bene, excuſat, eſt ipſiſſima conſcientia. XIII. Lumen, ut vocatur, Quakerianum, reſpectu quorundam effectuum eſt ſuggeſtio Diaboli, atque adeo tenebrarum rectius, quam luminis nomen gerit. XIV. Lumini vero divinoque accendendo, conſervando & augendo, ex Dei ipſius inſtituto, plurimum conducunt auditus, lectio, colloquia, meditatio ſimiliaque exercitia; parum vero aut nihil cum ſilentio conjuncta exſpectatio. XV. Lumen ſalutiferum non in omnibus hominibus, imo nec in maxima hominum parte reperitur. XVI. Lumen Quakerianumn e quidem in hominibus, qui illuminantur, ſingulis, numero unicum eſt, multo minus in univerſis conjunctim ſumtis. XVII. Lumen Quakerianum non eſt æternum, adeoque nec ante creaturas omnes extitit. XIIX. Lumen Quakerianum non eſt perfectum. XIX. Lumen Quakerianum eſt mutabile in effectu. XX. Lumen Quakerianum eſt mutabile in ſententia. XX. Lumen Quakerianum ſibi ipſi eſt contrarium. XXII. Lumen Quakerorum non eſt univerſale. XXIII. Quakeri lumen ſuum, ſalvis, quas fovent, hypotheſibus, nequeunt ſtatuere intenſivum. XXIV. Lumen Quakerianum non ita clarum eſt, ut absque omni caligine, quæ homini revelanda ſunt, manifeſtet. XXV. Lumen Quak. eſt incertum & fallibile. XXVI. Lumen Quak. non eſt ſufficiens ad omnia & pro omnibus, in iis, quæ ad ſalutem requiruntur. XXVII. Lumen Quak. non eſt ἀυτόπιςον. XXIIX. Lumen Quak. & Scripturæ & ſanæ rationi contrarium eſſe poteſt, imo haud raro contrarium eſt. XXIX. Lumen Quak. qua prædicationem ſive doctrinam in Eccleſia, non eſt antiquiſſimum. XXX. Lumen Quaker. niſi forte Deus peccata noſtra continuis pœnis flagellare decreverit, qua prædicationem ſive doctrinam, non videtur perpetuo duraturum. XXXI. Lumen Quak. non regenerat. XXXII. Falſum eſt, quod lumen Quakerianum ita doceat omnia, ut nulla prorſus in ſpiritualibus

bus ignorantia ſuperſit. XXXIII. Lumen Quaker. non ſemper bonum a malo diſcernit atque ad bonum movet. XXXIV. Lumen Quaker. uti per accidens perdere hominem, ita nullo prorſus modo ſalvare poteſt. XXXV. Quakerorum raptus, viſiones, vaticinia &c. quorum quidem notitia hactenus ad nos pervenit, Diabolum agnoverunt autorem. XXXVI. Tremor Quakerorum ſimulari, aut a cauſis naturalibus oriri, aut etiam præternaturaliter a Diabolo immitti poteſt, ut proinde Quakeris, eundem pro ſupernaturali operatione Dei aut luminis ſui indubitanter venditantibus, optimo jure contradicamus. XXXVII. Quakeri e Scriptura demonſtrare nequeunt, quod ullus ſanctorum hominum, propter luminis interni colluſtrationem, per externam corporis agitationem, ἐκστατικῶς, hoc eſt, cum exceſſu mentis, quemadmodum ipſis uſu venit, tremuerit. XXXIIX. Falluntur, aut falli adminimum poſſunt, quotquot principio illi innituntur: quicquid lumen internum immediate revelat, verum bonumque, ac conſequenter credendum ac faciendum eſt. Sed hæc ſpeciminis loco adducta ſufficiant, cum ex iis ſatis conſtare queat, qua ratione ſubſequentes fidei articulos, ſcilicet II. de Scriptura S. III. de Deo Triuno. IV. de Jeſu Chriſto. V. de creatione & creaturis nobiliſſimis, videlicet angelis & hominibus. VI. de imagine Dei. VII. de peccato. IIX. de libero arbitrio. IX. de gratia Dei pertractarit maxime reverendus Auctor. Quem publico nomine rogamus, ut examen Quakeriſmi ſuper reliquis fidei Chriſtianæ articulis cum erudito orbe propediem communicare ne gravetur.

*D. LUDERI MENCKENII SUPR. CUR. PROV. LIPS. ASSESS. Tractatio Synoptica Pandectarum Theoretico-Practica, Juri Communi Uſuique Moderno Imperii, & præcipue Saxonico accommodata, ita ut vice Supplementi Lauterbachiani eſſe queat, in Tabulas redacta & Axiomatibus applicatis illuſtrata.*

Lipſiæ apud M. Th. Heibey, A. 1697. in fol. Alphab. 8 pl. 12.

CUm conſultiſſimus Auctor, ipſo docendi exercitio forique uſu invitatus, Pandectarum tractationem, haud paucis laborantem difficultatibus, pro virili adjuvare conſtituiſſet, quo congruam haberet materiarum theoreticam practicamque ſeriem, quam in docendo ſubſecu-

ſecuturis; ſi viveret, annis uſurparet, omnem circa Digeſta laborem in Tabularum formam redegit, illamque exhibendis ac diſcernendis definitionibus, diviſionibus, regularumque ampliationibus ac limitationibus convenientiſſimam eſſe exiſtimavit, cujus methodi rationem plenius in Præfatione commemorat. Quoniam vero præcipue eo contendit, ut principia theoretica cum practicis conjungeret, nec non docendi diſcendique operam ſublevaret, primum ad Leges, tanquam fontes, cum cura reſpexit, iisque Doctorum auctoritates, ubi rem id exigere putavit, adjecit, deinde typorum diverſitate diſtinguenda ſeparavit, in uſu moderno Titulorum conquirendo maxime Carpzovianis, Strykianis, Swendendörfferianis, Schilterianis Huberianisque ſcriptis adjutus. Apprehenſioni Pandectarum, præter ordinis facilitatem, animo ex ipſo Tabularum conſpectu ſe inſinuantem, adjumentum præſtitit per applicationem Axiomatum, quæ litera majuſcula in Tabulis indicavit, & ſingulis, in quibus uſurpata ſunt, Titulis addidit, ita tamen ut ab Axiomatis ſemel impreſſi iterata impreſſione abſtineret. Repetitioni Digeſtorum vero adminiculum paravit per diverſitatem quatuor claſſium, in quas Pandectarum rubricas diſcrevit, utiliores minus utilibus in foro præferendas eſſe ratus; quem in finem tam ſub calcem operis Tabulam, diverſi uſus Titulorum indicem, ſubjecit, quam per literas, numeris ſingulorum Titulorum exprimendis adhibitas, eam differentiam eſſe indicandam duxit. Quamvis autem arbitraria ſingulos Titulos tractaverit methodo, & praxeos Imperii atque Saxoniæ curam geſſerit, ita tamen ad Lauterbachianum Juris Compendium, a JCto Schüzio editum, reſpexit, ut illi præſens Opus ſimul pro Supplemento eſſe queat. Ac proinde primo omiſſos in dicto Compendio titulos ſupplevit, nempe Libri I, Pandectarum t. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Lib. XVIII. t. 7. Lib. XXV. t. 4. 5. 6. Lib. XXXIII. t. 3. 8. 9. 10. Lib. XXXVIII. t. 2. 3. 4. 5. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Librum XL. Lib. XLII. t. 6. Lib. XLIII. t. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Lib. XLV. tit. 3. Lib. XLIX. t. 9. 10. 11. 12. 13. Lib. L. t. 16. 17; brevitatis tamen & prolixitatis normam ab utilitate, quam iſti tituli hodie præſtant, dependere voluit. Secundo eos, quos fori uſus quotidianus commendat, titulos, ubi res exegit, aliquanto accuratius enucleatum ivit, id quod per univerſam tractationem quidem animadvertere licet, maxime tamen eluceſcit

ex

ex elaboratione Lib. I. π. t. 2. Lib. V. t. 1. Lib. XII. t. 2. Lib XXII. t. 1 3 4. 5 6. Lib. XXIII. t. 1. 2. Lib. XXV. t. 3. materiæ Succeſſionis noviſsimæ circa finem Lib. XXXVIII. expoſitæ, item Lib. XCII. t. 1 t. 5. quatenus huic accedit tractatio de Privilegiis Creditorum, nec non Lib. XLIV. t. 1. 3. 7. Lib. XLV. t. 2. Lib. XLVI. t. 1. 3. Lib. XLVII. t. 1. Lib. XLVIII. t. 5. 18. 19. Lib. XLIX. t. 1. ſeqq. Lib. L. t. 1. 2. 7. Tertio materias ex ipſo fori ſtrepitu notiſſimas, ſed prætermiſſas aut vix tactas in memorato libello, congruis locis adjecit, cujus rei ut quædam exempla referamus, egit de Retractu p. 248. Cambio p. 283. Areſto communi p. 231. & Saxonico p. 288. Annuis Reditibus p. 308. Intereſſe p. 310. Inſtrumentis & officio Notariorum ex R. I. d. A. 1512. p. 321. ſeqq. Executoribus Ultimarum Voluntatum p. 426. Fideicommiſſis Familiæ p. 443. ſeq. Operis Ruſticorum p. 458. Hominibus propriis p 493. Expenſis in litem p. 519. Executionibus Sententiarum p. 522. ſeq. Inhibitionibus p. 541. ſeq. Concurſu Actionum p. 588. Proceſſu Inquiſitorio p. 620. Accuſatorio in ſpecie tali & Bannitorio Imperii, præcipueque Saxonico p. 618. ſeq. Magiſtratibus Civitatum Imperii & Provincialium p. 722. ſeq. Jus olim & noviter controverſum haud neglexit, noviſſimas tamen magis quam antiquatas propoſuit controverſias, ſuppeditata inprimis ratione decidendi, cujus inſtituti cauſam in Præfamine ad Lectorem recenſuit. Itaque hic liber ad commode docenda, apprehendenda repetendaque Jura Digeſtorum compilatus, iis, qui laudatiſſimo Compendio Juris Lauterbachiano hactenus innutriti ſunt, vice Supplementi, Pandectarum vero theoretica & practica fundamenta hauſturis, & in foro, maxime Saxonico, verſaturis, ob immixta Juris tam Communis quam Electoralis Saxonici principia, ſingulari adjumento fore videtur.

*FEBRIS EPIDEMICÆ ANNO 1694 & 95. IN NORICÆ DITIOnis oppido Herſpruccenſi & vicino tractu graſſari deprehenſæ, tandemque petechialis redditæ Hiſtorica Relatio, in Obſervationum Semicenturiam digeſta a* JOH. LUDOVICO APINO *D. Phyſ. Herſpruccenſi & Nat. Curioſ. Collega Nonus dicto.*

Noribergæ ſumptibus Andr. Otton, Swobaci A. 1697. pl. 20.

QUanta hactenus ex decantatiſſimis Naturæ Curioſorum Miſcellaneis in Medicorum ſcholas redundarint emolumenta, nemini obſcurum eſſe poteſt. Quorum inclyto Ordini Auctor nobiliſſimus adſcriptus, Specimen aliquod, ut dignum ſe tanto ſiſteret honore, Febre epidemica, quæ anno 1694 & 95 in ditione Norica ſæviebat, materiam ſuggerente, exhibere nullus dubitavit. Præmiſſo diſcurſui, quo principium, incrementum finemque Febris examinat, adjunxit Semi-Centuriam Obſervationum, quibus, prævia morbi ætiologia, Methodum novam atque expeditiſſimam, qua uſus fuerat, declarat. Principium igitur fontemque ipſum Febris epidemicæ pluvias fuiſſe creberrimas autumat, quæ A. 1694. menſe Auguſto ingruentes, ad Decembrem usque perſeverarunt. Ex his præhumidum aërem partim cum ſaliva in ventriculum, partim per inſpirationem atque cutis poros in corpus intraſſe, atque alimenta & ſanguinem vitioſo ſignaſſe charactere, ipſosque ſpiritus in motus concitaſſe inordinatos, non ambigit. Horrorem hinc febrilem ex fuga ſpirituum propter auram peregrinam deducit, non quod ſpiritus calidi exiſtant, ſed quod ex defectu horum uterque ſanguinis motus refringatur, & excurſus particularum ſulphurearum bilioſarumque prohibeatur. Calorem econtra motui ſpirituum impetuoſiori tribuit, quod hactenus coërciti, excuſſo elaſticitate ſua hoſpite peregrino, vehementius agitentur, particulasque ſanguinis bilioſas in majorem rapiant motum. Mitior hactenus Febris pueros, fœminas gravidas atque pauperculas, raro robuſtiores infeſtaverat. Incrementum vero cum Lues epidemica ſub ipſis anni 95 auſpiciis cepiſſet, maculas oſtendiſſe petechiales refert, quarum duas allegat cauſas, manifeſtam aliam, aliam occultam. Illam ſubito mutatum tempus rigidiſſimumque gelu, negotium tranſpirationis ſufflaminans, colluviemque ſeroſam incraſſans, fuiſſe judicat; hanc vero morbidum appellat ſemen, quod ſua virtute fermentativa multiplicandi ſeſe potentiam habuerit. Modum, quo viſcidum hoc alia quoque corpora inficere potuerit, indagans, adſtruit, latitaſſe ſub hoc ſal volatile acrius, mediam ex ſale acido & alcalico naturam præ ſe ferens, quod cum effluviis exhalans ex corpore alios infeſtare facile potuerit, præprimis illos, quibus majori cum ægris converſatione opus erat. Ad Methodum medendi quod attinet, ſolenne ipſi fuit, uti Obſervationes

ipſæ

ipſæ teſtantur, purgatis ventriculo atque inteſtinis, alexipharmaca & ſudorifera exhibere, quibus tamen fermentum febrile, ſi firmius hæreret, cedere noluit. Corticem ideo Peruvianum ſive Extractum hujus illis, captata doſi conveniente, admiſcuit, ejusque efficaciam, quæcunque ſupervenerint ſymptomata, ſummopere deprædicat. Febres petechiales ipſas eodem ſe medicamento, in majori tamen copia exhibito, curaſſe fatetur, ridetque illos, qui ex ſapore adſtrictorio Corticis, qui tantus non eſt, inſpiſſari & coagulari ſanguinem volunt, cum magis attendendus veniat odor aromaticus cum ſapore amaricante. Denique æſtu Solis intenſiori Febris, dyſenteria superveniente, ſublata fuiſſe videbatur; ſed caniculis temperatis priſtinam ſuſcepiſſe iterum faciem, rariorem tamen exſtitiſſe exponit, donec Divina favente gratia, ſpirantibus ex Oriente ventis, firma ac certa recuperata fuerit valetudo.

## THE ENGLISCH HISTORICAL LIBRARY &c.

Hoc eſt:

*BIBLIOTHECA HISTORICA ANGLICANA, SIVE BREVIS Idea atque character plerorumque Scriptorum hodie extantium, ſive typis impreſſorum ſive manuſcriptorum, qui utiles eſſe poſſunt generalem Angliæ Hiſtoriam molientibus. Auctore* GULIELMO NICOLSONO *A. M. Archidiacono Carleolenſi.*

Londini apud Abelem Swall & T. Child, 1696, 8. plag. 17½.

MUltum deſiderari a Viris in Anglia doctis, patriæque amantibus, ab annis aliquam multis generalem quandam totius regni Hiſtoriam, Cl. Auctor in Præfatione hujus operis nos docet. Et quamvis varii, editis quoque ſpeciminibus, eam hactenus polliciti fuerint, difficile tamen adeo Hiſtorici munus, præcipue autem Angliæ res exponere in ſe ſuſcepturi, eſſe exiſtimat, ut fere deſperet, unquam tale aliquod opus, cum doctiorum approbatione, lucem eſſe viſurum. Sane J. Duntonum, qui tale quid ſeſe moliri, publicata aliqua operis ſui delineatione profeſſus eſt, jam ſatis prodidiſſe ait, quam parum aptum Angliæ ſeſe Hiſtoricum obtrudat, dum a diluvio operis ſui exordium facturum ſeſe eſſe fuerit pollicitus. Imo ne Seldenum qui-

dem, quod Cl. Gale exiſtimavit, tanto molimini parem fuiſſe futurum, e Præfatione ejus ad X Scriptores Hiſt. Angl. item e Spicilegio ad Eadmerum, ejusdemque Jano Anglorum abunde patere arbitratur. Camdenum autem ipſummet imprudentiæ juvenili tribui id voluiſſe obſervat, quod Britannicæ ſcribendæ hiſtoriæ animum unquam adjecerit. Miltonum denique atque Templium nunquam id animo agitaſſe dicit, ut generalem vel illorum, de quibus commentati ſunt, temporum hiſtoriam ſcriberent. Optare itaque ſeſe dicit, ut varii Viri docti, ſinceri, bellique ac pacis artibus Hiſtorico neceſſariis inſtructi, linguarumque tum veterum, Britannicæ nimirum, Saxonicæ, Danicæ atque Latinæ, quam recentiorum periti in unam quandam coeant Societatem, omniaque Angliæ monumenta ſtudioſe excutiant, atque ſic unum aliquod concinnent opus, quod omnium calculo approbatum, luce publica dignum judicetur. Fraternitati hujusmodi imaginariæ inſervire ſe voluiſſe, Cl. Autor ait. Quamvis enim jam olim hujusmodi Catalogos concinnatos eſſe non ignoraverit, a Joſcelino, Thoma Fullero, P. Heylino, illis tamen vel lucem adſpicere non licuiſſe, vel exiguam ſolum Hiſtoricorum eos partem recenſuiſſe innuit. Enarrat deinceps eos, qui collectiones Scriptorum rerum Anglicarum edendo, bene de patria meruerunt: opera tamen iſta accurato examine errorum, tum ab ipſis autoribus, tum ab amanuenſibus atque typographis commiſſorum indigere monet. Inter illos H. Whartoni quoque meminit, quem Angliam Sacram tertio quoque quartoque tomo aucturum fuiſſe ait, niſi adverſa Reverendiſſimi Patroni ejus fata interceſſiſſent. Diſſertationes tamen ejus, quas ipſe duobus jam editis tomis inſeruit, minime probari Cl. Autori noſtro videntur, qui premendas eas & δευτέραις φροντίσιν expoliendas fuiſſe judicat. Sane ſententiam ejus de duobus Ælfricis, quam ipſe *tot tantisque firmatam argumentis exiſtimet, ut non facile aliis rejicienda ſit*, nulli alii fundamento inniti obſervat, quam immani cuidam Wheloci errori, Chronicon aliquod Saxonicum male interpretantis. Memoratque Whartonum a nonnemine de hoc errore monitum, novo argumento in Addendis ſententiam iſtam firmare conatum fuiſſe. Catalogos porro MSSorum varios allegat, quibus in hac Bibliotheca ſua concinnanda fuerit uſus, hacque occaſione ad Catalogum omnium quæ in Brittanniæ Bibliothecis aſſervantur MStorum

rum

rum delabitur, in quo concinnando ab annis aliquam multis laudabilem operam poſuit Vir doctiſſimus Eduardus Bernhardus. Quod quidem opus ubi ex merito ſuo commendaſſet, id ſaltem ſeſe dolere ait, quod major cura in examinandis Catalogis, qui e locis diſſitis ad eum perferuntur, adhiberi non poſſit. Se enim ſatis certo perſuaſum eſſe, integrarum Bibliothecarum Catalogos in iſto opere exhiberi, cum tamen vix ullum voluminum recenſitorum in locis indicatis inveniatur. Hoc ipſum autem, quod accuratis theſaurorum ſuorum indicibus Anglia deſtituatur, excuſationis loco ſibi putat inſerviturum, multa forte Anglicorum ſcriptorum millia prætereunti.

Ut autem ad ipſum librum accedamus, in eo ita verſatur Autor, ut primo loco Scriptores Geographicos, Chorographicos & Topographicos exhibeat, eosque itidem qui de naturali hiſtoria & antiquitatibus, ut & de forma regiminis Anglicani commentati ſunt. In- c. I. ter illos de iis primum agit, qui geographicam Angliæ univerſæ hiſtoriam, deinde de his qui provinciarum quarundam urbiumque c. II. in ſpecie chorographias vel topographias ediderunt. Ad Chronicorum atque Annalium enarrationem inde accedit. Ubi diſtincte c. III. quidem agit de iis quæ generalia ſunt, atque vel ad Romanorum Brit- c. IV. tannorumque tempora, vel ad Saxonum & Danorum ævum, vel de- c. V. nique ad tempora quæ poſt Angliam a Gulielmo Conqueſtore occupatam abiere, pertinent. Poſtea vero etiam ſeorſim Lectorum ſu- c. VI. orum oculis exponit ea, quæ particulares ſolum Regum, Gulielmo Conqueſtore poſteriorum vitas, in annalium ordinem redactas complectuntur. Et hæc quidem ſunt, quæ in parte priori hujus operis clariſsimus Autor exponit. Jam porro ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in poſteriori, quæ lucem nondum vidit, Scriptores ſe acceſſurum pollicetur, primoque illos recenſiturum, qui res in Eccleſia Anglicana geſtas ge- c. VII. neratim, a primis Chriſtianiſmi in regno iſto incunabulis, usque ad Henrici VIII ævum, literarum monumentis conſignavere. Deinde eos c. IX, X. XI. qui hiſtoriam particularium Epiſcopatuum, Monaſteriorum atque Academiarum perſecuti fuerunt. Peculiari poſtmodum capite li- c. XII. bros, qui leges monumentaque ad ſtatum hujus regni pertinentia continent, ſe ait enarraturum, & denique Biographorum notitiam traditurum; ubi diſtincte iterum de iis qui Sanctorum hujus gentis, c. XIII. XIV. qui præſtantium in Eccleſia & Republica Virorum, quive Virorum

 literis

literis clarorum vitas memoriæ mandaverunt, acturum ſeſe eſſe pollicetur.

Eorum, quæ de ſingulis hiſce Scriptoribus, Cl. Autor tradit, hæc fere ſumma eſt. In ætatem plerumque eorum inquirit; quibus porro ſubſidiis inſtructi, ad conficienda, quorum autores ſunt, opera acceſſerint, & an bene an ſecus rem geſſerint, indicat: & denique ubi edita illorum opera ſint, aut in quibus bibliothecis manuſcripta deliteſcant, obſervat. Quæ omnia licet ſumma brevitate plerumque perſtringat; tantum tamen abeſt ut jejunus propterea ſit, ut potius largam rerum minime vulgarium meſſem ex opere non admodum voluminoſo Lectoribus promittere audeamus. Liceat ſpeciminis loco, ne quid partibus dediſſe videamur, nonnulla adducere. Inter Geographicos Angliæ Scriptores Venerabilis Beda etiam referendus eſſet, ſi fidem mereretur, quem paſſim alibi etiam clarisſimus Autor caſtigat, Pitſeus. Hic enim librum ejus *de ſitu & mirabilibus Britanniæ* apud Cantabrigienſes in bibliotheca quadam deliteſcere obſervat. Verum affirmat Nicolſonus, deceptum eum eſſe inſcriptione capitis primi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Venerabilis illius Viri, quam ab Ælfredo Rege in linguam Saxonicam translatam bibliotheca a Pitſeo allegata aſſervet: aliud ſane nihil, quod hujus argumenti eſſet, e calamo Bedæ profluxiſſe contendit. In Capite III, ubi de Scriptoribus ad antiquiſſimas Brittannorum res facientibus, eaque occaſione de ipſis antiquitatibus Brittannicis multa erudite diſſerit, ſub initium ſtatim linguæ antiquæ Brittannicæ notitiam ab eo, qui hanc Hiſtoriæ Anglicæ partem tradere cupit, requirit. Difficilem linguæ hujus, quantum quidem ex illa reſtat, acquiſitionem non fore ait, ſi magna adeo ejus pars periit, ut, quemadmodum doctiſſimus Bernhardus in Epiſtola ad Hickeſium, Grammaticæ ejus Anglo-Saxonicæ & Mœſo-Gothicæ ſubjecta, obſervavit, Lexicon Brittannicum Joh. Daviſii *ex quadrante ſaltem Cambricum ſit, ſemis habens a Latinis, quadrante altero Anglis dominis concedente*. Verum hanc doctiſſimi Viri obſervationem parum certam eſſe putat, majorem fidem habens Cl. Loydio, qui linguæ & antiquitatum patriarum peritiſſimus hanc ipſam rem penitius examinavit. Ille enim inter decem millia, quæ Lexicon iſtud exhibet vocabula, MD ſolum invenit, quæ Latinis ſimilia eſſe videantur. Quæ tamen Latinæ propterea originis eſſe non concedit. Saltem

p. 4.

p. 74.

poſt

poſt Cæſaris in Britanniam expeditionem invecta fuiſſe negat, cum, obſervante Sheringhamo, inter ea haud pauca ſint, quæ Cæſaris temporibus apud ipſos Romanos jam antiquata fuere. CC ex iis cum Anglicis aliquid habere cognationis ait, quæ tamen Anglis non deberi inde probat, quod dimidia eorum pars in Aremorico Ivonis Quilliverii Dictionario quoque inveniatur: reliqua porro omnia Cambrica eſſe, extra controverſiam exiſtimat, cum nullam cum alterutra iſtarum linguarum convenientiam habeant. Recenſet inde clarisſimus Autor, quibus ſubſidiis ad linguæ hujus interiora penetrare liceat, eos, qui Grammaticas & Dictionaria Britannica concinnarunt, diligenter enumerans. In Dictionario Britannico conficiendo Jo. Lelandum quoque operam poſuiſſe Pitſeum monere refert, ſed falſo iterum. p. 74. Deceptum enim eum fuiſſe ait ſyllabo & interpretatione antiquarum dictionum, quas in genethliaco carmine Edoardi VI natalibus conſecrato adhibuerat, carmini iſti ab eo ſubjunctum. Verum ad ipſos Hiſtoricos deinde accedens, Bardorum eam ſpartam apud Britannos antiquisſimos fuiſſe ait, qui carmine res geſtas virorum illuſtrium perſequebantur. Proſodiam eorum & obſervatas carminis leges Midletonum inveſtigare auſum fuiſſe ait in *Bardoniaetz* ſive Poetices Britannicæ Arte. p. 80. Magni inter illos nominis fuiſſe *Merlynum* ait, cujus verum nomen *Merdhyni* eſſe, & a patria *Mariduno* ei hæſiſſe, poſt Loydium monet; omnia autem, quæ de tribus hujus nominis viris Pitſeus cum aliis affert, nugas & fumos eſſe contendit, aut unicum ſolum aut nullum Merlinum extitiſſe perſuaſus. p. 81. Similiter e Gilda, quem antiquiſſimum eſſe dicit eorum, qui e veteribus rerum Britannicarum Scriptoribus ad manus noſtras pervenerunt, temere tres viros conflatos fuiſſe monet. p. 83. Equidem Lelandum etiam in ea opinione eſſe ait, quod a Gilda Hiſtorico Poeta ſit diſtinguendus: cujus poema quoddam *Cambreidis* nomine inſcriptum, Anglis ſurreptum & in Italiam ablatum ſit, ibi alicubi deliteſcens. Verum falſa hæc omnia eſſe ait, nec ullum aliud Gildæ cujusquam poema extare putat, quam iſtud quod Gildæ fictitii, ipſe Lelandus, Pſeudo-Gildæ vero nomine Uſſerius paſſim allegaverit. Alium ſuppoſititium Gildæ librum quoque memorat de Victoria Ambroſii, ex quo Joh. Pitſei Hiſtoriam Regum Brittannorum; item de primis inſulæ incolis; lites item Luddi & Nennii aliaque concinnata eſſe obſervat. Verum nimis diu nos jam detinuit caput, in quo

de-

de Britannorum veterum Hiſtoricis Cl. Autor agit; quamobrem reliqua quæ in eo tradit, non minus jucunda, tranſilientes ad alia pergimus. In eo itaque loco, ubi de Saxonum Hiſtoricis egit, pro more ſuo nonnulla ad linguam eorum facientia præmittens, inter ea Ælfrici Vocabularium Saxonico-Latinum commemoravit. Quod una cum Grammatica ejus e codice non optimo ad calcem Gloſſarii Anglo-Saxonici Somneriani evulgatum ait, melioribus codicibus in Bibl. Cottoniana, & D. Johannis Oxonienſi, quidquid contradicat Whartonus (in Auct. Hiſt. Dogm. Uſſerii p. 377. 374.) aſſervatis. Inſignibus autem plane elogiis ornat Gloſſarium Henr. Spelmanni, maximeque dolet, in poſtrema editione ei non acceſſiſſe notas atque auctaria, quæ in totum opus concinnata, deliteſcant inter Somneriana manuſcripta in Bibliotheca Cantuarienſi. Præterea ex hoc Spelmanni, alteroque Somneri Gloſſario, in magno ſuo mediæ & infimæ Latinitatis Gloſſario omnia ea Cangium depromſiſſe, quæ ad difficiliorum in antiquis Angliæ legibus locorum interpretationem faciunt, obſervat. Maxime autem hic notari meretur Autoris in Camdenum, Lambardum, Spelmannum omnesque Angliæ Antiquarios atque Hiſtoricos ſtrictura, quos tria diverſa Legum Anglicarum, Saxonum nimirum Occidentalium, Mercianarum item & Danicarum Legum digeſta temere confinxiſſe arbitratur. Deceptos nimirum eos eſſe ait falſa vocis *Laga* interpretatione, quam *legem* ſignificare perſuaſi e *Weſt ſexena laga*, *Myrcena laga & Dene laga* triplicem hanc legem comminiſcendi occaſionem nacti fuerint. Verum *Laga* non legem, ſed *regionem* ſive *provinciam* notare, ex ipſis legum Ethelberti, Cnuti & Eduardi locis, quæ huic errori occaſionem dederunt, evincit, adeoque omnem iſtam de triplici Anglorum lege famam mendacii arguit. Ex iis quæ de Danicis Hiſtoricis refert, nihil attingemus, niſi quod Eddam, ea quam Reſenius Hafniæ anno 1665 edidit, multo auctiorem in famoſiſſima Bibliotheca Sereniſſ. Ducum Brunſvico Lunæburgicorum Guelferbytana extare manuſcriptam, monendum eſſe ducamus. Inter Hiſtoricos denique, qui res poſt Gulielmum Conqueſtorem in Anglia geſtas deſcripſerunt, ſecundo ſtatim loco ponit, multisque laudibus ornat Marianum Scotum, cujus tamen Chronicum omnibus illis mutilatum, quæ ad Germanorum Hiſtoriam non pertinent, in Collectione Piſtoriana editum queritur; optimum tamen ejus & perfectiſ-

Marginal notes: p. 103. p. 106. p. 112. p. 139. p. 149.

fectisſimum codicem in bibliotheca Bodleiana extare memorat. Alios quoque Hiſtoriæ hujus temporis periodi Scriptores ubi percenſuiſſet, aliquammultos hodie audacem cepiſſe laborem generalem Angliæ Hiſtoriam compilandi monet, quos inter primas Joh. Marshamo, celeberrimi Canonis Chronici autoris filio, & Jac. Tyrrelio, Uſſerii Armachani e filia nepoti, tribuit. Quorum ille ſi parentis, hic ſi avi eruditionem & fidem ad hoc opus afferant, nil niſi præclarum putat eſſe expectandum.

*EXAMEN DE L' HISTOIRE CRITIQUE DU NOUVEAU Teſtament &c. par* ANTOINE COULAN.

i. e.

## Examen Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti, auctore ANTONIO COULAN, Londini Eccleſiæ cujusdam Gallicæ Paſtore.

Amſtelodami, apud P. Marret, 1696. in 8. Alph. 1. pl. 6.

QUæ Scriptorum, qui ea ſibi convellenda ſumunt, quæ conſtanter ſtatuta ſunt a pluribus, ſententiasque novas & inauditas in orbis eruditi ſcenam prodire jubent, fata eſſe ſolent, ut nunquam tot admiratores habeant, quin hoſtes quosdam profeſſos nanciſcantur; ea abunde expertus eſt Vir ob multa ingenii monumenta celeberrimus, Richardus Simon. Poſt alios autem etiam Auctor opuſculi hujus, virium ſuarum facturus periculum, cum eo in arenam deſcendit. Expoſitis nimirum cauſis, quibus adductus pugnam hancce capesſiverit, quas inter haud poſtrema eſt, quod virorum doctorum ſuper rebus criticis diſceptationes magni momenti quæſtionibus lucem affundant; inquirit, quid Richardum Simonem adduxerit, ut ſub diverſis nominibus titulisque latitare, & mox Hieronymi de Sancta Fide, mox Hieronymi le Camus, mox Simonvillæi, mox alio nomine inſigniri voluerit. Qua de re ſuas conjecturas afferens, ambitionis haud obſcure eum arguit. Hinc ad rem ipſam progreditur, & primo quidem disputat, an plane neceſſarium fuerit, ea, quæ credenda faciendaque hominibus ſunt, ut æternæ ſalutis compotes reddantur, Divinarum Litterarum monumentis conſignari? Negaverat hoc Simon, ut Traditioni, cui impenſe favet, robur aliquod inde conciliaret. Auctor autem ſecus ſentit, quæſtionemque affirmat, & ad argumenta, quibus Simon utitur, (quod ipſe Chriſtus Salvator minime neceſſarium judicaverit, ut ſe inter mortales verſante, ſua doctrina litterarum monumentis conſecraretur, quin quod nec Apoſtolis, ut hoc facerent,

Part. I. Epiſt. I.

Epiſt. II.

juſſerit, itemque quod Apoſtoli ferente ita occaſione, precibusque quarundam Eccleſiarum adducti ſcripſerint,) ita reſpondet, ut ea certa ratione concedi poſſe autumet, ſed non ita, ut a Simone proferuntur. Interim ex iis confici poſſe, non neceſſarium fuiſſe, ut doctrina

Epiſt. III. cœleſtis litteris ſcripturaque ad poſteros propagaretur, plane abnuit. Quod ad traditionem attinet, de qua ex inſtituto in epiſtola III. agit, minime confundendas eſſe quæſtiones ait, *unde nobis conſtet, libros ſacros ab iis auctoribus ſcriptos eſſe, quorum nomina præferunt*, &, *unde nobis certo conſtet, hoſce libros eſſe canonicos?* In priori ad traditionem recte provocari concedit, cum de facto lis ſit. Aſt canonicam Scripturæ ſacræ auctoritatem ex characteribus iſtis Divinitatis, in ipſis hiſce libris conſpicuis, nobis certa & infallibili ratione innoteſcere. Id

Epiſt. IV. quod prolixius ediſſerit adſtruitque. Cum vero hinc alia quæſtio oriatur, debeatne Scriptura ex traditione, an vero ex regulis ſanæ rationis, & artis criticæ explicari? poſterius affirmat, ſibique demonſtrandum

Epiſt. V. ſumit. Quæ cum ita ſint, concludit, perperam Simonem Proteſtantium ſententiam cum errore quorundam veterum Hæreticorum contendere, aut Patrum illi opponere auctoritatem. Quod iti-

Epiſt. VI. dem ſatis operoſe perſequitur. Hiſce ergo expeditis, quarta ſuccedit quæſtio: an Scriptura ſacra omnia ea, quæ creditu factuque ad æternam felicitatem conſequendam ſunt neceſſaria, contineat, ut adeo nulla opus ſit traditione? Affirmat eam citra ambages, & Scripturam pro unica fidei & vitæ regula reputandam eſſe profitetur, argumen-

Epiſt. VII. tisque comprobat. Sed præcipuum, quo ſuam ſententiam Simon tuetur, argumentum, quodque in ipſius Hiſtoria Critica utramque fere paginam facit, hoc eſt: libros divinos per ſe intellectu difficiles & valde obſcuros eſſe; accedere verborum phraſiumque ambiguitatem, lectiones variantes, malitiam aut ignorantiam illorum qui translationes in alias linguas adornant, & infinitas interpretum in oraculis divinis explicandis diſſenſiones: unde porro ſequi putat, traditionem non poſſe non in ſubſidium vocari. Auctor itaque doctiſſimus quædam Scripturæ loca obſcura & difficilia agnoſcit, ſed hæc, ut & cetera, quæ Simon objicit, tanti momenti eſſe, ut ad traditionem ſit recurrendum, negat. Quin telum in ipſum retorquet, & traditiones, ſi non

Epiſt. VIII. majoribus, ſaltem iisdem premi difficultatibus, probat. Finit tandem primam partem, demonſtrando infallibilitatem, ut vocant,

Part. II. quam Eccleſiæ Simon tribuit, omni plane fundamento deſtitui. In alte-

altera parte ad ſpecialia deſcendit, & primo contra Simonem evincit, titulos Evangeliis ab ipſis Evangeliſtis fuiſſe præmiſſos. Semper quippe in more poſitum fuiſſe, ſi a Moſis libris diſceſſeris, ut Auctores & nomina & titulos libris a ſe editis præfigerent. Moſis autem libros ideo illis deſtitui, quod illo tempore nulli alii extiterint libri, a quibus hac ratione fuerint diſcernendi. Oſtendit etiam, nihil inepti eſſe, ſi aſſeratur, autographa Apoſtolorum per aliquot ſecula in Eccleſia extitiſſe: qua occaſione Clerici partes contra Simonem tuendas ſuſcipit. De Evangelio Matthæi ita ſentit, nulla plane ratione probari poſſe, lingua Ebræa illud ab eo fuiſſe conſcriptum. Quod autem Patres nonnulli hoc affirmaverint, ex errore fuiſſe profectum, quod crediderint, Evangelium Ebræum Ebionitarum ipſum Matthæum habuiſſe auctorem. Digreditur hic pauliſper ad Ebionitas, eosque ab auctore & conditore ſectæ Ebione, non autem a voce Ebræa, quæ pauperem ſignificat, dictos fuisſe contendit. Marcum divi Petri interpretem eo ſenſu dici poſſe concedit, quod aut mandata Petri fuerit executus, aut illum in doctrinæ cœleſtis prædicatione adjuverit: ſed Evangelium ex Evangelio Matthæi eum concinnaſſe autumat. De Epiſtolis Canonicis diſſerens, Epiſtolam Jacobi, non a Jacobo Minori, ſed eo, qui cognomine Juſtus dictus eſt, ſcriptam eſſe evincit. De celeberrimo etiam loco 1. Joh. V, 7. ſuam aperit ſententiam, & allatis Simonis, Smithii & Arnaldi ſententiis, locum iſtum genuinum eſſe pronunciat; rationem autem, qui factum, ut in nonnullis codicibus non legatur, explicaturus, Arnaldo ſubſcribit. Tandem præcipua illorum, qui Divinarum Litterarum auctoritatem impugnant, argumenta refellit, ſcilicet, quod Scriptores novi fœderis non juxta linguam originalem, ſed verſionem LXX Interpretum oracula veteris Teſtamenti proferant, & quod eadem in alium plane ſenſum quandoque detorquere videantur. Finit totum opus, de uſu linguæ incognitæ & peregrinæ in cultu Numinis nonnulla ſubnectendo.

Epiſt. IX. Epiſt. X. Epiſt. XI. Epiſt. XII. Epiſt. XIII. Epiſt. XIV. Epiſt. XV. Epiſt. XVI.

## Joh. Wincklers Vertheidigung ſeines gründlichen Beweiſes der Kinder-Tauffe.

Hoc eſt:

*JO. WINCKLERI, APUD HAMBURGENSES AD D. MICHAELIS Paſtoris, Defenſio ſolidæ ſuæ demonſtrationis Pædobaptiſmi adverſus objectiones quorundam in Belgio Anabaptiſtarum.*

Hamburgi, apud Godofredum Libernickel, A. 1696. in 8. Conſtat Alphab. 1. plag. 9.

NAtum eſt hoc ſcriptum occaſione ſermonis cujusdam ſacri, quo dictum Chriſti Marc. X, 14. explicuerat, hujusque auctoritate pædobaptiſmum coram cœtu publico adſtruxerat æſtimatisſimus Hamburgenſium Paſtor, Maxime Reverendus Wincklerus. Eum enim latius deductum cum A. 1691 in gratiam nonnullorum, qui tunc a Mennonitis ad Orthodoxos tranſierant, evulgaſſet, reperti ſunt inter Anabaptiſtas Belgas, qui iſti ſe oppoſuere. Horum igitur oblocutionibus jam reſpondet Auctor, ac, ſicut in priore libello ſuas meditationes quinque incluſerat capitibus, ſic totidem ſectionibus nunc quoque ſcriptionem hanc abſolvit, quarum contenta potiora in ſummam more noſtro redigemus. In capite *primo* ante omnia objectionem ſiſtit, quæ mota ab adverſariis hanc ob cauſam fuerat, quod pædobaptiſmum probaſſet e tali dicto, unde nonniſi *κατὰ διάνοιαν* is inferri posſit, imo quod iſtum ne apice quidem uno adſtruat. Aſt huic ita ſatisfacit, ut primo, nihil ibi de pædobaptiſmo dici nequaquam largiatur, cum quoad ſenſum omnino Chriſtus effato iſto eum ſtatuminet; deinceps vero innuit, doctrinam, quæ e dicto aliquo per legitimam probetur conſequentiam, ſatis valide e Scripturis aſſertam dici poſſe, quandoquidem & Chriſtus Matth. XXII, 31. ſq. reſurrectionem, conſequentia uſus, adverſus Sadducæos roboraverit. Excipientibus vero, a reſurrectionis dogmate ad probationem pædobaptiſmi, in quo adhibenda ceremonia, quæ niti ſemper expreſſo Dei mandato debeat, non valere conſequentiam; regerit, multo magis conceſſum fore, ad ſtatuminandam aliquam ceremoniam conſequentiis uti, poſtquam in fundamentali quodam dogmate easdem adhibere Chriſtus non dubitaverit. Quinimo in Dei ordinationibus externis multas occurrere ait circumſtantias, quas Deus *κατὰ ῥητὸν* haud præceperit, viri tamen *θεόπνευστοι* per conſequentiam e verbo ejus deduxerint; quem in finem teſtimonia Apoſtolica Rom. II, 28. Ebr. X, 1. 1. Cor. IX, 9. potisſimum urget. Ulterius cum Anabaptiſtæ fœminas etiam ad baptiſmum admittant, manifeſte ipſos conſequentiis uti docet, cum nuſpiam earum baptiſmus mandatus expreſſe fuerit. Ante vero, quam ad textum ſuum principalem revertatur, alibi etiam in Scripturis pædobaptiſmum fundatum

eſſe

eſſe, quod adverſarii quidem negarant, oſtendit, eaquepropter dictum Matth. XXVIII, 19, locumque parallelum Marc. XVI, 15. fuſius exponit, & ab Anabaptiſtarum ψευδερμηνείαις prolixe vindicat: ac poſtea, baptiſmi utique mandatum exhiberi in verbis Chriſti, ſuper quibus jam controvertatur, oſtendit imprimis ex adhibita ab ipſo phraſi ἔρχεσθαι πρός με, cum enim via, qua ad Chriſtum venire infantes poſſint, ipſe ſit baptiſmus, hinc affatim patere ait, quod baptizari infantes Salvator hoc effato juſſerit. Fruſtra autem Anabaptiſtas innuit reponere, capaces eſſe debere baptizandos fidei, quam infantibus tribuere haud liceat. Licere enim utique contendit ex aperto Chriſti teſtimonio, Matth. XIIX, 6. quo in loco non infirmos ſane ac ſimplices, ſed parvulos a Chriſto deſcribi, & adultis in exemplum exercendæ fidei proponi, multis argumentis evictum dat. Obſtacula dehinc, quæ ex Anabaptiſtarum mente parvulos fidei incapaces reddant, nullius eſſe ait momenti, cum non humana qualitas, ſed operatio Spiritus Sancti extraordinaria utramque paginam hic faciat. Porro, utut Anabaptiſtæ, fidei neceſſitatem in omnibus ſalvandis Marc. XVI, 16. & Ebr. XI, 6. requiri probe perſpicientes, varios conquirant modos, textus hoſce cum ſuis hypotheſibus conciliandi, nil tamen ab ipſis, præter miſeram eorum detorſionem, præſtari ad oculum demonſtrat. Requiri concedit Gal. V, 24. a credentibus, ut carnem crucifixerint cum affectibus & concupiſcentiis; ſed hic peculiarem iſtius loci explicationem ſuppeditat, Paulumque haud præter rem verbo uti inquit præterito ἐςαύρωσαν; reſpicere enim ipſum ad Chriſti meritum, quo effectum fuerit, ut credentium peccata per imputationem æſtimentur pro crucifixis, quod eſt, pro enervatis, & talibus, quæ vim ſuam damnandi amiſerint. Quamprimum ergo quis iſtud ejus meritum apprehendat, frui ipſum iſthoc beneficio, unde & de credentibus parvulis queas dicere, quod per applicationem meriti Chriſti carnem crucifixerint cum ſuis affectibus & concupiſcentiis, ita, ut in iis non minus ac in adultis pro ipſorum actione reputetur ea, quæ a merito Chriſti profecta fuerit. His ita deductis, minutiora quædam & velut πάρεργα primi ſui capitis Auctor ab adverſariorum objectionibus adhuc liberat, ac v. g. explicationem vocis βρέφη de infantibus etiam trimulis, locumque 2. Tim. III, 15. ubi Timotheus ἀπὸ βρέφους Scripturam noſſe dicitur, ea occaſione illuſtratum, aliaque ſimilia ulterius confirmat.

Sub initium *ſecundi* capitis ſpiritualem ad Chriſtum acceſſum priorem eſſe poſſe in infantibus acceſſu corporali, quicquid contra aſſerant Anabaptiſtæ, ſtatuit, ac ipſos quoque invitatos ait Matth. XI, 28, cum peccatis certe onuſti ſint, jugumque non minus Chriſti ſuſcipere, ac refectionem ejusdem percipere valeant. Circa loca autem Luc. VI, 47. XIV, 26. Joh. V, 40. VI, 35. male credere obſervat adverſarios, ac ſi ea ideo adduxiſſet, ut ſigillatim infantium ad Chriſtum acceſſum iisdem probaret, cum potius acceſſum fidelium ad Chriſtum generatim iis adumbrare voluerit. Ex ultimo etiam collato cum Joh. VI, 44. trahi infantes a Patre cœleſti multis probat, ac divinam operationem in puſillos etiam quam maxime cadentem prolixis rationibus adſtruit. Dixerat Auctor, quod ad Chriſtum venire idem ſit, ac ejus adſcribi diſcipulis; hanc ergo phraſeos interpretationem amplius tuetur, &, quo pacto ea ex proſelytorum hiſtoria illuſtrari poſſit, commonſtrat. Abſurdam autem illam conſequentiam, quam inde fluere putarunt Anabaptiſtæ, fore adeo dicentes, ut, ſicut proſelytus ſtatim a ſuſcepta circumciſione Paſchati comedendo aptus judicatus fuerit, ita infantes quoque ſtatim a baptiſmo ad ſacram cœnam debeant admitti; redarguit, dum inter alia ne proſelytorum quidem Judaicorum infantes, licet circumciſos, ante diſcretionis annos ad paſcha admiſſos fuiſſe perhibet. Dehinc cum per τὸ *venire* infantium ad Chriſtum, in loco præſenti non intelligi queat acceſſus corporalis, quippe infantibus tenerioribus adhuc negatus; nec beatus per mortem, quippe quem impedire nemo poſſit; hinc ſpiritualem ſolum remanere innuit, & eum quidem non immediatum aliquem, qui rurſus a quopiam ſufflaminari haud queat, ſed mediatum, qui per parentes in allatione ad baptiſmum promoveatur. Nimis ſibi placuerant Anabaptiſtæ in jactata Tertulliani auctoritate, qui hunc textum nonniſi de liberis adultis intellectum voluerit; ſed hanc veritati nihil obeſſe Auctor regerit, colligit tamen exin, quod ævo jam Tertulliani locus ille de pædobaptiſmo fuerit expoſitus, utut hic peculiarem opinionem in determinanda ætate ſequi maluerit. Infantes dici poſſe Chriſti diſcipulos, exinde impugnarant Anabaptiſtæ, quod doctrinæ ejus incapaces ſint. Sed Auctor reſpondet, nec unumquemvis, qui recipiatur in alterius diſciplinam, informatione ſtatim imbui, nec infantes doctrinæ capaces aſſerere abſurdum eſſe, niſi in perſuaſione eorum, qui rem totam heic ex viribus natu-

naturæ dijudicent. Diſcipulos Chriſti eosdem eſſe ac Chriſti ſervos, Anabaptiſtæ aſſeruerant, ſervum autem alicujus vocari non poſſe, niſi eum, qui voluntatem domini ſui norit, & hanc tamen notitiam exulare ab infantibus. Verum notitiam præſtandi officii non præciſe requiri ab eo, qui in ſervum conducatur, nec omnem ab infantibus notitiam removendam venire Auctor contra aſſerit, qua de cauſa & omnino Chriſti ſervos nuncupare eos liceat. Requiſiviſſe olim Johannem & Apoſtolos a baptizandis confeſſionem fidei pœnitentiæque & converſionis, non negat Auctor, quia ipſis cum adultis res fuerit; verum haud permittit, ut quis colligat, ac ſi denegata infantibus eandem edendi poteſtas baptiſmum eorum ipſum tollere valeat. Ubi iterum ad auctoritates ventum eſt, denuo explorat Auctor mentem Tertulliani; iſtud vero, quod Anabaptiſtæ aſſerunt, Tertulliani demum ævo pædobaptiſmum paulatim fuiſſe introductum, penitus inficiatur, & nec ex Tertulliano ipſo, nec ex aliis talia poſſe colligi, manifeſtum efficit. Nec juvare ait Anabaptiſtas, prout illi glorientur, Juſtinum, utpote qui adultorum mentionem faciens, infantium certe baptiſmum in uſu fuiſſe ideo nequaquam docuerit. Impoſitionem manuum a Chriſto heic eflagitatam non aliam fuiſſe, quam quæ in Baptiſmo facta fuerit, inter alia etiam ex uſu hujus ritus, quem primitiva Eccleſia inter baptizandum retinuerit, olim probarat Auctor; nunc igitur & ea antiquitatis monumenta profert, e quibus, quod infantibus quoque baptizandis manus quondam fuerit impoſita, diſpaleſcat. Expreſſo, quod Anabaptiſtæ requiſiverunt, pædobaptiſmi mandato opus haud fuiſſe ſtatuit, quandoquidem ſumma baptiſmi neceſſitas jam tum probari ſatis queat ex Chriſti verbis Joh. III, 5. ubi neminem potiri poſſe regno cœlorum dixerit, niſi qui ex aqua Spirituque regenitus fuerit. Quam autem ob rem Deus in circumciſionis præcepto expreſſam fecerit parvulorum mentionem, inquirit, idque ideo factum eſſe cenſet, quod nonniſi octavo die eos circumcidi voluerit. Talem vero mentionem in baptiſmi mandato non fuiſſe abſolute neceſſariam contendit, nec, quod ea ibi haud reperiatur, infantibus quicquam obeſſe vult, quandoquidem alias & fœminæ arcendæ hinc eſſent, cum nec earum Dominus meminerit. Cæterum inter circumciſionem & ſubſtitutum in illius locum baptiſmum non omnimodam ubivis paritatem intercedere debere monet, atque hoc pacto varias Anabaptiſtarum objectiones deſtruit.

ſtruit. Ex eo, quod Chriſtus dixerat, parvulorum eſſe regnum cœlorum, pædobaptiſmum roborare Auctor olim laboraverat, cum nemo niſi per hunc introire queat in regnum cœlorum. Sed cum Anabaptiſtæ locum, quo theſin hanc adſtruxerat, claſſicum, Joh. III, 5. ſugillarint, hinc in eo ulterius defendendo jam totus Noſter eſt, ac imprimis, quod regeneratio non ad ſolos adultos reſtringenda ſit, demonſtrat, ſicuti & ex Eph. V, 26. probari poſſe, quod baptismus ad infantes non minus ac adultos pertineat, iteratis rationibus confirmat. Pluribus quoque evictum dat, recte ſe quondam collegiſſe, pari modo ac infantes V. T. per peculiare quoddam medium in regnum Dei introiverint, infantes quoque N. T. medio peculiari illuc pervenire, quod aliud non ſit, præterquam baptiſmus. Tandem vero nihil amplius actum circa caput hoc ab adverſariis teſtatur, quam quod non pauca argumenta olim allata ſilentio prætermiſerint, econtra vero paſſim verba quædam ſingularia captaverint, inque alienum ſenſum detorſerint. Caput *tertium* fidei infantium aſſerendæ deſtinatum eſt, quam cum decem argumentis propriis impugnare Anabaptiſtæ niſi ſint, ſingula recenſet Auctor bona fide, optimaque dexteritate reſolvit. Nihil autem iſti in medium proferre noverunt, quam obvium in infantibus defectum auditus verbi, notitiæ, aſſenſus, fiduciæ, facultatis exercendi bona opera, unde ad ipſius fidei abſentiam concludendum eſſe arbitrati fuerunt. Sed quam ἀτόπως hæc dicantur omnia, Noſter eo, quo ſolent alias Theologi Lutherani, modo egregie patefacit, ſimilique ratione ea etiam refellit, quæ decem illis argumentis, quibus ipſe fidem infantium olim adſtruxerat, antagoniſtæ oppoſuerunt. Qua occaſione Lector loca Rom. I, 17. Hab. II, 4. Rom. X, 9. Joh. I, 12. aliaque dilucidata non ſine fructu reperiet. In Capite *quarto* defendit ſuam conſequentiam, ubi ex eo, quod Chriſtus diſcipulis ſuis, qui infantium baptiſmum impedire conabantur, contradixerit, olim collegerat, parvulos utique ad baptiſmum admittendos eſſe. Omnino etiam opus fuiſſe innuit, ut Diſcipuli expreſſum Chriſti interdictum protuliſſent, ſi valide arcere voluiſſent eos qui infantes apportabant; hoc vero eos caruiſſe; quinimo & juxta Chriſti ordinationem integras familias ab iis baptizatas legi urget, quodque ſub his quam maxime & infantes comprehendantur, adverſus Anabaptiſtas circa ſingula exempla ſacra probat. Voluerant Anabaptiſtæ neceſſitatem pædobaptiſmi inter alia

ex

ex hoc fundamento tollere, quod infantes labe originali infecti non eſſent: ſed hoc veritati cœleſti & experientiæ prorſus refragari, conſuetis uſus argumentis Noſter regerit. Rationes, quas pro eodem pædobaptiſmo ex Act. II, 38. depromſerat, latius tuetur, ac ſub finem capitis de iis, qui primi in parvulos adeo iniquos ſeſe geſſerint, & quorum veſtigiis hodienum Anabaptiſtæ inſiſtant, ex Hiſtoria nonnihil ſuggerit. Caput tandem *quintum* breviſſimum eſt, utpote in quo Auctor paucis ea repetit, quæ de regno Dei (Eccleſia puta, qua triumphante in cœlis, qua militante in terris, hujusque bonis ac mediis) ad infantes pertinente ſcripſerat. Cum enim adverſarii momenta rei huic probandæ imprimis ſervientia intacta reliquerint, ac nihil fere inſuper protulerint, niſi quod ex antea dictis abunde queat refutari, hinc poſt paucarum objectionum examen in pia ad Anabaptiſtas paræneſi deſinit.

*THESAURI BRANDENBURGICI A LAURENTIO BEGERO concinnati Pars altera,*

Coloniæ Marchicæ, 1696. in fol.

GEmmas, quæ in Potentiſſimi Electoris Brandenburgici cimeliarchio reperiuntur, a doctiſſimo ejus cuſtode venuſtiſſime expoſitas, & eruditis commentationibus illuſtratas, præterito menſe Septembri anni ſuperioris p. 433. ſeqq. contemplati, nonnullas earum ſpectandas exhibuimus, ut ex iſtis lucidiſſimis veluti particulis de totius operis ſplendore documentum daremus. Nunc nummariam inſtructiſſimam penum excutiemus, & quædam a clariſſimo Begero publico conſpectui expoſita, ac in dialogi formam compoſito commentario, in quo ipſe ſub *Dulodori* nomine veram de quolibet nummo ſententiam pronunciat, illuſtrata Numiſmata proferemus, Lectoris deſiderium ad cognoſcenda omnia in pulcherrimo iſthoc opere exhibita accenſuri. Horum quatuor claſſes conſtituit Auctor: in quarum primam ea redegit, quæ a Regibus & illuſtribus Viris conflata, aut in eorum honorem fuerunt cuſa; altera Magnæ Græciæ & Siciliæ antiquos nummos complexus eſt; tertiam Inſularum Græcarum; quartam reliquarum Græciæ urbium & coloniarum, in Aſia denique & Africa percuſſi nummi implent: e quarum ſingulis quosdam depromemus & Lectorum oculis exponemus.

Ex Regum & illuſtrium Virorum nummis, etſi præclari o-

mnino ſunt omnes, qui in Macedonia, Aſia, Syria, Ægypto, Pergamo, Bithynia, Caria, Ponto, aliisve regionibus in honorem Regum ſuorum percuſſi fuerunt; quales hic conſpiciuntur Archelai, Amyntæ, Philipporum, Alexandri Magni, Lyſimachi, Perſei, Pyrrhi, Antigoni, Demetriorum, Seleuci, Antiochorum, Ptolemæorum, Batti, Pruſiæ, Pharnacum, poetarum item Arati, Poſidippi, & aliorum clarorum virorum; præ cæteris producere lubet nummos quatuor elegantia non minus, quàm raritate ſua, æſtimandos. Primum in his locum obtinet, qui *Seleuci Cerauni*, atque *Antiochi*, qui Magni poſtea cognomen tulit, Fratrum, refert facies; Dioſcurorum habitu, quem ex pileis atque coronis cognoveris, ideo expreſſas, quod vel locis citra Taurum ab Attalo oppreſſis fuiſſent auxilio, vel ob alius ſpem victoriæ.

TAB. II. Fig. I. p. 253.

Fig II. p. 267. Secunda Figura *Pruſiæ* Bithyniorum Regis refert vultum, ſed juſto fortaſſe elegantiorem; ſiquidem ut animo varium, ita ſtatura exiguum, facieque illiberali, produnt eum Auctores. Etſi, quod Tzetzes tradidit, ſuperna oris parte loco omnium dentium os continuum ipſi fuiſſe, ad filium potius ejus, ut ex Valerio Maximo & Plinio conſtat, referri debet. Jovem Tarantæum averſa refert (id quod literæ T A indicant) cujus in Bithynia, a Bithyno quippe Jovis filio nuncupata, ſummus erat honos. Sed raritate ſua magis fortaſſe eminet, quod ſub Fig.

Fig. III. III depingimus, numiſma, quodq; *Lydolæ* Corinthii equam exhibet, (*Auram* vocabant.) Minervæ in hoc noſtro propter celeritatem & prudentiam, ut Marti in alio propter fortitudinem & robur, ſacram. Lydolam autem nummus teſtatur fuiſſe domini nomen, non Phidolam, quo nomine illum quinquies vocat Pauſanias, forſan ab aliis, a quibus rem hauſerat, deceptus. Sequitur in Fig. IV. *Ulati Ateulæ* nummus. Etſi

Fig. IV. p. 313. vero hic ad Attilam Hunnorum Regem (ut viſum clariſſimo Viro alii fuerat) referri, Begero judice, non poteſt; non tamen æque exploratum eſt, quis ille hominum fuerit, quem hic Vlati Ateulæ nomine inſignitum legimus. Ulattum quidem familiæ fuiſſe nomen apud Lugdunenſes, Sponii quædam inſcriptio Lugduni in vico de Flandres reperta indicat:

C.ULAT. . . . .
ASPR. . . . . .
HONO. . . .
FU. . .
C.ULATTI.

Hinc

TAB. II. ad A. 1697. pag. 42. M. Ian.

*fig. 1.*




*fig. 2.*




*fig. 3.*




*fig. 4*




*fig. 5.*




*fig. 6.*




*fig. 8.*




*fig. 7.*




*fig. 10.*




*fig. 9.*




*fig. 12.*





*fig. 11.*




*E Andre Sohn sculps. Lips.*

Hinc Ulattum hunc, cognomento Ateulam, Lugdunenſem fuiſſe, non improbabile exiſtimat Begerus. Quicquid de eo ſit, juvenile illud caput in altera nummi area expreſſum eſſe Cupidinis, ex additis alis cognoſcitur. Sed ad ſecundam claſſem pergimus, & e tot faberrimi operis nummis duos velut in illuſtri poſitos intuemur. Alterum Figura V exhibet, ad *Luceriam* Dauniæ ſeu Apuliæ potius, utpote celebriorem, quam ad Luceriam Galliæ Ciſalpinæ, referendum. Certe nulla fuit, ſi Dionyſio Halicarnaſſæo credimus, Italiæ urbs, quæ non Herculem aris coluerit & fanis. Cui accedit, quod Luceria illa colonia fuerit Romanorum, qui inter conditores ſuos Herculem numerabant. Factum inde videtur, ut Latina nummus inſcriptione ornaretur, quæ traxit tamen aliquid ex Græco, *OU* pro *U* ponendo, eo prorſus modo, quo Fourium pro Furio legimus. Alterum e ſecunda claſſe numum Fig. VI repræſentamus. Is ex Palladis & galli cum ſtella typis, *Calenorum*, urbis Campaniæ, haberi poteſt: ſed inſcriptio eum *Axuritis* potius, iisque Volſcis, adjudicare videtur. Verum Begerus ad oppidum *Circes*, quod centum tantum ab Axure ſtadiis diſtabat, reſpici hic arbitratur, quod ibi Minervæ quoque ara fuerit monſtrata, quodque Circe Solis filia & gallus Solare animal fuerit. Cæterum nummi hujus raritatem haud mediocriter auget inſueta alias literæ Ξ figura. Eadem enim, ſed clauſa tamen, quæ hic cernitur aperta, quibusdam in nummis τὸ K, nunquam, ut hactenus quidem eſt obſervatum, τὸ Ξ referre viſa eſt. Neque vero abs re cum Auctore Volſcos dixeris & Oſcos affines inter ſe literas, quales, utut non figura, poteſtate tamen ſunt K & Ξ (nam ſi τῷ K junxeris Σ, expreſſeris poteſtatem literæ Ξ) etiam figuris affinibus expreſſiſſe. Ad tertiam venimus claſſem, e qua tres nummos decerpi operæ exiſtimavimus futurum. In his ſeptimum nobis locum occupat *Elyriorum* nummus, qualem fere (niſi quod loco capræ arborem depaſcentis, caput tantum capræ exhibet,) produxerat jam ante Harduinus *in Nummis Antiquis Populorum & Urbium pag. 149.* arbitratus capræ caput ſignatum, quod Elyrii capellam æneam, teſte Pauſania, Apollini dono miſiſſent: in averſa parte apem appoſitam, ad mellis ubertatem & præſtantiam, in monte imprimis Carina, cui forte urbs Elyros impoſita fuerit, ſignificandam. Begerus vero per apem non mel, quod conficit hoc animal, ſed ſolertiam potius ejus deſignari cenſet; cum de apibus Cretenſibus Plutarchus referat,

TAB. II. Fig. V. p. 317.

Fig. VI. p. 357.

Fig. VII. p. 403.

ferat, quod promontorium quodpiam ventoſum prætervolantes, ne tranſverſæ abriperentur, lapillis ſeſe ſaburrarint. Neque per capram ad eam putat reſpici, quæ Apollini miſſa eſt, ſed ad frequentiam caprarum Cretenſium, infeſti arboribus animalis. Per literas *MI* api appoſitas vel Minoëm, ſeu primum, ſeu ſecundum, Cretenſium Regem, indicari cenſet Noſter; vel Miletum urbis homonymæ conditorem; vel ipſam denique Minoam, Cretæ urbem: non obſtante, quod in altero latere Elyros jam legatur, ſiquidem duarum quandoque urbium nomina ad concordiam deſignandam in eodem nummo compareant.

TAB. II. Fig. VIII. p. 409. Nummus in Fig. VIII. delineatus ad *Marium* Cypri urbem ab Auctore refertur. Qui enim Marioni Alexandrino, quem in Olympicis oleam de lucta meruiſſe ferunt, ejusque uxori alias incelebri vindicare hunc nummum velit, ei folia ramorum atque coronarum illic expresſarum obſtant. Siquidem ea non longiuſcula ſunt, qualia oleæ ſolent, ſed ad rotunditatem vergentia, qualia ſunt myrti, quam Veneri æque ac ipſam Cyprum urbemque illius Marium conſecratam fuiſſe nemo neſcit. Veneris ergo hic faciem cælari nullum eſt dubium: virili autem autem facie altera vel Deorum aliquem, ut Neptunum aut Jovem, vel ipſum urbis conditorem Marieum exprimi, facili conjectura aſſequimur.

Fig. IX. p. 428. Quem in Fig. IX exhibemus, *Chalcidenſium* nummus eſt. In illo pugna delineatur aquilæ cum ſerpente; qua tamen quid ſignificetur, haud adeo apertum eſt. Auctori quidem non urbis ſymbolum, aut quoddam prodigium, ſed fortitudinem indicari viſum eſt, tropæi maxime figura adjecta, & quod celebretur a Scriptoribus Chalcidenſium fortitudo, perſuaſo. Ad ultimam properamus claſſem, totidem inde numiſmata selecturi, quot dedimus e tertia.

Fig. X. p. 483. Neque in Fig. X hærebimus, quæ *Theſſalonicenſium* refert nummum, a Jacobo de Wilde quidem jam luculenter illuſtratum, ita tamen, ut Noſtro non deſint, quæ aut ſuppleat, aut emendet, ex ipſomet libro haurienda.

Fig. XI. p. 507. Ad *Tarſeorum* igitur nummum in Fig. XI delineatum progredimur, qui aliam nunc longe ab Auctore, quam in Theſauro Palatino, explicationem eſt expertus. Siquidem quem olim ad Tarſum Hiſpaniæ retulit, rectius ad Tarſum Ciliciæ referri nunc putat, quam quidam a Sardanapalo conditam aſſerunt. Hinc Sardanapali, Aſſyriorum Regis, hic effingi ſepulcrum & ſtatuam, non eſt a vero illi abſimile, ne repugnantibus quidem quatuor literis in nummo adſcriptis.

Nam

Nam ſecunda A & quarta Δ cuivis patent; ſi ergo primam Σ & tertiam P ſtatuas, quod reliquiæ non reſpuunt, principium nominis SARDanapali exſurget. Viri etiam animalculo inſiſtentis pileus, palla regia, ſagittæ, huc quadrant. Neque animal illud auritum, quod ad lupi cervarii formam accedit, cum immenſæ gulæ memoretur, ab indole Sardanapali eſt alienum. Tandem quod ad nummum XII *Beryti* urbis attinet, ſecundas & in eo explicando curas expertus eſt meliores Auctor. Quandoquidem non vexillum amplius & pileos, quibus libertatem urbis adumbrari putaverat, agnoſcit; ſed vexilli loco apluſtre, ſive velum parvum in navigiis uſurpari ſolitum, pileos vero Dioſcurorum ſeu Cabirorum, (ſolum enim nomine differunt, re vera iidem) quibus perinde ac Neptuno & piſcatoribus Berytum dono dediſſe Saturnus memoratur, quique primi navigium dicuntur inveniſſe. Unde & faciem in numiſmate expreſſam aviæ Saturni *Beruth* eſſe, & ab ea Berytum dictam hariolatur. TAB. II. Fig. XII. p. 512.

*SEXTI AURELII VICTORIS HISTORIÆ ROMANÆ BREviarium, cum Notis integis variorum, edente*
SAMUELE PITISCO.
Trajecti ad Rhenum apud Fr. Halmam & Gul. vande Water, 1696. in 8.
Conſtat 2. alph. & multis iconibus inſertis.

NEmo ex veteribus Scriptoribus minori compendio priſcorum Romanorum & Cæſarum geſta complexus eſt Aurelio Victore: cujus tamen an omnes libelli ſint, qui ſub ejus nomine feruntur; an diverſos auctores habeant, non extra controverſiam eſt poſitum. Quatuor autem omnino ab eo ſcripti ad nos perveniſſe libelli creduntur: *De origine urbis Romanæ*; *De viris illuſtribus* urbis ejusdem, a Proca & Romulo Regibus ad Pompejum uſque Magnum, adjecto additamento; *De Cæſaribus*, ab Octaviano Auguſto uſque ad Julianum; *De vita & moribus Imperatorum epitome*, a Cæſare uſque ad Theodoſium. De ſingulis præclare meritus eſt, qui eos anno 1579 & 1582 emendatiores & annotationibus illuſtratos Antverpiæ emiſit in lucem, Andreas Schottus: a quo etiam poſtremus liber, epitomen Cæſarum continens, primum editus & Busbequio dicatus, nomen tulit, ut *Victor Schotti* paſſim a viris doctis citaretur. Quumque plures in illuſtrandis reliquis Victoris libellis ante & poſt Schottum operam poſuiſſent, Dominicus Machanæus, Conr. Lycoſthenes, Janus Gruterus, Elias Vinetus, Ju-

ſtus Lipſius, Iſaacus Caſaubonus, Frid. Sylburgius: omnium horum (præter Lycoſthenis) Notas, cum ipſo Victore, Gaesbekiani fratres Lugduni Batavorum A. 1670 nitidisſime excuderunt, adjectis Imperatorum iconiſmis, quos e nummis fide dignioribus depromſerant. Poſt decem annos in eodem auctore notis & interpretatione illuſtrando, eoque in Delphini uſum concinnando, ſtudium exercuit, ac publice in Gallia eum evulgavit Anna Tanaquilli Fabri filia. Cujus & reliquorum omnium, tam a Gaesbekianis antea collectas integras, quam ſelectas in clarorum virorum lucubrationibus repertas indeque excerptas, animadverſiones & notas nunc uno libro complexus Samuel Pitiſcus, qui Curtium & Suetonium notis ſuis philologicis & imaginibus illuſtratos publico dedit, Victorem etiam eodem pulchro apparatu inſtructum terſisſime evulgavit. Cui operi ne quicquam deeſſet commoditatis, qua editi alii Scriptores gaudent, locupletisſimos verborum & rerum indices ſubjecit; queis ut rectius uti liceat, in commata & paragraphos ſingula capita diſtinxit, & cuivis capiti, licet minus prolixo, breviarium ſeu argumentum præfixit. Nec in nitore libri augendo nullas partes ſuas eſſe voluit: igitur icones, queis Gaesbekiana editio prænitebat, non modo huic ſuæ etiam intulit, verum eandem novis etiam Quirini, Numæ, Anci Marcii, L. Junii Bruti, Horatii Coclitis, Æſculapii, Pyrrhi, Scipionis Naſicæ, M. Marcelli, Antiochi Syriæ Regis, Corn. Sullæ, Mithridatis, Pompeji M. Marci Bruti, Sexti Pompeii, Marci Antonii Triumviri & Cleopatræ imagunculis amplius decoravit, omnibusque ex partibus ſpecioſam exhibuit.

### *JOACH. VICOFORTII EPISTOLÆ AD CASPARUM Barlæum, cujus reſponſoria etiam inſerta.*

Amſtelædami apud Georgium Gallet, 1696, in 12.
Conſtat 11. plagulis.

PLeræque in hoc libello quæ continentur epiſtolæ, inter *Joachimum Vicofortium* Landgraviæ Hasſiæ Conſiliarium & ad Fœderatos Belgas Legatum, & *Caſparem Barlæum* virum doctisſimum mutuæ, familiaribus de rebus perſcriptæ ſunt, & de ſuavisſimæ conſuetudinis & familiaris necesſitudinis uſu, qui ambobus his præſtantibus doctrina viris intercesſit, nos commonefaciunt. Jucundæ proinde lectoribus, privatarum etiam inter eruditos rerum curioſis, exiſtunt, nativo lepore & ſponte profluentibus jocis ſubinde aſperſæ. His autem & aliis etiam

etiam dotibus Vicofortianas Barlæanæ litteræ vincunt; ut fuit huic viro nativus dictionis nitor, & in ſoluta æque ac ligata oratione mira ſuavitas. Eæ quidem quæ a Barlæo ad Vicofortium datæ hic exhibentur, jam antea legebantur inter Barlæanas, a genero Brantio anno 1667 editas: & inter has eminet, quæ in hoc libello nona extat, conſolatoria in obitu patris, (quæ etiam in volumine Orationum ejus p. 383. legitur) & XCIII, quæ dedicatoria Orationibus præfixa eſt. Vicofortii autem epiſtolæ nunc primum e bibliotheca Ger. Papenbroeckii prodeunt. In qua cum plures eruditorum virorum epiſtolas ineditas latere indicet Editor, iſtius partium erit inde & iſtas protrahere, inque publicam lucem collocare. In has quidem, quas nunc evulgavit, laudandum eſt, quod impendit, ſtudium; dum non contentus, ſicut a Barlæo & Vicofortio exaratæ fuerant, protuliſſe, in Gallicam eas etiam linguam transferendas & peculiari libro cum Latinis edendas duxit.

## *ALTERA PARS AUGUSTANÆ CONFESSIONIS DE ABUSIbus mutatis VII Diſſertationibus publicis propoſita a* D. JO. KAHLER.

Rinthelii, typis Hermanni Auguſtini Enax, 1696. in plag. 14.

DIſſertationes XX, quibus Auguſtanæ Confesſionis articulos explicuit Maxime Reverendus Auctor, in Actis noſtris jam anno 1695, p. 116 ſtitimus, ſpemque ibi ſimul fecimus, fore, ut ab eadem ejus opera cenſuram abuſuum Confesſioni ſubjectorum declaratam eſſemus accepturi. Spem igitur hanc adimpletam nunc teſtamur, poſteaquam ſeptem haſce Diſſertationes ad alteram illam Auguſtanæ Confesſionis partem illuſtrandam facientes emittere Auctori lubuit. Cæterum eandem ille methodum heic tenuit, quam olim adhibuerat. Opus igitur non eſt, ut denuo de ejus informatione quicquam moneamus, præſertim cum ibi eam & in exemplo peculiari oſtenſam a nobis fuiſſe recordemur. Unicum tamen hoc annectimus, quod, antequam ad ipſorummet abuſuum examen propior acceſſus fiat, non hoc ſolum vocabulum uberius exponatur, ſed res quoque ipſa paulo deducatur latius, eruditisque argumentis probetur, intelligi hic per abuſus non tantum vitia & errores circa res adiaphoras, quæ Chriſtianam fidem haud impetunt, ſed iſtiusmodi vitia, quæ errores fidei ſimul & facti involvant, atque circa tale objectum verſentur, quod Deus aliter inſtituerit, cum ut alius de eo formetur in intellectu

tellectu conceptus, tum ut alia circa illud praxis exerceatur. Tales igitur abuſus, qua doctrinales qua, morales cum Proteſtantes inter Papiſtas deprehendiſſent plurimos, hinc merito ab iis potisſimos taxatos, multos vero ad evitandam prolixitatem prætermiſſos innuit.

*TITULI HONORUM, AUTORE JO. SELDENO. LATINE vertit notasque addidit* SIMON JOHANNES ARNOLD, *Eccleſiarum Ballivie Sonnenburgenſis Inſpector.*

Francofurti, impenſis Jo. Schrey, & H. J. Meyeri hæredum, 1696, in 4. Conſtat Alph. 5. plag. 21. & plagulis 2. figurarum ænearum.

LIber, quem exhibemus, eruditis ſatis cognitus eſt, uſurpatus etiam *Du Freſnio in Gloſſario*, *Becmanno in Notitia Dignitatum*, quæ nunc ſub novo *Syntagmatis* nomine prodiit, *Feltmanno* & aliis. Hinc factum, ut Reverendus Interpres, cui Latinam hanc elegantisſimi libri editionem debemus, ex auctoribus plurimis, qui poſt Seldenum libros ediderunt, addiderit nonnulla. Qui idem tamen, præter verſionem, & de ſuo quædam addidit, videlicet auguſtum illud ænigma, quo Rev. & CelſisſimusMarchio Brandenburgenſis *Chriſtianus Ludovicus* a Fratre in conſpectu trium Fratrum receptus eſt in Ordinem Joannitarum; morem item precandi in creatione Equitum contra vitia, in quæ proni credebantur tempore Principis Naſſovici, qui circa medium hujus ſeculi Ordinis Joannitici Magiſterium Sonnenburgenſe tenuit: & denique diplomata quædam, quibus dignitates in Poloniæ regno collatæ fuerunt; unde pateſcit, ibi meritorum haberi reſpectum, natalium minime, & quod ſingulare eſt, officium ibi aliquando majus cum majore dignitate non conſiſtere, ſed ad inferiora ſubſellia demittere illo fungentem. Hoc vero Interpretem clarisſimum, uti & nos, non immerito male habet, quod literæ ſermonis Saxonici antiqui non tanta cum elegantia fuerint excuſæ, prout apud *Du Freſnium*, *Mabillonium* & in *Junii* cumprimis *Marſchallique Evangeliis Saxo-Gothicis*, leguntur. Videlicet ſic typographi, ſumptibus parcentes, aliarum regionum doctis perſuadent, ipſos Germanos jam non ſatis noſſe avorum ſuorum ſermonem & characteres. Tandem monitos cupit Interpres hujus libri emptores de iconum collocatione, quod ad caput quintum partis ſecundæ omnes pertineant; Principis Walliæ ad finem §. 1. Comitis ad finem §. 14. Baronis ad medium §. 28. p. 505. Ducis ad finem §. 29. Marchionis ad finem §. 30. Vice-Comitis ad finem. §. 31.

[Margin: Parte II. c. 1. §. 61. — Parte II. c. 2. §. 8. c. 8. §. 5. c. 11. §. 3.]

* * *

ACTA
ERUDITORUM
*publicata Lipſiæ*
*Calendis Februarii, Anno M DC XCVII.*

## Vollſtändige Anweiſung zu der Civil-Bau-Kunſt &c.

Hoc eſt:

*INTRODUCTIO IN ARCHITECTURAM CIVILEM OMNIBUS ſuis partibus expleta* NICOLAI GOLDMANNI; *edita notisque & ſchematibus, nec non delineatione Hieroſolymitani templi aucta & illuſtrata a* LEONHARDO CHRISTOPHORO STURMIO, *Mathematum Profeſſore in Academia Guelferbytana.*

Guelferbyti, 1696. fol.

Conſtat plag. 50½, figur. 74, chartæ auguſtæ.

NOn infimo inter eruditos propter ingenium honore ac nomine jam diu fuit *Nicolaus Goldmannus*, Uratislavienſis Sileſius, qui ſuam orbi literario in architectura tam civili quam militari peritiam ſatis quidem demonſtravit, edito de arte muniendi opere libroque de ſtylometris; magis tamen probaturus fuiſſet egregio, quod jam in lucem prodit, ſcripto, ſi ante ſupremum vitæ diem, quem Lugduni Batavorum A. 1665 obiit, ipſi cum publico id communicare licuiſſet. Maxima enim cum cura optima quæque ex præſtantisſimis auctoribus congesſit, & ſolerti, quo pollebat, judicio ita diſpoſuit, auxit & expolivit, haud vane ut dici posſit, omnibus Germanis eum in hoc ſcribendi genere palmam præripuiſſe, reliquis gentibus cultioribus feciſſe dubiam. Quo factum, ut magnum hujus operis deſiderium, quibus inſpicere id licuerat, reliquerit Goldmannus, idque pasſim deſcriptum, ſed plerumque male habitum & mutilatum, ut fieri ſolet, fuerit. Non tulit rei hujus indignitatem eximius prudentiaque pariter & ſcientia matheſeos florentiſſimus

mus Senator Lipſienſis, *Gothofredus Boſius*, ſed pro eo, quo fertur in has literas ſtudio, & amore in bonum publicum, orbum ſuo parente opus in fidem tutelamque ſuam recepit, nullisque pepercit ſumtibus, ut non integrum ſolum, ſed nitidum quoque comtumque in publicum prodiret; poſtquam ejus auſpiciis clariſſimus *Sturmius*, cum in Lipſienſi adhuc degeret Academia, eidem ornando ſuam operam adhibuerat. Neque enim hic ſchemata ſolum, quæ ipſi ad illuſtrationem operis facere videbantur, ſed notas etiam quasdam, & delineationem templi Hieroſolymitani, congruentem cum iis, quæ in Sciagraphia templi Hieroſolymitani Lipſiæ A.1694 excuſa tradidit, nec non compendium Architecturæ Goldmannianæ, & Architecturam parallelam adjecit, in qua Serlii, Palladii, Vignolæ, Scamozziique dimenſiones columnarum ad communem Goldmanni menſuram reduxit, ut una methodo & ſecundum eandem ſcalam deſcribi posſint. Cæterum ipſa Introductio Goldmanniana methodo conſcripta illa, quæ Mathematicis ſolennis eſt, in quatuor diſtribuitur libros, quorum primus de principiis agit Architecturæ generalibus, definitionibus, poſtulatis, axiomatibus, ſymmetria eurythmi, taxi &c. Secundus de principiis exponit ſpecialibus, ordinibus præcipue columnarum. Tertius diatheſin cumprimis ſeu compartitionem ædificiorum docet; & quartus tandem de integrorum ædificiorum tam publicorum quam privatorum conſtructione præcipit. Quæ quidem ſingula hoc loco percenſere nimis prolixum foret. Pauca proinde, ſecundum inſtituti noſtri rationem, adnotabimus, ex quibus libri hujus genius posſit intelligi. Ea ergo propria & præcipua laus eſt Goldmanni, quod ſymmetriam ubique exacte obſervat, petitam non ex principiis tantum Mathematicis, ſed Architectura etiam templi Salomonei, (quam fontem putat eſſe cum Villalpando Architecturæ profanæ) optimisque Græcorum & Romanorum exemplis; ita ut membra columnarum & inter ſe & cum toto, nec non altitudines ad latitudines concinnam rationem habeant, in ſingulisque membris conſtans altitudinis ad projectionem ſervetur ratio. Et cum huc quoque pertineat unam columnarum ſeriem alteri ita imponendi ſcientia, ut, quæcunque fuerit intercolumniorum inferiorum uſitata magnitudo, talis eligatur ordo columnarum talesque moduli, ut modulus ſuperioris columnæ, vel, ſi ſtylobata adhibendus, hujus ut dimidia latitudo non excedat ſcapi contracti inferio-

inferioris columnæ ſemidiametrum ſuperiorem, taliaque hinc orian-tur intercoluminia ſuperiora, ut antepagmenta, triglyphi, mutuli, pſeudomutuli, denticulique ſcite posſint adhiberi; eaque potius exemplis quam regulis oſtenſa fuerit a Goldmanno; prolixius eandem Cl. Editor in ultimo capite laudati compendii explicavit. Porro quinque columnarum ordines Goldmannus conſtituit, quorum ultimus ornatisſimusque eſt Corinthiacus, eosque dividit cum in humiles & elatos, tum in robuſtos & teneros. Humiles ſunt priores tres, ſinguli 26 modulorum altitudine; elati reliqui, altitudine 30 modulorum. Robuſti ſunt priores duo; poſteriores autem teneri atque delicati. Pro modulo aſſumit ſemidiametrum ſcapi non contracti, eumque in 360 particulas dividit, & in illis etiam minimorum membrorum menſuram ſine fractione addita determinat. Membrorum, ex quibus partes ordinum componuntur, alia neceſſaria conſtituit, & vel ſimpliciter talia ſeu eſſentialia, quæ nunquam omitti poſſunt, vel ſecundum quid, quæ non omittenda niſi urgente necesſitate; alia acceſſoria, quæ pro lubitu abeſſe poſſunt, modo reliquorum altitudo augeatur, ut partis illius quam conſtituunt magnitudo maneat illibata. Alia quoq; communia facit, alia characteriſtica, atq; ea quidem tam concinne diſponit, ut ordines humiles ab elatis, maſculi ſive robuſti a delicatis, ſingulique non ſolum inter ſe, ſed & partes diverſorum ordinum a ſe invicem promte diſcerni posſint. Ita v. g. Tuſcanus ordo habet cymatia ſolum Lesbia, Doricus Lesbia cum Doricis, Ionicus ſolum Dorica, Romanus ſolum Dorica cum aſtragalis, Corinthius Lesbia & Dorica cum aſtragalis. Modulum in columnis, quæ ædificia fulciunt, nunquam majorem 4 pedibus, nec minorem uno pede aſſumit. Scapi contractionem non ſecundum conchoidis ſed circuli curvaturam efformat, in humilioribus ordinibus aſſumens radium 90036 part. moduli, in elatioribus 122910 part. relinquensque in illis altitudinem ſcapi teretis 4800, in his 5760 part. modul. ſemidiatrum autem ſcapi contracti ſuperiorem efficiens in illis 288 part. in his 300 part. moduli. Medium intercolumnium reliquorum duplum ut conſtituatur, ejusque epiſtylium, nec non in ordinibus gracilioribus zophorus ex ære fundatur, ſuadet. Speciatim in ordine Dorico cum magnam artifices alii reliquerint difficultatem diſtribuendorum triglyphorum, hanc amolitus eſt Goldmannus, tres effingendo trabeationes Doricas (iisque

duas alias ſuperaddidit Cl. Editor) quarum prima adhibenda in opere ſyſtylo, ſecunda in pycnoſtylo, tertia in euſtylo. Partium, ex quibus ordines componuntur, altitudines ita definiuntur ab Auctore. Stylobatæ cum ſcamillo, cui baſis columna innititur, altitudo in ordinibus omnibus eſt 6 modulorum: nempe baſis ſtylobatæ $1\frac{1}{2}$ mod. trunci $2\frac{3}{4}$ mod. coronidis ſtylobatæ $\frac{3}{4}$; ſcamilli 1 mod. Columnæ totius altitudo in ordinibus humilibus eſt 16 mod. in elatis 20 mod. altitudo ſcilicet baſeos columnæ 1 mod. in ordinibus omnibus; ſcapi 14 mod. in humilibus, $16\frac{2}{3}$ in elatis; capituli 1 mod. in humilibus, $2\frac{1}{3}$ in elatis. Trabeationis altitudo eſt 4 modul. in ordinibus univerſis; nimirum epiſtylii, $1\frac{1}{3}$ in ſingulis ordinibus; zophori $1\frac{1}{3}$ mod. in robuſtis, $1\frac{1}{15}$ mod. in teneris; coronicis $1\frac{1}{3}$ mod. in robuſtis, $1\frac{3}{5}$ mod. in teneris. Sed hæc & id genus alia, quæ ſine ſchematum aut numerorum apparatu perſpicue tradi non poſſunt, ex ipſo Auctore architecturæ ſtudioſis petenda relinquimus.

### *JOANNIS NICOLAI TRACTATUS DE GRÆCORUM Luctu lugentiumque ritibus variis.*

Marburgi Cattorum, apud Ephraimum Böncke, A. 1696. in 12.
Conſtat plag. $14\frac{1}{2}$.

EXemplum magni nominis Theologi, Martini Geieri, cultisſimique Philologi, Joannis Kirchmanni, quorum ille de luctu Ebræorum, hic vero de Romanorum funeribus luculentum evulgavit commentarium, clarisſimus Autor ſecututus, hunc de Græcorum luctu lugentiumque variis ritibus libellum compoſuit, in quo ſigillatim omnia eſt executus, quæ ad hanc materiam quocunque modo ſpectare viſa ſunt. Etenim a ſepultura nunquam non apud gentes quasvis neceſſaria honeſtaque habita exorſus, de mortuis poſt tertium demum diem elatis diſſerit, ac ad reliquos deinceps ritus progreſſus, de iſta agit conſuetudine, qua, cum accideret, ut vir a propriis Laribus remotus morte obiret, agnatique ad eum venire non poſſent, ter ejus animam vocaverint; quo more eos gaudium indicare voluiſſe autumat, quod crederent, corpora defunctorum in propria regione ſub terra appuliſſe; licet alii eorum probe noverint, quod, quamvis clamoribus totam auram explerent, nihil tamen ad animas revocandas propoſitum hoc eſſet profuturum. Interim, ut alio modo honorarent Græci homines in peregri-

regrinis oris mortuos, inanes ab iis tumulos fuiſſe extructos innuit, quæ monumenta cenotaphia vocarint, in quibus proinde deſcribendis ſat prolixus eſt. Inter officia vero morientibus & mortuis coram exhibita, primo loco nominat clauſos a propinquis lectoque aſſidentibus oculos: deinceps agit de pulſatis ipſo mortis tempore vaſis æneis, quod ideo factum fuiſſe quosdam ait reputare, ut terriculamenta fugarent, ſpectraque & furias ab anima abigerent; ipſe vero illuc reſpexiſſe morem iſthunc arbitratur, ut intelligerent ſuperſtites, ſomnone ſolum obrutus jaceret decumbens, an vero mortuus eſſet? Poſtmodum oculos operculo velatos, & faciem linteolo a proximis ſanguine junctis tectam, ac denique anima in ſummo quaſi ore verſante, & jamjam e corporis hoſpitio emigratura, oſculum ægris fuiſſe impreſſum memorat. Corpore exanimato naulum Charonti, offamque Cerebro paratam, ornatumque domorum, ubi mortuus erat repoſitus, inſtitutum contemplatur. Hinc mortuorum ablutionem, pollincturam, & amiculum ferale, ſimulque occaſione eorum, qui unctionem in ſe ſuſceperint, libitinarios & pollinctores introducit, ac coronas atque flores, quibus exornati fuerint defuncti, celebrat; coronatos porro ex penitiore ædium loco productos & in veſtibulo ad ipſum limē collocatos, & vel humi vel alto lecto impoſitos fuiſſe perhibet; poſt collocationem lectica ſeu arca ſuper humeros ante Solis ortum elatos, & iis, qui vi peremti fuerant, haſtam vel alia arma prælata legi; arcam autem ſepulchralem inſequentes & ad funus invitatos, interdum pedibus inceſſiſſe, interdum rheda vectos fuiſſe narrat, comitumque horum lacrymas largiter fluentes adumbrat. Nec, quod voce tibiisque ad luctum compoſitis funus elatum fuerit, diſſimulat, ac proin de næniis a mulierculis vel viris tunc ad tibias cantari ſolitis complura in medium affert. In extraordinario dolore & luctu comam eos raſiſſe, aut penitus ad cutem uſque crines abſcidiſſe, poſtmodum vero comam mortuorum pectoribus impoſuiſſe ait. Lugentes ab omni potu hominem lætificante pariterque ab uſu coronarum abſtinuiſſe, lugubrem contra veſtem uſurpaſſe, veſtes laceraſſe, capillos evulſiſſe, domi ſe continuiſſe, cinerem in caput ſparſiſſe, pectus & femur percusſiſſe, mammas punxiſſe, genas raſiſſe, aliaque iſtius generis ſimilia ſuſcepisſe tradit. De locis ſepulcrorum diverſis, & maxime de cœmiteriis modoque ſepeliendi in peculiari capite agit. Poſt cremationem corpo-

rum intuetur, eamque infantibus, αὐτοχειρίας item crimine ſe polluentibus, ac fulguritis denegatam ſcribit, pyrasque extructas, & eas cupreſſo, ne fœterent corpora cremanda, cinctas, aliaque ad rogum acta, oſſilegium imprimis, ac donaria in rogum conjecta, hominesque cum defunctis ſimul in pyra combuſtos monſtrat. Inde tumulos & cippos lapideos nomen ac elogia defunctorum continentes ob oculos proponit, variaque epitaphiorum exempla Græca allegat. Inferias & ſacrificia mortuorum, ſterilem nempe vaccam nigramque ovem nocturno tempore oblatas, ac modum victimas has mactandi; ſepulchra coronis exornata; habitas in ſepultura honoratiorum ſeu domi ſeu in ceramico funebres orationes; inſtituta nonnunquam ad ſepulcrum ſpectacula; ſuſceptamque poſt obitum bene de republica meritorum apotheoſin dilucide explanat. Reverſus ad domum funeſtam, luſtrationem ejus ſcrutatur, epulisque funebribus intereſt. Poſt omnes exequiarum ceremonias iſto honoris genere a Græcis mactatos refert mortuos, quod eorum apud poſteros memoriam glorioſam eſſe voluerint, adeo, ut adverſus eum, qui ſecus feciſſet, accuſationem quoque ſeu actionem conceſſerint. Sub finem denique ad ſtatum defunctorum poſt mortem, quem Græci olim crediderint, conſiderandum ſeſe confert, eosque duas habitationes deſignaſſe dicit, quarum altera ſub Jove vitæ præſide, altera ſub Martis arbitrio ſit. Inde autem anſam arripit examinandi, quidnam fuerit Græcorum ᾅδης, iſtoque vocabulo generatim indicatum putat obſcurum, abſconditum, & ab omni hominum conſortio remotum locum, vel rectius ſtatum illum, qui mortem excipiat, ſive is eſſet refrigerii & quietis, ſive cruciatuum. Unde & vocabulo ἀΐδης & Elyſium campum & Tartara denotari innuit; trifariam quoque eos diſtinxiſſe monet ᾅδην in Paradiſum, Gehennam ſuperiorem, & Gehennam inferiorem; de quibus locis ſigillatim plura diſſerit.

## *LA RELIGION DU LATITUDINAIRE AVEC L' APOlogie pour la Sainte Trinité,*

id eſt:

## Religio Latitudinarii, cum Apologia pro Sancta Trinitate. Auctore Dn. PETRO JURIO.

Roterodami apud P. Vande Slaart, 1696, in 8. Alph. 1.

Quæ

QUæ Jurio Viro celeberrimo cum Elia Saurino intercedunt lites, & tum aliis, tum huic quoque ſcripto occaſionem dederunt, indicatæ jam a nobis ſunt, cum Saurini librum, qui Jurii Theologiam ſub examen revocat, in Actis hiſce menſe Majo A. 1695, pag. 193. ſeqq. commemoraremus. Cauſam quoque ſeriemque hujus contentionis, prout Saurinus eam expoſuerat, tum quidem enarravimus. Sed nunc tamen denuo hujus rei injicienda eſt mentio, poſtquam præſens ad nos pervenit opus, eo quod Jurium itidem in eo ſatis prolixum & operoſum eſſe videamus, ut, quemadmodum fieri aſſolet, ubi quisque ſuæ cauſæ favet, omnem invidiam a ſe amoliatur, culpam vero originemque initi certaminis in Saurinum derivet. Et primo quidem id omnibus viribus agit Jurius, ut demonſtret, per Synodi Leovardienſis decretum omnino ſibi fas fuiſſe in certamen prodire, & hocce opus Saurino opponere. Probat id inde, quod nulli Theologorum libertas hæreſes, ipſum doctrinæ Chriſtianæ fundamentum evertentes, confutandi eripi posſit. Addit decretum iſtius Synodi iis verbis conceptum eſſe, ut neutiquam obſtet, quo minus publicæ luci hoc opus exponi potuiſſet. Accedere ait, quod ſummi ſolum Imperantes, non autem Synodi, ne quis librum edat aut in lucem proferat, prohibere poſſint. Multa alia hunc in modum affert, & quid Lector ex hocce opere ſibi polliceri debeat, paucis innuit. *In Præfat.*

Hisce ita præmisſis, certaminis, quod cum Saurino ſibi intercedit, hiſtoriam pandit. Et initio quidem Epiſtolam quandam a Saurino ad amicum ſcriptam profert, ex qua, additis adnotationibus, id ſe confecturum luculenter putat, nemo ut ambigere poſſit, auctorem litis Saurinum eſſe. Hinc ipſe rem omnem uberius edifſerit, & a primo repetit fonte. Nimirum in Synodo Amſtelodamenſi, anno 1690 menſe Septembri celebrata, quasdam propoſitiones, ſummam doctrinæ, quam Latitudinariam appellitat, continentes, communi conſenſu rejectas, & atro notatas eſſe lapillo ait, nec diffitetur, ſe quoque, ut id fieret, juſto zelo ductum multum ad id contuliſſe. Addit & alia, quæ in eadem Synodo geſta ſint, quæ Saurino non potuiſſe non ingrata admodum eſſe fatetur. Sed tum quidem ullam de Saurino ſuſpicionem animo ſuo ſediſſe negat, quin potius inter amicos ſuos haud poſtremum ſe illi concesſiſſe locum aſſerit. In Lugdunenſi autem Synodo, ſequenti anno celebrata, demum ſe intellexiſſe porro refert, *In Hiſtoria controverſiæ.*

refert, Saurinum quoque inter illos eſſe, quos male habuerit, propoſitiones iſtas damnatas rejectasque fuiſſe. Acceſiſſe vero & alia in eadem Lugdunenſi Synodo docet, quæ Saurinum magis magisque irritarint. Namque & librum quendam contra ſe editum juſſu Synodi laceratum, & alios Latitudinariorum placita diſſeminantes, acriori cenſura notatos eſſe. Hinc itaque odio quodam inexpiabili accenſum Saurinum, ut illud effunderet, nullam prætermiſiſſe occaſionem. Et primum velut inſultum Saurinum feciſſe dicit, cum in eadem Synodo poſtularet, ut ſcripta Jurii, tanquam maximis graviſſimisque erroribus referta, ſub examen revocarentur, irrito quidem eventu. Hic, priusquam ad ſubſecutas Synodos digrediatur, quid Hagæ Comitum (eo enim Saurinus ex decreto Synodi Lugdunenſis ad cauſam diſceptandam ſe contulerat,) actum ſit, exponit. Inter alia refert, in colloquio quodam Saurinum unionem, qua duæ in Chriſto naturæ junctæ ſunt, quamque perſonalem vocant, pro paraſtatica & morali venditaſſe, eundemque Neſtorium defendiſſe, nec ſemel orthodoxiæ teſtimonio eum condecoraſſe. Quod cum abnueret Saurinus in Apologia, ſeque ſerio, & ex ſua ſententia, hanc unionem παραςατικὴν vocaſſe inficiaretur, admodum operoſus eſt Jurius, ut probet, ſerio & ex ſua ſententia locutum eſſe Saurinum, cum illud aſſereret. Jam Nardenſis imminebat Synodus, ſuamque Apologiam primam Jurius, ea quidem modeſtia, ut errorum Saurini nullam ibi injiceret mentionem, luci expoſuerat, Saurini quoque amici novo ſcripto ejus egerant cauſam, cum utrique ſilentium imponeretur. Sed in Nardenſi Synodo itidem anno 1691 habita bellum velut redintegratum, Saurino iterum poſcente, ut Jurii libri examini ſubjicerentur, ipſo quidem Jurio, utpote cauſæ bonitate freto, adeo non repugnante, ut ſe paratum ad ea defendenda eſſe, quæ ſcripſiſſet, aſſereret. Finita autem Synodo, ſuaſu amicorum ſecundam Apologiam ſe edidiſſe, ſimulque literas ad Conſiſtorium Ultrajectinum dediſſe memorat, quibus, niſi Saurini auſus cohiberentur, multa inde oritura mala profitebatur. Arripuit Saurinus hinc anſam, Jurium pro auctore certaminis venditandi, ſimulque Conſiſtorium impulit, ut ad cauſam dicendam eum evocaret. Probat ergo Jurius, hinc potius conſtare, Saurinum hoſtilem animum ita palam prodidiſſe, & orti certaminis culpam non poſſe declinare. Urget porro Apologiam Saurini, quæ mox inſecuta eſt, eaque modeſtiæ

deſtiæ limites eum ſupergreſſum eſſe, aliorum quoque teſtimoniis probare annititur. Tandem ad Ziriczæenſem Synodum progreditur, quam Saurinum ſibi faventem habuiſſe non diffitetur, nec tamen diſſimulat, illum artibus parum laudandis, ut eam in ſuas pertraheret partes, uſum eſſe. Nec ita Jurium laceſſere deſiit Saurinus: quod ut evincat Noſter, non unum affert documentum. Sed cumprimis ad Bredanæ Synodi provocat decretum, in quo tantum non omnem certaminis culpam in Saurinum conjici oſtendit. Hæc vero eſt illa Synodus, quæ adeo Saurino diſplicuit, ut æquitatis & religionis nullam fere rationem, qui illi interfuerant, habuiſſe palam profiteretur, in Præfatione Operis a nobis l. c. pag. 194 commemorati, eo quod intempeſtivo motus hoſce conſopiendi ſtudio tenerentur. Jurius itaque hic quoque docet, mitioribus Synodi hujus conſiliis adeo non a Saurino locum relictum fuiſſe, ut acrius, in ſermonibus quoque qui ad populum erudiendum haberi ſolent, in ſe inſurrexerit. In Dordracenſi & Neomagenſi Synodis non ſecus Saurinum ac in præcedentibus ſe geſſiſſe conqueritur, nihilque feciſſe reliqui, ut omnem in ſe effunderet iram. Hinc & tanto impetu eum in Synodo Neomagenſi poſtulaſſe, ut libellus quidam Jurii, quem innocentiſſimum putat, damnaretur. Dum hæc geruntur, ingens illud volumen, ſæpius memoratum, a Saurino confectum dicit. Quo ipſo palam, ſe aggreſſorem eſſe, Saurinum demonſtraſſe contendit. Et huc quoque pertinent, quæ ſequuntur, cumprimis, quæ de Tergavienſi, Harlemenſi & tandem Leovardienſi Synodis diſſerit. Concludit tandem, ſibi vitio verti non poſſe, ſi toties provocatus tandem compareat, vim illatam propulſaturus, quin non tam ſuam, quam totius Eccleſiæ cauſam acturus.

Rem ipſam dum aggreditur, primo præcipua religionis, quam Latitudinariam vocat, capita ſiſtit. Vocem in Anglia ortam docet, nec alios fere hoc nomine deſignari, quam ipſos Socinianos, qui & alibi Unitarii vocentur. A latitudine eos nomen ſortitos eſſe, non quod ipſam doctrinam Chriſtianam dilatent & extendant, quippe quam anguſtis admodum limitibus circumſcribant & coarctent potius (namque credere Deum, providentiam, paradiſum, infernum, id quidem ex illorum opinione, ad æternam felicitatem conſequendam ſufficere,) ſed ideo potius hoc nomine illos deſignari, quod media perveniendi ad ſalutem extendant, dum non tantum Hæreticis *Part. I. Cap. I.*

omnibus, ſed Gentilibus ipſis atque Judæis viam ad beatorum ſedes patere doceant. Auctorem ſectæ hujus certum indicari poſſe negat; omni enim fere tempore homines ejusmodi placitis imbutos vixiſſe: qui a Socino tamen & Serveto eam derivet, illum nemini facere injuriam. Saltem in eo cum Socinianis palam eos convenire, quod rationem, quam rectam appellitent, ubique ducem ſequantur. Principes ſectæ hujus Curcellæum, Epiſcopium atque Hugonem Grotium eſſe, quorum nomina omnibus Latitudinariis perquam ſint venerabilia. A Socinianis tamen & Remonſtrantibus in eo differre Latitudinarios, quod non palam, quid ſentiant, profiteantur, ſed cuncta diſſimulent, tegantque, idque omni ratione annitantur, ut pro Orthodoxis reputentur. Eosdem etiam quosdam Socinianorum errores, de æternitate materiæ, de ſomno animarum, & quod Deus futura contingentia ignoret, rejicere quidem, ſed eos omnino pro levibus habere, ut adeo inde Socinianos non tolerare velle, nefas putent. Denique ut Latitudinariorum doctrinam rite in lucem protrahat, ſummam libri cujusdam de *Ratione humana* exhibet, oſtenditque Auctorem ejus rationem ut ducem certiſſimum & falli neſcium commendare. Quin & ex eodem refert, nullum hæreticum eſſe, niſi qui veritatem, cujus ipſe in conſcientia eſt convictus, inficiatur, aut in dubium vocat; unde porro ſequi docet, omnibus cujuscunque religionis hominibus viam ad æternam ſalutem patere. Concludit denique, Philoſophiam Carteſianam haud exiguum Latitudinariorum erroribus addere robur.

Cum vero tria potiſſimum ſibi obſtare videant, qui hisce placitis ſunt imbuti, auctoritatem Patrum, & Eccleſiæ veteris; certos terminos, quibus communi conſenſione Orthodoxi ad tuendam eo rectius veritatem, & Hæreticos ex latebris ſuis protrahendos utuntur; & denique rationis, quam itidem Orthodoxi urgere ſolent, captivationem: in eo omnes Latitudinarios conſpirare docet, ut hinc ſe expediant, & hæc obſtacula amoliantur. Nihil ergo illis ſolennius eſſe, quam in Patrum auctoritatem proterve inſurgere, & magnorum eos accuſare errorum; terminos itidem, *perſonæ*, *hypoſtaſeos*, *Trinitatis*, *incarnationis* &c. ut ineptos & obſcuros rejicere; rationi denique habenas eo usque laxare, ut in rebus Theologicis quoque nihil, niſi quod clare & diſtincte perceptum ſit, admittere velint. Et Saurinum quidem

in

in his quoque capitibus cum iis conſentire, eundo per ſingula probare annititur. Cumprimis autem illi objicit, quod aſſeruerit, omnes Patres, qui ante concilium Nicænum vixere, fuiſſe Arianos, qui poſt illud vixere, Tritheitas, ſive tres admiſiſſe Deos. *Cap. II.*

Sed ut demonſtret, Saurinum in Antitrinitariorum militare caſtris, eosque qui Trinitatem admittunt, pro Tritheitis habere, nihil facit reliqui. Ex inſtituto hoc capite III & IV agit, & in ſequenti, incarnationem quoque Chriſti Servatoris ab eo aſſeri non poſſe, probare conatur. Hinc paulo accuratius Latitudinariorum circa Trinitatem & redemptionem humani generis dogmata exponit. Nimirum unicum eos profiteri Deum, unam quoq; ſolum Divinitatis perſonam, aſſerit. Cum vero divinæ literæ, præſertim novi fœderis, & Patris & Filii & Spiritus Sancti mentionem injiciant, & ſingulis Dei nomen tribuant, Latitudinarios Filium non alium eſſe ac perſonam Patris docere, affirmat. De Spiritu Sancto id manifeſtius eſſe dicit, quod eundem pro perſona habeant, ſed ſimul quod abnuant, hanc perſonam aliam eſſe a perſona Patris. Et ita quidem verbotenus eos cum Trinitariis conſentire, Patrem, Filium, Spiritum S. adeoque Trinitatem quandam admittentes, ſed re ipſa maximopere ab iis differre. De incarnatione autem Chriſti ita eos ſentire ait, ut unionem, qua divina humanaque naturæ inter ſe colligantur, moralem ſolum & παραστατικὴν eſſe autument. Et ita quidem unam perſonam, ſed mere humanam in Chriſto illos admittere; eum etiam verum DEUM eſſe fateri, & adeo rurſus verbis ad Orthodoxos plane accedere, a quibus tamen, ſi ſenſum ſpectes, toto cœlo differant. Denique & de ſatisfactione, de peccato originali, de efficacia gratiæ, & aliis doctrinæ Chriſtianæ capitibus minus recte eos ſentire affirmat, pluribusque ediſſerit. Ad Saurinum dum ex inſtituto redit, omnem elabendi viam illi adimere, eumque Socinianorum errores palam deteſtando, ſeculum Apoſtolicum ab accuſationibus, quibus Patres Eccleſiæ veteris ſuſpectos reddiderat, eximendo, & cæteris argumentis quibus ad cauſam ſuam tuendam utatur, aut uti poſſit, parum proficere, demonſtrare aggreditur. Et hoc quidem capite VII, VIII, IX, & X agit. In undecimo autem quæſtionem diſceptandam ſibi ſumpſit, quæ huc maxime pertinet, nobisque non eſt prætermittenda. Quo jure enim veritatis hoſtes terminos in Eccleſia receptos rejiciant? quærit. Plane

*Cap. III. IV. & V.* *Cap. VI.* *Cap. VII. VIII. IX. X.* *XI.*

nullo autem jure hoc fieri, variis rationibus probat. Divinæ, inquit, literæ varia Numinis attributa, juſtitiam, miſericordiam &c. commemorant. Si quis ergo tot Deos fingeret, quot attributa memorantur, illique reſponderetur, attributi nomine non deſignari ſubſtantias, & iſte vero regereret, ineptam hanc vocem minimeque admittendam eſſe, quod in Scripturis non reperiatur, nonne is omnium conſenſione, quod iniquum eſt, poſtularet? Addit, non poſſe Scripturam ſacram ſine hisce terminis explicari; quin ipſos Unitarios non poſſe in certamen cum Orthodoxis deſcendere, ſine his aut aliis terminis. Scripturam res ipſas continere; hisce exprimendis certos merito excogitatos eſſe terminos hoc ipſo rebus alligatos: unde qui terminos hosce rejicit, eum non poſſe non res ipſas iis deſignatas rejicere. Sic in Scriptura S. diſerte aſſeri, unum eſſe Deum, ſimul tamen & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum commemorari, ut tamen Pater non ſit Filius, nec Filius Spiritus Sanctus &c. quod ut exprimeret vetus Eccleſia, adhibuiſſe vocem *perſonæ*: qui ergo hanc rejicit, eum rem ipſam hac voce denotatam ſimul non poſſe non rejicere. Hac occaſione & illorum errores in tranſitu refellit, qui voces *perſonæ* & *perſonalitatis* proprie adhiberi negant, cum de rebus divinis uſurpantur. Ex eo vero quod Scriptura hisce terminis, cum de rebus divinis loquitur, non utatur, non colligi poſſe, eos neutiquam uſurpandos; cæteroquin nec de hominibus eos uſurpari poſſe, contendit. Addit tamen, vocem ὑποςάσεως ſive perſonæ in Scriptura ſacra quoque reperiri, Hebr. XI, 1. Ibi enim vocem ὑπόςασιν recte *perſonam* verti autumat, cum perſona fundamentum attributa eſſentialia ſuſtinens denotet. Multo vero minus terminos *generationis*, atque *proceſſionis*, in Scriptura ſacra contineri, dubitari poſſe pronuntiat. Probat quoque contra Saurinum, generationis vocem proprie ſumi, cum de Deo adhibetur. Finit denique hanc quæſtionem obſervando, homines iſtos, qui ſe ideo hosce terminos repudiare fingunt, quod ſibi religioni ducant, aliis vocibus in tanto myſterio uti, ac Scriptura utitur, fumum ſolum vendere, & ad ſuos palliandos errores hoc κρησφύγετον excogitare: deinde licet Latitudinarii hisce terminis ad invidiam amoliendam utantur, eos tamen ſemper alium illis affingere ſenſum.

*Cap. XII.* Quæ in ultimo primæ partis capite de imaginibus ſanctisſimæ Trinitatis in rebus creatis quoque conſpicuis diſſerit, inſtituti noſtri memores prætermittimus, præſertim cum pleraque huc tendant, ut

ut evincat, Saurinum, imagines a Jurio ad Trinitatem adumbrandam allatas rejiciendo, ſuum de Trinitate & divinitate Filii errorem prodidiſſe. In ſecunda igitur parte Conciliorum Patrumque contra Antitrinitariorum calumnias ſuſcipit defenſionem. Initio tamen ſententiam, quam ſibi a Saurino affictam conqueritur, prolixe & operoſe a ſe amolitur. Nimirum non diffitetur, in Patribus Doctoribusque veteris Eccleſiæ errores quosdam deprehendi, ſed eos eſſe excuſandos; quod ſi tamen hodie quis eosdem errores foveat, atque defendat, eum in tanta doctrinæ cœleſtis luce neutiquam veniam promereri. Aſt deteſtandas hæreſes ſe hiſce Doctoribus unquam imputaſſe, diſerte negat; Saurinum tamen illud facere probat, repetitque, omnes Patres trium primorum ſeculorum ab eo Arianiſmi & Sabellianiſmi accuſari. Hunc in modum poſtquam multa diſſeruiſſet, in ſpecie Origenem, Hilarium, & Hieronymum contra Saurinum defendit. Origenem multa paradoxa docuiſſe non abnuit, aſt eum Hæreticis ideo annumerare non audet, multo minus de ejus ſalute dubitat. De Hieronymo ita cenſet, eum ſæpius in Commentariis non ex ſua, ſed aliorum ſententia loqui. Nihil ergo inepti eum aſſerere, qui locum iſtum famoſiſſimum, in quo providentiam divinam arctioribus quam par erat limitibus circumſcribit, ita capiat, ut non tam propriam, quam alterius, quicunque demum ſit, ex quo Hieronymus more ſuo hæc decerpſerit, ſententiam eum referre dicat: præſertim cum alibi ſaniora doceat, & ſedulo inculcet. Addit tamen, poſſe & dextera interpretatione hæc verba Hieronymi emolliri, ut non tam de ipſa providentia, quam modo divinæ providentiæ intelligantur. Hilarium denique erraſſe, dum negavit, animam Chriſti corporis patientis dolores ſenſiſſe; ſed ſimul hoc ſciendum ait, eum Arianos prementem diſputationis fervore ac impetu in devia abreptum, omnino venia dignum eſſe. *Part. II, Cap. I.* *Cap. II, III. & IV.*

Tandem ad Patres, qui ante Concilium Nicænum vixerunt, progreditur, eosque Arianorum neutiquam doctrinæ faviſſe, contra Socinianos, cumprimis Sandium, & qui illis frigidam ſuffundunt, Epiſcopium, & Curcellæum, quibus Saurinum adjungit, probat. Nimirum enarratis Arianorum erroribus, Patres iſtos ſecus exiſtimaſſe probat teſtimoniis Cypriani, quem puriſſimum Doctorem, & Platonica philoſophandi ratione minime corruptum vocat, Theognoſti apud Athanaſium, Dionyſii Romani, Dionyſii Alexandrini, & Orige- *Cap. V.*

 nis.

nis. Non tamen diffitetur, quosdam Scriptores veteres loquendi formulis parum commodis, quas a Juſtino Martyre Platonicæ philoſophiæ innutrito eos accepiſſe putat, huic Socinianorum calumniæ anſam præbuiſſe. Hac occaſione & Dionyſium Petavium notat, quod autumaverit, ſecundum Patres Ante-Nicænos Filium non minus initium habuiſſe quam res creatas: hoc enim falſiſſimum eſſe, diſerte pronunciat.

A Patribus Ante-Nicænis ad Concilia & Doctores, qui poſt Concilium Nicænum floruerunt, progreditur. Hisce Tritheiſmum, referente Noſtro, Saurinus objecerat. Cujus erroris eos immunes eſſe ut oſtendat, quinam in veteri Eccleſia Tritheitarum nomine fuerint deſignati, explicat. Nimirum ex Eutychianorum diſciplina hos Tritheitas veteris Eccleſiæ prodiiſſe probat, adeoque & cum Eutychianis unam ſolum in Chriſto eos agnoviſſe naturam. Eosdem cum Orthodoxis tres perſonas conſubſtantiales admiſiſſe, ſed in eo & ab Orthodoxis & a cæteris Eutychianis abiiſſe, quod tres naturas ſive ſubſtantias in Deo aſſeruerint, unius tamen naturæ communis participes. Nimirum ad Eutychianorum errorem defendendum, naturam eſſe negabant, quæ non & perſona ſit. Cum ergo, ut porro Jurius refert, exemplo perſonarum in Trinitate urgerentur, non poterant aliter ſe expedire, quam tres ſubſtantias & tria individua in Deo admittendo. Obſervat autem porro, eodem Tritheitarum nomine Orthodoxos quoque ab Arianis aliisque Hæreticis fuiſſe inſignitos, quod tres perſonas admitterent, & idem hodie Anti-Trinitariis in more poſitum eſſe docet, ut

*Cap. VI. & VII.* eundem errorem, licet perperam, Orthodoxis objiciant. Hisce ita rite explicatis, Eccleſiæ veteris Doctores non fuiſſe Tritheitas, primo probat illuſtri & luculento Athanaſii teſtimonio. Deinde tredecim rationibus idem demonſtrat, quarum ſecunda, eaque minime contemnenda, hæc eſt, ab omni ratione abhorrere, veteres Doctores, qui Gentilium Polytheiſmum tam ſtrenue impugnarunt, Polytheiſmum, ſi non craſſiorem, certe æque craſſum admiſiſſe & propugnaſſe. Cæte-

*Cap. VIII. & IX.* ras prætermittimus. Nec tamen hic ſubſiſtit Jurius, ſed reſpondet etiam ad argumenta, quibus Patrum Tritheiſmus probari poterat, & illud etiam, quod ſuis rationibus poterat opponi, diluit. Meminit hic quoque decreti Academiæ Oxonienſis, quo propoſitiones quædam Tritheiſmum ſpirantes rejectæ & damnatæ fuerint. Addit a nonnullis

Sher-

Sherlokio hanc ſententiam tribui, quibus tamen ſe minime adhibere fidem ait. De qua re alibi fortaſſe ex profeſſo dicturi ſumus. De Cyrillo dum porro verba facit, initio obſervat, Latitudinarios non alia de cauſa magno odio eum proſequi, quam quod, ut Neſtorius, quem ut virum ſanctum revereantur, damnaretur, multum contulerit. Hinc Cyrilli doctrinam contra Derodonem prolixe defendit, in quo inſtituto ut eo felicius procederet, duo cumprimis ſedulo obſervanda docet. Primum illud eſt, modum incarnationis in Concilio demum Chalcedonenſi accurate definitum eſſe: alterum, duplicem eſſe Eutychianiſmum, ſubtilem & craſſum; a craſſo Cyrillum plane abſolvit, ſubtilem autem ab Orthodoxorum ſententia prope abeſſe ait. De Neſtorio autem ita pronunciat, jurene an injuria damnatus ſit, & docueritne ita, ut vulgo creditur, ſe certo definire non poſſe; interim multa ſibi præſto eſſe argumenta, quibus veroſimile ſibi fiat, Neſtorium omnino eo errore imbutum fuiſſe, qui illi tribuitur, adeoque jure fuiſſe damnatum. Hæc argumenta ordine edifferit. Atque hinc, quid de Concilio Epheſino ſentiendum ſit, patere putat. Evicta enim Cyrilli orthodoxia, & Neſtorii errore commonſtrato, nullius iniquitatis hocce Concilium inſimulari poſſe, quod hunc damnaverit, illius autem cauſam defendendam ſuſceperit. Addit tamen & alia, quæ pro hocce Concilio faciunt. *Cap. X.* *Cap. XI.* *Cap. XII.* *Cap. XIII.*

Quæ in tertia ſive ultima parte differuntur, tribus ſolum indicabimus verbis, ne ultra quam par eſt, prolixi ſimus. Hic ergo primo probat, Saurinum cæteroſque Latitudinarios in rebus Theologicis quoque non alium agnoſcere judicem, quam rectam, ut vocant, rationem. In quo quidem cum Socinianis eos apprime conſpirare, inſtituta collatione docet. Hunc in finem Viſſouatii, haud incelebris Sociniani librum, cui titulus: *Religio naturalis ſeu de rationis judicio*, in compendium mittit, & ſingulas propoſitiones cum dogmatibus Latitudinariorum contendit. Et ne forte Saurinus regerat, ſi in quibusdam capitibus cum Socinianis conſentiat, hoc ſibi cum cæteris Proteſtantium Doctoribus eſſe commune; utriusque partis, Reformatorum & Socinianorum de recta ratione placita inter ſe confert, & quam plane non inter ſe conveniant, operoſe oſtendit. Demonſtrat præterea, Latitudinarios in omnibus controverſiis rationem humanam pro tali judice, qui falli neſciat, agnoſcere, idque cumprimis *Part. III.* *Cap. I.* *Cap. II.* *Cap. III.* *Cap. IV.*

Her-

Hermanni Alexandri Roellii teſtimoniis evincit, quem etiam hac oc-
*Cap. V.* caſione notat. Subjicit articulum IV. Declarationis, quam Ordines Hollandiæ ediderunt, in quo diſerte dicitur, totam religionem Chriſtianam, ſi rationis judicio ſubjiciatur, in maxima pericula conjici. Et recte quidem iſtud dictum, prolixe iterum demonſtrat. Provocat de-
*Cap. VI.* nique ad experientiam, quæ omnes docere poſſit, quod ſupremo hocce rationis judicio admiſſo, maximis erroribus, quin Atheiſmo feneſtra aperiatur. Meminit hac occaſione libri Angli cujusdam Arthuri Burii, cujus titulus *Evangelium nudum*, ab Academia Oxonienſi damnati. Auctorem huncce ait palam Arianorum errorem propugnaſſe, & Athanaſianos (ita enim Orthodoxos eum vocaſſe dicit) acriter perſtrinxiſſe. Subjicit ipſum Academiæ Oxonienſis decretum, & propoſitiones ex hoc libro collectas, quarum prima hæc eſt: *Muhammedem omnes articulos Chriſtianæ doctrinæ profeſſum eſſe.* Laudat exemplum Epiſcopi Exonienſis, quo inflammatus Eduardus turpiſſimæ hæreſi obviam iverit. Profert etiam decretum Potentiſſimi Angliæ Regis, quo petulantiam eorum, qui ſuos de Trinitate errores in Anglia diſſeminant, coercet, & ſerio vetat, ne quis aliis in hoc doctrinæ Chriſtianæ capite terminis utatur, quam qui in Eccleſia ſunt recepti. Atque hæc omnia Latitudinarios quoque ferire, aſſerit probatque. Tandem novas propoſitiones ſuſpectas ex Saurino colligit, eumque in Latitudinariorum militare caſtris denuo probat. Conqueritur denique, Saurinum, ſive diſputet, ſive alios errorum accuſet, ſive ſibi objectos amoliatur, parum ſincerum eſſe; & ita ea, quæ Saurinus ut perperam dicta ex ſcriptis Jurii collegerat, diluere annititur.

*PLAIDOYERS ET AUTRES OEUVRES DE M. GILLET.*

Hoc eſt:

## Actiones & Opera alia Gilleti Advocati Parlamenti.

Pariſiis, apud Jo. Boudot, 1696, in 4. Alph. 3. pl. 15.

DUplicis omnino generis ſunt, quæ in hac Operum *Gilleti* collectione continentur. Primo nimirum decem Actiones variis occaſionibus ab ipſo, quando cauſarum patroni officio functus eſt, inſtitutæ comparent; his tres Ciceronis Orationes pro Cœlio & Milone habitæ, & Philippica ſecunda, ex Latino idiomate in Gallicum trans-

tranſlatæ cum annotationibus quibusdam ſubjunguntur, præmiſſam habentes de genio ac indole Gallicæ linguæ & transferendi ratione doctam diſſertationem. Nos, ut de præſtantia operis quadantenus conſtaret, primam & quintam Actiones ſelegimus, quarum ſummam breviter hic exponeremus. Prima nimirum de ſponſionum agit valore, & in Lalivii cujusdam gratiam habita eſt, qui d. 25 April. A. 1678 cum Launayo de pace Neomagenſi contenderat, illam die 15. Maji Hiſpanos inter & Gallos ſi non publicatam, concluſam ſaltem & obſignatam fore; Launayo viciſſim contrarium, & illo die non fore publicatam, promiſſo quinquaginta aureorum Ludovicianorum pignore, aſſeverante. Ut igitur a ſolvendi neceſſitate Lalivium ſuum, cui eandem alter, quod dicto die pax nondum coaluiſſet, imponere nitebatur, abſolveret, totam ſponſionum materiam pertractat, eandemque ad duas quæſtiones redigit: an ſcilicet ſponſiones conventiones licitæ ſint? & an, ſi ſint licitæ, obligandi vim eædem ſemper habeant? Priorem rurſus in duo quaſi capita ſubdividit, ita ut diſquirat, utrum citra conſcientiæ læſionem fieri ſponſiones posſint? & in jure an permittantur? Primum quod attinet, poſſe omnino iisdem lædi conſcientiam pronunciat, cum ſint ex eorum ludorum numero, in quibus cœco ſolum caſui, absque ullo humanæ ſolertiæ adjumento, locus datur utplurimum, habeantque conſequentias ſat periculoſas, utpote profuſionem bonorum, habendi inordinatum appetitum, & adverſus divinam providentiam indignas non raro murmurationes & querelas; quin imo idololatriæ certam quaſi ſpeciem conſtituere, quando ad Fortunam omnia ſpondentium vota diriguntur, eidemque ſoli fertur acceptum, quicquid forte lucrati ſumus; inde legum quoque autoritate prohiberi, quando omnes ludi, qui ſolo caſu innituntur, exeſſe jubentur e Republica, *L. ſolent. §. 1. ff. de Aleat. L victum. & L. alearum C. de aleat. & alea luſu*, non ſecus ac aliæ aliorum Principum Statuumve conſtitutiones, Pontificum ſcilicet, Venetorum, Genuenſium, eidem ſpondendi libidini obicem quoque ponunt. Quandoquidem vero Caſuiſtæ æque ac JCti certo quodam diſcrimine ſponſiones illicitas eſſe volunt, ſi ſcilicet honeſtatem lædant, & peccatum habeant comitans; Lalivii quidem ſui ſponſionem eximit earum numero, & cum eadem pacem optare viſus fuerit, honeſtam omnino licitamque declarat; deteriori multum adver-

ſarii ipſius cauſa, ut qui belli continuationem, ex propriæ utilitatis ratione, non potuerit non exoptare. Tranſit hinc ad ſecundam quæſtionem, & poſtquam diſcrimen inter ſponſionem judiciariam & privatam expoſuit, ac huic etiam deſcriptionem ſubjunxit, occaſione generis, quod pactum eſt, ſponſiones ad pacta nuda refert, easdemque inde non aliter obligare colligit, quam ex ſimplici principio decori, & in ſolo honoris tribunali, niſi interveniat circumſtantia quædam, pretii ſcilicet conſignatio; tum enim illas omnino obligare, haud ſecus ac obligationes pure naturales, quibus ſtipulatio acceſſit: ita nimirum apud Romanos olim, qui ſpondebant, annulos digitis detrahere & ſponſionis pretium conſtituere fuiſſe ſolitos, ex *L. Si rem, §. Si quis ſponſionis ff. De præſcript. verbor.* probat. Quoniam autem conſignatio, & ut pretium ſponſionis deponatur apud quempiam, adeo ſunt neceſſaria, ut ne ſufficiat quidem literis conſignatam eſſe conventionis formulam; Lalivii vero cum Launayo ſponſio intra mera verba ſubſtitit, imo ne ſponſionis quidem nomine venire poteſt, cum exorta circa ſubſcriptionis & publicationis terminos difficultate nondum concluſa fuerit: hinc Lalivium in ære adverſarii ſui nequaquam eſſe, multo minus hunc experiri adverſus illum poſſe contendit.

Actione quinta id agit Autor, ut liberos minorennes, citra conſenſum parentum ſuorum, monaſteriis intrudi poſſe inficietur, contra Abbatiſſam regiæ S. Petri Abbatiæ, quæ Lugduni eſt, abs qua puella quædam invitis ejus parentibus fuerat retenta. Obſervat autem, filiumfamilias vel ſervum ſine patris dominive autoritate voto non obligari, ex *L. ſi quis ff. de pollicit.* quam deinceps, obſequiumq; quod parentibus debent liberi, latius explicat, vi cujus nempe ipſorum ſe ſubjicere voluntati & in ſeligendo quoque vitæ ſtatu morem teneantur gerere, adeo ut, cum citra eorum conſenſum ne contrahere quidem, aut matrimonium inire, vel alienare poſſint quidpiam, de ſemetipſis etiam nequaquam valide diſponant. His ita expoſitis ad jus Francicum pergit, & ex Capitul. Carol. M. L. 1. c. 95. & 101. nec pueros invitis parentibus tonſurari, nec puellas velari poſſe oſtendit; imo longius adhuc procedere Ordinationem Aurelianenſem monet, quæ art. 19. ipſos etiam parentes facere id prohibeat, antequam vigeſimum quintum ætatis annum liberi attigerint, quam licet ordinatio Bleſenſis correxerit, & ad mentem Concilii Tridentini in decimum ſextum mutaverit, tamen in præjudicium conſenſus paterni nihil

ibi

ibi ſcriptum reperiri. Quæ cum ita ſint, non immerito Abbatiſſis ejusmodi, quæ vel parentibus liberos ſuos religioſæ vitæ inhumaniter devoventibus manus porrigunt, vel ipſæ indignis modis eosdem ad ſe pertrahunt, acclamari poſſe putat Salvatoris illud *Matth. XXIII, 15. Væ vobis Scribæ* &c. Ut majus pondus habeat hæc ejus ſententia, ex Conciliis nunc etiam Patribusque, ac ipſa Scriptura ſacra, impietatem inſtituti hujus demonſtrat. Et Concilium quidem Gangrenſe canone 16 anathema dicit filiis, ſi qui parentes deſeruerint occaſione cultus Dei, ſicut & Meldenſe Capitularia Caroli M. obſervari præcipit. Locum, qui Luc. XIV, 26. extat, objici poſſe ſubdit, ſed illum de parentibus infidelibus agere, ex Auguſtino & Chryſoſtomo probat. Eliſæum ad munus propheticum ab Elia vocatum expetiiſſe, ut oſculari ſibi parentes prius liceret, & Num. XXX. 4. ſeqq. vota liberorum irrita pronunciari, quibus parentes contradixerint. Ac tametſi Hieronymus in deprædicanda vita ſolitaria vehemens ſit, adeo, ut ſi in limine pater jaceat, per calcatum patrem ad eam pergendum arbitretur *in Epiſtola ad Heliodorum*: tamen in *Epiſtola ad Nepotianum de vita Clericorum* ſe ipſum quaſi correxiſſe, & quod in illo ad Heliodorum opere, *dum eſſet pene puer, pro ætate luſerit, & calentibus adhuc Rhetorum ſtudiis atque doctrinis quadam ſcholaſtico flore depinxerit*, fuiſſe faſſum; ut quem ad inſtitutum Gregorii Nazianzeni præceptoris ſui ſe conformaſſe veroſimile ſit, qui parentis precibus victus ex eremo ad ſuos rediit; quemadmodum Chryſoſtomus, cum abſolutis ſtudiis Monachum ſe vellet profiteri, & matrem id ægre videret ferre, conſilium quoque non minus laudabiliter mutaverit. Denique quæ ſit ipſius S. Thomæ ſententia exponit, quod nimirum ne Judæorum quidem liberos citra parentum conſenſum baptizare fas ſit; cumque ſit ſub S. Benedicti regula illa Lugdunenſis Abbatia, in qua inter alia c. 59. ſi puer minor ætate ſit, qui in monaſterio offertur, parentes ejus petitionem facere jubentur; indignum omnino Abbatiſſæ videri factum, quod invitis parentibus puellam hanc in monaſterium pertraxerit, concludit. In reliquis, quæ ſubſequuntur, id agit Autor, ut oſtendat fraudem, quæ in exarandis virginis iſtius nomine literis, tum &, quando in avunculi ejusdem teſtamento vocabulum quoddam truncatum fuit, commiſſa ſit, & quam injuſte nunc dotem puellæ ac ſumptus, qui ad ſolennem voti religioſi nuncupationem neceſſarii creduntur, Abbatiſſa & Sociæ ejus exigant.

## *ANTONII BYNÆI DE MORTE JESU CHRISTI Liber ſecundus.*

Amſtelodami, apud Ger. Borſtium, 1696. 4. alph. 3.

Librum priorem, a nobis anno 1692 p. 425 recenſitum, quique in expoſitione verborum Chriſti, *non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis; uſque ad illum diem* &c. deſierat, excipit nunc felici ſidere liber ſecundus, ſpemque una facit nobis, citius abſolutum iri, qui reſtant, librum tertium quartumque. Orſus autem Reverendus Auctor a vaticinio Chriſti de inſtante Petri abnegatione trina, hiſtoriam
p. 11. Matthæi, Marci & Lucæ ita componit: Jeſum, ut apud Matthæum & Marcum eſt, dixiſſe ad diſcipulos, *omnes vos offendemini in me hac nocte.* Reſpondiſſe Petrum, *etiamſi omnes offendantur*, &c. Repoſuiſſe Jeſum, ut apud Lucam eſt, *Simon, Simon* &c. Petrum vero regeſſiſſe, *Domine tecum paratus ſum* &c. Tunc demum dixiſſe Jeſum, quod ab illis tribus relatum eſt, *Amen dico tibi, quod hac ipſa nocte, antequam gallus cantaverit, ter abnegabis me.* Chriſtum igitur ea nocte ultima, qua proditus fuit, non ter aut bis, ſed ſemel tantum
p. 13. prædixiſſe, ſe a Petro ter negandum. Difficultatem quæ movetur ex verbis Lucæ, ſolvit ex ipſo textu; non enim dicere Lucam, καὶ τότε ἐξελθὼν &c. *& tunc*, poſtquam in cœnaculo locutus eſſet ea, quæ relata ſunt, *egreſſus ivit ſecundum conſuetudinem ad montem olearum*, ſed ſimpliciter, καὶ ἐξελθὼν, *& egreſſus.* Ubi non deſignetur tempus, quo egreſſus ſit cœnaculo, ſed tantum, quo abierit. Porro
p. 29. Jeſum verbis illis, *poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*, alluſiſſe ad id, quod præmiſerat ex Zacharia, *percutiam paſtorem, & diſpergentur greges;* quaſi diceret, paſtoris more, qui ovibus ſuis
p. 35. præit, vos iterum præcedam. Miratur vero, Balth. Bekkero, *viro*, ceu ait, *tanti ingenii & tam emunctæ naris*, in mentem veniſſe hanc expoſitionem verborum Chriſti, *Satanas expopoſcit vos, ut cribraret ſicut triticum*, i. e. *corruptio, quæ a Satana orta eſt, & pravæ cupiditates*
p. 38. ſeq. *veſtræ cribrabunt vos.* Ipſam cribrationem Bynæus ita illuſtrat: velle Satanam ex Apoſtolis excutere puram fidem, adeo ut nihil maneat reliquum præter falſa præjudicia; ſicut in quaſſatione cribri farina pura excutitur, furfures autem & quiſquiliæ remanent. Ut alludatur ad iſtud genus cribrationis, de quo Eccleſiaſt, 27, 5. *in concuſſione cribri rema-*

*remanent quiſquiliæ.* Precibus autem Chriſti, forſan iis, quæ apud p. 40.
Johan. 17, v. 11 & 15 (addendum comma 12, ex iis quæ infra dicuntur
p. 181.) leguntur, effectum, ut fides illorum non plane deficeret. Circa p. 51.
determinationem gallicinii Marcum non diſſentire a Matthæo & Luca.
Non enim dicere Matthæum, πρὶν ἀλέκτορα φωνεῖν, *antequam
gallus cantet*, ſed φωνῆσαι, *antequam cantare deſierit*. Idem ſignificare
Lucam. Clarius autem retuliſſe Marcum verba Chriſti, prout a magiſtro
ſuo Petro didicerat, πρὶν ἢ δὶς φωνῆσαι, *antequam tempus
gallicinii eo usque fuerit elapſum, ut bis in eo gallus cantaverit.* Non
enim deſinere ante tempus illud, quod *conticinium* Latini vocent.
Utrum Johannes ſcripſerit, πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων, an τοῦ p. 69. 71.
Κέδρων, vel Κεδρῶν, non facile poſſe dici. Non inepte cogitari, Johannem
ſecutum Judæorum Græce loquentium & ſono vocis deceptorum
modum receptum, qui putarint torrentem Kidron vel Kedron
appellari a cedris, uti ab oleis mons olearum. Scripſiſſe igitur forte
τῶν Κέδρων, quaſi *torrentem cedrorum* diceret; etſi alii malint, ſcriptum
a Johanne τοῦ Κέδρων vel Κεδρῶν (quod nomen proprium illius
torrentis fuit) ſed a Græculo quodam illud τοῦ in τῶν mutatum fuiſſe.
Chriſtum ibi oraſſe, ajunt Matthæus & Marcus, atque Lucas, ſed illi, p. 94. 95.
ἔπεσεν ἐπὶ τῆς γῆς, vel, ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ, hic, θεὶς τὰ γόνατα.
Cum vero genua flectere, & ſe proſternere in terram, pro eodem ponantur
nonnunquam, ceu ex Euſebio & Epiſtola Marci Aurelii ad Senatum
Romanum pateat, non inconcinne obſervat, Lucam id ipſum
dicere cum reliquis. In ipſis precibus apud Marcum, Ἀββᾶ ὁ πατήρ, p. 103.
non fuiſſe formulam, quod Ludovicus Capellus & alii plures putarint,
Græcorum pueris notiſſimam, ſed Judæorum, qui Græce loquentes
ex Ab vel Aba voce notisſima fecerint Ἀββᾶ; huic autem, affectus
teſtandi cauſa, adjectam vocem Græcam, ὁ πατήρ. Græcis contra
uſitatiſſimum dicere, Ἄππα πάτερ. Dubiam prorſus & incertam p. 126. 127.
eſſe conjecturam, qua Angelus corroborans Chriſtum credatur Gabriel
fuiſſe. Contra vero cogitari non inepte, Angelum illum conſpectum
e longinquo, nempe e cœlo, locutum cum Jeſu verbis diſertis,
eo modo quo *Angelus Domini* Gen. XXII, 11. *clamavit ad Abrahamum
de cœlo.* Sudorem Chriſti negat fuiſſe inſtar ſanguinis con- p. 130-135.
creti. *Deſcendere* enim vel defluere, καταβαίνειν, non convenire
grumis ſanguinis, ſed guttis ſanguinis. Quin particulam ὡσεὶ notam

 veri-

veritatis hoc loco (nam de ὡς Joh. I, 14. ultro id concedit) non eſſe, Theophylacto, Photio, Grotio & Joh. Pricæo adſtipulatur. Unde negat, Chriſtum ſanguinem *vere* ſudaſſe, cum obſtet vox ὡσεὶ, quæ tantum ſimilitudinem quandam innuat. Lucam enim dicere potuiſſe, ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ θρόμβοι αἵματος, vel ſimpliciter, αἷμα ἵδρωσε, *ſanguinem ſudavit*. Ad guttarum magnitudinem tantum reſpici: & guttas veri ſudoris tam grandes fuiſſe ac ſolent eſſe ſanguineæ, cum defluunt in terram. Non mirum autem, ſtante hac hypotheſi, vanam illi eſſe diſputationem, utrum purus ſanguis fuerit, an humor ſeroſus ſanguine tinctus? &, utrum hic ſudor ſanguineus naturaliter eru-
p. 142. perit, an vero miraculoſe? Verbum Chriſti apud Marcum XIV, 41 ἀπέχει, ait hic uſurpari imperſonaliter, & ſignificare Jeſum, *jam ſecum actum eſſe*. Obſervaſſe CL. Græviurn ad Florum, id proprie dictum de gladiatoribus, qui vulnerati eſſent, *habet*, ſcilicet *vulnus*. Transferri deinde ad illos, qui fatebantur ſe periiſſe. Non
p. 192. ſine cauſa tamen mentionem fieri hic a Chriſto duodecim legionum. Duodecim enim fuiſſe, quos tangebat periculi metus, Jeſum & undecim ipſius Apoſtolos. Itaque ſingulis unamquamque legionem, (alludendo ad militiam Romanam, & immenſum numerum
p. 212. exprimendo) reſpondere. Cajapham Pontificem maximum *illius anni* vocari a Johanne, non quod eo tempore ſemper annuus fuerit Pontificatus; id enim vel ſolam Pontificum ſeriem, ſi inſpiciatur, refellere; ſed quod pro illo rerum ſtatu, quo Præſides Romani pro lubitu creabant Pontifices, incertum eſſet admodum, an Pontifex hujus anni fu-
p. 216. turus etiam eſſet anni ſequentis. Ratio genuina, quare ad Annam prius adductus ſit Jeſus quam ad Caipham, prodita perhibetur ab ipſo Johanne: *erat enim ſocer Cajaphæ*. Ulteriorem rationem hanc ſubeſſe, quod Annas per aliquot annos Pontificatu maximo functus, eaque dignitate a Præſide Romano nulla ſua culpa motus, ſocerque præterea Cajaphæ, majoris ex veteri inſtituto, quo durabat officium iſtud ad vitæ finem, autoritatis potentiæque, quam Caiphas, fuerit. Atque ideo Luc. 3, 2. & Act. 4, 6 Annam & Caipham nominari Pontifices, illumque collocari ante hunc, in ordine generis pon-
p. 223. tificalis. Poſt iſta verba Johannis de Caipha, neutiquam hiatum agnoſcit Bynæus. Cyrilli enim autoritate præter meritum abuſum Theodorum Bezam & alios. Neque eam Cyrillo mentem fuiſſe, quod interje-

terjecto demum commentario, non autem ſtatim, ſubjungat, *miſe-runt autem eum ad Cajapham.* Vel explicationis gratia a Cyrillo poni iſta, vel ea verba ab aliena manu poſtmodum commentario illius fuiſſe addita, citra ullam neceſſitatem. Cum enim dixiſſet Johannes, Chriſtum ad Annam adductum πρῶτον, ſatis indicari, eum poſtea alio deductum, monente Grotio. Matthæum, Marcum & Lucam omittere hoc; procul dubio quod in ædibus Annæ actum nihil omni- p.226.
no eſſet, & conventus apud Caipham inſtitutus. Juvenem illum ſindo- p.231.
ne amictum, non fuiſſe ſecutum Jeſum, antequam veniret proditor, quod Voſſio Caſaubonoque viſum; ſed demum, cum ex horto Gethſemanes duceretur captivus. Sindonem vero non fuiſſe linteum ex p.234.
pavore ſubito humeris injectum, ſed veſtem ſuperiorem & tunicam lineam, quam ſupra veſtes interiores geſtare in more poſitum, hic vero, quod alias inſolitum, nudo corpori indutam, ut proſiliens videret, quid ageretur in tumultu: contra Maldonatum, Caſaubonum, Grotium, Voſſium, Gerhardum, Lichtfootum, alios. Prehenſum ju- p.237.
venem illum a militibus Romanis, quos & Græci νεανίσκους & Latini ſæpe *juventutem* vocent: non autem ab adoleſcentulis cohortem Romanam ex urbe ſecutis. Omnia enim a Senatu Judaico ita fuiſſe diſpoſita, ut nemo puerorum, quorum conſuetudo eſt ſequi captivos, potuerit accurrere. Neque putandum, a Marco luſum iſtiusmodi puerilem deſcribi. Imo prehenſum hunc juvenem ideo a militibus, ne clamore in urbe excitaret e ſomno alios, cieretque tumultum. Miniſtrum illum publicum, qui Chriſto in domo Cajaphæ alapam dedit, non p.264.
feciſſe id, quod metueret, ne & ipſe pro fautore illius haberetur, ceu quidam opinentur, decepti verbis Chriſti præcedentibus, *Ecce, illi ſciunt, quæ dixi ego;* ac ſi notarent, *ipſi veſtri ſatellites ſatis id norunt.* Id enim eſſe contra mentem Chriſti. Neque etiam feciſſe id ex obten- p.265.
to zelotarum jure, quod non improbabile quidem, certum tamen haud quaquam ſit, ſed ex ira. Verba quæ apud Johannem poſt iſta p.269.
ſequuntur, ἀπέστειλεν (nam οὖν abeſſe a plerisque codicibus,) αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα, ſemper ſibi gloſſema, idque antiquiſſimum viſa, & ex margine irrepſiſſe in contextum & codices omnes, atque ſic omnem ſolvi difficultatem, Bynæus aſſerit. Sicut nec in verbis Chriſti, ὄψεσθε καθήμενον ἐκ δε- p.298.
ξιῶν τῆς δυνάμεως, ullam quæſivit; ultro concedens, cum poſt

aſcen-

aſcenſionem in cœlos accepiſſe communionem regni, poteſtatis, do-
p 301. miniique a Patre, non honoris ſignum tantum. Quod autem ſequitur,
*& videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potentia &
gloria multa*, ita interpretatur: Judæos non multo poſt viſuros Jeſum
ſedentem ad dextram potentiæ, & venientem in ira ad ſumendam vin-
dictam de rebellibus Judæis, hoſtibus ſuis præfractis. *In* vel *cum nubi-
bus cœli* enim *venire* ſignificare iram ac vindictam, Jeſa. 19, 1. Pſ. 97, 1.
2. Neque præmittere potuiſſe ἀπ' ἄρτι vel ἀπὸ τοῦ νῦν, *ab hoc
tempore*, ſi ad ſera tempora extremi judicii reſpexiſſet. Inprimis vero
Luc. 19, 12. 14. idem dictum eſſe a Chriſto, *inimicos illos meos*, *qui
noluerunt regnare me ſuper ſe*, *adducite huc & jugulate coram me.*
p. 303. Eventum hoc confirmaſſe ipſo Pentecoſtes die, & cum Evangelium
prædicaretur Gentibus, fruſtra renitentibus Judæis, atque in everſio-
ne templi ac civitatis. Hæc enim ſigna evidentiſſima fuiſſe, Jeſum ade-
ptum eſſe regnum a Patre promiſſum, & eſſe filium Dei. His auditis
p. 309. Cajapham ſcidiſſe tunicam ſuam vulgarem. Veſtes enim ſacras ſum-
mi Pontificis & reliquorum Sacerdotum recluſas fuiſſe in templo, ad
miniſtrandum in ſancto. Atque ideo Paulum Act. 23, 5. ignoraſſe, Ana-
niam eſſe Pontificem maximum; quod in judicio & ſenatu non ſedis-
p. 315. ſet cum veſtitu ſuo pontificali. Sciſſionem inſecuta ſententia mortis
decretoria & ſolennis, cum valida judicum condemnatione, videtur
Bynæo; qui libro tertio prolixe aſſerturum ſe promittit, judicia capi-
talia Judæis ab Auguſto poſt confiſcatam Judæam non fuiſſe ablata.
p. 333. Difficilem quæſtionem, an Petrus prima vice negaverit Chriſtum in
ædibus Annæ, ita ſolvit ex ſuperiore hypotheſi: Jeſu ab Anna ad Ca-
japham deducto contigiſſe demum, quæ ſequuntur apud Johannem
de negatione prima. Accedere, quod is ſecundam tertiamque nega-
tionem cum prima ſic connectat, ac ſi Petrus hactenus in uno eo-
demque conſtitiſſet loco, nec inde pedem moviſſet. Statim enim poſt
primam dicere, *erat autem Petrus ſtans*, v. 18. & iterum ſecundæ tertiæ-
p. 347. que præmittere, *erat autem Simon Petrus ſtans*, v. 25. Narrationes Evange-
liſtarum quoad circumſtantias reliquas, easq; plures, hujus negotii non
diſſentire a ſe invicem, quia Petrus, Marci præceptor, in tanta conſter-
natione non niſi confuſe retinere memoria potuerit, quæ continge-
bant, & diſcipulus Chriſti ille, qui cum Petro ſequebatur, factum hoc
modo cum una, modo cum altera circumſtantia narraverit nunc huic
nunc

nunc alteri Evangeliſtarum, qui id ſolum, quod quisque audiverat, de-
ſcripſerint. *Anathema* ſibi imprecatum eſſe Petrum, formula jurandi p.363.
tunc ſolenni, i. e. ſeparationem a Synagoga. Id, quanquam pro
magno malo duceretur, ſenſum tamen hunc non habere, quaſi Pe-
trus cœperit ſe ipſum devovere, vel deteſtari, vel execrari, vel diris ſe
obligare, quomodo priſci dixerint, *ſic faciat mihi Deus, & ſic addat.*
Prolixiſſimus autem Noſter eſt in eruenda ſignificatione verborum p.383.
Marci de eodem Petro, ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, atque ex univerſo diſſen-
tientium apparatu eligit ſententiam Theophylacti, Salmaſii, Vorſtii &
aliorum, qui vertunt *injiciens veſtem*, ſcil. capiti, *flevit.* In Græco enim
ſubintelligi τὴν ἐσθῆτα, ut reſpiciatur ad morem Judæorum aliorum-
que populorum obvelandi caput, cum flerent acerbe, tanquam pu-
dibundi. Circa genuinam notionem πραιτωρίου diſtinguit tempo- p.408.
ra. Vocem hanc olim denotaſſe tabernaculum caſtrenſe ſummi Ducis,
qui veteri lingua Latina appelletur *Prætor.* Poſtea cum regiones jure
armorum in formam provinciæ redactæ adminiſtrarentur ab iisdem
Ducibus, habitationes ipſorum retinuiſſe hoc nomen: eaque notio-
ne accipi in re præſenti. Pilatum ἡγέμονα appellatum Matthæo vo- p.411.
cat *Procuratorem*, non *rationalem*, qui ſine jurisdictione erat, ſed qui
*vice Præſidis*, vel *cum poteſtate*, adeoque habentem jus gladii. Et huic
traditum fuiſſe Jeſum non ideo, quaſi ea tempeſtate adempta Judæis p.415.
eſſent judicia capitalia; ſed quia crimen læſæ majeſtatis, cujus accu-
ſabatur, pertinebat ad tribunal Procuratoris Romani. In conflictu
opinionum circa mortem Judæ, aſſentitur Jacobo Gronovio: Mat- p.448.
thæum narrare ſimpliciſſime ſtrangulationem violentam, ab ipſo Ju-
da patratam, ideoque præmiſiſſe Evangeliſtam ἀπελθὼν, quod alias
abundare videbatur. Lucam autem narrare infamiam, quæ poſt mor-
tem facta ſit Judæ cadaveri: ſimulac enim illa innotuerit, *in præceps da-
tum* ab aliis, ut omnium oculis inſepultus ad occaſum Solis uſque pa-
teret, *crepuiſſe medium* &c. Quomodo Jeremiæ nomen expreſſum ſit p.462-479.
apud Matthæum, cum ipſum vaticinium de agro figuli legatur apud
Zachariam, multo adhuc magis torſit Bynæum; adeo ut tandem cum
Calvino dicat, *me neſcire fateor.* Pium quidem eſſe, quod Auguſtinus p.477.
conſulto hæc nomina a Spiritu Sancto permutata fingat, ut innueret,
uno eodemque Spiritu olim actos vates. Verum hoc ipſum non mo-
do ſubtilius multo quam ſolidius, ſed etiam frivolum prorſus videri

alienumque. Cur enim Jeremiæ potius, quam Moſi, aut Davidi, aut Ezechieli tribuerentur ea, quæ apud Zachariam leguntur? Denique ſenſum iſtorum verborum Zachariæ non pervertiſſe Matthæum, ſed hunc omnino conſtare, oſtenſurum ſe pollicetur doctiſſimus Bynæus libro quarto.

## *JANI VINCENTII GRAVINÆ OPUSCULA.*

Romæ, apud Antonium de Rubeis, 1696. in 12. plag. 9.

HUmanioris literaturæ cultum ſi quis Alpes, ſpretis Italiæ finibus, trajeciſſe exiſtimet, næ is clariſſimo præſentium opuſculorum exemplo poteſt redargui; adeo terſo limatoque ſermonis genere conſcripta deprehenduntur ſingula & elaborata. Ac *primo* quidem, quod *Specimen priſci juris* inſcribitur, id egit Autor clariſſimus, ut ex veris ac primis principiis Romanorum Jus Civile derivet. Poſtquam enim ad Origines Juris Civilis integro opere exponendas animum is adjeciſſet, aliquem laboris ſui guſtum hoc ſpecimine, ex prolixioribus
p. 15. commentariis excerpto, dare publico conſtituit. Ad legum itaque & imperii incunabula ut Lectorem ducat, ſupponit initio, legem juxta & imperium non ſapientibus, ſua quibus ratio lex ſit & imperium, ſed iis poſita fuiſſe coercendis, ad quorum animos componendos ratio non valeat; ut, quæ perturbatio propria ratione non reprimitur, ratione ac poteſtate publica, aliave majori perturbatione, mortis
p. 16. nempe ac pœnarum metu, contineatur. Si quem lege premi contingat, eum non aliena vi, ſed ſua potius imperii portione gubernari, ideoque non eſſe dubium, quin omnium tueri leges interſit, utpote vinculum publicæ ſalutis, qua contineri unusquisque & ſuam ſentiat.

p. 29. Enumeratis hinc variarum gentium legislatoribus, ex Athenienſium legibus magnam partem manaſſe Jus Romanorum oſten-
30, ſeq. dit: ubi & de Jure Regio, quod Papirianum nominant, diſſerit, & num omnes leges regiæ, an vero ad ſtabiliendam dominationem regiam
33. pertinentes ſolum ſublatæ fuerint, disquirit. Inde legum tabulis XII comprehenſarum originem, auctores, & confirmationem ita perſequitur, ut credas non fruſtra dictum a Cicerone: omnium Philoſophorum bibliothecas unum ſibi videri XII Tabularum libellum, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utili-

tatis

tatis ubertate ſuperare. In iisdem colligendis, diſponendis, ac interpretandis laudat Jacobi Gothofredi operam; ſingularum dein tabularum argumenta recenſet, evolutis ſimul, qui paſſim in iis occurrunt, obſcurioribus terminis. Expoſitis tabularum argumentis, ad JCtorum actus legitimos, aditionem videlicet ſeu cretionem hæreditatis, mancipationem, acceptilationem, tutoris ac libertatis dationem, & ſervi aliusve rei optionem explicandam progreditur: quibus ut adoptionem annumerat, Ulpiani auctoritate motus, ſic ex eorundem claſſe eximendam uſurpationem cenſuit. Singula vero in *Libris Originum*, quos promittit, latius ſe velle perſequi innuit. p. 36. p. 71. 81. 86.

Opuſculorum *alterum* elegantem dialogum exhibet, quo *Latinæ linguæ* præſtantia luculenter aſſeritur. Largitur equidem diſertiſſimus Vir, hiſtorias & diſciplinas popularis quoque ſermonis luce ſatis eſſe jam promtas; negat tamen in aliena lingua oratores & poetas venuſtatem & elegantiam propriam retinere integram, quod nativus lepor peregrino linguarum ingenio corrumpatur, quodque vigor & adſpectus nativæ eloquentiæ novis exterisque coloribus inducatur ſtatim & aboleatur. Negat vernaculas, quæ à Latina velut a capite perfluant, retineri conſervarique poſſe, niſi ad Latinam, & inde ad Græcam, quæ omnium fons & origo ſit, revocentur. Græcam equidem & origine, & auctoritate, & dignitate præſtare cæteris; unam Latinam nihilominus cogitata hominum & res geſtas in orbis terrarum univerſi partes diſſeminare quam feliciſſime, & adæquare cum omni poſteritate ſcriptoris memoriam. Hinc ad quæſtionem de Romanorum genere, & utrum gentis hujus auctores Græci, an Trojani fuerint? eo potiſſimum fine digreditur, ut Latinam non aliunde rectius, quam a Græca erui poſſe demonſtret. Latinæ ſtudium fuiſſe nunquam a Græcarum literarum cognitione ſejunctum, imo quaſi perpetuum elegantiæ fœdus iniiſſent, pulſis Latinis literis ſimul exulaſſe Græcas, iisque revocatis & has rediiſſe. A Græcis porro non modo omnem ſcientiam & eruditionem eſſe profectam, verum & ipſas literarum formas, quas a Phœnicibus Græci perhibentur accepiſſe: non levi argumento eſſe, quod olim eædem fuerint Latinorum & veterum Ionum literæ, teſte tabula Delphica, Minervæ quondam dicata in Palatio. Neque Italiam Græca lingua carere potuiſſe, quod magnam partem Græcorum eſſet coloniis occupata. Populorum commercium commercia p. 101. p. 106. ſeq. 108. 114. p. 123.

doctrinarum excepiſſe, Græcique ſermonis uſum ad ſcholas & univerſa literarum ſtudia ſimul cum ipſis literis derivatum propagaſſe. Solenne Romanis fuiſſe, quotquot ſermonis & morum elegantiæ ſtudio
124. incumberent, conferre ſe in Græciam, ut una cum philoſophia & eloquentia Græcæ linguæ uſum quoque addiſcerent. Celeberrimam ſcholarum fuiſſe Athenienſem, ubi philoſophia & eloquentia privatis veterum Philoſophorum diſputationibus excitata, poſtquam ſub umbra
125. bra conſediſſet, migrarit in forum. Neque barbaros ſolum, verum & Regum filios ad ingenuas addiſcendas artes eodem miſſos commemorat. Proximam fuiſſe Rhodiam, artium & eloquentiæ ſtudiis percelebrem, & vel unum ob Ciceronem a Milone Rhodio perpolitum,
126. quæ ſummis laudibus efferatur, dignam. Diſcurrentibus poſtea Alexandro duce una cum Græcorum armis, artibus & inſtitutis, doctrinarum ſcholas diverſis in regionibus legi fundatas. Alexandrinam cumprimis, ubi Ægyptiorum, ſingulis morbis certos medicos adhibentium, exemplo tanta fuerit medicæ artis celebritas, ut qui operam iis dediſſet doctoribus, apud nationes alias in ſumma verſaretur exiſtimatione doctrinæ. Eloquentiæ & philoſophiæ gloria eam ceſſiſſe
p. 127. quidem Atticæ; poſt acceptam vero a Chriſti diſcipulis veram religionem, divinarum legum interpretatione, & cognitione ſacrarum literarum longe cæteras ſuperaſſe; quod Clementis Alexandrini, Origenis, Athanaſii, & Cyrilli confirmatur exemplis. Græcorum linguam itaque apud omnes omni tempore manſiſſe incolumem concludit, ſtudiisque diſciplinarum, librorum copia, ac inventione omnium artium & facultatum in gentes atque ætates manaſſe univerſas. Quod uti ſecundum Græcam nulli præterquam Latinæ contigerit: ſic de vulgaribus ſperari nihil horum poſſe, quippe quæ & amplitudine imperii, & inventorum dignitate, & auctoritate antiquitatis, & conſenſu univerſorum deſtituantur.

p. 129. His aliisque rationibus utilitate linguæ adſtructa, incredibilem, qua pollet, gratiam & voluptatem inde ſuadet potiſſimum, quod miris modis ornari, & contrahi modo, modo laxari, & ad numerorum ac ſententiarum varietatem flecti queat, verborum item luminibus, mirisque tranſlationibus illuſtrari. Gaudere enim eam terminationis varietate, qua vocum ſingularum certas & præcipuas affectiones, ſive caſus in nominibus, perſonas in verbis, numerum in utrisque notet

ac

ac diſtinguat. Duci proinde verba ad numerorum & ornamentorum rationem poſſe ſolo dicentis arbitratu: ſic ut ſententia minime obſcurata, perturbatave, trajectis etiam verbis numeroſe nihilominus atque concinne cadat oratio. quo ornamenti genere vulgares careant. Cætera jucunditatis argumenta quamplurima, præteritione adhibita attingit. Translatione ſenſum verborum non mutari, dum probatur, 130.
conſectarii loco monet, e manibus nunquam amittendos eſſe Comicos veteres, quod hi præ cæteris propter proprietatem ſermonis, & 134.
popularem loquendi conſuetudinem, nativam reddant verborum ſignificationem, qua perſpecta id lucremur, ut cautiores in translationibus, imo tutiores & feliciores evadamus. Poſtrema dialogi pars diverſas linguæ Latinæ ætates, & quinam auctores ad unamquamque referri mereantur, explicat. Nativam incorruptamque Latinitatem ad 137.
ætatem Auguſti in cunctis ejus ævi ſcriptoribus viguiſſe; ab hujus vero morte cum propter colluviem peregrinorum, tum propter exterorum dominationem inclinaſſe, quorum regia ut peregrinis moribus, ſic verborum quoque inſolentia ſcatuerit.

*Tertium* Opuſculorum uti pro argumento *Converſionem Doctrinarum* habet, ſic Auctor in eo de re literaria, de ſcientiarum ſtatu, pretio & contemtu, nec non de fatis eruditorum præcipue per Italiam, erudite diſſerit. Ab hac equidem cum bene vivendi, tum recte ſen- p. 148.
tiendi leges, ipſamque propemodum humanitatem, aliis primum nationibus affulſiſſe, aliquando tamen in ſummam artium bonarum ignorationem eam eſſe demerſam: nec defuiſſe rurſus, qui artium liberalium inſtitutionem Italia abactam ac proſcriptam, e priſcis arceſſiverint fontibus, rectaque ſtudia longo jam tempore intermiſſa revocarint, quorum principem Franciſcum Petrarcham facit; melius 149.
proceſſiſſe cuncta, ex quo ad cultum Latinitatis, Græcarum literarum ſtudium acceſſerit. Græcia enim in barbarorum poteſtatem redacta, eam vaſtitatem pervaſiſſe florentiſſimas olim orbis regiones, ut coacti illius temporis eruditi fuerint, conſpiratione animorum facta, patrios Lares cum ſolo peregrino commutare, avectaque ſecum Græcorum doctrina, in Italiam velut ad aram confugere. Qua ratione fa- 150.
ctum, ut ſemel atque iterum ſcientiarum lucem Italiæ attulerit Græcia. Porro & eos commemorat, quibus quaſi ducibus humaniores literæ Italiam pervagatæ, trajecerint Alpes, ſic ut uno tempore non ex Italia

 ſolum

ſolum, ſed e remotisſimis quoque regionibus priſcum & Græcorum, & Latinorum ingenium eluxerit. Conſentiam dediſſe Janum Parrhaſium, & Pomponium Lætum, vetuſti moris juxta & elegantiæ vindicem; Etruriam Politianum, Petrum Victorium, Acciajolum; Venetias Hermolaum: quemadmodum & ſuccedente tempore Eraſmus Belgium, Germaniam Reuchlinus, Budæus Galliam, Morus Britanniam Græcis Latinisque copiis inſtruxerit. Hinc Italorum Poetas adducit, in quibus ſplendor veterum, vis, ubertas, & artificium revixerit, laudatis ſimul iis literarum reſtitutoribus, qui e tenebris eripuerint Hiſpanias.
153. Latinæ eloquentiæ, cujus primas ferat Italia, non multiplici duntaxat eruditione, verum & abſtruſa vetuſtatis univerſæ notitia, & infinita linguarum cognitione reſpondere Galliam. Lambino enim, Turnebo, Ramo, Petro Fabro, Petito, aliisque miſſis, in unius ait Joſephi Scaligeri magnum, uberrimum, & admirabile ingenium confluxiſſe, quicquid poſt homines natos mandatum literis, quicquid in obſcuriſſima vetuſtate reconditum, quicquid illuſtrius in univerſarum gentium linguis confuſum fuerit ac diſſipatum; cui tamen & Caſaubonum, Salmaſium, Bochartum non dubitavit jungere.

155. Jurisprudentiam Romæ quidem natam & cultam, verum nugarum mole ſubinde obrutam, a Nebriſſenſi, Budæo, Alciato ſublevatam eſſe; a Connano autem, Duareno, Briſſonio, Donello, Barone, Revardo, Vinnio, Grotio, Antonio Fabro, quique jus omnium & in-
157. duſtriam circumſcripſerit, Cujacio in lucem revocatam. Vulgarem Phyſicam Dis, ut ait, iratis natam fugaviſſe Bernhardinum Teleſium Coſentinum, & hujus e ſchola doctiſſimos per Italiam viros, quorum catalogum texit, prodiiſſe. Italorum res eo interim adductas hodie conqueritur, ut quorum ſcripta dudum exempla fuiſſent exteris, nunc paucis exceptis, nil niſi jocus ſint atque ludibria, conſuetudinis pravæ potius, quam ullo ingeniorum vitio. Adeo corruptam enim invaluiſſe nuper judicandi rationem, ut ſi quis natura ad eloquentiam ſinceramque doctrinam feratur, is peſſimorum uſu librorum & pravo multitudinis judicio, ab opere recte inſtituto deterreatur. Non ſcriptoribus, ſed monſtris obſideri ſtudioſorum animos, nec virtutibus
159. orationis amplius, ſed infucatis vitiis rapi. Conſcribi a novorum audacia libros, ſtylo tam tumido, tam inſulſo, tam agreſti, tam putido, ut cum ab iſtorum lectione diſceſſeris, ad circum potius, quam ad forum

rum idoneus tibi videaris. Minime ferendos eſſe, qui Plautum putent, Terentium, Ciceronem ipſum ab Apulejo, Sidonio, Auſonio, Marciano; Horatium a Juvenali & Perſio; Virgilium, Catullum, Propertium, Tibullum, Ovidium a Lucano, Statio, Claudiano, Martiali, Silio; Salluſtium, Nepotem, Cæſarem, Livium a Floro, Suetonio, & Marcellino ſuperatos. Quemvis ſanum & cordatum merito exardeſcere, ubi leporem a ſcurrilitate, magniloquentiam a tumore, munditiam a ſordibus, nativumque Romani oris ſonum ab importuna peregrinitate fugatum viderit. Magiſtratus & honores divino humanoque jure non opibus, non gratiæ, ſed virtutibus ac literis decerni. Reperiri tamen ex judicum eo in genere & arbitrorum numero, qui- p. 164.
bus non alia conditione proberis, quam ſi vitam impuram impura p. 167.
cum dictione conjunxeris. Quamvis autem faſtigia rerum vitioſa ratio teneat, rectam nihilominus inſinuare ſe nonnunquam privatim, & ſi minus emineat, ſaltem repere; ſponte ſua quoque ingenia interdum in agris veluti incultis ac prope deſertis pullulare, & mirabili ratione per ſe eniti & effloreſcere.

De *Contemtu mortis* in *quarto* ita diſſerit, ut ex arte bene mo- 170.
riendi recte vivendi rationem deducat. Negat inter alia, peregrinum 175.
laudaturus, poſitis Romanis moribus retineri civitatem. Civem enim Romanum eſſe, non quem ſeptem colles ediderint ac educarint; ſed qui e veteribus Romanorum inſtitutis ſit expreſſus ac formatus, quique in antiquitatis memoria verſatus probe, e veterum cognitione & imitatione factorum ſuſceperit ac referat mentem animumque Romanum; quo qui careat, eum in Capitolio licet natum, exulem, non civem eſſe. Contra quisquis conſtans in retinenda libertate ſit, quisquis in ſacrorum fide religioſus, in adeundis periculis impiger, fortis in patriis legibus inſtitutisque tuendis: quisquis ad voluptates temperantiam, ad injurias magnanimitatem, ad ſumtus magnificentiam, ad ſecundas adverſasque res æquabilitatem animi adhibeat, eum vel extincta Roma veteri, quamvis e media Scythia fuerit exortus, a Romanis virtutibus civitate Romana donari; præſertim ſi Romanos mores non factis ſolum, ſed incorrupto etiam uſu Latini ſermonis expreſſerit. Nominis enim Romani & urbis dignitatem in eo conſervari maxime, in quo lingua, morum index, & Romani mores intermortui reviviſcant. De cætero fontem vitæ rationem eſſe, quæ alatur co- 177.

gnitio-

gnitione veritatis & exercitatione virtutum; quorum alterum errorum
tenebræ, alterum vitiorum ſordes nobis eripiant; adeoque mirum
non eſſe, majori mortis formidine ſtultos corripi, quod vivere ante
p. 179. deſinant, quam ad vitæ limen unquam pervenerint. Sapientis vitam
eſſe perpetuam exercitationem mortis, & mortem æternæ inſtitutio-
nem vitæ, imo aditum ad immortalitatem. Quorum autem nulla
pars corporis vacet voluptate, & quorum omne tempus transmitta-
tur vitiis, iis vel eo nomine mortem graviſſimam videri, quod omne
amittant, cujus cauſa vitam inſtituerint, & qui ſuperſit animus, an-
goribus nunquam finiendis reſervetur.

184. De *Luctu minuendo* cum in Opuſculorum *quinto* agitur, oſten-
188. ſeq. dit inter cætera, non niſi humanam ignorantiam, quæ rerum eventus
aliorſum trahat, quam quo Deus intenderit, cuncta propriis affectio-
nibus ſic labefactare, ut vel intempeſtiva appareant nobis, vel imma-
tura. Ubi vero ſpatium a Deo definitum natura duce quis comple-
verit, ejus nec immaturum obitum, nec tardum poſſe videri, perinde
ut nec equum tarditatis accuſemus, nec aquilam celeritatis nimiæ,
quod hæc, quam ille celerius lineam tranſilierit.

191. *Poſtremum Leges Arcadum* proponit, qui ante ſexennium forte,
196. novam ſocietatem Romæ, Muſarum cultum & probitatem vitæ pro-
199. movendi ſtudio, inierunt. Quos inter cognomen *Opici Erymanthei*
aſſumere ut Gravinæ placuit, ſic *Sireni* Nobilisſimo Malagonnellio
(cujus Orationes ſummum ingenii acumen undique ſpirantes, in Se-
ctione I Tomi III Supplementorum pag. 43. non ita pridem recen-
ſuimus) tributum obſervamus, qui nec inter prima renaſcentis Ar-
cadiæ nomina ferri ſe diſſimulat. Hasce leges jam probat, & tuetur
Auctor clariſſimus, ſuccincta oratione legibus ſubjuncta.

Quod denique hiſce opuſculis annectitur, lingua Italica ab eo-
dem Auctore conceptum, dictoque ſuperius anno Romæ impreſſum,
ſenis abſolvitur plagulis, Eminentisſimo Cardinali Boncampagnio
p. 120. dicatum, ſub titulo: *Delle Antiche Favole.* In illo de μύθῳ ſive fabu-
la agit, quæ, uti norunt, quibus remota pauliſper cortyna penitio-
res poeſeos receſſus introſpicere licuit, non epici tantum atque dra-
matici, ſed cujusvis alterius etiam carminis naturam præcipue con-
p. 12. ſtituit. Poſtquam itaque ſub initium ſtatim, quid tandem ſit in fabula
tantopere animis Lectorum auditorumque ſeſe aptum inſinuare,

acute

acute ſatis indagaſſet; ex hac ipſa doctrina deducit, quam neceſſa-
rium ſit, ut veroſimilitudinem fabula obtineat ſemper, nec quidquam p. 14.
fingat a natura alienum; hoc enim ſi fiat, actum fore de illa quam ha-
bet occulta animos flectendi virtute. Quantus in hac arte magiſter p. 15.
Homerus fuerit, jam porro oſtendit, quem optat ut imitentur moder-
ni poeſeos, dramaticæ imprimis, corruptores, qui nihil fingant, niſi p. 21.
quod a natura quam alieniſſimum ſit, contemnentes nihilominus præ
ſe antiquos illos divinæ hujus artis antiſtites, quibus ingenium defuiſſe
putent, quo minus ſublimia, ad quæ ſcil. ipſi ſeſe attollant, petere value-
rint. Verum quam mali veterum judices tales exiſtant homunciones
oſtendit, in originem erroris eorum ſatis accurate inquirens. Quo
facto genuinum fabularum uſum inveſtigare pergit. Qui cum nul- p. 28.
lus alius ſit, quam univerſales veritates, tam morales quam phyſicas
& theologicas, materiali quaſi aliquo habitu induere, ipſisque oculis
ita ſiſtere intuendas, ut eo vehementius iis rudioris plebis præſertim
feriantur phantaſiæ. Omnium fabularum, tam quæ virtutes & vitia re- p. 30.
præſentant, quales Tantali, Siſyphi, Furiarum & aliæ ſunt, quam quæ ad
divinam naturam & attributa ſpectant, fundamentum atque ortum
hinc unice repetit. Et hac quidem occaſione in ipſa prima fabularum 35.
inquirit incunabula, atque adeo in ipſius poeſeos originem. Quam
ubi apud Ægyptios inveniſſet, qua ratione ad Græcos translata ſit,
docet, Orpheumque imprimis eſſe oſtendit, qui huic animum
adjecerit; donec Homeri opera ad ſummæ perfectionis faſtigium
fuerit evecta. Ne autem fabularum uſus exiguus cuiquam videri 44.
queat, in ſequentibus luculentis evictum dedit argumentis, aptas ma-
gis eas eſſe, quæ hominum animis ſeſe inſinuent, eosque præceptis
utilibus inſtruant, quam ſi res geſtæ hiſtorica methodo ſimpliciter
proponantur. Et ſic denique ad enarrandas varias poematum, quæ
fabula animantur, ſpecies procedit; ita ut epicæ primum, deinde tra-
gicæ, poſt comicæ poeſeos naturam pauciſſimis exponat. Tandem 65.
lyricæ quoque carmina expendit, atque ea etiam non minus ac reli-
qua fabulam ſuam ſemper habere, eodemque gaudere, quo prius
commemorata, alimento oſtendit. Quod etiam de elegiacis, quibus
cum Tibullo & Propertio Ovidius inclaruerunt, tenendum monet.
Hisque omnibus expoſitis, præcipuos fingendi artifices, tam Græcos 87.
quam Latinos, recenſet, ita ut cujuslibet characteres, virtutesque exi-

L mias

mias nativis coloribus, qua eſt ingenii elegantia, vividiſſime depingat.

*ERICI ODHELII GOTHI, S. THEOL. D. ET PROF. ORD. Upſalienſis, & paulo ante obitum confirmati Paſtoris Stockholmenſium primarii & Conſiſt. Eccl. Præſidis, Operis inediti particula, qua certis exemplis oſtenduntur conciliationis religionum pericula, & ſectariorum callidæ artes irrependi in gregem Domini eumque ſeducendi.*

Strengneſiæ, typis Johannis Ramberg, 1696. in 8. plag. $4\frac{1}{2}$.

DUodecim capitibus hoc ſpecimen abſolvitur, e quibus tertium ſeligere lubet, quod inſcribitur *de Liturgica impoſtura, qua paulo ante hoc ſeculum Eccleſiæ Suecanæ fuerunt divexatæ.* In hoc capite B. Auctor refert, ab eo tempore, quo Catharina Jagellonica, Regis Poloniæ Sigismundi Auguſti ſoror, Johanni III Duci & poſtea Regi nupſit, Johannem Herbertum, Antonium Poſſevinum, aliosque Pontificios Sacerdotes, crebris Stanislai Hoſii Epiſcopi Warmienſis & Cardinalis literis inſtructos, ſimul cum Regina, ut Romanæ Eccleſiæ ſacra in regnum Sueciæ reducerentur, ſtrenuam operam dediſſe, & filio quoque Regis Sigismundo Pontificios præceptores, Nicolaum Mylonium, Nicolaum Raſchium & Arnoldum quendam adhibitos fuiſſe. Inter varias artes, quibus Romanæ ſedis emiſſarii uſi ſint, has commemorat, quod ab initio ſermones ſuos ita temperaverint, ut nihil monſtri alere viderentur; quod rituum evangelicorum ſimplicitatem perſtrinxerint, & reformatione Lutheri contemptim habita antiquitatis ſtudium extulerint; quod Suecos quosdam præſtantis ingenii juvenes Romæ & alibi in ſcholis Pontificiis educari curaverint, quorum ope Papatus in Sueciam felicius reduci poſſet; quod declarationes ſuas non ſimul & ſemel, ſed particulatim editas ſpecioſiſſimis verbis incruſtaverint, & ſub prætextu majoris in cultu ſacro reverentiæ excitandæ novam liturgiam contexuerint, ſubdolis verborum involucris ita adornatam, ne Papiſtici, quos ea continuerit, errores primo ſtatim adſpectu deprehendi poſſent. Enarrat deinde, quanta mala nova hæc liturgia pepererit, cum Rex his aliisque artibus deceptus eam in omnes regni ſui Eccleſias introduci juſſerit, multique ſinceri veritatis evangelicæ confeſſores dignitatibus exuti, proſcripti, carceribus incluſi

aliis-

aliisque modis vexati fuerint, nec pauci tam eccleſiaſtici quam politici ordinis homines, ſive minis territi, ſive fraudulentis illecebris perſuaſi, in hac tentatione nutaverint. At nec defuiſſe, qui, cum miſſæ ſacrificium aliaque Papiſmi ſemina in nova illa liturgia foveri animadverterent, eam non damnare non potuerint, & quidvis pati quam veritatem abnegare maluerint. Hos inter Auctor noſter commendat Theologos Upſalienſes M. Petrum Jonæ Helſingum, M. Olaum Petri Medelpadium, M. Olaum Luth, M. Nicolaum Olai Bothnienſem, M. Petrum Keniſium, & M. Ericum Jacobi Scinnerum, qui ne Academia illa novæ liturgiæ fermento inficeretur, invicta ſua conſtantia effecerint. Commendat inſuper Principem ſapientiſſimum Carolum, qui integram fere Strengnenſem diœceſin multosque alios eo confugientes immunes præſtiterit, nullumq; in Ducatu ſuo locum Papiſticis machinationibus reliquerit. Refert quoque multos, qui parum cauti palpum ſibi obtrudi ſiverant, ſimul ac latentem in herba anguem conſpexerint, velut agmine facto ad invictos confeſſores acceſſiſſe, ipſumque Regem fraude agnita ægerrime, quod eo uſque proceſſerat, tulisſe, ſanctiſſime conteſtatum, quod novam liturgiam non in Pontificis Romani gratiam, ſed ad augendum miniſterii eccleſiaſtici honorem, & majorem reverentiam ſacramento Cœnæ Dominicæ conciliandam approbaverit.

Reliqua hujus Speciminis capita agunt de fraudibus hæreſeos Arianæ, de tentatione Interimiſtica, de conciliatione inter Lutherum & Zwinglium Marpurgi tentata, de concordia Witebergenſi, de fraudibus Sacramentariorum in Gallia, de conſenſu Sendomirienſi, de Eccleſiis Evangelicis in Palatinatu Rheni per Calvinianos occupatis, de Calviniſmo Bremenſi, de mutatione religionis in Eccleſiis Anhaltinis facta, de Crypto-Calviniſtis Witebergenſibus & Lipſienſibus, & de ſynodi Dordracenæ & colloquii Thorunienſis proceſſu. Quanta autem brevitate ſingula tractentur, ex plagularum numero colligi poteſt, quem pro more nobis recepto ſupra indicavimus.

*GEORGII WOLFFGANGI WEDELII MED. D. COMITIS Palatini Cæſarei, Theoret. Profeſſ. Ordin. Conſiliarii & Archiatri Ducalis Saxonici* EXERCITATIONES PATHOLOGICO-THERAPEVTICÆ.

 Jenæ,

Jenæ, ſumptu Joh. Bielckii, A. 1697. in 4. Alph. 1.

IIs hactenus Auctor illuſtris ſcriptis inclaruit, ut nemini obſcurum eſſe poſſit, quanta ex illis emolumenta in rempublicam literariam redundarint. Inter graviſſima tamen, quibus implicitus eſt, negotia, petitis ac deſideriis ſtudioſæ juventutis porro gratificaturus, decem Diſſertationes Pathologico-Therapeuticas, quas in uſum ejus antehac juſſit ſeorſim lucem adſpicere, jam quoque conjunctim editas voluit exhibere, ut eo promptius aliorum etiam oculis exponerentur. In eo totus eſt Auctor celeberrimus, ut memoriæ omnium conſulat, univerſamque adeo Praxin Medicam ſuccincte breviterque explicet delineetque, quo abſque nauſea ab omnibus felici cum ſucceſſu poſſit addiſci. Sepoſitis hinc ſententiis aliorum, nova facilique utitur methodo, cujus ideam olim Tabulis Pathologico-Therapeuticis anno 1687 excuſis exhibuiſſe videtur; perſuaſus, accurata Pathologiæ æque ac Therapiæ cognitione rem omnem poſſe abſolvi, quod illa tradat, quid ſit agendum, hæc vero exequatur & deducat in effectum. Cæteras interim Medicinæ partes minime excludit, illasque miniſtrare ac velificari his ut potioribus opinatur. Decem vero conſtituit morborum genera, nimirum febres, inflammationes, dolores, obſtructiones, fluxiones, tumores, ulcera, vulnera (ſub quorum titulo etiam fracturæ ac rupturæ ipſi veniunt) læſiones ſenſuum, & læſio motus; horumque nomine, quicquid corpus noſtrum lædere valet, nitide enucleat, diverſos, qui accidunt, affectus, phænomena, & cauſas enarrando, debitamque ac ſufficientem curam ſingulis adjungendo.

## *JOHANNIS LOMEIERI, ZUTPHANIENSIS, DIERUM Genialium ſive Diſſertationum Philologicarum Decas ſecunda.*

Zutphaniæ, ex officina Johannis van der Spyk, 1696. in 8. Conſtat Alphab. 1. plag. 10½.

CUm in his Actis noſtris A. 1694. p. 134. primam Dierum Genialium ſive Diſſertationum Philologicarum a clariſſimo *Lomeiero* editarum decadem exhiberemus, indicavimus ſimul, & alteram earum aliquando in lucem eſſe prodituram. Hanc igitur, poſtquam ea in manus

nas noſtras commode incidit, ſimili, quo olim primam, modo recenſebimus.

In *prima* nempe Diſſertatione agit Auctor de urbe *Zutphania*, (juxta quam ipſe anno 1636 in hanc lucem fuit editus, patre in arce & toparchia Keppelio Evangelii miniſtri munus obeunte;) pauciſſima tamen, quæ ad ejus hiſtoriam poſſint facere, ſuppeditat, quin potius in eo totus eſt, ut catalogum eorum texat, qui Eccleſiæ Chriſti ſcholisque, tum in urbe illa, tum extra eam, inde tamen oriundi, præfuerunt. Eccleſiaſticos in duas claſſes diſpeſcit, aliosque ante reformationis tempora cœleſtis veritatis teſtes ſub ipſo Papatu fuiſſe, alios poſt exortam Evangelii lucem floruiſſe innuit. E priorum numero duos, Gerhardi de Zutphania nomine inſignitos, introducit, quos alii quidem, & ſigillatim Jo. Iſacius Pontanus, confundant, ac non niſi unum iſtius nominis fuiſſe ſtatuant. Et facilem quidem fuiſſe hunc errorem dicit, non ob ὁμωνυμίαν ſolum, ſed vitarum quoque συγχρονισμόν. Alterum eorum Theologum Colonienſem egiſſe, alterum vero contemplativæ vitæ addictiorem Daventriæ in domo D. Florentii vixiſſe, & hunc cognomento Zerbolt inſignitum legi perhibet. Hos ex iis, qui ante reformationem inclaruere, commemorat. Sed longe amplior illorum ſeges eſt, quos inde a reformationis temporibus floruiſſe notat, interque hos quam maxime Henrici Zutphanienſis, Hermanni Averkampii, Guilielmi Baudartii, Sebaſtiani Dammanni, Bernardi Cruſii, Abrahami Beckeri, Nicolai vander Meer, Samuelis Baſnagii vitas prolixius recenſet, de ſe quoque ipſo p. 32 ſeq. diſſerens, unde, quod jam inde ab A. 1674 miniſterio verbi apud Zutphanienſes fungatur, & ſimul ab annis decem in ſchola illuſtri bonas literas ac philoſophiam practicam profiteatur, cognoſcas. In ſcholaſtico vitæ genere claros Zutphanienſes Thomam Gyſe, Engelbertum Engelen, Wilhelmum Wilhelmium, Georgium Conradum Cruſium, Samuelem Pitiſcum, Johannem Flenderum & Petrum Gakelium nominat, ac ſingulorum officia, nec minus plerorumque ſcripta recenſet; tandemque tredecim anagrammatibus e nomine Sutfania formatis hanc Diſſertationem concludit.

*Secunda Philopatris* inſcribitur, & poſt aſſertam patriæ differentiam, qua alia vocari naturæ, alia civitatis poſſit, plures natalis ſui ſoli amatores impenſiſſimos enumerat. Sed nec eos omittit,

 qui

qui odio maxime indecoro illud fuere proſecuti. Prolixiſſimus tamen Auctor eſt in cumulandis talibus exemplis, ubi cives bene meritos patria male habuit; qua occaſione de oſtraciſmo quædam inſpergit, ac poſt belli duces indigne a ſuis civibus tractatos, viros quoque eruditos, quos parum aut nihil curarit patria, enumerat, Anacharſin puta, Socratem, Stilponem Megarenſem, Demetrium Phalereum, Hermodorum, atque alios. Tandem in cauſas inquirit, cur Prophetas ſuis civibus inviſos eſſe, Servator pronunciaverit. Triplicem nempe ejus rei cauſam allegat, unam, quæ ſit in Prophetis ipſis, eorum videlicet præſentiam ac familiaritatem; alteram, quæ in ipſorum hæreat officio, veritatem odium parientem; ac tertiam, quam in civibus verſari ait, invidiam, quæ aliorum fortunam dolentibus & malignis oculis intueatur.

Diſſertatio *tertia*, una cum ſequentibus *quarta quintaq;, ſeptem ſigilla Apocalyptica illuſtrat*. Ubi ſub initium ſupponit Auctor, ſcriptum eſſe Apocalypſeos librum non imperante demum Domitiano, ſed ſub Claudio, nec Johannem tunc in Patmo fuiſſe tanquam exulem aut deportatum, ſed prædicaſſe ipſum ibi Evangelium. Hæc autem ideo in anteceſſum obſervat, ut in ſequentibus viſionibus potiſſimis prædictiones futurorum contineri evincat. Deinceps in viſione ſigilli primi Apoc. VI, 1. 2. deſcripta, Jeſum exhiberi ſtatuit, prout poſt ſuas paſſiones in gloriam ingreſſus, miſſo Spiritu Sancto, per Evangelii præconium victorem ſe univerſo orbi ſtiterit. In viſione ſecundi ſigilli c. VI, 3. 4. bellum Judæis immiſſum; famemque iſtud inſecutam ſigillo tertio v. 5, 6; quartoque v. 7. 8. peſtem illam excipientem notari autumat. Sigilli quinti viſionem, v. 9. 10. 11. deſcriptam, interpretatur de animabus Martyrum, quas Johannes conſpexerit ſub altari, quo Chriſtum animas ſub tutela ſua ſervantem denotari putat. Per veſtes albas iis datas, virtutes fructusque Spiritus Sancti intelligit. Circa ſextum ſigillum tres diſtinctas viſiones conſiderat, quarum primam a v. 12 ad 17 propoſitam, excidium Hieroſolymitanum reſpicere exiſtimat, Solis obſcurationem de lege ceremoniali poſt Chriſti aſcenſionem abrogata; Lunæ vultum ſanguineum de Eccleſia ſanguine Martyrum in perſecutionibus, tum a Judæis tum a Gentilibus inde a Nerone excitatis, madefactam; ſtellas decidentes de miniſtris in Veteris Teſtamenti miniſterio poſt Chriſti mortem occupatis; motum montium & inſula-

rum

rum de incolis horum locorum in exilium actis interpretatur, ſimilique modo reliqua verba omnia ad miſerum Judæorum ſtatum excidii Hieroſolymitani tempora concomitantem applicat. Secundam viſionem c. VII, 1-8 depictam exponit de Eccleſia Chriſto e Judæis collecta, atque heic per Angelos inſiſtentes quatuor angulis terræ, miniſtros Eccleſiæ non in orbe toto ſed in Judæa ſolum intelligit. Tenuiſſe eos ventos, hoc eſt, operationes Spiritus Sancti, præſertim poſtquam ſibi ſilentium impoſuiſſent, ne loquerentur Judæis Evangelium, cum illud blaſphemaſſent, Act. XIII, 46. Sed mandaſſe tamen Angelum illum magnum Chriſtum, ut, quamvis indurati Judæi excludendi eſſent, ventos tamen in ſalutem electorum ſpirare ſinerent. Hos enim intelligit per ſignandos ſignaculo tali, cujus ἀρχέτυπον ſit Dei æternum eos ſervandi propoſitum, ἔκτυπον autem vocatio per verbum & ſacramenta, efficax per arrhabonem Spiritus Sancti. Numerum alium facit generalem & incertum, centum puta quadraginta quatuor millia, alium ſpecialem ac determinatum, duodecim nempe millia e ſingulis tribubus collecta. Circa tribuum enarrationem, cur tribus Dan cum tribu Ephraim omiſſa fuerit? disquirit, verum incertam eſſe rationem reſpondet. Forſan ideo omiſſam eſſe tribum Dan, ut ea etiam nunc pœnas daret ejus idololatriæ, in quam patres olim inter primos prolapſi legantur Jud. XIIX, 30. 31. tribum autem Ephraim forteån idcirco, ne excederetur numerus duodenarius, ipſam enim jam in paterna Joſephi tribu cenſeri, aut etiam, ut nova haberetur deteſtatio peccati Jerobeami, primi Regis decem tribuum, qui ex Ephraimo oriundus conflarit vitulos aureos, atq; adeo auctor fuerit illius ſchiſmatis & peccati, quod ejus deinde ſucceſſores imitatos fuiſſe conſtet. In viſione tandem ſigilli hujus tertia v. 9. ad ultimum, Eccleſiam e Gentilibus colligendam adumbrare innuit, atque in verborum ad rem præſentem accommodatione methodo eadem utitur, quam in antecedentibus adhibuerat. In ſigilli ſeptimi viſione cap. VIII, 1-6. per factum in cœlo, quod ſit, in Eccleſia, ſilentium intelligit abolitam œconomiam Moſaicam, poſtquam intercedente aliquo brevi temporis ſpatio, tubæ datæ Angelis, hoc eſt, miniſtri Eccleſiæ ad univerſale præconium emiſſi in mundum fuerint. Superioris autem illum ordinis Angelum, Chriſtum, ita ait introduci, prout poſt ſuum in gloriam cœleſtem ingreſſum preces piorum Deo offerat, iisque ignem, hoc eſt, Spiritum San-

Sanctum ejusque dona impetret. Tonitrua vero, & voces, & fulgura, & terræ motus ad præconium Evangelii trahit, Angelosque ad clangendum ſe præparantes miniſtrorum in hoc præconio occupatorum promtitudinem notare aſſerit.

In *ſexta* Diſſertatione quærit Auctor: *utrum ante ſuam paſſionem paſcha cum diſcipulis Salvator noſter comederit*? quod negare ipſi placet, cum non alio die, quam Luna decima quarta, paſcha comedere licuerit, (opinionem enim, quod Judæi illo tempore feſtum illum diem protulerint, eumque Luna decima quinta demum celebraverint, ineptam vocat & talem, quæ nitatur ſolo teſtimonio hominis Ex-Judæi, Pauli de S. Maria, Carthaginenſis primo, deinde Burgenſis in Hiſpania Epiſcopi, qui A. 1429 floruiſſe dicatur;) aſt hoc die Chriſtum crucifixum fuiſſe autumet. Addit inſuper, diſſimiles plane ritus a Chriſto & diſcipulis in ultima cœna adhibitos legi, ſi eos conferamus cum illis, quos in celebratione paſchatos Exod. XII, ſupremum Numen præceperit. In tota enim cœnæ hiſtoria non baculum, non lumbos accinctos, non herbas amaras apparere; nec ſtantes, ſed accumbentes comediſſe; domo egreſſum Judam, egreſſum ipſum Jeſum, quod lege tamen vetitum conſtet. Quid? quod minus quoque neceſſarium fuerit, ut Chriſtus ad implendam legem ipſum etiam paſcha immolaret, cum lex & Prophetæ durare debuerint uſque ad Johannem, a quo Jeſus baptizatus omnem juſtitiam legalem impleverit. Equidem duo ſibi obſtare fatetur, primo quidem, quod Chriſtus dixerit: deſiderio deſideravi hoc paſcha vobiſcum edere, antequam patiar. Sed pronomen τ8τα non ad legale Veteris Teſtamenti paſcha, ſed potius ad panem vinumque in ſacra cœna præſentia nos remittere monet. Deinde habitum Jeſum inter ac diſcipulos de paſchate parando colloquium ex Matth. XXVI, 17 17 19. Marc. XIV, 12-16. Luc. XXII, 7-13. ſibi ipſi objicit. Reſpondet tamen, præparationis quidem meminiſſe Evangeliſtas, non autem ipſius mactationis, quæ actio poſterior priorem haud quaquam neceſſario ſequatur: Abrahamum divinitus parare juſſum fuiſſe ſacrificium, quod tamen non peregerit: idem poſſe dici de paſchali hoc ſacrificio: monſtratum fuiſſe locum, omnia fuiſſe parata, ſed præſentem ſe ſtitiſſe agnum, mactatum a jacto mundi fundamento, qui ſingulis, quæ ad typicum ſacrificium paranda erant, paratis ipſe poſtridie die decimo quarto, ut in omnibus etiam

mini-

minimis vere ſe antitypum oſtenderet, in cruce pro peccatis noſtris mactari voluerit.

In *ſeptima* morem, quem Judæi obſervarint, *dimittendi in feſto reos*, examinat, ac poſt commemorata illius veſtigia apud populos alios, eosque ſeu Gentiles ſeu Chriſtianos, ſeu priſcos ſeu recentiores obvia, inquirit: utrum in ſolo paſchatis feſto, an etiam in aliis privilegium hoc obtinuerit? inque priori ſolum id obtinuiſſe reſpondet. Originem ejus a traditionibus *πατροπαραδότοις*, quibus hæc gens addictior fuerit, repetendam eſſe cenſet, forte ob liberationis ex Ægypto memoriam, quæ tamen male huc tracta fuerit. Utut interim humanitatis aliquam ſpeciem conſuetudo iſta præ ſe ferre videatur, legibus tamen tam divinis quam humanis eam repugnaſſe dicit, & argumenta eorum, qui defendere illam conantur, latius refellit.

*Octava* titulum gerit de *notis quibusdam ac ſtigmatibus*, inque eam multa curioſa congeſſit Auctor, quæ ex varia lectione obſervaverat vel de perſonis quibusdam ſingularibus, aut integris familiis notis naturalibus a cæteris diſtinctis; vel de brutis a natura ipſa notatis, (ubi multa refert de fœtura Jacobi aſtu producta, nec non ex monumentis res Ægyptiorum attinentibus de Apide bove;) vel de notis, quæ hominibus a cauſis externis impreſſæ legantur, puta a Deo, (ubi de ſigno Caini fratricidæ agit, quale tamen iſtud fuerit, in medio relinquit) aut ab hominibus aliis, (heic vero ſimul beſtias vel religionis vel diſcretionis cauſa notatas memorat,) & iſtas quidem modo honeſtas, modo ignominioſas, modo ſervis inditas, modo religionis aut ſuperſtitionis cauſa, tum a Gentilibus tum a Chriſtianis acceptas conſtituit; vel de fabuloſis, quales quinque Franciſci vulnera; vel de ſtigmatibus, quæ magis a Diabolo tanquam ſuis mancipiis imprimi perhibeantur. Singulas autem ſpecies exemplis ex omni hiſtoria petitis nec citra jucunditatem perluſtrandis declarat.

*Nona* conſecrata eſt *Scribis*, ac quinam hi qualesve apud populos diverſos fuerint, exponit. Auſpicium in ea ſumit Auctor ab Hebræis, ſcribasque illius gentis tum privatos, tum publicos, tum eccleſiaſticos, tum politicos, & hos reipublicæ tum in toga tum in ſago ſervientes conſiderat. Hinc in Ægyptum migrat, ibidemque *ἱερογραμματεῖς* ſive ſcribas ſacrorum imprimis conſiderat. Ab Ægy-

ptiis ad Perſas tranſit, inde in Græciam ſe confert, tandemque in hiſtoria ſcribarum inter Romanos degentium ſubſiſtit.

Ex Diſſertatione *decima* non opus eſt ut multa heic referamus; ſiquidem ea farrago eſt diverſorum *poematum*, quibus Auctor aut variorum ſive nuptias, ſive funera, ſive promotiones, ſive libros condecoravit, aut alias poeticam ſuam venam exercuit.

## LES ELOGES DES HOMMES SCAVANS, &c. id eſt: *ELOGIA DOCTORUM VIRORUM, EXCERPTA EX LIBRIS Hiſtoriarum* JAC. AUGUSTI THUANI. *Accedunt vitæ ipſorum breves expoſitiones, judicia de iisdem, & elenchi librorum ab ipſis ſcriptorum: auctore* ANTONIO TEISSERIO, *Conſiliario & Hiſtoriographo Electorali Brandeburgico.*

Ultrajecti, apud Franc. Halmam, 1696. in 12. Alph. 1. plag. 18.

EXimia plane fuit in deſcribendis & veluti nota publica ſignandis ingeniis & ſtudiis, cum illuſtrium hominum & Principum, tum doctorum virorum, quorum ætas in ea tempora incidit, quæ commentariis ſuis hiſtoricis expoſuit, *Thuani* diligentia & accuratio. Deſcriptionesque iſtas clarorum virorum, & elogia ingeniorum, tam decenter hiſtoriæ ſuæ inſeruit, ut ſimilem ab ullo alio contextam, aut hujusmodi notationibus exornatam, non liceat advertere. Hinc non immerito ita eum compellavit in epiſtola Caſaubonus: *Quid dicam de illo immenſo tuo in literas amore? quem quidem eximie declaraſti, quum in contexendis annalibus tuis eorum interire memoriam non es paſſus, qui ad illarum illuſtrationem, in hac ipſarum παλιγγενεσίᾳ, vel mediocrem ſaltem aliquam ſymbolam contuliſſent.* Notationum harum in opere Thuani hiſtorico occurrentium amore adductus quidam Anglus, eas inde excerpſit, & Londini A. 1671 peculiari libello incluſas, ſub titulo *Elogiorum Thuaneorum* prodidit: trecentos octoginta & plures doctos viros, qui ab anno 1547 usque ad annum 1606 floruerunt, & quos Thuanus memoravit, cum ejusdem de iis latis ſententiis enarrans. Hæ ſententiæ licet veræ omnes & exactæ, tamen quum breves ſint & guſtum potius quam ſatietatem cognitionis doctorum horum hominum præbeant; plenius & copioſius de iis diſſerendum ſibi duxit doctiſſimus vir *Antonius Teiſſerius*. Ut enim is omnium auctorum veterum & recentium, eorumque

que ſcriptorum, exacta notitia pollet; (quod vel ex inſigni ejus opere, quo eos omnes auctores enarravit, qui librorum catalogos, indices, bibliothecas, virorum literatorum elogia, vitas aut orationes funebres ſcriptis conſignarunt, Genevæ anno 1686 edito, & a nobis Tomo II Supplem. pag. 5. recenſito manifeſtum eſt:) ita nemo magis idoneus extitit, qui vitas, ætates, res geſtas, fata, & alia memorabilia doctorum virorum enarraret; ut pateat, accurato ſtudio ipſum eos ſcriptores evolviſſe, quos longe plurimos in catalogo iſto auctorum enumeravit, vitas doctorum hominum vel ſingulorum, vel integrarum provinciarum, aut ſocietatum, aut artium, qui poſteris tradiderunt. Intra annorum autem ſexaginta ambitum metas hujus ſuæ induſtriæ conſtituit, in quibus qui vita deceſſerunt, a Thuano ſunt memorati: cujus verba vel e verſione Gallica Du Ryer adduxit, vel e libris, quos interpres iſte Gallicos non reddidit, ipſe in Gallicam linguam tranſtulit. Singulis autem elogiis additiones ſubjecit, in quibus vitæ & ſcripta doctorum iſtorum hominum, quos Thuanus laudavit, recenſentur, multaque lectu jucunda nec ubivis obvia, ſelectaque proferuntur. Liber hic ante annos tredecim Genevæ editus quum diſparuiſſet in tabernis librariorum, nec extaret amplius, editionem ejus inſtauravit ſuperiori anno eruditiſſimus Auctor; qui interea Nemauſo relicta Berolinum demigraverat, ibique ſtudiorum tranquillam ſedem, quam Gallia negaſſet, apud potentiſſimum Electorem Brandenburgicum invenerat. Cumque in Belgio nitidiſſime liber is recuderetur, pluribus in locis augendum eum exiſtimavit idem, ſingulisque elogiis novas acceſſiones adjecit, & quæ intra hos tredecim annos ἀξιομνημόνευτα de claris viris hinc inde apud βιογράφυς repererat, diligenter annotavit; ut hiſtoriam literariam uberem iſtorum annorum ſexaginta exhiberi in his commentariis, merito grati agnoſcamus.

*REFRACTIO SOLIS INOCCIDUI, IN SEPTENTRIONAlibus oris aliquot obſervationibus Aſtronomicis detecta &c.*

Holmiæ, ex officina B. Nic. Wankifii in 4to.

Conſtat 17 plagulis, cum aliquot ſchematiſmis.

SOlem ſub circulo arctico (antarctico) habitantibus ſolſtitii æſtivi tempore non occidere, uti res eſt aſtrorum peritis notisſima; ita in-

colis illorum tractuum ipſa oculorum experientia quotannis comprobatur. Id vero phænomeni citerioribus regionibus prope dictum circulum contingere, antequam refractionum leges & ſcientia Solis aſtrorumque motibus applicarentur, non æque innotuit; maxime, cum exteris in illas oras excurſus rariſſimus, & incolis, qui fidem ejus oculati teſtes facere potuiſſent, viciſſim cum gentibus auſtralioribus nulla fere commercia.

Prima omnium Batavorum in Nova Zembla anno 1597 hybernantium obſervatio (quibus Sol d. 4 Novembris penitus diſparuit, die vero 24 Januarii redordiri cœpit; reditumque adeo ſuum, conſueto tunc calculo aſtronomico expectatum, ſex circiter diebus antevertit) uti enormis & inſolitæ Solaris in ſeptentrione refractionis non obſcurum fecit indicium, ita Solis inoccidui limites, ac eousque creditum erat, ampliores eſſe evicit. Neminis tamen Mathematicorum, nedum aliorum, curioſitas eo perrexit, ut rem ex cauſis opticophyſicis certiſſimam, propriis uſurpare oculis contenderet.

Rem promiſcue hactenus neglectam non dedignatus eſt Potentiſſimus Sueciæ Monarcha *Carolus XI*, pro incredibili quo bonas literas ſcientiasque complectitur ſtudio, cum Borealiores amplisſimi regni provincias ante biennium, & quod excurrit, inviſeret, omiſſis tantiſper regiis curis attendere, negotiumque ulterioris inquiſitionis Viris mathematica ſcientia inſtructiſſimis, Dn. *Joanni Bilembergio* & Dn. *Andreæ Spole* (quorum prior olim publicæ doctrinæ mathematicæ Upſaliæ præfuit; alter id muneris hodie ibidem ſuſtinet,) deinceps demandare. Et Rex quidem laudatiſſimus, cum anno 1694 *Tornoviæ*, urbe *occidentalis Bothniæ*, ſub latitudine 65°. 43′. verſaretur, ſub medinoctium, 14 & 15to Junii intercedens, quid fidei famæ, per cives de Sole medinocturno ſparſæ, ſubeſſet exploraturus, cum ad horizontem loci, montibus ac ſylvis circumſeptum, proſpectus interciperetur, conſcenſa non ſine difficultate templi turricula, cum officiis aulæ, quæ præſto erant, aliquot præcipuis, *ad horam usque 11.53 Solem* (uti habet obſervatio, tanti obſervatoris manu in pugillares regios relata, & poſt in perpetuam rei memoriam tabulæ, juxta altare templi ſuſpenſæ, aureis literis inſcripta) *oculis ſuis luſtravit, quo tempore nubecula tegente paulatim diſparuit. Eundem poſt horam*

*horam 12mam & ſextum minutum vividiſſimis radiis e nubecula prodeuntem denuo conſpexit: certo indicio illum interea non occidiſſe, ſed nubem tantum in cauſa fuiſſe, quo minus tota nocte cerneretur.*

*Bilembergius* vero & *Spolius* anno inſequente 1695 regiis auſpiciis d. 21 Maji *Upſalia* digreſſi, variaque per inſolitam cœli intemperiem fortuna jactati, die 6 Junii *Tornoviam* pervenere, ibidemque ex accurate & repetito captis altitudinibus Solis meridianis, ejusdem latitudinem ſupra memoratam reperere: quoad longitudinem vero, beneficio trium horologiorum pendulorum, ad unum uſque minutum conſpirantium, differentiam inter *Tornoviæ* & *Holmiæ* meridianos 19′. 20″; magnetis autem declinationem 7 quaſi graduum magiſtriſſantem. Cæterum cœlo pluvio & nebuloſo per aliquot noctes impediti, inter 10 demum & 11mum Junii ſerena aura Solem ipſo medinoctio veſtigantes, tres corporis Solaris quartas ſuper horizonte evectas deprehenderunt, una reſidua ſubtus horizontem recondita. Hac clara & diſtincta obſervatione contenti, continuato boream verſus adverſo flumine *Torneo* itinere, tertio die ad tuguriolum *Pello* appulere, ibidemque totum Solem, amplius duabus ſui diametris elevatum, ingenti cum voluptate conſpicati ſunt. Die porro 14 Junii ad ferri cuprique officinas *Kångis* eniſi, ex navigiis Solem tribus diametris altum obſervarunt ſub latitudine, poſtero die e meridiano Sole deducta, vix 66$^{gr}$. 15′. majore. Ulterius perrecturis difficultates locorum obſtitere, æſtatis tempore peregrinantibus omnem tranſitum prohibentes: unde viam ſecundo flumine plurimis cum periculis relegere coacti, exacto ſeſquidie *Tornoviam* rediere; indeque per varias regni provincias delati, *Upſaliam* d. 24 Julii reverſi ſunt. Hæc latius laudatus Dn. *Bilebergius*, in præſenti libello, Suecico ſimul & Latino idiomate, regio juſſu expoſuit, variaque eruditione hiſtoriam harum obſervationum expolivit. Nec enim ſine fructu & voluptate lector ex eo percipiet *Tornoviæ*, *Kangis*, & ipſius *Bothniæ occidentalis* deſcriptionem, ſolique pertranſiti genium, & commoda incolis ex tanta æſtivi Solis mora, maturandis ſpatio ſex ſeptemve ſeptimanarum ſegetibus provenientia; itineris difficillimi, navigationisque rationes & diſcrimina; refractionum Solarium doctrinam; latitudines urbium, *Tornoviam* inter & *Upſaliam* ſitarum, cum magneticis ibidem declinationibus; diſcurſum de figura telluris, aliaque quæ brevitatis ſtudio recenſere omittimus.

 JO.

## *JO. PALATII FASTI DUCALES AB ANAFESTO I. AD Silveſtrum Valerium Venetorum Ducem,*

Venetiis, typis Hier. Albrizzi, 1696, in 4. Alph. 2. pl. 3.

QUi jam pridem tot egregiis monumentis in literaria Republica inclaruit, deque ſua non minus edito olim *Leone Maritimo* bene meritus eſt celeberrimus Palatius; in laudem hujus ſplendoremque ceſſurum nunc putavit, ſi, qui per tot retro ſecula ad clavum Imperii Veneti ſederunt, eorum vitam resque præclare geſtas ſingulari volumine complecteretur. Ex quo enim ſeptimo poſt C. N. ſeculo urbs, quæ trecentis fere annis ſub legibus Tribunisque floruerat, & a barbarorum per Italiam graſſantium metu ſecura hactenus perſtiterat, ad firmius libertatis ſuæ præſidium caput accepit, quod Ducis titulo inſignitum eſt; illud quidem inficias iri nequit, vixiſſe viros libertati Reipublicæ prave inſidiantes, vitiisque atque ſceleribus variis contaminatos, quique adeo concitatam de ſe expectationem nequaquam ſuſtinuerunt; aſt confitendum tamen & illud, plerosque eorum recto tramite ad virtutem contendiſſe, & quicquid æquum honeſtumque, & ad gloriam ac incrementum populi ſui faceret, ante oculos habuiſſe. Videas ergo hic tanquam in theatrum quoddam producta excelſæ laudis decora, Principes, qui civitatis ſuæ imperium rationibus firmarunt, invictaque animi magnitudine propugnarunt non minus ac extenderunt, & ad faſtigium illud, in quo hodie perſiſtit, auſpicatiſſime evexerunt; quique ut ornamento ſuis, ita aliis præſidio identidem & adjumento fuerunt, quando non uno prælio irruentium barbarorum vim modo fortiter ſtiterunt, modo copias profligarunt, & ab illuvie ipſorum Chriſtiana ſacra, quantum ejus potuit fieri, ſalva præſtiterunt. Eorum, quorum centum ſunt & novem uſque ad Silveſtrum Valerium, modernum Reipublicæ Ducem, vitas ex Sanſovino, Bembo, Contareno, Nanio & aliis ita exponit Noſter, ut omnium, ſi duos demſeris, imagines eleganter expreſſas, tum vero & numiſmata, quibus imperium ipſorum & res geſtæ deſignata ſunt, ac elogia demum defunctorum conditoriis inſcripta, decenti ordine exhibeat. Quando ad Marc. Antonium Juſtinianum, qui noſtra hac ætate imperavit, & anno 1688 glorioſam vitam cum morte commutavit, delabitur, integram orationem, qua mortuum publice laudavit,

vit, inſerit, in qua tum virtutes ejus, pietas, juſtitia, humanitas & prudentia deprædicantur, tum apophthegmata quoque ſapientiſſimi Principis ſtudioſe colliguntur. Ex illis hoc illuſtre pietatis documentum, quod, cum anno 1686 de expugnata feliciter Buda nuntium acciperet, flexis illico genibus notiſſimum hymnum iſtum, *Te Deum laudamus*, cum adſtantibus recitaverit, alteraque die in baſilicam deſcendens cum Senatu & Principum Oratoribus repetierit, hancque pietatem ſervaverit ſedulo, quoties læta forte annunciarentur, ut a populo hinc *Il Principe delli Te Deum laudamus*, appellaretur; ſicut & ad laudem ejus non minus pertinet, quod omnes pene linguas, Gallicam, Hiſpanicam, Latinam, Græcam &c. calluerit, excepta tamen Turcica, quam *tympanum irati Dei* vocabat. Cæterum illud etiam obſervatum videmus ab Autore, jam ante Franciſcum Dandulum, qui LII eſt inter Venetos Duces, Dandulorum familiam Canis cognomen habuiſſe, patremque iſtius Johannem & avum quoque Franciſcum eodem fuiſſe gaviſos, ut vel ex hoc argumento commentum eſſe pateat, quicquid de Franciſco illo dicitur: cum ad Clementem V. Pontificem legatus mitteretur, ut excommunicationem deprecaretur, quam Veneti ob affectatum Ferrariæ dominium incurrerant, non ante eandem obtinere potuiſſe, quam canis inſtar ferrea revinctus catena ſub menſa ad Clementis pedes provolutus jacuiſſet, & hinc Canem fuiſſe appellatum; cujus fabulæ nos meminimus jam ad annum 1688 p. 171, cum de Verdizzotti de geſtis Venetorum libris exponeremus. Sufficiunt vero hæc de inſtituto celeberrimi Palatii, a quo novum de Cardinalibus S.R.E. librum propediem edendum una cum Commentario in Decretalium libros & Lectionibus Patavinis adhuc expectamus.

### *JOHANNIS BERNOULLI MATHEM. P. P. PROBLEMA Alterum pure Geometricum, priori (videantur Acta Eruditorum A. 1696. pag. 269.) ſubnexum, ac peculiari programmate Groningæ Cal. Jan. 1697. Eruditis propoſitum.*

AB Euclidis tempore vel tyronibus notum eſt, ductam utcunque a puncto dato rectam lineam a circuli peripheria ita ſecari, ut rectangulum duorum ſegmentorum inter punctum datum & utramque peripheriæ partem interceptorum ſit eidem conſtanti perpetuo æquale.

Primus

Primus ego oſtendi in Actis menſe Junio A. 1696 pag. 265, hanc proprietatem infinitis aliis curvis convenire, illamque adeo circulo non eſſe eſſentialem. Arrepta hinc occaſione, propoſui Geometris determinandam curvam vel curvas, in quibus non rectangulum ſed ſolidum ſub uno & quadrato alterius ſegmentorum æquetur ſemper eidem; ſed a nemine hactenus ſolvendi modus prodiit. Exhibebimus eum, quandocunque deſiderabitur. Quoniam autem non niſi per curvas tranſcendentes quæſito ſatisfacimus, en aliud problema, cujus ſolutio per mere Algebricas in noſtra eſt poteſtate.

*Quæritur Curva, ejus proprietatis, ut duo illa ſegmenta ad quamcunque potentiam datam elevata & ſimul ſumta faciant ubique unam eandemque ſummam.*

Caſum ſimpliciſſimum, exiſtente ſcil. numero potentiæ 1, ibidem in Actis pag. 266 jam ſolutum dedimus, generalem vero ſolutionem, quam etiamnum premimus, Analyſtis eruendam relinquimus.

## *M. ABRAHAMI FRENCELII DE ORIGINIBUS Linguæ Sorabicæ Tomus primus,*

Sittaviæ, apud Jo. Williſch, 1696. Conſtat Alph. 3. plag. 3.

NOn prima eſt præſentis operis, quam facimus, hæc mentio, quandoquidem per diſtincta temporum intervalla tribus jam tum vicibus de eodem nos dixiſſe recordamur, (Conf. Acta noſtra A. 1693 p. 304. A. 1695. p. 36. A. 1696. p. 92.) Nunc autem Benevolo Lectori iſtud ſolum indicamus, ſingulas, quas ſeparatim hactenus emittere clariſſimo Auctori placuit, particulas in unum tomum conſtipatas haberi, in quo libri etiam ſecundi capiti ſecundo ultimum a nobis recenſito tertium quartumque acceſſit, ac iſtud quidem vocabula Sorabica, quæ per aphæreſin, ſyncopen & apocopen, hoc autem ea, quæ per proſtheſin, epentheſin & paragogen Ebræa eſſe Auctor exiſtimavit, continet. Utrobique methodus conſueta retinetur, unde eam in exemplis repetitis heic monſtrare ſupervacaneum cenſemus.

## SUPPLENDA.

In Actis A. 1696. pag. 523. lin. 16. poſt verba *curvas, quæ* adde: *per evolutionem duarum curvarum deſcribuntur, hoc eſt, quæ.* Eadem pagina lin. 17. poſt verba *quæque* adde: *per evolutionem trium, quatuor &c. curvarum deſcribuntur, hoc eſt.*

* * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Martii, Anno M DC XCVII.*

## ΠΑΥΣΑΝΙΟΥ ΤΗΣ ΕΛΛΑΔΟΣ ΠΕΡΙΗΓΗΣΙΣ.

Hoc eſt:

*PAUSANIÆ DESCRIPTIO GRÆCIÆ CUM LATINA ROM. Amaſæi interpretatione. Acceſſerunt* GUL. XYLANDRI *&* FRID. SYLBURGII *Annotationes, & novæ Notæ* JOACHIMI KUHNII.

Lipſiæ apud Th. Fritſch, 1696. in fol. Alph. II.

UNiverſam veterem Græciam, ejusque provinciarum & omnium belli pacisque artibus florentiſſimarum urbium ac populorum notitiam, decem libris complexus Pauſanias, non magis temporum priſcorum felicitatem ob oculos ponit, quam provinciarum iſtarum Ottomannico nunc ſubjectarum imperio calamitates ut expendamus & miſeratione proſequamur, nobis occaſionem ſuppeditat. Accurata ſane omnium locorum, nationum, urbium, fluviorum, montium, ædificiorum, templorum, ludorum, rituum, animalium, ſtirpium, aliorumque memorabilium deſcriptione id effecit, ut Græciam magis perſpectam habeamus quam Latium & Romanas provincias, quarum expoſitioni qui tam accuratum impenderit ſtudium inter veteres auctores, hodie nemo ſupereſt. Ut Græciæ gratulandum ſit de hoc ſcriptore, qui memoriam ejus conſervavit: ipſi autem non in exigua felicitatis parte ponendum, quod integer maximam partem ad nos beneficio Aldi, qui Venetiis eum anno 1516 excudit, pervenerit. Integritati ejus, & ut emendatior ſupereſſet, plurimum adjumenti attulerunt ſæculo ſuperiore *Gul. Xylander* & *Frid. Sylburgius*: ut autem ab iis etiam, qui Græca non ſatis norunt, Græciæ cognitio non eſſet aliena, trans-

 latio-

lationibus hujus ſcriptoris in Latinam linguam effecerunt Abr. Loſcherus & Rom. Amaſæus, quorum hic anno 1547 Florentiæ, ille 1550 Baſileæ Latinam Pauſaniæ interpretationem ediderunt. Græcum poſtea Pauſaniam, adjecta Amaſæi translatione, ex Gul. Xylandri patris ſui recognitione, Francofurti publicam in lucem emiſit anno 1583 Oneſimus Xylander: cujus editioni notas Frid. Sylburgius ſubjecit, Xylandri annotationibus, ad quintum duntaxat librum perductis, ſuas intertexens. Iſtam editionem anno 1613 Hanovienſes typi iterarunt, interpretatione Amaſæi, quæ in poſteriorem operis partem antea rejecta fuerat, ad latus Græci Pauſaniæ collocata. Hæc poſtrema editio, ante octoginta & plures annos evulgata, quum diſparuiſſet, neque amplius obtineri poſſet in librariorum tabernis; & multi tamen ſcriptoris hujus præſtantiſſimi deſiderio tenerentur; prælo iterum ſubjiciendum eum duxit Lipſienſis bibliopola, in conſilium adhibito, quem Græcæ eruditionis noverat callentiſſimum promum condum, apud Argentoratenſes linguæ hujus doctore celeberrimo, Joachimo Kuhnio, editis ad Ælianum notis, & ad Julii Pollucis Onomaſticon obſervationum ſpecimine, famam egregiam conſecuto. Is quamvis edere Pauſaniam in animum antea non induxerat, tamen a bibliopola rogatus; & exemplar Aldinæ editionis manu Caſauboni paſſim notatum adeptus, ſcriptorem hunc antea a ſe tritum denuo perlegendum ſuſcepit, meliores lectiones multis in locis, vel è dicto Caſauboniano libro, vel ex ingenio repoſuit, librisque in capita ſectis, cujusvis argumenta recenſuit, annotationesque ſcriptore iſthoc dignas adjecit: quas Lipſienſis typographus Sylburgianis notis admixtas, ſuisque locis aptatas, paginis ſubſtravit, eum in modum, quo Stephanus Byzantinus in Belgio binis editionibus intra annos non multos lucem adſpexerat; ut adeo ambo hi Græci Geographi eodem habitu induti eruditis, & veterum regionum populorumque ſtudioſis, ſe oſtentent.

## HISTOIRE DES REVOLUTIONS DE SUEDE.

Id eſt:

## *HISTORIA VICISSITUDINUM RELIGIONIS ET IMPERII, quæ in Regno Sueciæ obtigerunt,*

Pari-

Pariſiis, apud Mich. Brunet, 1695. 12. Alph. 1, pl. 5. & Amſtelodami apud I. L. de Lorme, & St. Roger, 1696. 12. Pl. 17.

EA eſt rerum humanarum indoles, ut nulla ullibi terrarum reperiatur Reſpublica, quæ non varias mutationes, qua religionem, qua ipſum regimen, ſubierit. Atque haſce mutationes haud perfunctorie contemplari, & jucundum eſt, & ſalutare admodum. Nec minus de hominum genere quam erudito orbe præclare merentur, qui eas literarum monumentis conſecrant. Operæ ergo pretium fecit Auctor doctiſſimus, Abbas *De Vertot* (non enim Dn. *De Fontenelles*, cujus nomen editio Amſtelodamenſis præfert, ſed hunc libelli genuinum auctorem eſſe, ex *Diario novo Eruditorum Berolinenſi* A. 1696. p. 96. cognovimus) dum rerum ſtatusque & ipſius religionis in Suecia commutationes compto & nitido dicendi genere expoſuit. Quæ autem de Suecici regni antiquitate vulgo traduntur, fabulis atque commentis annumerare non dubitat. Saltem plus quam Cimmeriis tenebris hæc involuta eſſe profitetur, ut arduum perquam & difficile ſit vera diſcernere a falſis. Seriem quidem Regum Suecicorum omnium temporis ordinem ſecutus ſubnectit, ſed ipſam hiſtoriam a decimo quarto demum ſeculo orditur. Moris adhuc ea ætate erat (juvabit enim veſtigiis Auctoris inſiſtendo, præcipua delibare capita) eligere Regem, qui rerum ſummam teneret. Senatus autem regni, Epiſcopi & Clerus, Nobiles, ipſique ruſtici tanta pollebant auctoritate, ut vis omnis imperii penes eos, nomine ſolum & ſpecie quadam Regi relicta, eſſe videretur. Cumprimis Epiſcopi opibus abundantes, magnam regni partem ſibi ſubjecerant. Unde quidem horum præcipue maximopere referebat, auctoritatem Regis arctiſſimis circumſcribi limitibus, ne in periculum ampliſſimas poſſeſſiones amittendi adducerentur. Hinc, judice Noſtro, fons & ſcaturigo omnium malorum, quæ huic regno incubuere. Quoties enim Reges ad priſtinam auctoritatem & potentiam adſpirabant, toties Epiſcopi, ſuffragantibus illis tanto facilius & nobilibus & ruſticis, quanto ſuavius illis videbatur libertatis nomen, in odia inexpiabilia exardeſcebant, quadrata miſceri rotundis ſatius eſſe putantes, quam permittere, ut tale quid impune a Principe committeretur.

Atque hinc triſtia plurimorum Regum Suecicorum fluxere fata.

Circa annum 1363 circiter ſummam rerum tenuit Magnus Smeck, aſt ejectus fuit, regnoque pulſus, quod limites ſibi præſcriptos migrare auſus fuiſſet. Nec felicior fuit, quem in ejus locum ſurrogarunt, Albertus Dux Mecklenburgicus. Namque & hic de regio faſtigio dejectus poſteros, quam difficile ſit amiſſa ſemel recuperare, ſuo erudivit exemplo. Nec enim aliud ejus crimen fuit, quam quod tertiam poſſeſſionum clientelarium, ſine ullo juris titulo ab Epiſcopis Nobilibusque uſurpatarum, partem ſibi vendicaret. Margareta itaque Daniæ & Norwegiæ Regina, Semiramis Septentrionis, in ſubſidium vocata a Suecis, & in Alberti locum electa, devicto Alberto, rebusque compoſitis, quod vix quisquam ſperare auſus fuiſſet, effecit, & potentiſſima Septentrionis regna conjunxit. Calmarienſem iſtam unionem (ita enim vocant,) Suecorum Danorumque celebrant annales, fœcundam multorum bellorum, maximarumque quibus cum per integrum fere ſeculum Suecis colluctandum fuit, calamitatum, ut Auctor cenſet, matrem. Egregie rebus ſuis ſe conſuluiſſe, arbitrabantur Sueci, rati ex Calmarienſi pacto ſolo fere titulo inpoſterum gaviſuros Principes, ſuam contra libertatem & auctoritatem, patriosque mores & leges nunc munimento inexpugnabili circumſeptas eſſe. In quo quantopere ſpes vana illos fefellerit, eventus docuit. Ipſa Margareta pacti legibus adeo non ſtetit, ut ſenſim ad ſummam & abſolutam poteſtatem ſibi muniverit viam, & adeo propugnacula Nobilium variis artibus, ut voti damnaretur, ad ſe traxerit. Simul tamen, qua erat calliditate incredibili, Epiſcoporum poſſeſſiones non tantum non violabat, ſed magnis eos cumulabat beneficiis, ut eos dicto ſemper audientes haberet, & ſimul diviſis Suecorum viribus tutius iis imperitaret. Quam quidem viam cum & cæteri Danorum Reges ingrederentur, Epiſcopos ſemper ſibi obnoxios habuerunt. Quæ res quantopere Sueciam affixerit turbaveritque, id quidem eſt, quod prolixius Auctor ediſſerit. Mortua Margareta, Ericus Dux Pomeraniæ ſucceſſit, prudentia & regnandi peritia multum ea inferior. Hinc cum ſuis indulgeret vitiis, moresque plane tyrannicos indueret, non tantum Sueci, ſed Dani ipſi atque Norvegi jugum ejus excusſere. Parum quippe huic erat, neglecta Calmarienſi lege, cuncta ex arbitrio ſtatuere; permittebat quoque militibus ſumma crudelitate in Suecos ſævire, hoſtium, non ſubditorum inſtar eos habens. Engelbrechtum

brechtum tandem, rei indignitate commotum, cupido inceſſit patriam in libertatem aſſerendi: id quod tanta etiam felicitate & celeritate, ruſticis Dalecarliæ ſtipatus effecit, ut ipſi Senatores regni etiam inviti partes ejus ſequi, regnumque Erico abrogare cogerentur. Carolus autem Canuti regni Mareſchallus, vir opibus & auctoritate florens, & muneris dignitate conſpicuus, Engelbrechti partes ita amplexus eſt, ut Dux ſimul & caput exercitus conſtitueretur, hoc ipſo ad regiam dignitatem viam ſibi ſtructurus. Interim ejecto a Danis quoque Erico, ab iisdem Chriſtophorus Bavariæ Dux eligitur, qui ſtatim, neglecto fœdere Calmarienſi, Sueciæ Rex ſalutari voluit, regnumque etiam, fruſtra renitente Carolo Nobilibusque obtinuit, eo quod Epiſcopi Clerusque Danis obſtricti illi bene cuperent. Hic anteceſſorum veſtigiis & fatis adeo non deterritus eſt, quo minus abſolutam in Sueciæ regno poteſtatem concupiſceret, ut jam omnibus conſilia ejus innoteſcerent; quæ tamen, eo morte præmatura oppreſſo, eventu caruere. Hinc tandem cautiores facti Sueci, Chriſtiano I. Comiti Oldenburgico, a Danis in Regem electo, neutiquam ſe ſubmittere voluerunt. Electus ergo Carolus Canuti, ipſis quoque ſuffragantibus Epiſcopis, non tam quod ei bene cuperent, quam quod metu perculſi, refragati periculoſum ducerent. Verum cum potentia Regis majora indies incrementa caperet, quam iſtud ſibi diſpliceret, non amplius diſſimulabant; quo ipſo magis magisque Rex irritatus, coercere Antiſtites faſtu turgidos, opibusque, quæ adeo inſolentes & ipſis Principibus formidandos eos redderent, ſpoliare inſtituit. Juſtiſſimam ergo ad frenum mordendum cauſam ſe habere rati Præſules, Daniæ Regem Chriſtianum ad occupandum Sueciæ regnum evocant, eidem Sueciam ingreſſo copias ſuas jungunt, Carolumque victum & fugatum regno excedere, & Dantiſcum ſe recipere cogunt. Facilius ſæpe eſſe regnum acquirere quam partum tueri, & in Chriſtiano patuit. Archiepiſcopus enim Upſalienſis motuum omnium auctor, a Chriſtiano ſe negligi ægre ferens, Regem ob tot, ut putabat, beneficia parum ſibi gratum videri, haud obſcure ſignificavit, nec a minis ſibi temperare potuit. Parum profecto tempeſtive. Namque Chriſtianus cuſtodiæ commiſſum, firmisque præſidiis circumcluſum in Daniam miſit. Male habuit iſta ſeveritas tum alios, tum præcipue Lincopienſem Epiſcopum, qui & arma arripuit, nec ſemel Chri-

 ſtiani

ſtiani copias vicit ac fugavit. Interim redire ad obſequium paratus erat, modo Upſalienſi Archiepiſcopo libertas redderetur: quod cum non obtineret, Carolum tandem ab exilio revocatum regno regiæque dignitati reſtituit. Chriſtianus ergo, agnito errore, cum Archiepiſcopo cuſtodia liberato in gratiam rediit, ea quidem lege, ut Carolum regno iterum ſe ejecturum huic polliceretur: id quod tanta felicitate effecit, ut Carolus ipſe caperetur, copiisque ejus ad internecionem cæſis & ejurato regno in Finlandiam relegaretur. Nec tamen ex iſta victoria Chriſtianus fructum cepit, Archiepiſcopo cautius agente, nec regnum reddituro, priusquam ſuæ auctoritati conſuluiſſet; unde ſumma confuſio & perturbatio orta eſt. Quanta vero rerum humanarum viciſſitudo ſit, patuit, cum mortuo Archiepiſcopo, Sueci tot miſeriarum pertæſi Carolum tertia vice revocarent, qui & ſummæ rei admotus quidem eſt, aſt mox vitam cum morte commutavit. Succeſſorem habuit Stenonem Sturium nepotem ſuum, qui ipſius conſilio, ad invidiam procerum amoliendam, Adminiſtratoris ſolum titulo uſus eſt. Magna quidem Adminiſtratorum fuit dignitas, præſertim tempore belli, aſt regia tamen minor. Sed & quoties de regni negotiis deliberabatur, primum locum Upſalienſis Archiepiſcopus, alterum Adminiſtrator tenuit. Idque pluribus Noſter exponit. Nec tamen Daniæ Regibus hoc diſplicere non poterat, quippe quibus nihil ſolennius erat, quam ad Calmarienſe provocare fœdus. Nec verbis & querelis ſolum cauſam egerunt, ſed ad arma ventum, perque annos quadraginta, in Suecia quidem poſt Stenonem Suantone Sturio, in Dania poſt Chriſtianum I. Johanne II. rerum potientibus, ancipiti Marte bellum geſtum fuit, mox Suecis, mox Danis victoriam reportantibus. Mortuo demum Suantone Sturio maximis ſtatus & religionis converſionibus feneſtra aperta fuit. Rerum enim ſumma ad Stenonem Sturium Suantonis filium admodum juvenem, renitente & reclamante Archiepiſcopo Upſalienſi, Daniſque favente, ſpecie tenus autem Ericum Trollium virum ſenem regimini deſtinante, eſt delata. Motus, quos hinc orituros prudentiores providebant, ut conſopirentur, Guſtavo Trollio Erici filio, annitente & per juvenilem imprudentiam approbante Adminiſtratore, Archiepiſcopatus Upſalienſis collatus eſt. Fuiſſe autem Trollium huncce hominem turbulenti ingenii & valde ambitioſum, Auctor exerte teſtatur.

Accedebat odium erga Adminiſtratorem ob repulſam, quam acceperat Pater; quo cum eum accenſum eſſe Dani intelligerent, pollicitationibus aliisq; artibus eum magis magisq; inflammabant, & ad res novas moliendas concitabant. Et faciebat ſane Archiepiſcopus Danorum ſpei abunde ſatis. Namque ut Suecorum animos illis conciliaret, omnem movebat lapidem. Auctor etiam fuit clandeſtinæ conſpirationis, quæ eo ſpectabat, ut Danis Sueciæ regnum ex lege Calmarienſi redderetur. Sed detecta fraus omnis fuit per Arcimboldum Pontificis Legatum, hominem, ut ipſe Auctor fatetur, turpiſſimo & nefando quæſtus ac nundinationis genere, ingentem pecuniæ vim undique, maxime autem ex Septentrionis regnis corradentem. Hunc ex Dania in Sueciam migraturum, omnium arcanorum participem fecerat Chriſtianus II. D. R. certa ſpe fretus, fore, ut conſilio Archiepiſcopum, & qui cum eo faciebant, adjuvaret, viamque planam ad regnum ſibi redderet. Sed liberalitate & beneficiis Stenonis victus, parum memor promiſſorum, totam machinationum omnium ſeriem prodit. Hinc convocatis comitiis, conjurationis principes quæſtioni ſubjecti, rem quidem omnem fatentur, aſt culpam in Trollium Archiepiſcopum conjiciunt. Hinc cum ad dicendam cauſam comparere nollet, Steno juſſu & auctoritate Senatus urbem Steckam, in quam Archiepiſcopus ſe receperat, in ſuam redigit poteſtatem, Archiepiſcopo infelici rerum ſucceſſu adeo non deterrito, ut Holmiam commigraret; ubi tamen a Senatu condemnatus, ſacramque dignitatem exuere juſſus eſt. Male iſta res habuit Romanum Pontificem, ſive quod e re Curiæ Romanæ eſſet Epiſcoporum partes contra Reges tueri, ſive quod jam pridem irati eſſent Sueciæ Regibus ob Petri denarium denegatum, (qua de re pluribus Auctor exponit) ſive denique quod Caroli V. Imp. qui a partibus affinis ſui Chriſtiani II ſtabat, potentiam metueret. Deligitur Arcimboldus, qui Stenonem ac Senatum juberet reſtituere Trollium priſtinæ dignitati; ſi vero hoc facere recuſarent, excommunicationis, ut vocant, in eos vibraret fulmen. Steno cauſam ſuam maſcule tuetur, & majus crimen a Pontifice committi poſſe negat, quam quod patriæ proditorem defendendum ſuſcipiat, ipſiq; Arcimboldo ſpem Archiepiſcopatus obtinendi callide facit. Arcimboldus ergo, mutato conſilio, ipſam Adminiſtratoris cauſam apud Pontificem perorare incipit, infelici quidem adeo

ſuc-

ſucceſſu, ut in maximam ipſe Pontificis incurreret indignationem, ſimulque ſpe Archiepiſcopatus obtinendi excideret. Sine mora ergo a ſacris ſolenni ritu Rex & Senatus arcentur, Chriſtianusque Pontificis auctoritate munitus, irruptionem in Sueciam facit, Holmiamque obſidione cingit. Aſt victus non tantum obſidionem ſolvere cogitur, ſed magnam exercitus jacturam facit, cumque ventum adverſum haberet, domumque reverti non poſſet, parum abfuit, ut cum exercitu fame periret. Ergo fraude ſe ulciſci conſtituit, cum viribus deſtitueretur. Inducias petit, & in colloquium cum Adminiſtratore ſe deſcenſurum ſimulat, modo traditis obſidibus, quos inter Guſtavum Erici, cujus incredibilis fortitudo indolesque plane divina haud dubiis argumentis multis jam innotuerat, deſignat, ſuæ ſaluti & ſecuritati conſuleretur. Ita non tantum commeatum ad aliquot dies conſecutus eſt, ſed Guſtavum quoque cum cæteris obſidibus, migrata promiſſorum fide, captivum ſecum abduxit. Stenone Adminiſtratore fruſtra in omnes ſe vertente partes, ut libertati Guſtavus reſtitueretur, moxque minis, mox pollicitationibus ad ſaniora Regis animum flectere annitente, redintegratur bellum, Ottone Crumpeinio Danico exercitui ſummo cum imperio a Rege præfecto, Fortiter utrinque res geritur, ſed ipſo Stenone ex vulnere mortuo, victoria & ſumma rerum penes Danos manſit. Perditis Sueciæ rebus hoc unicum reſtare videbatur. Tanta crudelitate in omnes ſævitum, tanta protervia jura omnia conculcata, ut nihil niſi dura ſervitus & fædus ſqualor undique conſpiceretur. Et ſane ſummæ & plane barbaricæ crudelitatis maximum luculentiſſimumque argumentum Holmienſis illa laniena præbet. Nulla fere gens generis nobilitate conſpicua in Suecia fuit, cui non iſta fuerit funeſta. Accedebat ridicula & execrabilis ſimulatio, dum religio, Pontificisque auctoritas obtentui ſumebantur. In quibus omnibus accurate explicandis, admodum diligens Auctor eſt & operoſus. Sed utramque tamen hic paginam Guſtavus Erici facit, quem ut libertatis ſuæ regnique reſtauratorem merito Sueci venerantur. Non ignorabat Chriſtianus juvenis hujus præclaram indolem, eamque formidabat; hinc maxima ſollicitudine cuſtodiendum curabat. Barnerius tamen a Rege impetravit, ut cuſtodia Guſtavi ſibi demandaretur. Hinc laxius haberi cœpit, captivitatisque moleſtia utcunque temperata, tandem & occaſio

fuga

fuga ſibi conſulendi, Guſtavo enata fuit. Poterat ſi non injurius in amicum, ſaltem ingratus videri, eundem maximo periculo exponendo; ſed argumentis graviſſimis eidem Lubecæ ſibi occurrenti demonſtravit, nihil quod nefas eſſet, ſe commiſiſſe, unde iram ejus placavit, ſeque pecuniæ ſummam, quam ſolvere ex fidejuſſionis lege Barnerius tenebatur, ei ſe redditurum promiſit. A Lubecenſibus vero fruſtra auxilium, ad patriam tyrannide liberandam, Guſtavus efflagitat. Hinc nulla re alia, quam animi præſentia & fortitudine ſua fretus, nec periculi magnitudine deterritus, Sueciam petit. A miraculo prope abſunt, quæ hic de Guſtavo ab Auctore, conſentientibus tamen & aliis, narrantur. Undique hoſtibus circumdatus, undique inſidiis petitus, tandem tamen non tantum evaſit, & maxima pericula ſuperavit, ſed cum cæteri Sueci fere omnes cum libertate animum quoque & ſpem libertatem recuperandi amiſiſſe viderentur, ſolus Guſtavus Dalecarliæ ruſticos ad aliquid pro patriæ libertate tentandum erexit, & incredibili celeritate & felicitate Sueciam a Danorum jugo liberavit. Ire per ſingula momenta, inſtituti noſtri legibus repugnat; quare paucis ea complectemur, quæ prolixe Auctor ediſſerit. Guſtavus ſummi fortiſſimique Principis partes undique explevit. Parum autem illi fuit expuliſſe ex Suecia Danos, regiamque dignitatem, conſentientibus & ut eam acceptaret efflagitantibus cunctis Sueciæ Ordinibus, præclaris facinoribus promeruiſſe; fontem quoque omnium malorum feliciter ſuſtulit, id quod in animum induxiſſe tot antea Regibus funeſtum fuerat. Nimirum Epiſcopos in ordinem redegit, quippe qui publica lege, in comitiis Holmienſibus, urbes munitas & propugnacula Regi reddere, militemque quem hactenus aluerant, dimittere juſſi ſunt. Conſtitutum quoque fuit, ne in Senatu regni locus illis concederetur, quippe quorum eſſet ſacris operari, non autem de reipublicæ adminiſtratione deliberare. Cuncta deniq; bona eccleſiaſtica, poſt legem a Canuto Rege ea de re latam, ſacro ordini dicata, adempta illis & Regi collata ſunt. Quæ ut eo felicius obtineret, non tantum permiſit, ut purior illa, & ope Lutheri defæcata religio, quæ in Germania radices jam egerat, propagaretur, ſed omni quoque ſtudio & ope illorum, qui hoc ſibi ſumpſerant, inſtitutum promovit. Hic autem ad hiſtoriam reformationis Auctor digreditur, ejusque ortum & progreſſum maxime in Suecia exponit; quæ cum jam pridem

expoſita, & partim quoque diſcuſſa & confutata ab aliis ſint, hiſce non immorabimur. Non defuerunt quidem, qui tum nimiam Regis potentiam, tum religionis quoque mutationem ægerrime ferrent: inque his præter Pſeudo-Stenonem, Roſtochii tandem poſt infelices conatus capite truncatum, Turo Johannis, magnus regni Mareſchallus, homo, Auctoris judicio, vaniſſima ambitione in tranſverſum actus, & libertatis & patriæ avitæque religionis defenſor & propugnator haberi volebat. Faciebant cum eo omnes, qui Romanæ Eccleſiæ ſacris erant addicti, & ipſi quoque Dalecarliæ ruſtici, homines & religionis & morum paternorum tenaciſſimi. Sed celeritate & fortitudine Guſtavi hi motus in ipſa, quod ajunt, herba ſuppreſſi, majorem illi addiderunt auctoritatem. Et ita exteris quoque ſpes omnis Sueciam turbandi erepta eſt, Rege id agente, ut ſuas res magis magisque firmaret. Namque ſummæ & abſolutæ, qua gaudebat, poteſtati hoc unice deeſſe videbatur, ut juſta ſucceſſionis lege regia dignitas ad ejus poſteros tranſmitteretur. Aſt nihil tam arduum erat, quod non prudentiæ Guſtavi cederet. Hinc & tandem obtinuit, ut unanimi omnium Ordinum conſenſu ſanciretur, ne Rex inpoſterum eligeretur, ſed ut Guſtavi poſteri juſta ſerie in regia dignitate ſe exciperent. Finit Auctor nonnullis de Erico Guſtavi filio, Eliſabetham Angliæ Reginam fruſtra, ſed invito quoque & diſſentiente Patre, ambiente commemoratis. Continuationem opuſculi, ſi, ut ſperamus, proditura eſt, recenſebimus haud inviti, quamprimum ad manus noſtras pervenerit.

## THE PRETERNATURAL STATE OF ANIMAL HUMOURS deſcribed by their ſenſible qualities &c. Hoc eſt:

***PRÆTERNATURALIS STATUS ANIMALIUM HUMORUM deſcriptus per ſenſibiles eorum qualitates, quæ dependent ex diverſis gradibus fermentationis; nec non medela cujusvis particularis cacochymiæ, peracta remediis ſaporis peculiaris ſpecifici &c.***

*Auctore* JOANNE FLOYER.

Londini, apud Sam. Smith, 1696. in 8. plag. 19.

CUm experientiſſimus Auctor rationi maxime conſonum judicaret, ut præſens ætas admitteret omnes obſervationes ſenſibiles a veteribus circa humana corpora factas, easque explicaret & illuſtraret Philoſophia temporis præſentis; conſtituit in hoc tractatu explicare

ani-

males humores, tam per obſervationes a veteribus traditas, quam per acceſſiones, quas recentior Philoſophia, Chymia & Anatomia illis adjecit. Primo ergo capite de morbis in univerſum agit, eosque diſtribuit in morbos partium ſolidarum, humorum, & ſpirituum, ſpecialiusque intemperiem ſolidarum partium explicat. Secundo autem capite fluidarum partium intemperiem ut exponere poſſit, diſtincte recenſet originarios liquores animalium, ex quibus reliqui ſecernuntur, eorumque ſtatum naturalem deſcribit, ut eo luculentius præternaturalis hinc poſſit intelligi. Quem in finem quoque capite tertio præparationem animalium humorum contemplatur, perſuaſus chylum fermentatione præparari, reliquos autem humores ab illo ortos, ſerum nempe, ſanguinem, & fluida ab his ſecerni ſolita, circulatione, longiori digeſtione, mixtura & ſecretione, ita ut his mediis acquirant peculiares craſes & ſapores: contra vitiari chylum, quando fermentatio vel nimis eſt languida & ſuppreſſa, vel major quam naturalis animalium temperies requirit, atque labem ſuam reliquis etiam humoribus affricare. Quapropter capite quarto in genere agit de nimis debili fermentatione, ejus afferens cauſas, noxas, & remedia ex ſapore ſpecifico cognoſcenda, qualia v. g. ſunt acria, amara, aromatica, ſulphura mineralia, teſtacea, nec non illa quæ fermentum animale in ſe continent &c. qua methodo etiam in ſequentibus utitur. Specialius enim in ſequentibus vitia humorum ex remiſſiori fermentatione ortum trahentia conſiderat, exponens capite quinto de ſtatu mucilaginoſo animalium humorum, in ſpecie chyli & lymphæ, qui vulgo pituitoſa cacochymia vocatur; ſexto de tartarea illorum aciditate vel acerbitate, quæ communiter ſe exerit in aciditate ſtomachi noſtri; ſeptimo de flatulenta cruda cacochymia chyli aliorumque humorum; octavo de cacochymia ſeroſa. Porro capite nono ad alteram generalem morborum cauſam, nimiam ſcilicet chyli fermentationem accedit, & cum illa bilis maxime augeatur, de hujus natura, uſu, coloribus & coagulatione per acida, prolixius diſſerit; ad ſpeciales mox cacochymias hinc oriundas deſcendens. Nam diſquirit decimo capite de ſcorbuto calido, ſeu ſtatu oleoſo, vitriolico & rancido ſanguinis; undecimo de viſciditate ſeri & inſpiſſatione chyli; duodecimo de ſalſedine ſanguinis aliorumque humorum; decimo tertio de vitriolica ſanguinis aciditate, & de-

cimo quarto tandem de putrefactione humorum animalium. Acce- dunt duæ appendices, in quarum prima de febribus agitur; oſtendi- turque, veterum pariter ac recentiorum opiniones de iisdem inter ſe poſſe conciliari, atque in hanc conjungi definitionem, quod febris ſit præternaturalis fermentatio aut effervescentia ſanguinis, orta a fer- mento quodam irritante ſpiritus ſanguinis & nervorum, ut diſſolva- tur, putrefiat & ſeparetur pars ſucci cacochymici nutritii ex maſſa hu- morum, cui admixtus eſt. Poſt traditam autem febrium curam con- cludit, valde probabile eſſe, cum ſingulis fere 40 annis peſtis in An- glia recurrat, quæ a putrido humorum ſtatu dependet, reliquas et- iam cacochymias, quæ ſpecies febrium diverſas pariant, quandam habere revolutionem, & has cum illis reverti. Nimirum cum ſta- tus humorum eſt mucilaginoſus, febrem eſſe ſimilem quartanæ; cum tartareus, habere ſymptomata cholica; cum ſeroſus, febrem eſſe catharrhalem; cum flatulentus, vertiginoſam cum flatulentia in pri- mis viis & doloribus vagis: ſed ſi cacochymia eſt cholerica, produci tertianam; ſi rancida, oleoſa, ſcorbuticam; ſi viſcida, dolores rheu- maticos; ſi vitriolica, quartanam. Unde ſperat, ſi diligenter obſer- vetur, quænam febres quotannis graſſentur, explorari poſſe, quæ- nam cacochymiæ febresque ſibi invicem ſuccedant, quibusque tem- porum periodis illarum recurſus ſit exſpectandus. Appendix ſecun- da introductorius eſt diſcurſus ad tractatum de aſthmate, continens explicationem defluxionis humorum (termini veteribus valde uſita- ti) qua aſthma diverſique alii morbi chronici producuntur. Oſten- ditur ergo, omnes humorum fluxus vel ab intermittente vel ephemera febre produci, ejusque cauſam eſſe effervescentiam in ſanguine; terminum a quo, ſanguinem; canales hujus fluxus, venas, arterias, va- ſa lymphatica, nervos & glandulas excretorias; terminum ad quem, partem affectam. Specialius quoque recenſentur morbi hinc pro- fluentes, eorumque cura ſubnectitur.

*JOH. ALBERTI FABRICII BIBLIOTHECA LATINA, SIVE Notitia Autorum veterum Latinorum, quorumcunque Scripta ad nos pervenerunt. Acceſſit duplex Appendix &c.*

Hamburgi, apud Benjaminem Schiller, 1697. in 8.

Alphab. 1, plag. 13.

Melio-

MEliòribus literis ornandis ſtrenue incumbit, qui Bibliothecam hancce Latinam earum cultoribus jam aperuit, clariſſimus *Fabricius*. Latere id neminem poteſt, ad cujus conſpectum *Plagiariorum Centuria*, ſubjunctaque ei haud inelegans de *Lexicographis* Commentatio, ab eo, pubertatis annos non multum ſupergreſſo, ante octo hos annos publicata pervenit. Nec imminuit, quam jam tum de eo concepimus, ſpem potiſſimæ librorum Apocryphorum partis editio, quæ luculentis doctisque προλεγομένοις ornata, paucis admodum poſt annis lucem publicam adſpexit. Nunc dum majora parturit opera, & quæ perfectam maturitatem requirere videntur, Bibliothecam præſentem Latinam, quam Græca pari methodo ſtudioque adornanda ſuo tempore ſequetur, publici juris faciendam cenſuit.

Tria autem potiſſimum in ea ſibi proponit: quorum primum fuit, ut Latinos Autores veteres, non Eccleſiaſticos, quorum ſcripta ætatem tulerunt, recenſeret univerſos ordine chronologico. Ita quidem, ut eorum in auream, argenteam & ferream ætatem diſpertitorum, facto a Plauto initio atque in Caſſiodoro fine, non nomina nuda atque ætatem commemoraret; ſed concinna brevitate paucis ſimul, quæ præcipue obſervari de unoquoque merebantur, perſtringeret. Alterum fuit, ut ſingula eorum quæ extant, nonnunquam tamen & deperdita ſcripta, illorumque argumenta percenſeret, quibusque illa ab autoribus ſuis inſcripta eſſent oſtenderet, & demum genuina a dubiis ſpuriisque rite diſtingueret. Tertium denique, ut editiones, non omnes quidem, ſed præcipuas, & quæ prodeſſe maxime poſſe deliciis hiſce paſcere ſeſe volentibus videbantur, commemoraret; non prætermiſſis ſingularibus virorum doctorum laboribus, quibus vel hiſtoriam alicujus autoris, vel loca obſcuriora, ſive peculiaribus ſcriptis, ſive paſſim in operibus ſuis illuſtraverunt; imo iis quoque, quæ conati illi, ſed fati præproperi injuria vel aliis eventibus impediti, abrumpere coacti fuerunt, paſſim diligenter expoſitis. Qua dexteritate omnia iſta fuerint præſtita, experientur, qui pervolvere libellum paucis foliis multa complectentem dignati fuerint. Nec minus perſuaſum habemus, judicii acrimoniam tum ex aliis, tum ex iis quæ de Manilii nomine atque ætate, de Chalcidii Auſoniique reli-

gione, de variis Palladiis &c. diſputavit, Lectori ſeſe eſſe probatura. Tacemus, quod paſſim nonnulla, ut varie Lectorum ſuorum animos oblectet, afferat, quæ alibi quidem rectius forte locum obtinere potuiſſe fatetur, ſed quæ tamen nec huic opuſculo dedecori eſſe exiſtimamus. Inter ea eminet inſigne ſcholiorum Euſtathii fragmentum, quo verſus octingenteſimus octogeſimus nonus cum proximis 26 Periegeſeos Dionyſii Alexandrini præclare illuſtrantur, quodque in omnibus editionibus deſideratum, hic, ubi de Avieni paraphraſi Periegeſeos iſtius agit, inſerendum cenſuit. Quod uti de quibusdam Phœniciæ oppidis memoratu digna aliquam multa habet, quibus aliorum autorum loca illuſtrari confirmarique queant, ita acceptiſſimum iis, qui talibus capiuntur, non eſſe non poteſt.

Verum de ipſo libro pro inſtituti ratione ſatis. De appendice enim duplici, mole non multum eo inferiori, nonnulla etiam ſunt delibanda. In priori primo varias fragmentorum veterum Poetarum collectiones, quales Stephano, Scriverio, Douſæ aliisque debemus, recenſet: ubi ſimul de Centonibus, quales Virgiliani ſunt, & Catalectis, Priapejis item & aliis hujus generis collectionibus ſatis prolixe agit. Deinde Chriſtianos Poetas eorumque editores & collectores enarrat. His brevem Scriptorum Eccleſiaſticorum, primorum IV ſeculorum, qui apud Latinos floruerunt, notitiam ſubjungit, ita tamen ut ex quinto, ſexto, imo & duodecimo nonnullos addat. Hinc eorum qui fragmenta vel integra opera Latinorum Hiſtoricorum conjunctim ediderunt, variaque monumenta antiqua & inſcriptiones in lucem protraxerunt, commemorat labores. Quos excipiunt ii, qui Grammaticis Rhetoribusque Latinis ſimilem operam præſtiterunt. Porro veterum Romanarum legum reliquias percenſet, laudatis qui illuſtrandis iis vacare voluerunt. Inde veterum JCtorum ſcripta, e quibus Tribonianus cum ſociis, Juſtiniani Imperatoris juſſu, jus civile concinnarunt, ordine chronologico enarrat, moxque corporis juris civilis & canonici exponit contenta. Sequuntur Scriptores rei agrariæ, & tandem medicæ, quorum varias a variis concinnatas collectiones diligenter annotavit.

In poſteriori appendice de tribus inſignibus impoſtoribus, qui e fraudibus fucisque compoſitos libros ſuos Bibliothecæ Latinæ inferre temerario auſu conati fuerunt, egit, Curtio nimirum Inghiramo,

mo, Alfonſo Cicarello, & Johanne Annio Viterbienſi. Et denique coronidis loco celebriores typographos, alphabetico ordine digeſtos, ex Almelovenio potiſſimum & Bailleto repræſentavit.


DES KONINGS RECHTEN &c.
Hoc eſt:
*JURA REGIS, ET RATIO ADMINISTRANDI EA SUB UTROque Teſtamento: ſive potiſſimarum rerum, ad verum eorum, quæ ad ingreſſum Jeſu in Sanctuarium ſuum ſpectant, intellectum pertinentium elucidatio. E precibus Davidis Pſ. LXXII, 1. elicita a* THEODORO *van* TOLL *V. D. apud Wudenbergenſes Miniſtro.*

Trajecti ad Rhenum apud Anth. Schouten, 1696. in 8. pl. 31.

REverendus Autor, qui regia Chriſti jura ex primo eoque unico commate Pſalmi LXXII deducere propoſitum habet, poſtquam generalia nonnulla de Pſalmi hujus inſcriptione, autore & ſcopo præmonuiſſet, ad rem ipſam ſine mora accedit. Et primo quidem ipſam p. 30. regiam Chriſti nativitatem, ex Patre quippe Deo ab æterno geniti, e S. Scripturis occaſione textus ſui ob oculos ponit. Imo etiam regiam p. 52. ejus ex hominibus originem demonſtrat, cum ex Davidis ſemine carnem a ſe aſſumendam formari voluerit; qua quidem occaſione totum incarnationis ejus myſterium, & quæ ad illud utcunque pertinent, deſcribit. Regnum autem ejus ſpirituale, Regemque adeo ſpiritualem eſſe docet, cui ut judicia ſua Deus tradat, in textu Davidem orare ait. Jam vero porro quænam judicia ſive jura illa ſint in Jeſum a Deo ſub utroque Teſtamento collata, declarat. Primo inter ea loco p. 77. ponit jus æquas & juſtas populo ſuo leges præſcribendi, & ad normam illarum eum gubernandi Hic de lege morali naturalive, de Sinaitico p. 102. fœdere inter Deum & Iſraeliticum populum ſancito, de lege item ceremoniali atque forenſi agit. De legibus porro, quas Chriſtus tan- p. 106. quam Rex Eccleſiæ N. T. (ita nimirum ipſi loqui ſenſu tamen mini- p. 141. me Arminiano Socinianoque viſum fuit) tradidit, exponit. Et hic 151. quidem ſpeciatim de lege fidei diſſerit, de ſacris N. T. ritibus, baptiſmo 155 & cœna Domini, quos ſimilibus Judæorum Gentiumque ceremoniis illuſtrat, de diſciplina denique eccleſiaſtica ſive clavibus. In qui- 209.

bus omnibus, quomodo leges ferendi jus Regis noſtri Chriſti ſe exeruerit, poſtquam oſtendiſſet, ad aliud quoddam ejus jus atque prærogativam explicandam ſe confert, quæ in eo conſiſtit, quod viros ele-
217. gerit, qui proximi ab eo eſſent, & pro ſalute regni curam gererent, officii ſui unumquemque admonentes. Primi quos hoc honore dignatus eſt, Patriarchæ ſunt, qui ſinguli ab Adamo ad Moſis usque tempora
224. percenſentur. His ſucceſſiſſe Moſes dicitur, Joſuaque & reliqui Ju-
256. dices, indeque Reges tam Judæ quam Iſraelis, quorum geſta itidem ad captivitatem usque Babylonicam Autor ſingulatim perſequitur.
292. Inde vero de iis etiam agit, qui in captivitate & poſt eam populo iſti præfuerunt, ubi de Synedrio quoque Judæorum diſquiſitionem in-
307. ſtituit. Tandemque de Johanne Baptiſta, de XII item Apoſtolis & eorum munere, Evangeliſtis item, Doctoribusque & Paſtoribus, quibus
344. in N. T. Eccleſiæ ſuæ curam Rex ille commiſit, agit. Quibus omnibus expenſis, tertio loco inter jura regia ponit, quod ejus ſit ſemper in regno ſuo verſari, populoque ſuo eſſe præſentem. Oſtendit itaque, quomodo a primis usque temporibus Patribus, quomodo Iſraeli in Ægypto, quomodo eidem in deſerto fuerit præſens, utpote in quo
359. tabernaculum ſibi etiam poni fuerit paſſus. Tabernaculi hujus ſtructura, & alia quæ eo pertinent, fuſius hac occaſione explicantur. Cum-
361. que deinde populo iſti in terram repromiſſionis delato adfuiſſe etiam Regem Jeſum, oſtenſum eſſet, in templo peculiariter, de quo iterum multa annotantur, tanquam domo ſua habitaſſe dicitur. In Babylonia denique, in Eccleſia N. T. imo in nobis ipſis qua ratione
382. præſens ſemper fuerit, demonſtratur. Jamque ad quartum jus ſive officium Regis fit progreſſus, quod eſt, ut in hoſtes atque inimicos ſuos omnes ſevere animadvertat, vel eos coercitos regni ſui cives efficiat. De origine & progreſſu regni Diaboli inter homines hic agitur, nonnullaque de idololatricorum cultuum incunabulis adſperguntur, & quid Chriſtus, ut a dominio Satanæ nos liberaret, fecerit, edocetur. Imo quomodo ultionem ſuam ab inimicis ſuis, idolorum & oraculorum gentilium deſtructione, Reipublicæ Judaicæ everſione, Romani Imperii ruina, Pontificiæ denique tyrannidis per reformationem ſubverſione ſumſerit, oſtenditur. Tempusque venturum eſſe docetur, quo converſione Iſraeliticæ gentis ad Deum, & omnimoda Diaboli atque eorum qui partes ejus ſequuntur, in extremo

TAB. III. ad A. 1697. pag. 113. ſqq.




J. C. Böcklin ſculp.

tremo judicio deſtructione, glorioſiſſime ultimum hocce jus ſuum Jeſus Rex noſter ſit exerciturus.

*QUADRATURA UNIVERSALIS FIGURARUM CURVILINEArum per ſeries infinitas, ſimplici tranſpoſitione rectarum linearum formatas, per D. T.*

Cum heri legerem, quæ in Actis menſis Decembr. A. 1696 Vir in his ſtudiis profunde verſatus *Johannes Bernoullius* de Tetragoniſmo univerſali expoſuit, mirum in modum ea mihi placuerunt, occaſionemque ſuppeditarunt reminiſcendi eorum, quæ circa hanc rem olim fui meditatus, imprimisque methodi a multis jam annis mihi familiaris, cujus ope, absque ullis tangentibus, per ſimplicem linearum rectarum tranſpoſitionem Tetragoniſmos abſolvo; quam nunc cum publico communicare animus eſt. Nimirum ſi fuerit ſpatium quodcunque ABGIK, ducatur recta BK & huic parallela FGHI, fiatque continue FH = GI, & orietur hinc curva CHK. Porro ducta recta CK, & huic parallela, formetur eodem modo nova curva DK, & ſic in infinitum. Dico rectangulum ABLK eſſe ad curvum ſpatium BGIK, ut 2AB ad AB + Bc + CD + DE &c. Hæc autem ſeries infinita, ſi quadratura ſpatii abſoluta datur, ſemper ad ſeriem finitam poteſt reduci, idque quandoque ſtatim manifeſtum eſt, ut in parabolis infinitis accidit. Nota quoque mihi dudum fuit methodus, omnes quadraturas curvilinearum, quæ expreſſionem finitam patiuntur, per ſimplicem linearum transpoſitionem abſolvendi, ejusque ſpecimina jam Pariſiis A. 1682 Academiæ Regiæ exhibui, cum obſervaſſem, tale quid nec in Parabola Archimedea præſtitum fuiſſe; verum calculi moleſtia, quotiescunque ad eandem perficiendam me applicui, ſemper me abſterruit, quo minus pergerem in ea numeris omnibus abſolvenda, quamvis ſemper ſingularia quædam hinc derivaverim, quæ aliquando, ſi otium ſuppetat, cum fœnore publico impertiar. TAB. III. Fig. I.

*JOH. BERNOULLII DE CONOIDIBUS ET SPHÆROIDIBUS quædam. Solutio analytica Æquationis in Actis A. 1695, pag. 553 propoſita. Notatiunculæ in Reſponſionem a Nob. D. T. nupero Novembri editam &c.*

Quod in Actis Eruditorum menſe Junio ſuperioris anni de Conoidum & Sphæroidum ſuperficiebus complanandis inſinuavi, in

tranſitu velut attigeram, neque ejus mentionem injeciſſem publice, niſi inter ſcribendum in mentem mihi incidiſſet elegans illa coni recti proprietas, quam publico impertiendam duxi, ſubindicando ſimul fontem, ex quo fluebat. Eſt vero materia illa talis, in qua excolenda nemo male ſuam operam collocabit; eruenda enim reſtant egregia: cui rei fidem faciam novo & facili ſed eleganti theoremate. Eſto curva qualiscunque ABC (fig. 2) convertenda circa duos axes DE & DF conſtituentes quemcunque angulum EDF, ſitque recta GDH perpendicularis ad lineam angulum eundem biſecantem, cui parallela EF; Dico ſuperficiem, quæ oritur ex converſione curvæ ABC circa DE, una cum ſuperficie orta ex converſione ejusdem ABC circa DF, eſſe ad ſuperficiem ſolam genitam ex circumvolutione curvæ ABC circa GH, ut EF ad ED; Idem intellige etiam de ſolidis, quæ fiunt ex triplici iſta converſione ſegmenti ACB, vel ſectoris ADC, vel alterius cujusvis figuræ. Unde exiſtente angulo EDF = $\frac{2}{3}$ recti, erunt duæ converſiones circa axes DE, DF ſimul æquales converſioni circa GH, reliquis vero in caſibus ſi fiat curva *abc* ſimilis expoſitæ ABC, ita ut ducta utcunque Db ſit ad DB, ut EF ad mediam proportionalem inter EF & ED, erunt duæ ſimul ſuperficies factæ ex converſione curvæ ABC circa DE & DF æquales ſuperficiei deſcriptæ a curva *abc* converſa circa GH. Sin autem Db ſit ad DB ut EF ad primam duarum mediarum proportionalem inter EF & ED, erunt duo ſolida figuræ ACB circa DE & DF rotatæ, æqualia ſolido figuræ *acb* circa GH converſæ. Hinc patet, qua ratione ſphæroidibus, oblongo & depreſſo, ab eadem quacunque elliptoide deſcriptis & ſimul ſumtis æquale ſolidum, illorumque ſuperficiebus una ſuperficies æqualis conſtrui poſſit; Id quod Hugenio quondam erat unum ex maxime deſideratis.

Tab. III. Fig. 2.

Jam addam hic ſolutionem analyticam (quia hactenus nulla comparuit) æquationis differentialis a Fratre propoſitæ in Actis Dec. 1695. Compellatus enim a celeberrimo Leibnitio, ut ei me accingerem, vidensque & ipſum nonnihil operæ ſolutioni impendiſſe, & Fratrem iteratis vicibus Mathematicos provocando ſuum problema pluris quam ab initio credideram æſtimaſſe, invitationi diutius deeſſe nolui. En igitur ſolutionem, quam per ſemiquadrantem horæ inſtituta meditatio mihi ſuggeſſit, quamque Dn. Leibnitio, ſi horum recordari dignetur, jam tum perſcripſi, antequam conſtructio fraterna comparuiſſet.

Æqua-

Æquatio propoſita eſt hæc: $ady = ypdx + by^n qdx$ (ubi a & b quantitates datas & conſtantes, n poteſtatem quamvis literæ y; p & q quantitates utcunque datas per x denotant) ſeparandæ ſunt in illa literæ indeterminatæ x & y cum ſuis differentialibus a ſe invicem, ut ſaltem per quadraturas conſtrui poſſit; id quod ſic facio: Ut poteſtas n deprimatur ponendum eſt $y^n = \frac{n}{v^{1-n}}$, unde propoſita mutatur in hanc ulterius reſolvendam $\frac{1}{1-n} adv = vpdx + bqdx$, quæ reſpondet formulæ Leibnitianæ in Martio 1696 traditæ. Sed hac depreſſione poteſtatis mihi non opus eſt; immediate enim conſequor finem ponendo $y = mz$, ideoque $dy = mdz + zdm$; quibus ſubſtitutis in æquatione propoſita habebitur $azdm + amdz = mzpdx + bm^n z^n qdx$. Nunc ut hæc æquatio quatuor terminorum ad duos redigatur, pono $amdz = mzpdx$ id eſt $\frac{adz}{z} = pdx$, unde cum habeatur z per x aut algebraice aut ſaltem tranſcendenter eſto, $z = \xi$ (per $\xi$ intelligo quantitatem datam per x & conſtantes.) Quoniam vero deſtructis mdz & mzpdx in æquatione tranſmutata, remanet $azdm = bm^n z^n qdx$ ſeu ſurrogato valore ipſius z, $a\xi dm = bm^n \xi^n qdx$ id eſt $am^{-n}dm = b\xi^{n-1} qdx$, hinc pariter habetur m per x, nimirum $\frac{a}{-n+1} m^{-n+1} = b\int \xi^{n-1} qdx$, poſito ergo $m = X$ (quantitati itidem ex x & conſtantibus compoſitæ) proveniet $y = (zm) = \xi X =$ quantitati pure dependenti ab x & conſtantibus. Q. E. F.

Hæc dum ſcribo, pervenit ad me Nobiliſſimi Dn. Tſchirnhauſii ſchediaſma proximo Actorum Novembri inſertum. Per totum, fateor, profundas ſagaciſſimi ingenii meditationes ſpirat; doleo ſolum aſſequi me non poſſe, utrum noſtras obſervationes circa ipſius meditata Geometrica approbet, an vero improbet. Abſit, ut putem

Virum hunc, nulli in cognitione abſtruſioris Geometriæ ſecundum, improbare velle talia, quæ quandocunque libuerit, evidentiſſimis demonſtrationibus munire poſſum. Lubens ergo merito credam, quædam fuiſſe ab ipſo propoſita in Nov. 1695, quæ limitanda erant; quæ autem limitatio nec a Fratre nec a me (qui fere eadem haud ex communicato objecimus) percipi potuit. Neque jam in dubium vocabo, acutiſſimum Authorem mirandas poſſidere methodos generales, quarum utinam nos participes faceret, ne ſi quid ipſi humanitus accideret, talia nulli oblivioni tradenda ſimul interirent. Paucis interim notabo, quæ in noviſſima iſta reſponſione animadvertere licuit.

Etiamnum ſuſtineo, quod theorema fig. 2, Act. Nov. 1695 expoſitum *ſeſe extendat ad omnes curvas, ſive ſint per focos ſive aliter quomodocunque &, ſi vis, libera manu deſcriptæ*. Quod autem Vir celeberrimus inde infert, me eſſe in ea ſententia, non omnes curvas per focos deſcribi poſſe, plane non ſequitur: quaſi vero una eademque curva per focos deſcripta non poſſet etiam mille aliis modis deſcribi. Exemplo nobis ſit vel ſola Ellipſis, quæ non tantum per filum, ſed etiam per regulam ſecundum latera anguli recti progredientem aliterque æque facile formatur. Hoc duntaxat ex aſſertione mea legitime ſequitur, theorema illud valere in omnibus curvis, non quatenus per focos tantum ſed utcunque progenitæ conſiderentur. Atque ſic ſalva mea aſſertione non nego, omnes curvas habere focos ſaltem lineares; an vero etiam habeant ſimplices ſeu puncta ex quibus ſemper per fila delineari poſſint, hactenus a nemine demonſtratum eſt.

Quod præterea Vir ingenioſiſſimus innuit, *methodum tangentium inverſam ante aliquot annos magno in pretio ſe habuiſſe, jam vero eandem non leves ob cauſas eo loco non amplius a ſe haberi*, indicium utique eſt ſibi eam adeo planam & tritam feciſſe, ut ipſi jam ut ludus ſit habendus; unde cum *nihil hactenus propoſitum viderit*, (ut ait) *quod ejus ope cum operam dare ei licuit, non potuerit determinare*, videre deſidero alterum illum modum *parabolæ portiones inter ſe conferendi*, quem priori ſuo ſubſtituit & cum pluribus ſpeciminibus communicandum pollicetur. Cæterum ingenue fateor, me nondum poſſe perſpicere ex omnibus illis, quæ allegat, quomodo theorema meum de reductione curvarum ad circulares

per

per alias evolutiones quam Hugenianam augeri poſſit. Pro hoc ſi habet methodum quam offert, grato animo excipiam, quandocunque communicare libuerit. Hoc tamen in anteceſſum præmonendum duco, non opus eſſe ut curvæ reducantur ad extenſiones ellipſeos, hyperbolæ, parabolæ, altiorisve curvæ, ſi id fieri poſſit per circulares, tanquam poſt rectam ſimpliciſſimas. Verum enim vero omnis omnino curva, quotcunque etiam habeat focos, per unicum ſemper poteſt deſcribi, id eſt per evolutionem Hugenianam. Non video igitur, cur recurrendum eſſet ad evolutiones magis compoſitas, cum idem perpetuo obtineri poſſit per ſimpliciſſimam.

Subnectit Vir eruditiſſimus, ſe habere *ſingularia theoremata univerſalia* pro nova doctrina locorum; aſſeritque ſibi valde probabile videri, æqualitatem rectangulorum rectarum ſe interſecantium (quam ego præterquam circulo infinitis aliis curvis competere nuper oſtendi) abſolute omnibus communem eſſe. Id quidem facile largior, ſi duas tantum rectas ſe interſecantes intelligat, ut fere innuere videtur, quando dicit *certiſſimum id eſſe, in ipſa quoque parabola, hyperbola & ellipſi hanc veritatem, quod duabus rectis ſe interſecantibus rectangulorum ſegmenta inter ſe infinitis modis certa ratione ſint æqualia, demonſtrari poſſe*; ſed ridiculum prorſus fuiſſet, ſi tale quid ut novum venditare voluiſſem; ſiquidem prima ſtatim attentione cuivis obvium eſt, omnem curvam, ſi non ſit circulus, poſſe a circulo ſecari in quatuor punctis, per quorum bina & bina tranſeuntes lineæ rectæ habebunt utique ſegmentorum rectangula æqualia; adeo ut hoc de omnibus curvis non ſolum probabile ſed omnino certum ſit. At ſenſus mei inventi longe alius eſt. Non enim duas ſaltem, ſed infinitas, ſed omnes rectas e puncto quodam egredientes, quæ ſecent curvas, volo ut faciant rectangula ſegmentorum ſuorum æqualia; atque hoc omnibus curvis convenire nemo demonſtrabit, cum contrarium potius in ipſis tribus ſectionibus conicis evinci poſſit. Quod ſupereſt, ſi theorematum ſuorum vires experiri velit, ſat amplam materiam habet applicandi illa in inquiſitione curvæ, quam in Actorum menſe Junio inſolutam relinquo, ut ſcilicet ſolidum ſub uno ſegmento & quadrato alterius ſit ubique eidem æquale, cujus ſolutio mihi reperta eſt. Item quod nuper publice propoſui, quærat curvam ita ut ſumma ſegmentorum ad potentiam datam elevatorum ſit perpetuo eadem.

dem. Hiſce aliisque ſi ſatisfecerit (ut non dubitamus) Vir perſpicaciſſimus, haud aptiorem anſam nobis præbebit, de inventis ipſius pro merito ſentiendi, quam ſi methodos ipſas, quas hucuſque latere nos voluit, tandem candide aperuerit.

AN ENQUIRY AFTER HAPPINESS &c,
Hoc eſt:

*FELICITATIS VERÆ INDAGATIO, INSTITUTA AB AUctore Chriſtianiſmi Practici. Volumina duo.*

Londini, apud Sam. Smith, 1692. 1696. in 8.
Conſtant Alphab. 2. plag. 15.

AUctor hujus libri, qui nomen ſuum ignorare nos voluit, ab alio quodam opere, quod non ſine Anglorum ſuorum plauſu jam olim publicavit, appellationem ſibi adſciviſſe contentus, infortunato quodam caſu oculorum ſuaviſſimo uſu privatus fuit. Ut itaque tædium, quod miſeræ hujusmodi conditioni natura quaſi ſua junctum eſſe videtur, falleret, aliisque ratione qua maxime poſſet, inſerviret, operi huic manum admovere conſtituit. Cui eo magis idoneus fuit, quod ipſemet, uti fatetur, omnes delicias fuerit expertus, quas proſper & felix hominis ſtatus ſuppeditare poteſt, ut adeo ſcire queat, quid ad veram conferre illæ valeant felicitatem. Præterea autem rebus etiam adverſis adeo exercitum ſe eſſe ait, ut de hominis miſeria, virtutisque qua ſeſe erigere & contra niti debeat neceſſitate, recte ſe judicare poſſe confidat. Animam denique ſuam in corpore, nobiliſſimo ſenſu deſtituto, ita degere ait, ut non multum ejus conditio a ſeparatæ animæ ſtatū diſtet; quo ipſo fieri exiſtimat, ut liberum & corporis affectibus parum corruptum judicium ferat.

Non expectandum autem eſt, ut accuratam operis hujus recenſionem inſtituamus, quod, uti habet virtutes ſuas egregias, ita a nemine non ſalutis felicitatisque ſuæ ſtudioſo legi deberet. Aſt vero amittere hujusmodi ſcripta ſolent vim pariter & gratiam ſuam, ſi quidquam iis demas, & vividam illam qua nitent faciem arida relatione illis detrahas. Contenti igitur erimus tribus verbis ſummam rerum omnium indicaſſe. Abſolvitur nimirum primum volumen ſectionibus tribus: in quarum prima oſtenditur, felicitatem nec arduum adeo eſſe bonum, ad quod ambiendum humana non debeat exſurge-

re

ſe ambitio; nec leve adeo ac deſpicabile, ut negligi mereatur. Id tamen nec a tempore & fato quodam, nec a phantaſia & inclinationibus noſtris, ſed a ratione recta & induſtria, virtute atque religione pendere demonſtratur. In ſecunda, primo quid vere intelligatur per felicitatem, & quænam complectatur illa, edocetur; deinceps vero impoſſibile non eſſe, ut eam conſequamur, evincitur. In tertia denique in cauſas inquiritur miſeriæ humanæ, ut & fruſtraneæ felicitatis aſſectationis; remediaque utriusque optima fide indicantur.

Poſtquam hac ratione in priori volumine amota eſſent, quæ a veræ felicitatis ſtudio avertere nos poterant; jam propius ad ejus conſiderationem in volumine ſecundo accedit. Cumque ea ex mente ejus ſit *ſtatus entis perfecti, in intemerata, non interrupta, & æterna fruitione conſummatiſſimæ voluptatis conſtituti*; quatuor potiſſimum eſſe videntur, quæ definitionem iſtam ingrediuntur, vita nimirum, perfectio, indolentia atque fruitio. De horum primo, vita nempe, in hoc, de quo nunc loquimur, volumine egit, aliis voluminibus deinceps expectandis reſervatis reliquis. Diviſit autem hanc quoque de vita commentationem in tres iterum ſectiones. In quarum prima quid vita proprie ſit, edocuit, deductis inde iis, ad quæ præſtanda tenemur, qui vivimus, officiis. In ſecunda, qua ratione & practicam & contemplativam vitam utiliter inſtituere debeamus, declarat. In tertia denique, quomodo ita vivere debeamus, oſtendit, ut & vitæ quam longiſſime protendamus terminos, & ſi brevior nobis obtigerit, talis tamen ſit, ut cum longiſſima bene geſtorum ratione contendi valeat.

*PETRI HADRIANI F. VERDUIN AMSTELÆDAMENSIS Diſſertatio Epiſtolaris, de Nova Artuum decurtandorum Ratione &c.*

Amſtelædami, apud Joh. Wolters, 1696. in 8.

Conſtat plag. 2. & tabulis æneis 7.

OCtodecim & quod excurrit, elapſi ſunt anni, cum chirurgicus quidam Scriptor Anglicus *Jacobus Yonge*, Anglico idiomate libellum ederet, cujus rubrica, *Currus Triumphalis ex Terebinthina*, in quo oleum terebinthinæ in hæmorrhagiis, etiam enormioribus, ſiſtendis cuncta hactenus nota & uſualia remedia antecellere, pro-

lixe

lixa ſatis rationum atque experimentorum enarratione oſtendebat. Subnectebat huic libello Epiſtolam ad amicum quendam, in qua novam & ſingularem methodum, a quodam Anglo *Lowdham* ſibi communicatam, amputandi artus corruptos, hisque detruncatis commodius & citius, ac hactenus factum, medendi innuebat. Cujus hæc potiſſimum ratio, ut portio cutis, & carnis in alterutro membri abſcindendi latere, v. g. in tibia ſuræ maxima, pars trunco annexa relinqueretur, quæ operatione adminiſtrata, hujus extremitati ita ſuperinducenda & inducta conſervanda, donec per ſymphyſin & inſitionis modum, ſine oſſis abſceſſione, celerius, felicius & ita conſolidaretur vulnus, ut machina ſeu crus artificiale commodius quoque ipſi applicari poſſet. Verum, cum circumſtantias hujus chirurgiæ non recenſuiſſet Autor, eadem quoque ad paucorum hactenus manus pervenerit, ab illo tempore nihil hujus plus, penes nos imprimis innotuit, donec biennio circiter abhinc, a chirurgo quodam Amſtelodamenſi hanc operandi rationem feliciſſime adminiſtrari, amici cujusdam literæ nobis ſignificarent. Atque is eſt *Petrus Verduin*, cujus *Diſſertationis epiſtolaris* argumentum Tibi, L. B. recenſebimus. In præfamine perhibet, in Anglia jamdum ſimile quid fuiſſe factum: num ab illis, quos nominavimus, chirurgis, ſubolfacere haud poſſumus. Hinc primo inſtrumenta exponit, in operatione, poſt eandem, & vulneris ſanatione abſoluta, neceſſaria; deinde operandi modum, ac denique commoda hinc emergentia. Inſtrumentorum alia reperimus communia ſeu vulgaria, alia huic adminiſtrandi rationi peculiaria: quorum forſan potiſſima ſunt cingulum latum conſtrictorium, fig. 3. & 4, patina ſeu lamina concava, fig. 5. delineata, cujus applicandi rationem fig. 6. & 7. monſtrant, quo remoto inſtrumentum quoddam retentivum applicandum deſcribitur, cujus integri ſchema fig. 8, in partes diviſi fig. 9, 10 & 11, applicationem fig. 12. promunt; quibus demum ſubnectitur, pro tibia detruncata, crus factitium, fig. 13. deſcriptum.

Poſt hæc operandi modum docet ſequentem. Femori v. g. cruris detruncandi applicat, inter tendines crus flectentes, & interno ejus lateri, ubi majora ſita ſunt vaſa, ſplenia duo teretia, & deſuper hæc linteum quadruplicatum, femoris inferiorem partem & genu obvolvens ac faſciola firmandum. His cingulum latum conſtrictorium

fig. 3.

fig. 3. & 4. ſuperimponit, hocque ope breviorum ſuarum corrigiarum, fibularum & lingularum ad ſufficientem vaſorum ſanguiferorum arctationem firmiter in poplite claudit: imo majoris conſtrictionis gratia tæniam latam omnibus ſuperinjicit, inter operandum baculo a quodam adſtantium contorquendam, quod inſtrumenti genus, Gallis modernis frequens, *Tourniquet* audit. Vid. fig. 6. Quibus ita adaptatis, illam cinguli latioris partem, quæ genu tegendo deſtinata, cum loris propendentibus, retrorſum, ne operationem turbent, reclinat. Dein crus paulo ſupra amputationis locum (qui minime, ut olim tradebant, prope genu, ſed ab hoc, quantum licet, remotiſſimus ſit, quo factitium crus trunco commodius & firmius adaptari queat) zona graciliore, ex molliore corio vitulino confecta, & fibula atque lingula inſtructa, arcte conſtringit, idemque miniſtris duobus, alteri circa zonam, alteri prope pedis articulum, immobile tenendum committit. Hinc ipſemet chirurgus ſuram læva manu arreptam, & ab oſſibus quaſi avulſam, cultro falcato & ancipiti, ab ipſa zona crus coarctante inchoando, juxta cruris longitudinem, pone oſſa deorſum abſcindit, reliquas vero cutis carnisque partes ad oſſa uſque tranſverſim, ut moris, incidit, tandemque retroducta interim, ne a ſerra lædatur, prædicta ſuræ reſciſſæ portione, oſſa decurtat. Extemplo vulnus cruentum ſpongia tepida imbuta leniter abſtergit, ne quid ſcobis remaneat, ac ſoluta zona, qua crus conſtringebatur, carnem illam revulſam dicto citius antrorſum & ſuper mutilati membri truncum reflectit, vulneris oras fungo, ſtupa ac ſtyptico idoneo munit, totam vero extremitatem veſica bubula una vel duabus emollitis operit, faſcia emplaſtro viſcoſo oblita firmandis. Veſicam deſuper eidem trunco applicat linteum complicatum, hinc laminam illam concavam fig. 5. genu vero partem cinguli conſtrictorii anticam adaptat, & hujus loras longiores laxata tænia conſtrictoria, ſuper extremitate trunci & lamina decuſſatas, ac per fibulas illas prominentiæ quadantenus attractas, lingulis ſuis, juxta fig. 7 claudit, totam denique hanc deligationem faſcia quadam muniendo, & paucis poſt operationem horis cingulum etiam paulum laxando.

Quia tamen chirurgiæ hujus per inſitionem momentum potiſſimum in eo conſiſtit, ne carnes vel mutilatæ partis, vel huic admo-

tæ, lædantur, ſed ut ad ſui coalitionem arctius conjunctæ ſerventur, applicat retinaculum fig. 8, 9. &c. hoc modo, ut portio ejus major ac latior A inferius & poſticum femoris latus excipiat; crus mutilatum alteri, quam vaginam ait, B incumbat, ſingulam ſingulæ faſcia alligandam. Vaginæ eminentiam ferream Æ lamellæ curvæ C eouſque immittit, ut carnem mutilatæ parti inſtratam & linteo quadruplicato tectam, ſuſtineat illamque huic probe counitam conſervet, vulneri tamen, plagulis & faſciis ſolutis, quotidie mederi liceat, ſecundum fig. 12. Sanato autem perfecte vulnere, cruri detruncato crus artificiale fig. 13 ita adaptat, ut aliquid ſimul motus voluntarii in genu remaneat.

Utilitates & commoda, quæ ex hac chirurgia emanant, ſunt 1 hæmorrhagiæ felicior, ſine gangrænæ, quæ faſciarum longiorum & & multiplicium conſtrictionem arctiorem alias facile excipere ſolet, metu, ſuppreſſio: 2, ne os detruncatum deſquametur & abſcedat: 3, ut labia vulneris brevius & ſine magna deformitate cicatriſentur: 4, ut crus ſuppoſititium commodius applicetur: ac 5, ut dolor ille ſympatheticus, a quo mutilatos ejusmodi quaſi in parte reſciſſa communiter diu ſatis infeſtari per experientiam conſtat, avertatur.

Figurarum explicatio.

TAB. III. Fig. 3. ſeqq.

Fig. 3. (Auctori Tab. 1. f. 1.)
Cinguli lati conſtrictorii, ex corio vitulino confecti facies interna; & quidem A partis femori applicandæ, quemadmodum B partis genu adaptandæ.

Fig. 4. (Tab. 1. fig. 2.)
Facies ejusdem totius cinguli externa.

Fig. 5. (Tab. 1. fig. 4.)
Lamina concava, cruri poſt detruncationem admovenda.

Fig. 6. (Tab. 3. fig. 1.)
Cinguli hujus applicatio ſeu apparatus in operatione.

Fig. 7. (Tab. 3. fig. 3.)
Ejusdem poſt operationem apparatus.

Fig. 8, 9, 10, & 11. (Tab. 5. fig. 1. 2. 3. 4.)
Retinaculum integrum & in partes divulſum.

Fig.

Fig. 12. (Tab. 6. fig. 1.)
Hujus retinaculi applicatio.

Fig. 13. (Tab. 7. fig. 1.)
Crus artificiale. Ubi *A* pes ligneus caliga & calceo ornatus. *B* Vagina ex lamina ænea, duobus locis, ad truncum immittendum, inciſa. *C* Fibula, qua vagina poſt immiſſum truncum, quadantenus clauditur. *D* Locus ubi vagina pedi ligneo eſt affixa. *E. E.* duæ laminæ ferreæ, quarum ope crus ad genu latera flectitur. *F.* Inſtrumentum femorale, conſtans ex lamina ferrea anticum femur ambiente & corio veſtita: quod reſtat femoris corio circuitur, & in poſtico femore ligamine G notato, ordine connectitur. *G* Ligamen prædictum. *H.* Flexuræ locus, cum crus incurvatur. *I.* Caliga ex aluta, qua truncus & femur ſunt veſtita.

## HEYLIGH HOF &c.

Hoc eſt:

*AULA SANCTA IMPERATORIS THEODOSII, DESCRIPTA, emblematibus exornata, elegantibus carminibus illuſtrata, & obſervationibus moralibus uſui accommodata a* P. ADRIANO POIRTERS *Soc. Jeſu, Nunc demum poſt fata ejus edita.*

Ypræ, apud I. B. Moermans, 1696. in 8. pl. 19.

AUtor hujus opuſculi, cui haud poſtremum locum inter Poetas Belgas concedi poſtulat editor ejus, jam ante quatuor hæc luſtra, antequam ultimam manum huic fœtui ſuo imponere poſſet, in collegio Mechlinenſi fatis conceſſit. Unde etiam ad annum uſque trigeſimum primum ſolum Theodoſii junioris, cujus aulam hoc opuſculo deſcribit, procedere ei licuit, ulterius progreſſuro, niſi fata filum abrumpere eum juſſiſſent. Scopum ad quem eo potiſſimum collineavit, ignorare nos haud ſinit præfatio, quam ipſe ei, antequam moreretur, præmiſit. Scilicet ſuavi hujus Imperatoris, & quatuor ejus ſororum, quas inter Pulcheria præcipue eminuit, exemplo, mundi contemtum aliasque Chriſtiano homine dignas virtutes inculcare voluit. Ut itaque eo fortius certiusque perſuaderet, non nudam hiſtoriam, in cujus enarratione ingenio nonnunquam indulgere

videtur, propoſuiſſe contentus, doctrinas morales ubique luculente ex ea deducit, & carmina non inamœna, quibus vim quaſi faciat lectorum animis, ſemper inſpergit. Cæterum non unicum nec primum hoc opus eſt, quo inter Poetas Belgas locum ſibi illius Autor vendicavit. Eleganti enim carmine prælium, quo anno 1636 Fœderati Belgii copias profligarunt Hiſpani, celebravit. Imo & anno 1640 Belgico carmine interpretatus eſt præcipua eorum, quæ de geſtis Jeſuitici Ordinis hominum præclaris Latina lingua P. Jo. Tollenarius fuerat commentatus. Ut taceamus ea, quæ de vanitate mundi, de larva mundi, de columba in petræ cavernis, de vita S. Roſaliæ, & de ſancto denique corde ſuaviſſime ceciniſſe dicitur.

*BERNHARDI NIEUWENTIIT CONSIDERATIONES SECUNDÆ circa calculi differentialis principia, & Reſponſio ad Virum Nobiliſſimum G. G.* LEIBNITIUM.

Amſtæledami, apud Johannem Wolters, 1696, 8, plag. 3.

POſtquam ea, quæ ad difficultates contra calculum differentialem motas reſponderat maximi nominis Geometra Leibnitius, ex Actis Eruditorum A. 1695, menſ. Julio & Aug. pag. 310, 369, perſpexerat doctiſſimus *Nieuwentiit*, non difficultatum omnino omnium immunia ea ipſi viſa fuerunt, ſperavitque a Viri omnis politioris literaturæ fama clariſſimi inſita humanitate, ægre latum non iri, ſi ea, quibus adhuc ſuſpenſus tenetur, dubia in his Conſiderationibus Secundis exponeret. Id vero eum in finem fieri profitetur, ut (quæ ipſius verba ſunt) *ad ulteriora jam prorumpens, & veterum fines ſupergreſſa Geometria, tutam nec difficultatum vepribus ubique exaſperatam ſemitam inveniat, ac poſt exhauſtas quantitatum aſſignabilium proprietates, per inſolitas quoque, omnisque humanæ imaginationis vim eludentes partium infinite parvarum conſiderationes, lapſus ac erroris ſecura nihil a tergo dubii, nihil indemonſtrati relinquens procedere poſſet.* Fecit autem quinque ſectiones harum Conſiderationum, in quarum *prima* diſquirit, an legitime a nobiliſſimo Leibnitio ſit demonſtratum, in calculo differentiali quantitates infinite parvas nihilorum adinſtar abjici debere: in *ſecunda*, an, ſi calculus differentialis primi gradus ſuſtineri poſſit, differentiationes aliorum graduum ex rationibus a Viro cele-

celeberrimo hunc in finem adductis rite inferantur. In *tertia* ſolutiones objectionum ſuarum, quibus calculum differentialem ad caſus particulares adhibitum in abſurdum deſinere, probare annisus fuerat, expendit. In *quarta* ad difficultatem, adverſus ſuam circa infiniteſimas ratiocinandi methodum motam, reſpondet. In *quinta*, num ſuus calculus ad curvas exponentiales adhibitus, licet tolerari poſſit, ad identicum redire cum ratione dicatur, & an huic ideo calculus nobiliſſimi Leibnitii ſit præferendus, inquirit. Atque hæc ſumma libelli capita indicata a nobis fuiſſe ſuffecerit, cum momenta controverſiarum ipſa recenſere, prolixum nimis foret, & opuſculum ipſum perlegi facili negotio poſſit integrum ab iis, qui talium ſtudiis capiuntur. Quemadmodum & ea, quæ nobis, quod in Actis Eruditorum A. 1696, menſe Februario pag. 81, Mathematicos in unum notas uſurpandi modum convenire, & quidem notationi per ſummas & differentias inſiſti, obiter optaveramus, in Præfatione libri a clariſſimo Nieuwentiit opponuntur, aliorum judicio & examini æquiſſimo animo relinquimus.

## *JOH. BERNOULLI PRINCIPIA CALCULI EXPOnentialium ſeu percurrentium.*

Mirari ſubit, Cl. Dn. *Nieuwentiit in Conſiderationibus ſuis ſecundis* nuper editis conqueri, celeberrimi Leibnitii reſponſiones non tanti ſe ponderis deprehendiſſe, quæ objectionibus ſuis primum motis per totum ſatisfacerent. Credebam equidem noſtram calculandi methodum ſemetipſam ſatis commendare vel ſolo conſenſu tot tantorumque inventorum, in quæ hactenus diverſis licet inſiſtentes viis incidimus, quæque nullius unquam falſitatis convinci poterunt: quod ſane a methodo ſuſpecta nedum erronea expectari nec poteſt nec debet. Eſto nobis inſtar omnium unicum exemplum famoſi illius problematis catenarii, cujus ſolutiones ad unum egregie conſpirantes, illuſtre Virorum par, Hugenius & Leibnitius exhibuerunt, quibus ſimul mea acceſſit, ne in minimis quidem diſſentiens; nob. Hugenio ſua analyſi, nobis vero noſtra, ſed felicius utentibus: hac enim duce eo usque ultra ſimplicem ſolutionem proceſſimus, ut ipſe Hugenius mirabundus faſſus fuerit ingenue (vid. Hiſt. Oper. Erud.

 quæ

quæ Roterodami editur, menſe Febr. 1693, p. 251) ſe non poſſe imaginari, quomodo calculus eo nos perduxerit.

Sed nolim hic reſpondere novis objectionibus Dn. Nieuwentiit, quod ipſe acutiſſimus Leibnitius, cujus potiſſimum res agitur, ſi ipſi neceſſum viſum fuerit (de quo tamen dubito) bonam cauſam vindicare non differet. Ultimam duntaxat aggrediar ſectionem ſecundarum harum Conſiderationum, ut quod jam aliquoties facere volui, anſam habeam exponendi modum tractandi æquationes curvarum, in quibus indeterminata exponentes ingreditur. Cujus inventionem eatenus mihi attribuere fas eſt, quod jam ante quinquennium ſponte mea eo penetraverim, Dn. Leibnitio non monente, ut ipſe fatetur in Actis anni 1695, p. 314; quod utique non leve argumentum deberet eſſe, apud Dn. Nieuwentiit præſertim valiturum, calculum differentialem exponentialibus curvis adhibitum plane nullis laborare difficultatibus. Gaudebo interim, ſi explicatio mea prolixior doctiſſimo Nieuwentiitio ſcopulum, quem forte in ſuccincta nimis Leibnitiana offendit, ſummoverit: ſin minus, pro publico tamen laboraſſe non pigebit.

Quantitatem elevatam ad potentiam indeterminatam (antequam hæc etiam Leibnitio conſiderata intellexiſſem) vocabam *percurrentem*, quia omnes poſſibiles dimenſiones quaſi percurrit. Hinc æquationes quantitatibus hujusmodi conſtantes, ipſæque curvæ per illas deſignatæ, eodem mihi nomine veniebant. Quoniam vero *exponentialium* appellatio magno noſtro Geometræ arriſit, in illius honorem hoc alterum nomen & ego aſciſcam, miſſo priori, ne, quod ſubinde accidit, diverſa ejusdem rei denominatio Lectori confuſionem pariat.

Exponentialem igitur quantitatem concipiebam ut medium quid inter algebraicam & tranſcendentem: accedit enim ad algebraicam, eo quod terminis finitis utut indeterminatis conſtet; ad tranſcendentem vero, quod nulla conſtructione algebraica exhiberi poſſit. Hinc colligere eſt, quam ſuperfluus fuerit jocus Hugenii, curvas exponentiales appellando *hypertranſcendentes*, cum ſerio potius & congrue illas nominare potuiſſet *hypotranſcendentes*. Eſt enim & ipſa Logarithmica (omnium profecto tranſcendentium ſimpliciſſima) ex hoc curvarum genere, omnesque aliæ exponentiales

ope

ope hujus conſtrui & earum tangentes determinari poſſunt, ut ex jam dicendis patebit. Tria interim ſunt, quæ maxime ſuſpenſum tenent Dn. Nieuwentiit, quo minus aſſenſum tribuat. 1. *Quomodo una eademque indeterminata poſſit eſſe in curva logarithmica de applicatarum genere, & ſimul abſciſſa alterius cujusdam curvæ.* 2. *Quomodo ex æquatione* $x^{v} = y$, *deducatur hæc æquatio* $vlx = ly$ (per lx, ly, lz &c. intelligo logarithmos ipſarum x, y, z &c.) 3. *Quomodo lx poſſit eſſe* $= \int \frac{dx}{x}$. Hæc ergo ſatis alias trita, quorum *originem ſe ignorare* fatetur, ipſum edocebo.

Eſto DE (Fig. 14) axis curvæ HGF, illique perpendicularis DC, axis logarithmicæ AB; producatur applicata FE, donec occurrat logarithmicæ AB in B, a quo demiſſa perpendicularis BC æqualis erit abſciſſæ DE, eſt autem BC applicata logarithmicæ, ergo patet, qua ratione abſciſſæ DE, cujuscunque curvæ HGF, poſſint eſſe de applicatarum genere, non ſolum in logarithmica, ſed in quavis etiam alia curva AB, & quidem ita ut ſalva maneat relatio inter DE & EF, quocunque etiam modo creſcat DE, ſive æqualiter ſive inæqualiter; adeo ut ſumtis ex. gr. differentiis axis logarithmicæ Cc æqualibus, nihilominus differentialis FG ad differentialem Ee, ſeu ipſa FE ad ſubtangentem EL, ſuam generalem perpetuo ſervet relationem. Ad demonſtrandum ſecundum, quod vlx ſit = ly, inſpiciat, ſi placet, vulgares, quæ proſtant, tabulas logarithmicas, quæ e veſtigio ipſum docebunt, logarithmum numeri quadrati, cubi, biquadrati &c. eſſe duplum, triplum, quadruplum &c. radicis: unde generaliter logar. $x^{v} = vlx$; quid ergo ſi $x^{v} = y$, annon & eorum logarithmi ſunt æquales, id eſt, $vlx = ly$? Supereſt tertium, quod ita oſtendo; ſi AD = 1 = ſubtang. & BC = numero, erit ut conſtat, DC logarithmus ejusdem, eſt autem ex natura logarithmicæ ſubtang. in Bn = BC in Cc, & per conſequens $\frac{Bn}{BC} = Cc$, hinc ſi BC ſit x, y, z &c. & DC, lx, ly, lz &c. erit $\frac{dx}{x}, \frac{dy}{y}, \frac{dz}{z}$ &c.

TAB. III. Fig. 14.

$\frac{dz}{z}$ &c. $=$ dlx, dly, dlz &c. ergo etiam ſummæ $\int\frac{dx}{x}$, $\int\frac{dy}{y}$, $\int\frac{dz}{z}$ &c. $=$ lx, ly, lz &c. Unde ſatis mirari nequeo, doctiſs. Nieuwentiit, qui eandem fere demonſtrationem ſibi format, hic diſcrimen quærere in literis, concedendo $\int\frac{dy}{y} = ly$, ſed dubitando an etiam $\int\frac{dx}{x}$ &c. $=$ lx; quaſi arbitraria denominatio mutationem rei afferat. Regeret quidem, id de omnibus indeterminatis valere ſi abſolute conſiderentur; ſed hic x & y conſiderandas eſſe certo ad invicem reſpectu: aſt quid tum? demonſtratio generalis eſt & nulla conditione, nullo reſpectu limitata. Demonſtratum enim eſt, quacunque ratione creſcant De, DE ſeu bc, BC; quocunq; demum appellentur nomine ſive x, ſive y; ſive abſolute, ſive reſpective conſiderentur, perpetuo earum logarithmos eſſe Dc, DC. Quod autem aſſumatur AD $=$ 1 $=$ ſubtang. id compendii gratia tantum fit: quamcunque enim quantitatem, quid ni ergo & ſubtangentem, unitati ſubſtituere tuto licet, ſi modo ad aſſumtam cæteræ omnes referantur. Diſcuſſis jam ut opinor difficultatum nebulis, venio ad ipſam exponentialium tractationem.

Quantitates exponentiales ſunt diverſorum graduum, quorum infimus (qui hactenus tantum fuerat conſideratus) eſt, quando exponens conſtat indeterminatis ordinariis, ut $y^m$, $x^n$, $Z^p$; poſito m, n, p eſſe quantitates ſimpliciter indeterminatas. Quantitas exponentialis ſecundi gradus eſt, cum exponens ipſe eſt quantitas exponentialis ut $y^{m^n}$; & ſic in univerſum quantitas exponentialis cujuscunque gradus habet pro exponente quantitatem exponentialem gradus proxime præcedentis. Idem etiam intellige de æquationibus & curvis exponentialibus ad ſuos gradus referendis. Nota interim, quod ſi æquatio conſtet ex diverſis diverſorum graduum exponentialibus, tunc æquatio ut & curva per illam deſignata ſortietur nomen a potiori. De quibus omnibus hæc habe:

Eſto curva logarithmica quævis AB, ſumtaque ſubtangente pro unitate, & ipſi æqualis prima applicata AD; ordinata BC quovis modo varians, ſive ſit de applicatarum ſive de abſciſſarum genere alterius cujuscunque curvæ, ſi modo per minima creſcat, ſive æqualiter ſive inæqua-

inæqualiter, ſit $= x, y, z$, adeoque $DC = lx, ly, lz$; $Bn = dx, dy, dz$; $Cc = dlx, dly, dlz$, &c. Unde fluit regula generalis: *Differentiale logarithmi utcunque compoſiti eſt æquale differentiali numeri diviſo per numerum ut*

$$dl\sqrt{xx+yy} = \frac{xdx+ydy}{xx+yy},$$

Ad differentiandam ergo quantitatem exponentialem primi gradus $m^n$, fiat $m^n = t$, ergo $nlm = lt$, & differentiando juxta calculum differentialem $lmdn + ndlm = dlt$, at per regulam generalem $dlm = \frac{dm}{m}$, & $dlt = \frac{dt}{t}$, ideoque $\frac{ndm}{m} + lmdn = \frac{dt}{t} =$ (ob $m^n = t$) $\frac{dt}{m^n}$; unde $dt$ ſeu $dm^n = nm^{n-1}dm + m^n lmdn$, id quod ſuggerit regulam primam ſpecialem pro exponentialibus primi gradus, poſſunt enim pro m & n quantitates intelligi quomodocunque ex indeterminatis compoſitæ.

Eſto jam exponentialis ſecundi gradus $m^{n^p}$, ponatur illa æqualis $t$, adeoque $n^p lmdn = lt$, ſumtis utrobique differentialibus modo communi, $n^p dlm + lmdn^p = dlt$; quoniam autem per regulam primam ſpecialem $dn^p = pn^{p-1}dn + n^p lndp$, & per regulam generalem $dlm = \frac{dm}{m}$, $dlt = \frac{dt}{t}$, habebitur regula ſecunda ſpecialis prò exponentialibus ſecundi gradus, quæ hæc eſt $dm^{n^p} = n^p m^{n^p-1} dm + pn^{p-1} m^{n^p} lmdn + n^p m^{n^p} lmlndp$. Eodem modo inveniuntur regulæ ſequentes pro altiorum graduum exponentialibus. Nec difficilius differentiantur quantitates quomodocunque ex illis compoſitæ, ut $dm^n p^q = p^q dm^n + m^n dp^q$, ubi ſi ſurrogetur valor ipſarum $dp^q$, $dm^n$, modo ſupra inventus, prodibit differentiale quæſitum.

Hactenus explicata ſufficiunt pro generali exponentialium differentiandarum adumbratione : videamus paucis applicationem in uno alterove exemplo; quorum ſi aliam ſolutionem a noſtra diverſam tradiderit, vel ſaltem noſtram a vero abludere demonſtrarit Cl. Nieuwentiit, nobis magnus erit Apollo, cui libenter manus victas dabimus.

I. Conſtruenda eſt curva, cujus natura exprimitur per hanc æquationem exponentialem $x^x = y$; ejusque tangens determinanda. Sumtis logarithmis habetur $xlx = ly$ : facta itaque logarithmica AB, cujus ſubtangens ſit $= 1 =$ AD, ſitque DE vel BC $= x$, erit DC $= lx$; & per conſequens ſi fiat AD. BC :: DC. DM, erit DM $= ly$, & MN $= y$, cui ſi æqualis applicetur EF ad abſciſſam DE, erit punctum F in curva optata HGF. Tangens in F determinatur ſic : Per regulam primam ſpecialem $dy = x^x dx + x^x lx dx =$ (ſubſtituto $y$ loco $x^x$) $ydx + ylxdx$, id eſt $y + ylx. 1 :: dy. dy :: y.$ ſubtang. $= \frac{1}{1+lx}$: Hinc ſumta EL tertia proportionali ad AD + DC & AD, erit FL tangens; Quam proin in terminis ordinariis, id eſt, finitis expreſſimus. Judicet jam Dn. Nieuwentiit, quo jure vehementer adeo exprobret Celeb. Leibnitio, ac ſi ſui oblitus neſcio quod enorme crimen in Geometriam perpetraſſet, dum in Nieuwentiitiana methodo (meritiſſime) reprehendit, quod *non exhibeat rationem dx ad dy ſeu ſubtangentialis ad ordinatam in terminis ordinariis expreſſam, neque adeo ductu linearum aſſignabilium conſtrui poſſit.* Etenim per ordinarium & aſſignabile non ſolum algebraicam ſed etiam tranſcendentem quantitatem, ſi modo ſit finita, comprehendit Leibnitius. Circuli utique peripheria terminis algebraicis exprimi nequit, an ideo non eſt ordinaria ſeu finita? an ideo minus aſſignabilis, cum tamen unico ductu circini aſſignetur? Hanc de aſſignabilitate mentem fuiſſe Leibnitii, venari potuiſſet ex eodem, quem citat, Actorum loco, verſa ſaltem pagina A. 1695, p. 315, l. 15, ubi acutiſſimus Author diſtinguit quantitatum genera in *ordinarias*, *infiniteſimas primas ſeu differentiales*, *differentio-differentiales ſeu infiniteſimas ſecundas &c.* manifeſto certe indicio, per *ordinarias* nihil aliud intelligere quam quantitates finitas. Præterea fallitur Dn. Nieuwentiit, quando *rationis ſubtangentis ad ordinatam expreſſionem*

*nem in terminis ordinariis* (algebraicis vult dicere) *impoſſibilem plane arbitratur, in caſu quo ipſa curvæ æquatio in terminis ordinariis exponi nequit*: Conſideret, ut de poſſibilitate convincatur, vel ſolam cycloidem primariam, quæ utut tranſcendens, ordinata tamen ad ſubtangentem rationem habet pure algebraicam, eam ſcil. quam obtinet abſciſſa ad applicatam circuli genitoris, ut notum eſt.

Sed revertimur ad curvam noſtram, cujus notabiles quasdam proprietates recenſuiſſe non abs re erit; ideo præſertim quod ſummus Leibnitius eam a me ipſi primo propoſitam ſua applicatione nequaquam indignam reputarit, quin potius occaſione illorum quæ ſuper hac aliaque materia repereram & ipſi præſcripſeram, ipſe multa alia ſcitu digniſſima animadverteret, mecumque viciſſim communicaret. Applicatæ AG, DH, ſubtangens puncti G, & AD, omnes inter ſe & ſubtangenti logarithmicæ ſunt æquales. Item ducta ex H applicata ad logarithmicam HP, & PR parallela ipſi HD ſecante curvam in O, erit OR omnium ordinatarum breviſſima, id eſt punctum O omnium curvæ punctorum minime diſtat ab axe DE. Habemus etiam generalem methodum quadrandi hujusmodi figuras, cui ipſe Leibnitius licet conſimilem invenerit pro ingenii quo pollet acumine, haud tamen facile obviam eſſe ultro agnovit: Hanc interim animadverto quadraturam præ omnibus aliis memorabilem, quæ ob curioſam ſeriem, qua exprimitur, mirifice placuit huic Geometræ: Si enim AD vel DH vel AG vocetur 1, erit ſpatium DA GOH = ſummæ hujus ſeriei $1 - \frac{1}{2^2} + \frac{1}{3^3} - \frac{1}{4^4} + \frac{1}{5^5}$ &c.

II. Quod ſi proponatur curva, cujus æquatio $x^y = a$: habebitur ad logarithmos redacta $ylx = la$, unde ut ſupra per logarithmicam factum eſt, elicitur curvæ conſtructio. Differentiando autem per reg. 1 ſpec. erit $xlxdy = -aydx$, id quod ſubtangentem determinat.

III. Eſto curvæ æquatio $x^x = a^y$, & proinde $xlx = yla$, quod conſtructioni inſervit: ſumtis per reg. 1 ſpec. differentialibus obtinetur $dx + lxdx = lydy$, ex quo pariter ſubtangentis determinatio fluit. Obſervatu dignum hic venit, quod hujus figuræ quadratura citra ſeriem poſſit exhiberi, eſt enim $\int ydx = \frac{2xxlx - xx}{la}$

IV. Si proponeretur $a^x = y$, adeoque $xla = ly$, prodiret $yladx = dy$, id eſt ſubtangens foret $= \frac{1}{la} =$ conſtanti; unde concludendum æquationem propoſitam ipſiſſimæ logarithmicæ competere: unico ergo ductu calami *planam regiamque* qualem Dn. Nieuwentiit deſiderat, *viam aperui*, *Logarithmicam hoc tempore nulli non cognitam ad æquationem exponentialem reducendi.*

V. Eſto jam Exponentialis plurium terminorum ex gr. $x^x + x^a = x^y + y$: ſumtis ſeparatim differentialibus cujusque termini per reg. 1 ſpec. reperietur $dx^x = x^x dx + x^x lxdx$, $dx^c = cx^{c-1}dx$, $dx^y = yx^{y-1}dx + x^y lxdy$; quæ rite diſpoſita dabunt æquationem hanc $x^x dx + x^x lx dx + cx^{c-1}dx - yx^{y-1}dx = x^y lx dy + dy$; facto itaque ut $dy$ ad $dx$, id eſt, ut $x^x + x^x lx + cx^{c-1} - yx^{y-1}$ ad $x^y lx + 1$, ita $y$ ad quartam, erit hæc quarta ſubtangens quæſita curvæ propoſitæ: Nota interim quod multitudo terminorum conſtructionem plane non impediat, cum enim mediante logarithmica ſingulis ſeorſim aſſignari poſſit quantitas æqualis, patet utique quantitates iſtas hoc modo aſſignatas & ſimul ſumtas formare illam ipſam, quæ quæritur.

Exempla huc uſque allata abunde illuſtrabunt proceſſum inſtituendum in aliis primi gradus exponentialibus, exque illis haud difficulter perſpicitur, quomodo methodus applicanda ſit ad altiores gradus; in omnibus enim par operandi ratio obſervanda eſt: quam ſi Nob. Hugenius tantæ raritatis & inſolentiæ deprehendit, ut non niſi ægre admiſerit, jam ſane ſi etiamnum in vivis eſſet, haud ægrius eſſet admiſſurus quam ipſum calculum differentialem, quem ab initio mediocriter ſatis, poſtea vero perſpecto inſigni ejus uſu tanti æſtimabat, ut ejus præſtantiam & probitatem ultro agnoſcere & palam profiteri non fuerit dedignatus; ceu liquet ex iis, quæ exhibuit in Actis an. 1693, p. 475, ubi ipſe ingenue aſſerit occaſione mei in eodem anno propoſiti problematis ſe ad tales Geometriæ ſubtilitates perveniſſe ope calculi differentialis, ad quas ſine illo vix admiſſus fuiſſet. Tanti itaque Viri libera confeſſio invitare deberet Doct. Dn. Nieu-

wen-

ventiit ad ſimilem ingenuitatem; vel ſiquidem illius authoritate uti velit, ut id faciat ad amplectendum potius quam ad labefactandum noſtram analyſin.

## HISTORIA DELLA REPUBLICA VENETA.

Hoc eſt:

*HISTORIA REIPUBLICÆ VENETÆ AUTORE*
MICHAELE FOSCARINO *Senatore.*

Venetiis, apud Combium & La Nou, 1696. in 4. Alph. 2. pl. 19.

EOrum quidem bellorum, quæ cum Chriſtiani nominis hoſtibus Turcis Europæi Principes per duo, & quod excurrit, ſecula gesſerunt, Sereniſſima Venetorum Reſpublica pars non exigua fuit; poſtquam nimirum iſti longe lateque arma ſua circumferre, & Archipelagum Græciamque ſubjugare, ac ulterioribus deinde regionibus ingruentes ipſius finibus appropinquare cœperunt. Neque eſt tamen ullum ex illis, in quo fortuna magis ſecunda eadem uſa ſit, quam quod hodienum geritur; quippe quo auſpiciis Franciſci Mauroceni fortiſſimi imperatoris univerſa Peloponneſus in ejus poteſtatem fuit redacta. Illud bellum quomodo cœperit A. 1683; quomodo, cum obſeſſa a Turcis Vienna, Morlachisque in eorum regiones prædatum excurrentibus, occaſio daretur barbaris graviſſima quæque Venetis minandi, iidem tutius rati prævenire ejus inſultus, fœdus fecerint cum Leopoldo Imperatore Auguſtiſſimo ac Rege Poloniæ; quæque deinceps glorioſe acta fuerint a Sociis, decenti ordine exponit in hoc libro *Michael Foſcarinus* illuſtre Veneti Senatus membrum: ita ut ſimul, quem finem habuerit geſtum per viginti & quatuor annos in Candia bellum, quæque poſt concluſam pacem ab A. 1669 porro obvenerint notatu digna, ſtrictim ac breviter tribus prioribus libris exponat. Subſtitit vero in anno labentis ſeculi nonageſimo, mortuus quippe biennio poſt, ac fato adeo prohibitus, quo minus pertexeret omnem præſentis belli hiſtoriam ac explicaret.

## HISTOIRE DE DOM ANTOINE ROY DE PORTUGAL &c.

Id eſt:

*HISTORIA ANTONII REGIS LUSITANIÆ.*

Amſtelodami, apud Lud. de Lorme & Steph. Roger, 1696. in 12. pl. 7½.

Quam non ſemper conſiliis reſpondeat eventus, cum quotidie novis edocemur exemplis, tum præcipue ſuperiori ævo illuſtris illa, ſed funeſta, Sebaſtiani Portugalliæ Regis in Africam ſuſcepta expeditio, luculentiſſime comprobavit. In qua poſtquam Rex ipſe cum exercitu florentiſſimo periiſſet, rerum ſummæ quidem admotus in Portugallia eſt Henricus Cardinalis, ejus patruus magnus, ſed qui prole deſtitutus, & ob decrepitam ætatem morti proximus, cæteris, qui regnum ſibi deberi contendebant, ſpem ſuccedendi adimere non poterat. Hos inter & Antonius erat Prior Cratenſis, Ludovici de Beja filius, Emanuelis Portugalliæ Regis nepos. Ex illegitimo thoro eum natum fuiſſe, plerique aſſerunt. Sed ſecus ſentit, quæ hanc hiſtoriam compoſuit, & inter fœminas ſcriptis claras hoc ipſo locum promeruit. Matrem Antonii Ludovico, clandeſtino quidem, vero tamen & legitimo matrimonio junctam fuiſſe contendit, & documentis variis etiam comprobat. Laudat inſuper præclaram Antonii indolem, & quanto iniquiorem fortunam expertus eſt, tanto eum digniorem, qui regnaret, fuiſſe affirmat. Ut enim (ita porro cenſet) cauſæ juſtitia Philippo multum fuit ſuperior, ita potentia viribusque inferior fuit, & prælio victus, regnoque excedere coactus, fruſtra, quamvis & Galliæ Regis & Eliſabethæ quoque Angliæ Reginæ auxiliis adjutus, illud recuperare anniſus eſt. Hæc omnia prolixius ediſſerit, & ſubinde epiſtolas, quæ in ejus inciderunt manus, ad rem omnem illuſtrandam & comprobandam inſpergit. Hinc quæ filiorum Antonii, Chriſtophori, & Emanuelis, ejusque ex Emanuele nepotis Ludovici, fata fuerint, indicat. Ut vero inter omnes, quos adverſæ fortunæ comites habuit Antonius, & fide & fortitudine maxime conſpicui fuerunt, Scipio Vaſconcellos de Figueredo, & Gomeſius Vaſconcellos de Figueredo, fratres, non minus generis nobilitate, quam factis præclaris virtutibusque clari: ita magnam quoque hiſtoriæ hujus partem vita horum & res fortiter geſtæ occupant. Et de Scipione quidem obſervat, eos magnopere falli, qui ex inſula Tercera, cui præerat, ideo ab Antonio eum evocatum putant, quod de ejus in ſe fide dubitaret; ſecus enim ſe rem habere, ipſius Antonii literis evincit. Tacemus alia ex libello ipſo ab harum rerum cupidis haurienda.

ANA-

## ANALYSE DES INFINIMENT PETITS, POUR l'intelligence des lignes courbes.

Hoc eſt:

## *ANALYSIS INFINITE PARVORUM, AD LINEARUM CURvarum naturam intelligendam inſerviens.*

Pariſiis, ex typographia Regia, 1696, in 4, plag. 25, Tab. æri inciſ. 11.

Quamvis præclare ſuam ponant operam, qui reconditos ſcientiæ mathematicæ theſauros in publicam proferunt lucem, omniumque exponunt uſui; longe tamen majori beneficio ſibi literariam devinciunt rempublicam, qui non ſolum aditum ad illas divitias intento quaſi digito monſtrant, ſed novas quoque inveſtigant vias ad penetralia matheſeos ſine circuitu ducentes, vel etiam easdem nobis muniunt. Id quod egregie jam præſtitit illuſtriſſimus Marchio *Hoſpitalius*, dum Analyſin infinitorum, a celeberrimo ejus inventore ſtrictius propoſitam in Actis Erudit. anni 1684, p. 467 ſq. & a pauciſſimis rite intellectam, doctiſſima commentatione illuſtravit; cum, quanta eſſet hujus præ *Carteſii*, *Barrovii* aliorumque in hoc genere inventis præſtantia, perſpexiſſet. Tam late enim patet ejus utilitas, ut cum ordinariis tum tranſcendentibus conveniat curvis, neque illam morentur ſigna radicalia, aut quantitatum indeterminatarum numerus, ſed ad infinitum ipſum ſe extendat, comparando differentias infinite parvas quantitatum finitarum, imo ultra infinitum, ſi ita loqui fas eſt, porrigatur, dum detegit rationes, quas habent differentiæ differentiarum infinite parvarum, ſeu differentiæ ſecundæ, & harum denuo differentiæ, tertiæ nimirum, & ſic porro. Expoſuit autem Vir genere pariter ac eruditione ſumma inſignis, primam hac vice tantum *Methodi Leibnitianæ* partem, ſeu calculum differentialem, docuitque, quomodo ab integris magnitudinibus deſcendendum ſit ad illarum differentias infinite parvas, cujuscunque ſint generis; alterius vero partis, ſeu calculi ſummatorii aut integralis, (ubi oſtenditur, quomodo ab infinite parvis ad magnitudines, ad quas pertinent, adſcendendum ſit) editionem ſuppreſſit, cum ex Dn. G. G. L. literis certior fuiſſet redditus, eum admoviſſe manum ad elaborandam *Scientiam*

*infiniti*;

*infiniti*: ne fortaſſis publicum opere defraudaret, quod comprehenſurum eſt problemata maxime ardua & curioſa circa methodum tangentium inverſam, curvarum rectificationes, quadraturas curvilineorum ſpatiorum, centrorum gravitatis inventionem, & id genus alia. Idem candide fatetur, plurimum ſe profeciſſe *inventis Leibnitianis ac Bernoullianis*, multumque ſe imprimis *Cl. Bernoullio juniori*, Profeſſori Mathematum Groningenſi, debere. Ipſum opus *decem* abſolvitur *ſectionibus*, in quarum *prima*, retento characteriſmo Leibnitiano, quia calculum expeditiorem reddit, regulæ calculi differentialis traduntur, præmiſſis duabus hypotheſibus: Quantitatum nimirum, quarum differentia infinite parva eſt, alteram pro altera aſſumi poſſe; & curvam lineam poſſe conſiderari tanquam compoſitam ex infinitis rectis iisque ſingulis infinite parvis, ſeu, ut peripheriam polygoni infinitorum & infinite parvorum laterum, quæ angulis, quos conſtituunt, curvaturam lineæ determinant. *Secunda* in ſectione uſus calculi differentialis oſtenditur, in tangentibus curvarum algebraicarum pariter ac tranſcendentium inveſtigandis, & ſpeciatim demonſtratur modus determinandi tangentes curvarum, quæ ex focis deſcribuntur, cujus ideam primum in Medicina mentis propoſuit illuſtris Dn. D. T, auxit ex conſideratione centri gravitatis Duillerius, perfecit nunc Autor illuſtriſſimus. Sectione *tertia* calculus differentialis adhibetur ad invenienda maxima & minima; *quarta* vero calculus differentio-differentialis explicatur, ejusque uſus oſtenditur in indagando puncto recurſus & flexus contrarii linearum curvarum. Sectione *quinta* calculus Leibnitianus applicatur ad curvarum evolutiones; *ſexta* & *ſeptima* ad inveniendas cauſticas, cum ex reflexione, tum ex refractione oriundas; *octava* ad recipienda puncta curvarum, quæ tangunt quotcunque poſitione datas rectas aut curvas lineas. Sectione *nona* ſolutio exhibetur problematum nonnullorum illuſtrium dependentium ex methodis præcedentibus; *decima* vero a priori oſtenditur *methodus Carteſiana & Huddeniana*, particularis illa tamen, nec cum ſupra explicata conferenda; cum ſpectet tantum ad curvas ordinarias, & incommenſurabilium ſublationem, quæ ſæpe numero tædioſiſſima eſt, requirat. Conſtituerat quoque eruditiſſimus Auctor unam adhuc addere ſectionem, expoſiturus in eadem admirandum hujus calculi uſum in Phyſicis, quantum ſcilicet ille conducat

ducat ad eam magis limandam, & quantum mechanice hinc poſſit utilitatis recipere: ſed morbo præpeditus deſtitit a propoſito, alio tempore cum fœnore illam publico impertiturus. Quod ut quamprimum faciat, neque diutius premat alteram hujus Analyſeos partem, Marchionem generoſiſſimum omnium illorum nomine rogamus, qui in ejus ſcriptis ſingularem cum mira perſpicuitate conjunctam doctrinam ſuſpiciunt; ſperantes non exiguum redundaturum in orbem literarium commodum, ſi plures eruditione excellentes Viri in eodem argumento illuſtrando verſentur; præſertim cum illuſtri noſtro Leibnitio, plurimis ſummorum Principum negotiis diſtricto, illa quæ affecta habet egregia quam plurima, tam cito, quam vellet ipſique optamus, abſolvere vix liceat.

*MARQUARDI GUDII ET DOCTORUM VIRORUM ALIORUM ad eum Epiſtolæ. Quibus accedunt ex bibliotheca Gudiana doctorum virorum quorundam, qui ſuperiore & noſtro ſeculo floruerunt, &* CLAUDII SARRAVII *Epiſtolæ ex eadem bibliotheca auctiores; curante* PETRO BURMANNO.

Ultrajecti, apud Fr. Halmam & Gul. vande Water, 1697. in 4. 3. alph. 21. plag.

MArquardus Gudius, Vir cum eruditionis fama, tum dignitate, dum viveret, illuſtris, quum Galliam Italiamque anno ſeculi hujus M DC LX & ſequentibus perluſtraret, nobili fortunatoque juveni Sciaſſio (a quo præclara in ipſum derivata hæreditas fortunas ejus nimium quantum auxit & amplificavit) rector comesque additus, eum ſibi præ cæteris fructum eruditæ peregrinationis propoſuit, ut quoscunque liceret, codices manuſcriptos, aliaque doctorum virorum monumenta inedita, e latebris ſuis erueret, & quocunque ſibi pretio vindicaret, nulli hac in re labori parcens nec ſumtui, & vel Crœſos animoſa emtione provocans; uti ipſe ſtudium hoc ſuum exaggerat Heinſio epiſtola, quæ eſt inter Gudianas ſeptima p. 9. Neque ſucceſſus deſtituit diligentiam ſagaciſſimi Viri, qui tot manuſcriptis cimeliisque literariis auctus, & tanquam ſpoliis opimis onuſtus, domum rediit; ut hac ex parte ipſius bibliotheca, alioquin omnis generis melioribus libris inſtructiſſima, privatarum ſortem longe ſupe-

raret, & regiarum prope fortunam adæquaret. In cætera vero eruditæ elegantiæ ſupellectile, ingentem copiam literarum, a viris doctis hujus & ſuperioris ſeculi ſcriptarum, congeſtam aſſervari, pridem monuerat Morhofius Polyhiſt. Lib. I. cap. 25. Quas quidem ipſe, qui collegit, in lucem publicam proferre decreverat; ſed civilibus negotiis diſtrictus, quibus inſtar Wowerii a Cimbrorum Duce & Daniæ Rege admotus fuit, & demum anno 1689 fato functus, non magis illas publico impertiri, quam reliquas lucubrationes ſuas inchoatas aut promiſſas perficere & abſolvere, potuit. Aſt bonum factum! Et epiſtolæ illæ ex Gudianis copiis, & quæ ad Phædrum recenſendum atque illuſtrandum Vir doctiſſimus in ſchedis notaverat, in celeberrimi Grævii manus inciderunt: cujus adeo beneficio & Phædrus ille Gudii tam diu expetitus propediem videbit lucem, & epiſtolas iſtas non minus deſideratas legere jam contigit; curam illis edendis adhibente doctisſimo Petro Burmanno, cui non inficiando diſciplinæ ſuæ alumno, felicisſimi ingenii & eloquentiæ excultæ, has vices delegaverat gravioribus in ſalutem & decus rei literariæ diſtentus occupationibus Grævius. Non disſimulat Editor, hanc epiſtolarum collectionem minime reſpondere expectationi, quam de illis commoverat Morhofius; ſed quum plures ad ſe perveniſſe aut in Grævii forulis latere neget, hoc contenti ſimus Catone, & gratiam iis habeamus, qui iſtas nobis non inviderunt, quarum lectione deſiderium reliquarum tantiſper ſolemur, dum & reliquæ in pluteis Gudianis deliteſcentes, a Morhofio viſæ, perruptis clathris publicam aſpiciant lucem.

Diſtributæ vero ſunt epiſtolæ, volumine hoc comprehenſæ, in tres veluti ordines. Primum occupant ipſius Gudii; alterum, quæ ad Gudium ſcriptæ; poſtremum variæ doctorum virorum e bibliotheca Gudiana depromtæ. Succedit appendix epiſtolarum, quas partim in Scipionis Gentilis literaria ſupellectile repertas, partim aliunde petitas, cum Burmanno amici communicarunt. Denique nova hic ſpectatur epiſtolarum Claudii Sarravii editio, eaque expletis e Gudiano codice lacunis, quas editor filius Iſaacus Sarravius anno 1654, ne quem offenderet, de induſtria reliquerat, auctior & integrior. Ex ſingulis, quæ quidem primum nunc evulgantur, (nam Sarravianæ, doctorum manibus pridem tritæ, noſtrum non requirunt recenſum) ſpeciminis loco, pro inſtituti ratione, pauca veluti in guſtum apponemus.

E Gu-

E Gudianis, quæ perpaucæ ſunt, diſcimus, Gudium, quum Amſtelodami ageret, a Conſulibus potentisſimæ illius urbis invitatum fuiſſe, ut Animadverſiones Blondellianas in Annales Baronii curaret: ſed quum in eo eſſet, ut laborem hunc aggrederetur, commendatione Gronovii admotum fuiſſe ſpei nobilis ac opulentisſimi juvenis Sam. Sciasſii, quem per Galliam, Italiam, aliasque Europæ regiones peregrinantem præfectus morum ſtudiorumque comitaretur. Quo in itinere Lutetiam Pariſiorum delatus, in gratiam Menagii, quem in edendo Diogene Laertio occupatum offenderat, loca quædam illius ſcriptoris emendavit vel illuſtravit epiſtolis, quæ quod ſerius a Menagii manuſcriptorum hærede Hervæo Petro Simone Valheberto transmiſſæ eſſent, in calce præfationis leguntur, & ab ipſo Menagio ſuis in Diogenem animadverſionibus maxima ex parte ſunt inſertæ. Ad eundem de ſcriptis Theophraſti, Platonis commentatoribus vetuſtis, Platoni ὁμωνύμοις quatuordecim, ejus ætate, fratribus tribus, peregrinatione in Ægyptum & ad Hebræos, in prima & tribus ei præmisſis, Præfationi ſubjectis, epiſtolis diſſerit. Nicolao Heinſio in ſeptima eaque prolixa & bonæ frugis plenisſima epiſtola, inter alia exponit, in quæ inciderit vetera monumenta, quantaque cura & quanto ſumtu veteres bonæ fidei codices conquirat, inprimis quanto ducatur ſtudio inſcriptionum veterum, perſuaſus ex omni antiquariorum ſupellectile has plurimum lucis Romanis ſcriptoribus inferre; quarum adeo ineditarum aliquot millia ſe collegiſſe memorat, e quibus Gruteri volumen infinitis locis emendarit. De Tanaquillo Fabro, ejusque editione Phædri, minus præclare ſentit: de ſuo autem in Phædri fabulas ſtudio multa pollicetur; Livio etiam Gronoviano ſubſidia haud contemnenda promittit. Amicos non ambitioſe colendos, aut moroſe exigenda præſtandave iis officia, eleganter docet. Ex itinere in Belgium reduci Daventrienſes munus Profeſſorium in ſchola ſua obtuliſſe narrat, quod gratiis actis modeſte ſibi recuſandum ſtatuit. Jo. Jonſii, eruditiſſimi viri & edito de Scriptoribus hiſtoriæ philoſophicæ libro celeberrimi, mortem acerbe deflet. Ad Ferdinandum Epiſcopum Paderbornenſem & Monaſterienſem, doctrinæ fama & elegantioris literaturæ cultu longe illuſtriſſimum, eleganti epiſtola laudes ejus exequitur, carminum dulcedinem ipſi nativam celebrat, & Hippolyti martyris de Anti-Chriſto editum a ſe Pariſiis libel-

Ep. XXI. p. 24. — p. 8. 9. p. 10. — p. 7. 8. p. 8. — p. 9. — Ep. 10. — Ep. 12. 17. 18. — Ep. 13. — Ep. 14.

Ep. 15. libellum mittit. Cui epiſtolæ reſponſoria Ferdinandi ſubjicitur. Cim-
briæ ſuæ infelicem ſtatum, & res ſuas inde afflictas, queritur; potio-
Ep. 19. rem tamen literarum quam aulæ curam gerere ſe velle pronunciat,
iſtarumque tantum ſibi amorem eſſe profitetur, ut niſi cum ipſa vi-
Ep. 22. ta eum ſit depoſiturus, &, ſi vacare iis liceat, Craſſum ſe divitiis ſupe-
rare exiſtimet, atque aliis omnia libenter relinquere velit. Interiorum
Ep. 27. harum literarum amorem communem arctiſſima etiam ſummæ
conjunctionis inter ſe & Grævium vincula conſtrinxiſſe affirmat.

In iis, quæ ad Gudium ſcriptæ ſunt, quæ numerum Gudiana-
Ep. 2. rum non multum excedunt, ſed raro iis reſpondent, Reineſius Gu-
dio adhuc Jenæ literis operanti indicat Scriptores, qui de cultu reli-
Ep. 5. quiarum Sanctorum ſint commentati. Boſius vero Gudium Amſte-
lodami agentem admonet, ut de Clinicis veteris Eccleſiæ diſſertatio-
nem perficiat, cujus prior pars, præſide ipſo, Jenæ anno 1657 publicæ
diſquiſitioni expoſita fuerat. Idem Boſius Iſ. Voſſii diatriben de æta-
te mundi ſibi non probari ſignificat; cujus quidem iſtud ingenium
eamque eruditionem agnoſcit, ut, ſi voluiſſet, non patre modo Jo-
anne Gerardo, ſed & Salmaſio, major eſſe potuiſſet, verum ſubau-
daculum eum & confidentiorem eſſe ait, quam par ſit, in aſſerendis de
Ep. 14. quibus cordatiores dubitant. Grævius multa nova literaria Gudio
indicat, & inter alia Thuaneam bibliothecam (cujus indices a Bullial-
do contexti extant) viliori pretio venditam eſſe nunciat, quam vo-
luminum involucra Thuano conſtiterint. Communicat eidem qua-
tuor inſcriptiones, quarum tamen primam in Luſciniam pro genui-
Ep. 26. na non agnoſcit, & concinniorem eſſe quam pro veterum gravita-
p. 32. te, adeoque a recentiore manu confictam, cenſet Gudius. Marcus
Ep. 19. Meibomius indicat, ſe, ex quo veterum Muſicorum gemina publica-
verit volumina, Ptolemæum, cum abſtruſiore Muſicæ ſcientia, tum
ſtyli obſcuritate difficillimum ſcriptorem, utpote Ægyptium, expli-
catum difficilibus locis, & ſexcentis reſtitutum, aſſervare. Horbius
Ep. 20. a Juſtello ſe ait deterritum, quo minus Hæreſeon hiſtoriam conte-
xat, quæ e paucis ac erroneis Patrum ſcriptis nulla ἀγχινοίᾳ erui
poſſit: ſe tamen verſari in Neſtorianis, & Lutheri de Conciliis librum,
in quo Cyrillum damnarit, Neſtorium probarit, tueri. De formula
Ep. 21. *dimidio plus minusve*, quem ſenſum habeat, Jac. Holſtius diſquirit.
Ep. 29. Magliabechius inter alia ſignificat, Elzevirio conſtitutum eſſe, Dictio-
narium

narium Italicum della Cruſca, ſeu Furfuratorum, recudere quam nitidisſime; quod tamen morte forſan ipſius interceptum non contigit. Schefferus ad Rachelium (hæc enim epiſtola in hanc claſſem eſt relata, qua ſibi Gudium conciliari petit) poſtquam quales ſint ipſius in Ciceronis Officia annotationes perſcripſerat, Wolfium notat, qui Ciceroni ſæpe affinxerit, de quibus ne per ſomnium quidem cogitarit. Ep. 22.
Bigotius Tanaquilum Fabrum, bibliotheca ſua vendita, ad otium & tranquillitatem muneris ſui profeſſorii ſe contuliſſe: Homilias Chryſoſtomi in Johannem, a Burgundione cive Piſano in Latinam linguam translatas, ut eo labore redimeret animam filii Hugolini, mortui in itinere Conſtantinopolitano anno 1178, manuſcriptas extare in bibliotheca Ultrajectina: in omnibus Plutarchi editionibus ſe multum deſiderare: Combefiſium majori volumini Hippolyti martyris de Antichriſto librum a Gudio anno 1661 editum inſeruiſſe, narrat. Oldenburgius notas Gudii in Scriptores Geoponicos, & Etymologicon Photii ejus cura recenſitum, (cujus etiam Goeſius mentionem fecerat ep. 24. p. 62.) memorat. Ep. 35. Ep. 39.

Succedunt epiſtolæ a Gudio collectæ, & ex ejus bibliotheca depromtæ, quinque & ſexaginta ſupra ducentas; in quibus multæ a doctis in Italia viris ſuperiori ævo exaratæ: quorum magna quidem in literas extitere merita, ſed nonnullorum memoria ſic exolevit, ut notorem hodie deſiderent. Cujus vicem doctiſſimus Editor præfando ſubivit, & quicquid illis agnoſcendis faciebat, diligenter indagatum protulit. Agmen earum ducunt Alciati doctiſſimi Juriſconſulti epiſtolæ XXVI, ad Franciſcum Calvum typographum Romanum; quo ita familiariter uſum eſſe apparet Alciatum, ut nec intima animi ſenſa illi credere dubitarit, fratris eum loco ſe habere profeſſus p. 76. Hinc non prohibet ab eo diſſeminari, de ſe Patavium aut Bononiam avocando agi, ut Avenionenſes augeant ſtipendium. Docebat enim, quum hæc ſcriberet, Avenione ſtipendio ſexcentorum aureorum, ſæpe octingentis & amplius auditoribus ſtipatus. Poſtea ad Bituriges eundem vocatum ſtipendio millium ſolarium diſcimus, quum trigeſimum ſeptimum ætatis annum ageret. Incitatus a Calvo ut adverſus Lutherum ſcribat, oneri ſe imparem eſſe fatetur; alibi fortaſſe publice intereſſe cenſet, eſſe aliquem qui tantam licentiam coerceat, & qui etiam injuſta defendat, ut ſaltem juſta obtineantur. Orationem Ep. 3. & 16. Ep. 23. Ep. 8. Ep. 9.

vero Alciati illam, quam Calvo creditam, & ab eo cum Germanis,
Ep.3.5. & 6. Amorbachio, Frobenio & Eraſmo, communicatam vehementer indignatur, veritus ne typorum beneficio in publicam lucem exponeretur, non aliam eſſe, quam eam Epiſtolam (quo nomine etiam p.82. eam appellat) ad Matthiam Minoritam de vita monaſtica fugienda ſcriptam, quam ſuperiore anno clar. Antonius Matthæus evulgavit, (recenſitam a nobis menſe Junio præteriti 1696 anni p.290) jam vidit monuitque Editor: eandemque a Beato Rhenano innui exiſtima-
Ep. 62. mus, quum ad eundem Calvum ſcribit: *Mitte Cucullomaſtiga, noſti*
Ep. 47. *cujus*. Poſt Alciati epiſtolas Marii Nizolii ad Majoragium datæ leguntur literæ, a Morhofio quoque in Polyhiſtore memoratæ, quibus ob
Ep. 41. Antiparadoxa edita reprehenſus Majoragius ita fuit commotus, ut Reprehenſionum libros in Nizolium ſcriberet. Quas doctorum ho-
Ep.34.35. minum lites componere allaboravit Seb. Corradus, duabus in hanc
Ep. 33. rem epiſtolis Italice ſcriptis. Hieron. Cardanus de afflicta re ſua fa-
Ep. 52. miliari queritur, literis erudiendi filii ſollicitus. Jovium graviter monet Ben. Theocrenus, ut, quicquid ſcripturus ſit poſteris, cum ipſa veritate, cujus perſonam rerum ſcriptor induit, prorſus conſentiat, ne quid amori neve odio quid datum deprehendatur. Feſti-
Ep. 60. vum vero eſt, quod Eraſmus mitigando Petro Curtio, rhetori Romano, ſcribit, (quæ epiſtola etiam in Londinenſi Eraſmicarum Epiſtolarum volumine Lib.30. ep.68. p. 1954. legitur) qui *Italum* in Chiliad. II. cent. I. proverbio 7. imbellem dictum indignabatur, quod id typographi ſit peccatum, qui ex *Attalo*, quem Eraſmus ſcripſerat, fecerit *Italum*. Qua occaſione graviorem & longe turpiorem errorem in libris ſuis dolo malo typographi admiſſum commemorat. Nam quum is xenia non recte ſibi ab Eraſmo ſoluta doleret, in libro quem *Vidua* inſcripſerat, Reginæ Hungariæ dicato, ubi Eraſmus ſcripſiſſet *mente illa uſam eam* (Reginam) *ſemper fuiſſe, qua talem fœminam deceret*; ipſum loco *mente illa* repoſuiſſe *mentula*, ſenſu obſcœniſſimo, quem trecentorum aureorum jactura redimere & de-
Ep. 53. lere maluerit Eraſmus. Laocoontis cum liberis draconibusque mirabili nexu implicitis ſtatuam, Plinio memoratam, ſtupendi artificii opus, in ruinis ædium Titi Imp. repertam fuiſſe Triultius Pomponio fratri narrat: neque tamen ex uno lapide confectam, quod Plinius cenſuit, ſed plus minus quatuor compaginibus occulte ferrumina-

tam

tam circumlitamque eſſe, monet. Plures etiam extant Jo. Oporini, clari doctique Baſileenſium typographi, ad Franc. Cicerinum perſcriptæ epiſtolæ, e quibus multa ad typographiæ reique adeo librariæ rationem attinentia diſci poſſunt, ejusque eruditi librarii erga Majoragii ſcripta impenſum cognoſci ſtudium. Ep. 77. ſeqq. Julius Pflugius (quem Alciatus p. 82. 92. *Aratum* dixerat) in epiſtola gratulatoria ad Cardinalem quendam (quem Nicolaum Schonbergium e Nobilitate Miſnica fuiſſe conjicimus) accurate ſcripta, Cardinali conſentit, in Synodis nullam eſſe ſpem ſanciendæ concordiæ eccleſiaſticæ, tollendique ſchiſmatis; agnoſcitque operam potius dandam, ut vitia tollantur ex eccleſiis, revocataque diſciplina veteri Deus a nobis vere ac pie colatur. Ep. 107. Sed miſſis veteribus præteriti ſeculi epiſtolis, progrediamur ad propiores ætati noſtræ & recentiores hujus ſeculi eruditorum literas e penu Gudiana depromtas. In quibus Dominicus Molinus epiſtola Italica ad Meurſium data conqueritur, bibliothecam Venetam a Legato Hiſpanico Hurtado Mendoza eſſe compilatam, & optima Græca manuſcripta a Cardinale Benevone (forte *Beſſarione*) huic relicta, in Hiſpaniam avecta, ibi in regia bibliotheca Scorialenſi conſpici. Ep. 46. Gravis eſt querela, quam pium Theod. Canteri pectus in ſinum Meurſii de collapſa Chriſtianorum pietate ac probitate, quæ major apud Gentiles & potiſſimum Romanos veteres fuerit, effundit. Ep. 99. Lipſium Lev. Torrentius graviſſima elegantiſſimaque epiſtola (quæ etiam in XIIX Decadibus epiſtolarum Lipſii in Centuriis omiſſarum, a Jo. Iſacio Pontano Hardervici 1621 editis, p. 129. ſeqq. legitur) hortatur, ut ex ſacrarum literarum potius diſciplina, quam gentilium Stoicorum placitis morum doctrinam efformet. Ep. 115. Kirchmanno Gruterus multa ſuggerit libro de Funeribus Rom. inſervientia; Ep. 116. ſeqq. Caſelii ſcripta a Tengnagelio collecta ſtudioſe, ut Kirchmannus edat, eum hortatur; Ep. 121. eam tamen provinciam Conr. Horneio jam demandatam ab Auguſto Duce Brunſuicenſi monet; Ep. 125. Diſcurſus ſuos in Tacitum Baudio diſplicere nil curat; Ep. 123. Plautum ſub Taubmanni nomine a ſe edi narrat. Ep. 124. Goldaſtus in Epiſtola ad Goth. Jungermannum Etymologici, quod Magnum vulgo dicitur, auctorem eſſe quendam Megalum, inque MSS. conſtanter reperiri ſcriptum, Ἐτυμολογικὸν τοῦ Μεγάλου γραμματικοῦ. Ep. 153. Daniel Heinſius, ſe extitiſſe affinis ſui Rutgerſii in Suecia defuncti hæredem, ipſe profitetur. Ep. 150. Piccartus queritur, præſtanti ingenio ju- Ep. 183.

venes,

venes, in quibus Mart. Ruarus, ab Ern. Sonero fuiſſe corruptos, & Socini erroribus, quos ab Arminio is hauſerit, infectos; quorum quidam a Senatu Norimbergenſi carcere mulctati fuerint, alii Wittebergam, Jenam & Helmſtadium ſe contulerint, ut plures in partes trahetent; Ruarum cœtui eorum muſeum commodaſſe, in quo ſacramento ſe invicem obſtrinxerint; libros autem eorum publice eſſe concrematos, interveniente voce præconis, quæ impietatem illam dejerarit, & omnes ejus impietatis fautores complicesque ditione Norica brevi excedere juſſerit. Idem Piccartus, poſt abſolutos Obſervationum hiſtorico-politicarum libros, Lexicon criticum ſe moliri profitetur. Joſephus Scaliger Giſanium accuſat plagii, qui literas amicorum, ex quibus aliquid didicerit, ſe accepiſſe negare conſueverit, ut ea ſibi poſſet arrogare. Fuiſſe addit hominem doctiorem quam probiorem, cujus doctrinam probet, mores exſecretur. Plura ex reliquorum doctorum virorum, Georgii Remi, Jani Rutgerſii, Gothofredi Jungermanni, Conr. Rittershuſii, Chr. Coleri, Jo. Caſelii, Jo. Wowerii, Jo. Meurſii, Fr. Lindenbrogii, Jani Gebhardi, Th. Reineſii, Jo. Fr. Gronovii, Iſ. Voſſii, Marqu. Freheri, & aliorum epiſtolis delibare anguſtia propoſiti noſtri vetat; nec diutius Lectorem moramur, qui multa ſcitu non indigna ex ipſis eo jucundius diſcet, quod præter Latinitatis, in diverſa quamvis orationis forma, nativam puramque indolem, τὸ ἦθος ſcribentium, quod maxime delectat, in iis perſpiciet. Nec de *Sarravianis* ut quicquam commemoremus, opus fuerit, quum in iis, jam quadraginta & plures ante annos editis, nunc e Gudiana bibliotheca lacunas modo, ab editore filio Iſaaco, ut viventium parceret nominibus, relictas, expletas intelligamus; quas in ſuo exemplari Gudius, qui autographas Lutetiæ Pariſiorum inſpexerat, adjectis quæ in his deprehenderat verbis, reſtituit. Expectamus jam avide, quæ has proxime excipient, *Salmaſianas*, quas e literaria penu Guil. Anslarii acceptas Schalbruggium prælo paratas habere, editor harum doctiſſimus Burmannus confirmat.

Ep. 184.

Ep. 187.

Ep. 25. in Append.

## ERRATA.

In Actis anni ſuperioris pag. 149. lin. 10. 11. pro *propriis* lege *rarioribus*. lin. 13. pro *a ſe* lege *a quibusdam*. In Actis anni menſisque præſentis pag. 104. lin. 4. pro *Rex & Senatus*, lege *Adminiſtrator & Senatus*.

* * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Aprilis, Anno M DCXCVII.*


---

*JOANNIS SCHILTERI CODEX JURIS ALEMANNICI FEUdalis, cum Commentario ad ſingula capitula, ac Diſſertationibus nonnullis huc pertinentibus. Accedunt* ANTONII MINCUCCII *de Prato Veteri libri ſex de Feudis, e bibliotheca Pariſienſi primum editi: item* BARTHOL. BARATERII *libellus feudorum reformatus, &* ANTONII DADINI ALTESERRÆ *de origine & ſtatu feudorum pro moribus Galliæ liber ſingularis.*

Argentorati, apud Fridericum Spoor, 1696. in 4. Alph. 10. pl. 7.

Magna ſunt hujus Viri merita erga utramque & publicam & rem literariam, quæ nos prædicamus in vivo, quæque poſt fata non reticebunt poſteri. Si ad ſtudia prudentiæ civilis maxime attendimus, nulla prope in his pars eſt, quam non dederit explicatiorem, per juſta ſyſtemata, & commentarios. In ſingulis ad uſum ſpectat hodiernum, ita tamen ut ſatisfaciat lectori ſuo propter varias quoque obſervationes, ac digreſſiones eruditas, ad rem præſentem facientes. Obtinet inter tam præclara ingenii monumenta locum non poſtremum codex ejus juris feudalis Alemannici, cum commentario: quem cum aliis ejuſdem argumenti operibus, ibidem conjunctis, paulo uberius quam ſoliti alias ſumus, nunc enarrabimus.

Præmittit ad notitiam pleniorem hujus juris præfationem, in qua de antiquitate illius, de utilitate & auctoritate in cauſis feudalibus dijudicandis ac decidendis agit. Quoniam vero per conſuetudines, inter diverſos populos, jus feudale invaluit præcipue, fontes aperit §. 3, unde vel indagari rectius idipſum, vel reduci atque corrivari majore cum fide & integritate poſſit. Ne tamen in limine ſtatim,

tim, de nomine ac gente Alemannorum incerti eſſemus, eos deſcribit in patria ac ſolo natali; item quo jure in feudalibus uſi ſint ab initio, proprio nimirum, non aliunde ſumto & accepto; item quod ſucceſſu temporis in ſcripturam ſit redactum. Probat hoc ex poteſtate conſtituentium, ac poſtquam ſemel ita conſtitutum fuerat, ex libris judicialibus feudorum, poſitis in curiis dominorum, patria lingua ſcriptis, & ad uſum perpetuum diligentiſſime adſervatis. Sic vero per occaſionem, ac velut in tranſitu, de lingua vernacula noſtra, de forma litterarum ac ſcriptura majorum diſſerit: quæ ſingula, uberius diducta, in gloſſario Germanico, cujus fecit ſpem nobis, cœleſti adſpirante gratia dabit. Qui ſucceſſerunt in Imperio Carolingis, eos non pauca addidiſſe §. 15 oſtendit, in comitiis præſertim Noribergenſibus, quorum in codicis rubrica mentio facta eſt. Hinc vero docet, auctoritatem juris hujus renovati, ac per res judicatas, tanquam per ſupplementa aucti, non ex ſola conſtituentium poteſtate, ſed ex modo pariter conſtituendi, & more antiquo in comitiis recepto; æſtimandam eſſe. Tempus comitiorum iſtorum ſtatuit in titulo operis annum, poſt Chriſtum natum, CIↃ CC IV; in præfatione autem §. *cit. 15 & 17.* annum demonſtrat CIↃ CCVIII, ac per teſtimonia hiſtoricorum confirmat: quia tunc poſt necem Philippi, Otto in comitiis procerum animos conciliare ſibi facilius poterat, legibus priſcis in patria ſtabilitis, & additis neceſſariis aliis. Hisce ſatis diſcuſſis, progreditur ad jus feudale Saxonicum, & id Alemannico recentius tradit per indubitatas rationes. Pergit mox ad jus feudorum commune Longobardicum, quod Alemannico vel ideo præferri non poſſe ait, quia tantum in ſubſidium hujus receptum eſt. Sub finem præfationis oſtendit, quinam ſint meliores juris feudalis Alemannici codices, tam manu exarati, quam typis exſcripti, qualis orthographia ſit in illis, ac translatio in ſermonem Latinum? Singulis iſtis probe expenſis, contextum undique emendatum ſubjungit, additis in margine variis lectionibus & concordantiis, quas ita vocant, juris feudalis Saxonici veteris ac Longobardici, ex quibus judicandum rectiſſime, de convenientia ac differentia conſuetudinum feudalium. Prius vero quam hinc tranſimus, ad capitula ſingula in commentario, propter auctoritatem juris hujus, adprime confirmatam, notamus adhuc, male & inique cenſuiſſe auctorem des kurtzen Gegen-Bedenckens

von

von der Chur-Pfältziſchen Vicariats-Gerechtigkeit / anno 1614, quaſi jus hoc feudale Alemannicum non ſit tam antiquum aut ſincerum, inque comitiis publicis receptum, ſed opicum, ſordidum, nuper excogitatum, ſuperſtitioſum & incertum. Scilicet inſervit cauſæ ſuæ, quisquis ille ſit, ac turpiter conculcat, quæ ſibi obeſſe intelligit. Veriora longe ſunt, quæ Schardius *cap. XI. de origine Electorum*, ac Meichſnerus *in præfatione*, a noſtro adducta, pronunciarunt.

In commentario ipſo quædam ſunt prænotanda: quod nimirum ſine exemplo noſter concinnum in jure feudali Alemannico demonſtret ordinem ac nexum, eumque nec violentum aut longius petitum, nec a juris contextu alienum: deinde quod per ſingula capita, genuina juris feudalis principia eruat, & cum aliis in patria noſtra juribus receptis conferat, inprimis feudali Saxonico, & communi Longobardorum, addita ſubinde ad majorem in ſenſu lucem paraphraſi, & emendatione: denique quod præter caſus feudales, quos ita vocant, res judicatas in curiis feudalibus, & inedita plurima documenta proferat, junctis paſſim monitis practicis, ex uſu hodierno; ne jam diſſertationes, conſilia ac reſponſa feudalia, per occaſionem inſerta commemoremus. Ad *rubricam* diverſum feudi ſignificatum, ejusque differentiam ab allodio explicat, item quodnam ſit vaſalli, quodnam jus domini: ubi propter cognationem argumenti, bona emphyteutica, fiſcalia, Salica, cenſualia breviter declarantur, infra autem plenius, de curiis dominicalibus & bonis laudemialibus. In vocem feudi mox inquirit, ejusque ætatem: inque tranſitu velut mentionem facit conſtitutionis perquam celebratæ, de expeditione Romana, quam vulgo adſcribunt Carolo Craſſo; noſter autem Conrado Salico vindicat illam, *cap. VIII §. 10 & ſeqq.* Verum neque ſatis erat, vocis incunabula detexiſſe, ipſius pariter juris feudalis originem, & quidem Germanicam, poſtea corrivat ab inſtitutis noſtræ gentis, allatis exemplis, itemque legibus Caroli Magni, ac Lotharii Saxonis. Progreditur hinc ad varias diviſiones feudi, ut conſiderationem hujus doctrinæ univerſalem rite abſolvat: in quibus egregia habetur obſervatio de *homine ligio*, quem Cujacius cum *colono homologo* Codicis Theodoſiani, non recte comparat: item de *Quiritibus* Germanorum ac Francorum, qui vulgo dicuntur *equites*, viri ac milites generoſi. In *capite primo* explicat, quomodo moribus

Germanorum nobilitas præcipue ſit orta ex dignitate militari: qua occaſione interpretatur gradus clypei militaris, in Feudiſta Alemanno, & quomodo clypeus hic pervenerit ad eccleſiaſticas perſonas eminentiores, ſive wie ein Krumb-Stab gewachſen ſeye zu einem langen Speer. Notabilis in hanc rem eſt ipſius ſententia § *11.* de clypeo militari eccleſiaſtico. Ex principiis iſtis mox tranſit ad alias perſonas, feudi capaces, & inter ultimos clypei gradus deſcribit breviter die Freyen / Mittelfreyen / Schöppenbahre und Semperfreye / item die Ritter / Knecht und Dienſt-Manne. *Altero capite* pergit in eadem feudi capacitate, ac differentiam inter nobilem vaſallum ac plebejum explicat, tam in ſervitiis militaribus, quam judicialibus, ac ſub finem jus feudale Saxonicum & Longobardicum confert cum Alemannico, in eodem diſcrimine clypei militaris. Sic & *cap. 3.* agit idem, ac de clerico, deque muliere quærit, an ſint capaces clypei, des Heer-Schildes? & reſpondet ex moribus Francorum & Alemannorum, qui epiſcopatibus olim & abbatiis præfecerunt homines nobiles, patricios, & alios inſigni doctrina juxta & pietate claros: immo poſt ſacras functiones admiſerunt eosdem ad inveſtituram ſimultaneam, quam Alemanni die Lehens-Hand/Saxones vero die geſamte Hand adpellant. Hinc varia clericorum jura feudalia adducit, ac potiora ad fœminas theſi finali adplicat. Poſtquam ita præmiſit, quænam perſonæ ſint capaces feudi, *cap.4.* adquiſitionem feudi originariam ac derivativam proponit. Ad illam refert feudum novum, ubi tres actus declarat, *promiſſionem*, quæ fit per expectativam in caſum aperturæ: *conſtitutionem feudi*, quæ fit per contractum feudalem, ſive inveſtituram: ac *traditionem*, quæ fit per immiſſionem. Ad hanc refert ſucceſſionem in feudo, & alienationem quamcunque habilem, ad fundum transferendum. Quoniam vero in utroque adquiſitionis modo prævalet inveſtitura, eam heic potiſſimum cum Alemanno contemplatur, in vocis ortu, ſymbolo vario, ritu, ac juris effectu: ubi per ceſſionem in curia feudali ſolennem, & receptam, in vaſallum inveſtitum tranſire ſtatim ait dominium ac poſſeſſionem, ex 1. F. 25 & 2 F. 32: unde etiam competat eidem utilis rei vindicatio, contra quam ſentit vulgus Feudiſtarum, quaſi per ſymbolicam ejusmodi traditionem nulla inveſtito competat poſſeſſio, nullum prorſus dominium. Addit, ex quorum fecibus ita turbata ſit jurisprudentia feudalis Germanorum liquida & illimis pla-

ne:

ne: ac ſententiam ſuam ex rationibus & auctoritate meliorum probat. Quæ de fidelitate vaſallitica ſequuntur, probe excogitata ſunt: inprimis quæ monentur de obedientia promiſſa in jurejurando principum ac ſtatuum Imperii. Ex inveſtitura, ſive traditione feudi ſolenni, coram paribus, porro dijudicatur obligatio inter dominum & vaſallum: quæ tamen ita ſe non habet, ſicut mutua de jure civili, a qua neuter invito altero poteſt recedere: quia tacitum pactum ineſt regulariter contractui feudali, quamdiu vaſallus non reſignat bona fide in manus domini feudum, aut refutat illud. Pergit adeo *cap. 5.* ad refutationem feudi, quam definit, in partes ſuas diſtribuit, exceptiones ac limitationes addit, Saxonicumque feudale jus cum Longobardico conjungit, ut eo magis illuſtretur mos Alemannorum, von Ufgeben / Uffagen: quorum formulam in refutando feudo receptam declarat, ac ſimul oſtendit, quomodo ex adverſo non competat domino refutatio homagii, aut fidelitatis præſtitæ: der Herr mag dem Mann das nicht gethun. Sicut autem vaſallus *refutare*, ita dominus *homagium guerpire*, ſive *werpire* dicitur, ex juſta cauſa feloniæ. Poſt fidelitatem igitur præſtitam, refutatione non facta a vaſallo, nec juſta dimiſſione ex parte domini, uterque certo jure gaudet: ille quidem pro pari curiæ habetur, hic vero ſi fidelitas nondum jurata, ante inveſtituram urgere poteſt eandem, ut ſic paratum habeat vaſallum, ad obſequia & ſervitia promiſſa. Tradit hæc generatim *ſexto capite*, niſi quod ſub finem pauca de *officio ſtrepæ*, quod Papæ Cæſar debet, annotet: *ſequenti* autem deſcribit ſervitia militaria, inprimis *herobannum*, quorſum edicto ſive banno vocantur omnes, immediati & mediati, ſive vaſallorum vaſalli, qui tenere dicuntur des Reichs-Afterlehen / *cap. VIII. §. 7. & ſeqq.* Inter exempla laudantur Rutheni comites, qui feuda ſua Imperialia recognoſcant a rege Bohemiæ: ubi de terra Advocatorum ſingularia. Quia vero in modo menſurave conſiſtunt hæc obſequia, inde de tempore ſervitiorum, quantum illud ſit, deque ſumtibus ad præſtanda ſervitia requiſitis, diſſerit erudite. *Octavo capite* in ſpecie demonſtrat expeditionis Romanæ originem, ad quam obligabantur ſummi præſertim Imperii officiales, qui præſentes eſſe debebant, ad ſplendorem ejus augendum: qua occaſione numerum init electorum, ſive ex publica adminiſtratione docet apertius, quinam inter principes Germaniæ jus

electionis peregerint. Hæc eadem cauſa eſt, cur in duplicem de expeditione Romana conſtitutionem inquirat, & alteram pſeudo-Carolinam adſcribat Conrado Salico, alteram Friderico Barbaroſſæ, quæ tamen non ſit correctoria prioris. Jungit heic explicationem *hoſtenditiarum*, ſive adærationis, quam Neapolitani ac Siculi vocant *adoham*, noſtri den Geld-Anſchlag oder Ritter-Pferde/ itemque praxin hodiernam, circa obligatos ex matricula, cum annotatione temporis, quando ſit indicta expeditio, & quando finem habuerit. Poſt explicata militaria, progreditur *capite nono* ad ſervitia judicialia. Ad facta quidem præclara nati ſunt vaſalli, ſive ad originem clypei ſpectemus, ſive ad virtutis impetum; neque tamen a judiciis & curiis feudalibus abeſſe poſſunt, in quibus pares audiunt, propter cauſſæ ac generis dignitatem præcipue. Quoties igitur vocantur a domino, in curia debent comparere, non ad cognoſcendam duntaxat cauſam, ad ſuffragandum ac decernendum, ſed ad probandum pariter, ſi forte producantur teſtes, & poſtulandum, ſi lis aut mota fuerit, aut movenda. Ubi non comparent juſto tempore, id eſt antemeridiano, fiunt culpabiles, wethafft / ſecus ac de jure civili, quo dies integer currit, uſque ad finem: niſi excuſent illos feriæ, aut dominus ipſe ſit in culpa, propter juſtitiam aut reſtitutionem denegatam rei debitæ. *Decimo capite* pergit ad quæſtionem: an, ſi dominus per annum & diem vaſallo juſtitiam deneget, ipſi pereat actio? ad quam decidendam oſtendit forum competens ac praxin, circa litem inter dominum ac vaſallum. Ab hac digreditur ad judicium ſuſceptum inter convaſallos, & quidem poſſeſſorium: in quo explicando notat, quod contra juris communis regulam, non actor, ſed poſſeſſor ac reus probare debeat. Hac in parte conſiderantur diverſæ ſpecies probationum, *per corpus*, ſive duellum, *per patriam*, ſive honeſtos & inculpatos teſtes e patria, per *jusjurandum*, &c. Ubi propter judicii feudalis poſſeſſorii competentiam, diſtinctio inter judicem ordinarium & feudalem expenditur. *Capite undecimo*, in eadem materia titulum poſſeſſionis, ſive inveſtituram controverſam explanat, quatenus contra dominum probatur illa manu jurantis vaſalli, aut ſi hic non ſit in poſſeſſione, per duos pares, aut literas quoque inveſtituræ. Atque hactenus allata, de inveſtitura pure facta, ſufficere poſſunt. Incipit deinceps *capite duodecimo* tractare inveſtituram ex die incerto, vel

ſub

ſub conditione latentem aperturæ: quæ vulgo dicitur *expectativa*, Geding / Lehens-expectantz / Anfall. Iſtam deſcribit, ac poſt multiplicem ejus naturam declaratam, commonſtrat ſtatim, quomodo differat ab inveſtitura ſimultanea, de qua infra *cap. 16;* item quod ejus communis effectus ſit, ſive cum inveſtitura detur, ſive ſine illa, ut careat poſſeſſione. In caſu, quo duobus vel pluribus expectativa conceſſa eſt, eaque vel ſine deſignatione, vel cum ea, quæ vim habet expectativæ ſpecialis, ac generali derogat, ſolidiora ingerit, & *incertum* cumprimis apud Saxones noſtros, das Irr-Lehen / ex errore natum eſſe tradit §. *6.* Hinc in eodem Saxonum jure feudali interpretatur expectativam tacite definitam, wenn das Lehen flüchtiglich / oder zur Fluchtfahl geliehen / mortis cauſa, ad lectum poſſeſſoris decumbentis. Tandem contextu 1. F. 27 diducto & illuſtrato notat, expectativam priſcis Germanis incognitam fuiſſe; neque huc pertinere ait dogma civile, de fundo demonſtrato, & non demonſtrato, ad eludendam promiſſionem honeſte factam. In *cap. 13.* hæc ſunt potiora: qui poſſidet, non poſſidenti præfertur: item quod conditione aperturæ exiſtente, immiſſionem expectativarius per nuncium a domino petere debeat: illo autem cunctante, ſi forte expectativam cum inveſtitura acceperit, quod ipſe poſſeſſionem adprehendere poſſit. Sequitur feudum annuæ præſtationis, das Pfund-Lehen: id quomodo huc pertineat, in connexione docet noſter *cap. 14.* ſi maxime ſit facta *inveſtitura nominata* præſtationis, vel quantitatis. Heic ſimul de valore antiqui feudi diſſerit, deque præſtationis annuæ differentia a feudo pecuniario, cameræ & cavenæ, per documenta prius inedita. Supereſt *cap. 15.* terminus, intra quem expectativarius feudum aperturæ generalis petere debet, annus nimirum ac dies, qui currit a momento ſcientiæ, ac probandus eſt ab actore. Quia vero dies non eodem ſpatio circumſcribitur ab omnibus, hunc quoque explicat. Simultanea inveſtitura, ſive communio feudalis, *cap. 16.* cum ſuis effectibus proponitur: quorum primus eſt, quod ſimultanee inveſtitus non poſſit eſſe teſtis, in cauſa feudi communis: deinde quod in alienatione ejusdem conſentire debeat, ob jus quæſitum: tandem quod in communione tali viventes nominare debeant provaſallum, einen Lehen-Träger / propter ſervitia domino præſtanda. Huc uſque de feudo nobili. Aliter ſe res habet circa ſervitia

vitia plebejorum, qui clypeo quidem ſunt præditi, ſed minus perfe-ctο. Sic in cauſſa feudali poſtulare poſſunt, exemplo parium, non autem niſi in curia domini ſui. Hinc quæſtio porro examinatur, an vaſallus ad poſtulandum cogi poſſit? & caput de gravamine in ſententia, ſive de adpellatione finitur. *Cap 18.* de numero parium, ſive adſeſſorum in curia feudali, generatim concipitur, qui regulariter eſt duodenarius. Quomodo autem provocatio fiat ſpeciatim, in feudo mediato, inque immediato, contra dominum, ex inſtituto majorum demonſtratur. Hinc vetera Germanorum judicia provincialia, die Käyſerliche Land-Gerichte/ cum praxi hodierna componuntur. *Cap. 19.* occurrit quæſtio de expectativa, ſine conſenſu poſſeſſoris vivi conceſſa. Affirmativa placet Saxoni & Longobardo, cujus verbis in *1. F. 27* lux affertur. Negativam probat Alemannus, utut permittat ſucceſſiones pactitias; ſine dubio ex conditione & qualitate prioris ævi, quo diffidationes, die Beſchädigungen / adhuc frequentabantur, per quas vivo poſſeſſori vel ignoranti, vel invito, multa poterant inferri pericula. Quæ ſententia nec hodie prorſus incognita eſt in aula Cæſarea, ſi præſertim ſuperſtes poſſeſſor immediati feudi contradicat. Ne tamen mitiores laudet Saxones noſter, addit rationem juris apud eosdem: quos & Alemanni ſucceſſu temporis ſecuti ſunt. De jure poſſeſſionis deinceps pariter tractat, inprimis *cap. 20.* in cujus principio docet, utile dominium ex inveſtitura ſimultanea competere, item poſſeſſionem abſque fructuum perceptione eſſe poſſe: quod jus vulgo adpellant den Inſatz. Facultatem modumque petendæ & adprehendendæ poſſeſſionis, jure inveſtituræ factæ, *cap. 13.* ex noſtro diſcere licet, cujus praxis heic oſtenditur. *Cap. 21.* de feudo promiſſo alteri, alteri autem vendito, deque jure evictionis feudalis agitur. *Cap. 22.* proponit caſum, quo dominus vaſallum ſpoliavit feudo promiſſo, & ordinem judicii format. De quaſi poſſeſſione quantitatis certæ ac reditus ex feudo pergit in *cap. 23*, & id obſervat ſpeciale, quod poſſeſſione hujus vel quaſi non conceſſa, nulla ſit ejus tranſmiſſio. Quando autem dominus ejusmodi feudum retinet injuſte, quid in foro tunc obtineat, breviter ſignificat. Feudum minoris præſtationis non gaudere jure poſtulandi, ſive paragii, ac teſtimonii dicendi, *cap. 24.* demonſtrat. Poſtquam igitur explicavit modos feudi adquirendi ac retinendi, jam progreditur ad modos feudi amit-

amittendi. Explicantur ex his *cap.* 25. duo, qui jus perſonæ tangunt, *excommunicatio* ſive excluſio a ſocietate eccleſiaſtica, atque *proſcriptio*, ſive excluſio a ſocietate civili; qui olim conjungebantur plerumque; das geiſtliche Gericht war dem weltlichen Schwerdt behülfflich. Veſtigia hujus rei ſuperſunt in ordinatione Cameræ Imperialis, ubi mentio fit *bullæ Raymundi*. Si tamen probare vaſallus poteſt, ſe non incidiſſe in bannum, tunc neque proſcriptio vires habet. *Cap.* 26. agitur de feudo amittendo per alienationem, inprimis per oppignorationem, ſub ſpecie ac pacto retrovenditionis: quo caſu domino revocatoria condictio ex lege competit. Heic ſubnectitur elegans obſervatio, reſpectu vaſallorum alienantium, ex diverſa illorum qualitate reſultans; per quam alii ſunt Lehen-Manne / ex feudo domini inveſtiti, alii eigen oder ledig Manne / homines ligii, ex allodio domini inveſtiti, alii denique ewigliche Manne / qui juri refutandi pro ſe & heredibus renunciarunt. Poſt regulam juris, de feudo per alienationem amittendo, quatuor ponit exceptiones, & §. 11. præcipue docet, quo jure utantur principes Germaniæ, in terris ſuis alienandis. Quoniam vero in judicio ad privandum ſolenniora debent eſſe omnia, ideo majorem definit numerum adſeſſorum ac teſtium *cap.* 27. De probatione minus ſolenni, reſpectu teſtium & adſeſſorum, agit *cap.* 28. Hinc tranſit a feudis nobilibus, ſive militaribus, ad cenſualia, & quid ſtatuendum ſit in caſu, quo poſſeſſor vaſallus cenſum inficiatur, ex praxi illuſtrat, & hoc ſingulare oſtendit, quod dominus cenſum petens, in curia probare debeat, feudum eſſe cenſuale. *Cap.* 30. ſubinfeudationem cum ſuis limitationibus exponit, ac Longobardi contextum 1. F. 6. de titulis eccleſiaſticis explanat. *Cap.* 31. jus amiſſionis propter inficiationem evolvit, atque jura domini, contra ingratum poſſeſſorem, ex feudiſta Saxonico comparat, & probationem zu ihm ſelber / per *mettertium*, ſive manum tertiam exponit. Sequenti *cap.* 32. juſtam rerum feudalium, ac pertinentiarum deſignationem, ſi dominus eam requirat forte, breviter inſinuat, cum praxi quarundam curiarum, in quibus præter feudum ipſum, ſingulæ ejus partes actis & protocollis inſeruntur, eine richtige Verzeichnüß des Lehen-Guts mit Erzehlung aller zugehörigen Stücken; unde fiebat ſæpius efficax probatio, tanquam ex inſtrumento inveſtituræ. Subfeudum a ſuperiore evictum tractatur *cap.* 33. In hoc ſunt extantiora, quæ ſubvaſallo com-

petunt jura, contra intermedium, ſive ſubinfeudantem, feloniæ convictum, & domino ipſi, contra ſubvaſallum: quia hic ſuperiori invito non poteſt obtrudi. De petitione ſubfeudi ex jure Alemannico, Saxonico & Longobardico communi, per regulas & exceptiones, agitur capitibus 34. & 35. In *cap.36.* de feudi amisſione, per conſenſum tacitum, in utramque partem Auctor disquirit. *Cap. 37.* caſum illuſtrat, de vaſallo ad certam cauſam citato, an ſi dominus vel judex eam negligat, reſpondere teneatur ad aliam, ad quam non eſt citatus? Negativam tuetur, ac jus feudale Saxonicum emendat. *Cap. 38.* procuratorem feudalem ſub cautione rati conſiderat, ac triplicem hujus cautionis effectum indicat. *Cap.39.* natum poſtumum ſuſpendere ait conditionem expectativæ: quia pater ſine liberis non deceſſit. Inter ultimas ſpecies amittendi feudi eſt defectus natalium, qui *cap. 40.* ex *2. F. 26.* ejusque capitulo notabili admodum *Naturales* deducitur. Hac vero occaſione, de matrimonio inæquali, & legitimatione Cæſaris ad ſucceſſionem, ex archivis notantur particularia. Fluit ex hoc eodem defectu alius in clypeo, non militari, ac nobili: quorſum refertur, ſi quis proſcriptus ſit, necem voluntariam alterius, vel ſpolium commiſerit: qui *cap. 41.* inter cauſas habetur, cur dominus renovationem inveſtituræ deneget: cui ſubjungitur tractatio de loco ac tempore inveſtiendi. Poſt feuda nobilium militaria, & minora alia, cum ſuis juribus declarata, procedit feudiſta Alemannus ad regalia, ſive majora principum, cui noſter lucem adfert *cap. 42*; ubi ſtatim in principio naturam eorum interpretatur; item quomodo differant a feudis vexillaribus, quæ imperite confunduntur a nonnullis. Hinc digreditur ad *feuda pontificalia*, geiſtliche Fürſten-Lehen / ac poſt differentias inter hæc & illa monſtrat utrisque communia, inprimis *immedietatem*. Ne vero in ſtatu principum aberretur, ac ſinguli habeantur pro iisdem, eos diſcernit in mediatos & immediatos, in ſchlechte und Reichs-Fürſten: quales inter ſeculares & eccleſiaſticos dantur. Alterum commune eſt *individuitas*, ex majorum inſtituto: ubi de tempore, quando principatus & comitatus in Germania dividi cœperint. Inter ſpecialia quærit mox, quando epiſcopis apud nos vexillaria feuda ſint conceſſa, cum jurisdictione criminali? item a quibus & quando hæc jurisdictio data ſit urbibus mediatis? Quia autem jura principum ſunt varia, hinc de poteſtate illorum agit ordi-

ordinaria ac delegata, de officio Imperiali, de differentia inter feudum principis, & officium principis feudale, per exempla vicariatuum in Imperio, & judice Cæſaris Palatino. Succeſſio, legitimus ac derivativus modus adquirendi feudi, deſcribitur *cap. 43*, cum feudi renovatione, cui opponitur ejusdem repudiatio. Inter ſuccedentes ab initio tantum erant deſcendentes, quibus poſt preces legitime factas ad impetrandam inveſtituram, dominus erat obligatus, ut feudum concederet. Longobardi deinceps ſucceſſionem ad collaterales extenderunt, quos noſtri & alii ſecuti ſunt. *Cap. 44.* uſque ad *cap. 48.* explicatur petitio feudi, in caſu ſi dominus vaſallum vi expulerit; ubi ſit actio contra dominum inſtituenda; item quod ex facto parium impedita renovatio, poſt petitionem legitime factam, non obſit vaſallo: tandem quomodo teſtes nominari ac produci debeant, in controverſia vaſalli cum domino. In *cap. 48.* cauſſas excuſationum, de non petita inveſtitura, tractare incipit, reſpectu ætatis minoris, ex parte domini ac vaſalli. Heic quidem differit de minore domino, & cum Bitſchio ex *2 F. 3* ſtatuit, quod is quoque minor dicatur dominus, qui egreſſus eſt infantiam, licet adhuc ſit in ætate pupillari: quem Alemannus vocat *domicellum*. Ab hoc vero peti omnino debet renovatio inveſtituræ, ſive tutorem habeat, ſive non habeat: quia renovatio hoc in caſu eſt de jure valida, utut ſine auctoritate tutoris facta ſit. Sed qui ſubinfeudavit, eodem jure non gaudet, *cap. LIV.* quia tum demum inveſtire poteſt ſubvaſallum, ſi prius ipſe accepit inveſtituram. *Cap. 50.* ætatem vaſalli, ac pubertatem feudalem, wenn er lehnbar iſt/ in *ſequenti* autem diverſam pubertatis rationem, ejusque probationem tradit. *Cap. 52.* notat duo, ex praxi feudali: alterum, quod tutor nomine vaſalli minoris renovationem impetrans, promittere debeat, ſeſe feudum pupilli rite adminiſtraturum eſſe; immo nomine tutorio juramentum fidelitatis præſtetur in aula Imperiali: alterum eſt, quod ſi plures vaſalli minores fuerint, ſinguli vel in communione manere, vel dividere feudum poſſint. Illo tamen caſu requiritur, ut major natu renovationem petat nomine reliquorum impuberum: qua occaſione noſter *de jure ſenioratus* breviter agit. Duobus capitibus inſequentibus id ſpeciale jus circa evictionem tradit, quod ſola tutoris auctoritas contra petitorem non ſufficiat, ſed quod ipſe dominus inveſtiens obligetur, ad evictionem impuberi præſtan-

dam: item quod vaſallus impuberi domino prius non debeat ſervire, quam veſtitus ſit. Quando autem dominus vaſalli minoris tutelam ſuſceperat olim, tunc feudum tale *in cuſtodia domini* eſſe dicebatur, in Anfall / usque dum minor ad ſervitia foret aptus. Interea temporis poterat dominus feudi pupillaris fructus ad alium transferre, vel ipſe retinere. Uſum hodiernum noſter ſub finem capitis demonſtrat: ubi de taxa in aula Cæſaris. *Cap.56.* docet, quid obtineat, in oppignorato feudo a tutore: ſequenti vero, an peti rurſum debeat inveſtitura, ſi minor dominus factus ſit major. *Cap.58.* alia legitima impedimenta non petitæ inveſtituræ, ac ſimul jus accreſcendi in jure feudali Germanico exponit. Si feudum ex allodio domini fuerit, idemque negaverit renovationem inveſtituræ, quæritur, an vaſallus actionem, & coram quo illam habeat? Reſpondet noſter ex praxi antiqua & hodierna, *cap. 59.* In *cap. 60.* & *61.* agere pergit de renovatione uni vel pluribus facienda ex fratribus, atque juris hujus limitationes, itemque exceptiones proponit, cum declaratione ulteriori *juris ſenioratus*, de quo *cap. 52.* ſub finem dicere cœperat. *Cap. 62.* nova exceptio contra dominum urgetur, quod feudum, ſine conſenſu ejus alienatum, non aperiatur, ſi ſtatim recuperetur ab alienante. Neque corporis vitium, e. gr. in cœco aut muto, cauſa eſt, cur inveſtitura denegetur, aut feudum aperiatur domino. De hoc autem vitio agitur *cap. 63.* prolixius: eſtque vel nativum, vel ſuperveniens, & quidem utrumque rurſus vel corporis, vel animi: quorſum in curia feudali reſpiciendum eſt accurate. Aliter videtur ſe res habere in feudo, quod vidua jure dotalitii poſſidet, aut jam tertio per expectativam *ſi ſine liberis*, conditione exiſtente conceſſum eſt, circa renovationem feudi nimirum: quo de caſu agitur *cap. 64.* In ſequenti explicat noſter jus inveſtituræ ſimultaneæ, ſi hæc neglecta fuerit a fratribus, iisque pluribus, qui ab initio feudum acceperant pro indiviſo, poſtea vero ſine conſenſu domini diviſerant, nec in diviſione illam ſibi reſervaverant. *Cap. 66.* evictionem feudalem breviter cum Alemanno tractat. De feudis fœmineis addit, quod renovatio, propter ſervitia non præſtita, non ſit deneganda fœminis: quia loco ſervitiorum præſtent hoſtenditias, ſive decimam fructuum annuorum partem: deque ſimultanea monet *cap. 68*, quod eam filii cum patre quoque petant, ad majorem in jure ſucceſſionis cautionem. Quod ex felonia dominus obligetur ad inveſtituram renovandam, mox traditur in

in caſu, quando vaſallus refutat feudum ſub conditione accepta, ut alter de illo inveſtiatur: quam tamen non implet dominus; ſed feudum ſibi retinet. Hinc *cap. 70.* diſſerit, quomodo ex antiquo vel paterno fiat novum: inque poſſeſſorio feudali, ejusque petitione ac feudalis rei vindicatione, transmiſſione, itemque feudi amiſſione progreditur per caſus ac reſolutiones ad *caput* uſque *86*: ubi per tria ſequentia probatio domini adverſus vaſallum, & actio ejusdem, ad Imperii ſervitia præſtanda, cum judicio parium declaratur. *Cap. 89.* argumentum explicatur notabile, de alienatione vaſallorum; & illuſtratur per exempla: porro nectitur jus confiſcationis, quod ex conſuetudine Alemannica mitius deprehenditur erga filios, quam ex jure Romano, a Carolo IV in aurea bulla repetito. *Cap. 90.* tractat de foro competente, in feudalibus; deque modo procedendi, & ad capitula *1 F. 26.* ac *2 F. 46* pauca adducit, ſed a paucis obſervata. De expectativis, annali termino, ſatisdationibus, ac retinenda poſſeſſione contra tertium, a domino inveſtitum, deque clypei militaris imminutione, homagio, & ſervitiis præſtandis inferiori domino per ſubſtitutum, potiora noſter in antecedentibus expoſuit: quæ aliquot capitibus heic, juxta ſeriem Alemanni repetuntur. *Cap. 97.* de feudo fiduciario monſtrat, quod ita vaſallo concedatur, ut illud ſtatuto tempore, pro certa quantitate, reſtituat domino. Hac occaſione differentiam inter pignus & fiduciam oſtendit, & caſus quosdam feudales huc pertinentes decidit. Quoniam vero ſub finem capitis prioris revocatoriæ ex pacto fiduciæ & offerendi mentionem fecerat, ideo ſequenti hoc *98*, de probatione domini, in cauſis & actionibus maxime pœnalibus, quas dominus contra vaſallum inſtituere poteſt, monita practica & cautelas addit. Hinc aliud pactum, ex vaſalli parte, de non refutando exponit. *Cap. 100*, ac duodecim inſequentibus de variis ſpeciebus feudorum, de proprio, pignoratitio, de feudo ſcuti, dem Schild-Lehen / eoque revocabili pro arbitrio domini, de feudo cameræ, conjuncta viri & uxoris inveſtitura, pupillari, de feudo in fraudem domini ſubinfeudato, de fundo cenſuali, & feudo cenſuali, de feudo jurisdictionis, & ambachtiæ, ſive gaſtaldiæ, palatii ſive miniſterialium, cum Alemanno noſter procedit ad ordinem judicii feudalis, ſive proceſſum in curia domini: quem deinceps a *cap. 114* continuat ac deſcribit, per communem praxin, in-

terſperſis documentis feudalibus vix dum editis, ad caput uſque *145*. Heic denique regreditur ad quasdam feudorum diviſiones, ac de feudo ex allodio, de feudo caſtrenſi, & expectativa in hoc eodem, item de ceſſione feudali, ſubinfeudatione, tranſmiſſione & amiſſione feudi caſtrenſis notabilia profert varia, inque feudo franco, ac burgo magiſtri concludit.

Quemadmodum vero nihil ſimul incipitur ac perficitur, in ſtudiis præſertim amœnioribus, ita noſter abſolvit quidem commentarios, ad ſingula capita juris feudalis Alemannici, ſed pro incomparabili ſua induſtria quædam, opere jam fervente ſub manibus typographorum, obſervavit non protrita, quæ ſub titulo *Supplementorum* adjecit. In explicatione rubricæ breviter egerat, inque tranſitu quaſi, de *feudo oblato*: heic vero ex archivis nonnulla depromit, notatu digniora. Subjungit mox reſponſum Facultatis juridicæ Argentoratenſis, de *feudo mere hereditario*, & hypotheſi probe firmata, unde quæſtiones feudales decidendæ ſint, porro oſtendit, feudum controverſum, Ingweiler, inter comites Leiningenſes & Hanovienſes, eſſe hereditarium ſimpliciter, in quo fœminæ, una cum maſculis ejusdem gradus ſuccedere, & remotiores agnatos excludere posſint, allatis variis rationibus dubitandi, eisque ſolutis abunde, ſecundum mores ac jura Metenſis epiſcopatus, itemque ducatus Lotharingici. Addit ſtatim in tali caſu, quousque valeant renunciationes fœminarum. Præter ſupplementa accedunt tres diſſertationes, quarum prima complectitur potiora, ex jure feudali Teutonico, *de inveſtitura principum Imperii ſimultanea*, ſpeciatim quoad ſucceſſionem Lauenburgicam. Facta hæc eſſe videtur, non tam ex caſu noſtræ ætatis, quam ad voluntatem ſuperioris, qui de Germanorum inſtitutis feudalibus, per Saxoniam imprimis, certior eſſe volebat. Cum hac, propter auctoritatem juris, quo principes utuntur, in cauſſis præcipue ſucceſſionum decidendis, conferri poteſt §. *20.* diatribæ, *de natura & origine juris publici*. Altera eſt *de curiis dominicalibus* von Ding-Höfen/ in Alſatia frequentatis, ſicut ex documentis connexis patet. Ultima eſt *de bonis laudemialibus*, quæ vulgo adpellant Ehrſchätzige Güter/ ad mores pariter directa, in ſuperiore Germania. Ideo autem has diſſertationes indicare tantum voluimus, quia in manibus doctorum jam antea fuerunt, & propter argumenti convenientiam,

imo

imo & propter ſolidiorem argumenti tractationem, recuſæ ſunt. Talis quoque eſt *commentatio*, perquam erudita, ad *2 F. 50* de natura *ſucceſſionis feudalis*, in qua *linealis* præſertim origo, atque uſus ejusdem in foro Germanico demonſtratur. Hæc quoque data occaſione ſcripta cenſetur, ſtudio juſtitiæ & veritatis, citra affectum & juris detorſionem.

Hisce præmiſſis & accurate traditis, ex jure ac moribus Germanorum, aliorumque populorum, noſter ad edendum atque emaculandum opus ineditum feudale Antonii Mincuccii de Prato Veteri acceſſit, idque cum præſenti commentario feudali conjunxit. Quantas ipſi gratias hoc nomine debeant juris feudalis doctores & ſtudioſi paſſim, facile intelligimus: quia plures inde a ſcriptoris obitu crebram ejus mentionem fecere; alii propter ordinem & lucem in feudalibus majorem, vel inſpicere tantum voluere ſex Antonii Mincuccii libros, quaſi depoſitum venerabile; nonnulli denique editionem promiſerunt ejus, ex codice unico, quem exſtare adhuc opinabantur. Sed omnes illi vana ſpe turbarunt vota meliorum. Ritterſhuſii ſententia, contra Goldaſtum, qui opus hoc ab infeſta manu putabat interverſum eſſe, probatur eventu: quod nimirum Antonius iſte nondum perierit, ſed latitet in bibliotheca, inque lucem protrahi aliquando poſſit, ſi in manus inciderit hominis, rerum feudalium non imperiti. Ericus Mauritius, primum in Academia Tubingenſi, hinc in Kilonienſi celebris anteceſſor, tandem in camera Imperiali adſeſſor, propter ſcientiam juris, & variam doctrinam habebatur pro illo, qui ex codice proprio melioris notæ opus feudale hoc reſtitueret. Verum deſideriis undique flagrantibus non ſatisfecit, quod vel negotiis publici muneris impediretur, vel ſanitate minus conſtanti ab hoc propoſito averteretur; usque dum per fata ſpem cunctis de ſe, atque libro toties injectam prorſus extenuaret. Fuit tamen in peregrinatione, laudabiliter ſuſcepta ac peracta, non infelix, nobiliſſimus vir, Chriſtianus Guilielmus ab Eyben, in aula Brunſuico-Cellenſi conſiliarius hodie, qui inter libros manu exaratos, in bibliotheca regia Pariſienſi, Mincuccium hunc forte deprehendit, & de reperto viros celeberrimos Obrechtum & Schilterum certiores reddidit. Ille cum bibliothecario Thevenotio ſtatim egit per litteras, ut theſauri hujus copiam faceret Jo. Philippo Schmidio, Argentoratenſi. Hic vero memor offi-

officii ſui, quod ad ſtudia pertinebat inprimis amplificanda, librum clariſſimo Schmidio conceſſit, a quo alter, id eſt noſter, illum accurate deſcriptum recepit, & per editionem denique ejus vota abſolvit eruditiorum. Plura in præfatione ejus ad opus ipſum conferantur. Ne tamen ſolus iſte, ex diuturno ſqualore, Muſis indignantibus, prodiret in conſpectum omnium, comitem ei dedit Bartholomæum Baraterium, Italum pariter, nec ætate, nec indolis bonitate adeo diſparem. Jam antea quidem ediderat illum Nicolaus Rigaltius, non tamen ubique ad fidem codicis manuſcripti. Noſter igitur, ſicut eundem denuo collatum, immo auctum & emendatum acceperat a laudato Schmidio, ita quoque integrum, pro candore ſincero, & affectu ſingulari erga hæc ſtudia, ad uſus communes vulgavit. Quoniam vero iſti fere explicant jus commune feudorum, neque ad gentem noſtram adeo, vel aliam reſpiciunt, cui peculiares circa feuda ſunt conſuetudines ac leges, ideo ſub finem operis recenſiti, coronidis inſtar adjicitur liber Ant. Dadini Alteſerræ, de origine & ſtatu feudorum, pro moribus Galliæ; qui nec amplus eſt nimis, ut lectorem in alienis detineat, nec brevis eſt ita, ut parum lectori prodeſſe queat.

## Martin Dieſenbachs / Evangeliſchen Predigers zu Franckfurt am Mayn / Judæus convertendus.

Hoc eſt:

*MARTINI DIEFENBACHII, FRANCOFURTI AD MOENUM Verbi Divini Miniſtri Evangelici, Judæus convertendus, ſive varia Theologorum celeberrimorum doctorumque virorum aliorum judicia & conſilia, quo pacto Judæi alicujus converſio omnium optime inſtitui queat.*

Francofurti ad Mœnum, apud Fridericum Knochium, 1696. in 4. Conſtat Alphab. 1.

EX ſacri, quod gerit, muneris ratione, duobus Judæis ob ſua facinora Francofurti ad Mœnum ultimo ſupplicio afficiendis adeſſe, eorundemq; ad fidem Chriſti converſionem tentare juſſus fuerat perquam reverendus Auctor, qui ut hoc negotium eo rectius perficeret, diverſos diverſorum Auctorum libros conſilia eo ſpectantia exhibentes ſedulo evolvit, ac ut laboris hujus fructus ad publicum quoque redun-

redundaret omnibusque communis eſſet, iſta in hunc tractatum peculiarem congeſſit, qui proin, ut ipſe alicubi innuit, Catalogus Bibliothecæ Anti-Judaicæ haud immerito nuncupari poſſet. Præfatus autem aliqua de inſignibus difficultatibus, quæ Judæorum, ac inprimis maleficorum, converſionem circumſtent quidem, non penitus tamen inter τὰ ἀδύνατα detrudant; ad ipſam modorum, quos ad hunc ſcopum ſaluberrimos varii ſubinde judicarint, enarrationem progreditur, conſiliaque primum Lutheri commemorat; inde, quid e Lutheranis Nicolaus Selneccerus, Wolfgangus Franzius, Michael Havemannus, Georgius Calixtus, aliique, & inter hos præ reliquis Jo. Mullerus, ac hodienum ſuperſtes celeberrimus Esdras Edzardus heic ſuggeſſerint, prolixe tradit. E Reformatis Joannem Hoornbeekium & Johannem Coccejum in hoc labore occupatos introducit. Ex Arminianis Hugonis Grotii & Philippi a Limborch monita & exempla allegat. Ex Socinianis Fauſtum Socinum ipſum & Valentinum Smalcium doctores huc advocat, & ex Papiſtis maxime Thomam a Jeſu, Petrumque de la Cevalleria methodum Judæos convertendi itidem præiviſſe aſſerit. Mentem vero auctorum hactenus a nobis inſinuatorum aliorumque ſolum indicaſſe nondum ipſi ſatis eſt, quin potius ad unamquamque ſententiam ſigillatim refert, quid circa eam aut alii monuerint, aut ipſe monendum exiſtimet. Qua occaſione ſenſum atque pondus dictorum Gen. XLIX, 10, 11, 12. 2. Sam. VII, 19. Jer. XXIII, 5, 6. XXXI, 31. ſeq. Dan. IX, 27. & ſimilium, a Theologis Chriſtianis opponi alias Judæis ſolitorum, uberius explanat & confirmat. Inter cætera autem Scripturæ Veteris Teſtamenti loca, quinquageſimum tertium Eſaiæ caput maximopere celebrat, ejusque ſingularem adverſus Judæos vim demonſtrat. Quæſtionem, utrum ex ſolo Teſtamento Veteri convinci queant Judæi, affirmando definit, non raro tamen & Novum Teſtamentum cum fructu adhiberi poſſe addit. Doctrinam de Chiliaſmo parum heic idoneam eſſe ac proficuam contendit. Talmudem & libros Rabbinicos, itidemque Cabbalam Judaicam, ſubſidium exiguum aut plane nullum hodie Chriſtianis, Judæorum converſionem quærentibus afferre ſtatuit. Ridiculos etiam, ſimiliterque nimium ſeveros procedendi in hoc labore modos indicat, & indicatos ſerio diſſuadet. Generatim autem obſervat, non unam aliquam determinari poſſe methodum, veluti ubivis æque commode

inſervituram, ſed habendam eſſe imprimis perſonarum rationem, ac aliter doctiores & peritos, aliter indoctos ac rudes, alio modo ſponte ſeſe offerentes, alio invitandos demum tractari debere annotat. Franciſci Henrici Hoyeri, Paſtoris in Friſia Nordenſis, methodum olim adhibitam valde commendat, eamque ex libello ipſius Germanico Helmſtadii A. 1679 ſub titulo, *Converſus Judæus*, vulgato his partibus abſolutam refert: quod convertendum primo de Judaiſmi hodie vigentis facie infauſta, ac deinceps de Chriſtianiſmi in Moſe, Prophetis ac Pſalmis apprime roborato fundamento convicerit. Mox aliquot exempla in medium adducit, quam miranda ſæpe ratione in præparandis ad converſionem Judæorum animis, & in obſtinata eorum malitia reprimenda, divinæ providentiæ uti placuerit; quemadmodum & auctorum, qui plura ejuſcemodi collegerint, indicium haud contemnendum ſubminiſtrat. Ulterius ſe deprehendiſſe teſtatur, quod apud iſtos, quibuſcum ſibi res fuerit, Judæos duo hæc argumenta magnum præ reliquis pondus obtinuerint; (quamvis neutrum eorum aut iſtis aut aliis quibuſcunque victum doleat;) unum, quando e Deut. XXI, 23. ſuſpenſum abominabilem eſſe coram Deo dixerit, unde amplius hoc urſerit, quod ipſis, utpote qui ſuſpendio jam puniendi eſſent, non aliud abominationem iſtam effugiendi medium ſuppetat, niſi fides in Chriſtum, qui maledictionem hanc ſuo merito ſuſtulerit, & propterea ipſe inter ſuſpenſos numeretur: alterum, quando Judæos perpetuo de ſua ſalute anxios hærere, aſt Chriſtianos e contra firmiſſima heic fiducia gaudere oſtenderit. Quibus ita pertractatis, in voto tandem iſto definit, ut non pii modo Magiſtratus, ſed & Chriſtiani quilibet, de removendis obſtaculis frequentiorem Judæorum ad fidem Chriſti adductionem impedientibus ſolicite cogitent. In horum autem obſtaculorum numero nimia eſſe cenſet privilegia, quæ ſubinde Judæis in terrenæ felicitatis augmentum (quod eorum pervicaciam magis magisque confirmet,) offerantur; vitamque deinceps Chriſtianorum impiam ac diſſolutam, quam Judæi in eodem cum his conſortio degentes, nunquam citra ſcandalum & ipſius religionis uberiorem deteſtationem intueantur. Hæc ſumma eſt præſentis operis, cui duplicem adhuc appendicem ſubjungere reverendo Auctori viſum eſt. Harum una narrationem exhibet de Judæo, Pragæ A. 1694 rotæ impoſito ob homicidium nefandum, quod

is

is in puero, alterius cujusdam Judæi filio, tranſitum ad Chriſtianos machinante patraverat. Hunc nullis Jeſuitarum ſuaſionibus, quibus eum ante a Judaica ſuperſtitione revocare ſtuduerint, commotum fuiſſe, aſt in rota jacentem, & plurimis graviſſimisq; percusſionibus jam pæne confectum, alta voce baptiſmum poſtulaſſe, & hoc impetrato in clara nominum Jeſu, Mariæ & Joſephi invocatione ſpiritum emiſiſſe, ex actorum publicorum fide Auctor recenſet. Inde vero anſam apprehendit plura eaque notatu haud indigna coacervandi, unde ſatis colligas, quanto odio Judæi ſuos, quos a Chriſtiana fide parum abhorrere intelligunt, proſequi conſueverint. Poſterior appendix oppoſita eſt iis ex Papæorum numero, qui Martinum Bucerum ſub finem vitæ Judaiſmo ſe addixiſſe perhibent. Commentum enim hoc malevolorum eſſe Noſter docet, quod ubi latius refutavit, eundem nec a Zwinglii partibus ſtetiſſe, adverſus alios contendit.

## DISSERTATIONS SUR L' EXISTENCE DE DIEU &c.
Hoc eſt:

*DISSERTATIONES DE EXISTENTIA DEI, QUIBUS VERItas illa ex univerſali prima mundi antiquitatis hiſtoria, ex Epicurei & Spinoſiani ſyſtematis vanitate, & denique e characteribus, divinum quid in religione Judaica, nec non in propagatione Chriſtianæ eſſe evincentibus, demonſtratur ab* ISAACO JAQUELOT.

Hagæ Comitum apud Steph. Foulque, 1697. in 4. alph. 4.

REServavit nos in ea tempora DEUS, quibus Evangelii quoque radiis colluſtrata, eoque melior mundi pars, in eum furorem adigi vidit complures, ut de prima eaque evidentiſſima veritate ſtulte addubitantes, in eo ipſo non poſtremam ingenii atque eruditionis ſuæ laudem collocent. Quos licet tanquam inſanos & mente captos merito prudentiores contemnere poſſint, ea tamen humanæ indolis in omnem malitiam, abſurdiſſimamque etiam, pronæ eſt conditio, ut facile permiſerit majora indies capere inſaniam iſtam incrementa. Quod cum viderent ii, in quorum præcordiis altiores virtus atque religio egerant radices, aperto Marte monſtrum iſtud oppugnare, & a DEO, quem ſancte venerabantur, inſane ſeſe efferentis creaturæ

 inju-

injurias defendere aggreſſi fuerunt. Attamen eorum nonnulli, omnis generis ſine delectu adhibitis argumentis, effecerunt, ut non defuerint adverſariis latebræ, ad quas ſeſe paſſim recipientes, confici penitus atque aboleri hactenus non potuerint. Alii metaphyſicis tantum uſi rationibus, omnium captui minime attemperatis; ita comparata eſſe plerorumque hominum ingenia fuerunt experti, ut non facile moveri ſe patiantur argumentis, a mentibus eorum, quæ corporeis tantum rebus aſſuetæ ſunt, tanto intervallo remotis. Utrumque igitur ſibi cavendum eſſe clariſſimus Auctor, cujus in hoc negotio exantlatos labores nunc exponere conſtituimus, exiſtimavit. Qui diligentiſſime omnibus hujus controverſiæ expenſis momentis, in luce adeo clara veritatem hanc ſeſe collocaſſe confidit, ut non poſſe non dare manus perſuaſum habeat eos, qui argumentorum nexus mente ſequi didicerint. Præſtare autem hoc aggreſſus eſt quatuor Diſſertationibus, quarum ſumma capita, qua fieri poteſt brevitate perſtringentes, efficere tentabimus, ut Lectori de genio hujus libri luculenter conſtare poſſit.

In prima igitur harum Diſſertationum exiſtentiæ Dei veritatem ex hiſtoria mundi evincit. Quam prout a Moſe tradita fuit, in dubium vocari non poſſe, omni profuſo eruditionis qua gaudet, apparatu perſuadet. Ut autem potiora eorum, quæ allata ab eo ſunt,
cap. I. recenſeamus, primo ſtatim loco eum oſtendere monemus, exiſtentiam divinam in ipſis ſacris literis non tanquam doctrinam, quæ fide ſimpliciter ſit amplectenda, proponi, ſed argumentis ab hujus univerſi creatione petitis ſolide dari confirmatam: quam ob cauſam etiam hujus creationis hiſtoria fuſe & luculenter ob oculos nobis ponatur.
c. II. Hanc autem minime ſcrupuloſorum hominum dubiis relinquere locum, ex ipſa ejus conſideratione clarum evadere, cum non tantum creatum eſſe mundum in ea Moſes indicaverit, ſed certo etiam tempore ætatem ejus definiverit, omneque quod ab ea ad ſuam usque ætatem patebat ſpatium, rerum geſtarum impleverit narratione: cum contra nationes iſtæ, quæ canam adeo jactent antiquitatem, quæ omnem fidem ſuperet, facile vanitatem ſuam prodant, rerum
p. 29. defectu, qui tantum in eorum hiſtoria inane relinquat: perpetuus autem veritatis hiſtoricæ character ſit, ſi continua ſerie rerum geſtarum narratio procedat, ita tamen ut cum aliis conſentiat monumentis. Præterea exiguam adeo ætatem mundo ad ſuum uſque ævum tribuere Moſen,

Moſen, ut facillime falſitatis convinci potuiſſet, ſi aliter res ſeſe habuiſſet. Imo cum poſt diluvium denuo quaſi reſurrexiſſe mundum, atque etiam aliquot poſt illud ætatibus unam linguam inter homines obtinuiſſe dicat, facile ab Ægyptiis, Aſſyriis aliisque vicinis, incredibilem antiquitatem jactantibus, unico monumento in diverſa lingua ante illud tempus exarato refutari eum potuiſſe. Quorum populorum linguam ſapientiamque cum Moſen maxime ſibi reddidiſſe familiarem conſtet, quod auſus fuerit brevem adeo ætatem rebus hiſce tribuere, niſi divinitus de veritate hiſtoriæ ſuæ convictus, probabile non fieri. Aſt vero inquiunt ii, qui ſua maxime intereſſe putant, ne impietatis plane deſerantur partes: facile fuit Moſi, quicquid viſum fuerit, comminiſci, & ſuæ pariter ac ſequentium ætatum hominibus obtrudere, cum incognita prorſus ſit temporum, quorum hiſtoriam perſequitur, ratio, nec monumenta ſuperſint vel ſuperfuerint unquam, e quibus falſitatis aperte ille convinci potuiſſet. Quod ipſum miſerrimum latibulum cum pro arce veluti ſtolidi homines habeant, ad bellum religioni faciendum commodiſſima, maximo conatu diſſipare clariſſimus Auctor eſt aggreſſus. Atque adeo oſtendit, quod quamvis immanem optimorum monumentorum vim temporum injuria nobis iverit ereptum, non careamus tamen iis, quæ abunde nobis veritatem hiſtoriæ Moſis perſuadere queant. Imprimis eo tempore, quo maximo ſtudio hujuſmodi quæſtiones inter Chriſtianos Paganoſque agitatæ fuerunt, ingentem monumentorum huc pertinentium numerum ſuperſtitem fuiſſe obſervat. Speciatim autem commemorat eos, qui de fundationibus urbium, de artium atque ſcientiarum inventione, de illuſtrium nationum geſtis aliquid literis conſignaverant, item qui annales aliaque hujus generis ſcripta condiderant, quos multa negotio iſti conducibilia præclaro ſtudio conſervaſſe exiſtimat. Verbo, quemadmodum Judæi pervulgata ſententia Chriſtianorum feruntur bibliothecarii: ita Græcis quoque divinam providentiam uſam eſſe, ut eorum auxilio conſervarentur monumenta, Moſaicæ hiſtoriæ confirmandæ idonea. Quæ etiam effecerit, ut iis pariter atque Romanis cauſa occaſioq; non una fuerit ſubnata, qua ad ea curioſius indaganda adigerentur. Præcipue obſervatu non cenſet indignum, quod etiam ante Chriſtianiſmi origines, Epicurei ſua de mundi nativitate ſententia aliis Philoſophis, æternitatem ejuſdem defendentibus,

c. III

p. 29

p. 32

p. 30

p. 32

bus, ſtudium iſtud neceſſarium quaſi effecerint, ut antiquiſſima monumenta ſedulo rimarentur, ſi quod inde opinioni ſuæ præſidium peti poſſet. Nec multum juvare exiſtimat adverſæ cauſæ patronos, quod hujusmodi monumenta, licet tum extitiſſe concedantur, hodie tamen nuſpiam compareant: namque Auctores diligenter recenſet noſtræ ætati familiares, qui, quantum præſenti negotio ſufficere poſſe videtur, ſcriptis ſuis ſumma cum cura inſeruere. Ut autem eo magis pateat luculente, inſignem omni ævo hujusmodi monumentorum, quæ ætatem tulerint, eoque vel confirmandis vel deſtruendis Moſaicis traditionibus inſervire potuerint, extitiſſe copiam, aliquot capitibus venerandas hujusmodi antiquitatis reliquias, quarum apud Auctores aliqua mentio extat, narratione perſequitur. Inter eas primo loco recenſet hymnos, quibus antiquiſſimis temporibus rerum geſtarum conſervabatur memoria, cujus moris veſtigia in ipſis S. Literis curioſe indagavit; urbes item, templa aliaque ædificia æternitati conſecrata, quæ cum innumera fere fuerint, inſcriptionibus ſuis illuſtria, probabile non eſſe ait, in tanta copia tres diverſarum linguarum inſcriptiones reperiri non potuiſſe, XII ſeculis ſolum Moſe antiquiores, (quo tempore ille univerſo orbe unicam adhuc linguam obtinuiſſe dicat) niſi veriſſima iſta ejus aſſertio eſſet. Simili modo a Deorum ſimulacris & conſecratis iis anathematibus, a ſepulchris atque tropæis, a virorum illuſtrium ſtatuis, columnis item atque aris, quibus obtectum fere univerſum, qua habitatur, orbem fuiſſe oſtendit, argumentatur. Præterea nummos quoque & annulos inter monumenta refert, quibus rerum hujusmodi notitia conſervari potuerit. Eidemque rei gentium quoque commercia inſerviiſſe demonſtrat, quibus earum inter ſe invicem bella, & mercium commutationes, ab antiquiſſimis temporibus occaſionem dediſſe ait, quas proinde cognitas ſibi invicem fuiſſe, ex cultuum & ceremoniarum ſacrarum communione, ex nominibus quibus ſe mutuo appellarint, aliisque rebus dat probatum: quin & exilia, Philoſophorum itinera, & alia hujusmodi non permiſiſſe, ut parum cognitæ ſibi invicem eſſent nationes, longis licet terrarum ſpatiis diviſæ, prolixe confirmat. Bibliothecas deniq;, in quas tanto ſtudio omne genus priſcorum monumentorum antiquiſſimis temporibus congeſtum fuit, ſtudioſe commemorat, atque adeo tandem concludit, ex tot monumentis difficile non fuiſſe curioſis rerum indagatoribus

[Margin notes: p. 33 (beside "numenta ſedulo rimarentur"); c. IV. (beside "aliqua mentio extat"); p. 10 (beside "quæ cum innumera"); c. V (beside "niſi veriſſima"); c. VI. VII. (beside "rum illuſtrium ſtatuis"); c. IIX (beside "Præterea nummos"); c. X (beside "ſpatiis diviſæ")]

ribus veras mundi origines perveſtigare, fruſtraque omnino Liberti-
niſmi eſſe patronos, qui hujusmodi monumentorum defectum callide
obtendentes, incredulitati ſuæ inde præſidium petant. Quamvis au- c. XI.
tem propius examinatis hiſce tam inſignibus antiquitatis monumentis,
non facile ſit in eam deſcendere ſententiam, quæ æternum eſſe mun-
dum dicit, utpote quorum nullum altius quam hiſtoria Moſaica ad- p. 129
ſcendat, quod inſigni Macrobii aliorumq; confeſſione egregie confir-
matur: ſapientiſſimi tamen etiam in hunc errorem ſeſe induci paſſi fue-
runt, varias mundi conflagrationes atque inundationes, ut eum utcun-
que tueri poſſent, comminiſcentes. Quas ubi Cl. Auctor parum ad il- p. 130
lum ſtabiliendum idoneas eſſe oſtendiſſet, atq; hinc verſa vice verita-
tem, ex veritate autem divinitatem hiſtoriæ Moſaicæ eviciſſet, ſolicite p. 131 132.
cauſas, ob quas eum, nequicquam contradicente hiſtoriarum fide, per-
ſuaderi ſibi ſiverint, inveſtigat, inque iis explodendis nonnihil operæ p. 135. 140.
ponit. Hinc propius ad alteram propoſitionem, quam hac diſſerta-
tione ſuſcepit defendendam, accedit, quod ſcilicet hiſtoria mundi
tot monumentis, a tot auctoribus conſervata, cum Moſis traditione
exacte conveniat. Cujus rei primum argumentum ipſi eſt, quod c. XII.
jam olim, cum Epicurei mundi æternitatem impugnarent, atque in- p. 142.
tra eosdem, cum Moſe, temporis terminos eum fere redigerent,
nihil plane habuerint, quod ipſis ex vetuſtis monumentis opponere
poſſent, adverſarii: quod contra Judæos item quidquam afferre non p. 145.
valuerint ii, qui infeſto in religionem eorum animo erant, quo
chronologia hiſtoriaque Moſaica everteretur, uti vel Appionis do-
ctiſſimi Grammatici exemplo conſtet: quodque ſimili fortuna eæ- p. 146.
dem controverſiæ cum Chriſtianis ad Theodoſii uſque tempora fu-
erint diſceptatæ. Secundum argumentum ei ſuggeſſit exiguum c. XIII.
ſpatium, quo omnis Græcorum decurrit hiſtoria. Illa enim cum
a prima Olympiade ſit exordienda, quæ pluribus quam octo anno-
rum centuriis nativitatem Chriſti non antevertit, tempore illo exi-
guo omnium artium atque ſcientiarum inventionem apud Græcos
circumſcribit. Aſt vero gentem tanta ingenii vi præditam, quanta
Græci fuerunt; tam commodum præterea nactam ſitum, ut cum cul-
tiſſimis nationibus commercia facile potuerit inire, aliquot annorum
millenariis incultam prorſus atque inertem deſediſſe, probabile ne-
mini viſum iri putat, ideoque hoc ipſum recentioris mundi originis
validiſſimum eſſe credit argumentum. Contra, ſpatium temporis p. 151. 155.
quod

quod requiri videtur, antequam ex illo terræ angulo, in quo ortum genus humanum fuit, in paulo remotiores Græciæ regiones homines poſſent transmitti, atque ibi ſtabilem aliquam Reipublicæ formam, quæ Hiſtoricis ſcribendi materiam ſuppeditaret, conſtituere valerent, ſagaci cura indagans oſtendit, tantum fere annorum a tempore diluvii uſque ad primam Olympiadem abiiſſe, quantum iſtis
p. 153. omnibus fuerit opus. Fuse deinceps ſtatum Græciæ, qualis ante Olympiades, & circa Trojana tempora fuit, ex Thucydide aliisque graviſſimis Auctoribus deſcribens, luculenta hinc argumenta deducit, quibus novas iſtis temporibus in regionibus illis gentes, quæ eas habitabant, fuiſſe evincat. Imo ad altiora pergens, & ipſorum temporum mythicorum hiſtoriam repetens, ultra bis mille annos ante Chriſtum natum ne fabulas quidem in recenſendis Græcorum Latinorumque originibus adſcendere, atque adeo ne in illis quidem aliquid eſſe, quod cum Moſaico ſyſtemate exacte non conveniat,
c. XIV. demonſtrat. Cumque contra iſtud argumenti genus nihil aliud præſidii adverſariis ſuperſit, præterquam id, quod in diluviis quæ variis temporibus contigerunt, rerumque præteritarum quaſi aboleverunt memoriam, quærunt; multis exceptionibus illud Auctor denuo ex inſtituto deſtruit. Atque poſtquam aliis quibusdam ob-
p. 177. jectionibus reſpondiſſet, novum argumentum pro mundi novitate proponit, quod a coloniarum deductione potiſſimum ſumit, quæ magnam terræ partem, iis temporibus, quibus frequentes adeo co-
c. XV. loniæ erant, nondum hominibus ſatis refertam fuiſſe evincant. Quartum argumentum Græcorum Romanorumque ludi atque feſtivita-
p. 182. tes ei ſuggeſſerunt, Lupercalia ſcilicet, Panathenaica, Iſthmia, Pythia & Olympia, quæ, cum omnis hiſtoriæ, Græcæ præſertim, ab iis pendeat certitudo, temporum eam conſtituant rationem, quæ a Moſaica nulla ex parte diſſentiat, eamque, quæ ſupra rebus Græcorum attri-
c. XVI. buta fuit, ætatem, luculente confirment. Integro porro capite, quam recens ſit omnium artium atque ſcientiarum apud Græcos cultura, expendit, atque inde quintum pro causa quam agit, argu-
c. XVII. mentum petit. Jamque porro a Græcis ad Aſſyrios progreditur, quorum antiquiſſima monumenta, quæ ſtudioſiſſime exponit, cum nihil quoque contineant, quod hiſtoriæ Moſaicæ ſit contrarium, iis
c. XVIII. quoque cauſam ſuam firmiorem reddi oſtendit. Simili modo in Lydorum

Lydorum, Phœnicum, Indorum, & Scytharum hiſtoria nihil eſſe ad convellendam eam idoneum evincit. Cum tamen nationes ſint prodigioſam adeo antiquitatem jactantes, quæ cum iſta conciliari nulla ratione queat, in eam præcipue ſtudioſe inquirendum ſibi eſſe cenſuit. c. XIX. Adeoque ſolicite imprimis Chaldæorum Saros examinat, quos ab Ægyptiorum Toth, ſive annorum 1460 cyclo, diverſos non eſſe p. 221. 271. ſtatuens, idque alibi uberius ſe confirmaturum pollicitus, eo in conjecturam hancce primum inductum ſe eſſe ait, quod a Canicula nomen cyclus ille acceperit, Caniculam autem apud Arabes *Al-Shaari* vocari Abul-Pharagii autoritate conſtet, unde *Syrii* & *Sari* nomen ortum eſſe, indubium ipſi videtur. Immenſum autem temporis per p. 220. Saros hosce computati ſpatium, quod ſibi vindicant Chaldæi, manifeſte adeo fabuloſum eſſe ait, ut ne opus quidem refutatione habeat; interea tamen aliquibus rationibus illud ivit deſtructum. Atque obſervationes etiam Chaldæorum antiquiſſimas tantopere jactatas, p. 221. variorum autorum inter ſe collatis locis, ad epocham Nabonaſſaream fere reducendas eſſe monſtrat. Imo & tabularum aſtronomicarum ope facile obſervationes confici potuiſſe addit, quæ ultra mundi origines adſcendant: adeo ut ex iis, niſi cum hiſtoria jungantur, de mundi ætate recte quidquam colligere non liceat. Pari modo antiquitatem, quam Iberis Strabo, Athenienſibus vero Plato tribuit, ſub examen revocat. Aſt fuſius, quam in his omnibus, verſatur in hi- c. XX. XXI. ſtoria atque antiquitatibus Ægyptiorum Sinenſiumque, e quibus longe fortiora contra ſyſtema Moſaicum argumenta peti poſſe, impii homines perſuaſum habent. Dum latius hic ſeſe effundit, atque pro more ſuo multa, non quidem ad rem, quæ præcipue agitur, ſpectantia affert, inter alia quoque de nomine Pharaonis ſententiam ſuam aperit, quod Regem ſimpliciter ſignificare Joſepho neutiquam largitur, eo potiſ- p. 234. ſimum argumento inductus, quod *Rex Pharao* in Scripturis junctim plerumque dicatur. Credit itaque, Pharaonis nomen aliquid cum Ebraica voce פרע cognationis habere, Regemque notare qui a nullo alio pendens, in reliquos Ægypti Regulos imperium exercuerit. Verum ut de re ipſa potius dicamus, notiſſimas fuiſſe Scriptoribus ſa- p. 235. cris Ægypti res, ex divinis Scripturis probat, multumque omnibus temporibus Judæis cum Ægyptiis interceſſiſſe commercii, iis imprimis qui Alexandriæ degebant, evincit. Monumenta præterea in Ægy-

p. 240. pto quam plurima fuiſſe ait controverſiæ huic decidendæ idonea, inter quæ columnas in terra Seriadica quoque recenſet, de quibus præter conjecturas jam olim a doctis prolatas, novas quasdam proponit, quas hic explicare fuſius rerum, quæ reſtant dicendæ, moles prohi-
p. 243. bet. Ex hiſce autem cum Chronologiam ſuam Ægyptiam deſcripſiſſe ſe jactet Manethon, hujus examen quoddam, pro rei magnitudine non nimis prolixum, ſuſcipit. Atque imprimis, quæ tam Marshami quam Pezzeroni de redigenda in ordinem Chronologia iſta ſententiam difficultates tantum non opprimant, oſtendit. Aſt utcunque
p. 245. ſe illa habeat, non multum Atheis in Chronologia iſta præſidii eſſe putat, cum ipſi antiquiſſimi autores, opinioni de mundi æternitate utut cætera addicti, tanquam fabuloſam tamen iſtam Ægyptiorum Chronologiam fictitiamque rejecerint; unde & nemo illo argumento contra Judæos vel Chriſtianos auſus fuerit uti. Imo ut qua-
p. 246. cunque ratione veroſimilitudinem commentitiæ huic Ægyptiorum chronologiæ reſtituerent, menſem alios, ut Diodorum Siculum, alios duos menſes, ut Cenſorinum, alios plures, annum Ægyptiorum veterem abſolviſſe ſtatuere docet; quas tamen eorum opiniones nullo fun-
p. 209. 253. damento ſuſtineri probat, Sacerdotum potius quorundam Ægyptiorum, qui ipſimet fateantur, nulla prorſus primorum CXXX Regum monumenta extare, fingendi libidini fabulas iſtas omnes deberi perſuaſum habens, ſimulque ex ipſa Scriptura figmentorum ſuorum eos
p. 251. arripuiſſe occaſionem oſtendens. Aſt præcipue obſervat, catalogis iſtis Regum Ægyptiorum totas eorum genealogias inſertas, atque hoc ipſo immane quantum & Regum & annorum numerum auctum fuiſſe. Ut itaque aliquo modo, quid verum ſit in hac hiſtoria, aſſequi liceat, conſilium dat, ut ſeligantur ex iſtis catalogis Reges quidam, quos obſcuros non eſſe patiantur complura literarum monumenta, ut puncti cujusdam fixi filique Ariadnei loco in iſtis chronologiæ labyrinthis eſſe poſſint. Cujus rei ipſemet in Seſoſtre ſpecimen edit, cujus tempora in Danai ævum incidere evincit, Danai fratrem eum
p. 261. fuiſſe exiſtimans. Simili ratione Sinenſium chronologiam incertam eſſe variis argumentis evincit, a recentioribus eam, gloriæ nationis ſuæ ſtudentibus, confictam fuiſſe, non contemnendis rationibus oſten-
c. XXII. dens. Atque ſic ad argumenta ab aſtronomicis obſervationibus petita procedit, ut iis Moſaicam de ætate mundi doctrinam quoque det confir-

confirmatam. Id autem faciens, a prolixa ſatis locorum Geneſ. I, 14 p. 267. 270.
& Jobi IX, 9 exorditur illuſtratione, atque inde veſtigia, quæ in ſacris p. 273.
literis habentur annorum, menſium, hebdomadum atque dierum
obſervatorum rimatur. Aſtronomiæ porro apud alias gentes an- p. 274.
tiquiſſimis temporibus floruiſſe ſtudia oſtendit, atque ea occaſione
de Magis eorumque autore Zoroaſtre, qui ea potiſſimum ſecuti fuere,
paulo fuſius agit. De inſignioribus poſtea ſideribus nonnulla notat, p. 281.
a quibus obſervata primum ea fuerint inveſtigans; ſimilia de zodiaco,
de motu aſtrorum, de inventis ejus in ordinem redigendi gratia cy-
clis obſervat, atque ex his omnibus colligit, non admodum antiquum
apud Ægyptios quoque & Babylonios aſtronomiæ ſtudium fuiſſe.
Id quod magis adhuc confirmat inde, quod ſero demum fixarum p. 286.
ſtellarum motus iis innotuerit. Certe enim nec fixas eas atque im-
mobiles eſſe credidiſſent, nec arietem in ipſo puncto æquinoctiali
collocaſſent, ſi annorum 2202 habuiſſent obſervationes. Fixa-
rum autem motum ſemel deprehenſum longisſimis periodis exco-
gitandis occaſionem dediſſe cenſet, quibus præterlapſis ad idem
punctum omnes redeant. Indeque vaſtas illas periodos Babylonio-
rum & Ægyptiorum aliud eſſe putat nihil, quam ſuppoſitiones, quæ
non magis ad hiſtoriam ſpectent, quam Vietæ aliæque conſimiles a re-
centioribus excogitatæ periodi. Denique quam recens ſit antiquisſi- p. 287.
mæ eclipſeos obſervatio, ex Ptolemæi Almageſto docet, atque adeo
concludit, hanc aſtronomicarum ſcientiarum novitatem ſolide fabu-
las de incredibili mundi antiquitate deſtruere, contraque Moſaicæ
chronologiæ facere fidem. Tria adhuc ſuperſunt argumenta, qui-
bus idem evincit, breviſſime nobis expedienda. Primum petit a novi- c. XXIII.
tate literarum omnisque ſcribendi rationis, quam Patriarchis adhuc
incognitam, a Moſe demum inventam fuiſſe contendit, inde ad alias
nationes eam perveniſſe docens. Alterum lingua Hebraica ei ſuppe- p. 293.
ditat, quam poſtquam primævam eſſe confirmaſſet, inde concludit c. XXIV.
neceſſario ſequi Hiſtoriæ ſacræ veritatem, manifeſtumque eſſe, origi- p. 300.
nem ex ea gente cæteras ducere, a cujus lingua eorum linguæ deri-
ventur. Tertium denique argumentum a conſervata apud Gentiles c. XXV.
præcipuarum rerum, a Moſe traditarum, memoria deſumit. Vetuſtis-
ſimorum itaque autorum loca, in quibus hiſtoriæ de creatione, de
primo homine, de ſerpente, de diluvio, de turri Babylonica, & aliis

 non

non obſcura comparent veſtigia, exhibet. Atque ſuperſtitioſam etiam
Gentilium theologiam, poſt Voſſium, Bochartum, Huetium & alios
ex ſacræ hiſtoriæ abuſu traxiſſe originem, cujus etiam luculenta ve-
c. XXVI. ſtigia ſervet, oſtendit. Omnium poſtremo horum pro veritate Hiſto-
riæ Moſis argumentorum ἀνακεφαλαιώσει inſtituta, tria iſta inde
p. 314. conſectaria deducit. 1. Creaſſe Deum in principio, de quo loquitur
Moſes, cœlum & terram. 2. Hocce hiſtoriæ principium, cum verum
ſit, non poſſe non eſſe divinum, utpote quod abſque revelatione ne-
queat cognoſci. 3. Diluvium linguarumque multiplicationem eo,
quod Moſes indicavit, tempore contigiſſe, ut adeo recipi ſine ſcrupulo
deinceps queat ut vera, imo ut divina, quam a Moſe habemus, Hiſto-
ria.

Poſtquam hac ratione Autor, ab æterno non extitiſſe mun-
dum, ſed eo, quod Moſes indicavit, tempore cœpiſſe exiſtere, pro-
c. I. batum dediſſet, jam in ſecunda diſſertatione contra eos qui, æternitate
mundi repudiata, cœco tamen materiæ motu eum productum eſſe
p. 319. arbitrantur, diſputat. Duo autem ſunt, quæ demonſtranda hic ſibi ſu-
mit; primum, quod rerum univerſitas Menti cuidam intellectu prædi-
tæ originem debeat: alterum, quod ipſa materia quoque, ex qua
illa compoſita fuit, ex nihilo ab eadem iſta Mente fuerit procreata.
c. II. Prius ut evincat, ſtatim Epicuri doctrinam de motu atomorum ag-
p. 321. greditur, quem cum a gravitate earum ad loca inferiora eas pro-
pellente ille deducat, abſurde id ſtatui Noſter oſtendit, cum in ſpatio
infinito, in quo moveri atomos Epicurus ſupponat, inferius ſuperius-
p. 323. ve nullum detur. Deinde motum declinationis, quem idem atomis
ſuis tribuit, conſiſtere non poſſe probat cum motu ad centrum eas de-
p. 325. primente. Fruſtra itaque fuiſſe omnem ejus circa motum atomorum
philoſophiam, atque motum ad materiæ eſſentiam non pertinere
evincit, atque adeo hoc ipſo tanquam primo argumento utitur, quo
evincat a Mente quadam ſuperiori motum eam recepiſſe. Alterum
c. III. quo utitur argumentum ita fere procedit: ſi mechanicis cœci materiæ
motus legibus compactum hoc univerſum fuiſſet, mutationibus ea-
rum virtute effectis ſemper obnoxium eſſe mundum oporteret: aſt
nihil tale obſervatum in eo fuiſſe, omnes hiſtorias teſtari ait, indeque
evidens eſſe putat eo, quo nunc eſt, ſtatu atque conditione, a Mente
c. IV. intelligente ſtatim eum productum fuiſſe. Tertium argumentum ei
rerum

rerum fines ſuppeditant, quos multifarios eſſe oſtendens, ab adverſariis autem id quod largiuntur accipiens, finem ſcilicet non niſi a cauſa intellectu prædita poſſe intendi, denuo inde veritatem, quam probandam ſuſcepit, confirmat. Quartum ab animalium hominumque ſpeciatim creatione petit, quos cum e terra fortuito motu prodire non potuiſſe, vel ipſa experientia aliisque notiſſimis argumentis contra Diodorum Siculum aliosque nugatores eviciſſet, a Mente potentia ſapientiaque pollente procreatos fuiſſe concludit. Aſt cum tum ex aliis rebus, tum ex eo præcipue, fungorum inſtar natos homines eſſe, delirantia quædam capita confirmare ſuſtinuerint, quod alia conveniens ratio excogitari nulla queat, qua in inſulis & in America præſertim homines cœperint exiſtere, peculiari capite hocce præſidium diruit, & quomodo in iſtas regiones deferri homines potuerint, oſtendit. His ita diſceptatis, jam porro paulo diſtinctius Mentis cujusdam intelligentis exiſtentiam confirmare aggreditur. Quod facit animam humanam in medium producens, quam ut ſubſtantiam cogitantem & ſpeciatim intelligentem expendens, incorpoream adeoque ſpiritualem eſſentiam habere, contra Epicuri de grege porcos, methodo potiſſimum Carteſiana fuſe demonſtrat. Poſtea autem voluntatem quoque liberam mentis humanæ conſiderans, hinc quoque ſpiritualem eam eſſe, nihilque corporeæ naturæ habere, contra eosdem Epicureos atque Spinoſam evincit. Cumque ut argumentorum horum vim eludat, ea potiſſimum opponat Spinoſa, quæ ſomniantibus nobis ſolent accidere, integrum caput ſolvendis ejus ſophiſmatibus impendit, poſteaque iis reſpondet, qui eo, quod obſcura ſit animæ natura, infirmare hactenus tradita conantur. Utcunque enim id ſeſe habeat, naturam ejus a corporea toto genere eſſe diverſam, actiones & facultates ejus nos abunde convincere docet. Cumque adeo mentem aliquam intelligentem exiſtere, animæ rationalis exemplo monſtraſſet, jam demum directe ſupremæ Mentis, nimirum Dei, exiſtentiam demonſtrare aggreditur. Stupidum autem eſſe oportere putat, qui non agnoſcat Ens quoddam neceſſario eſſe a ſe ipſo exiſtens, cum omnia reliqua entia neceſſariam illam non habeant exiſtentiam: illa enim cum naſcantur & pereant, ſequi inde cenſet, eſſe aliquid, quod nunquam pereat, quodque neceſſario ſemper exiſtat. Sane agnoviſſe hujus ſequelæ veritatem ipſos Philoſophos credit, indeque

c. V.

c. VI.

c. VII.

c. IIX.

c. X.

c. XI.

p. 413.

alios rerum univerſitati, alios cœlo, materiæ alios immutabilem illam
perpetuamque exiſtentiam vindicaſſe. Cumque rerum univerſitati
& cœlo æterna illa exiſtentia tribui non poſſit, utpote quæ cœpiſſe ali-
quando, & eo quidem, quod Moſes indicaverit, tempore in antece-
dentibus demonſtratum eſt, nihil ſupereſſe putat, quam ut Epicuri
maximeque Spinoſæ commenta deſtruat, qui materiæ æternitatem
p. 414. illam adſcribunt. Tanquam obſcuriſſimam itaque primum Spinoſæ
demonſtrationem condemnat, quæ vel ex ſolo principio, ab ipſo non
repudiato, *quicquid clare & diſtincte cognoſcitur, illud verum eſt*, re-
p. 415. jici mereatur. Et cum in Mathematica methodo, unius propoſitionis
falſitate reperta, tota concidat demonſtratio; poſitionum ejus non-
nullas & definitionum ſub examen revocat. Subire illud potiſſimum
juſſit definitionem 7, quam parte I Ethices ſuæ propoſuit, item propoſi-
tiones 28, 30, 32, & 33. Poſtea demonſtrare aggreditur primo, Deum
exiſtere, poſtea ſpiritualem eſſe, & denique eum ipſum mundi eſſe
p. 418. architectum. Exiſtentiam probat ex materiæ ſtatu, quæ cum neceſ-
ſario non exiſtat, opus habeat aliquo, a quo producatur, exornetur
p. 421. item, variiſque formis induatur. Spiritualitatem ex ſenſu quem ha-
bemus animæ noſtræ rationalis, quam corpoream non eſſe, intelle-
ctum voluntatemque ejus conſiderans, denuo contra Spinoſam pro-
p. 425. bat, atque hinc ita argumentatur: ſi in homine ſpiritualis quædam
habetur eſſentia a corpore diverſa, quanto magis in rerum univerſi-
tate ſubſtantiam aliquam a materia diſtinctam exiſtere erit neceſſe?
cum hominis mens a ſe ipſo non exiſtens, ab alio, quicquid habet,
acceperit, quod proinde ſimilis cum eo naturæ eſſe debeat. Jam ita-
que materiam & ſpiritum in rerum univerſitate habemus, ſed quæri-
tur, utrum alteri originem debeat, ſummumque adeo principium ſit.
p. 426. Ut itaque omnia plana evadant, trium propoſitionum veritatem Cl.
Autor evincit. Prima eſt, nec eſſe, nec eſſe poſſe plura, ſed unicum
p. 428. tantum Ens, neceſſario & a ſe ipſo exiſtens. Altera, Ens neceſſario
p. 429. exiſtens omnibus gaudere perfectionibus debere. Tertia, Ens hoc-
p. 430. ce perfectiſſimum non poſſe non eſſe Spiritum. Quibus probatis Spi-
noſæ Deum in lucem protrahit, & quam abſurda ei facies affiicta ab
p. 436. homine illo fuerit, oſtendit. Atque ex iſtis omnibus tandem quar-
tam concluſionis loco propoſitionem deducit, omnia nimirum alia
quæ exiſtunt, atque adeo materiam etiam & corpus, exiſtentiam ſuam
Enti

Enti illi perfectiſſimo debere, quod non corporea ſed ſpirituali natura gaudeat. Cui poſtquam conſiderationes nonnullas, quibus captui noſtro facilior reddatur materiæ creatio, ſubjeciſſet, ex inſtituto denique principia demonſtrationis Spinoſæ ſub examen revocat. Quod potiſſimum ſubire juſſit definitionem ejus III, propoſitionem item II, III, IV, V, VI, & VII. Deinceps autem totam ejus philoſophiam, larva obſcuritatis detracta, in compendio quaſi nobis ob oculos ſiſtit, & quam ridicula ea ſit oſtendens, ſecundæ quoque huic diſſertationi finem imponit. p. 437. c. XII. c. XIII.

In Diſſertatione III, quæ in Religionis Judaicæ conſideratione, ejusq; divina origine probanda verſatur, primo perbrevis quædam Judaici populi texitur hiſtoria, eaque occaſione prolixa de Synedriis Judæorum inſtituitur diſquiſitio, quæ nonniſi poſt Ariſtobuli tempora, bello ſe mutuo liberis ejus proſequentibus, omnemque Judæam in quinque partes a Gabinio diviſam, inſtituta eſſe, Cl. Autor contendit. Deinde quid aliis gentibus de Judæis innotuerit, exponit, vera pariter ac falſa, quæ Græci Latinique Scriptores de iis tradidere, producens. Ex quibus duo iſta conficit, quod & antiquiſſimam nationem illam eſſe ex iis pateat, quodque tantum abſit, ut Hiſtoriæ ſacræ de Judæis traditio profanorum Scriptorum autoritate infringi poſſit, ut hæc potius illam confirmet, cum quæ eorum quoque, quæ perperam iſti tradiderunt, confingendorum occaſio fuerit, ex illa luculente conſtare queat. Jam porro ad ipſum Moſen accedit, quem & extitiſſe, & iis temporibus, quibus credimus, vixiſſe fuſe ſatis probat, adductis tam eccleſiaſticorum quam profanorum ſcriptorum teſtimoniis. Atque ex eo ipſo librorum quoque ejus, quorum autorem eum eſſe ſupponit, antiquitatem demonſtrat; quam tamen ut eo magis daret confirmatam, tam argumentis ex hiſtoria Ptolomæorum, Antiochorum &c. petitis, quam inſitis etiam ulterius ivit aſſertum. Legum inde Moſaicarum divinitatem, tum ex perpetua earum obſervatione, nemine unquam eas auſo immutare, utut omnium legum, quarum brevem hiſtoriam texit, antiquiſſimæ & moleſtiſſimæ ſint: tum ex ipſa earum natura, qua omnes alias leges eas ſuperare oſtendit, ſive inſtituta earum moralia, ſive ad rempublicam ſtatumque civilem ſpectantia, ſive cæremonialia denique, quorum fines ſolicite indagandos ſuſcepit, conſiderentur. c. II. p. 479. c. III. p. 489. c. IV. c. V. c. VI. c. VII. c. VIII. c. IX. c. X.

Quar-

Quarta denique Diſſertatione, quæ exiſtentiam divinam ex Religionis Chriſtianæ mirabili ortu & propagatione probat, primo oſtendit, ſolam ex omnibus religionibus Chriſtianam eſſe, quæ excellentia ſua hominum ita præſtrinxerit animos, ut nequicquam ejus incrementis oppoſito ingenti maximorum impedimentorum acervo, catervatim ejus myſteriis ſeſe voluerint initiari; cum reliquæ omnes vel vanis hominum ingeniis, vel commodis in politicum ſtatum redundantibus unice debeant, quod per tempus quoddam florere illis licuerit. Inde ex profanis potiſſimum hiſtoriis evincit, extitiſſe exiguo poſt Chriſti tempora ſpatio homines, qui ejus doctrinam & nomen profeſſi fuerint; nec non ipſum Chriſtum, eo quod Evangeliſtæ deſignarunt tempore, inter homines eſſe verſatum. Et hac quidem occaſione, inter alia denuo examinandum ſibi celebrem Joſephi de Chriſto locum ſumit, quem pro genuino agnoſcere non dubitat; nec mirum cuiquam videri debere exiſtimat, honorificis adeo verbis de Chriſto illum loqui. Omnia enim eum hiſtoriæ ſuæ voluiſſe inſerere, quæ qualicunque modo Judaicæ gentis honori inſerviebant. Et ſicuti Chriſtianiſmus cognitus jam omnibus erat, & cum Judaiſmo paſſim confundebatur: ita Joſephum, ut honorifice de ejus autore loqueretur, eadem fere, quæ Chriſtiani credebant, de eo retuliſſe. Namque eandem ob cauſam Judæ Eſſeni quoque & Jo. Baptiſtæ non ſine laude eum meminiſſe, perſuaſum habet. De ipſa religione ejusque autore poſtquam iſta attuliſſet, legibus Evangelicis primorumque Chriſtianorum praxi conſiderandæ paulisper immoratur, & quantum Chriſtianiſmus legum illarum ſanctitate vitæque innocentia alias religiones ſuperet, evidens reddit. Speciatim autem zelum patientiamque Chriſtianorum in perſecutionibus monſtratam, divinum quiddam arguere urget. Poſt quæ ex vaticiniis in V. T. prolatis, nec non ex miraculis a primis Chriſtianiſmi propagatoribus patratis, veritatem hujus Religionis evincit. Quæ ut pro firmiſſimis ejus argumentis haberi poſſint, quid inter ea & editas inter gentiles præſtigias interſit, oſtendit. Et denique brevi ſummorum capitum, hactenus in IV iſtis diſſertationibus pertractatorum, inſtituta repetitione, toti operi finem imponit.

Margin notes: c. I. (gionis Chriſtianæ…); c. II. (unice debeant…); c. III. (pora ſpatio…); p. 602. (homines eſſe…); c. IV. (bet. De ipſa…); c. V. (vitæque innocentia…); c. VI. (ſtratam…); c. VII. (V. T. prolatis…); c. VIII. (mis ejus argumentis…); c. IX. (tiles præſtigias…)

## *OLAI BORRICHII CONSPECTUS SCRIPTORUM CHEMICORUM illuſtriorum. Libellus poſthumus. Cui præfixa Hiſtoria Vitæ ipſius ab ipſo conſcripta.*

Hauniæ, apud Sam. Garmannum, 1697. in 4. plag. 9.

NOn ignobile in his Eruditorum Actis *Olai Borrichii*, Polyhiſtoris ac Medici clariſſimi, nomen eſt, cujus *de Somno & Somniferis Diſſertationem* A. 1682 p. 153, *Analecta de Lingua Latina* anno eodem p. 256, *Diſſertationes Academicas de Poetis* A. 1683 p. 281, *Poemata* denique a viro celeberrimo Friderico Roſtgaard edita A. 1694 p. 33 recenſuimus. Nunc poſthumum illius de *Chemicis illuſtrioribus libellum* exhibemus, cui non immerito Borrichii ipſius, Chemicis illuſtrioribus ſummo jure accenſendi Vita, partem maximam ab ipſomet conſcripta, in cæteris ex Programmate celeberrimæ Academiæ Haſnienſis nomine, cum funus noſtro ducendum eſſet, publicato ſuppleta præfigitur. In hac, ut ſumma tantum ejus capita delibemus, docemur, in lucem editum fuiſſe Borrichium anno hujus ſeculi vigeſimo ſexto; ab anno quadrageſimo quarto ad quinquageſimum uſque, in Haſnienſi Academia triumvirorum clariſſimorum, Olai Wormii, Thomæ Bartholini ac Simonis Paulli informatione dexterrima uſum: quadriennium inde aut quinquennium exegiſſe formandæ in Schola Haſnienſi ad pietatem & bonas artes juventuti; hinc in aulam illuſtriſſimi viri Joachimi Gersdorfii, primarii eo tempore Regni adminiſtri, ut filiorum ejus moderaretur ſtudiis, accerſitum, eoque munere per quinquennium ita defunctum, ut a Potentiſſimo Daniæ Rege FRIDERICO III Philologiæ, Poeſeos, Chemiæ & Botanices profeſſioni deſtinari meruerit: anno ſexageſimo iter ad exteras regiones permiſſu ſuperiorum ingreſſum, Belgium primo, inde Angliam, Galliam, Italiam perluſtraſſe, illuſtrium ubique virorum, nec Polyhiſtorum minus quam Medicorum familiaritate ac inſigni benevolentia gaviſum: Haſniam tandem ex Italia per Germaniam, tranſacto inter peregrinandum ſexennio integro reverſum, officium Profeſſorium ipſo opere gnaviterque adminiſtrandum ſuſcepiſſe. Id qua fide ac dexteritate viginti annorum ſpatio geſſerit: quosnam eo temporis intervallo libros bono publico ediderit; quos inter quidem, præter ſupra memoratos, *Co-*

*gitationes de variis Linguæ Latinæ ætatibus*; *Analecta Philologica & Judicium de Lexicis Latinis Græcisque hactenus editis*; *Prodromus de Ortu & Progreſſu Chemiæ*; *Hermetis, Ægyptiorum & Chemicorum Sapientia, ab animadverſionibus Hermanni Conringii vindicata*; *Docimaſtice Metallica*, aliæque lucubrationes memorantur: ut inter Medicos Regios, nec non inter ſupremi Tribunalis Aſſeſſores fuerit cooptatus, tandemque & Conſiliarii in Cancellaria Regia dignitate auctus: ut poſt ſuſtentatos Chriſtiana patientia acerbiſſimos ex calculo dolores, die 3 Octobris anni 1690 animam Deo reddiderit, enarrari porro in iſta Borrichii vitæ Hiſtoria videas. Nam ut de Collegio Medico magnifice ab ipſo exſtructo, ac munificentiſſime, ſupra ſortem privati hominis dotato hic dicamus, neceſſe non eſt, cum de eo jam in Actis A. 1694 p. 33 expoſuerimus.

Atque hæc tot in Rempublicam literariam meritis illuſtris Viri memoriæ danda fuere. Nunc ad poſthumum ejus de Chemicis celebrioribus opuſculum progredimur, ex quo pro inſtituti modo pauca annotabimus. Inter eos, qui quidem monumenta nonnulla ad metamorphoſin metallorum ſpectantia (ipſa enim artis ſemina jam inde ab Adamo ad poſteros derivata fuiſſe, non dubitat Borrichius) reliquerunt, primus celebratur *Hermes Triſmegiſtus*, qui columnis inſculpi quædam juſſerit, ex quorum attenta ſpeculatione Agathodæmon ſeu Hermes ſecundus aliique primordia artis hauſerint. Eidem Hermeti Triſmegiſto decantatiſſimam illam *Tabulam Smaragdinam*, inter generales tamen ſolum præceptiones ſe continentem, quam ſuppoſititiam Kircherus aliique reputarant, fidenter vindicat. Sicut & *Hermetis ſecundi* opuſcula Chemica, quæ ſubinde a Græcis Latiniſque ad partes vocantur, germana æſtimat; licet non diffiteatur, *ſeptem* illa *Capitula Hermetis*, quæ publici juris ſunt, recentiori cuidam ſcriptori, *Hermeti tertio*, eſſe attribuenda. Eodem candore, quod proximum Hermeti primo locum ſibi vendicet, *Scriptum Iſidis* Horo filio dicatum, quale nunc quidem in larariis doctorum cuſtodiatur, ſpurium eſſe agnoſcit, Venere licet & arte non deſtitutum. *Democriti* etiam libellos, quorum alter βίβλος προφωνηθεῖσα Λευκηπτῷ, alter Φυσικὰ καὶ Μυστικὰ inſcribitur, non diſſimulat temporum injuria & incuria librariorum oppido eſſe mutilos & male ſibi cohærentes; ita tamen, ut (quod mireris) in uno quandoque dicto

totius

totius Magiſterii clavis deliteſcat. Democritum ſequuntur *Zoſimus Panopolites*, cujus ſcripta in Bibliotheca Regia Pariſienſi dicuntur asſervari, male tamen & ipſa librariorum vitio multata; *Syneſius Philoſophus*, ſed in ſecundis ſubſiſtens, cujus extat in ſcripta Democriti Scholion; *Theophraſtus junior*, *Hierotheus*, & *Archelaus*, qui artem ſacram & divinam (Chemicam innuunt) Jambicis verſibus ſunt complexi. Tacemus anonymum libelli de *modo dealbandæ aquæ divinæ* auctorem, *Heliodorum*, *Pappum*, *Pſellum* alioſque.

A Græcis ad Latinos, Arabes, Mauroſque digreſſus Borrichius, poſt *Turbam Philoſophorum*, librum ex veterum Chemicorum ſententiis conflatum, *Artephium*, *Moriennum Romanum*, *Gebrum Arabem*, *Rogerium Baconem* alioſque producit, ſeriemque eorum, qui in Chemicis vel quid præſtiterunt, vel quid arroganter moliti ſunt, ad recentiſſima uſque tempora noſtra pertexit, deque ſingulorum ſcriptis judicium ſuum cordate aperit. Hos omnes, & quæ de iis memorantur, a nobis recenſeri, prolixum nimis foret. Tria itaque tantum ex penu ſatis ampla decerpemus, cum Benevolo Lectore adhuc communicanda. Primum eſt, quod *Arnaldi de Villa Nova*, variis Chemicis operibus clari, qui circa annum Chriſti milleſimum trecenteſimum floruit, & in Aula Romana ſpecimen aliquando χρυσοποιήσεως edidiſſe vulgo creditur, poſteros hodieque ſuperſtites eſſe Auctor refert, in agro Avenionenſi degentes, nec adhuc Chemiæ imperitos. Alterum concernit *Raymundum Lullium*, de cujus vita, morte ac geſtis neminem rectius commentatum monet, quam *Vincentium Mutium* in Hiſtoria Majoricana A. 1650 Hiſpanico idiomate edita, qui in inſula Majorca Lullium A. 1235 natum, A. 1315 Bugiæ in Africa martyrio coronatum memoret. Unde traditionem vulgarem, Camdeno licet & Seldeno probatam, quod Eduardo III Angliæ Regi Lullius, ad bellum contra infideles gerendum, ſex milliones auri arte chemica confecti ſubminiſtraverit, falſitatis arguit, cum Eduardus III multis a morte Lullii annis demum gubernaculis Regni Anglici fuerit admotus: aut, ſi quid veri traditioni inſit, Eduardo potius ejus nominis poſt Wilhelmum Conqueſtorem primo eam Lullii liberalitatem patuiſſe, arbitratur. Tertium ſpectat ad Chemicum opus de Secretis Adeptorum a *Johanne Segero Weidenfeld* A. 1684 Londini editum. Et id quidem in Actis noſtris A. 1685, menſe Februario, p. 87. ſeqq. recenſuimus, ſuſpenſo pro-

inſtituti ratione judicio noſtro, niſi quod operis illius Auctorem Spiritus vini Lulliani, quem tamen ceu fundamentum omnium deſcriptorum menſtruorum extollat, deſcriptionem penitus ſubticuiſſe, obiter monuimus. Nunc cum de ſcripto iſto ſententiam ſuam Borrichius majore cum libertate, quam nobis nos indulgemus, in hoc libello expoſuerit, eam hic ipſiusmet verbis exhibere non dubitamus. Ita vero Borrichius pag. 39: *Johannes Segerus Weidenfeld de Secretis Adeptorum opus practicum nuper concinnavit, & illud magnæ induſtriæ lectionisque omnino variæ argumentum. Decretum illi, hoc ſcripto omnes veros Chemicos in ſpeciem diſſidentes redigere in concordiam; atque ideo omnium proceſſus, etiam prima fronte pugnantes approbat, tanquam veros, dummodo in illis aliquid Spiritus Vini Lulliani vel tacite, vel explicite reperiatur; creditque nullum adeo dari proceſſum, in quo is non deliteſcat vel ſub proprio, vel alieno nomine. Sed ut hæc ipſi conceſſeris (quod tamen vix ferent delicatius judicantes) nuſquam docet, quid ſit Spiritus ille vini Lullianus, quo genio incaleſcat, ex qua progerminet radice; ut proinde, quamdiu hoc ignotum eſt, menſtruum quoque vere univerſale ignorari neceſſe ſit. Quin & difficile eſt creditu, ſpiritum illum vini Lullianum innoxie permiſceri tot aquis fortibus, regiis, tot lixiviis, ſalſis, acidis, ut nihil de integritate ſua deperdat. Circumſpectius, meo judicio, veteres omnes hic aquas fortes exterminarunt, quod, quemadmodum bene Lullius in ſuo* Vade mecum, *non ſit bonæ matris filios ſuos interficere.*

ΘΕΑΤΡΟΝ, *IN QUO MAXIMORUM CHRISTIANI ORBIS Pontificum Archiatros* PROSPER MANDOSIUS, *Nobilis Romanus, Ordinis S. Stephani Eques, ſpectandos exhibet.*

Romæ, typis Franciſci de Lazaris, A. 1696. in 4.
Alphab. 1. plag. 7.

QUi e Bibliotheca, quam compoſuit, Romana erudito orbi pridem innotuit illuſtriſſimus *Proſper Mandoſius*, in peculiare hoc volumen (quod ſtudio illuſtris Magliabechii ad nos pervenit) illos congesſit ex Medicorum claſſe, qui ſummorum Pontificum valetudini tuendæ inde a temporibus ſat antiquis præfecti fuerunt, atque eapropter omnes, quotquot hinc a ſeculo poſt C. N. nono ad præſens uſque

ævum

ævum innotuerunt, ( ſunt autem eorum ultra centum, ) recenſet, antiquiſſimum inter eos conſtituens *Urſum*, Nicolai I. Archiatrum, recentiſſimumque ac hodienum ſuperſtitem *Lucam Tozzium*, poſt mortem Marcelli Malpighii ad hoc faſtigium evectum. Non ſola autem eorum nomina, patriamque, & quicquid alias ad ſingulorum perſonam ſpectat, annotaſſe contentus eſt, ſed ſcripta etiam ab iis confecta imprimis enumerat, & ad Auctores, qui de hoc illove ipſorum plura literis conſignarunt, Lectorem ſæpius remittit, usque adeo, ut paſſim nec inſcriptos ipſis ab aliis libros reticeat. In enumerandis autem eorum nominibus, non temporis, quo vixerunt, ordinem obſervat, ſed potius ad pronominum initiales literas alphabeti ſerie diſpoſitas reſpicit. Ut tamen & de tempore diſtinctius conſtet, indicem præmittit, in quo Pontifices a Nicolao I. ad Innocentium uſque XII ad chronologiæ ductum nominat, atque eorum cuivis unum pluresve Medicos ſubjicit. Sub calcem quoque libri indicem alphabeticum cognominibus noſcendis ſervientem exhibet. Quemadmodum autem Medicorum abs ſe recenſitorum familias ubique ſemper celebrat, ita illorum quoque parentes, fratres, filios, nepotes, cognatosque alios, tametſi a profeſſione Medica alienos & artibus diverſis deditos, non raro ſimul in medium adducit, unde heic doctos ſanctosque viros haud paucos e familia Petronia, Gamuccia, Turina, Leonina, Buoninſegnina, Maggia, Columbina, Honuphriana, Gottefridiana, Canana, Seriuſtia, Veralla, Brumana, Paſquana exortos deprehendas. Cæterum juvabit notatu digniora nonnulla, quæ hinc inde in eodem obvia ſunt, heic ſiſtere. Medicorum, qui ad Epiſcopatus aut Archiepiſcopatus dignitatem adſcenderunt, exempla in *Auguſtino Bagliono* p. 39. in *Balduino de Balduinis* p. 40. in *Hieronymo Provenzali* p. 90. in *Johanne Burgio* p. 118. exhibet. *Hieronymo Seſſa*, Pauli IV. Archiatro, Cardinalitiam epomidem ab hoc Pontifice oblatam, ſed ab illo repudiatam, p. 94; viciſſim autem a *Ludovico Scarampo* ſeu *Mediarota* ſub Eugenio IV, & ſub Pio IV a *Simone Paſqua* eandem ſuſceptam fuiſſe, p. 152 & 216. memorat. Medici Papalis munus, ob præſagia aſtrologica parum ſibi proficua viſa, ſub Paulo V repudiaſſe, aſt ſub Gregorio XV haud invitum obiiſſe *Pompejum Caimum* p. 194 & 196 refert. Non Latine modo & Græce, ſed Hebraice etiam, Chaldaiceque & Arabice doctum Medicum *Matthiam Naldium* p. 161

 intro-

introducit. Eorum, qui magnas opes ex hoc officio collectas, morientes reliquerint, plures p. 62. 69. 83. 105. 142. 163. 216. nominat. *Franciſcum Columbum* poſt ſcientiam medicam abs ſe excultam, adeo exacte verſatum ait p. 70 in libris Platonis, (quem præterea ſemper in ore habuerit,) ut & ipſe Platonis cognomen indeptus, & ejus poſteri per multos annos eodem inſigniti fuerint. Pag. 48 occurrit titulus, quo ſeipſum decorare voluit *Bartholomæus de Piſis*, dum ſervum Papæ ſe vocavit. *Petrum Leonium* ab Innocentio VIII in Medicum delectum amicis ſæpe dixiſſe narrat p. 187, ſubitæ ſibi mortis periculum in aqua portendi, unde flumina crebrasque navigationes formidarit; aſt eundem denique ſuapte ſponte, incertum qua de cauſa, in puteum ſe præcipitem dediſſe, p. 188 innuit. *Franciſcum Frigimelicam*, Medicum ſub Julio III celeberrimum, inteſtinorum dolore lancinante aliquando correptum, calculum magnitudine ovum gallinaceum æquantem per alvum excreviſſe, p. 74. obſervat. Obiter inſperſa & a materia libri paulum aliena hæc ſunt, ubi p. 20 *Auguſtinum Oldoinum* plura confeciſſe notat volumina, ad ingens opus de Scriptoribus Italis omnibus, ejusque partem manuſcriptam apud ſe eſſe teſtatur; prout & ἀνέκδοτα quædam Carmina Italica *Pauli Zacchiæ* (cui quoque ipſi inter Archiatros Pontificios locum aſſignat, ſe poſſidere p. 184. affirmat. *Jano Nicio Erythræo* in Pinacotheca parum eſſe credendum, p. 21. contendit, cum is facile in omnes invehatur, omniumque fere famam poſt nonnullas laudes vehementer lædere ſtudeat. Nec mitius p. 221. de *Garimberto* cenſet, quem Scriptorem vocat mendaciſſimum, & mox dubiæ fidei ſeu nullius, utpote qui Pontifices & Cardinales ſæpe injuſte maledictis oneret, & idcirco ſui momoſcopus ævi nuncupetur.

## *SAM. LIB. BAR. DE PUFENDORF DE REBUS A CAROLO GUSTAVO Sueciæ Rege geſtis Commentariorum Libri VII.*

Noribergæ, apud Chriſtophor. Riegelium, 1696. in fol.
Conſtant $7\frac{1}{2}$ alphab. & ingenti figur. æn. copia.

ILluſtris multotiesque nobis laudati Pufendorfii novum, ſed poſthumum hoc eſt monumentum, quo memoriæ rerum a *Carolo Guſtavo* invictiſſimo Suecorum Rege egregie geſtarum conſulere, neve

neve apud poſteros tanti Herois fama unquam in obſcuro eſſet, prohibere aggreſſus eſt. In quo quidem adornando tametſi non æque lata ſpatia decurrenda habuerit, quam cum belli a GUSTAVO ADOLPHO ſuſcepti, & CHRISTINÆ deinceps auſpiciis in Germania compoſiti hiſtoriam conderet, aut FRIDERICI WILHELMI MAGNI Brandenburgenſium Electoris vitam glorioſe ac inter tot victoriarum adoreas tranſactam explicaret; tamen & in hoc vix unius ſexennii complexu is præclarorum factorum cumulus, is ſplendor meritorum, ea conſiliorum ſolertia ſe offert, ut ſi quis iſthæc cum annis conferat, ætatem ultra putaturus ſit. Abſolvitur autem Commentarius hic, plurimis iisdemque elegantibus valde tabulis æneis exornatus, ſeptem omnino libris, in quorum I. præter ea, quæ ſucceſſionem CAROLI GUSTAVI poſt abdicatum a Chriſtina imperium, tum coronationem ejus & matrimonium concernunt, motus a Bremenſibus excitati quorſum evaſerint, occupatis aut tributo ſubjectis Ducatus quibusdam locis; quomodo ſiſti cœperint Kœnigsmarckii induſtria, ac adventu dehinc Stenbockii cum exercitu; & tandem Roſenhanio miniſtro qua ratione & quibus legibus finiti ſint, explicatur. Videas hic deſcribi Bremenſis urbis ſtatum, & regii juris fundamenta, quæ legiſſe & expendiſſe talium rerum curioſos non pœnitebit. II. liber de cœpti A. 1655 cum Polonis belli primordiis exponit. Poſtquam enim Jo. Caſimirus per legatum ſuum Henricum Canaſilium novo Regi ſuper jure regni controverſiam moviſſet, neque vellet concedere, ut regnum transferretur in alteram familiam, clamque hinc in Dania jam & Holſatia, ac apud Brandenburgicum de ſubſidiis ageret, claſſemque adverſus Suecos compararet, & Hagæ quoque fœdus in eum finem agitare diceretur; tum Carolus Guſtavus, re communicata cum Ordinibus, miſſisque ſubinde in Poloniam, qui conſilia Regis & rationes viresque una perveſtigarent, prævertendum ratus quicquid erat hoſtilium machinationum, in Poloniam transferre bellum ſuſcepit. Quod conſilium quem habuerit eventum, ut præmiſſo cum exercitu Wittenbergio Poſnanienſis primum & Caſilienſis Palatinatus cum quindecim militum millibus in verba Regis redacti, & accedente deinde Rege Warſovia expugnata, ad Czarnoviam & Donaicam flumen pugnatum ſit fortiter, Jo. Caſimirus porro e Regno in Sileſiam trepide profugerit, & Cracovia ſe dediderit, tum Quar-

Quartiani, ſtatus Polonorum miles, ac univerſus dehinc exercitus iſtorum ſecutus exemplum, & deſerta a Jo. Caſimiro Republica eam ſibi neceſſitatem impoſitam videns, Regi ſe permiſerit; quid in Maſovia interim Stenbockius egerit; quomodo Gardius Razivilium ad Regis obſequium & una magnam Lithuaniæ partem perduxerit, licet hic diſcere. Equidem Brandenburgicus Elector & Gedanenſes remoram facturi aliquantum videbantur Suecorum victoriis, nitentes pro viribus, ne Boruſſi.. hi potirentur, quorum etiam hos Vrangelius claſſe ad Boruſſiam appellens incaſſum ſollicitabat; at Elector tamen, poſtquam R. in Boruſſiam receſſiſſet, Thoruniumque eodem fere tempore, quo Holmæ Carolus ipſi filius naſcebatur, ac mox Elbingam quoque ſui juris faceret, permovebatur, ut fœdus cum Carolo Guſtavo faceret, cujus Regiomonte concluſi capita hic & pacta feudalia, quibus Warmienſis quoque Epiſcopatus in ſeculare feudum
§. 67, 68. converſus ac Electori fuit conceſſus, in medium producuntur. Qui
69. L. III. ſequitur annus 1656, parum Suecis initio fuit auſpicatus, cum Poloni mores eorum pertæſi, & religioni ſuæ timentes, deficerent magno agmine, & ipſe quoque regius exercitus ex itinere Jaroslavienſis intenſiſſimo frigore ſuſcepto, non parum affligeretur, ut cum fame eidem & morbis luctandum, totque ab agreſtibus in palantes hinc inde non raro incidentibus injuriæ eſſent perferendæ. Evaſit tamen, quicquid erat malorum, fortisſimus Princeps, cum ad Golumbium pagum cum Czarnecio feliciter dimicaret, & ſuperato Sano fluvio omnem Lithuanorum exercitum in fugam conjiceret, ac tandem inito Mariæburgi novo cum Electore fœdere prope Warſaviam inſignem illam victoriam reportaret, qua diſperſæ Polonorum copiæ & Warſavia denuo fuit occupata. In ipſo prælio, quod per tres fere dies duravit, Rex manifeſto periculo vix ereptus, cum ſolum Tra-
§. 26. venfeldium ſecum habens a ſeptem Tartaris lanceis & jaculis invaderetur, quorum duos brevioribus ſclopetis ſtatim occidit, tertii, qui lanceam Regis freno implicuerat, caput ita gladio percuſſit, ut deflueret, hinc Travenfeldio, qui jam duos globis trajecerat, ſubveniens, ut ultimi duo fuga ſalutem quærerent, effecit. Inde Moſci a Belgis & Cæſareis inducti, & ſpe freti fore, ut provincias mari Baltico adſitas recuperarent, titulos ſibi non accurate tributos querentes, in Careliaam Ingriamque impetum faciunt, & late omnia vaſtant,

hinc

hinc majori niſu Livoniam inſultant, occupatisque Duneburgo & Cackenhuſa, ipſam Rigam acriter obſident; quam tamen Gardius tam ſtrenue defendit, ut poſt ſex ſeptimanarum moram, & aliquot millium jacturam, eosdem illinc oporteret faceſſere. Quale interim fœdus Regem inter & Cromvellum, de mercibus potiſſimum & militibus conducendis, factum ſit, utque ſuper arctiore ille cœperit movere; ut Belgæ quoque Boruſſiæ portus Suecis inviderint, eisdemque hoſtes clam excitare ſuſceperint, donec de commerciorum in mari Baltico libertate cum iisdem tandem Elbingæ tranſigeretur, copioſe ſimul explicatur. Videbatur annus 1657, cujus hiſtoriam IV liber percenſet, Suecorum rebus non parum firmamenti attuliſſe, cum Ragotſius Tranſylvaniæ Princeps in ſocietatem, fruſtra renitente Cæſare, perductus, exercitu quinquaginta fere millium Carolo Guſtavo auxilio proficiſceretur, in cujus poteſtatem Cracovia illico, ac Breſtia deinceps, nec non Warſovia poſt obſidionem aliquam deveniebant; at idem tamen eorum conſilia non vulgariter diſturbavit, cum Dani illinc ingruentes id efficerent, ut Sueciæ Regem alio deſtinare bellum, relictisque, qui Boruſſiam tuerentur, paucis, omnem exercitum oporteret educere; hinc Auſtriaci approperantes Ragotio metum injicerent, qui cum neglectis ſanioribus conſiliis in Volhyniam ſecederet, eidemque exercitus Polonicus propius incumberet, Coſaci quoque, Moldavi & Tranſylvani domum confugerent, ad turpe cum Polonis pactum ineundum eſt compulſus, ut ſcilicet mitteret legatos deprecaturos apud Polonos, Hungariæ Regem & Portam Ottomannicam, Tartarorum Chamo & primario ejus Veziero daret honorarium, Breſtiam & Cracoviam redderet, exiretque Polonia, ac ob illata damna, quadraginta uncialium millia ſolveret. Multus eſt illuſtris Autor, ut Regem ſuum ab ea culpa, ac ſi ſocium hunc ſuum in illud exitium præcipitaverit, abſolvat, qui & eadem occaſione, a propriis miniſtris proditum fuiſſe Ragotium, non levibus argumentis demonſtrat. Quod Danicum vero bellum attinet, ſuaſu Joachimi Gerſtorfii potiſſimum ſuſceptum, ejus hic initium, quasve illi cauſas ſcripto publico a Theodoro Reinkingio condito prætexuerint; quæ ſucceſſuum minus felicium fuerint rationes; quid in Bremenſi Ducatu a Danis primum, hinc ejectis iisdem Vrangelii induſtria, in Holſatia a Rege, ac in mari poſtmodum inter utramque claſſem geſtum ſit, memoratur.

 Cum

§.71. Cumprimis meretur obſervari, ipſum Daniæ Regem, inſciis plerisque ac Regina quoque, claſſem conſcendiſſe & Gedanum verſus navigaſſe, ut Carolum Guſtavum, quem in Sueciam remeaturum fama erat, interciperet; quem tamen, ubi Gedanum deveniſſet, jam terra Stetinum verſus iter ingreſſum eſſe cognoſcebat. Neque erit ingra-
§.42.ſ. tum, quibus modis Sueciæ Rex de excludendis Imperatoria dignitate Auſtriacis laboraverit, quique factum, ut in caſſum caderet iſthæc negotiatio, perſpexiſſe. Quem liber V annum 1658 deſcribit, is eo illuſtrior evaſit, quo magis inſperatus fuit tranſitus Suecorum e Jutia in Fioniam, factus die Saturni, ultimo menſis Januarii, ſupra Baltici freti glaciem, cum die Martis præcedente aqua adhuc pura ibi fluxiſſet. Succeſſit ingens Danorum clades, cum ex quinque & amplius millibus vix trecenti hoſtium manus effugerent, & tantus omnes invaſit metus ac trepidatio, ut actum de iſthac Sueciæ tam adverſa Carthagine Danica videretur. Declinarunt tamen Dani majorem perniciem pace Roſchildiæ concluſa, quam cum ſubſcriberet Joachimus Ger-
§.12. ſtorfius, literas ut neſciret, fertur optaſſe. Nec fuit tamen ea amicitia diuturna, cum Dani, cenſente Noſtro, moras necterent circa pacis executionem, & novos delectus facerent, & nova cum Belgis inirent conſilia; ut de extorquenda firmiori pace cogitare Carolum Guſtavũ, & ſequenti æſtate denuo in Seelandiam oporteret tranſire. Quam trepidarint tunc omnes; quæ Friderici fuerit generoſitas, cum, ut in Norwegiam aut Belgium ſecuritatis gratia concederet, ſuadentibus,
§.96. in nido ſe moriturum reſponderet, nec ſuperſtitem ſuo regno fore, accurate exponitur, additurque, fuiſſe famam, quod ad duellum evocatus ſit a Friderico Carolus Guſtavus, ut eodem omnis ſemel controverſia finiretur. Quod vero non ipſa Hafnia, ſed Croneburgum primo appeteretur, Hannibalem Seeſtedium effeciſſe ſcribit Pufendorfius, qui Vrangelio res pretioſas, quæ Croneburgi aſſervarentur, multis deprædicaverat; Terlonum quoque Galliarum Regis Legatum diſſuaſiſſe Hafniæ aſſultum, quod plures eſſent in urbe, qui mœnia defenderent, quam Suecorum, qui ea impugnarent; quin & pleroſque credidiſſe, lubentibus Sueciæ proceribus id obſidium irritum fuiſſe, ob infauſtam ſemper Sueciæ cum Dania conjunctionem, & quod timerent, ne ſedes regni in Daniam transferretur. Ac Croneburgum quidem poſt 20 dierum obſeſſionem a Vrangelio expugnabatur,

batur, Danis vero Haſniam muniendi ſic relictum ſpatium. Percurritur dehinc Belgicæ claſſis, quam Opdamus auxilio Danis adducebat, adventus, quodque d. 29 Octobr. prælium inter utramque claſſem hoc eſt commiſſum eventu, ut Haſnia expetitis diu copiis ad firmandum præſidium potiretur; quidque fœderatus Cæſaris, Polonorum ac Brandenburgici in Holſatia exercitus molitus ſit; quamque injucunda Suecis Nidroſienſium in Norwegia defectio contigerit. Multa quoque de electione Cæſaris Leopoldi, ſtudioque Regis pro iſthac impedienda, tum & facie aulæ Imperatoriæ, qualis eo tempore fuit, inſperguntur; quam plane Angli ad arctius fœdus non potuerint permoveri; quam iniquum ſe Curlandiæ Dux præbuerit Suecis, amicique leges, qui neutrarum partium eſt, male ſervaverit, ut occupata Mittavia, Rigam eum captivum oportuerit abduci; quam parum in Boruſſia, gliſcente jam Polonorum erga Auſtriacos diffidentia effectum, & non niſi Thorunienſis urbs, poſt longiſſimam obſidionem, Oxenſtierna hoſtes callide & miro ſtratagemate detinente, ac ad honeſtiſſimam demum pactionem adigente, recuperata ſit; utque induciæ demum in triennium cum Moſcis coaluerint. Sequitur liber VI, & una annus 1659, ſub cujus initium Haſnia quidem fruſtra noctu oppugnata fuit, cum de conſiliis Suecorum, Cornificii Ulfeldii proditione, jam conſtaret in urbe; Langelandia tamen, Falſtria & Lalandia felicius occupata ſunt. Ut Fœderati Fionia ne potirentur, Oweni Coxi navarchi Anglici virtute cumprimis contigit, qui hoſtium bellicas naves prope Mittelfartum partim cepit, partim delevit igne, & ſexcentos Brandenburgenſium, quingentos Cæſareorum captivos abduxit. Inde claſſis Anglica primo vere in Oreſundam devenit, ductore Montacutio prohibitura, ne Dani plane opprimerentur, & ne conjuncto cum Opdamo Reutero, Belgarum in Oreſunda potentia nimium excreſceret. Late hæc omnia deducuntur, & de compacto Gallos inter, Anglos, & Belgas inito, biniſque deinde vicibus repetito memoratur, ut pax ſcilicet inter Boreales Reges conſtitueretur, & diſſentiens ex illis, junctis Anglorum & Belgarum viribus ad acceptandam eam compelleretur. Inde tractatuum inter Suecos atque Danos, poſitis ad urbem Haſniam tentoriis, factum initium, duæque conſpirationes in Suecorum perniciem ſuſceptæ miro caſu detectæ. Sed mox Fœderati, Eberſteinii auſpiciis in Fioniam impetum

§. 46.
§. 119.
§. 122.
§. 19.
§. 25.
§. 52.

petum faciunt, & profligato Suecici exercitus duce Philippo Sulzbacenſi, magnam cladem edunt, cæſis duobus fere millibus; utque viſceribus Daniæ Carolum Guſtavum avertant, in Pomeraniam irrumpunt, atque occupatis quibusdam locis, Stetinum quoque, tametſi incaſſum, obſident. Quod in Curlandia Suecorum res ſenſim pejores factæ ſint, ac in Borusſia quoque juncti Cæſareis Poloni Graudentum atque Hauptum ſuæ poteſtatis fecerint, ſub libri finem legitur. Nos de Cornificio Ulfeldio, & quomodo Hannibal Seeſtedius, ipſius utut affinis, fortunam memorabili dolo everterit, hæc enotabimus.

§. 52. Scilicet (verba ſunt Auctoris) ne iſte apud Suecos veterem gratiam repararet, reditibusque ſuis libere in Dania frueretur, Seeſtedius Friderico Regi ſuggeſſit, ut ſibi Holmiam proficiſcenti in mandatis daretur, cauſam Ulfeldii apud Senatum Sueciæ commendare. Id quippe non poſſe non ipſum ſuſpectum reddere, ſi pro illo is intercedat, in cujus gratiam idem proditionem ſuſcepiſſe arguebatur. Sueci dolum iſtum haud ſentientes, & quia poſt mortem Regis, bellique finem, non omnia ad unguem reſecanda ducebant, Ulfeldium abſolvebant, velut haud ſatis convictum, nec defenſum, morbo loquelæ uſum adimente. Aſt Seeſtedius, cum aſtutia ſua contrarium effectum ſortita eſſet, ad Comitem Brahæum accedebat, ab eoque contendebat, ut ſententia Senatus haud divulgetur, ſed ſibi tradatur, quo eadem Ulfeldio exhibita ſuam gratiam facere poſſet. Mox ſententia accepta, Terlono ac Sidneio perſuaſit, Ulfeldium a Senatu damnatum, rogavitque, ut idem per literas Ulfeldio propere ſignificent, quo is ſaluti ſuæ per fugam conſulere poſſit. Quorum literis acceptis Ulfeldius territus, eluſis cuſtodibus Malmogia Hafniam malo ſuo fato evaſit, & citra præviam reconciliationem in Daniam accedens, apud Fridericum Regem haud indebitam ultionem invenit. Finitur Libro VII omnis rerum a Carolo Guſtavo geſtarum hiſtoria, ac anno adeo 1660 glorioſa ſimul magni Herois vita. Statuerat is in Norwegiam parare impreſſionem, ne Nidroſia gratis amitteretur; hinc Laurentius Kaggius Haldam oppidum juſſus eſt obſidere, quod & fecit ſtrenue, licet eventus nequaquam reſponderet ſpei, cum morbi exercitum affligentes, ac cœli inclementia, & ſubſecuta demum Regis mors deſtinata interrumperent. Contigit ea d. 12. Februarii, poſtquam cum febri maligna aliquandiu fuiſſet luctatus, ac im-

imminente jam fatali hora, res ſuas, atque regni negotia, quæque tutelam maxime tenelli tum adhuc Caroli concernebant, ſolerter ordinaſſet; ita ut intrepido animo, & nec ad extrema deficiente, inter Gabrielis Oxenſtirnæ & Nicolai Brahæi brachia placide obdormiret. Ejus ſubnectit Elogium ſingulare Puſendorfius, ac inter alia, cum Nicopiæ ſacro lavacro initiaretur, ſacerdotem ſcribit vidiſſe lucem capiti infantis ad limbi inſtar circumfuſam, idque & protinus adſtantibus & poſt conſtanter adſeveraſſe. Poſt domeſticam inſtitutionem, Upſaliam miſſum, cum annum decimum ſextum ætatis ageret, & ne crederetur aliquid opinionum circa ſacra publicis regni confeſſionibus repugnans in ædibus paternis hauſiſſe, Profeſſoris Theologiæ Jo. Lenæi contubernio fuiſſe concreditum, qui circa divina eum inſtruxerit, & in ejusdem abituri gratiam libellum *de Veritate & Excellentia Religionis Chriſtianæ* conſcripſerit, ac Archi-Epiſcopus factus Upſalienſis non parum momenti ad ſucceſſionem Chriſtinæ obtinendam attulerit. Poſt biennium Upſaliæ conſumtum, exteras regiones luſtraſſe, ac per Daniam & Germaniæ maritimam oram in Belgium Fœderatum; inde in Galliam ſe contuliſſe, per Helvetios Argentoratum adiiſſe, ut Bernhardo Vinarienſi innoteſceret, ſed eo per id tempus defuncto Pariſios revertiſſe; ſupereſſe Itinerarium ipſius manu Latina lingua ſcriptum; didiciſſe Latine, quantum Regi poteſt ſufficere; Gallica lingua promte, Germanica non minus quam Suecica vernacula in vicem, Italica ſic ſatis uſum eſſe; inde bellandi artes in Germania ſub Leonardo Torſtenſonio addidiciſſe &c. Reliqua pars hujus libri occupatur in deſcribendis tractatibus tum Olivenſibus, quibus pax d. 23. April. inter Suecos, Polonos, Cæſareos & Brandenburgicos, Ludovicæ Mariæ Poloniæ Reginæ maxime induſtria coaluit, tum Danicis, quibus d. 27. Maji non gravi minus bello finis fuit impoſitus; cum unius Regis virtus ſex populos ſuſtinuiſſet, duorumque Regum alterum extra fines regni ſui ejeciſſet, intra regiam alterum obſediſſet, progreſſibus victoris ſiſtendis tota propemodum Europa excitata. §. 3.

*CRITICA SACRA EDUARDI LEIGH, DENUO NUNC EDITA cum Prodromo Critico a* JOANNE HEESER, *Sigena-Naſſovio, V. D. M.*

Amſtelædami, typis viduæ Joannis a Someren, A. 1696. in fol.
Conſtat Alphab. 10. plag. 6.

DUdum eſt, quod Eduardus Leigh, Eques, L. A. M. & aulæ Magdalenæ Oxonii Præpoſitus, Criticam hanc ſacram, eamque bipertitam, concinnavit, ac varias obſervationes Philologicas Theologicasque, in omnes radices Veteris Teſtamenti, & omnes Græcas voces Novi Teſtamenti in eandem congeſſit. In opere autem hoc, maxima ex parte, Anglico ſermone uſus fuit; unde iſtud in Latinum idioma traduxit, & A. 1678 edidit Henricus a Middoch; ex quo tempore, ob exemplarium defectum, & in Belgio & nuper etiam in noſtra Germania, impreſſio illius ſub iſthoc habitu ſemel iterumque repetita fuit. Noviſſimam autem hanc editionem Amſtelædamenſem additamento carere noluit vir reverendus Joannes Heeſerus. Cum enim & ipſe integram aliquam Criticam ſacram omnium vocum, qua Veteris qua Novi Teſtamenti meditetur, inque ea veram vocabulorum originem, propriam item & genuinam ſignificationem, diverſasque eorum apud LXX Interpretes translationes exhibere conſtituerit; hinc Prodromum illius, quem vocat, Leighio ſubnectere nunc voluit, & in eo quidem circa criſin ſacram omnium vocum Chaldaicarum in Daniele, Eſra & Jeremia occurrentium verſatus eſt; multa tamen Hebraica vocabula ſimul inſperſit, utque hæc ab iſtis eo melius diſtingui poſſent, Chaldaica aſteriſco notari curavit. In diſponendis radicibus & earum derivatis, ordinem e Buxtorfii Lexico minori huc adhibuit, ac in gratiam eorum, qui in eruendis radicibus parum exercitati ſunt, indicem vocum Hebraicarum & Chaldaicarum, ordine alphabetico magis diſpoſitum ſubjunxit.

*INSIGNIS AC CELEBERRIMI DE SS. TRINITATE LOCI 1. Joh. V, 7. Divina Autoritas, Senſus & Uſus Diſſertatione Theologica demonſtratus a* M. FRIDERICO ERNESTO KETTNERO, *Stolbergenſi.*

Lipſiæ, apud Heredes Friderici Lanckiſii, 1696. in 4.
Conſtat Alphab. 1.

TAmetſi comma illud, quod in prioris Epiſtolæ a Johanne perſcriptæ quinto capite eſt ſeptimum, uti a compluribus Theologis aliis, ita

ita imprimis a noſtro Gerhardo dudum ſolidiſſime expoſitum, ſuæque auctoritati, diverſis diverſorum contradicentium ſtrophis impugnatæ, redditum fuit: placuit tamen Auctori Exercitationis hujus reverendo ſuam quoque circa illud exercere induſtriam, ac diligenter colligere, quæ alii hinc inde olim de eodem fuere commentati: prout & univerſam fere de SS. Trinitate doctrinam heic repetiit, ac uſus qua fidem qua mores informantes, qui alias deduci ſolent generatim e toto hoc articulo, tractationi huic accommodavit. Exorſus autem ab indagine illarum rationum, ob quas Johannis Evangeliſtæ imago quædam conſtituatur aquila, mox ad enumerationem Auctorum pergit, qui divinam eſſe dicti hujus originem negarunt, eorumque nomina ex Gallia, Batavia, Anglia, Saxonia, Italia, Polonia, Transſylvania, Helvetiaque allegat. Hinc manuſcripta Biblica, quæ dicto illo careant, octo & triginta ordine alphabetico diſpoſita, Eccleſiæque Patres altum de eodem ſilentium tenentes, verſiones etiam ac editiones, quæ nihil horum verborum hoc in loco oſtendant, introducit. Porro de dicti per varias lectiones corruptione agit, textusque cum antecedentibus connexionem a nonnullis, ſi iſtud addatur, pro inepta habitam commemorat. Poſtmodum vero argumenta, quibus dicti auctoritas corroboretur ac vindicetur, cumulat, primoque loco obviam ejus in non paucis Patribus ſcriptisque ritualibus allegationem urget; deinceps e depravatione Epiſtolæ Johannis primæ, hæreticis admodum familiari, negotio haudquaquam difficili factum fuiſſe colligit, ut & præſens locus rapaces eorum manus fuerit expertus; ulterius quam pulchre iſtud cum ſcopo & cohærentia totius Epiſtolæ Johanneæ conveniat, deducit; præſtantiam hinc & ſinceritatem manuſcriptorum, in quibus id oraculum extet, celebrat; nec tandem dicti cum phraſi Johannea, analogia fidei, aliisque ſimilibus κριτηρίοις conſenſionem omittit. Quibus pertractatis, de ſtylo, quo heic uti placuerit Apoſtolo, diſputat, eumque nec Helleniſticum eſſe, nec Platonicum, nec Chaldaicum, nec Talmudicum demonſtrat. Verba ſingula & eorum ſenſum ponderat, poſt quem prolixius illuſtratum uſus, quos ſupra diximus, ſubjungit, ac ultimo appendicis in vicem triginta diſpoſitiones iis, qui in cathedra ſacra textum hunc tractare voluerint, inſervituras ſuperaddit.

LE NOUVEAU TESTAMENT &c.

Hoc eſt:

*NOVUM TESTAMENTUM DOMINI NOSTRI J. C. CONcinnis perſpicuisque notis in verſionem, qua vulgo Eccleſiæ Reformatæ utuntur, illuſtratum, præfationibusque exornatum a* DAVIDE MARTINO *Eccleſiæ Walonicæ, quæ Trajecti ad Rhenum eſt, Paſtore.*

Traj. ad Rhen. apud Franc. Halmam & Wilh. van de Water, anno 1696. in 4. Conſtat alphab. 4. plag. 8.

DIfficile foret, omnium editionum, quibus Genevenſis Novi Teſtamenti translatio recuſa fuit, numerum inire. Tot enim vicibus, tam variis formis, poſt R. Olivetani tempora, lucem illa adſpexit, ut integrum volumen implere poſſit impenſorum in illam laborum hiſtoria. In qua, ſi componenda ab aliquo eſſet, merito ſibi etiam locum reverendus *Martinus* eſſet vindicaturus. Ille enim in ea, quam nunc exhibemus, editione, non id tantum operam dedit, ut nitida emendataque, quam fieri poteſt maxime, verſio illa extaret: verum etiam notis ſuis efficere ſtuduit, ut plana magis atque perſpicua rudioribus illa redderetur. His enim ut præcipue inſervire hac opera ſua ſeſe velle oſtenderet, ſervatas in aliis Genevenſis verſionis editionibus variantes Græci textus lectiones prorſus omiſit. Imo etiam in notis ſuis, nulla fere inſtituta Græci textus cum hac verſione collatione, ut eam vel defenderet vel emendaret, ſimpliciter argumentum ſacrorum librorum explicaſſe contentus eſt. Qua in re aliud ejus conſilium eſſe non potuit, quam quod turbare hujusmodi rebus infirmiorum animos fuerit veritus: quam multa enim ex inſtituto Colomeſius, quam multa alii ſparſim in Genevenſi illa N. T. verſione reprehenderint, eum non latuiſſe putamus. Præter notas iſtas ſuas, quas textui ſemper ſubjecit, in margine loca alia parallela copioſe diligenterque allegavit. Singulis autem libris præfationem non adeo prolixam præmiſit, in qua ſummam & ſcopum eorum expoſuit. Univerſo denique operi generalem præfationem præfixit, in qua veritatem Religionis Chriſtianæ, allatis breviter potiſſimis argumentis, aſſertum ivit.

* * *

ACTA
ERUDITORUM
*Publicata Lipſiæ*
*Calendis Maji, Anno M DC XCVII.*

## TRAITE' DE LA MANIERE D' EXAMINER LES Differens de Religion &c.

Id eſt:

*TRACTATUS DE RATIONE CONTROVERSIAS DE RE-ligione examinandi, Auctore* MICHAELE LE VASSOR.

Amſtelodami, apud P. Brunel, 1697. in 12. Alph. 1. pl. 4.

PLacuit Auctori doctiſſimo cum celeberrimis Eccleſiæ Romanæ propugnatoribus, præſertim cum Nicolio & Meldenſium Præſule Jacobo Benigno Boſſueto, deſcendere in arenam. Aggreditur autem ipſum caput cauſæ, & de ejusmodi quæſtionibus diſceptat, quibus expeditis cætera fere ſua ſponte corruunt. Primo enim in methodum, qua veteres in capitibus doctrinæ cœleſtis, ſuper quibus lis forte orta erat, dijudicandis uſi ſint, inquirit: ſimulque probare annititur, longe aliam hodie eſſe rerum faciem, quam olim fuit, nec adeo rationem iſtam diſſentientes convincendi, veteribus frequentatam, hodie uſurpari poſſe. Nimirum Gnoſticos aliosque hæreticos ait ſemper in ore habuiſſe traditiones quasdam, quas ab Apoſtolis ſeſe accepiſſe gloriati ſint, & ſine quibus divina Novi Fœderis oracula intelligi non poſſe, contenderint. Hoſce ergo homines ut confutarent purioris cœtus Doctores, non potuiſſe in aliam viam ingredi, quam ut ad Eccleſiarum, quas aut fundaverant Apoſtoli, aut quibus præfuerant, teſtimonium provocarent. Si enim arcanam quandam habuiſſent doctrinam, quæ literis non eſſet conſignata, ſine dubio cum Eccleſiis, quas plantave- Cap. I.

rant, eandem communicaſſent, & curaſſent, ut in iisdem conſervaretur. Quæ cum ita ſint, mirum non eſſe concludit, quod Irenæus & Tertullianus aliique ſubinde in ejusmodi diſceptationibus ad Eccleſiæ teſtimonium provocarint. Cumprimis autem valde prolixus eſt in explicanda methodo D. Auguſtini, quem ejusmodi Eccleſiæ imaginem animo concepiſſe ſimul affirmat, quam cum re ipſa parum convenire, eventus & ſubſecutorum temporum hiſtoria luculenter comprobarit. Hinc diſcuſſis velut in tranſitu aliquot Nicolii & Boſſueti dubiis, nec Chriſtum, nec Apoſtolos unquam aut Eccleſiæ infallibilitatem, aut traditionem in ſubſidium vocaſſe, quotiescunque cum veritatis hoſtibus illis res eſſet, commonſtrat. Hiſce ita expeditis, controverſias, quæ hodie inter Proteſtantes & Romanenſes agitantur, magnum omnino trahere momentum aſſerit, eundoq; per præcipuas, de infallibilitate Conciliorum, primatu Romani Pontificis, numero Sacramentorum, invocatione Sanctorum, cultu imaginum, &c. idem evincit. Notat quoque Nicolium, exiſtimantem, unumquemque prolixa horum capitum diſcuſſione facile ſuperſedere poſſe, modo ad mores, non adeo, ut putat, probos illorum, qui Eccleſiæ Romanæ errores primum emendare cœperunt, attendat. Namque inter eos ipſos, qui primi jugum Romani Pontificis excuſſerunt, fuiſſe viros, ipſorum Romanorum confeſſione, puræ integerrimæque vitæ, demonſtrat. Inquirendum itaque in veritatem inquit, ſed quomodo? Num ad traditionem aut Patrum auctoritatem recurrendum? Non quidem hoc plane neceſſarium dicit, cum Divinæ Literæ hunc in finem mortalibus ſint conceſſæ; interim non diffitetur, ſi de oraculi cujusdam ſenſu lis ſit, haud male quandoque veteris Eccleſiæ Doctores conſuli. Cumprimis autem Patrum, qui ante Concilium Nicænum vixere, ſententiam minime contemnendam eſſe judicat. Quod ad illos attinet, qui a Concilio Nicæno ad Chalcedonenſe uſque vixere, licet prioribus doctrinæ puritate, vitæque ſanctitate cedant, in quibusdam tamen capitibus itidem non male eos in ſubſidium vocari, pronunciat. Hæc dum uberius proſequitur, ad Vincentium Lerinenſem tandem ſermo devolvitur, cujus methodum diſſentientium placita ad examen revocandi, plane non convenire cum methodo, quam Romanæ Eccleſiæ Doctores commendant, id quidem eſt, quod ſibi demonſtrandum ſumpſit. Sed cum ad Eccleſiæ infallibilitatem ubique Ro-

Cap. II. (margin, beside "hoſtibus illis res eſſet")

Cap. III. (margin, beside "Romanæ Eccleſiæ Doctores")

Romanenſes provocent, & in ea omne cauſæ ſuæ præſidium collocent, in hanc paulo diligentius inquirit. Delineata itaque paucis Eccleſiæ natura, quam animo concepit, ut ſibi demonſtretur poſtulat, quænam Eccleſia iſta fuerit tempore Chriſti, quæ infallibilis dici poſſit. Ad Synedrium provocari non poſſe ait, niſi quis R. Simonis aſſerta jam pridem exploſa, aut Rabbinorum admittere commenta velit. Nec rectius Sapientes iſtos, aut Vatum in ſcenam produci collegia. Qui vero Scribas & Phariſæos huc advocent, plane falli. Dixiſſe quidem Servatorem: *in Moſis ſede ſedent Scribæ & Phariſæi: quicquid igitur vobis dixerint exequendum, exequimini & facite &c.* Matth. cap. 23. v. 2. 3. Sed ſenſum hujus effati hunc eſſe: *quicquid igitur vobis dixerint exequendum, ſiquidem cum lege Moſis convenerit, exequimini &c.* Non aliter hoc oraculum intelligi poſſe, prolixe evincit. Reſpondet etiam ad loca, quæ in hac diſceptatione ſubinde proferri ſolent, Matth. XVI, 18. 1. Tim. III, 14. 15. 16. Matth. XXVIII, 19. 20. Epheſ. IV, 11. 12. 13. Matth. XVIII, 17. Et circa Pauli quidem effatum in Epiſt. ad Timotheum, præter alia monet, verba ita etiam diſtingui poſſe: *hoc tibi ſcribo, ſperans me ad te venturum brevi; ut, ſi tardem, ſcias, quomodo ſit in domo Dei verſandum, quæ eſt Dei viventis Eccleſia. Ecce veritatis columen*, &c. Sed fatetur ſe veterum auctoritate deſtitui. Locum Matth. XXVIII, 19. 20. de Apoſtolis tantum intelligit, & verba, *uſque ad finem ſeculi*, de Reipublicæ Judaicæ everſione capit. Inſiſtit eidem argumento in ſequenti capite, & Nicolii rationes, pro Eccleſiæ infallibilitate, a traditione deſumtas, ſub examen revocat; hac etiam occaſione de Græcæ Eccleſiæ cum Romana conſenſu, quem Romani fingant, ut & de miraculis diſſerit, Nicoliique inſtitutum, quo morum integritatem vitæque puritatem multis Eccleſiæ Romanæ addictis tribuerat, eamque in cœlum ſuſtulerat, perſtringit. Et ita quidem ad Concilia progreditur. De quorum origine, natura & auctoritate dum diſſerit, a Deo ea inſtituta eſſe, ad lites finiendas, diſerte negat. Nec Servatorem, nec Apoſtolos Concilia præſcripſiſſe, oſtendit. Quod vero vulgo afferri ſolet ex Actor. 16. capite, Concilium Hieroſolymitanum, id vero concilium accurate loquendo fuiſſe, plane abnuit. Unam enim Eccleſiam alteram ſuper quibusdam quæſtionibus ſolum conſuluiſſe ait, id quod nondum ad concilium ſufficiat. Quando autem Apoſtoli ſcripſerunt: *viſum eſt Spiritui Sancto & no-*

Cap. IV.

Cap. V.

*bis*, hoc non ita intelligendum eſſe, quod Spiritus Sanctus Doctoribus in concilio congregatis ſpeciali ratione adſit, ſed quod de voluntate Spiritus Sancti, & per miracula, & per clariſſima divinarum literarum effata, certiores eſſent redditi. Frequentari autem deinceps concilia cœpiſſe, dum Eccleſiæ ex metropolitanis propagatæ, ſi dubium aliquod ortum eſſet, illarum Antiſtites conſuluerint, qui ne ſoli ſententiam dicere viderentur, aliarum Eccleſiarum Præſules adhibuerint in conſilium, eosque hunc in finem convocare ſoliti fuerint. Interim ex eo, quod Gentilibus omnem furorem in Chriſtianos effundentibus, concilia non celebraverint, etiamſi lites non deeſſent, luculentiſſimum pro ſua ſententia argumentum duci poſſe putat; nunquam enim hoc intermiſſuros fuiſſe, etiamſi vidiſſent, maximis inde periculis ſe expoſitum iri, ſi putaſſent, a Deo hunc modum lites componendi aut præſcriptum, aut commendatum fuiſſe. Falſum autem eſſe, quod dicitur, Spiritum Sanctum conciliis peculiari modo adeſſe, eundo per præcipua veteris Eccleſiæ concilia; quæ aut ab aliis conciliis, aut certis tamen & magnæ auctoritatis Doctoribus rejecta fuerint, probare annititur. Cæterum cum Boſſuetus affirmaſſet, Proteſtantes articulum Symboli Apoſtolici, *credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, rejicere, & vel ex hoc ſolo capite erroris convinci poſſe, Auctor hoc ſibi datum reputat, ut in horum verborum ſenſum inquirat, & Proteſtantes eo modo de Eccleſia ſentire evincat, quo Symboli hujus conditores ſenſerunt. Quod dum agit, inter alia obſervat, Apoſtolos hominibus a ſe converſis non aliud dediſſe ſymbolum, quam quod in verbis Chriſti Matth. XXVIII, 19 continetur. Ut enim Chriſtiani tum a Judæis tum ab Ethnicis diſcernerentur, ſuffeciſſe putat, ſi Deum unum in eſſentia, trinum in perſonis confiterentur. Judæis etiam, cum jam Deum unum admitterent, ad Eccleſiam Chriſtianam tranſeuntibus, ſatis fuiſſe hæc verba in Symboli vicem proponere: *credo Jeſum Chriſtum eſſe filium Dei*; Act. VIII, 37. 38. Sed cum deinceps magnæ multæq; ſuper doctrinæ cœleſtis capitibus diſceptationes orirentur, aliis quidem Deum Patrem Chriſti creatorem eſſe cœli & terræ negantibus, aliis Chriſtum nudum fuiſſe hominem a Joſepho & Maria genitum contendentibus, nonnullis eum vere mortuum & cruci affixum eſſe abnuentibus, iſtis quidem verba: *creatorem cœli & terræ*; illis verba: *qui conceptus eſt de Spiritu S. natus ex Maria virgine*; his verba: *paſſus ſub Pontio*

Cap. VI.

*Pilato*

*Pilato* &c. oppoſita, & ita ſubinde aliis erroribus ab hæreticis diſſeminatis, alios quoq; novosque articulos adjectos fuiſſe, contendit. Quod itaq; ad articulum de Eccleſia attinet, quando Orientales eundem Symbolo adjecerint, vix certo definiri poſſe, indicat: in Occidentali autem Eccleſia, occaſione certaminum cum Novatianis, hunc articulum additum eſſe, profitetur. Hos enim Eccleſiam, eo quod reciperet eos, qui idolis ſacrificia obtulerant, vera tamen pœnitentia crimen expiaverant, impuram & commaculatam clamitaſſe: quibus ut ſe opponerent Doctores, adjecerint Symbolo: *Sanctam Eccleſiam* &c. In capite ſeptimo iterum cum Nicolio congreditur, probaturus, ſententiam ejus, qua ſibi & aliis perſuadere voluerat, cum Proteſtantibus non eſſe ex Divinis Literis diſceptandum, cum ſchiſmatis palam rei ſint, omni carere fundamento. Explicata ideo paucis natura ſchiſmatis, teſtimonia Patrum, Optati, Paciani, Hieronymi, & Auguſtini, contra Novatianos, Donatiſtas, & Luciferianos prolata, huc non quadrare evincit. Atque idem argumentum in ſequenti capite proſequitur, ubi ex inſtituto de Auguſtino agit. Cum vero præcipue Romani, ut Proteſtantes ſchiſmatis convincant, urgeant unitatem Eccleſiæ, hanc vero in eo conſiſtere dicant, quod unum habeat caput, Romanum videlicet Pontificem; de ejus primatu Noſter etiam multa diſputat. Fatetur tamen, a Blondello & Launajo hoc argumentum tam exquiſite pertractatum eſſe, ut hactenus Romani nihil ſolidi repoſuerint. Cuncta vero redeunt ad decantatum iſtud Servatoris effatum: *Tu es Petrus* &c. Matth. XVI; quo argumento cum etiam Boſſuetus uſus ſit, Noſter hoc ſibi diſcutiendum ſumpſit, evicturus, Eccleſiam non aliter ſuper Petrum fundatam dici poſſe, quam quod in convertendis Judæis pariter ac Gentilibus, præcipuæ Petri fuerint partes: inde autem ad Pontificum Romanorum primatum ſtabiliendum quicquam elici poſſe, plane abnuit. Non minus & eos falli dicit, qui Eccleſiam Romanam pro centro communionis eccleſiaſticæ venditant. Notat hic præ cæteris Petrum De Marca, eumque, ut Romano Pontifici blandiretur, in Eccleſiæ Gallicanæ libertatem palam injurium fuiſſe dicit. Nec aliter evenire poſſe ait, quam ut ſecum pugnantia ſcribant, qui Eccleſiæ Gallicanæ libertatem ita defendere in animum inducunt, ne offendant Pontificem. Suam itaque ſententiam partim ex Divinis Literis, partim veteris Eccleſiæ auctoritate probat. Et apud veteres qui-

Cap. VII. Cap. VIII. Cap. IX. Cap. X.

dem Romanam Eccleſiam pro centro communionis eccleſiaſticæ non fuiſſe reputatam, inde probat, quod in maximi momenti negotiis, ſæpius ejus auctoritas neglecta olim fuerit, aut inſuper habita, adeo quidem, ut nonnulli Doctores & Epiſcopi non tantum ſe ab ea diſſentire teſtati fuerint, ſed a ſacris etiam arcere, & erroris ac criminis palam arguere, nulli dubitaverint. Hæc documentis pluribus, ex veteris Eccleſiæ annalibus petitis, demonſtrare nititur. Quibus ita declaratis, ad Petri De Marca argumenta reſpondet, & primum parum bona fide eum egiſſe obſervat, quod prætermiſſis Eccleſiæ Orientalis Doctoribus, quorum auctoritas citra controverſiam plurimi hic facienda ſit, ad Latinæ ſolum & hinc pendentis Africanæ Eccleſiæ Doctores provocaverit; quorum teſtimonia vel ex hoc capite non tanti facienda ſint, quod multæ iſtarum Eccleſiarum a Romana fuerint propagatæ, aut alias cauſas eam venerandi habuerint. Ad ſpecialia dum deſcendit, nec Cyprianum, nec Hieronymum, nec Auguſtinum, cæteroſque quos laudaverat Petrus De Marca, huic cauſæ patrocinari, contendit. Nec concedit (quod idem Petrus De Marca aſſeruit, & acriter, libertatis Eccleſiæ Gallicanæ, quam hoc ipſo, cenſente Noſtro, plane evertit, immemor propugnavit) Romanum Pontificem eſſe Eccleſiarum Occidentalium Patriarcham. Cap. XI. Quod ut refutet, præmiſſis nonnullis de origine Eccleſiarum Metropolitanarum, ut & Patriarchatuum, nec poteſtatem Epiſcopos in omnibus Occidentis Eccleſiis in ſacrum ordinem recipiendi, nec facultatem leges ſacras præſcribendi, aut circa Eccleſiæ diſciplinam aliquid conſtituendi, olim Romano Epiſcopo competiiſſe, adductis ex hiſtoria documentis comprobat: abnuit quoque plane, in more poſitum fuiſſe ad Romanum Epiſcopum provocare, aut cauſas, ut loqui amant, majores ad eum deferre. Fatetur quidem, interdum Romanum Pontificem, ſi forte aliquid magni momenti accidiſſet, ea de re ab Epiſcopis certiorem fuiſſe redditum, præſertim ſi nova orta eſſet hæreſis: ſed cum Eccleſiæ, quarum una ab altera, omnium conſenſione, non pependit, eundem frequentaverint morem, ſæpiusque ipſæ Orientales ab Occidentalibus, & hæ ab illis, aut conſultæ, aut contra novum errorem velut in ſubſidium vocatæ fuerint, pro Romani Pontificis Patriarchatu nihil inde colligi poſſe, pronunciat. Sic & illos falli autumat, qui reſponſa veterum Pontificum in controverſiis ſtatim pro legibus aut decretis venditant. Simul tamen monet,

multa

multa veterum Pontificum, quæ afferri ſolent, decreta ſpuria eſſe & ſuppoſititia. Ipſorum quoque veterum Pontificum teſtimonia minus recte adduci contendit, partim quod in cauſa propria verſentur, partim quod falſo & lubrico fundamento illorum ſententia fuerit innixa. Hiſce hunc in modum diductis, ad Eccleſiam Anglicanam accedit, demonſtraturus, jure eandem Romani Pontificis jugum excutere potuiſſe. Nimirum non deterioris eam conditionis fuiſſe ait, quam aut Africanam, aut cæteras Occidentis Eccleſias: quas tamen non ita a Romano Pontifice pependiſſe, ut ejus imperio ſe ſubtrahere non potuerint, abunde probatum putat. Quin veteres Britannicas Eccleſias longe celeberrimas, & ſubinde ab antiquiſſimis Doctoribus Græcis & Latinis memoratas, nullam Romani Pontificis in ſe agnoviſſe poteſtatem, vel inde probari poſſe autumat, quod nullum extet decretum, quo Romani Præſules aliquid conſtituerint ad Eccleſias Britannicas pertinens. Ex iis etiam, quæ circa erroris, quem Pelagius commentus eſt, rejectionem contigerunt, intelligi poſſe, Britannicas Eccleſias ſuas lites ad Romanum Antiſtitem non detuliſſe. Hoc enim placita ſua ſpargente, non Romanum Pontificem, ſed Eccleſias vicinas, præſertim Galliæ, hac de re certiores, ut autumat, fecerunt. Et licet oppreſſa per Saxones Britannia, Eccleſiisque illius in ſummas anguſtias redactis, Auguſtinus quidam, Romanæ diſciplinæ alumnus, in Britanniam Romani Pontificis juſſu venerit, Chriſtianam religionem inſtauraturus, tantum tamen abeſſe, ut Eccleſiæ ſuperſtites Romanos ritus admittere voluerint, ut potius illas, quas a majoribus ſuis acceperant, acriter defenderint. Ex eo vero, quod Auguſtinus in Britanniam miſſus fuerit, nullo modo probari poſſe, quod Romano Pontifici poteſtas quædam in Anglicanam Eccleſiam competat, prorſus contendit. Ergo nec nefas fuiſſe concludit, ejus jugum excutere. Atq; cum in eo nec quod divinis literis, nec quod traditioni purioris antiquitatis repugnet, commiſerit, falli Boſſuetum inquit, dum, ut demonſtraret, non ſine crimine Romani Pontificis imperio Eccleſiam Anglicanam ſe ſubduxiſſe, Henrici VIII, Annæ Boleniæ, Cranmeri, & cæterorum, quibus reformatio Anglicanæ Eccleſiæ imputari ſolet, mores acriter perſtrinxit. Etiamſi enim inquit horum mores tam pravi fuiſſent, ut vulgo feruntur, inſtituto tamen huic ſaluberrimo, & in ſe optimo, non potuiſſe eſſe fraudi, & varia ad Anglicanæ reformationis Cap. XII.

histo-

Cap. XIII. hiſtoriam ſpectantia inſpergit. Tuetur tandem Anglicanæ Eccleſiæ ſententiam, de poteſtate ſummorum Imperantium circa ſacra, contra Romanorum accuſationes, eamque & Divinis Literis & puriori traditioni conformem eſſe, commonſtrat. Probat exemplis Conſtantini, Juſtiniani, aliorumque Imperatorum, in veteri Eccleſia ſæpius leges circa ſacra latas, & talia ab Imperatoribus ſuſcepta fuiſſe, ex quibus pateat, eos ſupremam circa ſacra in externis poteſtatem ſibi, nemine refragante, tribuiſſe. Valentiniani I exemplum Romanis parum prodeſſe ait, cum ſub ejus imperio tam turbidus rerum ſtatus fuerit, ut Imperatorem bellicis rebus impeditum, Eccleſiæ inſtituta parum curaſſe, mirum non ſit. Valentinianum II autem rurſus etiam Eccleſiæ non minus, quam Imperii habenas capeſſiviſſe. Diſſerit quoque hac occaſione de legibus, quas olim Epiſcopi condiderunt, itemque de pœnis, ut vocant, canonicis & eccleſiaſticis: nec has vere pœnas, nec illas proprie leges eſſe, adeoque ex hiſce ſimilibusve nihil omnino, quod juriſdictionem arguat, colligi poſſe concludit. Petri De Marca autem & Boſſueti rationes diſcutiens, rurſus de Cranmero & Thoma Becketo diſſerit, illiusque de poteſtate ſummorum Imperantium circa ſacra opinionem, toti Eccleſiæ Anglicanæ tribui poſ-

Cap. XIV. ſe abnuit. Finit autem totam diſſertationem demonſtrando, quod Eccleſia Anglicana auctoritate & auſpiciis Regis ſui, doctrinam Eccleſiæ corruptam revocare ſub examen, & emendare potuerit. Quod ut extra dubitationem ponat, initio contendit, fas eſſe Regibus in dogmata, quibus Eccleſia perſonat, inquirere, rejicere errores, ſtabilire veritatem; idque Imperatorum veterum Regumque Franciæ, cumprimis Caroli Magni exemplis comprobat. Deinde qualis Eccleſiæ totius ſtatus fuerit, eo tempore, quo Anglicana ſe emendavit, rem omnem altius repetendo ediſſerit, & hinc de reformatione Eccleſiæ per Germaniam, ut & de Concilio Tridentino prolixe exponit. Et hoc quidem ita comparatum fuiſſe autumat, ut mala Eccleſiæ auxerit, tantum abeſt, ut iis attulerit medelam. Id quod tum ex hiſtoria ejus, tum ex ſingulis fere decretis, quæ ordine recenſet, patere ait. Cum ergo corruptus Eccleſiæ ſtatus corrigi aliter non potuerit, & Anglicana quoque Eccleſia nihil commiſerit, ſi etiam modum ſpectes, quod divino juri aut veteris Eccleſiæ moribus repugnet, criminis cujusdam aut ſchiſmatis accuſari eam non poſſe concludit.

G. G. L.

## *G. G. L. COMMUNICATIO SUÆ PARITER, DUARUMQUE alienarum ad edendum ſibi primum a Dn.* Jo. Bernoullio, *deinde a Dn.* Marchione Hospitalio *communicatarum ſolutionum problematis curvæ celerrimi deſcenſus a Dn.* Jo. Bernoullio *Geometris publice propoſiti, una cum ſolutione ſua problematis alterius ab eodem poſtea propoſiti.*

PRoblemata proponere Geometris dudum uſitatum & publice utile eſt, cum non ſit animo ſuos profectus jactandi, ſed alienos excitandi, ut dum quisque methodos ſuas exercet, ars inveniendi augeatur. Sæpe fit, ut viri eruditi quidem, & in recepta analyſi verſati, ſed nihil altius agitantes, dum de iis, quas didicere, methodis nimium ſibi pollicentur, vulgari doctrinæ ſecuri indormiant, magno ſcientiæ detrimento: nam qui ſibi perſuadent, nihil ſupereſſe, quod, ſi modo animum adhibere velint, non ſit in poteſtate, nova non quærunt, & ſuæ ſimul deſidiæ & vanitati litant. Hi igitur non melius veterno ſuo excutiuntur, quam ſi problemata proponantur, elegantia vel utilia, præſertim ſi magis ſint artificioſa quam laborioſa. Et puto ea re maxime factum fuiſſe, ut methodus infiniteſimalis differentiarum & ſummarum (cujus calculum differentialem appellare placuit) a me propoſita increbreſceret, & a viris egregiis in uſum transferretur, quod appareret, problematibus inſignibus ſolvendis aptiſſimam eſſe. Cum enim forte *Dn. Abbati Catelano*, neſcio quæ contra *Dynamica* mea opponenti, & alioqui *Carteſianis* methodis nimium tribuenti, in Novellis Reipublicæ Literariæ reſponderem, venit in mentem ipſi pariter aliiſque eadem ſentientibus proponere Problema (non admodum quidem difficile) *Lineæ Iſochronæ*, in qua deſcendens grave uniformiter appropinquaret horizonti. Sed illis ſilentibus, ſolutionem dedit Dn. *Hugenius*, quod elegans ipſi quæſtio videretur. Cumque aliqua conſulto indicta reliquiſſet, hæc ego ſuppleveram, & demonſtrationem adjeceram in *Actis Eruditorum*: idque magis feceram, ut problemati ultimam manum imponerem, quam ut aliquem magnopere fructum inde mihi pollicerer. Verum uti aliqua eſt rerum omnium concatenatio, fecit hæc mea demonſtratio, ut Dn. *Jacobus Bernoullius*, qui antea calculum differentialem, quem in *Actis* iisdem dudum commu-

 nica-

nicaveram, minore fructu aſpexerat, majorem inde lucem ſubito hauriret, & percepto methodi ad quæſtiones Phyſico-mathematicas uſu, problema *Lineæ Catenariæ* à *Galilæo* fruſtra tentatum mihi proponeret. Quod cum ego reperiſſem, & publicata ſolutione poſſem qualicunque illa laude ſolus frui, malui tamen alios in partem venire, ut in excolenda pulcherrima methodo adjutores mihi pararem. Certum enim eſt, egregia ingenia laude duci ſolere, & libentius ea tractare, in quibus non omnia aliis, ſed multum etiam ſibi debent. Itaque ſignificavi publice, me ſolutionem *Galilæo* fruſtra quæſitam reperiſſe, editionem autem in annum differre conſtituiſſe, ut aliis ſpatium daretur, vel ſuas excolendi methodos, vel noſtram meditandi, & rite adhibendi. Id vero feliciter ſucceſſit. Nam Dn. *Hugenius* (quem nunc ereptum nobis dolemus) ſua quadam methodo ad ſolutionem aliquam, licet (ut ipſe poſtea ingenue agnovit) imperfectiorem, pervenit. Sed Dn. *Jo. Bernoullius*, meo calculo profundius inſpecto, ejus ope optatam ſolutionem obtinuit, problemate, quemadmodum & a me factum fuerat, ad Hyperbolæ aream reducto, eo tantum diſcrimine, quod ipſe per Curvæ parabolicæ rectificationem, ego per Logarithmos conſtructionem exhibuiſſem. Hic autem ſucceſſus tam inſignis Dominos *Bernoullios* fratres mirifice animavit, ad præclara porro ope hujus calculi præſtanda, efficiendumque, ut jam non ipſorum minus quam meus eſſe videretur; ipſo mox *Hugenio*, qui antea de eo tenuius ſenſerat, utilitatem ejus & privatim experiente & publice prædicante, aliisque, ſed inprimis Dn. *Marchione Hoſpitalio* in Gallia, & Dn. *Craigio* in Anglia exempla eorum ſequentibus. Et præ cæteris quidem egregia fuere, quæ Dn. *Jac. Bernoullius* Profeſſor Baſileenſis circa *Lineam Veli* & circa *Elaſticam* dedit. Sed Dn. *Marchio Hoſpitalius* præcepta ipſa methodi juſto opere nuper expoſuit, multisque exquiſitis ſpeciminibus mirum in modum illuſtravit.

Tandem noviſſime Dn. *Bernoullius* Profeſſor *Groninganus* aliud problema nempe *Lineæ breviſſimi deſcenſus*, itidem a *Galilæo* fruſtra tentatum, problemate *Catenariæ* lineæ pulchritudine uſuque non inferius, examinandum ſibi ſumſit, ſolvitque, & aliis etiam ſolvendum commendavit. Ita duo problemata illuſtria a *Galilæo* pulchre quidem propoſita, ſed nequicquam ab ipſo & male tentata, ope calculi noſtri ſolutionem accepere. Fuit ſane *Galilæus* Vir ingenii judiciique maximi, ſed

ſed quod ipſius tempore Ars Analytica nondum ſatis promota eſſet, pars autem ejus ſuperior ſeu infiniteſimalis adhuc in tenebris jaceret, ſolutiones hujusmodi ſperare non debuit. Conjecit quidem *Catenariam* eſſe Parabolam, & *Lineã breviſſimi deſcenſus* eſſe Circulum; ſed longiſſime aberravit, cum *Catenaria* per logarithmos ſeu per arcus parabolicos in rectam extenſos, at Linea breviſſimi deſcenſus per arcus circulares rectificatos determinetur. Sed Dn. *Jo. Bernoullius* melioribus rem auſpiciis aggreſſus, non tantum primus reperit *lineam breviſſimi deſcenſus* eſſe Cycloidem, ſed & aliud myſterium in linea hujusmodi *brachyſtochrona* latere reperit, radiorum lucis ſcilicet curvaturam in medio continue difformi, quam ipſe Dn. *Hugenius* in libro de lumine conſideraverat quidem, ſed determinare in ſe non ſuſceperat. Hoc Problema igitur Dn. *Bernoullius* in *Actis Lipſienſibus* intra ſex menſes ſolvendum publice propoſuit, & privatis literis a me poſtulavit, ut aliquid temporis ei impenderem. Ego vero, velut miſſione dudum impetrata, potuiſſem hoc labore ſuperſedere, dum tot alia urgent, niſi pulchritudo problematis me velut invitum pellaci ſua vi ad ſe traxiſſet. Evenit autem, ut mox feliciter voti fierem compos. Solutione igitur mea *Autori* problematis communicata agnitoque conſenſu, ſtatim ipſe ſolutionem ſuam mihi tranſmiſit, & ſuo tempore edendam apud me depoſuit. Cum autem ſex menſes præſtituti fuisſent elapſi, neque alius quisquam ſolutionem a ſe repertam ſignificasſet: potuiſſet Dn. *Joh. Bernoullius* ſolutionem ſuam publicare, & gloriam inventi elegantiſſimi ſibi pene ſoli vindicare; idque ego quoque ipſi ſuaſiſſem, ſi magis laudi noſtræ privatæ, quam utilitati publicæ velificari voluiſſemus. Cum vero nobiſcum expenderemus, præſtare ad incrementum ſcientiæ & rei memoriam, ut plures participes fierent ſucceſſus, placuit ipſi pariter & mihi, ut terminus ad ſex alios menſes prorogaretur; tametſi prævideremus facile, egoque ipſi in literis meis prædixiſſem, eos ipſos, quos nunc ſolutionem tandem aſſecutos videmus, præſertim anterioribus noſtris inventis communicatisque adjutos, ad eam eſſe perventuros, ſi ſatis animum intenderent. Et ſane notatu non indignum eſt, eos ſolos ſolviſſe hoc problema, quos ſolvere poſſe conjeceram; nec vero niſi illos, qui in noſtri calculi differentialis myſteria ſatis penetravere. Cumque præter Dn. *Fratrem Autoris*, tale quid de Dn. *Marchione Hoſpitalio* in Gallia fuiſſem auguratus,

adjeceram ex abundanti, me credere Dn. *Hugenium*, ſi viveret, Dn. *Huddenium*, niſi hæc ſtudia dudum ſepoſuiſſet, Dn. *Newtonum*, ſi operam hanc in ſe reciperet, quæſito pares fore; quod ideo repeto, ne excellentes viros contemnere videar, quibus noſtra tractare aut non licet, aut non vacat. Cæterum Dn. *Joh. Bernoullii* ſolutio ad me fuit miſſa menſe Auguſto anni ſuperioris; Dn. *Jac. Bernoullius* quid & quo tempore præſtiterit, docebunt ea, quæ ipſemet recta transmiſit ad *Acta*. Sed Dn. *Marchionis Hoſpitalii* ſolutio literis menſe Martio hujus anni ad me datis fuit adjecta. Porro Dn. *Joh. Bernoullius*, præter ſolutionem, etiam methodum quandam ſuam publicare voluit, qua ad ſolutionem pervenit: ſed cum duas habuerit, prodit hic indirecta tantum, ut ſic dicam, etſi perelegans, nempe ſumta ex conſideratione dioptrica; ſed habet adhuc aliam magis directam & magis ex ipſis viſceribus ſumtam, quam petentibus non denegabit. Eſt autem in hoc problematum genere, circa *Maxima* & *Minima* tali modo propoſita, aliquid inuſitatum, & longe ſuperans vulgares de *Maximis & Minimis* quæſtiones, quibus ſolis *Fermatius* (primus aliqualis circa ipſa Methodi autor) *Carteſius*, *Huddenius*, *Sluſius* aliique Methodos ſuas (de quibus quidem conſtat) aptavere. Nam in ipſorum quæſtionibus res fere eo redit, ut quæratur maxima vel minima ordinata alicujus curvæ datæ, quod non niſi corollarium eſt Methodi tangentium vulgaris ſeu directæ. Sed hoc loco curva ipſa aliquid *optime* præſtans quæritur, cujus ſæpe adeo recondita eſt natura, ut ex datis conditionibus, ne tangentium quidem proprietas appareat, adeoque nec ad methodum tangentium altiorem ſeu inverſam facile quæſtio reduci poſſit. Et ipſum problema *curvæ Catenariæ* talis naturæ foret, niſi præparatione facta ad methodum tangentium inverſam reducatur. Quæritur enim ibi, quæ ſit forma curvæ inter duo data puncta magnitudine data ſic interceptæ, ut ipſius centrum gravitatis maxime deſcendat. Unde apparet, quam longe hactenus Analyſis a perfectione abfuerit, quicquid aliqui de Methodis ſuis jactarint. Cæterum ex ſolutione Dn. *Joh. Bernoullii* hunc præterea fructum inſignem capimus, ut problemata duo Dioptrica maximi momenti, quæ *Hugenium* alioſque omnes ipſo difficultatis aſpectu a tentanda ſolutione abſterruere, ſoluta habeamus, & jam curvaturam continuam radiorum lucis, pariterque undæ radiationibus formatæ lineam definire poſſimus.

Cæte-

TAB. IV. ad A. 1697. pag. 205. ſqq. M. Maio.

Fig. I.





Fig. II.





Fig. III.





Fig. VII.





Fig. VIII.





Fig. IV.





Fig. XII.





Fig. V.





Fig. XIII.





Fig. X.





Fig. VI.





Fig. IX.






Fig. XI.



Cæterum meæ ſolutioni exponendæ non eſt quòd immorer, cùm cæteris conſentiat, mihique quæſiti determinatione contento rem porro illuſtrare non vacaverit. Niſi forte obſervari operæ pretium videbitur, quod calculus mihi obtulit, lineam quæſitam eſſe figuram ſegmentorum circularium repræſentatricem. Nempe ſi linea ABK talis ſit naturæ (fig. I) ut circulo deſcripto, qui imo ejus puncto K occurrat, & horizontalem per A tangat in G, ductisque axi verticali AC normaliter occurrentibus in C, & lineæ in M, & circulo in L, & diametro ejus verticali GK in O, ſint ordinatæ CM proportionales ſegmentis circularibus, rectangulumque ſub ſemiradio circuli & ipſa CM, æquale ſegmento comprehenſo ſub arcu GL & chorda GL; tunc AB, arcus lineæ inter duo data puncta A & B interceptus, erit linea, per quam grave vi deſcenſus a puncto A ad punctum B quam citiſſime venire poteſt. Hanc autem figuram ſegmentorum eſſe Cycloidem vulgarem, ita facillime oſtendi poteſt: quia OC ſemiperipheriæ GLK, & LM arcui KL erit OL+CM = arcui GL. Sumto circuli centro N, jungatur NL; patet rectangulum ſub ſemiradio & ſub OL + CM æquari ſectori GNLG: rectangulum autem ſub ſemiradio & ſub OL æquatur triangulo GNL, ergo rectangulum ſub ſemiradio & ſub CM æquatur ſegmento GLG, reſiduæ ſcilicet parti ſectoris, detracto triangulo GNL.

Tab. IV. Fig. I.

Quoniam autem Dn. *Jo. Bernoullius* aliud quoque magni momenti problema nuper propoſuit pure Geometricum: invenire lineam, quam recta quævis per punctum fixum tranſiens ita ſecet in duobus punctis, ut ſumma poteſtatum a ſegmentis, interceptis inter punctum fixum & alterutrum punctum curvæ, æquetur quantitati conſtanti; ideo ſolutionem ejus adſcribere placet, quam didici eandē prorſus eſſe cum ea, quæ ipſi *Autori* problematis occurrerat placueratque, etſi ipſe non minus, quam ego, rem aliis adhuc modis infinitis præſtare poſſimus. Solutio autem noſtra hæc eſt: in fig. X, quæritur linea CEFD, quam recta quæcunque AEF per punctum fixum A tranſiens ita ſecet in duobus punctis E & F, ut ſit $AC^{\frac{e}{\cdot}} + AF^{\frac{e}{\cdot}} =$ conſtanti $b$. Jam AE (vel AF) vocetur $x$, & EK vocetur $y$, aſſumtaque recta quadam in vicem unitatis, & conſtante aliqua $c$, fiat $cy = bx^{\frac{e-1}{\cdot}} - x^{\frac{2e-1}{\cdot}}$ Quæ æquatio exhibebit naturam curvæ quæſitæ, modumque puncta ejus determinandi: quod deſiderabatur.

Tab. IV. Fig. X.

 IOH.

## *JOH. BERNOULLI CURVATURA RADII IN DIAPHANIS non uniformibus, Solutioque Problematis a ſe in Actis 1696, p. 269, propoſiti, de invenienda Linea* Brachyſtochrona, *id eſt, in qua grave a dato puncto ad datum punctum brevisſimo tempore decurrit, & de curva Synchrona ſeu radiorum unda conſtruenda.*

TOt quidem hactenus apparuerunt methodi, quas *maximorum & minimorum* vocant, ut nihil fere tam ſubtile reſtare videatur hanc concernens materiam, quod earum acumine penetrare ſe poſſe non putent illi, qui ſe vel autores ipſos vel autorum aſſeclas gloriantur. Interim jurent, quantum volent, in verba magiſtri, videbunt, ſi tentare velint, noſtrum problema minime coerceri intra anguſtos methodorum ſuarum limites, qui eousque tantum ſeſe extendunt, ſi ex datis pluribus infinitisve quantitatibus invenienda ſit una *maxima* vel *minima*. Verum ubi ipſæ quantitates, quod in noſtro contingit, ex quibus eligenda maxima vel minima, non magis ſunt determinatæ, quam id ipſum quod quæritur, hoc opus, hic labor eſt. Ipſi illi inſignes viri, *Carteſius*, *Fermatius*, aliique, qui olim ita acriter pro præſtantia ſuæ cujusque methodi, tanquam pro focis & aris militabant, aut pro ipſis nunc eorum ſectatores, ingenue fateantur neceſſe eſt, non niſi methodos ab ipſis traditas ſcientibus hic aquam hærere. Non meum eſt, nec etiam volo aliorum inventa explodere. Præſtiterunt utique multa, & finem quem ſibi propoſuerant, egregie conſecuti ſunt. Quemadmodum enim de hujusmodi maximorum & minimorum conſideratione nil quicquam in eorum ſcriptis reperitur: ita pariter pro aliis quam communibus reſolvendis ſuas methodos non venditarunt.

Non ego polliceor univerſalem methodum, quam quis fruſtra quæreret, ſed peculiares modos, non ſolum quidem in hoc, ſed & in pluribus aliis ſuccedentes, quibus problema hoc feliciter enodavi, ſolutionemque meam, dum alii alias quærerent, Celeb. *Leibnitio* ſtatim ſubmittere decrevi, ut illam quondam cum publico communicaret cum ſua, ſi quam reperiret, de quo quidem non dubitabam, ſagacisſimi Viri ingenium plus ſatis compertum habens; & reapſe dum hæc ſcribo, ex privatis ejus literis, quibus me crebro cohoneſtat, intelligo,

ſupra

ſupra ſpem ipſi placuiſſe problema meum, &(quod illum, ut dicit, pulchritudine ſua, ut pomum Evam, ad ſe traheret) protinus ſolutionis factum eſſe compotem. Quid alii præſtiterint, exitus monſtrabit: dignum utique oportet ſit hoc problema, cui ſolvendo aliquid temporis conſecrent Geometræ, cum tanto Viro negotiis licet diſtractiſſimo tale viſum fuerit, ut horam ſuam non inutiliter collocaſſe exiſtimaverit. Et id ipſum illis ſatis lucri eſto, quod, ſi ſolverint, ad ſecretiſſimas veritates, quas ſine hoc vix eſt ut aſſequantur, aditum habituri ſint.

Merito quidem miramur, quod *Hugenius* primus invenit, in *Cycloide vulgari* grave facere deſcenſus tautochronos, a quocunque *Cycloidis* puncto incipiat moveri: ſed neſcio, an non obſtupeſcas plane, cum dixero, hanc ipſiſſimam *Cycloidem* ſeu *tautochronam Hugenianam*, eſſe noſtram *Brachyſtochronam* quæſitam; ad cujus cognitionem duabus viis perveni, indirecta altera, altera directa. Inſiſtendo priori, mirum conſenſum detexi, inter curvitatem radii luminis in medio continue variante, & *Curvam* noſtram *brachyſtochronam*; aliaque obſervavi, in quibus neſcio quid arcani ſubeſt, quod proderit in Dioptricis: quamobrem verum erit, quod in propoſitione problematis aſſeruetam, *non in nuda ſpeculatione conſiſtere, ſed in aliis ſcientiis*, in Dioptricis puta, *uſum habere quam maximum*. Sed ut quæ diximus re ipſa confirmentur, en priorem ſolvendi modum!

*Fermatius* in Epiſtola ad *De la Chambre* (vid. Epiſt. Carteſii Lat. Tom. III, p. 147, & *Fermatii* Opera Mathem. p. 156 ſeqq.) ſtabilivit, radium luminis ex medio rariori in denſius tranſeuntem ita refringi ad perpendicularem, ut habita ratione temporis, radius (qui a puncto luminante ad punctum illuminatum ſucceſſive procedere ſupponitur) viam faciat breviſſimam; ex quo principio oſtendit, ſinum anguli incidentiæ eſſe ad ſinum anguli refractionis in mediorum ratione data directa raritatum, vel reciproca denſitatum; id eſt in ipſa ratione velocitatum, quibus radius media penetrat. Quod poſtea acutiſsimus *Leibnitius* in *Act. Erud.* 1682, p. 185 ſeqq. & mox Celeb. *Hugenius* in ſuo tractatu *de Lumine* p. 40, ſuccinctius demonſtrarunt, ipſumque principium phyſicum, vel metaphyſicum, potius, quod *Fermatius* ſua demonſtratione Geometrica contentus, & facile nimis de jure ſuo decedens, *Clerſelerio* urgente deſeruiſſe videtur, validiſſimis argumentis adſtruxerunt.

Si

Si nunc concipiamus medium non uniformiter denſum, ſed velut per infinitas lamellas horizontaliter interjectas diſtinctum, quarum interſtitia ſint repleta materia diaphana raritatis certa ratione accreſcentis vel decreſcentis; manifeſtum eſt, radium, quem ut globulum conſideramus, non emanaturum in linea recta, ſed in curva quadam (notante id jam & ipſo *Hugenio* in eodem tractatu de *Lumine*, ſed ipſam curvæ naturam minime determinante) quæ ejus ſit naturæ, ut globulus per illam decurrens celeritate continue aucta vel diminuta, pro ratione graduum raritatis, breviſſimo tempore perveniat a puncto ad punctum. Conſtat quoque, cum ſinus refractionum in ſingulis punctis ſint reſpective ut raritates medii vel celeritates globuli, curvam habere eam proprietatem, ut ſinus inclinationum ſuarum ad lineam verticalem ſint ubique in eadem ratione celeritatum. Quibus præmiſſis nullo negotio perſpicitur, curvam *brachyſtochronam* illam ipſam eſſe, quam formaret radius tranſiens per medium, cujus raritates eſſent in ratione velocitatum, quas grave verticaliter cadendo acquireret. Sive enim velocitatum incrementa dependeant a natura medii magis minusve reſiſtentis, ut in radio; ſive abſtrahatur a medio, & ab alia cauſa acceleratio eadem tamen lege generari intelligatur, ut in gravi: cum utroque in caſu curva breviſſimo tempore percurri ſupponatur, quid vetat, quo minus altera in alterius locum ſubſtitui poſſit?

Sic generaliter ſolvere licet problema noſtrum, quamcunque ſtatuamus accelerationis legem. Eo enim reductum eſt, ut quæratur curvatura radii in medio ſecundum raritates, prout libuerit, variante. Eſto ergo medium FGD (Fig. I.) terminatum ab horizontali FG, in qua punctum radians A, verticalis AD, axis curvæ datæ AHE, cujus applicatæ HC determinant raritates medii in altitudinibus AC, vel velocitates radii ſeu globuli in punctis M, radius incurvatus ipſe qui quæritur AMB. Vocentur AC, $x$; CH, $t$; CM, $y$; differentialis Cc, $dx$; diff. nm, $dy$; diff. Mm, $dz$; Conſtans quædam ad arbitrium aſſumta, $a$; Erit accepta Mm pro radio, mn ſinus anguli refractionis ſeu inclinationis curvæ ad verticalem, & proinde per ea, quæ modo diximus, mn eſt ad HC in ratione conſtante, id eſt $dy : t = dz : a$, quod hanc ſuggerit æquationem, $a\,dy = t\,dz$ ſeu $aa\,dy^2 = tt\,dz^2 = tt\,dx^2 + tt\,dy^2$; quæ reducta generalem dabit æquationem differentialem $dy = \frac{t\,dx}{\sqrt{aa - tt}}$ pro

TAB. IV. Fig. I.

cur-

curva AMB quæſita. Atque adeo una opera duo inſignia problemata, opticum unum, mechanicum alterum, ultra quam ab aliis petebam, reſolvi, oſtendique, quamvis ex diverſiſſimis matheſeos partibus ſint deſumta, ejusdem tamen eſſe naturæ.

Sumamus jam ſpecialem caſum, & quidem hypotheſin communem a *Galilæo* primitus introductam & demonſtratam, quod velocitates gravium cadentium ſint in ratione ſubduplicata altitudinum emenſarum; in hoc enim proprie quæſtionis tenor conſiſtit. Quo ſuppoſito, curva data AHE erit parabola, id eſt $tt = ax$ & $t = \sqrt{ax}$, quæ ſi ſubſtituantur in æquatione generali, habebitur hæc $dy = dx\sqrt{\frac{x}{a-x}}$ ex qua concludo: curvam *Brachyſtochronam* eſſe *Cycloidem vulgarem*. Si enim circulus GLK, cujus diameter $= a$ rotetur ſuper AG, & initium rotationis ſit in ipſo A, deſcribet punctum K cycloidem, quæ reperietur eandem habere æquationem differentialem $dy = dx\sqrt{\frac{x}{a-x}}$ poſitis AC, $x$; & CM, $y$: poteſt tamen hoc a priori & analytice inveniri ſic: $dx\sqrt{\frac{x}{a-x}} = \frac{xdx}{\sqrt{ax-xx}} = \frac{adx + 2xdx}{2\sqrt{ax-xx}} + \frac{adx}{2\sqrt{ax-xx}}$, eſt autem $\frac{adx - 2xdx}{2\sqrt{ax-xx}}$ differentialis quantitas, cujus ſumma $\sqrt{ax-xx}$ ſeu LO; & $\frac{2dx}{2\sqrt{ax-xx}}$ eſt differentialis ipſius arcus GL, ideoque ſummata æquatione $dy = dx\sqrt{\frac{x}{a-x}}$ habebitur $y$ ſeu CM $=$ GL $-$ LO, ergo MO $=$ CO $-$ GL $+$ LO; quoniam vero (aſſumta CO $=$ ſemiperipheriæ GLK) CO $-$ GL $=$ LK, erit MO $=$ LK $+$ LO, & ablata communi LO erit ML $=$ LK, quod docet curvam KMA eſſe Cycloidem.

Oſtendendum adhuc reſtat (ut problemati pleniſſime ſatisfiat) quomodo a puncto dato tanquam vertice deſcribenda ſit *Brachyſtochrona* ſeu Cyclois tranſitura per aliud punctum datum; quod ſic facillime expeditur: Conjungantur duo puncta data A, B (Fig. II) per lineam rectam AB, & ſuper horizontali AL deſcribatur Cyclois, quæcunque libuerit, initium ſumens in A, ſecansque rectam AB in R; quo facto fiat ut AR ad AB, ita diameter circuli genitoris Cycloidis ARS ad TAB. IV. Fig. II.

quartam, quæ erit diameter circuli genitoris Cycloidis quæſitæ ABL tranſituræ per B.

Antequam finiam, non poſſum, quin iterum admirationem meam prodam, animo revolvens inexpectatam illam identitatem Tautochronæ *Hugenianæ* noſtræque *Brachyſtochronæ*. Quod notabile præterea exiſtimo, illud eſt, quod hæc identitas in ſola hypotheſi *Galilæi* reperitur: adeo ut vel ex eo conjicere liceat, illam naturæ eſſe conſentaneam, quod quemadmodū ſemper operari ſolet modo ſimpliciſſimo, ita & hic per unam eandemque lineam præſtet duo diverſa officia, cum in quavis alia hypotheſi duabus ad id opus eſſet lineis, alia nempe pro oſcillationibus æque diuturnis, & alia pro celerrimo deſcenſu. Ut ſi ex. gr. celeritates gravium cadentium eſſent non in ſubduplicata ſed ſubtriplicata ratione altitudinum, *brachyſtochrona* foret algebraica, *tautochrona* autem tranſcendens; verum ſi celeritates eſſent ut ipſæ altitudines, utraque fieret algebraica, illa quidem circularis, hæc vero recta.

Non ingratum fore Geometris judico, ſi appendicis loco ſolutionem ipſis dedero problematis conſideratione pariter digniſſimi, quod ex occaſione præcedentis inter ſcribendum in mentem incidit: *Quæritur in plano verticali (fig. III) curva PB, quam ſynchronam appellare liceat, ad cujus ſingula puncta B grave ex A deſcendens per Cycloides conterminas AB æquali tempore perveniret.* Sit AG horizontalis, & AP verticalis. Senſus problematis talis eſt, ut deſcripta ſuper AG Cycloide quacunque, abſcindatur ex illa portio AB, ad quam percurrendam ex A deſcendens grave idem tempus requirat, quod requireret ad decidendum ex determinata altitudine verticali AP, quo peracto erit punctum B in *curva Synchrona* PB, quam quærimus.

Tab. IV. Fig. III.

Si attente conſiderentur ea, quæ ſupra diximus de radio luminis, haud obſcure patebit, hanc curvam eam ipſam eſſe, quam *Hugenius* in ſuo *tract. de Lumine* pag. 44, in ſchemate ſuo per lineam BC repræſentat, vocatque *undam*, quæ quemadmodum omnes radios ex puncto luminoſo emanantes normaliter ſecat, ceu optime notat *Hugenius*, ita & noſtra PB omnibus Cycloidibus AB, commune initium A habentibus, ad angulos rectos occurrit. Quod ſi problema hoc modo in pure Geometricum reductum proponere libuiſſet: *invenire* ſcilicet *curvam, quæ omnes Cycloides communis initii normaliter ſecat,* profe-

profecto res magnæ molis fuiſſet Geometris; ex altera autem facie, qua deſcenſum gravium reſpicit conſideratum, ita facillime conſtruo: Sit Cycloidis ABK circulus genitor GLK, ejusque diameter GK: abſcindatur arcus GL æqualis mediæ proportionali inter determinatam aſſumtam AP, & diametrum GK, dico ductam LB, parallelam horizontali AG, ſecare Cycloidem ABK in puncto B. Si quis methodum ſuam in aliis exercere velit, quærat lineam, quæ ordinatim poſitione datas curvas (non quidem Algebraicas, quod haud arduum foret, ſed) transſcendentes, ex. gr. Logarithmicas ſuper communi & axe, & per idem punctum ductas, ad angulos rectos ſecat.

*JAC. B. SOLUTIO PROBLEMATUM FRATERNORUM, Peculiari Programmate Cal. Jan. 1697 Groningæ, nec non Actorum Lipſ. menſe Jun. & Dec. 1696, & Febr. 1697 propoſitorum: una cum Propoſitione reciproca aliorum.*

GEometræ methodum de *Maximis* & *Minimis* ad illa duntaxat Problemata hucusque adhibuerunt, in quibus ex infinitis partibus ſeu functionibus unius datæ Curvæ aliqua maxima minimave requiritur; neque cogitarunt de ejus applicatione ad talia, ubi ex ipſis infinitis Curvis non datis una deſideratur, cui maximum aliquod minimumve competat, licet hæc & ſubtilitate inventionis & utilitatis præſtantia cæteris minime ſint inferiora. In horum numero eſt, quod *Frater* m. Junio primum propoſuit, cujusque ſolutioni terminum elapſi anni finem ſtatuit, Problema de invenienda *Curva Oligochrona*, per quam deſcendendo grave a dato puncto, breviſſimo tempore perveniat ad aliud datum punctum. Quanquam autem hac *Fratris* provocatione me non teneri exiſtimabam, nihilominus cum ſuperacceſſiſſet humaniſſima Cel. D. *Leibnitii* invitatio, laborem ſolutionis amplius ſubterfugere non potui. Poſtquam enim hic Vir literis d. 13 Septembr. ad me datis ſignificaſſet, ſe ſolviſſe Problema, juxtaque deſiderare, ut & a ii tentarent: ad ejus ſollicitationem aggreſſus ſum, quod alias intactum reliquiſſem, idque optato protinus ſucceſſu; ſolutionem enim ſexto Octobris jam habui, & ab illo tempore amicis oſtendi. Cur autem non citius ad *Acta* communicarim, cauſa eſt, quod cum terminum

ſolutionis in exterorum gratiam ad Paſcha uſque præſentis anni prorogatum intelligerem; ego interea ſpeculationem ad alia quoque difficiliora Problemata nunc una proponenda promovere ſtatuiſſem. Priusquam vero ad ſolutionem præſentis Problematis accedam, ſequens præmitto Lemma:

TAB. IV. Fig. IV. Si curva ACEDB talis ſit, quæ requiritur, h. e. per quam deſcendendo grave brevisſimo tempore ex A ad B perveniat, atque in illa aſſumantur duo puncta quantumlibet propinqua C & D: Dico, portionem Curvæ CED omnium aliarum punctis C & D terminatarum Curvarum illam eſſe, quam grave poſt lapſum ex A breviſſimo quoque tempore emetiatur. Si dicas enim, breviori tempore emetiri aliam CFD, breviori ergo emetietur ACFDB, quam ACEDB, contra hypoth.

Fig. V. Eſto igitur in plano utcunque ad horizontem inclinato (nec enim verticale ſit, neceſſe eſt) Curva deſiderata ACB, per quam deſcendens grave ex A breviori tempore perveniat ad B, quam per aliam quamcunque in eodem plano poſitam; & ſint in illa ſumta ubivis duo puncta C & D infinite propinqua, ductæque intelligantur recta horizontalis AH, ejusque perpendicularis CH, & huic normalis DF, biſectaque CF in E, compleatur parallelogrammum DE ducta recta EI: quæritur in hac punctum G, i. e. inclinatio particularum curvæ CG, GD ad ſe invicem, quæ faciat, ut tempus deſcenſus per CG + temp. deſc. per GD (quod ſic denoto $tCG + tGD$, intellige ſemper poſt lapſum ex A) ſit minimum. Ad hoc indagandum, intelligatur in recta EI aliud punctum L, ſic ut GL ſit incomparabiliter minor ipſa EG, ductisque CL, DL, ſuper C & D deſcripta concipiantur arcuum elementa LM, GN, erit ex natura minimi $tCL + tLD = tCG + tGD$, adeoque $tCG - tCL = tLD - tGD$, quo poſito ſic arguo:

$CE . CG :: tCE . tCG.$ $\quad EF . GD :: tEF . tGD,$ Ex nat.
$CE . CL :: tCE . tCL.$ nec non $EF . LD :: tEF . tLD,$ deſc. grav.

Ergo $CE . CG - CL\ (MG) :: tCE . tCG - tCL \ldots EF . LD - GD\ (LN) :: tEF . tLD - tGD$

(ob ſim. $\triangle$ MGL, CEG) $MG . GL :: EG . CG \ldots$ (ſim. $\triangle$ LNG, GID) $LN . LG :: GI . GD.$

Quare $CE . GL :: EG \text{ in } tCE . CG \text{ in } \overline{tCG - tCL} \ldots EF\ (CE)\ GL :: GI \text{ in } tEF . GD \text{ in } tLD - tGD$

ideo-

ideóque EG in $t$ CE. CG in $\overline{t\,CG - t\,CL}$ : : GI in $t$ EF. GD in $\overline{t\,LD - t\,GD}$, & permutando, EG in $t$ CE. GI in $t$ EF :: CG in $\overline{t\,CG - t\,CL}$. GD in $\overline{t\,LD - t\,GD}$ : : (ex nat. minimi, ut dictum) CG. GD.

Sed EG in $t$ CE. GI in $t$ EF : : EG : $\sqrt{HC}$. GI : $\sqrt{HE}$, ex nat. deſc. grav. quare EG : $\sqrt{HC}$. GI : $\sqrt{HE}$, : : CG. GD.

Ubi in tranſitu conſiderandum proponimus Cl^mo D. *Nieuwentiit* uſum differentio-differentialium (quæ ipſe immerito explodit) in eo, quod aſſumere coacti fuimus particulam GL ipſis EG, GI infinite parvis infinities adhuc minorem, absque quo non video, quomodo ad ſolutionem Problematis via patuiſſet. Sunt enim EG, GI elementa abſciſſarum AH; quemadmodum CG, GD elementa ipſius Curvæ, & HC, HE ipſæ ejus applicatæ, earumque elementa CE, EF; adeo ut Problema ad puram Geometriam redactum huc redeat, ut inveniatur Curva, quæ elementa ſua habeat compoſita ex elementis abſciſſarum directe, & radicibus applicatarum inverſe: qua quidem proprietate *Iſochronam* illam *Hugenianam*, nunc & *oligochronam* futuram, tritam nempe notamque Geometris *Cycloidem* gaudere deprehendo; quod in fig. VI, ubi ACP ſemi-Cycloidem; CM, GN duas ejus tangentes; RQP ſemi-circulum genitorem refert, ita porro demonſtro: TAB. IV. Fig. VI.

GD.GI::GN.GX::(ex nat.Cycl.)VP.VX::VR.RX:: $\sqrt{RP}$. $\sqrt{RX}$ ($\sqrt{HE}$).
GI.EG :: GI . EG.
EG. CG :: CS.CM :: (ex nat. Cycl.) QS. QP :: RS. RQ :: $\sqrt{RS}$ ($\sqrt{HC}$) $\sqrt{RP}$.

---

Ergo GD.CG :: GI in $\sqrt{RP}$ in $\sqrt{HC}$.EG in $\sqrt{HE}$ in $\sqrt{RP}$ : : GI in $\sqrt{HC}$. EG in $\sqrt{HE}$ :: GI : $\sqrt{HE}$. EG. $\sqrt{HC}$. Q. E. D.

Quod ſi nunc determinanda ſit Cyclois, quæ tranſeat per data puncta A & B, deſcribenda eſt ſuper baſe horizontali AH quovis circulo genitore Cyclois AT, quæ ductam rectam AB, & productam, ſi ſit opus, ſecet in T; quemadmodum enim recta AT eſt ad rectam AB, ſic diameter circuli genitoris Cycl. AT eſt ad diametrum genitoris quæſitæ AB. Alterius generis nec minus elegans Problema foret, ſi jam porro quæreretur, quænam ex infinitis Cycloidibus (aut ſaltem Circulis, Parabolis aliisve Curvis) per A tranſeuntibus, ac ſuper eadem baſi AH conſtitutis, illa ſit, per quam deſcendens grave minimo tempore ex A ad datum perpendiculum ZB appellat. Qui ſpeculationem

 de

de Maximis & Minimis promovere volet, tentabit. Nobis ſufficiat propoſuiſſe.

Atque ita Curva hæc, quæ tot Mathematicorum ingeniis exercita fuit, ut nihil in illa eruendum reſtare videretur, nova proprietate conſpicuam ſeſe nobis ſiſtit, quam velut perfectionum ſuarum colophonem, quaſi nihil futuris ſeculis debitura, ſub finem adhuc præſentis adipiſci voluit, poſtquam initio ejusdem natales, ac medio dimenſiones omnes cum aliis præclaris affectionibus accepiſſet.

Cæterum monendum eſt, quod iisdem inſiſtendo veſtigiis, pari facilitate reperiri poſſit Curva, quam mobile per medium inæqualis denſitatis vel raritatis latum minimo tempore percurrat, quæ quidem convenienter principio *Leibnitiano m. Jun. 1682* demonſtrato, eadem reperiatur neceſſe eſt cum *Curva Refractionis*, quam *Hugenius* in Tractatu de Lumine p. 44 contemplatur, & cujus identitatem cum illa, quam primo conſideravit Celeb. D. *Leibnitius m. Septemb.* 1692 pag. 446, nosque *m. Jun. 1693, p. 254.* conſtruximus, conſcio *Fratre* jam olim deprehendi.

Sed per has ſpeculationes ad alia quoque difficiliora Problemata patet acceſſus, qualia ſunt, quæ de Figuris Iſoperimetris formari poſſunt. Quæritur ex. gr. quænam ex iis omnium ſit capaciſſima (vulgo creditur eſſe Circulus, & recte, ſed ſine demonſtratione.) Quænam centrum gravitatis areæ & peripheriæ ſuæ habeat a baſe remotiſſimum, quam *Frater* obſervavit eſſe *Funiculariam*, ſed ex diverſo fundamento &c. Hæc itaque & talia per methodum maximorum ei reſolvenda proponimus. Præſertim vero, ſi vicem reddere volet, ſequens generale tentabit: Quæritur ex omnibus Iſoperimetris ſuper communi baſe BN conſtitutis illa BFN, (Fig. VII) quæ non ipſa quidem maximum comprehendat ſpatium, ſed faciat, ut aliud curva BZN comprehenſum ſit maximum, cujus applicata PZ ponitur eſſe in ratione quavis multiplicata vel ſubmultiplicata rectæ PF vel arcus BF, hoc eſt, quæ ſit quotacunque proportionalis ad datam A & rectam PF, curvamve BF? Huic, ne detrectare poſſit, adjungimus alterum, quod de infinitis Cycloidibus ſupra motum fuit, majoremque cum ſuo affinitatem habet. Et cum iniquum ſit, ut quis ex labore in alterius gratiam & cum proprii temporis diſpendio rerumque ſuarum damno ſuſcepto nihil emolumenti percipiat, prodit nonnemo, pro quo caveo,

TAB. IV, Fig. VII.

veo, qui ſoluturo *Fratri* ultra laudes promeritas honorarium 50 imperialium decrevit, hac tamen lege, ut intra tertium ab hujus publicatione menſem ſe ſuſcepturum promittat, ipſasque ſolutiones finito anno, utcunque licet per quadraturas exhibeat. Hoc enim elapſo ſi nemo dederit, meas exhibebo.

Hæc itaque occaſione Problematis Phyſico-Mathematici a *Fratre* m. Junio primum propoſiti hac vice dicta ſufficiant. Quæ ibidem de Complanatione ſuperficierum conoïdicarum attigit, cum me propius ſpectarent, jam *m. Octobri* pertractavi. Nob. *Tſchirnhauſium* uterque eodem menſe Junio notavimus. Unicum igitur in ſchediaſmate *Fraterno* supereſt, quod, ne quid intactum prætereamus, enucleandum reſtat, methodus vid. quam celavit, inveniendi Curvam ex ſola data relatione ipſorummet Curvæ punctorum ad ſe invicem. Quærenda ſit ex.gr. Curva AEC (fig. VIII) talis, ut projecta utcunque ex dato puncto D recta DC, ſecante curvam in C & E, rectangulum CDE æquetur conſtanti ſpatio, puta unitati, quod primum eſt exemplum *Fratris*. Ad datam poſitione rectam DG ordinatim applicentur EF, CG in angulo arbitrario, & ſit DE $= x$, EF $= y$, DC $= z$ & CG $= t$, erit per hyp. CDE ſeu $xz = 1$, & $x = z^{-1}$; dein propter ſim. Δ DEF & DCG, EF ſeu $y = tx : z = tz^{-2}$. Fundamentum ſolutionis: Talis ſupponatur æquatio ſeu relatio inter $x$ & $y$, ut ſubſtitutis ipſarum valoribus modo inventis, ſimilis vel eadem inter $z$ & $t$ relatio reſultet, quæ inter $x$ & $y$; quod hic ita fit: Pono $y = ax^m \pm bx^n$, erit facta ſubſtitutione $tz^{-2} = az^{-m} \pm bz^{-n}$, ſive $t = az^{-m+2} \pm bz^{-n+2}$, quæ ut aſſimiletur priori $ax^m \pm bx^n$, comparo $az^{-m+2}$ cum $bx^n$, & $bz^{-n+2}$ cum $ax^m$, ac reperio utrobique $b = a$, nec non poteſt. $n = 2 - m$; unde concludo, naturam curvæ quæſitæ eſſe $y = ax^m \pm ax^{2-m}$, vel, quod eodem modo oſtendetur, $y = ax^m \pm ax^{2-m} + bx^n \pm bx^{2-n}$. Haud abſimiliter ſolvuntur duo ſequentia, quæ habet, Problemata pag. 266, quorum poſterius in Programmate ſuo generaliter ita proponit, ut loco utriusque ſegmenti ſumatur quæcunque ipſorum poteſtas, quæ ſit $m$. Huic Curva ſatisfacit, quæ exprimitur per $y = x . \overline{x^m - x^{2m}}^{\,n}$. Quæ vero ultimo ſubjungit pag. 267, ſed absque ſolutione; his cur-

TAB. IV. Fig. VIII.

væ

væ ſatisfaciunt mechanicæ, quarum natura eſt $y = x\overline{a \mp \int dx : x\,lx}^{\,n}$ pro fig. 2; & $by + cyy + ey^3$. &c. $= \overline{a + \int dx : x\,lx}^{\,n}$ pro fig. 3 (intellige per $lx$ logarithmum ipſius $x$,) Quanquam tacere non poſſum, aſſumi hic aliquid dubiæ & ſuſpectæ veritatis, videl. portiones ſemper eſſe unius ejusdemque numero Curvæ, quæ eadem æquatione denotantur. Dari enim poſſunt exempla in contrarium, ſaltem in Curvis mechanicis, ubi hoc non contingit, eademque æquatio diverſas numero Curvas deſignat, quod vel ex his ipſis exemplis liquet; quandoquidem hæ æquationes $y = x.\overline{a + \int dx : x\,lx}^{\,n}$ &c. non magis quadrant pro hypotheſi $xzz = 1$, quam pro quavis alia $xz^3$, aut $xz^4$, aut $xz^p = 1$; quibus tamen hypotheſibus omnibus unam eandemque Curvam ſatisfacere implicat. Hoc itaque ulteriori Lectorum ſcrutinio perpendendum relinquimus.

Pene hæc abſolveram, cum perferrentur ad nos *Acta m. Nov.* in quibus Nobil. *Auctor Meditatorum geometricorum*, eodem menſe anni 1695 publicatorum, motis ſibi ſcrupulis nonnullis ſatisfacere ac ſua vindicare ſatagit, eoque ardentius in nobis deſiderium accendit, videndi penitiusque introſpiciendi tam præclara inventa. Dixi enim, me nullatenus dubitare, quin pro excellenti quo pollet acumine, quicquid pollicitus eſt, præſtare poſſit; atque optare tantum, ut ſpeciminum loco talia promat, quæ etiam iis, quibus de vaſtiſſimo Viri ingenio aliunde non conſtat, perſuadere queant, quo nomine ipſum iterata vice & perhumaniter pulſandum cenſemus. Nam quod proprietatem ſpectat, quam focis curvarum attribuit, cum ea quibusvis punctis, adeoque non focis qua focis competat, difficulter quis capiat, quid hæc ad naturam focorum, aut curvarum per focos cognoſcendam conducat. Quemadmodum etiam intellectu haud facile exiſtimo, quomodo quæ fig. 1 & 3 de Ellipſi & Parabola oſtendit, ad omnes alias etiam diſſimiles & diverſorum generum curvas applicari poſſint, cum illa duntaxat ejusdem generis & ſpeciei curvis quadrent, ac præſertim poſterius illius tantum generalioris conſectarium ſit, quod jam A. 1692 exhibui. Et quod ultimo docet de abſcindendis ex quavis curva portionibus in data ratione, hoc plane fallere dixi in Parabola, quod etiam agnoſcere videtur acutiſſimus *Auctor*, aut ſi dubitet,

tet, ego paratus ſum demonſtrare; unde, ſi nihil aliud, ſaltem hoc novo exemplo roborari opus haberet.

### *DOMINI MARCHIONIS HOSPITALII SOLUTIO Problematis de Linea celerrimi Deſcenſus.*

PRoblema hoc (de quo *Galilæus* prop. 36 motus accelerati) cum difficile admodum mihi prima fronte viſum eſt, tum valetudine utor adeo incerta, ut ab illo abſtinere primum decreverim. Atque huic quidem ſententiæ eo firmius inhærebam, quod intra ſex menſes, ad illius diſcuſſionem conceſſos, id a nemine ſolutum videretur, ſi tamen unum excipias Geometram inſignem *Leibnitium*, qui illud ſolvit non modo, ſed &, utpote digniſſimam exercitio utili materiam, adhuc inquirendum relinqui, alterumque quatuor menſium ſpatium, quo in id a pluribus incumbi poſſet, ab Autore concedi impetravit. Deſidem hac in parte ac operis aſperitate deterritum erexit me doctiſſimi Autoris *Bernoulli* programma Cal. Jan. anni hujus 1697 editum, quo Geometras ad hujus problematis ſolutionem iterum invitat. Tanta igitur hujus quæſtionis commendatio & fama me tandem victum compulere, ut illi' ſolvendæ ſtudio in ſocietatem laudis ac gloriæ cum tantis Geometris venirem. Nec opem fefellit eventus, imo ſuperavit, cum id ſolverim problema methodo adeo generali, ut non modo *Galilæi* hypotheſin, ſed & aliam quamvis de deſcenſu gravium poſſibilem complectatur. Quod autem in ſolutione problematis de curva *funiculari* præſtiterunt olim *Hugenius*, *Leibnitius*, & *Bernoullius*, id ego nunc a me problematis hujus ſolutione præſtandum cenſeo, meam ſcilicet alias palam facturus methodum, cujus tamen jam (exeunte Februario) clariſſimo Problematis Autori *Bernoullio* privatim copiam feci.

## Problema.

*Datis in plano verticali duobus punctis A & B aſſignare mobili M viam AMB, per quam gravitate ſua deſcendens & moveri incipiens a puncto A breviſſimo tempore perveniat ad alterum punctum B.*

## Solutio.

Ducta per punctum ſuperius datum A linea horizontali AC, deſcribatur Cyclois ordinaria, quæ incipiat a puncto A, & cujus Diameter AD circuli generatoris AEDF qui volvitur ſuper AC talis ſit, ut pun- TAB. IV. Fig. IX.

ctum deſcribens A tranſeat per alterum punctum inferius datum B, Dico portionem A B Cycloidis ſic deſcriptæ propoſito ſatisfacere.

Si ſupponatur, quod celeritates acquiſitæ ſint in ratione altitudinum emenſarum; dico curvam quæſitam A B fore portionem circuli centrum habentis in horizontali A C, & tranſeuntis per data puncta A & B. Unde liquet, conjecturam *Galilæi* veram evadere in hac hypotheſi ab ipſius multum diverſa.

Tandem ſi vocentur abſciſſa A C, *x*; applicata CB, *y*; & generaliter ſupponatur, quod celeritas acquiſita ex deſcenſu per altitudinem CB exprimatur per $y^m$: dico naturam curvæ quæſitæ exprimi per æquationem differentialem $dx = \frac{my^m\, dy}{\sqrt{1-mmy^{2m}}}$

*DOMINI MARCHIONIS HOSPITALII SOLUTIO PROblematis publice propoſiti a Dn.* JOH. BERNOULLIO.

Miſit ad me nuper clariſſimus (*Joh.*) *Bernoullus* Matheſeos Groningæ Profeſſor, Programma quoddam ipſis Cal. Jan. anni hujus 1697 ibidem editum, in quo Mathematicis problemata duo ſolvenda proponit, quorum alterum phyſico-geometricum legitur in *Actis Lipſienſibus menſe Junio anni proxime elapſi*, *pag. 269*; quod *Authori* jam ſolutum miſi. Alterum vero pure geometricum, quod pariter ſolvi, his verbis exprimitur:

## Problema alterum pure Geometricum, quod priori ſubnectimus & ſtrenæ loco Eruditis proponimus.

Ab *Euclidis* tempore vel Tyronibus notum eſt, ductam utcunque a puncto dato rectam lineam, a circuli peripheria ita ſecari, ut rectangulum duorum ſegmentorum inter punctum datum & utramque peripheriæ partem interceptorum ſit eidem conſtanti perpetuo æquale. Primus ego oſtendi in eod. *Actor. Jun. pag. 265*, hanc proprietatem infinitis aliis curvis convenire, illamque adeo circulo non eſſe eſſentialem: arrepta hinc occaſione, propoſui Geometris determinandam curvam vel curvas, in quibus non rectangulum ſed ſolidum ſub uno & quadrato alterius ſegmentorum æquetur ſemper eidem, ſed a nemine hactenus ſolvendi modus prodiit; exhibebimus eum quando-

cunque

cunque deſiderabitur; Quoniam autem non niſi per curvas tranſcendentes quæſito ſatisfacimus: en aliud, cujus ſolutio per mere algebraicas in noſtra eſt poteſtate.

*Quæritur Curva, ejus proprietatis, ut duo illa ſegmenta ad quamcunque potentiam datam elevata & ſimul ſumpta faciant ubique unam eandemque ſummam.*

Caſum ſimpliciſſimum, exiſtente ſc. numero potentiæ 1, ibidem in *Actis pag. 266* jam ſolutum dedimus, generalem vero ſolutionem quam etiamnum premimus, Analyſtis eruendam relinquimus.

Huc uſque verba doctiſſimi Bernoullii; hoc ipſum Problema quod ſolvi, cujusque ſolutionem Geometris eo lubentius impertio, quod & ſimpliciſſima ſit & generaliſſima. En itaque

## Problema.

*Eam invenire Curvam CEFD, cui ducta FA ab ipſius puncto quovis F ad fixum aliquod punctum A diametri CD, ita ſemper occurrat in altero puncto E, ut recta FA & AE ad eandem datam quamvis potentiam elevata, eandem ſimul & ubique ſummam conſtituant.*

## Solutio.

Sit $p$ potentia data quævis, ad quam ſigillatim ducendæ ſunt FA & AE; ſit præterea numerus quicunque $m$. Jam ſumptis ad libitum duabus rectis AB, AL, (puta $AB = 1$, $AL = b$) ducatur centro A & radio quovis $AG = x$, circumferentia GF; aſſumpta deinde $AH = \frac{bb}{x^m \sqrt[p]{(1-x^p)^{m-1}}}$ Ducatur HF conſtituens angulum quemvis datum CHF cum recta CD. Hoc facto, dico punctum occurſus F rectæ HF cum arcu GF, ſemper eſſe ad Curvam quæſitam CEFD. TAB. IV. Fig. X.

In exemplum ſit Caſus, quem doctiſſimus *Bernoullus* conſtruxit in *Actis Lipſienſibus* pag. 266. In quo nempe $p = 1$. Si præterea ponatur $m = 0$, ut quam ſimpliciſſima fiat curva quæſita, invenietur $AH = \frac{bb}{a-x}$, ſeu AH tertiam eſſe proportionalem ad BG & AL.

Porro conſtructionem hanc ortamque inde Curvam, quam ſimpliciſſimas eſſe, palam eſt. At, quod notatu digniſſimum, Curva hæc eadem duabus inſuper conſtat partibus OM, PN, invicem oppoſitis circa eandem aſymptotum AL ordinatis parallelam, quarum hæc

indoles eſt, ut ducta quavis ad ipſas usque per punctum A recta MAN, differentia partium AM & AN ſit ſemper æqualis eidem AB. Unde hac eadem arte ſimul ſolvitur & alterum problema, quo exquireretur curva proprietatis ejus, ut differentia rectarum AM, AN, ubique ſit æqualis eidem conſtanti magnitudini; adde quod id toties fieri poſſit, quoties $p$ eſt numerus impar.

Quod ſpectat Demonſtrationem, cum generalis nihilo difficilior ſit, quam ſpecialis caſus mox ſoluti, hunc demonſtrare ſufficiat. Quapropter e puncto A per punctum quodvis F curvæ CEFD ducatur AF cum ordinata FH, ponaturque (ut ſuperius) AF vel AG $= x$, ac præterea AL $= y = a - x$; & AK $= \frac{bb}{a-y} = \frac{bb}{x}$. Jam ex conſtructione ſequitur AH $= \frac{bb}{a-x}$, punctumque E, in quo KE, parallela HF, occurrit circumferentiæ factæ centro A & radio AI, fore ſemper ad Curvam quæſitam CEFD. At AH $(\frac{bb}{a-x})$. AF $(x)$ : : AK $(\frac{bb}{x})$. AI aut AE $(a-x)$. Ergo punctum E eſt etiam in recta AF; atque adeo recta hæc AF duobus in punctis F & E ita occurrit curvæ quæſitæ CEFD, ut ſit ubique FA + AE = AB = conſtanti & eidem. *Quod erat demonſtrandum.*

## *DE METHODO UNIVERSALIA THEOREMATA ERUENDI, quæ Curvarum naturas ſimpliciſſime exprimunt; de Problemate item Bernoulliano, &c. per DT.*

Diffiteri non poſſum, ingenium meum nunquam proclive fuiſſe ad problemata ab aliis propoſita reſolvenda; quoniam, alias ut ſilentio prætercam cauſas, Auctores problematum plerumque caſu, & nihil tale quærentes, in admodum faciles deducti fuere vias ea efficiendi, quæ alius non ſine magno labore, multoque temporis diſpendio, poteſt conſequi; præſertim cum in ipſa analyſi infinite parvarum quantitatum, ad magnam hodie perfectionem evecta, non ſemper in triangula ſimilia, facillimam reſolutionem offerentia, (quod caput rei ſemper exiſtimavi) incidamus: ac proinde, quacunque etiam utamur methodo, ingenti oportet ut labore defungamur. Nota ſunt præclara illuſtris Hugenii circa Cycloidem ſuam εὑρήματα, quæ ſi ſolicite quisquam perpenderit, haud difficulter clavem reperiet ad ſolutionem

nem Problematis *Bernoulliani*, Actorum anni 1696 menſ. Junio p. 96 propoſiti, de *Curva celerrimi deſcenſus*, qui ipſi huic Cycloidi quadrat: citra horum autem cognitionem res hæc ſcrutantibus longe erit intricatior, operoſiorque; ſi vel maxime certum ſit, de quo tamen non temere ambigi poteſt, proprietatem hanc uni tantum Curvæ convenire. Utcunque hoc ſit, nolim ſententiam & conſuetudinem meam inpræſentiarum mutaſſe me credi, dum univerſaliſſimam commonſtro viam, qua reſolvi poſſe cenſeo Problema Geometricum a Cl. Dn. Joh. Bernoulli in A. E. 1697 menſe Febr. p. 96 propoſitū; cum ea duntaxat de cauſa id faciam, ne aliquando, cum de hujus generis Problematibus publice agendi dabitur occaſio, aliorum inventa mihi arrogaſſe videar: quem in finem etiam, cum jam monuerim ante biennium, celeberrimo Dn. Leibnitio me talia ſingularia theoremata, mihique jam diu nota, ex quibus ſolutio derivari poteſt, coram aperuiſſe, ipſam indicabo nunc methodum, & qua occaſione in illam inciderim.

Notum eſt, Dn. Des-Cartes curvarum Geometricarum omnium naturas certis includere Æquationibus, quæ ex duabus indeterminatis certisque cognitis componuntur. Atque hæ quidem univerſalia theoremata pro omnibus curvis ſuppeditant, ſed difficilem & non eodem modo formatam compoſitionem habent. Quapropter cum aliquando talibus indigerem Theorematibus univerſalibus, quæ facilem & æqualem compoſitionem tam quoad indeterminatas, quam cognitas rectas habent, ſerio in hoc incubui negotium, primoque animadverti, æqualem compoſitionem indeterminatarum modo ſequenti obtineri poſſe. Sit Curva quæcunque GDBCKL, rectæque indeterminatæ GK & LC; nec tantum, prout Des-Cartes vult, aſſumantur GI = $x$, & IC = $y$, ad curvæ naturā definiendam, ſed etiam IK = $u$, & LJ = $z$, atque ex hiſce quatuor rectis determinetur Curvæ natura: ita ſemper theorema, ut patet, invenietur, æqualem compoſitionem indeterminatarum quantitatum habens. Verum hoc non ſufficit, ſed *ſecundo* notandum, ut hæc theoremata etiam æqualem facilemque compoſitionem circa cognitas quantitates nanciſcantur, maxime attendendum eſſe, quænam cognitæ ſint eligendæ; alias enim compoſitio mirum in modum difficilis evadet, ceu calculus in ſingularibus quibusdam exemplis me docuit. Hic autem ſequentia obſervavi: ſi Curvæ natura determinata ſit, etiam lineæ maximæ TAB. IV. Fig. XI.

HB & DF dantur, per varias methodos maximum determinandi; & hinc quoque AD & AB tangentes Curvam in punctis D & B. Ex hiſce ergo AD & AB ut cognitis aſſumtis, & indeterminatis GI, IC, IK & IL theoremata inveniuntur pro omnibus curvis, æqualem compoſitionem etiam quoad cognitas habentia. *Tertio* vero, ut generalitatem theorematum talium conſequamur, expedit ut non particularibus curvis hæc adplicetur methodus, ſed omnibus ejusdem gradus in univerſum: ita enim pulcherrima proveniunt theoremata, quæ vel a tyrone analyſeos calculo inveſtigari poſſunt, ut neceſſe non ſit, plura huc adferre, præſertim cum ad alium locum pertineant. Id tantum adjicere lubet, non ſolum hac methodo problema *Bernoullianum*: Curvam invenire talem, ut ſumma ſegmentorum ad potentiam datam elevatorum ſit perpetuo eadem; ſed adhuc univerſalius, ut ſumma illa ſit ad aliam quantitatem conſtantem in quacunque ratione data, reſolvi poſſe, atque inſuper determinari, quantum in Curvis Geometricis id poſſibile ſit aut impoſſibile; Tametſi problema iſtud pluribus aliis, atque jam quidem indicavi, modis reſolvi poſſit: quos inter adeo faciles ſunt, ut vix auſim eosdem in his Actis tam Eruditi Orbis conſpectui exponere. Uti etiam reſolutio ejusdem præcipua mihi cauſa non fuit, ut theorematum ſupra dictorum mentionem facerem, ſed potius ut doctis Geometris ſignificarem, per ejusmodi theoremata univerſalia quadraturarum poſſibilitatem aut impoſſibilitatem ſingulari ratione poſſe determinari.

Ex his Lector perſpicax facile videbit, quomodo intelligenda verba mea, quibus indicavi proprietatem duorum rectangulorum æqualium non eſſe circulo eſſentialem, ſententiamque meam longe diverſam ab illa, quam Dn. *Bernoullius* fuiſſe mihi ſuſpicatur. Ipſe quoque, ſi Acta inſpicere non gravetur, deprehendet, nullibi me dixiſſe in ea illum ſententia eſſe, Curvas per focos deſcribi non poſſe, ſed tantum, quod videatur eſſe in hac ſententia. Non ignoro quidem, a nemine hactenus demonſtratum eſſe, Curvas Geometricas ex focis ſimplicibus ſeu punctis per fila delineari poſſe, ſed dudum tamen ejus rei facillima demonſtratio mihi nota fuit. Alia, quæ publico pollicitus ſum, ſuo tempore, quamprimum mea permittent negotia, conſequentur, exſolvamque, ut ſpero cuncta, quæ debeo; imo illa etiam, quæ jam A. 1690 menſe Febr. in A. E. p. 68, promiſi: cum huc usque nihil

nihil viderim, quod a mea me ſententia dimoverit, quamvis prægnantes ob cauſas adhuc ab eorum publicatione abſtinuerim.

## EXCERPTA EX TRANSACTIONIBUS PHILOS. ANGLIC. M. JAN. 169$\frac{6}{7}$.

### *EPISTOLA MISSA AD PRÆNOBILEM VIRUM D. CAROLUM Mountague Armigerum, Scaccarii Regii apud Anglos Cancellarium, & Societatis Regiæ Præſidem: in qua ſolvuntur duo problemata Mathematica a Johanne Bernoullo Mathematico celeberrimo propoſita.*

Problema I.

INveſtiganda eſt curva linea A D B, in qua grave a dato quovis puncto A ad datum quodvis punctum B vi gravitatis ſuæ citiſſime deſcendet. Tab. IV. Fig. XII.

Solutio.

A dato puncto A ducatur recta infinita APCZ horizonti parallela, & ſuper eadem recta deſcribatur tum Cyclois quæcunque AQP recta AB (ductæ & ſi opus ſit productæ) occurrens in puncto Q, tum Cyclois alia ABC cujus baſis & altitudo ſit ad prioris baſem & altitudinem reſpective ut AB ad AQ. Et hæc Cyclois noviſſima tranſibit per punctum B & erit curva illa linea, in qua grave a puncto A ad punctum B vi gravitatis ſuæ citiſſime perveniet. Q E I.

Problema II.

Problema alterum, ſi recte intellexi (nam quæ in Actis Lipſ. ab Auctore citantur ad id ſpectantia nondum vidi) ſic proponi poteſt. Quæritur curva KIL ea lege, ut ſi recta PKL a dato quodam puncto P, ceu Polo utcunque ducatur, & eidem curvæ in punctis duobus K & L occurrat, poteſtates duorum ejus ſegmentorum PK & PL a dato illo puncto P ad occurſus illos ductorum, ſi ſint æque altæ (id eſt vel quadrata vel cubi vel quadrato-quadrata, &c: ) datam ſummam PKq + PLq vel PKcub. + PLcub. &c. (in omni rectæ illius poſitione) conficiant. Fig. XIII.

Solutio.

Per datum quodvis punctum A ducatur recta quævis infinita poſitione data A D B, recte mobili P K L occurrens in D, & nominentur AD, x; & PK vel PL, y; ſintque Q & R quantitates ex quantitatibus quibuſcunque datis & quantitate $x$ quomodocunque conſtantes & relatio

tio inter $x$ & $y$ definiatur per hanc æquationem $YY + QY + R = 0$. Et ſi R ſit quantitas data, rectangulum ſub ſegmentis PK & PL dabitur. Si Q ſit quantitas data, ſumma ſegmentorum illorum (ſub ſignis propriis conjunctorum) dabitur. Si $QQ - 2R$ datur, ſumma quadratorum ($PKq + PLq$) dabitur. Si $Q^3 - 3QR$ data ſit quantitas, ſumma cuborum ($PKcub. + PLcub.$) dabitur. Si $Q^4 - 4QQR + 2RR$ data ſit quantitas, ſumma quadrato-quadratorum ($PKqq + PLqq$) dabitur. Et ſic deinceps in infinitum. Efficiatur itaque ut R, Q, $QQ - 2R$, $Q^3 - 3QR$, &c: datæ ſint quantitates, & problema ſolvetur. Q. E. F.

Ad eundem modum Curvæ inveniri poſſunt quæ tria vel plura abſcindent ſegmenta, ſimiles proprietates habentia. Sit æquatio $Y^3 + Qyy + Ry + S = 0$, ubi Q, R & S quantitates ſignificant ex quantitatibus quibuscunque datis & quantitate $x$ utcunque conſtantes; & Curva abſcindet ſegmenta tria. Et ſi S data ſit quantitas contentum ſolidum illorum trium dabitur. Si Q ſit quantitas data, ſumma trium illorum dabitur. Si $QQ - 2R$ ſit data quantitas, ſumma quadratorum ex tribus illis dabitur.

## THOMÆ CRENII
## ANIMADVERSIONUM PHILOLOGICARUM ET HISTORICARUM
### Pars ſecunda.

Lugduni Batavorum, apud Davidem Severinum, 1696. in 8vo, Conſtat plagulis ſedecim.

Qui Acta noſtra A. 1695. menſe Septembri publicata evolvere dignatus fuerit, p. 419. ſ. Animadverſionum Crenianarum partem primam memoratam, & notatu quædam digniora hinc excerpta deprehendet. Iſtam igitur cum altera nunc pars exceperit, non poſſumus, quin & de ea verborum nonnihil faciamus. Sicut autem in colligendis doctiſſimorum Virorum codicibus & manuſcriptis diligentem admodum ſe nunquam non fuiſſe Auctor clariſſimus teſtatur, (quod quidem non ſine detrimento rei ſuæ familiaris factum, p. 92. harum Animadverſionum monet,) ita nunc etiam non natas ſolum ex diverſorum codicum collatione obſervationes varias, ſed varia quoque *κειμήλια*, nondum hactenus impreſſa, cum erudito Orbe communicat. Ini-

Initium præſentis partis cum initio prioris conſpirat, dum exempla aliquot omiſſarum in repetitis librorum editionibus dedicationum præfationumque veterum recenſere pergit. Paſſim vero deinceps ea inſerit, quæ ad noſcendos plenius Scriptores quosdam celebriores, qua veteris, qua recentis ævi, pertinere videntur; quandoquidem de cujusvis & perſona & editis in lucem publicam monumentis judicia, utplurimum in utramque partem lata, refert. Legas proin non pauca hujus generis, eaque ad curioſi cujusvis palatum futura, de Alberto M. p. 2, de Vitruvio & Horatio p. 10, Plutarcho & Vellejo p. 12, Henrico Cornelio Agrippa (cujus mentionem dum facit, rationes ſimul allegat, ob quas a magiæ crimine, quod ipſi plures intentant, abſolvendus ſit,) p. 13, Jacobo Sadoleto p. 17, Aonio Paleario p. 18, Conrado & Johanne Bergiis p. 27. 37, Jac. Acontio p. 30, Paulo Merula, Gaudentii filio, p. 110, Andrea Duditħio, (quem potius Duditium ſcribendum eſſe, e quadam epiſtola manu ipſiusmet exarata probat,) p. 138, Conrado Graſero p. 155. 164, Petro Kirſtenio p. 168, Bodino p. 177, Avicenna p. 184, Phalaride, (quem a quamplurimis ob tyrannidem illius non immerito culpari, ſed ob ingenium ſingulare magni nihiloſecius æſtimandum ſiſtit,) p. 177, Eſromo Rudingero p. 195, & aliis.

Sed & ad veteris Eccleſiæ Doctores oculum ſubin reflectit Auctor; velut ubi in epiſtolarum, quæ S. Ignatio vulgo tribuuntur, *γνησιότητα* inquirit, earumque editiones p. 33. delineat; ubi Ambroſium illius in Epiſtolas Paulinas commentarii, qui ſub ejus nomine circumfertur, auctorem eſſe p. 87. negat; ubi nec ſermonem de cruce & paſſione Domini, nec librum de paſſione imaginis Chriſti, ab Athanaſio confectum, p. 88. & 165. perhibet.

Nec varia eruditorum quorundam *παροράματα* notare omittit. Maxime autem in J. H. Heideggerum cenſoriam ſtringit virgulam, eumque in ſuo, quod edidit, Enchiridio Biblico, ſæpius & nomina & religiones Commentatorum confudiſſe, ſæpe quoque in productis eorum ad S. Biblia lucubrationibus ceſpitaſſe, nec raro optimas interpretationes omiſiſſe, p. 101. oſtendit. Antonium Teiſſerium cum Placcio provocare ait ad Philippi Melanchthonis carmen elegiacum Græcum, quo is Siracidem reddiderit. Aſt vero ſe iſtud nec vidiſſe unquam, nec credere, quod in eo conficiendo ille

occupatus fuerit, p. 23. teſtatur. Quæ in Gerhardi Joannis Voſſii Hiſtoria Pelagiana carpit & ſupplet, p. 114. & ſeqq. legi commodius, quam heic referri a nobis poſſunt, idemque eſto judicium de iis, quæ p. 82. ad Salmaſii Defenſionem Regiam obſervat.

Erudita non minus ac jucunda ſunt, quæ p. 82. diſſerit ad quæſtionem: utrum olim Hebræorum Rex, ſi ſui immemorem officii ſe geſſiſſet, verberibus expoſitus fuerit? quam quidem negando definit. De modis ſepeliendi variis, & ſigillatim de ſepultura in templis, p. 155. lemmata peculiaria coacervat. Pag. 169. verba 1. Pet. III, 6. illuſtrat, virumque olim ab uxore frequentiſſime vocatum reperiri dominum edocet. Dextrumne an ſiniſtrum latus Chriſti perfoſſum fuerit, p. 164. ex aliorum mente diſputat. Libelli, cujus titulus: *Seſquiſeculum Anglicanum*, auctorem credi Jacobum Thomaſium p. 89 affirmat.

Quod ad MSta ab Auctore in medium producta attinet, in duas ea claſſes non incongrue diviſeris, in quarum una epiſtolas, in altera vero annotata eruditorum ad libros integros collocaveris. Inter epiſtolas occurrit p. 97. aliqua Salmaſii ad Curatores Academiæ Lugduno-Batavæ, in qua moras ſuas in Gallia excuſat, aliaque p. 99. idem agens ad Jo. Weulinchovium, urbis Lugdunenſis Syndicum. Pag. 57. ſeq. prolixa legitur fanatici illius, Petri Serrarii, epiſtola, in qua de fatis ſuis multa fidenter diſſerit. Pag. 131. Jac. Acontii literas, judicium de dogmate Sabellii circa Chriſtum Dei filium continentes, exhibet. Pag. 153. Lingelshemii apparet ad Scipionem Gentilem epiſtola, quæ judicium fert de Andrea Duditio. Omittimus ipſius Duditii p. 140. allatam epiſtolam, & alias Pauli Merulæ, Simonis Epiſcopii, Stephani Curcellæi, Jac. Arminii, quas p. 113. 127. 130. legere eſt.

Quæ manu ſua ad Conradi Bergii Praxin Catholicam Divini Canonis paſſim annotarit Rivetus, p. 27. recenſet. Stylum quoque a Salmaſio in Defenſione Regia adhibitum, adſcriptis ad marginem notis, a viro quodam literato paſſim taxatum, p. 90. conſpiciendum dat. Pag. 10. refert, eſſe apud ſe exemplar Horatii, a Jano Rutgerſio anno 1613. editi, ad cujus frontiſpicium hæc ſua manu conſignarit Rutgerſius: Dan. Heinſio J. Rutgerſius D.D. in talis amoris ſignum, qualem neque unquam fuiſſe ſcio, neque futurum puto. Frater fratri.

Gerhardi

Gerhardi tractatum de Interpretatione Scripturæ Sacræ, ejuſdemque argumenti librum Wolffgangi Franzii, Dannhaueri Hermeneuticam, Glaſſii Philologiam, Zeiſoldi Logicam Sacram, Theſaurum Grammaticum Buxtorfii, Grammaticam Græcam Sacram Novi Teſtamenti Georgii Paſoris, Caſparis item Finckii & Mœbii Canones junctim ſe edere, & imprimis Glaſſii Philologiam accuratiſſimo indice augere velle p. 107. innuit. In addendis atque emendandis incidiſſe ſe ait in egregium quoddam epiſtolarum Scaligeri exemplum, quod vir doctus quispiam manu ſua totum correxerit, & notis in margine poſitis nonnullibi auxerit, novæ etiam editioni, ut ex libri principio conſtet, pararit. Id, ſi deſideretur, typographo ſe haud negaturum, quin & plures Scaligeri epiſtolas nondum editas adjecturum pollicetur. Interim tractatum aliquem jam A. 1669. impreſſum, ſed brevem admodum, Joſephi nempe Athiæ defenſionem contra Samuelis Mareſii judicium de Bibliis Hebraicis, per Judæum illum A. 1667. editis, heic p. 121. recudi fecit.

Deinde prolixam ſubjicit præfationem, quæ ante Faſciculum ſecundum Diſſertationum Hiſtorico Critico-Philologicarum (de quarum collectione a Crenio noſtro ſuſcepta olim A. 1691. p. 335. diximus,) legi debuiſſet. In hac de numiſmate cenſus ad Matth. XXII, 18. varias affert opiniones, & occaſione tractatuum in Faſciculo illo obviorum, imprimis de Paradiſo terreſtri, deque adagiis Scripturæ S. multa commentatur.

PROJET d'UNE NOUVELLE VERSION FRANÇOISE DE LA BIBLE &c.

*id eſt:*

*LINEAMENTA NOVÆ VERSIONIS GALLICÆ SACRARUM Literarum, quibus & argumentis & autoritatibus allatis evincitur, Verſiones hactenus editas in plerisque locis textus originalis ſenſum minus apte repræſentate, adeoque perquam eſſe neceſſarium, ut nova eaque melior verſio concinnetur: quam etiam molitur Lineamentorum horum Autor,*

CAROLUS LE CENE,

Roterodami apud Petrum van der Slaart, 1696. in 8.

Alphab. 2, plag, 10.

VIr clariſſimus, qui ſuum de adornanda nova verſione Gallica S. Litera-

Literarum conſilium, ſpecimine iſto edito eruditis innoteſcere voluit, id in eo potiſſimum egit, ut earum, quæ hactenus procuſæ ſunt, Gallicarum verſionum, & Genevenſis præſertim, nævos per certas
c. I. quaſi claſſes diſponeret. Sub initium itaque ſtatim in iis reprehen-
p. 4. dit, quod frequentes adeo voces Hebraicas, quales in V. T. *Schilo*, *Hazazel*, *Hallelujah*, in Novo *Rhaca*, *Mammona*, *Gehenna* & aliæ
c. II. conſimiles ſunt, quas interpretari merito debuiſſent, retinuerint. Deinde quam parum recte ſentiant illi, qui literæ textus originalis ſtrictiſſime inhærendum eſſe exiſtimantes, verſiones quæ plane intelligi nequeant, procudi velint, oſtendit. Cumque ii hanc ſuam ſententiam Moſis Deut. IV, 2. & S. Johannis Apoc. XXII, 18. autoritate niti
p. 15. exiſtiment, loca illa ex Fagii Grotiique mente explicata nihil plane ad præſens negotium facere evincit, atque tam rationibus pue-
p. 17. rilem iſtam ſuperſtitionem impugnat, quam exemplis compluribus monſtrat, quam nullo plane ſenſu pleraque vertantur, ſi literis & apicibus ſtricte nimis inhæreamus. Sic v. g. 1. Tim. II, 14. facillime
p. 18. intelligi poſſe verba Pauli exiſtimat, ſi ex commate præcedente vox *primus* repetatur, hoc modo: *Et Adam non eſt ſeductus primus* &c. Sic alia quam plurima loca in verſionibus vulgatis oppido obſcura,
c. III. in luce clariori poſſe collocari, obſervat. Cum autem porro ea, quæ figurate in S. Literis dicuntur, facile turbare rudiorum mentes poſſint, non abs re fore cenſet, ſi interpres propriis verbis illa elo-
p. 20. quatur. Ubi itaque de manibus Dei ſermo, omnipotentiam ejus, ubi de oculis, ſcientiam, ubi de viſceribus, miſericordiam mavult ſub-
p. 27. ſtitui. Taxat propterea verſionem Genevenſem, quæ Ebraicam vocem פנים, *faciem* proprio ſignificatu, figurato *iram* ſæpiſſime denotantem, *faciem* tamẽ frequentiſſime tranſtulerit, ubi de *ira* ſermo
p. 28. eſt: quam & alias hujusmodi expreſſiones ſuperſtitioſe nimis quan-
p. 29. doque inculcare arguit. Præſertim autem obſervat, hyperbolicos iſtos loquendi modos, quibus orientalium autorum more ſacri Scriptores uſi fuerunt, neutiquam ſecundum literam eſſe accipien-
p. 30. dos. Sic omnem iſtum Eſaiæ ſermonem, quo capitis XIII commate 10 terribile Dei judicium, in Babylonios exercendum, ob oculos ponere auditoribus ſuis ſategit, non alium quam iſtum ſenſum admittere dicit: *terribilia mala Regibus Babyloniæ evenient, incidentque illi in manus inimicorum ſuorum, qui crudeliſſime, nulla miſericordia*

*cordia tacti, in eos deſævient.* Et quamvis in hujusmodi locis ſenſum tantum exprimendum eſſe, verbis omnino repudiatis, non judicet, cum verba æque illuſtria linguæ noſtræ ſuppeditare nequeant; id tamen, quod Chriſtus de Regina Sabæ dicit, veniſſe eam ab extremis terræ, vertendum omnino putat: *quod venerit e regione valde diſſita.* Sic phraſes, quibus omnes homines mendaces dicuntur, aliasque conſimiles, additis vocibus *pene, ferme*, vel aliis hujus generis mitigandas cenſet. Sic, ut id quoque addamus, Gen. XI, 1. vertendum eſſe autumat: *omnes terræ incolæ eodem animo erant, eadem conſilia agitabant.* Dum autem ita in verſionibus reformandis verſatur, quæ fata olim hodieque experti fuerint, qui tale quid auſi ſunt, Hieronymus, Santes Pagninus, Eraſmus, Junius & Tremellius, Beza, item ii qui verſionem, quæ ex Portu Regali prodiit, concinnarunt, expendit: quorum tamen omnium, utcunque primum impugnatorum, cum grata mente plerique operam hodie agnoſcamus, ſibi quoque de omnium favore non deſperandum cenſet. Præcipue cum ii, qui vel impenſiſſime favent Genevenſi translationi, omnino tamen mendis eam carere affirmare non audeant; ipſi proinde ejus emendationem, quæ tamen plerumque in exoletarum vocum phraſiumque eliminatione ſubſtiterit, aliquoties aggreſſi: quo tamen poſtremæ Synodi Nationalis Eccleſiarum Gallicarum, quæ celebrata fuit Julioduni anno 1659, decretis nondum ſit ſatisfactum. Iſtis obiter annotatis, ad verſiones literæ textus originalis ſtricte nimium inhærentes redit, quas vix alteri cuiquam uſui inſervire poſſe, quam linguæ Ebraicæ Græcæque addiſcendæ putat; unde & Santes Pagninus aperte profiteatur, harum linguarum ſtudioſis ſolummodo operam translatione ſua navare ſe voluiſſe. Inſtruendæ autem in voluntatis divinæ cognitione Chriſti plebi plane idoneas illas non eſſe cenſet; indeque Auguſtino quoque & Hieronymo improbatas eas fuiſſe docet: imo Chriſtum quoque atque Apoſtolos, Veteris Teſtamenti allegantes teſtimonia, ſenſum ſæpius, quam verba repræſentaſſe obſervat. Atque ut fortius impugnet verſiones literam exacte nimis ſequentes, earum abuſum plerisque ſuperſtitionibus originem dediſſe docet. Et inter alia hujus rei exempla, validiſſima Romanæ Eccleſiæ argumenta, quæ ex S. Scriptura pro Sanctorum cultu petere ſolet, evaneſcere ob-

p. 41. p. 43. p. 50. c. IV. p. 58. c. V. c. VI. p. 82.

re obſervat, ſi inepta translatione literali neglecta, ſenſus exponatur.
c.VII. Quemadmodum autem verſiones nimium literales ſuperſtitiones, ita errorum inutiliumque controverſiarum vaſtiſſimam molem hujusmodi verſionum nævos peperiſſe, deinceps conqueritur. Sic Origenem, & ante eum Judæorum haud paucos, de impiorum
p. 88. dubitaſſe reſurrectione, quod ſecus, quam debebant, acciperent verſaque haberent loca Davidis Pſalm. I, 5. & Eſaiæ cap. XXVI, 14. Sic Diabolis ad gratiam reditum patere, eundem Origenem confirmaſſe ex Pſ. XXXI, commate 20, nihil habente, quo ejus errorem retunderet, Auguſtino, cum LXX Senum verſio manifeſte Origeni favere videretur. Sic quoque, ut alia taceamus, unicæ vocis Luc. XIV, 23
p. 94. falſam interpretationem arma Pontificiis ſuppeditaſſe, quibus ſuam de hæreticis interficiendis perſequendisque doctrinam parum humanam tueantur. Præterea plane ineptas eſſe verſiones literæ nimis
c. VIII. inhærentes, quæ plebis Chriſtianæ uſibus inſerviant, evincit; adeo eas eſſe obſcuras, ut intelligi non poſſint, ingenti exemplorum farragine demonſtrans. Ex iis ut unum e multis commemoremus, ob-
p. 111. ſcuriſſimum eſſe monet, prout in omnibus fere verſionibus exhibetur, locum Geneſ. IV, 7. In eo tamen ſi obſervetur, vocem שאת opponi verbis proxime præcedentibus ויפלו פניו, adeoque elevationem vultus ſignificare: per חטאה autem notari ſacrificium expiatorium, quod deinceps לפתח h. e. ad oſtium tabernaculi offerri ſolebat, perquam claram emergere verſionem iſtam exiſtimat: *Si bene agis, vultu eris erecto: aſt ſecus ſi feceris, expiatorium ſacrificium ad oſtium nonne procumbet? Et Abel ad te confugiet, tuaque autoritati ſeſe ſubmittet.* Id enim ultima verba ſibi velle, ex ſimili
c. IX. phraſi Geneſ. III, 16 probat. Hujusmodi exemplis compluribus coacervatis, aliis quamplurimis oſtendit, verſiones parum accuratas id efficere haud raro, ut ſibi ipſi contraria Scriptura eſſe videatur.
p. 153. Inter quæ ultimo loco minime reponit id, quod Ez. XX, 25 de legibus ſuis non bonis dicere Deus videtur; quem tamen locum nihil omnino difficultatis habere ait, ſi ſuppleatur in verſione omiſſa per ellipſin interrogativa ה, & vertatur ac ſi legatur וגם־האני *Atque num quæſo ego dedi iis præcepta, quæ bona non ſunt?* Aliis op-
p. 168. pido multis Scripturæ locis ad hanc claſſem ſpectantibus examinatis, per ſaturam quaſi nonnullos verſionum nævos indicat, atque im-

imprimis de nominibus quibusdam divinis agit, quomodo ea rectiſſime transferenda ſint, exponens: nec non de vocibus quibusdam Hebraicis, quales *Rephaim*, *Ariel*, *Theli* & conſimilibus, qua- p. 180.
rum difficilior eſt interpretatio: & ſpeciatim de arborum plantarumque nominibus, quæ ſæpe in verſionibus vernaculis confundi & per- p. 217.
peram exponi ſoleant. Ea inde loca hujusmodi verſionum notat at- c. X.
que emendat, in quibus gemmarum nomina male expreſſerunt. Qui- p. 260.
bus denuo diverſi generis errores ſubjungit, ac poſtea eos com- p. 266.
memorat, quibus rituum morumque veterum ignorantia occaſionem p. 271.
dedit. Quam varie porro in ponderibus & menſuris explicandis c. XI.
verſiones aberraverint docet, utpote quas vel Ebraicis nominibus ſervatis plane non, vel perperam explicaverint. Perſonarum quo- c. XII.
que ſæpius nomina cum regionum gentiumque nominibus confuſa eſſe obſervat, non attendentibus S. Literarum interpretibus, regna, urbes & nationes autorum fundatorumque ac regum ſuorum nominibus frequentiſſime appellari. Ejus rei exempla illuſtria ex p. 318.
Geneſ. X, & 1. Chron. I. affert: ibi enim commemoratos *Mitſraim*, *Ludim*, *Kittim* &c. pro ſingulis perſonis, verſionum vitio, a plerisque haberi ait, per quos tamen integræ nationes ſint intelligendæ. Speciatim quoque hic agit de phraſibus πᾶσα ἡ γῆ, πᾶσα ἡ χώ- p. 320.
ρα & conſimilibus, in quibus haud raro verſiones impingant. Nominaque regionum locorumque ſtudioſe annotat, quæ monſtris factisque incredibilibus, monſtroſe explicata, locum fecerint. Quemadmodum Judic. XV, 19 omnes verſiones petram mortarii inſtar excavatam, quæ *Mactes* appellabatur, in aſini maxillam transmutaſſe, Vatablus, Junius, Tremellius & L. de Dieu obſervarunt. p. 323.
Regiones porro populosque cum regionibus populisque confuſos eſſe, ſæpiſſime notat: ſimilesque errores in fluviorum & marium p. 330.
transferendis nominibus admiſſos docet; item in iis, quæ ad perſo- p. 332.
nas pertinent, aliasque rerum circumſtantias: ubi inter alia quam- p. 362.
plurima loca, quæ de Judæorum in patriam reditu agunt, de eorum p. 367.
converſione, & vice verſa, quæ ad converſionem eorum pertinent, de reditu in patriam accepta eſſe obſervat. Integro poſtea eoque c. XIII.
ſatis prolixo capite oſtendit, omnia fere animalia, quorum in S. Oraculis mentio eſt, vel in alias plane res in verſionibus transmutata, vel perperam inter ſe confuſa eſſe. Aſt cum hactenus recenſiti er- c. XIV.
rores

rores exigui eſſe momenti quibusdam videri queant, jam denique ad graviores procedit, quos impiorum hominum flagitiis patrocinari
p. 431. poſſe perſuaſum habet. Sic locum Deut. XXI comm. 11 ſeqq. prout in Genevenſi, Tigurina & Vulgata verſione habetur, minime exprimere ait averſionem, qua Deus proſequatur libidinoſos cum exteris atque captivis concubitus: quam longe rectius ſignificet, ſi ita vertatur: *Si videas inter captivas egregiæ formæ fœminam, ejusque amore capiaris, ita ut eam rapias* (violentum enim raptum hic ſignificari putat) *quo uxor tua evadat: in domum tuam adducatur, ſuumque caput tondeat, & ungulas creſcere ſinat* (ut ſcilicet hac deformitate ſua a conſilio tuo te avertat) *imo & veſtimenta* (elegantiora) *dimit-*
p. 458. *tat, quibus, cum caperetur, induta fuit.* Præſertim autem hac occaſione verſionem Genevenſem caſtigat in omnibus iis locis, in quibus de induratione in peccatis agitur, vel de divina etiam circa peccata providentia, quæ ita in ea plerumque repræſententur, ut ad Deum in-
p. 469. durationis peccatorumque culpa redundet. Locum quoque 2 Reg. V, 18 inter alia producit, quem ita plerumque verti ægre fert, ut favere videatur iis, qui aulicis miniſteriis implicati, ſuperſtitioſis cæremoniis quandoque aliquid tribuere coguntur: cum plane non faveat, ſi, quod patiuntur Hebraica verba, ita vertatur, ut de præte-
p. 473. rito tempore Naaman loqui intelligatur. Ea porro loca ex inſtituto examinat, quæ opinionem parere poſſent, ac ſi Dei conſilio & prædeterminatione horrenda maxime crimina patrata fuerint, qualia ſunt Act. II, 23. IV, 27. 28. 1 Pet. II, 8 &c. item alia, quibus Deus autor humanæ infelicitatis videtur conſtitui. Et quis omnia enarraret, quæ offenſioni in plerisque verſionibus eſſe poſſent, a cl. Autore accurate plerumque indicata? Ad finem denique properan-
c. XV. dum, quem huic ſpecimini imponit, ubi æquivocas Ebraici Græcique textus voces, multis verſionum erroribus originem dediſſe monſtraſſet: quas, cum eo ſenſu eſſent explicandæ, qui ſcopo ſacrorum Scriptorum convenientiſſimus eſt, ita plerumque expoſitas eſſe obſervat, ut opiniones ſectæ, in qua nomina profitebantur interpretes, exigere videbantur, vel etiam ſenſu plane obſcuro eſſe
p. 775. translatas. Ut hic quoque ex tot exemplis illuſtriſſimum aliquod adducamus, omnem de Juſtificatione controverſiam pendere ab æquivocis vocum δικαιῶν & πίςις acceptionibus monet. Cum enim

nim illa quandoque *abſolvere reum*, nonnunquam *condemnare* eum, alibi *juſtum facere*, item *juſtitiam inſpirare*, vel *media juſtitiam exercendi ſuppeditare* ſignificet: hæc autem nonnunquam *ſimplicem perſuaſionem*, nonnunquam *fiducialem apprehenſionem*, imo *objectum* etiam *fidei* notet; facile omnes illas de Juſtificatione noſtra coram Deo controverſias componi poſſe arbitratur, ſi ubique ſcopo conveniens vocibus iſtis explicatio adhibeatur.

### *OEUVRES MESLÉES DE MONS. CHEVREAU.*
### *Id eſt:*
### *OPUSCULA MISCELLANEA URBANI CHEVRÆI.*

Hagæ Comit. apud Adr. Moetjens, 1697, 12. alph. 1. plag. 6.

URbani Chevræi nomen jam tum illo tempore in republica litteraria clarum extitit, quo Chriſtina Sueciæ Regina florem virorum eruditorum ex Germania, Gallia, Belgio in ſuam aulam evocaverat. Nam & Chevræus ſummis illis viris admixtus eſt, quorum doctiſſimis ſermonibus Pallas illa Borealis ardua imperii negotia diſpungere conſueverat. Chriſtina regno abeunte, Noſter auctorari ſe paſſus eſt, ut Regi ſucceſſori eſſet ab epiſtolis. Exardeſcente vero belli Polonici flamma, Lodunum in patriam reverſus ad otium litterarium ſeſe retulit, perſcriptisque ad eruditos Galliæ viros, inprimis Tan. Fabrum, litteris, ingenii variæque doctrinæ ſtricturas ſubinde emiſit. Viciſſim doctiſſimus ille Salmurienſis Profeſſor eidem Chevræo plures epiſtolas philologicas a ſe editas inſcripſit, ex quibus perſpicere licet, quantum is huic Viro in critica arte tribuerit. Unde haud immerito Bailletus, in Judiciis Eruditorum de præcipuis Criticis parte II Tomi II pag. 488, Urbanum hunc inter illuſtriores Grammaticos ſeu Criticos retulerat, qui quidem ipſius ævo floruerint. Quod quum ita accipi potuiſſet, ac ſi in vivis non amplius eſſet Chevræus, Bailletus in iis, quas Judiciis Eruditorum de Poetis præmiſit, priorum tomorum Correctionibus pag. 202, lectores admonuit, non modo ſupereſſe ipſum, ſed & parare opus Chronologicum & Hiſtoricum: quod quidem Gallice ſcriptum, præferensque titulum *Hiſtoria Mundi*, anno 1686 prima vice Pariſiis eſt editum, cumque denuo anno 1689 prodiiſſet, a nobis in Tomo I Supplementorum pag. 390 fuit recenſitum, nuncque quartum

multis acceſſionibus locupletatum proditurum dicitur. Hujus ergo Scriptoris, qui maximum hujus ſeculi ſpacium vivendo emenſus eſt, anno quippe tertio decimo hujus ſeculi (quod effigies operi præmiſſa indicat) in lucem editus, *Miſcellanea* nunc ſiſtimus, quibus continentur Epiſtolæ & Poemata, diverſis quidem temporibus conſcripta, multa tamen a grandævo Sene his proximis annis ſic elaborata, ut de ingenii elegantia ac viriditate ſenectutē nihil detraxiſſe ſentiamus. Poſſunt vero non incommode ad duo veluti capita referri, quæ his opuſculis continentur. Alia enim ingenium & eloquentiam Scriptoris ſapiunt: alia multam lectionē & eruditionem variam, in emendandis dijudicandisve veterum & recentiorum ſcriptis produnt. Quanquam & ingenii operibus gratos Chevræus aſperſit eruditionis floſculos, & eruditæ κρίσεως ſeveritatem amœno ingenii lepore mitigavit. Neque enim ex illo genere eruditorum eſt, qui cruda & indigeſta multarum rerum notitia onerarunt memoriam, multæque lectionis laude omnem eruditionis ambitum metiuntur; ſed ita in veterum Romanorum, Græcorum, Hebræorum, Arabum etiam, monumentis verſatus eſt, ut altero oculo vitam moresque hominum reſpiciens, ex variæ doctrinæ copiis fructum perciperet ſapientiæ. Hinc factum, ut ingenii elegantiæ non modo nihil effecerit contracta cum veteribus familiaritas, ſed lumen potius illi decusque conciliaverit. Cui rei argumento ſunt non minus polita hæc, quam erudita Miſcellanea, in quibus primum locum tenent Epiſtolæ, inde usque ab anno hujus ſeculi LII ad amicos perſcriptæ: quarum prima negat vitio vertendam carminis lugubris ſcriptori aliquam negligentiam; neque enim luctui convenire periodos calamiſtratas & ad numerum cadentes. Altera in Scuderio, nobili inter Gallos Eroticorum ſcriptore, laudat ingenii fertilitatem, & ad inſtar Jovis Lucianici τοκάδα κεφαλὴν, eundemque Platonicæ philoſophiæ, non fructibus modo ſed & floribus conſpicuæ, in genere epiſtolico vocat inſtauratorem. III ad Salmaſium data queritur, Gallos mutuis obtrectationibus in aula Suecica nomen ſuum gentile infamare. IV ſolatur Triſtanum, Poëtam Gallum, cujus verſus Reginæ Suecorum minus placuerant: multisque exemplis probat, viros doctiſſimos in ferendis ſententiis inter ſe diſſidere, rejicientibus aliis, quæ ab aliis fuerant laudata. V Dujatio Jurecon-

p. 1. p. 4. p. 7. p. 9. p. 11.

reconſulto Pariſino confirmat, magni eum a Regina Suecorum fieri, litteraſque illius magnopere probari. VI in Medicum, eundemque Poëtam peſſimum, Burdelotium invehitur. VII deplorat obitum Balſaci, quem parentem vocat eloquentiæ Gallicanæ. VIII Chriſtinæ animum vitæque rationem prorſus immutatam, poſt abdicationem regni, fatetur; negat vero illam vi aut neceſſitate adductam deſcendiſſe ſolio regio, ſed ſua ſponte id conſilii cepiſſe aſſeverat. IX ridet carminis cujuſdam tumorem. X venuſte gratulatur Razillio præfecturam Hagenoæ militarem. XI in depravatum Provincialium poëtarum guſtum ludit, & ſacram quoque poëſin omnes delicias & Veneres carminis recipere, exemplo Sanctamantii docet. XII Tanaquillo Fabro amicitiam, quam expetierat, offert; timetque, ne exemplo Scaligeri & Salmaſii, a Batavis & ipſe Galliæ eripiatur. XIII ejuſdem fere eſt argumenti, ſed exigente Fabro Latine ſcripta. XIV Fabricio Theologo Heidelbergenſi vices reddit, qui litteris ad Fabrum datis Chevræum noſtrum laudaverat. XV Criticum quendam explodit, qui Balſacium negaverat eloquentem, nec Scaligeros a Principibus Veronæ oriundos fuiſſe concedere voluerat; quorum gloria litteris quæſita longe ſit anteponenda nobilitati generis. XVI exponit Bocharti ſententiam, unde ad Gentiles profluxerit opinio a Judæis aſinum adorari; ejuſdemque argumenti Diſſertationem a Jo. Frontone conſcriptam petit. XVII deprecatur laudes a Lud. Frontone in ſe congeſtas. XVIII negat Alexandro Moro, ad eruditum quoddam certamen provocato, opus eſſe ſuo auxilio. XIX agit de ratione commentariorum ſuorum in Malherbam, celebrem Poetam Gallum. XX recuſat oblatum ſibi a Duce Briſſaco Canonici locum. XXI amico ſcripta a ſe edita petenti negat ſibi ulla ſupereſſe, eaque optat periiſſe, indicatque nævos, quibus ea laborent. XXII judicium fert de Alex. Moro, tunc Eccleſiaſte Carentonenſi, viro diſerto & Latinis, Græcis atque Orientalibus litteris probe exculto: quem vulgus Dallæo prætulerit, ſed qui Dallæum non ſibi modo, verum & Calvino ipſi, anteponendum cenſuerit. Videatur & de eodem judicium p. 409. XXIII, eaque Latina, ejuſdem Mori promiſſas requirit epiſtolas. XXIV ſenis cujuſdam cum juvencula inauſpicatum matrimonium facete narrat. XXV mittit ad Fabrum tres characteriſmos ſeu ethopoeias, ut Rhetores vocant, Tre-

p. 13. p. 15. p. 17. p. 20. p. 21. p. 23. p. 26. p. 27. p. 31. p. 34. p. 37. p. 39. p. 41. p. 41. p. 43. p. 45. p. 47. p. 49. p. 50. p. 52. p. 60.

p. 78. molliæ Duci exhibendas. XXVI poemata Frizonis e Soc. Jeſu ſibi
p. 80. donata laudat. XXVII juſſu Landgraviæ Haſſiacæ ab auctore Caſſel-
lis agente ad illuſtrem fœminam Gallicam exarata, tota eſt officioſa,
p. 84. & in laudibus ejus verſatur, ad quam ſcripta eſt. XXIIX narrat, ſe
ex ſolitudine & otio in lucem & negotia rurſus protractum, nunc
Hafniæ agere, ubi aulæ regiæ ſanctitatem ſatis mirari non poſſit.
p. 86. XXIX relicta vita actuoſa in otium & ſeceſſum ſuũ redire cupit, fruiq;
voluptate ex floribus ab amico ſibi promiſſis. XXX modeſte
p. 88. elevat ſpem ab amico injectam, fore, ut ipſius quoque ratio habeatur
inter eruditos illos, quibus Regis Galliæ liberalitas annuum hono-
p. 90. rarium conſtituit. XXXI vitam tranquillam & otium litteratum
præfert ſplendori & potentiæ, quæ publica & tumultuoſa vita para-
p. 93. ri poſſit. XXXII Dacerium filium patri remittit, affirmans littera-
p. 94. tis in aula vix ullum relinqui locum. XXXIII laudat Frizonis Diſſer-
p. 96. tationem de poemate, & XXXIV ejusdem Xaverium, proſa &
p. 98. carmine deſcriptum. XXXV deterret a verſibus ſcribendis ami-
cum, qui invitis Muſis carmina pangebat; & quum veritatem hanc
illi ingratam fore ſuſpicaretur, hiſtoriolam affert de Chriſtina Regi-
na, quæ Romæ ſtatuam nudæ veritatis magna voluptate intuens
& dilaudans, Cardinale quodam, qui officii cauſa illam ſequeba-
tur, exclamante, rarum eſſe in Regibus amorem veritatis, dixerit:
p. 101. *credo, neque enim omnis veritas eſt marmorea.* XXXVI eſſe do-
ctos quosdam ingenii & judicii expertes, & contra ingenioſos mul-
tos & diſertos nulla doctrina imbutos, gemino exemplo compro-
p. 104. bat. XXXVII ſuas in Malherbæ poemata obſervationes manuſcriptas
ab amico cum Menagio communicatas, & ab hoc excerptas editasque
p. 108. pro ſuis queritur. XXXVIII dotes P. Oliverii, cujus libro quodam
p. 109. donatus fuerat, prædicat. XXXIX notat Poetam quendam venæ ſteri-
lioris, ſed ſibi valde Suffenum, & carmina in orationem proſam
p. 111. translata Venere ſua exui obſervat. XL Cenomanenſium Duci
p. 114 novum annum gratulatur. XLI e verſu Gallico efficit epigramma
Latinum in Joſ. Scaligerum, & verſionem duorum Virgilii verſuum
p. 116. affert. XLII in Rabbinorum lectione quæ occurrant ridicula &
abſurda, & contra, quæ ſcite dicta & ſapienter præcepta, refert,
p. 125. nonnulla etiam verſibus exprimit. XLIII diſputat de Pſyllis, qua
arte ſerpentum morſus curaverint; & ſimul de variis antidotis diſ-
ſerit.

ſerit. XLIV amico adverſa valetudine laboranti reſpondet, ſibi p. 134.
(tum octogenario) cauſam non eſſe, cur ſenectutem vocet morbum;
eruditionis vero ſuæ quæ ſit ratio, modeſte oſtendit. XLV illuſtri p. 137.
Fœminæ promittit librum quendam ſuum ſimul ac prodierit, ei-
demque indicat, ſe in uſus ſuos confeciſſe librum precum e ver-
bis Scripturæ contextum, quem inſcripſerit *Breviarium Eremitæ.*
XLVI duas fœminas depingit, alteram deformem, exſuccam & ta- p. 139.
citurnam, alteram loquaculam & licentiorem. XLVII fruſtratus p. 141.
promiſſis a Monacho floribus, nusquam tutam eſſe fidem conque-
ritur. XLIIX ſeni octogenario exprobrat ſtudium poetandi Apol- p. 144.
line nullo, & XLIX reprehendit ejus conſilium nuptias contrahen- p. 148.
di cum puella vicina. L deflet obitum Car. Catonis Curtii, (ad p. 151.
quem extat epiſtola Latina p. 241.) & quantus vir fuerit, oſtendit. p. 153.
Hinc pluribus Epiſtolis metro illigatis Cenomanenſium Duci, Lu- ſeqq.
dovico Auguſto Borbonio, Regis Galliæ filio naturali, diſciplinæ ac p. 220.
fidei ſuæ credito, ſaluberrima præcepta morum inſtillat, eundem- ſeqq.
que litteris aliquot Latinis ad ſtudium linguæ hujus potiſſimum ex- p. 359.
citat. Quæ ſequuntur Epiſtolæ, ſunt criticæ & philologicæ, quibus 538. 547.
vel carmina Gallica inter ſe aut cum Italicis Latinisque contendit, p. 361. 369.
fontesque imitationis unde profluxerint, demonſtrat: vel etiam de 527. 609.
Græcis Latinisque convertit, aut ab aliis converſa examinat: vel p. 243. 253.
locutiones quasdam & translationes tuetur Græcorum Latinorum- 279. 286.
ve auctoritatibus, ac recentiorum magni nominis Poetarum exem- 384. 522.
plis illuſtrat. Nonnunquam & vitia ſtyli notat, veluti inanes argutias, p. 263. 363.
frigidas alluſiones, translationes audaciores, hyperboles uſum nimiũ 525.
& intempeſtivum, gentilium Deorum nomina vero Deo profane p. 504.
applicata, obſcœna, κακέμφατα, quæque pudori & honeſtati ullo mo- p. 376.
do adverſantur, metaphoras rerum dignitati impares, aliena aut re- p. 487. 520.
pugnantia rerum attributa, ut cum faci tribuitur invidia. Obſervat p. 598.
quoq; plurima, quæ ad linguæ Gallicæ uſum & puritatem inprimis faci- p. 269. 274.
unt. Sed & in vocum originem, proprietatem & ſignificationem inqui- 311. 443. uſq;
rit: veluti quod ſit etymon *Tragœdiæ*, *Gehennæ*; Narciſſum florem non ad 487.
traxiſſe nomen a puero fabuloſo; quis color dicatur purpureus, κυά- 539. 541. 593.
νεος; quomodo mors ab Homero dicatur purpurea; vocabula *fortis*, p. 342. 427.
*pulcher*, *bonus*, ſignificationes inter ſe permutare; verba ſenſui cuidam p. 346.
propria ad alios ſenſus transferri, ut verba viſus ad auditum, & contra; p. 250. 336.

 *tenu-* 352. 334.

p. 381. *tenuem* frontem Horatio eſſe anguſtam, non vero nitidam; & *atrocem*
p. 316. animum Catonis, quem idem vocat, eſſe inexorabilem; pinum ab
p. 322. eodem dici *nobilem ſilvæ filiam*, Hebraiſmi figura. De *grabati* voce
p. 601. notat, eam eſſe plebejam, & vilem lectulum indicare; Monachum
p. 605. vero quendam ab Abbate ſuo excommunicatum, quod in Hiſtoria
p. 272. Evangelica *lectum* pro grabato pronunciarit. Significationem au-
p. 373. tem vocum non origine, ſed uſu metiendam eſſe monet. Eſt etiam,
ubi veterum Scriptorum loca emendat & reſtituit. Sic illum Senecæ
p. 397. locum, epiſt. 53. quo de podagra dicitur, *utroſque pedes dextros fecit*
(de quo Sarravius quoque Salmaſium conſuluerat) Faber conjecerat
legendum, *utroſque pedes tumefecit*, Noſter mavult *utroſque diſtortos*
p. 415. *fecit*. In Hieronymo, qui Porphyrium *Bathanæoten & ſceleratum*
vocat, reſcribit de ſententia Tanaquilli Fabri *Botanioten*, ut qui her-
p. 420. bis veſcebatur. Suidam Noſter bis corrigit: primum in voce
σμάραγδος, ubi de Polycrate annulum in mare projectum recipi-
ente narratur hiſtoria, & his verbis concluditur, ἔλεγχος βεβαιό-
τητος τῆς θεοσεβείας, Noſter reponit τῆς εὐτυχίας. Deinde
p. 421. ubi Commodus fertur coloſſo Rhodi ſuum impoſuiſſe caput, pro
τοῦ ἐν Ῥόδῳ, legere jubet, τοῦ ἐν ἱερᾷ ὁδῷ. In Petronio improbum
p. 589. mulieris dictum: *hoc* (vaſculum) *cras in promulſide libidinis mili-
tabit*, diſtinctione ſanat & legit, *mi*, ſeu *mihi*, *litabit*. Ubi & ob-
p. 590. ſervat, & exemplo e Petrarcha petito comprobat, literas capitales
in vetuſtis codicibus omiſſas, ut a pictoribus exornarentur, erroris
p. 397. & depravationis ſæpe occaſionem fuiſſe. Emendatum a Fabro ver-
p. 399. ſum Horatii jam tum a Piccarto in Periculis Criticis; locum Taciti
p. 410. de moribus Germ. a Colero & Conringio; verſum Ovidii a Giſanio,
p. 315. Douſa, Salmaſio ita lectum & reſtitutum eſſe monet. Correctionem
p. 553. Scip. Gentilis, qui in verſu Catulli: *Qui illius culpa cecidit velut prati
ultimus flos*, repoſuerat *parati*, & Angeli Politiani, qui, in Perſii prologo
*Pegaſeium nectar* ſubſtituit, ubi *Pegaſeium melos* legebatur, rejicit,
& falſa metri lege utrumque deceptum fuiſſe arguit. In Gramma-
p. 414. ticos corruptores librorum, quos emendandos ſuſcipiunt, affert hoc
Athenæi: *tria eſſe magna mala*, *Grammaticum*, *malam mulierem*,
p. 401. ſeq. *& paupertatem*. De Lucano, Silio Italico & Seneca Tragico judicia
doctorum in utramque partem affert. Huartum, auctorem Scruti-
nii

nii ingeniorum, notat, qui Eſaiæ cap. VII. v. 15. explicans, mera p. 550.
ſomnia narraverit, prorſus a verbis & mente Scriptoris ſancti aliena.
In alium animadvertit, qui negaverat, fas eſſe Deorum gentilium p. 346
nomina a quoquam memorari, & cultum litterarum jure exſtinctum p. 347.
affirmaverat, ut religio ſtabiliretur. Ubi refert, in Italiæ quadam p. 349.
urbe ante paucos adhuc annos, cum Senatus cogeretur, a præcone
proclamatum fuiſſe: *foras, foras, litterati!* Quin & loca difficilia
Scriptorum alicubi interpretatur & illuſtrat: velut Catulli epigram- p. 418.
ma in Cæſarem; Lucani verſum: *victrix cauſſa Diis placuit, ſed victa* p. 390.
*Catoni;* nec non Horatii verſum 16. ex Epod. 15. Tuetur & Lon- p. 603.
gini cenſuram in eum, qui luſerat voce κόρη, quæ *pupillam oculi* & p. 648.
*virginem* ſignificat. Sacræ quoque Scripturæ loca exponit: veluti p. 617.
Joh. XIII, 23. quid ſit in ſinu alicujus cubare; dictum Pauli 1. Cor. p. 621.
XVI, 22. ubi de triplici excommunicatione Synagogæ; Matth. XI. p. 630.
11. de Johanne Baptiſta, maximo eorum qui nati ex mulieribus; p. 633.
Matth. V, 21. 22. de voce *Raca;* & Matth. XII, 32. de peccato in Spi- p. 638.
ritum S. Conciliat quoque locum Gal. I, 8. 9. & 2. Cor. XI, 5. 6. & p. 624.
Evangeliſtas horam mortis Chriſti diverſimode indicantes. Denique p. 640.
ſeu Scriptorum dicta illuſtrans, ſeu quæſitis eruditorum reſpondens,
multa docet quæ ad eruditionem augendam faciunt: veluti, totum
Oceanum Indicum a veteribus dictum eſſe Mare rubrum; alnum p. 331.
non ineptam eſſe navibus exſtruendis; quæ fuerit Dido; Patavinita- p. 333.
tem Livio exprobratam eſſe ſtudium Pompejanarum partium; (quæ p. 355.
Beniſi fuit ſententia, a Morhofio confutata) inter hypocritam & p. 424.
ſuperſtitioſum, quem Galli ſignificantiore vocabulo *bigot* dicunt, p. 627.
quid interſit; quid ſentiendum de miraculo Veſpaſiani; num Ara- p. 646.
bum lingua ſit omnium copioſiſſima, & qua in re cæteras vincat aut p. 653.
iis concedat; quinam fuerint majores & poſteriores Gamalielis, ad p. 660.
cujus pedes ſedit Paulus, & quod diſcrimen ſit inter *Rab, Rabbi, Rab-*
*ban.* Inſperſa quoque ſunt ingenii monumenta & poemata, de qui-
bus illorum eſto judicium, qui Veneres linguæ Gallicæ intelligere
rectius & arbitrari poſſunt.

## LIBRI NOVI.

*Rariorum Plantarum Horti Medici Amſtelodamenſis Deſcriptio & Icones, auctore Jo. Commelino. Amſtelod. apud P. & J. Blaeu & Abr. a Someren, 1697. fol.*

*Phi-*

*Philoſophia Mentis & Senſuum, ſecundum utramque Ariſtotelis methodum pertractata, Metaphyſice & Empirice, a Joanne Baptiſta Ptolemao Soc. Jeſu. Romæ ex Typographia R. C. A. 1696. fol.*

*Trattato dell' Acque Correnti, diviſo in tre libri: dato in luce con le delineazioni dal Cavalier Carlo Fontana. In Roma, nella ſtamparia di Gio. Franceſco Buagni, 1696. fol.*

*Lettere Memorabile, Iſtoriche, Politiche ed Erudite ſcritte e raccolte da Antonio Buliſon. Raccolta quarta. In Napoli preſſo Ant. Buliſon 1697. 12.*

*Commentarius Academicus & Forenſis in duos priores libros Codicis Juſtinianei, auctore Abrahamo de Pape. Amſtel. apud Janſſonio-Waesbergios, 1697, 8.*

*Joannis Ciampini Romani, Explicatio duorum ſarcophagorum ſacrum Baptismatis ritum indicantium. Romæ typis Bernabò, 1697. 4.*

*Noviſſima Sinica, Hiſtoriam noſtri temporis illuſtratura. 1697. 8.*

*Jo. Franciſci Buddei Elementa Philoſophiæ Practicæ, quibus Ethica, Iurisprudentia Naturalis ac Gentium, & Politica ſuccincte traduntur. Halæ Magd. ſumptibus I. F. Zeidleri, 1697. 8.*

*Job. Reinhardi Hedingeri Conſpectus Naturalis Jurisprudentiæ Univerſalis. Ulmæ apud G. W. Kuhnen, 1697. 8.*

*Güntheri Chriſtophori Schelhammeri Natura Sibi & Medicis vindicata; ſive de Natura Liber bipartitus. Kiliæ apud I. S. Riechelii, 1697. 4.*

*Emblemata Moralia, ſcripta quondam Hiſpanice a Iohanne de Boria, Latinitate autem donata a L. C. C. P. Berolini apud I. M. Rudigerum, 1697. 4.*

*Specimen Sapientiæ Indorum veterum: id eſt, Liber Ethico-Politicus pervetuſtus, dictus Græce Στεφανίτης &c. Nunc primum Græce ex MSS. Cod. Holſteiniano prodit cum verſione nova Latina, opera Sebaſt. Gottfr. Starkii. Berolini apud I. M. Rudigerum, 1697. 8.*

*Paſtorale Evangelicum, ſeu Inſtructio plenior Miniſtrorum Verbi, adornata a Jo. Ludov. Hartmanno. Ex MSS. B. Autoris poſthumo multis in locis auctum. Norimbergæ apud W. M. Endterum, 1697. 4.*

*Hiſtoire de la Republique de Genes, ſuivant la copie de Paris 1697. 12.*

*Suite des Nouveaux Eſſais de Morale, par Jean La Placete. Tomes III. IV. A Amſterdam, chez G. Gallet, 1697. 12.*

* * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Junii, Anno M DC XCVII.*

BIBLIOTHECÆ HISPANÆ VETERIS TOMUS I, complectens Scriptores Hiſpanos omnes, qui ab Octaviani Auguſti imperio usque ad annum M floruerunt, Autore D. NICOLAO ANTONIO, HISPALENSI J. C. *Ordinis S. Jacobi Equite &c.*

Romæ ex typogr. Antonii de Rubeis, 1696. in fol. Conſtat Alph. 5. plag. 20.

INtegra ſex abiere luſtra, ex quo Vir eruditione & dignitatibus illuſtris, Nicolaus Antonius, Bibliothecæ Hiſpanæ tomos duos, ſeculi XVI & XVII Scriptores Hiſpanos omnes complexos, in lucem evulgavit. Et ſpem quidem jam tum fecit, fore fortaſſis, ut orbi literato aliquando reliquos etiam Viros, qui in gente iſta, a primis usque Romanæ Monarchiæ incunabulis, ſcriptis monumentis poſteritati famam ſuam commendarunt, ſimili ingenii ſui luce colluſtratos intueri liceret. Veruntamen & vaſtiſſima operis iſtius moles, quod quam fieri poterat perfectiſſimum doctorum conſpectum ſubire volebat, & quamplurima impedimenta, quæ Viro publicis negotiis vehementer occupato, præter ordinem etiam ſeſe oggerebant, fecerunt, ut vita prius (id quod anno hujus ſeculi LXXXIV contigit) ipſi fuerit exeundum, quam vivere hunc fœtum ſuum, & inter eruditos verſari, videre poſſet. Præcipue autem id quoque remoratum eum eſſe videtur, quod poſtquam anno 1672 Bibliothecam Novam Hiſpanam Vir doctiſſimus edidiſſet, Roma, ubi Sereniſſimi Hiſpanorum Monarchæ negotia, Agentis generalis

neralis titulo, ſumma dexteritate hactenus tractaverat, ampliſſimaque 30000 voluminum inſtructa Bibliotheca, lautiſſimis qui ex Canonicatu Hiſpalenſi ad ipſum redibant, fructibus adjutus, rem literariam egregie promoverat, Potentiſſimi Regis ſui nutu fuerit avocatus: qui Matriti inter Conſiliarios Regii Senatus Cruciatæ eum ſedere volebat, in ſupremæ Juſtitiæ Senatum mox cooptandum, niſi modeſtia ejus ſingularis, & otii litterarii deſiderium, ut ſpartam iſtam a ſe deprecaretur, ei ſuaſiſſet. Et forte etiamnum poſt fata Autoris cum tineis colluctandum eſſet præſtantiſſimo operi, niſi opportune Illustr. Cardinalem De AGVIRRE patronum inveniſſet. Ille enim & amore Antonii, quem Salmanticæ olim in juris ſtudio habuerat condiſcipulum, & ſummo, quo ardet, bene de litteris merendi ſtudio ductus, autoritate liberalitateque ſua effecit, ut lucem tandem deſideratiſſimo operi intueri liceret. Emmanueli itaque Marti id dedit negotii, ut ipſius cura in ordinem redactum, quam emendatiſſime ſumtibus ſuis, in typographia a ſe erecta imprimeretur: ut adeo novo hoc nomine denuo ſibi devinctum litterarium orbem teneat Vir ille Eminentisſimus. Ad ipſum autem opus, ut propius ad illud accedamus, quod attinet, quibus ſubſidiis in eo adornando fuerit uſus, fuſe ſatis in Prolegomenis ipſemet Antonius perſequitur. In quibus etiam de laudibus Hiſpanæ gentis, quas in omni litterarum genere omni ævo promeruit: de Bibliothecarum hujusmodi uſu: de variis earum autoribus, & iis præcipue qui Hiſpanos ſcriptores recenſere inſtituerunt; quales Lucius Marinæus Siculus, Alphonſus Garſias Matamorus, Valerius Andreas Taxander, (quem non alium a Valerio Andrea Deſſelio eſſe, qua erat ſagacitate, Antonius invenit) Andreas Schottus & alii, ſatis prolixe agit: multaque de iis notatu digna obſervat, diligentius hic percenſenda, niſi eadem prorſus Prolegomena Bibliothecæ Novæ jam præmiſſa fuiſſent, adeoque curioſioribus dudum dubio procul eſſent notiſſima.

De Methodo Bibliothecæ hujus Veteris Hiſpanæ paucis adhuc, antequam penitius eam perluſtremus, Lectores monendi ſunt. In ea nimirum non, uti in Nova fecerat, eum ordinem ſequitur, quem nominum prima elementa ſuppeditant, ſed pro ætatis ratione cuivis ſcriptori locum concedit Antonius: ita tamen, ut ad finem demum

perdu-

perducta uniuscujusvis ſeculi ſcriptorum hiſtoria, junctim commemoret eos, quos vel perperam Hiſpaniæ vindicant, in alieno ortos ſolo, vel nuſpiam alibi, quam in corrupto cerebello ſuo natos male credulis obtrudunt, tum alii, tum imprimis ſpuriorum Dextri, Maximi, Juliani, Luitprandi, Hauberti & aliorum Chronicorum architecti. Quos uti quacunque occaſione data ſeveriſſime impetit, paſſim etiam nominetenus appellato eorum primipilo Hieronymo p. 376.
Romano Higuera (quem inter alia ornandæ antiquis imaginibus familiæ ſuæ cauſa, fraudibus hiſce animum appuliſſe inde potiſſimum colligit, quod in ſchedis quoque ejus lucubratio fuerit reperta, quæ in eo tota ſit, ut in quatuor familiarum, quas ſanguine ille contingebat, *Higueras* ſcilicet, *Romanos*, *Pennas*, & *Cuellares*, originem inquirat, & quæ cum fictitiis illis Chronicis amice conſpirare deprehendatur:) ita peculiare opus Pſeudo-Dextri Maximique næniis p. 155. 239
explodendis deſtinaſſe videtur. Uniuscujusque autem eorum, quos recenſet, Autorum non elogium tantum texit, veterumque ac recentiorum de eo teſtimonia adducit, ſed vitam accurate perſequitur, & quicquid in ea obſcurum eſſe poterat, ingenii luce illuſtrat, diſpulſis, quas ei veteratorum fraudes & inepte credulorum ſuperſtitio affuderant, tenebris. Hinc ſcripta diligenter omnia tam deperdita, quam communi ſtragi erepta, tam edita, quam in Bibliothecarum forulis adhuc deliteſcentia, percenſet: genuina ab iis, quorum ſuſpecta fides eſt, diſcernit: & denique editiones, translationes in linguas vernaculas, curasque a ſequiorum temporum viris doctis iis impenſas ſtudioſe commemorat. Quin & MSos codices ſemper fere indicat, quibus Viri eruditi, operam ſuam veterum alicui deinceps navaturi, juvari queant. Cumque non minimam laudis partem inter Hiſpanos mereantur Arabes Ebræique Scriptores, peculiarem Bibliothecam Arabico-Hiſpanam, & Hiſpano-Rabbinicam adornavit; ita tamen, ut eos utriusque gentis Scriptores, qui abjuratis erroribus Chriſtianiſmum amplexi ſunt, in reliquorum Autorum cenſum retulerit. Et Arabico-Hiſpanam quidem Bibliothecam quod attinet, ea una cum Bibliotheca Scriptorum Hiſpanorum, quorum incerta eſt ætas, ad calcem tomi II hujus operis adtexta comparet: Hiſpano-Rabbinica autem non

exiguo harum litterarum detrimento periit, nullaque induſtria ab Eminentiſſimo Cardinali potuit recuperari.

Si omnes eo animo eſſent Lectores noſtri, quo ſunt eorum plerique, qui ad eas, quarum illuſtris eſt fama, Bibliothecas accedunt, & quorum plerumque omnis curioſitas in externa earum ſpecie hæret, ita ut numerum librorum mirentur, ordinem collaudent, & reliqua ornamenta ſtudioſe perluſtrent, parum de eo ſoliciti, ut rariora volumina inſpicere, atque inde doctrinæ & eruditionis incrementa capere iis liceat; ſatisfeciſſe omnino officio noſtro nobis poſſemus videri: qui Antonianam Bibliothecam ita hactenus oculis eorum ſubjecimus, ut contenti eſſe queant ii, qui ideo ſolum Bibliothecas vident, ut vidiſſe ſe dicere valeant. Verum cum aliam mentem haud paucis eſſe non ignoremus, officioſorum age Bibliothecariorum partibus defungamur, depromptoque veluti ex forulis volumine uno & altero, φιλομαθέσιν aliquid oblectamenti afferre nitamur. Poſt *Hyginum* itaque ſecundo ſtatim loco *Lucius Cornelius Balbus* in hac Bibliotheca ſe nobis offert, qui Auguſto imperante floruit, & *Ephemeridem*, nec non *Exegeticorum libros* in eam intulit. Cum autem duo hoc nomine celebres inter veteres ferantur, quorum alter alterius ex fratre nepos exſtitit, in iis a ſe invicem diſtinguendis, rebusq; eorum accurate explicandis, multum deſudat Antonius. Utriusque mentio eſt apud Plinium H. N. V, 5, cujus verba, prout emendata ab eo fuere, non poſſumus non hoc loco repetere. *Omnia*, inquit *armis Romanis ſuperata, & a Cornelio Balbo triumphata, uno omnium externorum* (vulgati habent *unius omnium externo*, Harduinus vero legi voluit *uni huic omnium externo*) *curru & Quiritum jure donato. Quippe Gadibus nato civitas Romana cum Balbo majore patruo data eſt.* Ad utrum eorum ſcripta modo commemorata (temporum injuria nobis erepta) pertinuerint, conjectari ſe vix poſſe ait, quamvis eo magis propendere videatur, ut ſeniori ea adjudicet: quem *Balbum Cornelium Theophanem* a Capitolino in vita Balbini c. VII non absque errore appellari obſervat, Theophanem nimirum, litteris Pompejique amicitia, non minus ac Balbum, florentem, ideoque civitate, pariter ac iſtum, forſan ab eo donatum, cum Balbo temere confundente. Locum a *Balbo* non nimis remotum *M. Annæus Seneca* occu-

p. 5.
p. 6.
p. 7.
p. 13.

occupat, in cujus recenſenda familia diligentiſſimus eſt Antonius noſter, non immerito ſane, cum omnis Annæa gens litterarum gloria quam maxime effloruerit. Ex ea unicum *Junium Annæum Gallionem* commemorare hic liceat, *M. Senecæ* filium, *Lucii Annæi Senecæ* fratrem, a Junio Gallione patris familiari adoptatum, indeque nomen ejus ſortitum. Prolixum nimis eſſet recenſere, quos Andreas Schottus & Mart. Ant. Delrio, duos Galliones iſtos paſſim confundentes, commiſiſſe ab eo obſervantur errores. Sufficiat annotaſſe, ſcripta nonnulla ei ab Autore noſtro tribui, loco Senecæ Qu. Nat. L. V, c. 11, & Plinii in indice autorum, e quibus librum XX H. N. concinnavit, ſubnixo: itemque ab eodem non alium eſſe credi a Gallione, coram quo, Proconſulatum in Achaja gerente, D. Paulo intentatum fuiſſe judicium in Apoſtolicis Actis c. 18. legimus. Conſulem autem unquam eum fuiſſe, neutiquam ei veroſimile videtur, quamvis Plinius L. XXXI c. 6 H. N. id innuere videatur; in cujus textum *conſulatum* pro *proconſulatu* irrepſiſſe perſuaſum habet. De *Quintiliano* tum alia, quæ refert notatu digna, prætermittimus, tum ea quoque quæ contra Lipſium de *Dialogo de Oratoribus* accurate diſputavit, quem Quintilianum potius quam Tacitum habere autorem ipſe quidem etiam cenſet, id tamen Lipſio dandum haud eſſe putat, ut idem ille *Dialogus* cum libro Quintiliani *de corruptæ eloquentiæ cauſis* eſſe credatur. Ea autem breviter repetere, quæ de Domitiani ſororis nepotibus, quorum inſtitutioni Quintilianum præfecit, commentatus eſt, dividiæ forſan haud fuerit. Non alios itaq; eos eſſe cenſet, quam Veſpaſianum Domitianumque juniorem, quos ſucceſſores ſibi, teſte Suetonio, Domitianus Imperator deſtinaverat, a Flavio Clemente patruele ſuo, ex Domitilla, quæ una cum marito martyrium ſubiit, ſuſceptos. Domitillam iſtam, quam tertiam, ut a reliquis hujus nominis illuſtribus fæminis eam diſtinguat, vocavit, non ſororem Domitiani, Domitillam ſecundam, quam e Flavia Domitilla prima præter Titum & Domitianum ſuſceperat Fl. Veſpaſianus, eſſe putat: cum Domitillam iſtam ſecundam, Fl. Veſpaſiani filiam, patre adhuc privato e vita abiiſſe, teſtetur Suetonius: Domitillam autem tertiam, Fl. Clementis uxorem, marito ſuperſtitem, a Domitiano in Pandatariam inſulam relegatam eſſe conſtet: quam proinde filiam eſſe credit Domitillæ ſecundæ, ab ea neſcio cui nupta geni-

p. 21. p. 22. p. 59. p. 54.

genitam. Indeque eſſe ait, quod eos quos inſtituendos acceperat Quintilianus, Prooem. L. IV *Domitiani ſororis nepotes* appellet, qui tales nimirum proprie fuerint, non quod Turnebo placuit, *ex ſorore* nepotes, quem ſenſum a Quintiliano adhibita verba ex uſu Latinæ linguæ non admittant. De Domitilla iſta tertia ejusque marito Flavio Clemente plura affert e Dione Coccejano, eam autem aliam eſſe a Domitilla II, Domitiani ſorore, filia Veſpaſiani, imo hujus natam eſſe illam, egregie confirmat ex inſcriptione apud Gruterum p. 225. in qua *Flaviæ Domitillæ, filiæ Flaviæ Domitillæ, Cæſaris Veſpaſiani neptis* mentio habetur. Atque adeo tribus hiſce Domitillis, quarum prima Fl. Veſpaſiani conjux, ſecunda filia Domitiani ſoror, tertia neptis, Fl. Clementis conjux fuit, in clara ſatis luce collocatis, quartam etiam jungit, Fl. Clementis ex ſorore neptem, virginem, a Domitiano, teſte Martyrologio Rom. ad d. VII Maji, in inſulam Pontiam relegatam, & denique Terracinæ juſſu Trajani martyrio conſummatam. Hanc poſtremam enim quamvis cum tertia Domitilla Fl. Clementis conjuge confundat Scaliger in notis ad Euſebii Chron. p. 205, Pontiam quoque & Pandatariam inſulam pro eadem idcirco haberi cupiens, renitente Plinio H. N. III, 6, & Mela de Situ orbis II, 7; atque adeo virginitatis gloriam Domitillæ abjudicet: ex Euſebio tamen H. E. III, 18. Nicephoro H. E. III, 9. Eutropio l. 9 & aliis Antonius noſter evincit, diverſam ab illa hanc eſſe, utpote quam Fl. Clementis ex ſorore neptem fuiſſe, expreſſe autores iſti omnes teſtentur. Verum ſatis de Domitillis, & qui de iis diſſerendi occaſionem ſuppeditarunt Antonio, Domitiani nepotibus.
p. 76. Ad illuſtriſſimum nunc inter Hiſpanos Scriptorem, *Hadrianum*, pedem promoveamus, cujus inter alia *libri Catacriani*, Spartiano commemorati, dudum crucem doctis hominibus fixerunt. Omittimus ſtudioſe ab Autore annotatas de iſto opere Lil. Gyraldi, Jani Parrhaſii, Herm. Barbari, Scaligeri, Caſauboni, Turnebi, Salmaſii & Rosweydi eruditas conjecturas. Ipſe in ea ſententia eſt, *Catacrinos* ſeu κατὰ κρίνων libros illos inſcriptos fuiſſe. Κρίνον autem *cucurbitam* ſignificare, ex Suida docet. Indeque in ea ſententia eſt, quod ſcripſerit forſan ſatyricum quendam *de cucurbita* commentarium, qualis & Senecæ ἀποκολοκύνθωσις eſt, Imperator *Adrianus*. Et eo etiam reſpexiſſe putat iſtud Apollodori Architecti ſcomma, in eum

eum privatum adhuc conjectum, quod Dio nobis ſervavit, ἄπελθε καὶ τὰς κολοκύνθας γράφε. Id quod Turnebo jam in mentem etiam venerat, qui tamen vocabulum paulo longius a vulgari lectione recedens, κολοκύνθας nimirum pro *catacrianis*, apud Spartianum ſubſtituere auſus eſt. *Antonium Julianum* Rhetorem Hiſpanum, Gellio paſſim commemoratum, eundem eſſe credit cum eo, quem Minutius Felix laudat, Judæorum Hiſtorico: cumque de ætate ejus Voſſius incertus hæreat, poſt illatam ab Adriano Judæis ſtragem eum ſcripſiſſe, ex ipſo Minucio evincere conatur. Quæ de Hierotheo Dionyſii Areopagitæ præceptore, Galeno, Sereno Sammonico aliisque Scriptoribus, quos Pſeudo-Dexter, Luitprandus aliique hujusmodi nugivenduli autores Hiſpanis vindicant, (quos totum etiam tertium ſeculum fumis hujusmodi, hoc eſt fictitiis ſcriptoribus, impleviſſe ait, cum veros illius ævi Hiſpania ſcriptores nullos habeat,) obſervat, hic referre nimis prolixum foret. Miſſis itaque larvis iſtis, quas ſatis erudite impugnat atque evaneſcere cogit, ad meliora tempora pergamus. Magnum autem inter alios quarti ſeculi ſcriptores *Gregorii Bætici* nomen eſt, cui præter alia adſcribitur *opus de fide;* quod recte fieri, contra Trithemium, Labbeum aliosque, Fauſtino Presbytero illud aſſerentes, cum Baronio Barthioque defendit. Inde quæ de eo Pſeudo-Luitprandus fingit, fuſe perſequitur, fabulisque accenſenda eſſe oſtendit. Imo & *Gregorium Toletanum*, quem Pſeudo-Dexter Hiſpanis obtrudere conatus eſt, plane eliminat: & denique inventum non ita pridem *Martyrologium*, Gregorii Bætici nomine inſcriptum, & a Gregorio Argaizio incaute cum aliis hujusmodi nugis, in quatuor volumina, generali titulo vulgaris linguæ *Poblacion Ecclesiaſtica de Eſpanna* inſignita conjectis, tanquam genuinum eſſet, publicatum, ſub examen revocat, multisque argumentis illud quoque impoſtorum ſolertiæ deberi contendit. Multus etiam eſt in *Priſcilliani* hæretici illuſtranda hiſtoria, in qua haud pauca, valde alias implicata, ſatis concinne expedit, a nobis tamen prætereunda, quod difficile ſit ea exponere, niſi integra hiſtoria hic quoque pertexatur. De *Damaſo* Papa agens, in patriam ejus ſtudioſe inquirit, ſibique probabile maxime eſſe ait, Luſitaniæ originem illum debere. Inter opera vero ejus ex Trithemio quoque *tractatum de Fide contra Hæreticos*

p. 82.
p. 88.
p. 99.
p. 104.
p. 110.
p. 113.
p. 129.
p. 139.
p. 141.

*reticos* refert, cujus iſtud initium ſit: *Quoniam poſt Concilium Nicænum.* Ipſemet tamen cenſet, nullam hic fidem Trithemium mereri, cum nemo Veterum operis iſtius meminerit. Veruntamen, ſi e verbis initialibus a Trithemio poſitis conjecturam facere liceat, videtur tractatus ille non alius eſſe, quam Fidei Confeſſio a Damaſo ad Paulinum miſſa, quæ apud Theodoritum H. E. V, 11
p. 149. habetur, & ab iisdem plane verbis incipit. Inter *Paciani* opera λέρβος, pro quo alii κέρβος legunt, ab Hieronymo referri obſervat. Ipſe κέρνος legendum eſſe ſuſpicatur, quæ vox vas fictile denotat in loculos diſtinctum, quod variis fructibus onuſtum ſacris adhibere ſolebant. Ita autem opus varia complexum non minori jure quam πέπλον, στρῶμα vel Ἀμαλθείας κέρας appel-
p. 155. lari potuiſſe ſtatuit. De *Lucio Dextro* ubi agit, breviter ſolum de vero *Dextro* Chronicoque ejus deperdito diſſerit, cum ut monitum jam a nobis fuit, peculiari opere tenebrionem illum ſiniſtrum, uti a nonnemine appellatus eſt, qui nugax iſtud Chronicum quod hodie circumfertur, Dextro ſuppoſuit, debellare propoſitum ei
p. 239. fuerit. Simile quid de *Maximo* etiam inferius pollicetur, utrumque tamen conſilium ejus præpropera forſan fata interverterunt. Duo interea ex iſta ejus de Dextro narratione hic repetere liceat, primo falſum eſſe quod plerique ajunt, Bivarium primum illius Chronici eſſe editorem; qui primus enim edidit Jo. Calderon Franciſcanus eſt, cujus cura Cæſarauguſtæ anno 1619 prodiit. Deinde, quod dicat Antonius, Chronicorum Dextri, Maximi, atque Luitprandi exempla, quæ primo vel habuit, vel jactavit ſe habere Higuera, fraudum iſtarum præcipuus architectus, (& quæ an e Germania ille acceperit, dicere non audet,) plane diverſa eſſe ab iis, quæ edita fuerunt. Qua de re ut luculenter omnibus conſtet, ex Eſtepani Marchionis bibliotheca antiquius hujusmodi exemplum ſub fi-
p. 161. nem tomi II hujus Bibliothecæ repræſentavit. *Ruſo Feſto Avieno* Epitomen Rerum Romanarum, quæ Sexto Ruſo vulgo adſcribitur, a nonnullis tamen Avieno tribuitur, abjudicat. Fragmentaque præterea Avieni ex libro de urbibus Hiſpaniæ mediterraneis, quæ paſſim laudantur, apud Petrum de Roxam ſcilicet in Hiſtoria, & ipſum Higueram in Hiſtoria Toletana MS., qui ea ex Cardinalis Carrafa bibliotheca ſe habere dixit, ſuſpectis Higueræ mercibus accenſen-

cenſenda eſſe, prolato quoque horum fragmentorum quodam, docet. *Melchiadem* Papam Hiſpanis non tantum eripit, quamvis Primus Epiſcopus Cabilonenſis, (cujus *Topographia Sanctorum* quam lubrica fides ſit, hac occaſione oſtendit,) Mantuæ Carpetanorum eum vindicet; ſed & utramque ejus epiſtolam, tam eam, quæ de Conſtantini donatione agit, quam alteram, quæ ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos data eſt, ſpuriam eſſe pronunciat. *Vigilantium* contra Baronium & alios cum Gennadio, non Hiſpanum, ſed Gallum eſſe tuetur, atque aliquot ex ipſo Hieronymo loca producit, quibus iſtam confirmet ſententiam. *Cauponem* autem *Calagurritanum* & *Quintilianum mutum* ideo ab illo eum dici arbitratur, quod in Gallia natus inde Caligurrim pervenerit, ibique habitaverit. *Iſidorum Cordubenſem*, qui inter Seculi IV Scriptores a Sigeberto Gemblacenſi refertur, parum abeſt quin plane eliminet. Nullum enim hoc nomine hominem exſtitiſſe, argumento ei eſt, quod neque Hieronymus, neque Gennadius, nec Iſidorus, nec Ildefonſus ejus meminerit, ſed poſt XII demum ſecula ſolus Sigebertus. Quem in errorem illum inductum fuiſſe putat homilia quadam S. Auguſtini de aſſumtione Mariæ virginis, quam genuinam perperam crediderit. In ea enim cum Iſidorum allegatum inveniret, aliquem Auguſtino antiquiorem comminiſci neceſſarium illum exiſtimaſſe ait. Verum ipſa illa verba, a Pſeudo-Auguſtino allegata, apud Iſidorum Hiſpalenſem obvia eſſe, adeoque ruere iſtum tibicinem obſervat. Nec obſtare credit, quod Iſidorus Hiſpalenſis *Junior* dicatur, adeoque antiquiorem aliquem exſtitiſſe hoc cognomine ſuo arguat: recentiores enim tantum, præjudicio de Iſidoro Cordubenſi occupatos, id nominis ei tribuere dicit. Multo autem adhuc acrior in Pſeudo-Dextri, qui duos Iſidoros Cordubenſes comminiſcitur, everrendis quisquiliis eſt. Verum ad alios pergendum. De *Aprigii* Commentariis in Apocalypſin, quorum mentionem multi fecere, accuratius ſe diſpexiſſe memorat. Primo itaque monet, vaſtum illud opus, quod e Vaticano codice deſcriptum, in compluribus Hiſpaniæ bibliothecis exſtat, Aprigioque vulgo adſcribitur, non ejus, ſed Beati, ſeculi X Scriptoris eſſe, qui illum etiam nominetenus alleget. Verum autem Aprigii Commentarium ex codice Barcinonenſi olim edere voluiſſe ait Ludovicum de S. Laurentio Cordubenſem; quod ejus exemplum ſeipſum tranſcripſiſſe Antonius teſtatur. Inveniſſe tamen ſe ait, ne hoc

p. 174.
p. 175.
p. 188.
p. 210.

quidem opus unum habere Autorem. Ea enim quæ ad quinque priora, itemque poſtrema quinque Apocalypſeos capita annotantur, accurata & omnibus numeris abſoluta, reliqua autem deſultoria & minus concinna eſſe obſervat. Cumque poſteriora hæc maximam partem inveniri deprehenderit in Pſeudo-Victorini Comment. in Apoc. Paris. 1540. & in Bibl. P P. edito; Aprigii Commentarium ea ex parte hiantem ex Pſeudo-Victorino, ab aliquo manci codicis poſſeſſore ſup-
p. 211. pletum eſſe ſuſpicatur. De *Liciniano* ubi agit, locum ex epiſtola ejus de libro regularum ad Gregorium Papam producit, in quo inquit, *Homiliarum in Job extare libellos ſex S. Hilarii Epiſcopi Pictavienſis, quos de Græco Origenis in Latinum verterit*, *quamvis non omnia ſecundum ordinem libri S. Job expoſuerit:* unde dubium amplius nullum eſſe poſſe colligit, Origenem Commentarios in Jobum ſcripſiſſe, quamvis difficile ſit judicare, an iidem illi ſint, qui inter opera ejus hodie legun-
p. 235. tur. Inter *Fulgentii Aſtigitenſis*, quem a *Ruſpenſi* diligenter diſtinguit, opera, Expoſitionem ejus in omnes Pſalmos cum elogio memorat, cujus adhuc ineditæ editionem Em. Cardinalis de Aguirre in margine
p. 275. pollicetur: qui etiam paulo inferius Siſebuti Regis epiſtolas, & vitam
p. 254. Deſiderii Viennenſis ab eodem ſcriptam expectare nos jubet. Dili-
p. 328. gentiſſime porro de *Iſidori Hiſpalenſis* vita & ſcriptis commentatur, quemadmodum & de *Iſidoro Pacenſi* non minori accuratione egit inferius, ubi ſimul ex inſtituto *Iſidororum* hiſtoriam pertexit: quæ omnia paulo fuſius hic eſſent exponenda, niſi tantum chartæ nos jam impleviſſe videremus, ut de fine narrationis hujus paulatim ſit cogi-
p. 286. tandum. *Ildefonſi* quoque res intactas inviti prætermittimus, cui præter Epigrammata pleraque a Pſeudo-Juliano ei ſuppoſita, libros etiam contra eos, qui diſputant de perpetua Mariæ virginitate, Sermones XIII a Fevardentio editos, Coronam B. Virginis a P. Alva & Aſtorga in Bibliotheca Virginali publicatam, & denique Revelationem, quam an. 1674 una cum Diſſ. de Pane euchariſtico, azymo & fermentato, Mabillonius edidit, multis argumentis abjudicat: Continuationem quoque Chronicorum Iſidori pro interpolata ſaltem, ſi non ſpu-
p. 303. ria omnino eſt, habens. *Juliano Toletano* antiſtiti *Pomerii* cogno-
p. 309. men perperam a nonnullis tribui oſtendit, eidemque, ut alia taceamus, Continuationem operis Ildefonſi de Viris illuſtribus perperam a Baronio abjudicari, & Juliano Diacono Toletano tribui docet. De Elipan-

*do* agens dubitat, pœnitentiam eum egiſſe. Vitam enim S. Beati a Jo. Tamajo editam, & Actis SS. inſertam, in qua id affirmatur, nullius autoritatis, & a Tamajo ex Pſeudo-Chronicis interpolatam eſſe oſtendit. *Claudium Taurinenſem* inter alia cum *Claudio Clemente Scoto*, a Labbeo perperam confuſum eſſe notat. Taurinenſis tamen Commentarios in S. Litteras eſſe, defendi poſſe ſtatuit. *S. Eulogii* librum MS. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Bibliotheca Toletana extare, id quod P. Alva & Aſtorga teſtatus eſt, falſum eſſe monet. Paulo fuſius de *Joanne Hiſpalenſi* Epiſcopo agit, quem nono ſeculo floruiſſe, inde probabile ei redditur, quod idem eſſe videatur cum eo, ad quem *Alvari Pauli Cordubenſis*, qui illa ætate vixit, aliquot extant epiſtolæ; quamvis extra omne dubium id haud poſitum eſſe dicat. *Sacras Scripturas* eum *Catholicis Expoſitionibus Arabice ſcriptis declaraſſe*, teſtatur Rodericus Toletanus. Unde colligunt nonnulli, verſionem Bibliorum Arabicam in gratiam gentis ſuæ, iſti linguæ ſub Maurorum dominio paulatim aſſueſcentis, eum concinnaſſe. Id quod eodem ævo R. Saadias Gaon aliusq; anonymus totam Scripturam Sacram, & Harit Ibn Sina Legem tantum Arabice interpretati, fecerunt. Attamen de Joannis Hiſpalenſis interpretatione res dubia adhuc videtur Antonio, conſentitque cum eo (ut anticipando hoc dicamus) Thomas de Leon Jeſuita Granadenſis, in epiſtola, quam ad D. Martinum Vaſquez Siruelam Hiſpano idiomate ſcripſit, paulo inferius ab Autore noſtro exhibita. Sane enim Roderici verba, quibus ducti verſionem Joanni quidam adſcripſerunt, ita accipi etiam poſſe obſervant, ut Commentarios ſolum Arabico idiomate ſcripſiſſe intelligatur. Et quamvis Jo. Mariana & Paulus Eſpinoſa in Hiſpalenſis Eccleſiæ armariis verſionem Joannis aſſervari dicant, nullo tamen idoneo Autore id confirmare eos ajunt, qui linguæ iſtius ſatis peritus teſtari queat, ab editis diverſam, & a Joanne profectam eſſe, quæ ibi extat, verſionem. Equidem in Bibliotheca Scorialenſi etiam librum Evangeliorum Arabice verſum a Joanne, ab Arabibus *Zaid Almatrud* cognominato, ſervari, ex Catalogo conſtare Antonius obſervat. Verum iſtum Joannem incerti ævi ſcriptorem, aliumque ab eo de quo nunc agimus, eſſe cenſet, qui Aſtrologicis potiſſimum ſcriptis Arabice vertendis operam navarit, & de quo fuſius ipſe inter incertæ ætatis

p. 336.

p. 342.

p. 354.

tatis ſcriptores egerit. Atque hac occaſione a *Johanne Toletano* qui eodem ævo floruit, Joannem Hiſpalenſem quoque diſtinguit, & Pſeudo-Julianum fraudis convincit, qui cum illo hunc perperam confundere, & Toletanæ ſedi vindicare annifus eſt. Sed ut ad verſionem redeamus, id quoque, ut nullam fuiſſe oſtendat, addit Thomas de Leon, non opus ea fuiſſe, cum aliæ complures jam antea exſtiterint, & apud ipſos quoque Mahometanos fuerint in veneratione. Verum ut ad cognomen tandem Jo. Hiſpalenſis etiam deveniamus, quo *Cacit Almitran* eum ab Arabibus appellatum eſſe Rodericus teſtatur, in eo explicando totus eſt in modo laudata epiſtola Thomas de Leon. Cujus eo redit ſumma, ut primo *Almitran* ex Nomenclatore Copto-Arabico, a Kirchero edito, *Metropolitam* notare oſtendat: deinde tamen *Seniorem* etiam vel *Decanum* iſtud vocabulum notare doceat: iſtam autem ſignificationem Pſeudo-Juliano Toletanæ ſedi, cui Joannem noſtrum aſſeruit, primatum vindicare cupienti, impoſuiſſe obſervet, ut *Archi-Epiſcopum Almitran* Seniorem inter Archiepiſcopos, h. e. Primatem interpretatus fuerit; cum tamen iſtam dignitatem nunquam voce *Almitran*, ſed voce *Alavili* Arabes exprimere ſoleant. Subjungit deinde nonnulla de etymologia vocis *Almitran*, & ſic demum ad alterius vocis *Cacit* interpretationem tranſit. Primo itaque hic reſpici negat ad vocem *Caidon*, gubernatorem ſive præfectum notantem, unde Hiſpana vox *Alcayde*, cum nunquam in ſenſu eccleſiaſtico uſurpata vox illa occurrat, vocem vero *Alcadi*, quam Epiſcopum paſſim interpretantur, non *Caidon* eſſe, ſed *Cadi* ſtatuit. Et quamvis ex loco Conſtantini Porphyrogenneti colligi poſſe videatur, *Sanctum* vocem *Caidon* notare, perperam tamen id fieri ait, cum occurrens ibi vox *καδης* ſit Arabice *Cades*, Sanctus, quam cum *Cade*, quæ Judicem notet, perperam itidem confundat Meurſius in notis p. 20. Præterea *Caidon* vocem non eſſe obſervat, qua a Mauris victoribus, pauper quidam Sacerdos*, qualis Joannes in iſta Hiſpanæ gentis ſervitute erat, appellari potuerit. Pro *Cacit Almitran* igitur apud Rodericum *Cacis* legendum cenſet. Significare autem *Caſis* Arabibus *Presbyterum:* atque ad hanc ſignificationem vocis iſtius etiam reſpexiſſe Pſeudo-Julianum, cum ait: *apud S. Lucam Toleti ſepultus eſt S. Joannes, non Presbyter, ſed Archiepiſcopus Tole-*

p. 361.
p. 359.

*Toletanus*. Forſan prolixi nimis in Joanne iſto fuimus; breviſſi-
mis itaque quæ reſtant expediemus. *Alfonſo M.* Regi vindicat An- p. 362
tonius noſter Chronicon, quod *Sebaſtiano Salmanticenſi* omnes, a
quibus editum illud eſt, tribuerunt. Mutilo tamen eo nos uti, p. 363.
paſſimque a Pelagio Ovetenſi interpolato, obſervat. Contra *Dul-* p. 364.
*cidio* Chronicon, quod nomine ejus inſcriptum Barcinone A. 1663 *Joſ.*
*Pellicerius* edidit, abjudicat. Denique, ut finem tandem faciamus, p. 382.
ultimum in priori hac Bibliothecæ ſuæ parte locum Luitprando &
Hauberto conceſſit. Illius primum veram hiſtoriam exponit, &
ab Higueræ commentis repurgat. Deinde ad ſuppoſitum ei Chro- p. 386.
nicum accedit, & primo quidem præmiſſas ei epiſtolas duas præli-
minares validiſſime oppugnat. Quarum poſteriorem cum exempla-
ri inedito contendens, ex inſigni diverſitate, quæ inter illud & edi-
tum exemplar intercedit, argumenta fraudis elicit. Simili modo p. 391.
exemplar Chronici ipſius ineditum, quo Higuera uſus fuit, cum
edito comparat, fraudesque & interpolationes ab impoſtore factas
in clariſſima luce collocat. Denique quod potiſſimum Higueræ in p. 393.
fraudibus hiſce vendendis conſilium fuerit, aperit: ſcilicet Eccle-
ſiæ Toletanæ primatum vindicare, Hiſpaniam honoribus & viris il-
luſtribus ornare, Benedictinum denique ordinem miris modis ex-
tollere, ei propoſitum fuiſſe ait. Quod ut obtineret, viros illuſtres
qui alibi exſtitere, imo & Concilia, Hiſpanis eum vindicaſſe, no-
minum locorumque æquivocationibus abuſum: rebus in hiſtoria
controverſis judicem ſe obtruſiſſe: obſcuris lucem ex cerebello ſuo
afferre auſum fuiſſe: carmina, quibus nugas ſuas confirmaret, veterum
nomine confinxiſſe, quam pluribus exemplis oſtendit, atque adeo
totius operis egregium ſpecimen ob oculos ponit. Pari modo p. 400.
Hauberti Hiſpalenſis ſcripta, a Gregorio Argaizio una cum aliis fi-
culneis hujusmodi mercibus primum publicata, explodit. Quæ
ab Antonio Lupian de Zapata e Bibliotheca S. Dionyſii Pariſienſis
furto ſubrepta ſe accepiſſe, ægre tandem Argaizium faſſum eſſe dicit. p. 402.
Zapatam autem iſtum experta olim in Dextro vanitate ſubnixum,
Haubertum, nec nomine notum, prodigioſi hujus Chronici auctorem
domi ſuæ fingere auſum eſſe ait. Argumenta vero, quibus fu-
mos nobis vendere Pſeudo-Haubertum iſtum evincit, hic repetere
ſuperſedemus, præcipue cum adeo prolixos in recenſendo primo

hoc Hiſpanæ Bibliothecæ Veteris tomo nos jam fuiſſe videamus, ut ſecundi tomi enarratio, quam huic ſubjungere conſtitutum nobis initio fuerat, in ſequentem menſem neceſſario ſit differenda.

## EXCERPTA EX EPISTOLA G. G. L. AD HORUM ACTORUM COLLECTORES.

Dn. Joh. Walliſius, Vir magnis in Geometriam meritis celeberrimus, occaſione quarundam ſuarum ad me literarum ſignificavit, nonnulla circa recenſionem Operum ſuorum Actis Junii ſuperioris anni inſertam monenda occurriſſe. Nempe in ea videri oblique inſinuari, quaſi noſtrorum inventorum parcius meminerit: ſe vero non potuiſſe dicere de ignotis; quæ autem viderit, candide retuliſſe. Calculi autem differentialis ne nomen quidem audiviſſe, antequam abſoluto utroque volumine operum, pro ultimo præfigendæ præfationis folio jam typos poſuiſſent typothetæ. Ac tum demum ab amico, qui peregre fuerat, mentionem ejus apud ſe factam, & typis transmotis a ſe inſertam; ſibi autem hac ætate, cum annum octogeſimum ſuperaverit, condonari poſſe, ſi non omnia ſit ſciſcitatus. Henricum Oldenburgium & Nicolaum Mercatorem a ſe non fuiſſe recenſitos inter Anglos, ſed de iis tantum dictum, *apud nos*: ſibi perinde eſſe, ex qua quis gente ſit, Tros Tyriusve, modo bonus ſit & bene meritus. Quod Quadraturæ ſuæ, aliquæ ſcilicet, non omnes (paraboloidum credo & his reciprocarum) jam ante Fermatio, Robervallio & Paſcalio notæ fuiſſe dicantur, id ſi ita ſit, clam ſe fuiſſe; nec ab illis fuiſſe editum, nedum demonſtratum. Cavallerium potius fuiſſe nominandum, qui paraboloidum quadraturas (ſed aliquas tantum) Tract. de Uſu Indiviſibilium in poteſtatibus Coſſicis ante exhibuerat & demonſtraverat, ipſo tamen Walliſio tunc inſcio, & ex aliis principiis. De proceſſu inductionis abunde a ſe dictum Algebræ c. 78 & 79, & recordandum fuiſſe, ſibi tunc propoſitum fuiſſe, non demonſtrandi ſed inveſtigandi Methodum novam dare, quæ ipſis adverſariis viſa ſit non contemnenda. Etſi autem in ipſa Arithmetica Infinitorum demonſtrationem plenam non dederit, hoc tamen pro aliquibus ſaltem ſeriebus, ſpeciatim quadraticis & cubicis, ſpeciminis ergo poſtea fuiſſe factum Algebræ c. 78, & paradigmata poſita id ipſum faciendi

or

pro aliis ſeriebus. Et licet inductio non ſit pariter applicabilis ordinatis irrationalibus verbi gratia ſeriei ſubſecundanorum in parabola; huic rei facile ſubveniri applicando eam ordinatis complementi, quæ in parabola dant ſeriem ſecundanorum. Quod dicatur, Methodum illam ad ſolas figuras integras, non ad earum partes pertinere, id ab autore recenſionis non malo quidem animo, defectu tamen attentionis dictum videri. Altitudinem enim A, pro numero terminorum ſumtam, itemque terminum ultimum etiam in quovis ſegmento intelligi poſſe; & notiſſimum eſſe, quod non totum ſolummodo ſpatium cycloidale, ſed & quodvis ſegmentum a ſe fuerit quadratum, etſi contrarium dicat recenſio p. 254; idemque de Ciſſoidali verum eſſe. Quod Hiſtoriam Cycloidis attinet, ſe quoque ipſius lineæ inventionem Galilæo, quam Merſenno tribuere malle: revera tamen multo adhuc antiquiorem reperiſſe hanc figuram. Nam inter Cardinalis Cuſani opera in codice, qui apud ipſos extet manuſcriptus circa annum 1454, ipſius Walliſii dono in Bibliothecam Savilianam Mathematicam illatus, delineatam reperiri eadem forma, qua eſt apud Dettonvillium, poſito circulo genitore in ejusdem altero vel utroque extremo; ſed in editis exemplaribus perperam deſcribi. Sed & apud Bovillum dici, extare circa annum 1510. De invento Neilii, qui traditis a ſe Prop. 38. Arithm. Infin. inſiſtens, primus omnium invenit æqualem curvæ rectam: quod dixerat Hugenius (eum non procul abfuiſſe, non tamen omnino aſſecutum) id mox ipſum retraxiſſe Hugenium in ſuis ad ipſum Dn. Walliſium literis, juſſiſſeque, ut id ipſum iterum Neilio aſſereret. Num Neilius ſtatim ſciverit per omnia, qualis eſſet iſta curva, ſe certo non ſcire, ſed Brounkerum & ſe ſtatim detexiſſe, paraboloidem eſſe, quam ipſe Dn. Walliſius nominarit ſemicubicalem. Hæc ſunt Viri præclari monita, quæ mihi pleraque magna ratione dicta videntur, nec recenſioni veſtræ adverſa, ſi verba probe inſpiciantur, & potius ad eam illuſtrandam inſervitura. Et puto, eſſe errorem typographicum in recenſione p. 254, ubi legendum eſſe *Ciſſoidale*, non Cycloidale, apparet ex contextu. Nam ſegmenta quoque Cycloidalia ipſum quadraſſe, manifeſtiſſimum eſt: ibi vero ſermo eſt de dimenſione Ciſſoidis Hugeniana, quam dicit recenſio Dn. Walliſium quoad totum ſaltem ſpatium methodo inductiva

ctiva ſeu per interpolationes inveniſſe: ſed quia ipſe idem de quovis etiam Ciſſoidis ſegmento in ſuis ad me literis viſus eſt affirmaſſe, ideo librum Viri Clmi de Cycloide & Ciſſoide inſpexi, reperique ibi quidem de ſolo toto ſpatio Ciſſoidali, non vero de partibus ejus, tale quid methodo interpolatoria oſtendi; partium tamen dimenſionem, licet alia ratione, in ejus Mechanicis doceri. Tantum autem eſſe ſcio ipſius acumen, ut, quod opto, ſperem nos ab ipſo adhuc doceri applicationem methodi ejusdem ad generales ſeu omnium ſegmentorum dimenſiones; ſiquidem poſſibilis eſt, non obſtante illa, quam ſubeſſe video, difficultate ceſſantis numerorum in unum additionis ad habendas illorum progreſſiones interpolationi aptas. Quod ſupplementum methodi interpolatoriæ, inſigne ſcientiæ incrementum continet.

## EXCERPTA EX DN. BERNARDI NIEUWENTIIT Conſiderationibus Secundis circa Calculi Differentialis Principia.

Cum nuper hunc libellum recenſeremus, putavimus ob ejus brevitatem ſufficere, ſi indicem quæſtionum, quas tractat, exhiberemus, quoniam ipſe exiguo tempore percurri poteſt. Sed moniti poſtea ab amicis fuimus, deſiderari aliquid explicatius, ex quo Lectores de Conſiderationum Autoris utilitate & pondere nonnihil judicare poſſint; præſertim cum Acta noſtra abundent ſchediaſmatibus ad calculum differentialem ſpectantibus, & ab hujus calculi amatoribus legantur; qui ſi forte in libellum Cl. Dn. Nieuwentiit non inciderent, ſaltem aliquid certi de eo ex noſtris cognoſcere poſſent. Hæc ergo Excerpta, nobis aliunde communicata, ipſis Domini Autoris verbis fideliter tranſcripta exhibebimus.

Sect. 1. §. 4. pag. 6. Neque ſequitur ideo negligendas eſſe quantitates infinite parvas, *quoniam nulla conſtructione exhiberi poſſunt*, cum in analyſi etiam ordinaria plurima *conſiderentur*, quorum conſtructio nobis abſolute impoſſibilis eſt, nec tamen idcirco negligantur. Quis, ſi data exponatur linea a, ipſius poteſtates cubum excedentes imaginatione, nedum conſtructione repræſentavit? §. 6. pag. 7. Poſitis hiſce principiis (adverſariorum) *proximæ ac per diſtantiam infinite parvam ſejunctæ qualibet duæ applicatæ*

*cata ſibi mutuo æquales ſunt in qualibet curva* [quia] quæ differentiam habent incomparabiliter parvam, ſunt æqualia . . . *Corollarii* loco hinc poſſet inferri: *omnem curvam ſecundum hæc principia abire in rectam axi parallelam, tangentesque curvarum cum axe nunquam concurrere.* §. 9. pag. 9. Inſpiciatur Act. Lipſ. anni 1684. pag. 473. ubi problema inclyto Geometriæ promotori R. Carteſio a Beaunio propoſitum ſoluturus Nob. D. Leibnitius, hoc argumento colligit curvam quæſitam eſſe Logarithmicam; quod per æquationem inventam *ordinatæ w* ( ſunt ipſa Celeb. Viri verba) *ſunt ipſis dw ſuis incrementis ſive differentiis proportionales.* Quæ quomodo rite conciliari poſſint, non video. Sane cum proportio ſit rationum ſimilitudo, quantitates proportionales inter ſe rationem habebunt, juxta quam inter ſe comparari poterunt. Cumque ordinatæ ex ipſa Leibnitiana methodo differentiis ſuis proportionales ſint, ac idcirco rationem inter ſe habeant, ſequi videtur, has easdem differentias incomparabiles differentiis ſuis minus apte dici, adeoque cum his æquationem conſtituentes nihilorum ad inſtar legitime rejici; niſi quantitates rationem inter ſeſe habentes nihilominus inter ſeſe incomparabiles eſſe poſſe velimus, quod Eruditiſſ. D. Autoris inſtituto ac ſententiæ conſentaneum eſſe vix arbitrari audeo. Inprimis cum ex §.2. X. eas ſolas inter ſe comparabiles ſtatuat, quibus Euclidea Def. V. Libr. V. competit, hoc eſt, quæ rationem inter ſe habent. Quo autem modo infiniteſimæ in nihilum redigi, atque e quantitatibus finitis pro arbitrio poſſint rejici, in Schol. Gen. Anal. Infin. N. XIII oſtendere ex principiis inibi traditis conatus ſum.

Sect. 2. §. 4. pag. 13. Ex eo quod concedam *dx* eſſe quantitatem . . . . ſic argumentatur [Dn. Leibnitius] liceat diſtinctionis gratia in forma ratiocinium propoſuiſſe pag. 315. lin. 2. Omnis tertia proportionalis ad duas quantitates, *x* & *dx*, utique eſt quantitas; ſed hæc tertia proportionalis in quibusdam caſibus eſt differentiarum differentia, ſeu *ddx*; ergo differentiarum *dx* differentia *ddx* quibusdam in caſibus eſt quantitas. Majorem concedo, ſi duæ priores quantitates *x* & *dx* ſint finitæ, quo in caſu ex hac propoſitione nihil poterit inferri, niſi *dx* pro finita contra hypotheſin aſſumatur. Si vero *dx* ſtatuatur infinite parva, negatur hæc ipſa major. Quam hac ſub conditione non procedere, argumento mere geo-

metrico demonſtrare conabor. . . . Tum inſuper negatur minor . . . . quod prævidens Nob. Dn. Autor, minoris hujus probationem intendit per æquationem logarithmicæ $a\,dx = x\,dy$, quam poſita $dy$ conſtanti rurſum (quod notetur) differentiat in $a\,ddx = dx\,dy$, quæ applicatæ ad priorem ejectaque $dy$ exhibet $x\,ddx = dx\,dx$, unde rite infert eſſe $x$ ad $dx$ ut $dx$ ad $ddx$. Verum hanc argumentandi rationem tanto Viro feſtinanter nimis excidiſſe credibile eſt; impoſſibile enim alioqui mihi apparet, Analyſtam iſthac ingenii ſubtilitate pollentem, longoque rerum uſu exercitatiſſimum, petitione principii concluſionis propoſitæ demonſtrationem intendere, ac argumentum, quo evincere nititur, dari differentias ſecundas, ex ipſa ſecunda differentiatione deſumere. Niſi enim æquationis differentialis $a\,dx = x\,dy$, ſecunda differentiatio in $a\,ddx = dx\,dy$ tanquam conceſſa ſupponatur, quæſitam hanc proportionem $x$ ad $dx$, ut $dx$ ad $ddx$ plane coincidere manifeſtum ſatis eſt. §. 8. pag. 15. Provehor jam ad illud argumentum vere ſubtiliſſimum, quod ſupra omnem dubitationis incertitudinem ulteriores cujuscunque gradus differentiationes attollere celeberrimus Dn. Autor arbitratur. . . . Hæc autem argumenti pag. 369, A. 1695. Actor. Lipſienſium propoſiti vis eſt: Differentiæ cujuscunque gradus poſſunt per rectas ordinarias (aſſignabiles) proportionales exprimi, unde cum hæ rectæ habeant differentias, etiam differentiæ per ipſas proportionaliter expreſſæ habebunt differentias. [Verum hoc argumentum non procedere, ſic demonſtratur] §. 9. pag. 6: Sint fig. 3. EP. & FQ. ordinatæ duæ aſſignabiles, ac IH & KM inaſſignabiles aliarum ordinatarum differentiæ, videtur inaſſignabilium IH, KM ratio per aſſignabiles EP, FQ, exprimi non poſſe. *Demonſtr.* Si neges, ſit EP aſſignabilis ad FQ aſſignabilem, ut IH inaſſignabilis ad KM inaſſignabilem, erunt, cum EP, FQ ſint applicatæ aſſignabiles, interceptæ AE & AF itidem aſſignabiles, & aſſignabiles erunt applicatæ IE & MF. Quocirca & juxta Lemm. 1. [*duarum quantitatum aſſignabilium differentia eſt quoque aſſignabilis*, quod ſuppoſitum demonſtrari non meretur] harum differentia KM aſſignabilis erit, contra Hypotheſin. §. 14. pag. 23. Merito concludi videtur, analyſin infinitarum in ipſa applicatarum differentiæ notione non rite fundari, cum ſi curvarum eſſentialis character ex applicatarum differentiis ſit deſumendus, præcedentes difficultates evitari poſſe vix credam

dam. Quapropter & hinc aperte ſatis conſtare arbitror, characterem curvarum formalem non in differentiarum IH & MK &c. inter ſe habitudine, ſed in cognita ipſius GH ad IH ſeu partium infiniteſimarum axis, ad partes infiniteſimas applicatarum, aut ſubtangentium ad applicatas ratione conſiſtere. §. 15. p. 24. Ne autem ſcrupuloſitate nimia arti inveniendi obicem poſuiſſe, ac tali prætextu optime inventa rejiciens ſtudia hæc retractare magis, quam augere voluiſſe cenſear.. . . . oſtendere conabor, *ſola æquationum ad infiniteſimas reductione* (ſeu primi generis differentiatione) *omnia obtineri poſſe, quæ differentiationum gradibus utcunque remotis legitime inveniri queunt.* Sint in exemplum K & *r* quantitates conſtantes, *x* abſciſſa, *y* applicata; *h*, *z*, *f*, indeterminatæ erunt reſpective earum differentiales *dx*, *dy*, *dh*, *dz*, *df*; mihi eædem per infiniteſimas reſpectivas haſce deſignantur *e*, *a*, *u*, *i*, *o*, dataque ſit æquato Circuli $2Kx - xx = yy$ erit hæc ad infiniteſimas redacta $Ke - xe = ya$, quæ pro *e* & *a* poſitis ſymbolis Leibnitianis *dx*, *dy*, cum prima differentiatione hac convenit $Kdx - xdx = ydy$. Hæc ſi ſecundo ex Methodo Leibnitiana differentietur poſita *dx* conſtante, fiet $-dxdx = yddy + dydy$. Hujus ſuccedaneum ex meis principiis ſic obtinetur: fiat ut *e* ad *a*, ita *r* ad *z* erit $ze = ra$, quæ applicata ad æquationem $Ke - xe = ya$ exhibet æquationem $Kr - rx = yz$ quantitatibus aſſignabilibus conſtantem, quæ ad infiniteſimas redacta ſeu differentiata exhibet $-re = yi + za$, ſeu terminis differentialibus $-rdx = ydz + zdy$. Hæc jam plane eadem erit cum Leibnitiana ſecundo differentiata, ſi per *dx*, *dy*, *ddy* eadem ratio ſignificari intelligatur, quæ per *r*, *z*, & *dz*, ſeu *r*, *z*, & *i*, deſignatur. Unde ſecundæ quantitatum differentiæ hic ſaltem neceſſariæ non videntur. p. 26. Quodſi Vir ingenioſiſſimus ea, quæ menſe Auguſto 1695. prioribus addere placuit, hoc modo ipſis ordinatarum interceptarumque infiniteſimis applicuiſſet, miſſa ſecundi tertiique &c. trianguli characteriſtici, ac ſecundæ tertiæque applicatarum differentiæ conſideratione, multis, ni fallor, manente eadem methodi extenſione, difficultatibus immunem eam præſtitiſſet.

Sect. 3. §. 2. pag. 29. Si ſit $ds\,dds = dx\,ddx$ [poſito $dsds = dxdx + dydy$ & *dy* exiſtente conſtante] erit utique $ds = dx$. Licet enim non ignorem, in æquationis ab infiniteſimis ad indeterminatas

reductione occaſiones quandoque occurrere, quibus æquationi reductæ termini determinati ſub variis etiam ſignis ac magnitudine varii addi queant (quod Anal. Inf. cap. X. breviter oſtendi, & ad hunc quoque caſum applicare facili negotio poſſem;) cum autem hoc *nonniſi* æquationum differentiationi *primæ* conveniat, ſeu cum ab infinitesimali ad indeterminatam ſit regreſſio, quo pacto hoc æquationibus ſecundo differentiatis applicetur, lubens edocerer. §. 4. p. 29. Ait Vir celeberrimus A. 1684. p. 468. lin. 23: *itaque punctum flexus contrarii locum habet, quando neque v, neque dv exiſtente o tamen ddv eſt o.* Quod ipſum ex calculo Dn. Autoris eſt lineæ rectæ criterium, quo a curvis diſtinguitur. Sic anno 1695. pag. 370. lin. 29. expreſſe ſtatuit Vir eruditiſſimus, lineam rectam carere differentiis ſecundis, ſeu licet *v*, ac *dv* ſint aliquid, tamen *ddv* eſſe nihilo æquale. Unde concludi poſſe videtur, eundem eſſe curvarum flexus contrarii ac rectarum characterem proprium: quod, uti modo dixi, obſcurum mihi quadantenus apparebat; neque enim videbam, quare curva in puncto flexus contrarii magis quam in aliis ſuis punctis iſta proprietate gauderet.

Sect. 4. pag. 31. Numeri infiniti *m*, per alium numerum *b* multiplicati productum *bm* eſt impoſſibile. *Demonſtr.* Si neges, ſit poſſibilis, ergo *bm* erit majus ipſo *m*, per axioma, adeoque *m* non erit numerus maximus, ac proinde per hujus 4. non erit infinitus contra hypotheſin. *Scholium.* Ne tamen hinc ob rerum harum inſolentiam oboriatur ſcrupulus, ac hinc inferre me quiſpiam credat, expreſſionem Algebraicam *2m*, *3m* &c. ſemper impoſſibile quid deſignare, dico *2m* ſi ſignificet *m* per 2 multiplicatum, impoſſibile; ſi vero exprimat *2* per *m* multiplicatum, poſſibile quid denotare [cujus & rationem aliquam profert.]

Sect. 5. §. 3. pag. 40. Si tamen aliunde derivaverit hoc theorema [ſ. $dx : x =$ logar, ipſius *x*, etiamſi non *x*, ſed *y* ſit logarithmicæ applicata, *x* vero abſciſſa potius vel intercepta] uti & primum, *v* in log. $x =$ log. *y* [quando $x^v = y$] nihil habeo, quod regeram, niſi horum Canonum (quorum demonſtrationem Domino Autori adjungere non placuit) originem me ignorare; quæ idcirco poriſmata, quo pacto ex logarithmicæ natura profluant, optarem edoceri.

DAN.

## DANIELIS GEORGII MORHOFII OPERA POETICA, EDITA *cum Præfatione* HENRICI MUHLII.

Lubecæ ſumptibus Petri Böckmanni, 1697. in 8. alph. 3.

INter cæteras feliciſſimi ingenii Morhofiani dotes, quibus Vir doctiſſimus rem litterariam ornavit, & præclaris variisque editis ingenii induſtriæque monumentis æternam nominis famam ſibi acquiſivit, non poſtrema fuit carminis pangendi & ſcientia & facultas. Rei quidem poeticæ quæ fuerit in eo ſcientia, quamque recondita divinæ hujus artis cognitio, ex eruditiſſimo ejus *de Germanorum lingua & poeſi* intelligimus commentario, vernacula lingua edito, & a nobis in Actis Sept. A. 1682. recenſito. Qua vero polluerit carminis etiam ſcribendi facultate, & quam dextrum in hac ſenſerit Apollinem, argumento eſſe poterant cum Germanica carmina memorato libro ſubnexa, tum Latina cumprimis longe plurima diverſis temporibus ab eo compoſita atque edita poemata, nunc ab hæredibus optimo conſilio in unum corpus collecta; ut quæ diſperſa evaneſcebant, conjuncta rectius ſervarentur. Exhibet hæc Morhofianorum carminum collectio (1) *Charitum* libros tres, quorum primus argumenti ſacri poemata complexus, *Otiorum Divinorum* nomine ab ipſo auctore quondam fuit publicatus; duo reliqui in honorem Principum, aliorumque illuſtrium & clarorum virorum, ſcripta exhibet carmina, maximam partem gratulatoria. (2) *Venerum* libros totidem, qui & ipſi antea lucem adſpexerant, & epithalamia ſiſtit; ut *Manium* qui (3) ſequuntur libri itidem tres, epicediis conſtant. Succedunt (4) *Primitiæ Parnaſſi Kilonienſis*, ſub Academiæ Chriſtian-Albertinæ auſpicia anno 1665 fuſæ. Has excipiunt (5) *autoſchediaſmata* poetica, & (6) nova claſſis variorum carminum, quæ titulum præfert *Horarum ſubſecivarum* poeticarum. Hinc occurrunt (7) *Miſcellanea* poetica, cum epigrammatis ſelectis, a quibus diſtincti ſunt (8) duo alii *Epigrammatum* libri. Porro (9) *Jocorum* librum conſtituunt *Leſſus in Ciconiam*, *Querela Halecis*, & *de Enteratione* eruditis acutisſimisque ſalibus reſperſa poemata. Subjecta ſunt (10) *Prætermiſſa*, in quibus eſt Cento, ſeu, ut ipſe appellat, Lanx ſatura, e Virgilio, Statio, & Claudiano, in χριϛογονίαν. Agmen claudunt (11) *Adopti-*

*va*, quæ vel mentionem faciunt Morhofii, vel ab eo ſunt edita, cum alios haberent auctores, veluti elegantisſima Johannis Laurenbergii Satyra de rerum bonarum abuſu, ejusque Querimonia de ſuo & Academiæ Soranæ ſtatu. His ita hæredum arbitrio congeſtis atque ordinatis, *Præfationem* præmiſit dignisſimus Morhofii ſucceſſor CL. Muhlius: qui pro inſigni, quo pollet, poeticæ rei uſu & peritia, ad nobilisſimum Poetarum Belgicorum par, Petrum Francium & Janum Broukhuſium, de his Morhofii operibus poeticis judicium fert incorruptum, candide laudans horum carminum virtutes, nec disſimulans quæ in iisdem deſideret. Primum vero judices recuſat eos, qui præ crudis & muſteis terſa & elaborata, præ pravis & affectatis docta & caſtigata faſtidiant. Hæc poemata ad veterum imitationem eſſe compoſita contendit, judicemque adeo requirere in veterum ſcriptis verſatum. Multis autem priſcos illos, ad quorum exemplum, ceu regulam & normam, & ſua & aliorum ſcripta exigenda ſenſerit docueritque Morhofius, ſordere & negligi; contra corruptisſimum quemque maxime probari. Sic avorum memoria fuiſſe, & adhuc eſſe, quibus in pedeſtri oratione ſuaviores videantur Apuleji, Flori, Barclaii glandes, quam Ciceronis nectar & ambroſia. Puram Latini ſermonis facilitatem, ſinceri ac incorrupti ſtili fundamentum, veluti humilem nimisque obviam explodi; inflatam frigidamque orationem, ingenii quadam & argutiarum ſpecie, plerisque admirationi eſſe atque imponere. Ad eundem modum non deeſſe in poeſeos cultoribus, qui Perſium Horatio, Statium ac Claudianum Virgilio anteponant, nugasque canoras & ampullas pluris faciant, quam verſus faciles, eruditos & elegantes. Nec diffitetur, Germanos maxime eſſe ac Belgas, qui arguto illo & affectato ſcribendi genere capiantur, quod Poetæ Hiſpani in Latium invexerint; quo prioris meliorisve ævi candor obſcuratus fuerit, nativusque lepos & gratia perierit. His ergo corruptis judiciis tribuendum putat, quod vulgo tanti fiat Barlæus, recentiorum quidem præſtantisſimus Poeta, & nec Grotio Heinſioque poſtponendus, ſed qui & verbis impurus, & ſententiis frigidus, & numerorum negligens, multum abſit a veterum laude & perfectione, quod Claudianum imitari maluerit quam Virgilium. Eſſe quidem Claudiani dictionem ſatis numero-

ſam

ſam & ſonoram, ac ultra ſeculi ſui genium caſtigatam; at multum infra accuratam Virgilii gravitatem ſubſidere, quæ ſummo judicio numeros rebus ſubjectis attemperaverit, & literarum ſæpe junctura rei naturam apte jucundeque expreſſerit. Hujus curæ & diligentiæ, quæ apta numerorum ac periodorum varietate carmini decorem ſuavitatemque conciliat, nullum in Statio, Lucano, Claudiano, Silio Italico, animadverti veſtigium. Claudiani quidem numeros ad aures ſuaviter allabi, ſed verbis rebusque elimato judicio inter ſe comparatis, neſcio quid puerile & ſubſultans in iis deprehendi. Nicolaum Heinſium ſero tandem doluiſſe, quod in legendo iſtoc auctore tam diu hæſerit. Juventuti vero, niſi a prudentioribus magiſtris moneatur, deteriores præ melioribus, corruptos præ ſanis, fucatos præ pulchris, turgidos & inflatos præ grandibus arridere, ſuo quoque exemplo docet. At Morhofium melioris conſilii fuiſſe adoleſcentibus auctorem, iisque ad optimos quosque imitandos, cum exemplo, tum præceptis Polyhiſtoris ſui capp. 13. 14. 15. 16. traditis, viam præiviſſe. Quæ cur nonnemo in Academia Batava elevarit & tanquam puerilia aſpernatus ſit, cauſſam nullam eſſe: cum in tradenda imitandi ratione viri ſummi operam poſuerint, & in eloquentiæ ac poeſeos ſtudio omne punctum imitatio ferat. Hanc ergo imitationis viam ingreſſum eſſe Morhofium: qui licet ad ſummum faſtigium forte non pervenerit, uberem tamen venam, divinum quoddam ingenium, & bonorum ſcriptorum lectionem diligentem in his carminibus usquequaque conſpici. Cum vero recentior etiam ætas protulerit Poetas ad veterum gloriam aſſurgentes, hos quoque, ut antiquorum virtutes rectius intelligeret, ſibi legendos cenſuiſſe Morhofium, & nonnunquam ſequendos. Omnium enim ſibi virtutes propoſuiſſe æmulandas, magnamque curam ad ſcribendum carmen attuliſſe. Nonnulla quidem illi excidiſſe extemporalia, quæ ut culpa, ſic laude vacent: nonnulla a dulcibus illis, quæ Fabius vocat, vitiis non prorſus aliena eſſe: quædam prorſus Noſter mallet omiſſa, quibus lima defuerit, reliquis ſcriptis ſtudioſe adhibita. His tamen Morhofianæ laudi & famæ apud æquos judices nihil iri derogatum, ut qui ſciant Muſas non ad nutum Poetis eſſe præſto, quos ad alienum ſæpe arbitrium carmina oporteat ſcribere. Nec inter optimos Poetas ul-

lum

lum unquam extitiſſe, qui non humani aliquid ſit alicubi paſſus. *In Morhoſianis* autem *carminibus ſemper aliquid arguti, quod lectorem alliciat, aliquid eruditi, quod διδασκαλίαν babeat, aut ad vitam moresque faciat, occurrere. Nunquam illi deeſſe ad invenienda venuſta argumenta ingenium, nec ad ordinanda judicium. Nec eloquentiæ abeſſe facultatem, ſermonisve puram ſuavitatem. Vim & elegantiam ſpectari in clauſula fere arguta & aculeata: hanc Noſtrum magnopere captaſſe, nec ab aliis abhorruiſſe ingenii luſibus, ſed doctis & urbanis & veterum elegantiæ conſentaneis; a barbarorum vero ſeculorum inventis, ingenioſæ poeſeos dehoneſtamentis, acroſtichis, ecchoicis, anagrammatiſmis, ſimilibusque quisquiliis, alieniorem fuiſſe.* Hoc eſt integerrimum Clariſſimi Editoris de poematibus his judicium, cui æquiſſimus quisque ac intelligens lector facile ſubſcribet; gratiamque habebit hæredibus, qui cultiſſima hæc carmina, & argumenti & metri & inventionis varietate cum paucis comparanda, colligere & conjuncta publici juris facere voluerunt. Iidem de litteris bene merebuntur, ſi operam dederint, ut reliqua doctisſimi venuſtisſimique Auctoris affecta aut perfecta opera ex ſchedis ſcriniisque beati Viri eruantur & publica in luce compareant.

JOHANNIS LA PLACETE, BENEARNI, DE INSANABILI Romanæ Eccleſiæ Scepticiſmo Diſſertatio.

Amſtelodami, apud Georgium Gallet, 1696. in 4.
Conſtat plag. $25\frac{1}{2}$

Cap. 1. ECcleſiam Romanam certitudine Fidei, quam ſibi ſoli vendicare conſuevit, penitus deſtitui, ac contra perpetuo laborare ſcepticiſmo, dum evincere laborat hoc opere celebris inter Reformatos Gallos Theologus, diſtincte procedit. Cum enim præter *Scripturam Sacram* indubitatam fidei normam, ad *Traditionem* inſuper, *Pontificum & Conciliorum infallibilitatem*, *Doctorum conſenſum*, ac *Eccleſiæ* denique *univerſalis auctoritatem* provocare ſolenne ſit Pontificiis, de ſingulis hiſce, num firmam fidei apud eos
2. excitare certitudinem valeant, diſquirit. Præmiſſo itaque generali quodam de certitudinis tum gradibus tum ſpeciebus diſcurſu, *Scripturam* quidem *Sacram*, ut in ſe certisſimam, ſic fidei etiam fulciendæ aptisſimam ſufficientisſimamque eſſe profitetur: ſed eam

eam Pontificiis haud ſufficere, niſi receptiſſima quæque ex ſuis placitis deſerant, in aperto eſſe exiſtimat. Negare enim ipſos, ſecluſis Traditione & Eccleſia, conſtare poſſe ulla ratione, vel Scripturam eſſe verbum Dei, vel his aut illis eam libris, aut librorum partibus contineri, vel ipſos fontes puros & incorruptos ad nos manaſſe, vel verſiones ullas haberi fideles & accuratas, vel denique hunc aut illum eſſe loci cujusvis ſenſum. Ex iis ergo colligit, eos, qui ita doceant, ſecluſa Traditione & Eccleſia, nunquam ex Scriptura certo cognituros, quid credendum ſit.

Nec melius ſe habere *Traditiones*, in ſe conſideratas, putat. Demta namque Eccleſiæ atteſtatione non patere, ullas eſſe divinas traditiones; dato etiam, eſſe aliquas, neſciri tamen, quænam illæ ſint, quandoquidem tot circumferantur falſæ traditiones, tot rurſus dubiæ & ſuſpectæ, de quarum veritate multa diſputentur. 3.

Confugiendum ergo ad *Eccleſiæ* auctoritatem. Sed & ab hac certi quicquã ſperare haud licere oſtendit Auctor, ducto a ſummo *Pontifice* initio. Hujus decretis ſecure niti fides ſi debeat, requiri probat ante omnia, ut certus quisque ſit, eſſe verum illum & legitimum Pontificem, cujus decreta ſuſcipiat: aſt illam certitudinem haberi poſſe inficiatur. Sæpe enim docet contingere, ut is, qui Pontificalem ſedem occupat, Pontifex revera non ſit, ſed Pontificis duntaxat larva & inanis ſpecies. Hoc modis plurimis evenire poſſe, nec ipſos negare Pontificios, ſi nimirum aut electio vitioſa fuerit, non obſervatis iis omnibus, quæ canones tanquam neceſſaria requirunt; aut ſi ante electionem habuerit impedimentum aliquod canonicum; aut ſi baptizatus ordinatusve rite non fuerit, propter defectum intentionis in baptizante aut ordinante, aut in eo, a quo ordinator baptizatus vel ordinatus olim fuit, & propter alia quædam baptiſmi & ordinationis vitia; aut ſi per Simoniam Pontificatum fuerit adeptus; aut ſi jam tum rite electus Pontificia dignitate exciderit per atheiſmum, infidelitatem, hæreſin, etiam mentalem & occultam. Deinceps ſi vel maxime de vero Pontifice certus aliquis ſit, non poſſe tamen ipſum certo ſcire oſtendit, annon errori hic ſit obnoxius. Docere equidem adverſarios, Pontificem definientem aliquid tanquam de fide, obligare totam Eccleſiam ad credendum fide divina id, quod definit. Enimvero neminem ad hoc creden- 4. 5.

dum teneri excipit, niſi qui ſimul certus ſit divina fide, Pontificem eſſe infallibilem. Aſt hanc illius infallibilitatem de fide non eſſe, ex ingenua quorundam adverſariorum confeſſione non minus atque aliis argumentis demonſtrat. Imo poſita etiam Pontificis in-
6. fallibilitate, incertum nihiloſecius relinqui, quando hoc ille privilegio gaudeat. Monarchicos in eo omnes conſentire, Pontificem tunc, quando doceat ex cathedra, errori non eſſe expoſitum; multum autem eos inter ſe diſcindi, ſi, quando proprie *e cathedra* doceat, definiendum ipſis ſit: at vero vel has lites negotium ſatis intricatum reddere. Negare inſuper pleroſque, infallibiliter definiturum Pontificem, niſi mature & canonice procedat, quæſtionem, de qua agitur, accurate expendat, Scripturam & traditionem conſulat, precibus ad Deum inſtet, eaque omnia adhibeat, quæ ad inveniendum verum conducant. Sed quis de adhibita ſemper diligentia hac certus eſſe poterit? Sic quærit Auctor, & non raro eam omiſſam fuiſſe, exemplis comprobat. Quid? quod & ſolenniores in publicatione decretorum ceremoniæ non rite per omnia obſervatæ irrita ea, Pontificiis ita ſtatuentibus, efficiant? Admiſſo autem hoc, neminem certa fide ulli decreto veteri aut in Urbe a domicilio ſuo remotiori publicato adhærere poſſe ſubſumit, cum de ceremoniis in publicatione obſervatis, modo temporis, modo loci intercapedo certum eſſe ipſum prohibeat. Tunc quoque pronunciare ex cathedra Pontificem exiſtimari dicit, cum alicui dogmati
7. hæreſeos notam inurat. Sed rariſſime eum indicare, quid præciſe ſit hæreticum. Ubi enim plures propoſitiones eodem decreto damnet, frequentiſſime accidere, ut non ejusdem generis ac conditionis omnes illæ ſint, ſed aliæ dicantur hæreticæ, aliæ duntaxat erroneæ, quædam temerariæ, nonnullæ ſcandaloſæ vel piarum aurium offenſivæ. Quamdiu igitur neſciatur, quænam ex illis notis cuique propoſitioni ſigillatim adjudicata ſit, tamdiu quoque ignorari, an certa fide decretum illud aſſumi queat. Ultimum pronunciatæ ex cathedra definitionis characterem eſſe inquit, ſi Papa teſtetur, decernere ſe de conſilio Fratrum ſuorum, quo nomine Cardinales indigitentur. Utrum vero adhibiti reapſe in conſilium Fratres illi fuerint, neminem certo ſcire poſſe addit. Enarratis autem hiſce requiſitis externis, ſenſibusque, ſi non omnium, quorundam

dam tamen, obviis, aliud adhuc ſubjungit cuivis ignotum atque inacceſſum, ipſam ſcilicet Pontificis conſcientiam. Nam ad hoc, 8.
ut ille recte judicet, requiri imprimis, ut, quod ipſe verum putat, pronunciet, non autem vi aut metu, vel alia ſimili perturbatione fractus contra animi ſui ſenſa decernat; jam vero nemini compertum eſſe, quid ad decernendum Pontificem impulerit.

Sed ne *Concilii* quidem decretis niti poſſe fidem Romanam, edocere pergit. Eos, qui Concilio, etiam ſoli & a Pontifice ſejuncto, infallibilitatem deferant, hac lege iſtud facere, ut ſit vere œcumenicum. Ut autem Concilium quoddam pro tali cenſeatur, 9.
horum alterutrum neceſſario requiri, ut vel omnibus, quotquot ubique terrarum ſedent, Epiſcopis conſtet, vel ii ſaltem adſint, qui abſentes rite ac ſufficienter repræſentent. Jam vero nullum unquam ejusmodi cœtum ex omnibus Epiſcopis collectum in Concilio adfuiſſe, & numeroſiſſima quæque vix decimam Epiſcopalis collegii partem complexa notat. Nec unquam tale Concilium inſtitutum refert, in quo ii, qui eidem interfuere, abſentes juſto modo repræſentarint: id enim ne fieri quidem poſſe obſervat. Duplici quidem ratione aliorum nomine adeſſe alios, ſi nimirum vel expreſſe & nominatim ab iis miſſi & delegati fuerint, uti uſu veniret, ſi antequam Concilium œcumenicum cogatur, particularia in ſingulis provinciis haberentur, in quibus unus aut alter eligeretur, qui pro reliquis generali intereſſet; vel ſi, cum nihil eorum obſervetur, cenſeatur quilibet Epiſcopus hoc ipſo, quod Concilium non adit, in reliquos adeuntes jus ſuum atque auctoritatem omnem, ſi non expreſſe, tacite ſaltem & interpretative transtuliſſe. Priorem illam habendarum generalium Synodorum rationem apud adverſarios non obſervari; poſteriorem vero inter ea, quæ, ſi recte æſtimes, innumeris & nunquam ſuperandis premantur difficultatibus, rejiciendam venire aſſerit, iſtoque pacto Concilium œcumenicum nunquam fuiſſe habitum, nec unquam habendum judicat. Supponit interim 10.
Concilia œcumenica exiſtere poſſe; verum urget tamen amplius, certo & indubitato haud conſtare, quodnam Concilium vere œcumenicum ſit ac nuncupari mereatur. Eo fine diſſenſum Pontificiorum proprium allegat, & oſtendit, quod alii habitorum olim talium Conciliorum numerum augeant, alii viciſſim minuant, quod-

que iſtud, cui unus œcumenici nomen vindicet, alter contra pro eodem haud agnoſcat. Jactare quidem Pontificios Concilia nonnulla, quæ œcumenica fuiſſe nemo prorſus iverit inficias; veruntamen & illis titulum hunc valde reddi dubium, ex notis Conciliorum œcumenicorum a Pontificiis ipſismet excogitatis, ſed in iſta
11. minime cadentibus, confirmat. Porro Concilia œcumenica debere eſſe legitima, ex domeſticis adverſariorum ſuffragiis manifeſtum reddit; conditiones autem ad habendum Concilium legitimum neceſſarias ægerrime ſciri innuit, cum modo has, modo illas adverſarii nominent, nec de earum aut numero, aut qualitate con-
12. veniant. Referri huc imprimis libertatem plenam atque perfectam, tradit. Monet tamen, libertatem hanc non ſola vi aperta, non verberibus tantum, carcere ac ſimilibus auferri, ſed minis etiam, promiſſis, donis, ſimilibusque arcanis quidem, ſed non minus efficacibus mediis labefactari, nec ſcire quenquam, annon hæc poſteriora clandeſtino modo in iſto, cui fidem habere velit, Concilio neceſſariam adeo libertatem corruperint. Neſciri ulterius, utrum recta
13. fuerit Patrum, in Concilio qui ſedere, intentio, & an illi poſthabitis omnibus rerum mundanarum curis Dei gloriam, Eccleſiæ ædifica-
14. tionem ac fidei puritatem ſectari ſtuduerint; neſciri, utrum decreta ibi condita ſufficiens rerum inquiſitio præceſſerit. Quodſi igitur aut heic aut illic defectus quiſpiam emerſerit, non amplius pro
15. legitimo habendum venire Concilium obtendit. Circa concluſionem, qua Synodi Præſes auditis Patrum ſuffragiis ſententiam ſolenni ritu pronunciat, non levem verti quæſtionem: num Præſes debeat ſecundum majorem ſuffragantium numerum pronunciare, vel num neceſſaria ſit plena & abſoluta unanimitas? Non negaturos adverſarios, poſſe quidem utrumque illud defendi; interea neutrum eſſe vel ex ſe evidens, vel a Deo revelatum, vel ab Eccleſia definitum urget; urget ideo ſimiliter incertum fore, quænam Conciliorum decreta legitime concluſa ſint, quibusque proin tuto ad-
16. hibere fidem liceat. Fingit tandem, adverſarios ſcire ea omnia, quæ ſcire non poſſe ſatius probarit, ſupereſſe tamen illum ait ſcrupulum, quod infallibilitas Conciliorum de fide non ſit, adeoque citra formidinem oppoſiti dubii a nemine credi poſſit.

Hactenus de Concilio œcumenico in ſe ſpectato egit, jam iſtud

iſtud, uti cum auctoritate Pontificis junctum eſt, conſiderat. Et heic primum non pauca Concilia, a Pontifice quamvis approbata, Pariſienſes repudiaſſe, ex hiſtoriarum monumentis narrat. Dein nec univerſam Eccleſiam Pontificis conſenſum pro certa recte decernentis Synodi nota unquam habuiſſe, ex eo elicit, quod & ipſa celeberrimas ſæpe, quas enumerat, Synodos, easq; a Romanis Pontificibus ſolenniter probatas rejecerit. 17. Multos porro magnique nominis Theologos recenſet, qui Pontificis & Concilii conſentientium infallibilitatem venerari jam olim detractaverint. 18. Præterea neque hanc, quam modo diximus, infallibilitatem ad fidem pertinere, e ſilentio Concilii Tridentini hæc talia monere alias haud omittentis probat; probat & ex eo, quod nec Scriptura, nec Traditio, nec aliquod rectricis Eccleſiæ decretum, nec denique Eccleſiæ univerſalis conſenſus pro fundamento fidei illius queat allegari. 19. Quantumvis autem quis certo ſatis noſſet, haberi in terris tribunal quoddam errare neſcium, nondum tamen fidem extra omne periculum collocari, niſi pariter noſſet, quænam ſint manantia ab illo tribunali decreta, quibus adhibere fidem tuto liceat. 20. Atqui incertiſſimum hoc eſſe, duobus modis evincere nititur: ſemel, quod non conſtet, quænam ſint validi & firmi decreti conditiones, qui characteres, quæ notæ; iterumque, quod, etſi de ea re conſtaret, non conſtaret tamen, quænam ſint ſpecialia decreta, quibus illæ conditiones adſint. Si quis forſan objiciat, eorum ad minimum 21. Conciliorum & Pontificum decreta firma eſſe, quæ univerſalis admiſerit Eccleſia, reſpondet, nec ipſum Eccleſiæ judicium ab errore omni immune pronunciandum ſe cenſere. Quodſi enim ea ad externas tantum conditiones reſpexerit, ad indictionem puta, conſtitutionem, procedendi rationem, aliaque id genus, quæ legitimum Concilium faciant, difficultates ubique obvenire plurimas ex antea jam dictis repetit. Si autem Eccleſia ipſorum decretorum veritatem excuſſerit, &, quæ recta invenerit, admiſerit, quæ prava & falſa, repudiaverit, eam utique rationem ſe probare, imo poſcere; ſed & ſentire dicit, quod, ſi hoc largiantur Pontificii, actum procul dubio ſit de ipſorum hypotheſibus. Nam ſi Eccleſiæ univerſali conveniat, Conciliorum decreta expendere, & recta admittere, falſa repudiare, eo ipſo manifeſte ſupponi, utriusque generis

neris ſtatuta, vera & falſa, recta & prava, ab illis ſanciri poſſe; unde ultro conſequatur, quod Concilia errare neſcia non ſint. Amplius progreditur, & ne hoc quidem ſciri autumat, quænam vere olim edita & ſancita ſint a Conciliis decreta; cum & temporum injuria, & cuſtodum ſocordia, & falſariorum fraus ac infidelitas ſic vitiarit & corruperit Conciliorum acta, ut vera legitimaque a ſpuriis dignoſci vix poſſint; quam theſin exemplis quibusdam luculentis confirmat.

22.

23. A Conciliis diſcedens ad *Doctores* ſeſe confert, & utrum horum conſenſus fidem ſtabiliat, diſquirit. Negativam autem heic denuo defendendam ſuſcipit, nixus ante omnia hac ratione, quod, quinam Doctores illi ſint, quorum requiratur conſenſus, nondum conſtet. Totius negotii fundum putari locum Pauli, ubi is datos a Chriſto alios Apoſtolos, alios Paſtores & Doctores in ædificationem corporis Chriſti aſſeruerit. Sed dubitari inter Pontificios, utrum illi ipſi ſint Paſtores, qui Doctores? Rurſum quæri: quosnam Paſtorum nomine deſignare Paulus voluerit? Miſſis autem hiſce dubitationibus, ad frequentiſſimas nullo non tempore Doctorum in Eccleſia diſcrepantias Lectorem remittit, & cuinam parti, ſi tales obvenerint, ſit adhærendum, quærit. Conceſſo interim, quod in

24. eadem doctrina tradenda Doctores unanimiter conſpirent, eſſe nihilominus conſenſum illum non æque manifeſtum & obvium inſtat, ac eſſe deberet ad hoc, ut communem fidei regulam præberet. Hæc quippe clara & perſpicua ut ſit, tanquam neceſſarium ſupponit; Paſtorum contra conſenſum circa illa, quæ credenda ſunt, ita obſcurum cognituque difficilem facit, ut non tantum quivis de plebe, ſed ipſi literati quoque doctiſſimique vitare nequeant, quo minus in eo indagando hallucinentur. Id quod a triplici fonte promanet, quorum primus ſit ipſius Eccleſiæ, per quam ejus præfecti diſperſi degant, amplitudo, tanta utique juxta adverſarios, ut per totum terrarum orbem diffundatur; ſecundus obſcura quorundam dogmatum, de quibus nondum in Eccleſia diſputatum, notitia; tertius ille caſus, quo non raro in Eccleſia dogmata quædam tanquam a Deo revelata & ab Eccleſia probata ſpargantur, ac paſſim & ubique doceantur, quæ tamen falſa eſſe cordati ſero deprehendant. Singulos ex his fontibus ope exemplorum, quæ maxime cenſet, idoneo-

neorum dilucidat. Cæterum ut per datam fictionem liberalis ſæpe 25.
Auctor eſt, ita heic quoque dat, recte ſe habere conſenſum Doctorum; porro tamen colligit, rem ideo nondum confectam videri. Non enim, quicquid unanimiter affirment ſuisque auditoribus inculcent Doctores, ſtatim ut a Deo revelatum, atque adeo ut doctrinam Eccleſiæ excipiendum eſſe, adverſarios contendere obſervat, ſed id duntaxat, quod illi eſſe de fide concorditer dixerint. At vero Epiſcopos, Parochos, Concionatores raro admodum determinare, an id, quod doceant, ſit de fide, an conſequens ad fidem, an ſit expreſſe revelatum, an cum revelatis connexum & cohærens; unde eveniat, ut ii ipſi, qui conſentiant de veritate dogmatis, non conſentiant ſemper, illud eſſe de fide; ſæpe enim negare alterum, ad fidem pertinere, quod alter eo reducat. Pergit, morisque ſui 26.
obſervantiſſimus ex abundanti largitur, certum haberi unanimem Doctorum conſenſum; negat autem, credi eapropter tuto poſſe, vera tradi a Doctoribus. Quo minus enim iſta ſibi quis perſuadeat, obſtare inter alia momenta tres potiſſimum theſes, quæ cum hac Præfectorum Eccleſiæ infallibilitate aperte pugnent, nec unquam tamen in celeberrimis Romanarum partium Scriptoribus easdem defendentibus leviſſima cenſura notatæ legantur. Primam facit hanc: *Eccleſiam, pro qua Chriſtus oravit, non eſſe dignitatibus eccleſiaſticis alligatam, ſed poſſe totam conſtare fidelibus cujuscunque ordinis*; ſecundam, *poſſe fidem in univerſa Eccleſia præter unum laicum, quin & præter unam mulierculam, deficere*; tertiam, *poſſe adultos omnes, nullo excepto, excidere a fide, & Eccleſiam in ſolis infantibus perſtare.* Non fictas autem has, ſed ab ipſismet Pontificiis in medium allatas theſes eſſe, ex denſa teſtium eas adſtruentium nube demonſtrat.

Ultimum adverſarios refugium perhibet dirigere ad *Eccleſiam* e Paſtoribus & ſubditis ſimul conſtantem, & hac niti poſſe ſingulorum Chriſtianorum fidem, eos ſibi perſuadere docet. At 27.
enim vero lubricum & hoc fundamentum eſſe exiſtimat. Primum etenim non conſtare, quænam ſit illa univerſalis Eccleſia, cujus fides noſtræ fidei regula eſſe debeat, cum ignoretur apud adverſarios quæ ſit vera Eccleſiæ idea, quidque ad illam conſtituendam requiratur, an ſola v. g. rectæ fidei externa profesſio ſufficiat, an ipſam fidem

fidem adeſſe oporteat, an pietatem, & ſic porro. Ac etiamſi
28. hoc eſſet certum, neſciri tamen in ſpecie ac in hypotheſi, utrum illa vera Eccleſia ſit vel Romana, vel Græca, vel alia quævis. Equidem heic duo proponi criteria, e quibus poſtremum hoc cognoſci queat; alterum, ut ex doctrinæ, quam quælibet Eccleſia profiteatur, veritate & conformitate cum Dei verbo, alterum, ut ex notis atque characteribus externis vera Eccleſia a falſis dignoſcatur. Aſt licet prius aliqui ex adverſariis præſcribant, repugnare tamen longe plures alios, qui inſtitutum de Eccleſia ex doctrinæ veritate judicium immenſi laboris inexhauſtæque difficultatis credant, idque ne a doctiſſimis quidem, nedum a plebejis & rudioribus ferri poſſe metuant. Longe magis intricatam eſſe rationem alteram, veritatem hanc per externas notas dijudicandi. Præterquam enim quod ipſi adverſarii de notarum iſtarum numero parum conſentiant, eas-
29. dem quoque ne probabiles quidem per omnia, nedum certas atque evidentes eſſe. Poſt, quam dubia ſit dignoſcendæ Eccleſiæ veræ ratio, tam dubium quoque eſſe ait modum indagandi ejus, quam illa foveat, fidem. Nondum enim ſufficere, noſſe, quid univerſalis Eccleſiæ pars quædam, ſive major, ſive minor, credat, niſi ſcias, quid toti videatur. Sed hoc nimis facit arduum, cum agnoſcant adverſarii, poſſe majorem Eccleſiæ partem errare, imo poſſe & veram Eccleſiam ad unam mulierculam redigi. Inſuper nec ſufficere, ut ſcias, quid fidelibus verum videatur, niſi noris inſimul, quid illi tanquam revelatum a Deo fide divina amplectantur, cum multæ quo-
30. que totius Eccleſiæ opiniones falſæ inveniantur; ſed iſtud neminem aperire poſſe innuit. Denique neſciri addit, an univerſalis Eccleſiæ fides recta fides ſit: niti enim hanc ſola infallibilitate Eccleſiæ, tali fundamento, quod æque ac reliqua hactenus oppugnata pro certo haberi ex ratione hypotheſium Pontificiorum plane nequeat.

## VERITAS RELIGIONIS CATHOLICÆ EVIDENTER demonſtrata per A. R. P. THYRSUM GONZALEZ.

Inſulis, apud Franciſcum Fievet, 1696. in 12.

Conſtat Alphab. 1.

NOn novus quidem eſt hic liber, ſed pridem manibus eorum, qui Eccleſiæ Romano-Catholicæ favent, verſatus; aſt nihiloſecius

cius aliquam novitatis ſpeciem velut induit, ubi tertia nunc vice impreſſus ad nos primum, nec niſi viri celeberrimi, Danielis Papebrochii e Soc. Jeſ. beneficio pervenit. Quamobrem cum nullam ejus in his Actis mentionem adhucdum factam recordemur; vel nunc recenſere librum conſultum duximus, ne ſupprimere videamur libros noſtræ Eccleſiæ oppoſitos. Fungimur enim Hiſtoricorum munere, bona fide enarrantes librorum argumenta, judicio Lectoribus, cenſura iis, ad quos ſpectat, relicta.

Pontificiæ autem religioni incorruptæ veritatis gloriam ceu certam propriamque aſſerere laborat ejus Auctor, Societatis JESU Præpoſitus hodie Generalis, vel ex iſto de recto uſu opinionum probabilium tractatu, cujus ſumma in noſtris Eruditorum Actis primum A. 1695 locum obtinuit, celeberrimus; qui, ut in perſequendo iſthoc inſtituto ſuo juſtam tenuiſſe videatur methodum, orditur a tritiſſimo illo effato, quo Petri confeſſionem excepit Chriſtus, Matth. XVI, 18, inque eo datum eſſe iſti promiſſum autumat, quod conſtituendus ſit hujus vicarius, quodque Eccleſia, quam ſuper Chriſtum ceu lapidem primarium extructam conſtet, ſuper Petrum tanquam ſecundarium quoddam fundamentum ædificari debeat. Etenim verba, *ſuper hanc petram*, nec ad perſonam Chriſti, nec ad confeſſionem de Chriſti divinitate, ſed ad ipſam Petri perſonam ſpectare, & eos, qui ſecus ſentiant, ex Hebrææ, Syriacæque linguæ ignorantia in errorem induci contendit. Matthæum enim Hebraice ſcripſiſſe ſuum Evangelium dum autumat, per repetitum in illius textu nomen Cephas probare nititur, idem inferre Chriſti reſponſum, ac ſi dixiſſet: *tu es petra, & ſuper hanc petram* &c. Quodſi tamen quæras, cur Interpres, quem ille nominat, Matthæi Græcus diſtinctionem generis adhibuerit? reſpondet, Petrum, tanquam virum, primo loco nominandum fuiſſe in maſculino, ſecundo autem, ubi de ædificii fundamento actum, non Petrum amplius dicendum veniſſe, ſed petram, quia in ejusmodi ædificiis fœmininum magis uſitatum habeatur. Patrum de cætero quorundam explicationem, juxta quam *τὸ ſuper hanc petram* interpretentur *ſuper hanc fidem*, eo tendere vult, ut ſuper Petrum propter fidem & confeſſionem ædificatam eſſe Eccleſiam ſtatuerint, quemadmodum dicere ſoleamus, *in unius hominis fide fundatam eſſe*

*rempublicam*, quod ſit, *in uno homine propter fidem.* Parili modo ſcribere Ambroſium: *ſuper aquas fidem Petri ambulaſſe*; & tamen id innuere, quod Petrus ibi ambularit propter fidem, quippe quæ effecerit, ut miraculoſo hoc ingreſſu uti ipſi fuerit licitum. Objectionem autem exin petitam, quod Chriſtus Eccleſiæ fundamentum audiat, unica illa inter fundamentum primarium & ſecundarium (quorum poſtremum Petrus,) diſtinctione tollendam arbitratur. Dehinc Eccleſiam ſuper Petrum fundatam viſibilem eſſe, conſuetis rationibus probare nititur. Eam item nunquam periiſſe, ſed ſemper extitiſſe in mundo, & usque ad illius finem permanſuram, ex promiſſo Chriſti, quod portæ infererum adverſus eam non ſint prævalituræ, urget, iſtudque e tot perſecutionibus tyrannorum, turbisque & machinationibus hæreticorum, quarum nullæ hactenus Eccleſiam ſubverterint, declarat; prout perpetuam quoque illius durationem e Matth. XXIIX, 20. Luc. XXII, 32. confirmat. Imo nec fidem eam unquam deſerere, falſaque propugnare potuiſſe dogmata, adducto in medium loco e 1. Tim. III, 15 colligit. Chriſtum præterea, qui tanquam caput & ſponſus Eccleſiam gubernet, & qui huic obedire juſſerit in omnibus, Matth. XIIX, 17, Spiritumque Sanctum, qui Eccleſiæ præſit tanquam anima, non ſane permiſſurum, ut eadem in rebus ad fidem pertinentibus errori alicui involvatur. Jam præſuppoſita hæc ad ſuum inſtitutum applicat, Eccleſiamque Pontificiam ſolam ſemper in mundo extitiſſe, ex quo Chriſtus verba illa ad Petrum locutus fuerit, e nunquam interrupta ſerie Pontificum a D. Petro deſcendentium confirmat, atque iſto argumento evinci reputat, Eccleſiam Lutheranam & Calvinianam ſub Eccleſiæ veræ nomine venire non poſſe, cum ante annum 1517 Lutherana, multoque minus Calviniana, quæ ſit iſtius ſoboles, in mundo, ut putat, non fuerit. Nec infirmum eſſe contendit argumentum hoc ſumtum ab antiquitate Eccleſiæ a Petro incipientis, quandoquidem Patres Eccleſiæ probaturi contra varios hæreticos, inter ipſos non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, eodem frequenter uſi legantur; ſigillatim autem Irenæum, Tertullianum, Optatum Milevitanum & Auguſtinum nominat. Solos etiam Eccleſiæ Romanæ Miniſtros ab Apoſtolis deſcendere hinc infert, quod inferiores, præſertim Sub-Diaconi, Diaconi & Presby-

ter

teri ordinentur ab Epiſcopis, Epiſcopi autem ſuum ordinem ab aliis Epiſcopis acceperint, hique rurſus ab aliis, quo pacto demum aſcendatur usque ad Apoſtolos, in quos poteſtatem omnem Chriſtus proxime contulerit; non ſecus atque homines ſinguli ac univerſi, ſecundum vitam & potentiam naturalem, longo generationum tractu ab Adamo deſcendant. Ea vero gloria Lutheranæ Eccleſiæ Miniſtros carere ait, quippe qui altius regredi non poſſint, niſi ad Lutherum, qui tamen legitime ordinatus nequaquam fuerit. Fruſtra eſſe porro monet eos, qui Eccleſiam latuiſſe per aliquot ſecula heic aſſerant, usquedum Lutherus palam prædicare cœperit; id enim naturæ Eccleſiæ repugnare dicit, quæ ſemper eſſe debeat ſimilis civitati in monte poſitæ. Qui ſolos infantes baptizatos pro membris Eccleſiæ veris per illa tempora venditent, eos contrariari cenſet Auguſtanæ Confeſſioni, ubi, quod ſine ſincera Verbi prædicatione & legitima Sacramentorum adminiſtratione (quarum neutra tamen in infantes cadat,) Eccleſia conſiſtere non poſſit, doceatur. Nec quicquam obtinere hos, qui cauſentur, ſemper in Eccleſia fuiſſe unum aut alterum cordatum virum, qui Papæ contradixerit, cujusmodi Wiclefus, Huſſus, Lutherus, Calvinus, & alii. Neque enim plures adduci poſſe e ſeculis ſuperioribus, nec poſſibile videri, ut Deus Eccleſiam Chriſti deteriorem experiri conditionem ſiverit, quam olim Synagogam Judaicam, quæ nunquam adeo deſerta fuerit, ut in ea unus tantum alterve vir cordatus reperiretur. Imo ne Donatiſtas quidem affirmaſſe unquam, quod Eccleſia non amplius niſi in duobus Papæ ſe opponentibus ſuperſtes manſerit, tametſi eam toto orbe periiſſe ac in ſola remanſiſſe Africa docuerint. Lutherani cum largiantur, aliquot a Chriſto nato ſeculis prioribus Eccleſiam Romanam ſe veram Chriſti Eccleſiam geſſiſſe, exinde manifeſtum reddi Auctor ſtatuit, quod Eccleſia Pontificia nunquam aut in apoſtaſiam, aut in hæreſin, aut in ſchiſma inciderit. Non in apoſtaſiam, quippe quæ ſit fidei Chriſtianæ non ſolum abrenunciatio, ſed etiam vel ipſius nominis omnimoda abjuratio; nihil autem ejusmodi Eccleſiæ Romanæ imputari poſſe. Non in hæreſin; hanc enim qui amplectantur, eos privatæ & ſingulari cuidam opinioni inhærere, contra generalem & approbatam univerſalis Eccleſiæ doctrinam; at vero Eccleſiam Romanam nunquam fu-

iſſe condemnatam ab aliquo œcumenico Concilio, neminemque antiquorum Patrum adverſus illam ſtylum exacuiſſe obtendit. Non in ſchiſma, quo diſceſſio fiat ſeu ſeparatio ab unitate Eccleſiæ, rumpaturque vinculum communionis cum aliqua Eccleſia puriori; ſed eam ſocietatem Chriſtianorum, a qua Romana Eccleſia diſceſſerit, oſtendi ſibi enixe flagitat, flagitat quoque illum e Romanis Pontificibus nominari, qui fidem primus deſeruerit ac hæreſes diſſeminaverit; defectionem enim Eccleſiæ neutiquam latenter agi potuiſſe, ſibi penitus perſuadet. Porro ex ſententia Lutheranorum ſequi affirmat, per mille annos non fuiſſe veram in mundo Eccleſiam: quodſi enim Pontificiæ nomen veræ Eccleſiæ abjudicaveris, nuſpiam hanc alibi reperiundam fuiſſe concludit. Aſt interim ex hoc fundamento omnes, qui per ſecula illa vixerint, damnandos fore exclamat, damnandos Benedictum, Malachiam, Bernardum & alios, quos ipſimet Lutherani atque Reformati Sanctorum loco habeant. Ne autem heic fortaſſis quis objiciat illam nonnullorum opinionem, quod in ſua quilibet religione ſalvari poſſit, abſurdiſſimum eſſe dogma hoc prolixius oſtendit. Quin & in iſtos invehitur, qui omnes Chriſtianos in ſua fide & religione ad æternam vitam aſpirare poſſe doceant, dummodo articulos in Symbolo Apoſtolico obvios firma fide teneant, quamvis in aliis compluribus ſibi invicem contrarientur. Nec ſufficere putat, ut articulos fidei diſtinguas in eſſentiales & accidentales, quorum poſteriores ſalva fidei integritate vel admittere vel repudiare liberum ſit; cum enim pro fundamento fidei habere conveniat auctoritatem Dei revelantis, quæ æqualiter omnes veritates revelatas afficiat, fidem neceſſario eſſe extendendam ad omnes iſtas veritates, ſive magnæ illæ ſive parvæ ſint. Paucis dehinc id urget, quod ſpem ſalutis nemo Lutheranorum aut Reformatorum iis, qui in Eccleſia Romana vivant, penitus adimere ſuſtineat. Inde vero evidenter obligari iſtos infert, ut relicta ſua ſecta ad Eccleſiam Catholicam ſe recipiant, cum in hac ſit ſpes ſalutis ex partis utriusque confeſſione, in Eccleſia vero Proteſtantium nonniſi ex opinione ipſorummet, quam manifeſte tamen erroneam Papæi omnes exiſtiment. Sed paulo diutius in illo argumento detinetur, quod, cum in ſola Romana Eccleſia firmam credendi regulam & ſupremum controverſiarum fidei Judicem reperire detur,

tur, ea utique pro vera Chriſti Eccleſia agnoſcenda colendaque ſit. Prius autem ut obtineat, pro ſolenni Pontificiorum more Scripturam Sacram vi normativa poteſtateque judiciaria privare, eamque in Concilia generalia a Romano Pontifice confirmata transferre laborat; quin imo hunc etiam extra Concilium generale & non expectato Eccleſiæ conſenſu pronunciantem, controverſiarum fidei Judicem infallibilem nuncupandum eſſe, operoſe admodum evictum dare nititur. Judicium quoque Romani Pontificis in controverſiis fidei a Concilio generali reformari poſſe negat. Equidem injici hoc loco a quibusdam ait ſcrupulum, quod, ſicut Generalis Societatis ſolum ſupra reliquos Epiſcopos diviſive ſpectatos emineat, non autem quatenus hi convocati ſint ad Concilium generale, utpote in quo per majorem ſuffragiorum partem ipſum ſuperari nemo ignoret; ita etiam dicendum videatur, quod Papa ſupra totam Eccleſiam, quando ea convocetur in generale Concilium, haudquaquam emineat. Verum diſparem heic & illic rationem eſſe regerit: Papam namque non ab Eccleſia, uti quidem Generalem a ſua Societate, ſed immediate a Chriſto poteſtatem omnem accipere, & eos, qui novum Papam eligant, deſignare ſolum perſonam illam, cui poteſtas immediate a Deo communicetur, vi primævæ inſtitutionis a Chriſto in perſona Petri factæ; unde ſua ſponte fluat, quod Eccleſia poteſtatem quoque Pontificis limitare nulla ratione poſſit. Mox ad alia ſcopo libri inſervitura progreditur, & e ſingulis a nato Chriſto ſeculis ad præſens usque viros aliquot & fœminas miraculis illuſtres introducit. Certum autem putat atque exploratum, gloriam miraculorum in profeſſoribus veræ duntaxat fidei reperiri; quandoquidem Deus miracula nonniſi vel ad confirmandam doctrinæ veritatem, vel ad Sanctorum vitam illuſtrandam edi permittat; neutri autem horum promovendo aptos eſſe falſæ religionis profeſſores: unde inſuper, quod Deus nunquam tribuerit hæreſiarchis falſisve prophetis & ſectatoribus religionum heterodoxarum poteſtatem faciendi vera miracula, exemplis Paganorum, Judæorum, item a vera fide deſciſcentium, Simonis Magi, aliorumque probat. E contra ipſo illo tempore, quo Lutherus Romanam deſeruerit Eccleſiam, viros in tradendis doctrinis ab ipſius placitis quam maxime diverſis occupatiſſimos miraculis inſignibus cla-

claruiſſe refert, & ex iſtorum numero Franciſcum imprimis de Paula & Ignatium Lojolam celebrat, nec Sanctos alios omittit, qui poſtea quoque in Eccleſia Romana conſpicui prærogativa hac, qua vivi, qua defuncti fuerint. Tacemus miracula Xaverii, quæ longo ordine heic enumerantur, & Luthero Calvinoque ſimilia quidem interdum auſis, ſed ſpe ſua ubique fruſtratis opponuntur. Multus interea eſt in neceſſitate miraculorum ad probandam miſſionem a Deo ortam adſtruenda; ſicuti & Calvino latius reſpondere annititur, quando is ea, quæ hoc in negotio Papæi vulgo jactent, aut ficta aut imaginaria eſſe docuerit. Per illa quoque idololatriam confirmari dixerat Calvinus, dum imaginibus & ſtatuis eorum, qui miracula patraſſe credantur, cultus exhiberi ſoleat in divinum palam injurius. Aſt heic venerationem imaginum Auctor incidenter vindicat, non aliis tamen argumentis uſus, quam quæ paſſim apud Doctores Pontificios reperias. Hac diſceptatione abſoluta, in tradendo Lutheri & Calvini charactere occupatus eſt, & utrique ſane mores perditiſſimos fœdiſſimosque imputat; præcipue autem Calvinum Sodomiæ ſcelere infamem ſiſtit, & idcirco enervare ſtudet ſedulo, quicquid alias aut aſſeclæ Calvini, aut ex ipſis Pontificiis Ludovicus Maimburgius ad innocentiam Viri tuendam contulere. Deum autem flagitioſis adeo hominibus ad Eccleſiæ reformationem uſum fuiſſe, fidem omnem ſuperare autumat. Mox diverſas hæreſes ab Eccleſia priorum ſeculorum proſcriptas damnatasque, ſed per Lutherum & Calvinum revocatas, e Bellarmino Leſſioque recenſet, atque ex eodem Bellarmino craſſiſſimos, ceu ipſe judicat, Lutheranorum errores uberius deſcribit, ac imprimis in fidem ſpecialem juſtificantem cum iſto admodum invehitur. Ultimum autem inter reliqua argumenta locum huic effato aſſignat, quod e notis veræ Eccleſiæ ſoli Romanæ competentibus hujus præ reliquis omnibus veritas abunde diſpaleſcat. Solam nempe eam eſſe ait viſibilem, cum, prout ex antea dictis jam conſtet, ſola habeat evidentia credibilitatis, quam vocat, ſigna. Solam unam, quia in illa ſola detur regula viſibilis & infallibilis ad decidendas fidei morumque controverſias, Romanus nempe Pontifex, cum quo tanquam cum capite omnia Eccleſiæ membra unita eſſe debeant. Sicut autem ex hac unitate veritatem quoque Ec-

cleſiæ

cleſiæ Romanæ ſatis patere ſtatuit, ita ſubortas inter Lutheranos & Calvinianos ſectas, auctorumque iis addictorum mutuas contradictiones, de falſitate Eccleſiæ, quæ inter illos colligatur, clariſſimum præbere teſtimonium ſubjungit. Sed & ſolam ſanctam eſſe Eccleſiam Romanam ita probat, ut Lectori perſuadere conetur, cum nulla ſecta ſit vel paganorum, vel Turcarum, vel hæreticorum, quæ errores quosdam exploratos haud contineat, ſolos Pontificios in ſua Eccleſia nihil falſi tradere quoad doctrinam fidei, nihilque injuſti quoad mores admittere. Solam eam facit Catholicam, quippe quæ hoc nomine a ſuis hinc primordiis ſemper inſignita fuerit, quæque & reipſa univerſalis ſit latiſſimeque pateat, & ad omnia ſe extendat. Solam denique dicendam cupit Apoſtolicam, cum præter eam Apoſtoli haud aliam fundarint, ac nulla inſuper in fide ab Apoſtolis tradita æqualem cum iſta conſtantiam approbaverit. De cetero, ut norit Miſſionarius Catholicus, quomodo ſingula hæc in ſuum uſum debeat convertere, hoc ipſi conſilium Auctor noſter ſuppeditat. Nimirum in diſputatione cum adverſariis prætermitti ſuadet controverſias particulares, quas potius reduci cupit ad unam generalem, quæ omnes complectatur, ad controverſiam puta de Eccleſia, de qua oſtendendum ſit, non ſolum, quod reapſe exiſtat, ſed & quod ab omni errorum periculo libera ſit. Admiſſis enim his duobus principiis, pronum fore evincere, vera eſſe omnia dogmata, quæ credenda proponat Eccleſia Romana, quam ſolam Chriſti Eccleſiam eſſe, argumentis hactenus per totum librum deductis probare Miſſionarius teneatur. Denique ne forſan Papæis quis objiciat, committere eos circulum, dum autoritatem Eccleſiæ probent per Scripturas, & harum tamen auctoritatem rurſus per Eccleſiam confirment, ideo vitioſam illam demonſtrandi rationem ſic evitare docet, ut quasdam ante omnia propoſitiones fundamenti loco præſupponat. Prima inter eas hæc eſt: evidens eſſe, quod detur vera aliqua religio in mundo, quodque ea facile poſſit inveniri ab omni homine rite de eadem ſolicito. Secunda: veræ religionis doctrinam non poſſe humano diſcurſu acquiri, ſed divinitus eſſe traditam. Tertia: veram religionem nec quæri debere, nec inveniri poſſe per examen rerum & dogmatum, quæ tradit. Quarta: ſed potius quærendam eam & inveniendam per examen fun-

fundamentorum & rationum, quæ evincant, Deum eſſe autorem illius religionis. Quinta: manifeſtum eſſe debere ex rebus etiam in mundo moraliter evidentibus, quænam ex omnibus religionibus & ſectis ſit vera & a Deo data religio. Jam ſi Philoſophus Gentilis vel Mohametanus e Chriſtiano quærat: cur credat, DEUM eſſe unum & trinum, DEUM factum eſſe hominem? reſpondendum eſſe ait a Catholico: quia Deus ſumme ſapiens ac verax, qui nec fallere nec falli poteſt, has veritates mundo revelavit. Si ulterius quærat: cur credat, Deum has veritates mundo revelaſſe? reſpondendum, negando ſuppoſitum, dicendumque, ſe non credere ſeu fide ſolum obſcura cognoſcere, Deum has veritates revelaſſe, ſed ſe hoc ſcire & per argumenta indubitata intelligere. Si pergat ille: unde ſciat, Deum has veritates revelaſſe? regerendum: quia evidens ſit, Deum aliquam religionem veram in mundo habere, in qua & per quam homines ſalvari poſſint; evidens dein, hanc non poſſe eſſe aliam, quam religionem Chriſtianam Catholicam Romanam, quia ſola hæc ſit a Deo illuſtrata idoneis veritatis notis; evidens tandem, Deum non potuiſſe religionem falſam tot ac tantis veritatis ſignis exornare. Atque heic argumenta per integrum Tractatum hactenus adducta in ſubſidium vult adhiberi, quo tanto ſic felicius demonſtratio omnis procedat. Paulo viciſſim aliter rem gerendam ait cum hæretico, qui credens in Chriſtum neget integritatem Novi Teſtamenti. Huic enim alterum interroganti: cur credat purgatorium & ſeptem Sacramenta? Reſpondendum: quia Deus hoc revelavit. Sciſcitanti: unde hoc cognoſcatur? dicendum quia Eccleſia hoc credendum propoſuerit. Roganti porro: unde conſtet, Eccleſiam in hoc proponendo non erraſſe? reſpondendum: exin, quod Eccleſia ſit infallibilis ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti ei a Chriſto promiſſam, quæ innoteſcat ex Evangelio ſeu Scriptura hoc teſtificante. Inquirentem vero: unde certum ſit, Scripturam hanc a Deo eſſe dictatam? ablegari poſſe ad Eccleſiam catholicam in Conciliis generalibus congregatam, quæ catalogum librorum divinorum contexuerit, & inter eos numeret Evangelia, in quibus promiſſa illa Spiritus S. aſſiſtentiæ contineatur. Si vero alter amplius ſolicitus ſit, undenam conſtet, Eccleſiam Catholicam præſcribentem Catalogum librorum divino-

divinorum in eo deſignando non erraſſe? haud recurrendum putat ad autoritatem inviſibilem Spiritus S. ſed ad viſibilem & manifeſtam Eccleſiæ autoritatem, urgendasque illas notas; utpote cum ea tot prærogativis ornata, tot martyribus, tot confeſſoribus, tot virginibus & tot doctoribus decorata ſit, unde manifeſto cognoſcatur, eam eſſe Eccleſiam illam, in qua habitet Spiritus Dei, Spiritus veritatis, & credibile non eſſe, quod Deus occultarit huic Eccleſiæ, quinam ſint illi libri, quos ipſe dictaverit. Hanc concludendi rationem pluribus illuſtrat & confirmat Auctor. Nos tamen, ut profesſi ſub initium jam fuimus, quid de ea ſentiendum ſit, inſtituti noſtri probe memores dijudicandum aliis relinquimus.

*NODUS PRÆDESTINATIONIS EX SACRIS LITERIS, DOctrinaque S. S. Auguſtini & Thomæ, quantum homini licet, diſſolutus, Auctore COELESTINO S. R. E. Presbytero Cardinali SFONDRATO.*

Romæ, typis Jo. Jacobi Komarek, 1696. in 4.
Alphab. 1. plag. 14.

MAximam eſſe COELESTINI SFONDRATI Cardinalis in Eccleſia Romana exiſtimationem, vel ex eo haud obſcure colligas, quod, qui publico nomine præſens illius ſcriptum approbavit, Fr. Joannes Damaſcenus, in eum optime quadrare dicit illud elogium, quo D. olim Bonaventura decoratus fuerit: *non videri* nempe, *quod in iſto homine Adam peccaverit*. Nos eruditionem Viri ſuſpexiſſe non diſſimulavimus, quando in Actis hisce *Regale* ejus *Sacerdotium* A. 1685. pag. 376, *Legationem Marchionis Lavardini Romam*, *ejusque cum Romano Pontifice Innocentio XI Diſſidium* A. 1689. pag. 278, *Galliam vindicatam* Supplementorum Tomo I. pag. 118, & novisſime A. 1696. pag. 283, *Innocentiam vindicatam* recenſuimus. Equidem tractatus plures alios editioni ipſum parare occœpiſſe, interque hos librum de *Opinione probabili*, duas de *Baptiſmo infantum* diſſertationes, apertiſſimam de *Atheiſmo* hiſtoriam, apologiam *contra Heideggeri Meretricem apocalypticam*, tandemque commentaria *in Jus Canonicum*, e dicti modo Damaſceni præfatione cognovimus; ſed cuncta hæc, una cum cæteris Eminentisſimi Autoris ſuperiori anno vi-

tá functi manuſcriptis, juſſu Innocentii XII, Papæ hodierni, ad Emin. Cardinalem Albanum, Apoſtolicorum, ut vocant, Brevium Secretarium, delatis adhucdum latent. Interim poſt ejus fata primus in lucem prodit hic tractatus, in quo Prædeſtinationis, quem vocat, Nodum diſſolvere multo ſtudio allaboravit.

Obſervaſſe etenim ſe dicit, in hoc prædeſtinationis negotio à compluribus nimis parum divinæ bonitati tribui, & culpam pereuntium non tam reis imponi, quam in ipſum Judicem derivari, quaſi partibus addictum, & aliquibus tantum, non omnibus propitium, nimisque ardua præſcribentem, quæ paucis & Heroibus tantum ſuperare animus ſit. Statuiſſe igitur ſe juſtisſimi pariter & clementiſſimi Judicis cauſam ſuſcipere, omnibusque compertum reddere, nullam poſſe contra hunc querelam moveri, ac nihil peractum reperiri in prædeſtinatione, cui non amor præſederit; unde damnatorum caſus non prædeſtinationi divinæ, ſed humanæ voluntati tribuendi ſint. Ad quatuor autem imprimis capita tractationem omnem revocavit, ac ante omnia oſtendit, *Deum ſerio, impenſisſime, & quantum in ſe, efficaciter omnium hominum ſalutem velle.* Deinceps, *eum hominibus non quascunque, ſed abundantisſimas, copioſisſimas, & ex natura ſua efficaces gratias, quibus ad æternam felicitatem pervenire poſſint, tribuere* probavit. Ulterius edocuit, *quam facilia Deus media præſcripſerit, quibus vel perditisſimi quique ac deploratisſimi peccatores gratias ſpeciales, ſicque perſeverantiam finalem, impetrare, ſi voluerint, omnino valeant.* Tandem vero contendit, *ſufficere hæc ad divinam & infinitam bonitatem omni ſuſpicione liberandam, cum reliqua in cauſa prædeſtinationis explorari nec poſſint, nec debeant.* Singula autem hæc qua ratione proſequatur, paulo nunc curatius oſtendere, ſed inſtituti tamen noſtri tenaces, conabimur.

Dum igitur *a Dei voluntate omnes ſalvandi* ſuæ diſſertationis telam inchoat, prolixus eſt ſub ipſum frontispicium in explicanda *voluntatis divinæ* in *antecedentem* & *conſequentem* diſtinctione, ac *iſtam* quidem abſolutam dicit, efficacemque ac independentem ab omni hominum merito, qua Deus naturaliter meroque bonitatis ſuæ inſtinctu, ac motu quaſi proprio, omnium hominum ſalutem æternamque felicitatem velit; unde eos crearit, redemerit, atque

atque accommodatisſimis ad huncce finem mediis accinxerit; *hanc* vero conditionatam dicit, qua ſupremum Numen decreverit, neminem admiſſum iri ad hanc beatitatem, niſi qui eam anhelarit ac mereri (ita enim ex Eccleſiæ ſuæ hypotheſi Auctor loquitur) ſtuduerit, quaque jam ſpoliare eadem conſtituerit illos omnes, quos operari & mereri nolle præviderit. Ne tamen aliquis miretur, cur voluntatem antecedentem vocarit efficacem, cum ſane in plurimis effectum nullum conſequatur, monet eam recte dici cauſam efficacem, quæ omnem & neceſſariam virtutem ad ponendum effectum habeat; ceſſationem autem & ſuspenſionem effectus non ex virtutis in cauſa defectu, ſed aliunde provenire. Simili ratione voluntatem de ſe efficacem illam dici, qua quis rem aliquam tam ſerio impenſeque intendat, ut illi conſequendæ validisſima media omnesque officii ſui partes adhibeat; effectum vero haud inſequentem non voluntati, non ignaviæ cupientis, ſed caſui alterive impedimento imputandum venire. Quamobrem Deum hac voluntate omnes velle ſalvos fieri, e ſacris primum literis probatum dat, eaque fini loca 1. Tim. II, 1. 4. Ezech. XXXIII, 11. Matth. XIIX, 14. ad ſuum inſtitutum flectit, cumque illis ſociat dictum Sap. VI, 8. *puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualis eſt illi cura de omnibus*; ad eas quoque Scripturæ ſententias provocat, in quibus Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus diſertis verbis docetur. Eccleſiæ porro ſanctorumque Patrum, Prosperi Regienſis, Leonis, Ambroſii, Auguſtini, & aliorum aſſenſum urget. Mox ad rationes aſſertum ſuum ſtabilientes properat, quas inter *primam* depromit ab infinita Dei bonitate, qua is ex ſe omnibus bene cupiat, omnesque amet, & conſequenter nullum perire velit; unde refutandi quam maxime ſint Stoici, qui Deum, cum nullius creaturæ indigeat, ſibique ſufficiat, nulli quoque diligendæ obſtringi exiſtiment, cum ſane vel eam ob cauſam creaturas Deus amet, quod earum haud indigeat; quodſi enim amaret, quia indigeret, non amorem ſed quæſtus deſiderium in Deo futurum excipit. Obſervandi contra apud eum amoris erga homines hæc fundamenta facit: primum, quod ipſe utique perfecte bonus ſit; bonitatis autem hæc ſit vera proprietas, ut ſe aliis etiam, utcunque capaces ſint, communicet: deinceps, quod homo ſit opus & creatura Dei; unde non poſſit non amare Deus

 id,

id, quod creaverit: denique, quod ſanguine Filii ſui eos redimi tam care fecerit. *Secundam* aſſerti principalis rationem ex eo petit, quod abſoluta hominum quorundam a felicitate excluſio ad nullum divinorum attributorum reduci queat: non enim quadrare eam ad amorem, quandoquidem amantis ſit velle alteri bonum, non nolle; nec ad miſericordiam, cujus non ſit veniam negare, ſed concedere; nec ad potentiam, quæ ſtruat opus, non deſtruat; nec ad juſtitiam, quæ ſupponat culpam, cauſamque prius in delicto, quam in voluntate ac vindicta habeat. *Tertiam* rationem hanc facit, quod amentis ſit aliosque ludere volentis, media quampluri-ma atque opportuniſſima ad conſequendum finem adhibere, nec finem tamen ipſum velle. *Quartam*, quod alias ea omnia, quæ ſolius Dei ſint, ordinatiſſime nulloque errore ad fines ſuos dirigantur. *Quintam*, quod hoc pacto præcipua totius vitæ Chriſtianæ fundamenta, ſpes videlicet & amor, corruant. Potiſſimam enim amandi ſperandique rationem eſſe, quod Deus nos prior dilexerit, Filiumque ſuum pro nobis tradiderit. Ea vero de re ſi non unusquisque poſſit eſſe certiſſimus, non poſſe quoque unumquemvis Redemtorem amare, inque ejus merita fiduciam ſuam reponere. *Sextum* locum occupant teſtimonia S. Auguſtini & D. Thomæ, in quibus recenſendis atque explicandis ſat prolixus eſt; hos enim Auctores, quoties agatur de prædeſtinatione, paginam utramque dicit facere; unde & impoſterum ſe cauſam ſuam auctoritate imprimis illorum armaturum innuit. Præmiſſis his, ſophisma Calvinianorum adducit Auctor, qui paſſim ita colligant: *ſi ſum prædeſtinatus, quicquid mali egero, certiſſime ſalvabor; ſin minus, quicquid boni egero, certiſſime damnabor. Quid ergo ſupereſt, niſi ut agam, quod lubet, &, quamdiu licet, voluptatibus fruar? cum data ſemel fixaque prædeſtinationis ſententia, nihil mihi ad vitam æternam aut nocere peccata aut prodeſſe virtutes poſſint.* Aſt vero hanc argumentationem totius generis humani conſenſu, ipſorumque Calvinianorum exemplo & uſu, falſitatis convinci ait. Nihil enim in hoc mundo geri præſupponit, quod immutabili Dei præſcientiæ ac voluntati haud ſubjaceat; neminem diutius vivere, quam Deus velit, neminem metere, neminem divitem evadere, neminem in bello hoſtem vincere, neminem ad portum appellere, niſi quantum & quando Deus ab

æterno diſpoſuerit. Negat vero quenquam eſſe adeo abſurdum, ut aut ægrotans medicamina deſpiciat, aut navim ad transfretandum haud conducat, aut ſemen ad meſſem faciendam ſpargere, omnemve operam ad comparandas divitias vel obtinendam victoriam adhibere omittat, eo, quod ſibi perſuadeat, omnia fato agitari, ac divina voluntate nutuque immutabili evenire. Erroris vero hujus cauſam non minimam hanc eſſe, quod homines ſibi perſuadeant, non eſſe amplius in eorum poteſtate, ut inter electos numerentur; quæ tamen perſuaſio plane ſit falſiſſima. Sicut enim per gratiam Dei, utpote quæ nemini volenti negetur, in eorum poteſtate ſit, ut bene vivant ac in bono perſeverent; ita quoque in eorum poteſtate eſſe dicit, ut ad electos pertineant, cum impoſſibile ſit, bene viventem & in bono perſeverantem non eſſe ex electis. Integram vero prædeſtinationis ſeriem ſic recenſet: Deum, qui omnes homines amet, voluiſſe etiam omnes ſalvari ac nullum perire, atque ut hanc omnes ſalvandi voluntatem ſuavius exequeretur, ſtatuiſſe omnium hominum ſortem ex merito demeritoque hominis primi dependere. Ne vero is peccaret, tot illum præſidiis, tot dotibus corporis animique Deum inſtruxiſſe perhibet, ut videretur vinci non poſſe. Sed Adamo nihiloſecius peccante, totam quoque poſteritatem omni jure ad cœleſte regnum excidiſſe. Veruntamen ne hominis delicto Dei conſilium omnisque voluntas effectu careret, decreviſſe Deum unigenitum Filium ſuum mittere humana carne indutum, cujus merito & originale & alia omnia peccata iis remitterentur, qui mediis ab eo præſcriptis uti vellent. Ut autem vellent, ſingulis ob meritum Salvatoris gratias validiſſimas ab æterno paratas, quibus humana voluntas ad malum prona in bonum flecteretur. Quodſi ergo oblatis ad ſalutem mediis uti aliqui nolint, ac peccatis usque ad mortem inſiſtant, recuſentque oblatam ſæpius veniam, eos damnare Deum juſtiſſime ſtatuiſſe. De cætero, parvulos ſine baptiſmo decedentes cœleſti quidem regno, paternæ quippe culpæ reos, nec expiatos, privari putat, ſed non excludi naturalibus bonis; præterea Deum ipſos præſervaſſe a peccato æternoque ſupplicio, quo, ſi adoleviſſent, puniendi fuiſſent. Magnam autem hanc gratiæ & amoris portionem vocat; cum ſola præſervatio a peccatis pluris valeat, majorisque pretii ſit, quam regnum ipſum cœleſte,

 quo,

quo, ſi ipſis optio daretur, carere mallent, quam peccato involvi. Nihil itaque prædeſtinationem eſſe monet aliud, quam *antecedentem & efficacem Dei voluntatem hominem ad vitam æternam promovendi, dandique efficaciſſima ad hunc finem media, quibus cum videat aliquos bene uſuros, iſtos conſequente etiam ac executrice voluntate ſalvare propoſuerit*, & hos ſolum ac proprie prædeſtinatos appellari contendit. Atque iſthæc nunc adverſus varias objectiones tuetur. Ex eo nempe, quod Chriſtus ipſe Joh. XVII, 9. hunc ad Patrem ſuum ſermonem dirigat: *ego pro eis rogo, non pro mundo rogo;* inferre ait quosdam, ſi pro ſolis prædeſtinatis Chriſtus oraverit, pro hiſce quoque ſolis eum eſſe mortuum; cum certe multo minus ſit orare, quam mori. Sed reſpondet Auctor, Chriſtum mundo valedicentem pro tribus perſonarum generibus ſuas ad Patrem preces fudiſſe; pro *ſolis* puta *Apoſtolis* a verſu primo ad vigeſimum, deinceps pro *omnibus fidelibus* verſu vigeſimo, tandemque & vigeſimo primo verſu pro *toto mundo.* Unde, licet Chriſtus a ſpecialibus iſtis precibus ad ſolos Apoſtolos pertinentibus mundum excluſerit, non excluſiſſe tamen eum a reliqua oratione ſua colligit. Aliis, qui quod Chriſti ſanguis pro *multis* effuſus dicatur, objiciunt, ita ſatisfacit, ut nullos verius vocari multos regerat, quam omnes. Novit Auctor, haud deeſſe, qui ex eo, quod Deus omnes velit ſalvos fieri, abſurdum hoc eliciunt, nullum ſane periturum, ſed omnes futuros eſſe ſalvos, cum divinæ & efficaci voluntati nemo valeat reſiſtere. Hos ergo ut convincat, reſpondet, Deum neminem ſalvare velle niſi eum, qui ſalutem ipſe cupiat. Inſtantes: cur Deus non det omnibus illa media, quibus fore prævideat, ut æternam vitam adipiſcantur? ad arcana primum illius judicia remittit, poſt penes ipſos pereuntes culpam reſidere docet; non enim in hac diſpari gratiarum diſpenſatione quærendum eſſe, cur Deus alicui gratiam hanc, non illam, tribuat? ſed potius, cur quis ea, quam accepit, gratia uti detrectet? Quæ ex Paulina ad Romanos epiſtola, ejusque nono ac undecimo capite, in contrarium afferri ſolent de *Jacobo dilecto*, *Eſavo autem rejecto*, non de electione aut reprobatione, ſed tantum de felicitate temporali intelligenda eſſe probat. Sicuti & illa verba: *miſerebor, cui miſereor; non ergo eſt volentis & currentis, ſed miſerentis Dei; quem vult, indurat,*
aliaque

aliaque citatis in locis obvia latius exponit. Phraſes imprimis iſtas, ubi Deus *obdurare* & *excæcare* dicitur, non ita capi debere cenſet, quod revera Deus id faciat & velit, aut quod ejus beneficia & influxus eo ſpectent, ſed quod ex Dei longanimitate & clementia, humano more loquendo, non alius ſequatur effectus, quam major cæcitas ac obduratio. Illud, quod de Pharaone dicitur: *quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam*, ſic interpretatur: excitavi te, hoc eſt, *ſuſtinui & conſervavi te.* Id vero pertinere ait ad divitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis Dei, qui ad pœnitentiam ipſum adducere voluerit. Illo autem recuſante, ſucceſſiſſe voluntatem conſequentem, qua Deus malitia Pharaonis ad gloriam potentiamque & juſtitiam ſuam eo magis oſtendendam, & ad populum ſuum in vera fide ac religione conſervandum uti voluerit. Ulterius ſi objiciatur, quod Deus electorum curam habeat majorem, quam eorum, qui electi non ſint; ad arcana hoc Dei judicia refert, ſuæ autem ſententiæ non obſtare putat, cum ſane hos non minus atque illos ſalvos fieri ex ſe voluerit. Si quis opponat: cum multi hominum pereant, multi vero ſalventur, diſcrimen inter reprobos & electos quærendum aut a parte Dei, aut a parte hominum; ſed non apparere a parte Dei, qui omnes æqualiter ſalvos voluerit; ergo id ſitum eſſe apud homines; aſt vero hoc qui aſſerat, eum contradicere Apoſtolo, quærenti: *quis te diſcernit?* 1. Cor. IV, 7: reſpondet Auctor, duplicem ſtatui poſſe diſcretionem, aliam, quæ fiat viribus naturæ, aliam, quæ viribus gratiæ; primam igitur, non ſecundam ab Apoſtolo damnari. Tandem cum iis agit, qui quærunt: cur Deus, ſi velit omnes ſalvos fieri, nihiloſecius tot parvulos, tam infidelium quam fidelium parentum, ſine culpa perire patiatur? atque his reſpondet: aliud eſſe *perire*, aliud *beatum non eſſe*. Parvulos, qui ſine baptiſmo decedant, beatos quidem non eſſe, nec tamen perire. Inſuper licet culpa propria careant, aliena tamen & paterna eos haud carere monet. Et quamvis paterna culpa damnari neminem poſſe fateatur, bene tamen privari poſſe ſubjicit iis bonis, quæ liberaliter a Principe accepturus fuerat, patre innoxio, nec in Principem delinquente. Sufficere interim, quod Deus infantes fato præmaturo abreptos de innocentia ſua perſonali ſecuros reddiderit, eosque plurimis peccatis qua venialibus qua mortalibus ſubduxerit; id quod inter maxima beneficia numerandum

dum Auctor jam ſuperius aſſeruerat. Hæ potiſſimæ ſunt ex iis, quas ſolvit, objectionibus. Equidem & alicubi diſputat cum his, qui affirmant, quod hæc fuerit ipſa ſententia Maſſilienſium & Semipelagianorum, Deum velle omnes ſalvos fieri ſimiliter ſtatuentium; alibi loca quædam Auguſtini excutit, in quibus aſſerere videatur, iſtam theſin non ita intelligendam, quaſi Deus omnes omnino homines, quantum ex ſe, ſalvari velit, ſed quod nullum ſit genus hominum, nulla conditio, in qua non plurimi ſint, qui ſalutem conſequantur. Enimvero hæc talia prolixius recenſere conſultum non æſtimamus, ne juſtum poſtea dicendis ſpatium præripiatur.

Accedimus proinde ad aſſertum, quod ſecundum eſt ex principalioribus in hoc libro obviis, cujusve ſumma eo tendit: *dari omnibus hominibus ad æternam vitam conſequendam non neceſſarias tantum & qualescunque, ſed copioſiſſimas abundantesque gratias, quibus illam, ſi velint, commode obtinere poſſint.* Sicut autem hoc ex primo ſponte ſequi Auctor obſervat, ita denuo inculcat, poſſe cauſam aliquam jure ſuo dici efficacem, quamvis non ſequatur effectus, ſi nimirum hujus ceſſatio & ſuſpenſio non ex defectu virtutis in cauſa, ſed aliunde proveniat. Datam vero omnibus abundantem gratiam, e dictis primum Scripturæ 1. Tim VI, 17. Tit. III, 6. Eph. II, 4. aliisque probat, dumque hoc agit, in eum ſimul ſenſum inquirit, juxta quem *jugum ſuum* Chriſtus *ſuave onusque ſuum leve* nuncuparit. Mandata nimirum Evangelica jugum quidem dici notat ideo, quod, ſi eadem ſecundum ſuam naturam viresque hominis morbidas conſideres, oneroſa ſint, ſed levia tamen & ſuavia viciſſim nuncupari, ſi gratiam ſpectes, quæ omnibus ad fidem invitatis a Deo offeratur; non, ac ſi gratia onus difficultatum legis Evangelicæ penitus tolleret, ſed quod vires difficultates iſtas vincendi largiatur. Id quod illuſtrat ſimili: rotam nempe pondus rhedæ non tollere aut minuere, ſed iſtud potius augere ait; ſed tamen novo hoc onere hanc tanto agi velocius addit: cum e contra, ſi quis rotam currui adimat, pondus quidem minuatur, ſed & currus ſimul immobilis efficiatur. Neque ſolis electis divinam hanc concedi gratiam, verum & reprobis æqualia, ſæpe etiam majora auxilia conferri adſtruit e celebri illo Chriſti Judæis obſtinatam malitiam exprobrantis effato, Matth. XI, 20. ſeq. quo in loco ſermo-

ſermonem eſſe nequaquam de pari ſolum gratia externa, ſed & de pari interna, adverſus Janſenium late contendit, moxque doctrinam de auxiliis æqualibus, quibus alii cooperentur & alii minus, ex Auguſtino pariter & Thoma uberius ſtabilitam dat. Quin & effuſiſſimam Dei in homines bonitatem exinde arguit, quod in bruta quoque animantia, imo in omnes ſenſu etiam carentes creaturas, benigniſſimum Numen ſingula ad vitam neceſſaria ſingulaque commoda, pro natura uniuscujusvis copioſe conferat; quod corpori vitæque temporali degendæ tam large affluenterque provideat; quodque præ cæteris in hominum ſtructura non peritiſſimi modo conditoris & artificis, ſed amantiſſimi quoque patris officium manifeſte ſuſtinuerit: e quibus de reperiundo apud ipſum erga animas hominum affectu longe potiori, promptiſſimum fieri poſſe judicium nullus dubitat. Sed nihil beneficentiſſimum hunc Divini Numinis in humanum genus amorem æque ac admirandum illud redemptionis opus declarare monet; eidem tamen confeſtim aſſociat illa, quibus Eccleſia abundet, adminicula, Chriſtianis modo ſanctificandis, modo expiandis, modo in accepta gratia conſervandis, & ſic ad vitam æternam promovendis ſervientia: quæ omnia, licet in Chriſtianis maxime appareant, & in cæteris tamen mortalium, quamvis infidelibus & barbaris, ſuo modo pariter obviam haberi, e teſtimoniis Pauli, Rom. I, 19. ſeq. & quorundam Patrum, Auguſtini puta, Proſperi, Hieronymi, Damaſceni, Tertulliani, quin & gentili Tullio, notitiam Dei omnibus omnino hominibus innatam eſſe probantibus, confirmat. Imo & Pauli Oroſii, Fulgentii, Anſelmi, ac Thomæ Aquinatis ſuffragia, quibus multo plura a Deo profecta adminicula hominibus etiam exteris adjudicantur, in medium adducit. Minime autem obſtare ſibi admittit nominatum modo Thomam alioſque Theologos, qui quosdam infidelitate pure negativa, hoc eſt invincibili & inculpabili, laborantes dari, atque adeo non omnibus eam gratiam, quæ huic vincendæ idonea ſit, concedi doceant. Certos namque fidei articulos, quales ſint de Euchariſtia, de neceſſitate Baptiſmi, &c. ignorari invincibiliter poſſe largitur; ſed omnes, ac præſertim illum de exiſtentia cultuque alicujus Dei, prorſus ignorari negat. Nullum quoque mortalium eſſe perhibet, qui, dum vixerit, tam perditus vitiisque tam aſſuetus inveniatur, ut ei Deus

gratiam reſipiſcendi abſtinendique a peccatis haud concedat; unde nec ullum vel phyſica vel morali neceſſitate ad peccandum urgeri, amplius infert. Multos quidem, Scripturæ ſtylo, iniquitatem ſicut aquam bibere, multos lætari cum male fecerint, & exultare in rebus peſſimis, quos nulla gratia juvari & a peccandi voluntate coerceri quiſpiam fortaſſis diceret; attamen his ipſis etiam per menſuras temporum, perque intervalla locorum, quam plurima gratiæ auxilia dari monet, quibus & majorem completamque gratiam, & ipſam quoque vitam æternam poſſint conſequi. Auguſtinum paſſim inficiantem, *quod gratia omnibus concedatur*, plerumque loqui obſervat de ſpecialiſſima illa & effectrice gratia, quæ a multis & ob creaturæ impedimentum ponentis indignitatem, & ob arcanam Dei voluntatem omnino abſit. Parvulis ante Baptiſmum morte præventis etſi non gratiam ſufficientem, qua vitam conſequantur æternam, beneficium tamen longe præſtantius, ipſamque gratiam ſufficientem partibus infinitis antecellens exhiberi, e rationibus binis jam tum vicibus a nobis inſinuatis oſtendit. Quando Auguſtinus Pelagianis aſſerentibus, ideo non omnes ſalvos eſſe, quia non omnes velint, contradicat, iſtud Auctor eo reſpectu fieri putat, quod Pelagiani hominem viribus naturæ propriæque voluntatis petere, pulſare, quærere, velle, & ſic a Deo gratiam & gloriam obtinere poſſe crediderint. Falſum eſſe, quod nonnulli gratiam omnibus quidem præparari, ſed non reapſe exhiberi contendant, ex iis ipſis Patribus, quos in ſuas partes trahere nitantur adverſarii, edocet. Paulum quidem Rom. X, 14. aſſerere agnoſcit, *ſalvari neminem poſſe, niſi qui credat, neminem credere, niſi qui Evangelium audiat*; ſed eum loqui reſpondet de fide explicita in Chriſtum, quæ ordinario modo niſi per prædicationem Evangelii haberi nequeat; ſed nihiloſecius ſine ea quamplurimos ante Chriſti adventum per ſolam gratiam, qua legem naturæ obſervarint, ſalutem fuiſſe conſecutos, ex adverſo autumat: unde quamvis nationes aliquæ reperiantur, quibus Evangelium annunciatum diu non fuerit, neque adhucdum ſit, illas tamen gratia ad ſalvandum requiſita caruiſſe neutiquam, profitetur. Sunt, qui ex Eſ. V, 5. & Jer. LI, 9. obſtinatiſſimis peccatoribus *cuſtodiam ſubduci Angelicam* affirment; ſed ne hoc quidem admittit Auctor, nullumque peccatorem tam magnum

eſſe

eſſe reputat, qui, dum vivat, ab Angelo ſuo cuſtode deſeratur. Nullum præterea peccatum aut grave adeo, aut tam diuturnum ſibi imaginari poteſt, cui, exemplo Manaſſis ductus, veniam nolit polliceri. Gennadii regulam: *nemini gratiam dari, niſi petenti*, ut certiſſimam celebrat. Si quis tamen velit ſubſumere: multos eſſe, qui orationem ex fide profectam conſtantiaque & fiducia munitam ad Deum non ablegent; reſpondet, aliud eſſe peccatores non rite orare, aliud non habere gratiam & facultatem, qua orare poſſint, eaque auxilia impetrare, quæ iis neceſſaria ſint ad legem divinam adimplendam: poſtremum negari, aſt prius concedi. Aliud enim eſſe gratia carere, aliud ea uti nolle; ſicut aliud ſit, carere medico, a quo ſaneris, aliud ſanare volentem nolle admittere.

*Obſtinatiſſimis etiam peccatoribus gratiam Dei nequaquam defuiſſe*, in capite tertio aſſerit, idque longa narratione exemplisque plurimis ab antiquiſſimis inde temporibus petitis, & usque ad Apoſtatæ Juliani ævum deductis oſtendit. A data enim Caino fratricidæ gratia exorſus, homines mox ante diluvium flagitiis nefandis infames, idololatras dein Noachi adhuc tempore poſt diluvium celebres, nec minus alios ſeculis abhinc propioribus crimini huic deditos, Monarchiæ item uniuscujusvis Principes æque ac ſubditos a vera Dei cognitione & pietate alienos, Romanorum etiam Imperatorum plurimos eosque præ cæteris ſceleratiſſimos, quin & inter Judæos Herodem, quem alii Idumæum, alii Aſcalonitam faciant, omnes autem inter peſſimos mortalium numerent, aliosque hujus furfuris introducit, & conceſſum ſingulis a Deo benigniſſimo inſignem gratiam, ex hiſtoriarum monumentis erudite commemorat.

Ac progredi quidem in his narrationibus ulterius volentem, morbus inſecutæ mortis prodromus detinuit. Sed ante tamen alia nonnulla ad præſens negotium perficiendum facientia in chartam conjecerat, quæ nunc ſequuntur. *Orationem* nempe *peccatoris, cum illa petat, quæ ad vitam æternam conſequendam neceſſaria ſunt, ſemper exaudiri, ſicque in peccatoris poteſtate eſſe, etiam gratiam illam efficaciſſimam & triumphatricem orando impetrare*, uberius probat. Gratiæ vero hujus ipſius energiam in anteceſſum laudat, cumque vel rebus artificialibus, qualis v. g. ſit Muſica, humanus capi

& verti in quamcunque partem queat animus, multo magis victricem Dei gratiam vim ſuam exerturam colligit; præſertim, cum Deus ad mutandam hominis voluntatem nulla qualitate ipſi voluntati inhærente eamque determinante opus habeat, ſed ſolo nutu ſuo totum iſtud perficiat. Huic vero gratiæ impetrandæ non aliud medium magis inſervire, quam orationem, poſt dicta exemplaque Scripturæ magnam precum vim affatim demonſtrantia, hac etiam ratione convictum dat, quod indignum ſit divina infinitaque clementia, creaturam & filium protectionem auxiliumque ejus implorantem repellere. Nec obſtare, quod peccator veniam haud mereri dicendus ſit: præterquam enim quod is jam dignus aliqua ratione videatur, dum cupiat & allaboret contra naturæ ſuæ impetum peccato obſiſtere, quæ voluntas ſine gratia Dei eſſe non poſſit; illud inſuper obſervandum monet, orationis efficaciam & virtutem impetrandi non merito & dignitate poſtulantis niti, ſed Dei miſericordia Chriſtique infinitis meritis. Cæterum Scripturam aſſerentem, Deum contumacium peccatorum preces non audire, imo eas in peccatum verti, reſpicere ad peccatores, qui vel pergant peccare, nullamque voluntatem emendationis habeant, vel qui non pro culpa peccatoque deinceps cavendo Deum rogent, ſed tantum pro temporali pœna evitanda, vel qui non pro ſe ſed pro aliis oratione ſua quidpiam impetrare annitantur.

Hunc diſcurſum regulæ tres aſceticæ circa negotium prædeſtinationis probe tenendæ excipiunt, quarum *prima* de iis cogitandis & faciendis ſolicitum eſſe præcipit, quæ Deus mandarit, quibusque obſervatis nemo unquam perierit; de iis vero, quæ Deus ne ſciri quidem a nobis voluerit, quale ſit myſterium prædeſtinationis, anxios eſſe vetat. *Secunda* in negotio ſalutis ita conatum & induſtriam propriam quemvis adhibere jubet, ac ſi nihil is a gratia expectaret; viciſſim autem in ſolam Dei gratiam ſpem ita collocare, ac ſi nihil induſtria ſua efficere valeret. Ut totam ſpem ſuam in Deum pii reponant, nec minori fiducia vitam æternam abs illo expectent, quam ſi hæc unice a voluntate arbitrioque proprio penderet, regula *tertia*, eaque fuſius ac antecedentes duæ deducta, requirit.

Abſolutis & his, ad caput ultimum, quod ſupra memoravimus,

mus,ſe confert Auctor, & *in negotio prædeſtinationis inſcrutabilia quædam occurrere*, ex dictis quibusdam Scripturæ, v. g. Eccl. VIII, 17. Rom. XI, 33. 34. 1. Cor. XIII, 12. colligit, Patrumque, Tertulliani, Salviani, Auguſtini, Gregorii, Bernardi & Hilarii ſuffragia in ulterius ſubſidium advocat. Non tamen ideo falſitatis ea accuſari poſſe, manifeſto apparere ſtatuit exin, quod multa deprehendantur in rerum etiam natura, quæ, licet vera ſint, occultas tamen & impenetrabiles cauſas habeant; id quod exemplis non unis declarat. Tandem vero, ſi quis pertinaciter exquirere cauſam prædeſtinationis non omiſerit, clariorem magisque invictam dari poſſe negat ea, quæ a divina voluntate deſumatur, adeo, ut quivis in hoc dicterio Salviani acquieſcat: *ſatis mihi ſit pro univerſis rationibus auctor & ordinator Deus.* Ac ſane voluntatem divinam demonſtrationis certiſſimæ in hoc negotio vicem ſuſtinere, multo cum verborum apparatu innuit. Inter alia vero & requiſita demonſtrationis ab Ariſtotele tradita in hanc ipſam convenientiſſime quadrare aſſerit. Si namque omnem demonſtrationem conſtare oporteat ex prioribus, nihil facile notius, quam Deum eſſe juſtum atque ſanctum; ſi ex neceſſariis, nihil adeo neceſſarium, quam in eum, qui ſumme juſtus ſummeque bonus ſit, injuſtum malumque cadere non poſſe; ſi denique demonſtratio ex cauſis concluſionis debeat conſtare, voluntatem divinam omnes cauſas complecti, quæ ſola omnis boni rectique cauſa efficiens, exemplaris, finalis, formalis & ſubjectiva nuncupari mereatur.

## *ELEMENTA PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ, IN USUM PRÆlectionum Publicarum edita a JOH. FRANCISCO BUDDEO, SS. Theol. Lic. & Phil. Mor. ac Civ. P.P.O.*

Halæ Magdeburgicæ apud J. F. Zeidlerum, 1697. in 8. Alph. 2.

PRacticæ, ut vocant, Philoſophiæ partes ita pertractandas ſibi Auctor clariſſimus ſumpſit, ut nec recentiorum negligeret placita, nec veterum decreta faſtidiret aut inſuper haberet. Idque ea ratione executus eſt, ut diſciplinas, quæ ſub hocce nomine continentur, velut per ſummam quandam, indicatis præcipuis rerum momentis, exhiberet.

Primo itaque loco Ethicam ſiſtit, quo quidem nomine illi venit ea Pars I. practicæ philoſophiæ pars, quæ de ſumma hominis felicitate præcipit, viamque ad eam parandam pandit. Hanc ut rite inveſtigaret,

detegeretque, poſtquam hominem, qua corpus, qua mentem paucis conſideravit, morbos mentis, præcipue voluntatis ediſſerit, eorumque fontem, ex quo omnia etiam vitia promanent, amorem ſui ipſius pravum, quem Græci φιλαυτίαν, ſumpta voce in malam partem, appellitant, eſſe contendit: hinc ſanitatem mentis, pærſertim voluntatis conſiderat, eamque in amore Numinis poſitam autumat, qui ipſe etiam ex ejus ſententia ſummam hominis felicitatem abſolvit, ita ut Numen ipſum pro ſummo mortalium bono omnino ſit habendum. Exponit etiam ſigna, ex quibus hominum mores propenſionesque, adeoque & voluntatis morbi cognoſci poſſunt, & tandem remedia, quibus mentis morbi pelli, ſanitasque recuperari, & homo adeo ad veram felicitatem pervenire poſſit, proponit. Sed hæc ipſa remedia, quantumvis a præſtantiſſimis Philoſophorum approbata, non tamen tanta pollere vi fatetur, ut ſanitati hominem reddant; interim hic mortalibus occaſionem ſubminiſtrari, aliam viam, quæ ad felicitatem veram ducat, quærendi, quæ nimirum omnium optime in Divinis literis oſtendatur. Atque hunc eſſe ſolidum & longe præſtantiſſimum moralis philoſophiæ fructum, ut ita ad revelationem nos manuducat, inde concludit.

Pars II. Ab Ethica Jurisprudentiam naturalem ita diſcernit, ut hanc de actionibus ad legem naturæ componendis præcipere dicat; interim cum illa hanc omnino connectendam, quod nemo, niſi qui ex Ethicæ præſcripto ſuos rite emendarit mores, actiones ſuas ad hancce componere normam valeat. Actionum itaque humanarum principiis, & norma, & affectionibus, præſertim illis, quæ ex earum ad legem relatione fluunt, explicatis, de lege naturali ejusque primo principio, & pœna præcipue juris naturalis diſſerit. Et ad principium quidem juris naturalis quod attinet, officia hominis erga alios ex ſocietate rite derivari fatetur; falli autem, qui officia hominis erga Deum aut erga ſeipſum exinde deducere velint. Quibus hunc in modum præmiſſis, ad ipſa officia progreditur, & eorum quidem, quæ homo erga Deum præſtare tenetur, ſummam hoc effato, *Deum cole*, effert. Cultum autem omnem Numinis amore ejus abſolvi putat; hinc enim ceteras cultus Divini partes commode derivari poſſe. Officia hominis erga ſeipſum in hocce principio, *temperanter vive*, contineri cenſet. Quo ipſo ordinatum uſum eorum omnium, quibus homo ad ſui conſervationem indi-

indiget, deſignat. Tandem officia hominis erga alios ex hocce effato, *ſocialiter vive*, ſua ſponte fluere ſibi perſuadet, idque prolixius de officiis erga alios abſolutis pariter ac hypotheticis, ut in ſcholis Philoſophorum vocari ſolent, ſive perfectam ſive imperfectam obligationem habeant, ut & iis, quæ ex certo ſtatu reſultant, ut conjugum, dominorum, & ſervorum, imperantium & ſubjectorum, ex inſtituto præcipiendo ediſſerit. Subjicit etiam nonnulla de decoro, ejusque ab honeſto diſcrimen indicat, & regulas generales, ſpeciales & ſpecialiſſimas affert.

Licet autem fateatur, a jure naturæ non differre jus gentium, ſed ad easdem leges mox ſingulorum hominum, mox integrarum gentium actiones componi poſſe, ut de earum honeſtate pronuncietur: placuit tamen illi Jurisprudentiam gentium ſeorſim tradere, quod in ipſa legum naturalium ad gentium actiones applicatione quædam obſervatu digna occurrant. Primo itaque de officiis gentium, quæ tempore pacis erga ſe invicem præſtare tenentur, diſſerit, eaque in abſoluta & hypothetica diſpeſcit, ad priora etiam quæ circa fœdera & legatos obſervari debent, referens. Sed ab utrisque rurſus diſcernit, quæ obligationem imperfectam habent; qua occaſione de tranſitu mercium & hominum, vectigalibus, & id genus argumentis agit, & de jure ſepulturæ etiam nonnulla ſubnectit. Ad belligerantium autem officia delatus, de cauſis belli, de variis belli ſpeciebus, de iis quæ bellum antecedunt, comitantur & conſequuntur, de illorum qui in bello medii ſunt, & belligerantium erga eos officiis, & denique de pactis bellicis, ut & de pace præcipit. Pars III.

Sequitur hinc quarta practicæ philoſophiæ pars, quam politicam, ſive prudentiam civilem vocat. Docet actiones hominis dupliciter conſiderari poſſe, vel prout ad legem componendæ ſunt, & ita circa eas occupari jurisprudentiam: vel prout ad noſtram ſtatusque noſtri conſervationem dirigendæ ſunt, & ita eas pertinere ad eam diſciplinam, quæ prudentia ſtatus appellitari poſſit. Hujus prudentiæ ſtatus tot poſſe genera conſtitui, quot fere ſtatus ſunt, qui homines circumſtant. Cum vero de ſingulis præcipere rem infiniti laboris putet, de præcipuis tamen, prudentia ſcilicet ſtatus œconomici, & ſtatus civilis, aliquid commentari operæ pre- Pars IV.

tium

tium duxit. Sed œconomici ſtatus prudentiam paucis delibat, de fine, deque hominibus ad tractandam rite rem familiarem aptis, deque mediis nonnulla monendo. Prolixior eſt in delineanda prudentia ſtatus civilis. Hanc ſibi politicam vocari ait, ita tamen, ut has voce non tantum rationem ſtatum civitatis, tum in genere, tum ſpeciatim monarchicæ, ariſtocraticæ, & democraticæ, ſed & ipſorum imperantium, ut & miniſtrorum conſervandi denotet. Hinc porro de fine reipublicæ, hominibusque per quos aut obtineri aut impediri posſit, exponit, & media allaturus, de prudentia ſtatus circa leges, judicia, pœnas, præmia, miniſtros & magiſtratus inferiores, æraria, tributa, vectigalia, commercia, rem monetariam, religionem, fœdera, legatos, bellum, pacem, per plura capita diſſerit. Quibus ita expeditis, in ſpecie prudentiam ſtatum civitatis monarchicæ, ariſtocraticæ & democraticæ, & in ſingulis ſeorſim imperantium, denique & miniſtrorum, ac præſertim aulicorum, conſervandi, ordine eo, quem ipſe ſibi præſcripſit, exhibet.

Pars V. In ultima denique parte exemplo a ſe tradita confirmaturus, quo pacto tum prudentiæ civilis, tum jurisprudentiæ naturalis præcepta ad Imperium Romano-Germanicum applicari posſint, breviter commonſtrat.

## LIBRI NOVI.

*Joannis Munnichs de Re Anatomica Liber. Trajecti ad Rhenum apud Ant. Schouten, 1697. 8.*

*C. Julii Cæſaris quæ extant, cum notis & animadverſionibus Dionyſii Voſſii, ut & qui vocatur Julius Celſus de vita & rebus geſtis C. Julii Cæſaris. Ex Muſæo Jo. Georgii Grævii. Amſtelod. ſumptibus Societatis, 1697. 8.*

*C. Suetonius Tranquillus ex recenſione Jo. Georgii Grævii, cum ejusdem Animadverſionibus & Nummis Cæſarum rarioribus ære deſcriptis. Amſtelod. apud Henr. Wetſtenium, 1697. 12.*

*Juſtification de la Doctrine du Sieur Elie Saurin contre deux libelles de Mr. Jurieu. A Utrecht, chez Antoine Schouten, 1697. 8.*

*Les Delices de la Hollande. Ouvrage nouveau ſur le plan de l'ancien. A Amſterdam chez Henri Wetſtein, 1697. 12.*

---

Prodiit non ita pridem Tomi III. Supplementorum Sectio ſecunda.

* * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*
*Calendis Julii, Anno M DC XCVII.*

BIBLIOTHECÆ HISPANÆ VETERIS TOMUS II, COMPLEctens Scriptores omnes, qui ab anno M usque ad annum M D floruerunt. Auctore *D. NICOLAO ANTONIO*, *HISPALENSI J. C. Ordinis S. Jacobi Equite &c.*

Romæ ex typogr. Ant. de Rubeis, 1696. fol. Alphab. 4.

COmplectebatur, quem ſuperiori menſe recenſuimus, Tomus I Bibliothecæ hujus Hiſpanæ Veteris Scriptores eos, qui prioribus X ab Auguſti Cæſaris imperio ſeculis litterarum laudibus inter Hiſpanos floruerunt. Quinque itaque ſequentium ſeculorum Viros eruditione & ſcriptis claros præſens Volumen nobis exhibet; quod *Veteris Bibliothecæ Hiſpanæ* titulo inſignitum, pariter ac prius, eminentiſſimo editori Cardinali *D' Aguirre* placuit in lucem emittere, reſpectu non tam ad præcedens, quam ad ſequentia duo volumina, Scriptores, qui ab initio ſeculi XVI usque ad annum LXX ſeculi XVII claruere, complexa habito. Methodum in hoc volumine obſervatam quod attinet, eadem prorſus cum illa eſt, qua prius diſpoſitum conſpectum noſtrum ſubiit. Nihil proinde ſupereſt, quam ut nunc quoque inſigniora quædam ſpeciminis loco oculis Lectorum ſubjiciamus.

In ipſo itaque limine partis hujus poſterioris Hiſpanæ Bibliothecæ primo ſtatim loco ſe nobis offert *Sampirus*, Aſturicenſis Epiſcopus, quem *Sancium Petri*, ſive *Sancium Pirez* a recentioribus nonnullis appellari Antonius monet. Chronicon eum ſcripſiſſe, ſatis inter eruditos notum eſt; limites autem & ambitum illius ex Pelagio Ovetenſi definit, qui eum ab *Adephonſo Caſto* initio facto p. 2.

ad *Veremundum* usque Regem podagricum proceſſiſſe dicit. Cujus ſi ſtandum teſtimonio, tribuendum Noſter exiſtimat *Sampiro* poſtremam partem Chronici *Sebaſtiano Salmanticenſi* vulgo adſcripti, quo res a *Ranimiro* I *Alphonſi Caſti* ſucceſſore, & *Ordonio* I filio ejus geſtæ continentur. In editione enim, quæ unica hactenus proſtat horum Chronicorum, a Sandovalio curata, adeo obſcurum eſſe in *Sebaſtiani* Chronico obſervat, quænam ejus verba, quænam Pelagii Ovetenſis additiones vel alterius etiam ſint, ut plane deferendum eſſe cenſeat ipſi *Pelagio* inter *Sebaſtiani* & *Sampiri* hiſtorias limites præſcribenti. Atque interea Hiſpanarum antiquitatum promos condos hortatur, ut lacera iſta Chronica ex manuſcriptis codicibus, quorum diverſos *Ambroſium Moralem* vidiſſe conſtet, in integrum reſtituere aliquando conentur, utpote quæ adeo inter ſe confuſa ſint, ut duobus tribusve autoribus eadem res ſæpe accepta feratur, cum tamen non eorundem, ſed excipientium ſeſe invicem temporum geſta perſecuta illa fuerint. Quam rem multo adhuc prolixius paulo inferius, de Pelagio Ovetenſi ex inſtituto agens, perſequitur, ubi Chronica illa, prout a Sandovalio edita ſunt, cum codicibus, quibus *Ambroſius Morales in Hiſpana Hiſtoria* uſus fuit, contendit, atque turpiſſimæ confuſionis varia ſpecimina dat.

p. 4. De *Avicena* quoq; prolixe agendum ſibi eſſe duxit, non quod communi fere Hiſpanorum Scriptorum errore, qui Hiſpaniæ eum vindicare anniſi fuerunt, ipſe quoque ſe paſſus fuerit abripi: ſed quod eorum figmenta hac occaſione explodenda, atque nonnulla notatu digna de eo obſervanda eſſe exiſtimaverit. Teſtes itaque de patria *Avicenæ* omni exceptione majores, tum ejus diſcipulum *Sorſanum*, tum ipſum *Avicenam* apud *Abulfarajum* eſſe docet, nullumque adeo dubium eſſe putat, quin in *Aphshanenſi* vico prope *Bocharam*, Perſiæ oppidum, natus fuerit. Imo ex eodem *Abulfa-*
p. 5. *rajo* luculente evinci poſſe contendit, non Hiſpanum tantum eum haud fuiſſe, ſed ne unquam quidem ad Hiſpaniæ oras fuiſſe delatum; quam ſententiam, priori errore rejecto, *Garibajus* fuerat amplexus. Univerſam autem de Hiſpana ejus origine fabulam natam eſſe cenſet ex alia fabula, quam *Iſidori Hiſpalenſis* rebus temere immiſtam, *Lucas Tudenſis* Chronico ſuo, tanquam ab *Ildephonſo* acceptam, inſeruit. Narrat enim *libros quosdam de naturis rerum & arte medicina,*

*dicina, nec non de arte notoria, quos pater Iſidorus facundo ſtylo compoſuerat, & qui ne dum ad publicum venerant, in odium fidei corrupiſſe Theodiſclum, reſecantem vera & inſerentem falſa, atque per quendam Arabem, nomine Avicenam, de Latino in Arabicum tranſtuliſſe.* Fruſtra igitur & *Cordubenſes*, qui *Corduena*, quod nomen Perſici cujusdam eſt tractus, abuſi nomine cum ſibi vindicant: & *Arragonenſes* qui *Avicannam*, cum *Valentinis*, qui *Abicenam*, patriæ ſuæ caſtra vel oppida, pro *Avicena* natali ſolo venditant: & *Ebuſi* ſive *Ibizæ* inſulæ incolas, qui nominis itidem vana ſimilitudine ſubnixi, apud ſe natum eum eſſe nugantur, laborare evincit. Eos etiam caſtigat, qui cognomine *Alrajits*, quo Arabes eum honoravere, ſeducti, Regem eum fuiſſe ſunt opinati; cum tamen nomen illud ad ejus in litteris excellentiam tantum pertinere, dudum Leo Africanus docuerit: ut fumos adeo nugasque vendant *Didacus Lopezius*, qui Cordubæ, *Jo. Bapt. Montanus*, qui Ægypti, & *Marinæus Siculus*, qui Bithyniæ Regem eum fuiſſe ſomniarunt. Antequam p. 6.
autem ab *Avicena* ad alios procedat, id quod in eo peſſimo jure Hiſpanis defertur, in ejus interprete præcipuo maxima injuria iis auferri obſervat, dum nimirum *Gerardus Cremonenſis* perperam appelletur, qui a *Carmona* Hiſpaniæ Bæticæ celebri urbe *Carmonenſis* erat appellandus; quam veram ejus patriam fuiſſe, inferius in Bibliotheca incertæ ætatis Scriptorum ivit aſſertum. Ubi ſimul *Joh. Antonii van der Linden* obſervat errorem, qui eo ſeductus, quod *Gerhardus* Cremonæ natus, Toleti vixerit atque docuerit, duos *Gerhardos*, *Cremonenſem* alterum, alterum *Toletanum* exſculpere auſus fuerit. Id adhuc de *Avicena* ex Antonio hic adducere liceat, exſtare opera ejus Arabica MSS. in Bibliothecis Eccleſiæ Toletanæ octo voluminibus, Hebraice autem verſa quatuor voluminibus Romæ apud PP. Societatis Collegii S. Ignatii. Nomen denique ejus verum fuiſſe *Elbuſein*, *Alhazen-Sem*; vulgari vero appellatione dictum eum eſſe *Abu-hali Elbuſein Abdalla Ibnu-ſina*, a qua ultima ſive avi, ſive familiæ appellatione, corrupte pronunciari cœptum fuerit vel *Aben-Sina*, quo nomine Reuchlinus eum appellet, vel *Avicena*, quo apud omnes alios noſtro ævo innotuit. Inter duodecimi ſeculi Scriptores *Petri* cujusdam *Magiſtri Toletani* mentionem facit, quem Alcoranum *Petri Abbatis Cluniacenſis* juſſu in Latinam linguam

p. 263. p. 6. p. 16.

tranſtuliſſe, conſtare ait ex codice quodam MS. qui apud Marſilium Ficinum fuit. Vidiſſe codicem illum dicit *Martinum Siruelam*, verſionem Latinam Alcorani exhibentem, cui ſubnexa ſequentia verba fuerint: *Illuſtri Viro Petro Cluniacenſi Abbate præcipiente ſuus Angligena Robertus Ketenenſis librum iſtum tranſtulit anno C.1143* &c. quæ ſtatim exceperint iſta: *Hunc librum fecit Dominus Petrus Cluniacenſis Abbas transferri de Arabico in Latinum a Petro Magiſtro Toletano, cum eſſet ipſe Abbas in Hiſpaniis conſtitutus, cum glorioſo Adephonſo, eo anno quo glorioſus Imperator Coriam civitatem fecit.* Quamvis autem verba iſta ſuſpicionem fecerint Siruelæ, fuiſſe olim cum verſione Alcorani Roberti Ketenenſis compactum in eodem codice aliquod aliud opus, quod ex Arabica in Latinam linguam converſum fuerit a *Petro Toletano*, ejusdem Petri Cluniacenſis juſſu, ad quod referri poſtrema verba debeant: Antonii tamen ſententia eſt, duos forſan interpretes Cluniacenſem Abbatē admoviſſe operi, quod quam fieri poterat accuratiſſime translatum cupiebat: unde & Joſ. Scaliger *Petri* illius inter Alcorani interpretes mentionem alicubi faciat, ab aliis omnibus, qui Alcorani verſiones recenſent, prætermiſ-
p. 18. ſi. Eodem cum *Petro* illo ſeculo vixit etiam *Ordonius*, monaſterii Cellæ-novæ in Gallæcia monachus, qui vitam *Rodeſindi* Epiſcopi ſcripſit: quam etiam paulo poſt concinnavit *Stephanus*, ejusdem monaſterii monachus. Unde in mentem Sandio olim, cum animadverſiones ad Voſſium de Hiſtoricis Latinis ſcriberet, venit, alium ab *Ordonio Stephanum* iſtum non eſſe; quam tamen ejus conjecturam
p. 19. falſiſſimam eſſe Antonius oſtendit. De *Aulo Halo*, qui poeticis ſtudiis apud Burdigalenſes hoc ſeculo effloruit, prolixe etiam agit. Atque imprimis obſervat, *Carmen de adventu Jacobi Apoſtoli in Hiſpanias*, quod ſub ejus nomine Matriti A. 1648 *Joan. Tamajus* publicavit, ſpurium opus eſſe, quod *Tamajus*, qui non contentus ab *Higuera* & aliis factos fumos quavis data occaſione lectoribus ſuis ingerere, ipſe quoque famam ſuam turpiſſimis fraudibus contaminare haud fuerit veritus, peſſima fide ei ſuppoſuerit. Cumque *Tamajus* elegantiorum litterarum parum peritus, carminique pangendo valde ineptus eſſet, unde & hoc *Aulo Halo* ſuppoſitum opus barbaras paſſim redolere ſordes deprehendatur; operam tamen dediſſe a Noſtro obſervatur, ut ne omnis leporis expers in publicum illud prodiret.

diret. Quod ut conſequeretur, barbaros verſus ſuos ex Poetæ valde elegantis, *Alvari Gomezii de Civitate Regali* carmine, quod *Tali-Chriſtiam* inſcripſit, paſſim eum interpolaſſe oſtendit. Quam fraudem, plane ineptam, deprehenſurum neminem eſſe, eo facilius ſibi hominem ſtolidum paſſum eſſe perſuaderi ait, quod ſemel tantum, Compluti nimirum anno 1522, impreſſum illud *Gomezii* carmen, in paucisſimorum manibus verſaretur. Verum tamen aliquem *Halonem Grammaticum* ſeculo XII exſtitiſſe obſervat, ejusque Epigrammata nonnulla ex manuſcriptis repræſentat. Ad *Julianum Petri, Archipresbyterum S. Juſtæ* apud Toletanos deveniens, merces quas ſub nomine ejus, tanquam e Bibliotheca Olivarienſi acceptas, Pariſiis anno 1628 *Laurentius Ramirezius* publicavit, *Chronicon* inquam, *Adverſaria*, *Deſcriptionem Eremitoriorum Hiſpanorum*, & *Variorum Carminum collectionem*, omnes a *Hieron. Romani Higueræ* manibus eum accepiſſe, tum ex ipſius *Ramirezii* dedicatoria epiſtola, tum ex literis quibusdam *D. Petri de Sandoval* ad *Laurentium Coccum* evincit. Imo ipſum *Higueram* primam inventionem *Juliani* ſibi tribuere, ex ejus Hiſtoria Toletana manuſcripta edocet. Attamen obſervat, iis verbis Chronici Juliani eum ibi meminiſſe, quæ potius brevem aliquem Toletanorum Epiſcoporum Catalogum, quam illud opus, quod Chronicon Juliani hodie audit, apta ſint denotare. Imo meminiſſe eum dicit fragmentorum Chronici Juliani, ſed tanquam plane deperditi, & in eam rem verba *Higueræ* adducit, atque adeo proprio teſtimonio ſuo viam ſibi obſtruxiſſe *Higueram* notat, quicquam e Juliani operibus, quæ deperdita aſſerat omnia, commendandi. Atque adeo colligit, ex *Higueræ* penu & obſervationibus, catalogum brevem Toletanorum Præſulum in Chronicon omni ex parte perfectum excreviſſe. Utque ea de re cuiquam eo minus dubitare liceat, duodeviginti loca indicat, e quibus facillime fraudis Juliani Chronicon & Adverſaria revinci queant. Imo ullum omnino Julianum Archipresbyterum Toletanum ſeculo XII, quo vixiſſe fingitur, extitiſſe negat. Inter ſeculi XIII Scriptores de *Roderico Ximenez* agens, Chronicum ſuum Ferdinando Caſtellæ Regi eum nuncupaſſe notat. In iſtâ autem dedicatoria epiſtola id præ ceteris notatu dignum eſſe putat, quod *Dionis*, *Gotthicæ Hiſtoriæ* ſcriptoris, mentio in illa occurrat. Quem Hiſtoricum a nemine alio,

p. 23.
p. 24.
p. 25.
p. 29.
p. 36.

alio, ſi Jornandem excipias, qui Græca eum lingua ſcripſiſſe addit, commemoratum, Hiſtoricis Græcis a Voſſio celebratis adjiciendum eſſe monet. Ipſum autem *Rodericum* quod attinet, valde ſolicitus eſt in aſſerendis ei contra *Ambroſium Moralem*, *Jo. Vaſæum* & alios, gentium barbararum Chronicis, quæ ſtudioſe proinde ſub examen revocat. Circa medium hujus ſeculi floruiſſe apud Valentinos celebrem Poetam obſervat, quem *Moſſen Jordi* ſua lingua illi appellant (*Dominum Georgium* Latine diceres.) Hunc in haud paucis imitatum eſſe Italorum Apollinem Petrarcham, poſt *Gaſparem Eſcolanum* animadvertit, productis eam in rem elegantiſſimis quibusdam exemplis. *Alphonſi X*, cui *Sapientis* cognomen grata poſteritas dedit, ſcripta ſtudioſe admodum recenſet. Prolixe autem imprimis agit de *Tabulis Aſtronomicis* ejus auſpiciis confectis. De quibus poſtquā *Chriſtmanni*, *Riccii*, *Lucæ Gaurici*, *Joſ. Blancani*, *Jo. B. Riccioli*, & *Iſm. Bullialdi* traditiones recenſuiſſet; ſubjungit denique etiam id, quod ipſe *Alphonſus* in quodam codice harum Tabularum ſcriptum de iis reliquiſſe dicitur. Fuit ille codex in manibus *Joannis de Herrera Buſtamantis* celebris Philippi II architecti, quem vidit *Romanus de la Higuera*, atque ex eo confectarum tabularum iſtarum hiſtoriam Toletanæ ſuæ Hiſtoriæ MSæ iis verbis inſeruit, quæ hic quoque non invitis Lectoribus comparitura eſſe confidimus, præcipue cum rem plane aliter, quam ab aliis omnibus enarrata fuit, exponant. *Juſſit*, inquit, *Alphonſus*, *Toletum ut convenirent*, *Aben-Raghel & Alquibitium*, quos *præceptores ſuos* [ in codice ſcilicet, ex quo iſta *Higuera* habet ] appellat, *Toletanos*; *Aben-Muſium & Mahomad*, *Hiſpalenſes*; *Joſeph Aben-Hali*, & *Jacobum Ab-Vena Cordubenſes*, *pluresque alios ad quinquaginta & ultra e Guaſconia & Pariſiis ingentibus expenſis convocatos; hisque curam impoſuit vertendi Ptolemæi Quadripartitum*, & *colligendi libros Menteſanis & Algazelis. Præſertim autem huic rei incubuit Samuel & Jehuda Elconbeſo*, quem *Alfaqui Toletanum* vocat. *Et hi in palatio, quod extra Toletum a Galiana Regina appellationem habet, congregati, quibus ipſe Alphonſus, eo autem abſente, Aben-Raghelus & Alquibitius præerant, examinandis firmamenti atque ſtellarum motibus ab anno 1258 usque ad annum 1262 attentiſſime ac perpetuo vacarunt, tandemque Tabulas*, de quibus loquimur, *confecerunt. Quo abſoluto negotio Rex omnes*, ſive

p. 49. p. 54. p. 55.

*ſive pecunia, ſive exemptionibus tributa ſolvendi donatos, alacres dimiſit.* Id adhuc de *Alphonſo* iſto *Sapiente* ex Autore noſtro non obſervare non poſſumus, quod *Hiſtoriam Generalem Hiſpaniæ*, quæ vernaculo idiomate ſcripta, Zamoræ primum anno 1541, & poſtea Pinciæ 1604 prodiit, non ejus auſpiciis, ſed ab ipſo confectam eſſe moneat: diſtinguendamque præterea eam non ab *Alphonſi XI* tantum Hiſtoria eſſe doceat, ſed & ab alia *Alphonſi Sapientis Hiſtoria Magna & Generali*, quæ ab ipſius mundi initio exordium capiat, eujusque primum volumen nihil aliud quam fuſiorem rerum in Pentateucho contentarum expoſitionem continens, in Corteſiana Bibliotheca exiſtat: ex qua prologum ejus & initium primi capitis Bibliothecæ huic Antonius inſeruit. Et ad hunc Commentarium *Alphonſum* reſpexiſſe cenſet, cum in teſtamento ſuo præter Biblia tribus tomis, tria alia Bibliorum Hiſtoriæ volumina ſe relinquere dicit. Imo cum tradant nonnulli, S. Litteras in linguam vernaculam *Alphonſum* hunc transferri curaſſe, quod *Joannem Marianam* affirmare obſervat; non ad verſionem proprie ſic dictam, qualis nuſpiam appareat, ſed ad iſtam paraphraſin referendum id eſſe perſuaſum habet, utut alteri ſententiæ paulo ante allegata teſtamenti *Alphonſi* verba favere videantur. De *Pontio Carbonello* ejusque Catena in univerſa Biblia agens, controverſiæ meminit de Catena in IV Evangelia *Thomæ Aquinati* adſcripta, quam *Carbonelli* eſſe *P. Alva & Aſtorga* contendunt, renitentibus *Th. Harney & Vincentio Baronio*, quorum partes ipſe quoque tuendas ſuſcepit. Decimo quarto ſeculo floruit *Arnaldus Villanovanus*, quem contra *Jo. Villanum*, *S. Antoninum*, *Paulum Langium*, *P. Colomeſium* & alios qui Gallis eum vindicant, *Durandi de S. Porciano*, *Bernardi de Luzemburgo*, *Nicolai Eymerici*, *Pici Mirandulani* & aliorum ſuffragiis, Hiſpanis ſuis ivit aſſertum. Quod variis argumentis, qualia ſunt quod nullum oppidum *Villanovæ* nomine inſigne in Gallia, quamplurima autem in Hiſpania extent: quod Jacobo II Arragoniæ Regi librum ſuum de Regimine ſanitatis dedicaverit, aliisque compluribus deinceps confirmavit. Circa annum MCCCX Pariſiis eum *de extremi judicii die* libellum ſcripſiſſe narrat, in quo aſtrologicis argumentis probare annifus fuerit, anno 1376 judicium illud celebrandum eſſe. Metu tamen inquiſitionis ob iſtum libellum in Siciliam fugere coactum

Margin: p. 57. p. 63. p. 74. p. 75.

ctum, deinde a Frederico Rege ad Clementem V Summum Pontificem miſſum, diem ſuum in mari eum obiiſſe ait. Ut falſus adeo ſit Colomeſius aliique qui eum annō 1300 natum, denatum anno 1340 affirmant. Quæ de ejus in religione erroribus ab *Eymerico* aliisque diſputata fuerunt, prolixum nimis eſſet hoc loco repetere, pariter ac ea, quæ ut defendant eum, alii afferre ſolent. Sane rerum
p. 79. futurarum ſuperſtitioſum nimis eum fuiſſe indagatorem, & ea quæ de Anti-Chriſti adventu ſomniavit, revelationum quarundam fidei ſuperſtruxiſſe, ex libro ejus *de myſterio cymbalorum* dudum Picus Mirandulanus obſervavit. Idem autem qui *Arnaldi* errores impu-
p. 81. gnavit *Eymericus*, *Raym. Lullii* acerbiſſimus quoque fuit inſectator, in quo impugnando quibus artibus uſus fuerit, poſtquam ſcriptores vitæ Lullianæ recenſuiſſet, fuſe exponit Noſter. Qui deinde non minori diligentia defenſores quoque Lullii recenſet, ſummamque
p. 84. eorum, quæ ei objecta fuerunt, exponit. Accuratiſſime autem in libris recenſendis verſatur, atque CCCXL voluminibus, quorum notitiam *Proaza* & *Wadingo* debemus, XL alia addit in variis locis a ſe reperta. Ut nihil dicamus de viginti & uno voluminibus, quorum e *Carolo Bovillo* mentionem facit, & quorum nonnulla eadem eſſe cum iis, quæ *Proaza* & *Wadingus* memorant, ipſemet ſuſpica-
p. 96. tur. Eos denique etiam, qui commentariis ſuis illuſtrare *Lullii* philoſophiam conati fuere, recenſet, quorum plus quam viginti in are-
p. 138. nam producit. In decimo quinto ſeculo inter alios de *Petro de Luna* ſive *Benedicto XIII* Anti-Papa agit, quem *Ludovici Panſani* coævi Hiſtorici teſtimonio ſubnixus, veneno periiſſe ſtatuit, quod inter ſecundas menſas *Thomas Monachus*, quo familiariter utebatur,
p. 141. ei appoſuerat. De *Raymundi Sebundi* libello de veritate Religionis Chriſtianæ loquens, *Hugonis Grotii* mentionem faciendi occaſionem nanciſcitur, quem Eccleſiæ ſuæ jugalem ſub vitæ exitum fuiſſe, audacter affirmare non veretur. Aſt quo jure Romanæ Eccleſiæ ſummum illum Virum vindicent ſive ex Pontificiis admiratores, ſive ex Proteſtantibus adverſarii ejus, dudum accurate oſtendit præclarus ejus defenſor H. Hammondus, qui gemino ſcripto tomo II operum ejus inſerto, maſcule accuſationem il-
p. 169. lam a Grotii capite depulit. De *Alphonſo Toſtato*, quem *Alphonſum Abulenſem*, & *Alphonſum de Madrigal* etiam appellari notum eſt, obſer-

obſervari merentur, quæ ſummam memoriæ ejus felicitatem prædicans affert. Narrat inter alia, Bononiæ librum ei perlegendum datum fuiſſe, quem tamen ut deſcribere ipſi liceret, impetrare non potuerit: eum proinde ſemel & iterum lectum ab eo domum reverſo ex memoria chartæ mandatum fuiſſe. Nec minorem memoria ſolertiam induſtriamque ejus fuiſſe dicit: cum annorum LV, quos vixit, ſpatio, tot ſcripta exaraverit, ut ſi demas pueritiæ annos, libris ſcribendis minime idoneos, quotidie ſex expanſæ chartæ folia eum ſcripſiſſe oportuerit. In conſervatis autem libris ejus, p. 171. parum abeſt quin miraculum agnoſcat. Cum enim manuſcripta illius, ut nova & locuples magis operum ejus editio pararetur, circa annum 1525 in Italiam adveherentur, navi tempeſtate peſſundata, omnibusque mercibus reliquis ſubmerſis, ſolam ciſtam, in qua illa aſſervabantur, incolumem inſequenti die in littus ejectam fuiſſe, Romæ a ſedecim teſtibus apud Auditorem Cameræ affirmatum dicit. Liceat autem e ſcriptis ejus commemorare hoc loco ſpeciatim *Commentarios in Euſebii Chronicon*, qui vernaculo idiomate quinque voluminibus in folio prodierunt Salmanticæ anno 1506, cum ad omnium notitiam opus iſtud haud forſan pervenerit. Aſt ſufficere, niſi fallimur, poterunt iſta ex Bibliotheca quinque illorum ſeculorum ſpecimina. Jam de Bibliotheca Arabico-Hiſpana, quam ei ſubjunxit, nonnulla etiam dicenda ſuperſunt. p. 231. Cujus uti ea dignitas & amplitudo, quæ ſuperioris, non eſt, ita nos quoque in perluſtranda ea non diu adeo morabimur. Alphabetico ea ordine diſpoſita eſt: cumq; Arabicis litteris ſeſe initiatum haud eſſe, ipſemet non diſſimulet Antonius, abs re haud fore putavimus, ſi, quibus auxiliis ea ab illo inſtructa fuerit, obſervaverimus. Præter Hiſpanos itaque Hiſtoricos, *Sandovalium* imprimis atque *Eſcolanum*, Catalogosque Bibliothecarum, *Eſcorialenſis* maxime & *Lugduno-Batavæ*, *Leo Africanus* ab Hottingero editus multum ipſi in his tenebris lucis affudit. Paſſimque etiam ex *Bocharti*, *Hottingeri*, Mathematicorumque nonnullorum, *Riccioli* imprimis, ſcriptis ſuppetias petiviſſe videtur. Breviſſimus in plerisque eſt, & raro admodum aliquid præter nomen & ſcripta de iis commemorat. Quamvis ubi plura ad notitiam ejus de aliquo pervenerant, ea invidere Lectoribus ſuis

non ſoleat; cujus rei argumento eſſe poteſt prolixiſſime expoſita
p. 240. *Averrois* vita, quemadmodum & *Geberi* hiſtoria, cujus a Cardano inter XVII ſumma ingenia repoſiti res parcenimis ab eo traditæ non
p. 257. fuerunt. Incerti denique temporis Scriptorum Bibliothecam, quæ Arabico-Hiſpanam excipit, alio quam alphabetico ordine concinnari non potuiſſe, nemo eſt qui non facile videat. Ex ea duos ſaltem Autores commemorare nunc placet, anonymos ambos, ambos Sacrarum Litterarum interpretes. Eorum alter, verſionem
p. 259. Latinam vulgatam ſecutus, lingua Valentiæ regni vernacula eas expreſſiſſe dicitur a Cypriano Valera in præfatione, quam Hiſpanæ ſuæ verſioni Amſtelædami a. 1602 editæ præmiſit: ubi etiam ante centum, & quod excurrit, annos in folio chartæ regiæ impreſſam verſionem illam prodiiſſe teſtatur. Alter, qui Hiſpano-Hebræus fuit, poſt Judæos ex Hiſpania relegatos, in Italia verſionem quandam e fontibus Hebræis confeciſſe ab Antonio dicitur. Dedicationi illius verſionis, quæ ad Herculem Eſtenſem II, quartum Ferrarienſium Ducem directa eſt, ſubſcripſiſſe nomina ſua ait *Hieronymum de Vargas* & *Duadum Pinel:* quorum illum ſumtus huic verſioni impendiſſe, hunc ἐργοδιώκτην fuiſſe, ex verbis, quæ ſub finem ejus comparent, manifeſtum eſt. Eam autem Ferrariæ A. 1553 in lucem primum editam, Amſtelædami anno mundi MMMMMCCCXC reformatam, & poſtea anno mundi MMMMMCDXVI in domo Gillis Jooſt typis denuo exſcriptam fuiſſe obſervat. Autorem vero ejus ante annum Chriſti 1500 floruiſſe, recte ſibi colligere ex ſtylo poſſe videtur. Totum denique hoc opus fragmenta Pſeudo-Chronicorum, ex Marchionis Eſtepani Bibliotheca edita concludunt. Quo fine autem illa hic adtexta fuerint, tum a nobis fuit indicatum, cum in prioris tomi recenſione verſaremur; ut adeo de iis nihil amplius nunc quidem addendum eſſe exiſtimemus.

## *JOH. FRIDERICI MAYERI D. CONSILIARII REGII ET Prof. Theol. de Fide Baronii & Bellarmini ipſis Pontificiis ambigua Ecloga.*

Amſteldæami apud Henr. Wetſtenium, 1697. in 12. plag. 13.

QUo illuſtrius per univerſam, qua late patet, Eccleſiam Romanam nomen *Baronii* atque *Bellarmini* eſt, Cardinalium binorum

rum, qui uno eodemque tempore, diverſo equidem ſcriptionis genere, ſed uno tamen ſcopo, Curiam Pontificalem fultum magno molimine iverunt, & quo majore ſtrepitu illud a fidei Romanæ asſeclis nullo non tempore Proteſtantibus obverti ſolet: eo majus operæ pretium ſe facturum Auctor præſentis opuſculi maxime reverendus exiſtimavit, ſi lubricam utriusque fidem domeſticis teſtimoniis proderet, atque adeo demonſtratum daret, haud vanos fuiſſe e Proteſtantibus, qui eam utrique Cardinalium objecerunt. Ne vero cupidine inſectandi, aut præpoſtero partium adverſarum ſtudio abreptus, criminationes ſolum collegiſſe, prætermiſſis ſilentio laudibus, videretur; ab initio ſtatim primæ Eclogæ, quæ de Baronio agit, non conatum egregium Cardinalis, non apparatum, non elogia ſuorum, nec adverſariorum honeſta de ipſo judicia omittit, ſed hæc omnia fuſe ſatis primo capite & ſub initium ſecundi proſequitur, auctores etiam, qui de vita laudibusque Baronii amplius evolvi poſſint, magno numero recenſens. Editiones inde varias, verſiones, epitomas, continuationes Annalium Baronianorum eodem c. II. commemorat, inſperſis haud raro, quæ non omnium notitiæ patuerunt. Tale eſt inter alia, quod de Baronio ex *Hieron. Vecchietti*, Florentini, qui ſe ob trinas in Ægyptum ſuſceptas legationes *ab Ægypto* vocavit, in opere de Sacrorum Temporum Ratione Auguſtæ Vindel. A. 1621 edito commemorat: illum nempe non XII ſolum, qui extant, aut XIII, ut Sauſſayus in Continuatione Bellarmini de Scr. Eccl. refert, ſed, quod mirere, totos XV Annalium tomos elaboraſſe, jamque abſolutos tres ultimos reliquiſſe Congregationis Oratorii Patribus, a quibus, dubium quam ob cauſam, ſuppreſſi ſint: cui quidem rei tanto vehementius Vecchiettus ſuccenſet, quanto certius ſuæ etiam legationis, Ægyptiacæ res XV tomo longa oratione deſcriptas, ex ipſiusmet Baronii, amici, ore didicerat.

Inter Baronii (quem male a nonnullis pro Jeſuita haberi, cum Presbyter Oratorii fuerit, obiter notat) translationes, Germanicam Marci Fuggeri primam eſſe annotat, & primum illius tomum Ingolſtadii A. 1594 in fol. & 1595 in 4. prodiiſſe. Ut Polonice verteretur, curam A. 1592 geſſiſſe memorat Stanislaum Carncovium, Regni Poloniæ Metropolitanum & Archiepiſcopum Gneſnenſem, id-

que negotii Collegio Jeſuitarum a ſe fundato dediſſe: nihil tamen illius verſionis editum. Arabice primam & ſecundam Annalium partem Romæ A. 1653 Fr. Brietio Capuccino interprete prodiiſſe. Italicam verſionem Franc. Panicarolam Epiſcopum Aſtenſem aggreſſum fuiſſe, primumq; Annalium tomum, ſuperſtite adhuc Baronio tranſtuliſſe, ſed ab hoc labore poſtea avocatum. Eum autem exantlaſſe noſtris temporibus Cardinalem Nerlium, redditis Italice Baronii Annalibus, ex Jo. Ciampino refert. Inter continuatores Baronii uti Henr. Spondanum laudat, ita Abrah. Bzovii vitia, Rich. Montacutium & Joh. Georg. Herwartum ſecutus, non diſſimulat. Nec eo felicius in continuandis Baronii Annalibus laboraſſe Congregationis Oratorii Presbyterum Odoricum Raynaldum putat, de cujus mala fide, & incondito calumniandi ſtudio prolixum Joh. Claudii judicium exhibitum videas: additque ex Papebrochio, Raynaldo communi Sociorum Congregationis illius ſuffragio ſurrogatum *Leandrum de Colloredo*, noſtra ætate Cardinalem eminentiſſimum, a quo nihil tamen hactenus datum fuerit. Quemadmodum vero nomen Annalium Baronianorum inde etiam haud parum crevit, quod Juſtus Calvinus atque Gaſpar Scioppius eorum inprimis lectione ſe ad fidem Romano-Catholicam converſos profiterentur: ita conſultum Auctor celeberrimus duxit, inſerere præſenti opuſculo epiſtolas Scioppii duas eo in negotio ſcriptas, unam ad Baronem quendam Germanum, & alteram ad ipſummet Baronium euchariſticam, Romæ A. 1599 editas. Simul tamen ut appareret, quam candide ſcilicet aſſentatorum in morem votivas tabulas Scioppius ſoſpitatori Cardinali ſuſpenderit, re ipſa interim ipſimet ac doctrinæ ejus infenſus; illam quoque hominis fraudulenti epiſtolam producit, quam ad Fulgentium celebrem Minoritam Venetum Italica lingua ſcriptam primus Paulus Colomeſius ſuis Obſervationibus Sacris inſertam edidit, Noſter autem in Latinum idioma converſam ſub finem Eclogæ de Baronio adjecit.

Caput tertium hujus Eclogæ hiſtoriam adverſariorum Baronii Proteſtantium exponit, immiſtis etiam una hyperaſpiſtis. De Caſaubono ubi agit, inter alia famam de affectu ejus erga Pontificios olim a Pet. Molinæo ſparſam, a P. Jurio autem veluti renovatam ægre fert: eamque tum a Merico Caſaubono in Pietate adverſus

verſus Paterni nominis hoſtes, ſatis eſſe diſcuſſam non dubitat; tum amplius a clar. Almeloveenio in Hiſtoria Caſaubonorum (quam ſibi privatim olim promiſſam publice nunc ab eodem rogat) abſterſum iri ſpem facit. Quod a Davide Blondello, qui confutando Baronio unus omnium maxime idoneus olim communi doctorum fere ſuffragio judicatus, publicisque ſtipendiis Amſtelodamenſium ad id conductus fuerat, nihil tamen præter ſtricturas leves e defuncti exemplari excerptas unquam prodierit, Auctor clariſſimus dolo Jeſuitarum adſcribit: qui ſcilicet eo ipſo tempore, quo hæc moliebatur Vir doctiſſimus, vindicandum ſtemma Regium Gallorum adverſus Vindicias Chiffletianas, velut honoris ergo, publico nomine illi detulerint, revera nullo alio fine, quam ut a Baronio eum averterent. Cui conatui eventus etiam reſpondit. Paulo enim poſt emiſſum opus Anti-Chiffletianum, quod Blondellum per annos bene multos totum tenuit, oculorum lumine privatus cæcusque redditus, nihil amplius tentavit.

A Proteſtantibus Baronii adverſariis ad Romano-Catholicos procedit in ſequenti capite IV, & a Monachis initium faciens Carmelitas primo loco ponit, e quorum ordine M. Anton. Alegre de Caſanate acriter in Baronium inſurgentem profert: poſt illos prodeunt Benedictini, & ex Dominicanis Franc. Combefiſius & Natalis Alexander: hinc ex Auguſtinianis eminentiſſimus Cardinalis Noriſius, qui non ſolum in Hiſtoria Pelagiana hic illic errores Baronii graviter & cordate perſtringit; ſed & peculiari opere Annalium emendationem in ſe ſuſcipere, eorumque infinitos errores animadvertere & demonſtrare ſibi propoſuerat; deſtitit autem, cum ſodalem ſuum Chriſtianum Lupum eadem meditari cognoviſſet. Hoc vero prius, quam daret quicquam, vivis erepto, explevit doctorum omnium vota e Minorum ordine Antonius Pagi, Vir clariſſimus & ab edita Critica Baroniana nemini facile ignotus. Tum ex Societate Jeſu pluſculos Baronii adverſarios enarrat, Dion. Petavium, Pet. Halloix, Caſp. Sanctium, Jacobum Sirmondum, Front. Ducæum, Lud. Maimburgium, Dan. Papebrochium, quin ipſummet adeo conjunctiſſimum, ut videri volebat, Card. Bellarminum: inprimis vero M. Antonium de Dominis, cujus teſtimonia prolixa affert. Ad alios dein eruditos viros progreditur, juxta nationum ſeriem diſtributos,

Hiſpanosque primum cap. V. ſiſtit, quorum animos a ſe Baronius maxime alienos reddidit partim aſſertione juris Pontificii in Siciliam, partim quod Jacobum unquam in Hispaniam veniſſe negaſſet. Galli cap. VI proferuntur: Thuanus, qui tomo primo Annalium ab auctore ſibi dono miſſo ſua manu inſcripſerit iſta Comici verbulo uno immutata: *Auctor cum primum animum ad ſcribendum appulit, id ſibi negotii credidit ſolum dari, Pontifici ut placerent quas feciſſet fabulas*: P. Pithœus, Pet. de Marca, Henr. Valeſius, Petrus Daniel Huetius, Lud. El. Dupinius, Ant. Godellus, Joh. Launoius, Paſchaſius Quesnellius aliique plures. Tandem & cap. VII ex Italis advocantur Alex. Taſſonus, cujus de Hiſtoria Eccleſiaſtica opus Baronio magna libertate oppoſitum ab addictis nimium Curiæ Romanæ animis oppreſſum creditur, Paulus Benius, Paulus Sarpius; & Germani, Lucas Holſtenius, atque Caſp. Scioppius, de cujus Epiſtola ad Fulgentium totius Eclogæ colophone dictum ſupra jam eſt.

*Bellarmini* fidem multo conciſius examinat Ecloga ſecunda: de cujus Viri elogiis, vitæ ſcriptoribus & auctoritate in aula Clementis VIII. P. Rom. poſtquam paucula præmiſiſſet, e Launoio plurima producit, quæ ſuſpectam ejus fidem oſtendunt, & quæ parum feliciter abſterſiſſe Doctorem quendam Theologum M. C. S. in Tractatu de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ obſervat. Quinimo ipſummet contra Bellarminum teſtem Bellarminum allegat, Frontoni Ducæo faſſum, ſe quæcunque de temporali Papæ dominio in Controverſiarum libris ſcripſerit, & ob quæ a ſocio Frontone erat interpellatus, ideo ſcripſiſſe, quia Romæ fuerit; metu ſcilicet inquiſitionis, quam ſub Sixto V parum abfuit quin ejus ſcripta ſubire fuerint coacta, ob indirectam ſolum tributam ſummo Pontifici in temporalibus poteſtatem. Contra vero in Gallia librum Bellarmini de hac materia, adverſus Guil. Barclajum editum, & Hildebrandina conſtituta nimis acriter tuentem, ſolenni Curiæ Pariſienſis decreto proſcriptum, poſt alios multos memorat, & edictum una ipſummet inſerit. Prolixe etiam de crimine illo agit, quod a Perronio Cardinali Bellarmino impactum fama, vivo adhuc utroque, tulit; nempe, quod vix putares, Bellarminum incaute ſatis in Controverſiis ſuis argumenta adverſariorum fortius protuliſſe, quam confutaſſe, adeo quidem, ut cum inſigni damno Eccleſiæ Romanæ non minæ tantum,

ſed

ſed & arma hoſtium adverſus caſtra Catholicorum inibi cernantur. Quanquam vero Perronius, data ad Bellarminum epiſtola Italica verboſa admodum (quam Latine verſam hic videas) famam iſtam veluti atrocem calumniam a ſe amoliri omni niſu tentarit: non tamen usque adeo credendum illi, aut quæ communi plurium ore ferebantur, inter calumnias ableganda, Auctor tum ex Bentivolio Cardinali monet, qui tale de Controverſiis Bellarminianis judicium ex ipſiusmet Perronii ore ſe hauſiſſe, ſancte in Commentariis Hiſtoricis teſtatum reliquit; tum ex Perronianis, quæ non ſatis æqua Bellarmino ſint. A Perronio iterum ad Launoium abit, & quid ille præcipue deſiderarit in ſcriptis Bellarmini, quidve exprobrarit illis, ſedulo expromit. Poſt hunc Dominicum Gravinam narrat, Dominicanum celebrem, qui *Gemitum Columbæ* eum in finem ſcriptum a Bellarmino, ut Ordines Religioſos a priſtina puritate deſciviſſe, ſeque adeo ſuorum fundatorum beneficiis indignos reddidiſſe probaret, *Voce Turturis* elevarit, & contra Gretſerum hyperaſpiſtam denuo retuderit. Tandem univerſum opuſculum relatione de odio Melch. Cani, quo is Jeſuitas perpetuo inſectatus fuerit, concludit.

*C. JULIUS CÆSAR CUM NOTIS DIONYSII VOSSII. Acceſſit JULIUS CELSUS de vita & rebus geſtis C. Julii Cæſaris, ex muſeo JO. GEORGII GRÆVII.*

Amſtelædami, ſumptibus Societatis, 1697. in 8.

Conſtat alph. 2. plag. 14. iconiſmis 14.

ÆMulati ſunt Amſtelodamenſes Blaviani typi Elzevirianam viginti & ſeptem ante annos Julio Cæſari adhibitam elegantiam; ſed quem in conſilium adhibuerunt bibliopolæ novæ hujus editionis curam gerentes, doctiſſimus Grævius aliam, quam Montanus, qui iſto tempore ſtudium ei impenderat, inſtitit viam. Cum enim is editas antea doctorum virorum ſelectiores notas ſuis adſperſerit; hic ſolas nondum evulgatas Dionyſii Voſſii animadverſiones, copioſas & eruditas, e tenebris productas, in Cæſaris de Bello Gallico & Civili libros exhibuit; Jo. Rhellicani annotationes Hirtii commentariis de Bellis Alexandrino, Africano & Hiſpanienſi ſubſtravit. Ut autem in auguſti hujus ſcriptoris, monarchiæ Romanæ potentiſſimi conditoris, notitiam lectores perduceret, res geſtas

ſtas ejus & vitam a quodam non adeo vetuſto auctore, cujus ætatem in quartum quintumve abhinc ſeculum refert, deſcriptam & anno 1473 editam, quæ conſpectui eruditorum ſe pridem ſubduxerat, recudendam & Cæſari attexendam bibliopolis conceſſit. Auctorem narrationis iſtius, non adeo elegantis & terſæ, Ger. Jo. Voſſius Lib. I. de Hiſt. Lat. cap. 13. nominat *Julium Celſum*: quapropter ſub hoc etiam nomine nunc exire eam paſſus eſt Editor; falſo tamen ipſi hoc nomen præfigi, nec tam claro auctore, qui Cæſaris ſcripta recenſuit, vitam hanc deſcriptam eſſe, idem rectiſſime judicat. Sane Hub. Goltzii expoſitio vitæ Cæſaris, hanc anonymi ſcriptoris narrationem longe antecellere videtur. Nihilominus curam ejus habendam putavit Grævius, & cum admodum vitiis inquinata in impreſſo codice (quem rariſſimum & ab eruditis multis expetitum memorat) extaret, iſta tollenda & annotandas veriores lectiones ſeu emendationes duxit; ut non Cæſaris modo libros cultiores, ſed hanc etiam de eo hiſtoriam mundiorem & emaculatam haberemus.

### *C. SUETONIUS TRANQUILLUS EX RECENSIONE JO. GEORGII GRÆVII, cum ejuſdem animadverſionibus.*

Amſtelædami, apud Henr. Wetſtenium, 1697. in 12. plag. 21. icones XII Imperatorum.

INſignis hujus auctoris cum plures antea, magno litterarum bono, proditæ eſſent Egnatii, Aldi, Eraſmi, Torrentii, Caſauboni & aliorum editiones; ut de omnibus bene mereri ſtudet bonis Scriptoribus, huic nec deeſſe voluit doctiſſimus Grævius, & ante viginti quinque annos, cum doctorum virorum integris commentariis, ſuisque eruditis notis, in publicum emiſit venuſtiſſimas has Imperatorum duodecim primorum vitas: quarum editionem obſervationibus ſuis auctis amplificatisque, ante hos ſex annos iteravit, ut in Actis anni 1691 memoravimus. Quia autem grandior esſet liber iſte, quippe majori forma excuſus, & tot integras aliorum eruditorum virorum annotationes complexus, quam qui adoleſcentum manibus aſſidue circumferretur, quod fieri par erat; in minorem formam redigendum eum duxit idem clariſſimus Editor, ſuisque tantum notis inſignitum in publicum jam emiſit, iſta ratione

ne qua Ciceronis epiſtolas & de Officiis libros, nec non Juſtini hiſtorias ejus ſtudio & cura expolitas, eque majoribus in minores libellos contractas, vidimus: qui omnes non magis typi nitore, quam accurata emendatione, ad crebram lectionem hiſtoriarum & eloquentiæ ſtudioſos ſic invitant, ut ſi maxime auctores iſtos aliis formis editos jam poſſideant, hac tamen commodiori excuſos ſibi etiam comparare ſtudeant.

## CASPARIS NEUMANNI, VRATISLAVIENSIS מוֹצָא h. e.

### *EXODUS LINGUÆ SANCTÆ V.T. EX CAPTIVITATE BABYlonica, tentatus in Lexico Etymologico Hebræo-Biblico.*

Norimbergæ apud Andream Ottonem, 1697. in 4. plag. 18.

Quam anno ſuperiori eruditis propoſuit ſententiam de vocum Ebræarum geneſi, & nos quoque menſe Septembri A. 1696 p. 399 indicavimus, eam magis nunc excolendam, editoque novo ſpecimine, h. e. Lexici Ebræi, quod ad hanc hypotheſin adornare illi conſtitutum eſt, litera prima, firmandam ſibi clariſſimus doctiſſimusque Auctor ſumpſit. Non diffitetur, theoriam in Geneſi Linguæ Sanctæ a ſe traditam, difficultate quadam adhuc laborare: ſed hæc ipſa ut amoveatur, eo quidem hanc, quæ nunc prodit, commentationem maxime ait ſpectare. Præcepta in Geneſi Linguæ Sanctæ data non mutat, iis tamen quædam nunc addit, cumque characterum, ut vocat, initiis contentus, de literarum tum characteriſticarum, tum formativarum ſingulatim ſpectatarum valore ſuum judicium ſuſpenderit, nunc ulterius progreditur, & quid unaquæque literarum Ebræarum in ſe ſpectata & characteribus ipſis, & formatis inde vocibus aliis inferat, ediſſerit. Omnem ergo Ebraismum non modo in monoſyllabicos ſignificationum characteres, qui Sinenſium monoſyllabas 320 numero parum exceſſuri ſint, reductum, ſed & usque ad viginti & duarum literarum elementa ita reſolutum, ut his bene perſpectis, ſaltem manuductionem, eamque non levem ad ſignificationem characterum omnium a priori determinandam, in ſolo literarum intuitu quilibet inventurus ſit, ſe exhibiturum pollicetur.

Valorem autem literarum Ebræarum expoſiturus exem-

plum a literis Sinicis petit. Fatetur literas Ebræorum a characteribus Sinicis multiplici ratione differre: nihilo ſecius in quibusdam capitibus eos plane inter ſe conſentire obſervat, atque iſtud hunc in modum explicat. Quemadmodum quælibet litera Sinica peculiarem habet ſignificandi vim a rebus corporeis atque mathematicis deſumptam, adeoque tropis perpetuis translatam: ita & omnium literarum Ebræarum ſignificationes in ſenſu proprio ſpectatas mechanicas eſſe, hoc eſt, a rebus corporeis earumque motu, ſitu atque figura deſumptas, & non niſi perpetuis tropologiis ad alia applicabiles, contendit. Sic literas adſpiratas, quarum gradus ſupremus ſint ſibilantes, nudum quaſi oris halitum & omnium minime adhuc articulatum vel modificatum, unam ſaltem altera fortius, exſpirare Et has eſſe ſymbolum *motus* vel *activitatis* in genere omnis, pro vario tamen intenſionis gradu variantis: e.g. א eſſe adſpirationem omnium tenuiſſimam, ſimpliciſſimumque adeo activitatis ſignum, literas, quibus jungitur, quaſi animans, & earum ſignificationes in actum deducens: ע cum Aleph fere coincidere, niſi quod craſſior & fortior hujus eſſe ſoleat quam illius uti pronunciatio, ita & ſignificatio: ה autem alium iterum adſpirationis modum rem quaſi coram ſiſtere, & præſentiam ejus emphatice demonſtrare &c. Ceteras autem literas, quæ ſcilicet non ſint adſpiratæ, variorum motus ſitusque modorum ſymbola eſſe autumat. Sic *motum ſitumque rectilineum*, vel ſaltem ab omni declinatione abſtrahentem indicari per literas ר, ד, ת, ז, צ: nimirum literam ר ſtridulo erumpentem ſono *egreſſionis*, ſive ejus quod *egreditur*, eſſe notam; literam ד figura ſua literæ Reſch valde cognatam, *antecedendi* vel *antrorſum protrudendi* & *promovendi* actum habere, &c. *Motum* autem *ſitumque curvilineum* haberi in literis ג, ט, כ, ק: nimirum literam ג multum reflexam *flexus* cujuscunque ſymbolum eſſe; ט motum *in ſe quaſi retractum* & *arcuatum* pro figura literæ referre &c. Reliquas denique literas alias adhuc easque varias motus ſitusque ſpecies deſignare, arbitratur. Sic literam י *apicem protenſum* figura ſua referre, *tenſionisque* vel *extenſionis* cujuscunque in longum abeuntis eſſe notam; ם literam valde *auguſtam* & *dilatabilem*, omnis *augmenti quantitatis* tam diſcretæ quam continuæ ſymbolum eſſe, &c.

Præ-

Præterea, ut literæ Sinenſium ſuo quodam modo ſunt hieroglyphicæ, hoc eſt, ingenioſa & ſymbolica quadam ratione intellectui legentium rem ſignificatam depingunt: ita & in Ebraiſmo, judice Auctore, ſingulæ literæ vel figura, vel ſono, vel utroque etiam modo, rem ſignificant, & ſymbolica quadam ratione intellectui noſtro repræſentant. Sed literæ Sinicæ ſimplices quoque pro augenda ſignificatione aliquando duplicantur: idem & in Ebraiſmo fieri Noſter pronunciat, tam in characteribus geminatis, quam in radicibus a charactere ſuo geminando deductis. Tandem ut Sinenſes literæ cum aliis compoſitæ ſignificationem ſingulæ adhuc conſervant, & elegantes appellationibus emphaſes impertiunt: ſic & apud Ebræos hoc fieri Auctor cenſet, ita tamen, ut ab initio dictionis litera ſyllabam inchoans active quaſi ſe habeat, & ſignificationem ſuam literæ ſequenti imprimat; in fine vero conſtituta paſſive ſe gerat, & in ejus ſignificationem litera præcedens abire intelligatur; in medio autem conſtituta, de utroque quaſi participando ſignificationem ſuam continuet. Hinc eſſe quod differant אב & חב ubi adſpiratio in Beth agens motum activitatis internæ capedini imprimat, ac בא & בח ubi idem ille ſpirationis halitus exſpiretur.

Hiſce ita præmiſſis ſubnectit nonnulla, quæ illis, qui forte judicandi de hac hypotheſi libertatem ſibi ſint ſumturi, ſedulo vult perpendi: ſcilicet notabilem eſſe omnium conſenſu radicum quarundam cognationem, quam tamen nemo hactenus ſufficienter indagaverit: incongruis, derivationibus Lexica ſcatere: voces plurimas aut plane ignotas aut adeo dubias adhuc reſtare, ut unam eandemque in uno eodemque loco diverſimode reddant interpretes: tam monſtroſam vocum Ebræarum ambiguitatem ſubinde occurrere, ut ſignificationes earum in Lexicis ad numeros aliquando longe maximos cogantur, & quæ id genus alia ſunt. Quibus Ebraiſmi morbis cum hac hypotheſi utcunque medela afferri poſſit, & utilitatem & neceſſitatem ejus inde evincit: ſimulque allatis eorum exemplis, qui jam ſimile quid meditati ſint, affectatæ novitatis ſuſpicionem a ſe amolitur.

Et hæc quidem omnia Auctor noſter in præfatione egit. Nunc qualis ipſius operis ſit indoles, vel unico exemplo demonſtrare conſtituimus. Primus character eſt אב hoc eſt Beth

 ad-

adſpiratum. Beth vero cum domus, hoc eſt, *cubi concavi* ſive *trinæ dimenſionis* figuræ & nomen & picturam habere cenſeatur, Auctor hinc colligit, hanc literam *capacitatis*, vel *receptivitatis*, vel *ejus quod intra ſe aliquid continet*, aut continere poteſt, uno verbo *inexiſtentiæ* notam eſſe. Adhiberi enim eam non modo corpori ipſi ſolido, ſed & ſpatio omni ſive loco, quem vocant, interno, utpote etiam longitudinis, latitudinis atque profunditatis, ſive realiter, ſive per noſtrum concipiendi modum, capaci. Probat hoc partim ex ſignificatione literæ Beth, qua gaudet, quando præfixi vicem ſuſtinet, ubi *in*, *inter*, *intra* notat; partim ex concentu omnium characterum, in quibus litera hæcce conſpicitur. Sic בב hoc eſt Beth continuatum, ſive geminatum, adeoque juxta Auctoris hypotheſin frequentativum, *capedinem continuatam*, qualis in fiſtulis atque canalibus eſſe ſolet, denotare ait. גב autem, ſive Beth cum Gimel, flexus nota, *capedinem* vel *corpulentiam flexam*, qualis in re gibboſa atque tumuloſa eſſe ſolet, in גוב, גבב, יגב, גבא, גבה, גבך, indicare, &c. Quibus ita obſervatis concludit, characterem אב nihil aliud quam ſymbolum *capedinis inteſtino quodam actu agitatæ* eſſe, internumque denotare *impulſum corporis expanſivum*, quando id intra capedinem ſuam quaſi ebulliens, & fermentativo motu actum, terminis ſe ſuis continere nequit, adeoque ex ſe ipſo quaſi egreditur, vel ſui quid foras emittit. Obſervat quoque, huncce characterem in deſcendentibus ſuis partim de liquoribus in vaſe impetu magno fermentantibus adhiberi, partim ad humores corporis humani in variis actionibus animalibus transferri, imprimis circa illum internum affectuum noſtrorum impulſum in actus externos erumpentem.

Hæc poſtquam de ipſo charactere monuit, ex methodi ſuæ lege primo ſimplicia affert. Inter hæc primum locum occupat vox אָב quæ ad animum transfertur, &, juxta Auctorem, *invincibilem illum affectum* ſive *motum* atque *impetum inteſtinum* animi benevoli ſe continere neſcii denotat. Hinc אָב etiam patrem denotare monet, ob ſingularem amoris affectum, quo proſequi pater liberos conſuevit; quod poſtquam pluribus confirmaſſet, hoc nomen per varias metaphorarum formas ad auctores, magiſtros, nutritios, dominos transferri indicat. Alterum inter ſimplicia locum occupat nomen אוֹב quod Pythonem ſive Spiritum vatidicum, & ſimul etiam utrem deno-

denotat. Miram hanc ſignificandi ambiguitatem ita ſolvere conatur. Nimirum aſſerit vocem אוב vi originis notare *fermentatorium*, hoc eſt utrem, capedinem vel vas quodcunque, intra quod erumpentem ſuperne fermentationis ſuæ motum abſolvit muſtum. Deinde metaphorice hanc vocem ad rem veterum divinatoriam translatam, Pythonem notare, ſive juxta Seldenum, Dæmonium in Pythone loquens, quaſi diceres *utrem interna quadam vi agitatum atque inflatum.* Pythia enim, inquit, mulier afflatu vatidico per pudenda admiſſo, ventre tumebat, & ex turgido hoc utre ventriloqua reſpondere ſolebat, furore tam vehementi, ut aliquando diſrumperetur.

Sequuntur geminata, interque ea vox אבב. Radicem hanc in Chaldaiſmo uſitatam monet, fructificandi ſignificatu, & de vegetabilibus uſurpari. Indicari autem hac voce magnum Philoſophiæ naturalis myſterium dicit, dum per eam vegetabilium generatio internæ cuidam ſucci nutritii fermentationi comparatur, atque hoc putat characterem אב deſignare: geminationem enim ultimæ literæ *augmentum* connotare, non modo ad deſignandam rerum progerminantium innumerabilem copiam, ſed & imprimis vegetativæ illius fermentationis intenſiorem gradum. Derivat hinc nomen אָבִיב quod ex ſua hypotheſi *inteſtinam ſucci vegetabilis fermentationem* ſumme progerminantem & in altum adſcendentem denotare autumat. Sic Exod. IX, 31. dici, *hordeum erat* אביב hoc eſt, *ſucco fermentante erumpens*, id eſt, protruderat ex graminis vagina culmum, vel ex culmo ſpicam muticam. Præterea combinari etiam hanc vocem cum aliis vocabulis obſervat. Unde Ezechiel. III, 15. memoretur תֵּל אָבִיב collis Abib, per quem regionem ignotam, ſed tamen a fertilitate nomen ſortitam, deſignari putat. Eadem voce אָבִיב etiam inſigniri *menſem multæ progerminationis*, ſive menſem illum multum germinantem, hoc eſt, Niſan. Tandem & vocabulum אב, quod non pro ſimplici ſed geminato, licet compendioſe ſcripto, habet, hinc deducit. Denotari eo putat inteſtinam ſucci vegetabilis fermentationem, ſupremumque germinatum, & ſic adhiberi Job. VIII, 12. item Cant. VI, 10.

Geminatis ſubnectit aucta, & primo quidem aucta ab initio. Comparet hic radix יאב, quæ ſemel tantum, videlicet Pſal. CXIX, 13,

occurrit, & per *voluit*, *deſideravit*, *concupivit* &c. verti ſolet; plane ad hypotheſin Auctoris. Significatione enim characteriſtica τῦ אב ad animum iterum tranſlata, vox hæc denotabit inteſtinum animi quaſi fermentantis & continere ſe neſcii æſtum. Altera radix, quam huc refert, eſt כאב. Qua juxta Auctorem denotatur *incurvatio* vel *curvando facta depreſſio omnium extenſionum* vel *corporis alicujus ſe expandentis*. Caph enim curvaminis notam eſſe: אב autem corporis capedinem ſuam expandentis indicem. Significationem hanc ipſo uſu verbi, ſive per *dolore afficere*, ſive per *vulnerare*, ſive alia ratione vertatur, comprobari autumat. Eandem ſignificationem quoque militare in nomine כְּאֵב quod afflictionem denotare ajunt. Adducitur quoque hic a Noſtro radix inuſitata לאב, unde vocem obſcuram תַּלְאֻבֹת quæ Hoſ. XIII, 6. legitur, deducere ſolent. Cui quidem voci, utpote ex תל & אב compoſitæ, Auctor deſcriptionem regionis montoſæ ineſſe putat, in qua ſcilicet capedines & corpulentiæ multæ collium montiumque ſe invicem ſubſequuntur. Ultima radix, quæ hic locum invenit, eſt תאב quam in prima conjugatione *deſideravit*, in ſecunda vero *averſatus, abominatus eſt*, notare hactenus dixerunt. Auctori autem radix iſta *inteſtinas animi intra ſe commoti agitationes*, ſive *amoris* illæ fuerint, ſive *odii*, denotat, & quidem cum aliqua *conſecutione* vel *ſequela motuum* illorum ſe mutuo inſequentium. Hinc quando cum ל vel אל conſtruitur, tunc utique affectum animi ad, vel adverſus rem, adeoque objecti appetitivum, vi particulæ ſubſequentis importare. Quando autem conſtructio illa objecti affectiva abeſt, verbum hoc nihil aliud notare, quam *internos*, *ſeque mutuo inſequentes animi perturbati agitationes ſuper re aliqua*, quæ ſi objectum affectus hujus moleſtum fuerit, *odioſæ* vel *averſativæ* erunt, *appetitivæ* tamen, ſi de re grata ſermo fuerit. Hinc & nomen תַּאֲבָה per affectum vel inteſtinum animi intra ſe commoti æſtum, ad varia objecta applicabilem recte verti. In medio auctam radicem unicam affert איב in qua characteris ſignificationem itidem ad animi affectus tranſlatam monet. Denotari enim hac radice *animum hoſtilem magno æſtu intra ſe concitum*, *ebullientem quaſi præ odio*, *atque in vindictam totis viribus deſpumantem*. In fine autem aucta radix occurrit אבה, quæ per *voluit*, *concupivit*, verti ſolet.

De-

Derivari hinc nomen אֵבֶה ſolet, quod Job. IX, 26. occurrit, & diverſimode ab interpretibus, obſervante Auctore, redditur. Nec ipſe certi quid definire audet. Putat tamen dari poſſe radicem ab initio auctam, ex charactere בה, *vacui* & *inanitatis* notam, ut adeo naves אֲבֶה ſint *naves vacuitatis* ſive *inanes*. Sed cum conſtans traditio ſit, de fluvio quodam rapidiſſimo אבה dicto, tutiſſimum eſſe putat, huic inhærere & pro nomine hanc vocem proprio habere.

A ſimplicibus tandem progreditur ad compoſita. Comparet hic vox אֶבְיוֹן quam ex אב *interni animi male affecti æſtus atque agitationis* nota, & יון *preſſionis* vel *niſus propulſivi & amolientis* ſigno, compoſitam eſſe putat, ut adeo denotet hominem animo intra ſe afflicto & in moleſtias propulſandas vel amoliendas nitentem. Hinc deſcendit vox אֶבְיוֹנָה qua juxta Auctorem *ſtatus* vel *afflictio* miſeri illius hominis modo deſcripti, indicatur.

Agmen claudunt mixta. Hic occurrit vox אֲבוֹי quam *æſtum agitationemque internam animi ob rem deſideratam anxie intra ſe affecti* denotare, Auctor principiis ſuis inſiſtens, demonſtrat. Præterea ad hanc claſſem refert vocem אֲבַטִּחִים quæ Num. XI, 15. legitur. Repetit hic, quod jam in Geneſi L. S. dixerat, circa rei exoticæ appellationem nihil præter conjecturas, easque valde lubricas afferri poſſe. Interim eam compoſitam eſſe arbitratur ex אב *corpulentiæ* vel *capedinis cujuscunque, intra quam aliquid agitur*, nota, & בט *corpulentiæ recurvæ vel capedinis arcuatæ* indice, & tandem ex טח *arcuatæ combinationis*, vel *per arcus, anfractusque recurvos factæ affixionis* cujuscunque ſymbolo. Quæ omnia in pepones ſive *cucurbitas* omnium optime quadrare, concludit. Sed hæc ſufficiant ad inſtitutum Auctoris declarandum. In ceteris enim characteribus eadem plane ratione procedit.

Der gnädige und gerechte Wille GOttes ꝛc.

hoc eſt,

***TABULA TESTAMENTARIA HUMANO-DIVINA, SIVE HARmonia Juris Humani & Divini in pacto ultimarum voluntatum inter extraneos, deducta a CASPARE EXNERO, verbi divini Miniſtro in Luſatia Superiori.***

Lipſiæ & Francofurti, apud Jo. Williſch, 1697. in 4. Alphab. 3. plag. 15.

UT Politicis etiam, ac iis, qui Juridica ſtudia ſectantur, articulorum fidei

fidei notitiam paulo accuratiorem penitioremque, modo ad ipſorum palatum quam accommodatiſſimo, inſtillaret Reverendus hujus libri Auctor, conſultum ipſi viſum fuit, univerſum Syſtema Theologicum ſub ſchemate terminorum in doctrina de Teſtamentis ſeu ultimis hominum voluntatibus in iſtorum libris frequenter obviorum, exhibere, multum approbante inſtitutum hoc in addita præfatione peculiari maxime reverendo D. Alberti noſtro, qui, quantum commodi apud Politicos habeat hæc docendi methodus, ex uſu libelli, quem ſub titulo *Intereſſe Religionum* olim vulgavit, (confer Acta noſtra A. 1682. p. 47. ſeq.) ſe ſatis perſpexiſſe innuit. Præſens vero labor ita ſuccedit, ut poſt indicata ea, quæ ad Teſtamenti definitionem pariter ac variam diviſionem faciunt, oſtendat Auctor, ubinam verba Teſtamenti hujus ſacri contineantur, in *Scriptura* nempe, quam ex inſtituto, ut ſolent alias Theologi in hoc articulo verſantes, delineatam dat. Teſtatoris ubi meminit, articulum de *Deo* pertractat. Hæredes hinc conſiderat, ad quos devolvi poſſint bona, dumque uti neminem peccatorum, ita nec ſcortatores aut libidinoſos alios ab hæreditate, ſi pœnitentiam egerint, excluſos ait, hoc in loco ſtatim anſam arripit inſerendi locum de *Conjugio.* Tres autem ſtatus circa capacitatem in hærede obſervandos ſiſtit, ſtatum inſtitutionis, ubi de *Imagine Dei;* deſtitutionis, ubi de *Peccato* in genere, & ſpeciatim de peccato originali ac ejus imputatione; reſtitutionis, ubi de *ordine ſalutis noſtræ* deque *Gratia Dei ſufficiente & abundante* diſſerit. Ad teſtes Teſtamentarios delatus, inter hos *Eccleſiam* quoque nominat, cumque teſtari nonnunquam idem ſit ac a præcone pronunciari, idcirco locum de *Miniſterio Eccleſiaſtico* heic excutit, cui doctrinam de *Clave ſolvente & ligante* adjungit. Cauſam moventem internam apud quemvis Teſtatorem benignam eſſe ipſius voluntatem monſtrat, ac proin de *Voluntate Dei homines ſalvandi* agit, Teſtamenta vim legum obtinere ubi monuit, mox de *Lege Dei* tum generatim, tum ſigillatim de naturali, morali, ceremoniali & forenſi diſſerit. Inter cognata & adjuncta Teſtamentorum primo loco examinandam ſumit Legitimam, eamque trahit ad *Gratiam Dei univerſalem;* dehinc Præcipuum ſive Prælegatum adducit, & exinde anſam capit celebrandi *Gratiam Dei ſpecialem*, quæ in actionibus ad noſtram ſalutem atti-

nentibus

nentibus ſe exerit. Legatum, fideicommiſſum, ſive hæreditatem fideicommiſſariam applicat ad *Dona tum adminiſtrantia, tum ſanctificantia,* Chriſto, ut ea inter homines diſtribueret, concredita. Executores Teſtamenti vocat *Angelos* & *Magiſtratum Politicum*, deque hoc non minus ac de illis fuſe commentatur. Inter conditiones Teſtamentarias primum agit de *Pœnitentia*, mox de *Fide*, porro de *Cruce & calamitate*, de *Oratione*, de *Unione cum Chriſto*, ac de *Perſeverantia finali*. Subſcriptionem, ſigilla, & recognitionem Teſtamenti ita ad ſuam allegoriam proſequendam huc allegat, ut ſub iſto involucro doctrinam de *Sacramentis* qua veteris qua novi fœderis inſinuet. Nec contrariorum & cum Teſtamento pugnantium obliviſcitur, qualia præteritio, cujus occaſione in *Reprobationem negativam*, *ſeu non-electionem* Reformatorum inquirit; exhæredatio, cum qua juſtam *damnatorum rejectionem* comparat, ejusque cauſam *incredulitatem finalem* eſſe innuit. Infirmationem in Teſtamento divino nullum habere locum agnoſcit; de querela tamen, quam vocant, inofficioſi Teſtamenti, ex parte damnatorum ex Sap. V. quid ſentiendum ſit, explanat. Quibus ita expoſitis, mox tria tempora circa Teſtamentum hoc conſideranda eſſe ait, tempus nimirum Teſtamenti conſtituti, mortis teſtatoris, & quando aditur hæreditas. Ad primum tempus refert opera tum anteſecularia, atque huc doctrinam de *Prædeſtinatione*; tum ſecularia, atque huc articulum de *Creatione*, deque *Statu Angelorum partim bonorum, partim malorum*, de *Anima* quoque *hominis ejusque corpore*; articulum item de *Providentia*, cui diſquiſitionem de *termino vitæ*, de τῷ ϑείῳ, de *fato*, de *ominibus*, *ſignis*, *indiciis*, *conjecturis*, *inſtinctu*, *fortuna*, *caſu*, *ſortilegio* ſubnectit. Hæredes cum ad cernendam hæreditatem invitare fas ſit, *Vocationem* ad gratiam & gloriam heic uberius deſcribit. De facultate peregrinum ad hæreditatem adeundam habilem efficiendi & ſubſtituendi, penes teſtatorem reperiunda ubi loquitur, de *Converſione* hominis doctrinam inſerit, & ab ea ad *Juſtificationis* atque *Renovationis* contemplationem progreditur, ſimulque ob materiarum convenientiam de *bonis* renatorum *Operibus* (inter quæ præcipuum quoque ſit *ſcandali* evitatio,) ſua meletemata exhibet. Tempus mortis teſtatoris ad mortem Chriſti trahit, quæ cum ipſius *Incarnationem* præſupponat, de hac

non minus ac aliis ad *Chriſtologiam* univerſam pertinentibus plene atque accurate ſuos edocet. Ad tempus denique, quando aditur hæreditas, delatus, quatuor Noviſſima introducit, *Mortem* puta naturalem, *extremum Judicium*, *Vitam æternam*, & *infernales Cruciatus*. Mortem tamen excipit *Reſurrectio*, & cum judicio extremo conjungitur *Anti-Chriſti* prolixe ſimul heic deſcripti deletio, *Seculique* tandem *conſummatio*.

## OPUSCULES POSTHUMES &c. i. e.

### *OPUSCULA POSTHUMA MENJOTI, CONSILIARII ET MEdici ordinarii regii Pariſienſis.*

Amſtelodami apud Henr. Desbordes, 1697. in 4. Alph. 2. plag. 10.

AUctor libri hujus, quem non poſtremo inter Medicos ponendum loco poſtulat Editor, varia de diverſis rebus chartæ inſcripta ad amicum in Belgium miſit, ut illa typis deſcribi curaret. Mortuus vero ante Auctor, quam liber lucem videre poſſet, fatoque hinc prohibitus fuit, quo minus conata ſua in effectum deduceret. Amicus interim, cui rem omnem commiſerat, illa cum Noſtro ſepulta noluit, ſed officio atque amori, quo in eum ferebatur, ſatisfacturus, excudi juſſit, tituloque *Opuſculorum poſthumorum* inſignivit. Ordine, quem Auctor, antequam fatis conceſſit, præſcripſerat, ſervato, Editor opuſcula exhibet in duas diviſa partes, quarum altera res phyſica & medica illuſtratur, altera examinantur res ad ſacra & religionem ſpectantes. Quædam ſpeciminis loco delibabimus. Inter alia in lactis materiam ſtudioſe inquirit,
p. 72. num ſanguis, an chylus pro ea haberi debeat. Veteribus aſſenſum ſuum, qui ſanguinem materiam lactis crediderunt, præbere haud dubitat, quod mammis adductus intra harum glandulas ſecernatur, & in earum alveos lactiferos deponatur. Confirmatur in hoc, quod nutrices Pariſienſes teſtentur, tantam fere lactis copiam, quæ reſpondeat ſolenni fluxui menſtruo, e mammis exprimi; imo nullo menſium fluxu niſi rariſſime vexari fœminas, quam diu operam dant infanti lactando. Rationes, quæ contrariæ opinioni magis favent, adducit, debilitatisque convincit. Literis porro ad Dn. Puerari exaratis ſignificat, theſes, quas ipſe de elementis ediderat, ſibi multum præbuiſſe gaudii, quod ſententiam Carteſii, quam alii mordi-

eus defendere, alii nimium averſari ſtudeant, terſe nitideque explicarent; in eo facile ipſi adſtipulans, Philoſophiam Carteſianam ſatis ingenioſam videri, cum veritate vero nullo modo congruere. Dolet bona fide Noſter, plurimos, ſcriptis Carteſii ante perlectis, quam judicium cum ætate acceſſiſſet, ſibi ipſis imponere; hinc contemptui habendo negligendoque veteres, ex quibus tamen vera ſolidaque ſcientiæ fundamenta hauriantur. In Epiſtola denique plane diverſa & ad alium ſcripta, omnia illa, quæ de indiviſibilitate materiæ, vacuo, lumine Solis, & beſtiis ſenſuum expertibus, a Carteſio hactenus oſtenſa ingenioſe ſunt, vanis ſuperſtructa rationibus, falſitatis arguere haud ambigit. Etenim falſo principio innixum, quod quantum nequeat conſiſtere ex non quantis, ac omne quantum ſit extenſum atque idcirco ſemper diviſibile, in errorem lapſum fuiſſe, ut ſibi perſuaderet, materiam in infinitum diviſibilem eſſe, haud miratur. Interim principium diviſibilitatis haud extenſionem ſtatui poſſe, ſed juxtapoſitionem plurium partium declarat, ex quibus conflatum corpus in partes iterum, quibus ſuam originem debet, facile poſſit dirimi; concludens, atomos Democriti, quod omnis compoſitionis expertes ſint, non poſſe naturali modo ſecari. Cum de vacuo quæritur, etſi largiri velit Carteſianis, particulas materiæ ſubtilis dividi poſſe in infinitum, rapidoque ac ſempiterno agitari motu; necdum tamen adduci poteſt Noſter, quin perſuaſum habeat particulas non poſſe non diverſimode eſſe figuratas, adeoque poſt earum commixtionem ſpatiola inter eas vacua relinqui. Quæ de lumine Solis habent, quod eo demum tempore, quo anima noſtra ſentit globulorum aeris compreſſionem, ab impulſu ſubtilis materiæ Solem conſtituentis natam, lumen jure appellari poſſit, pernegat Noſter, monſtrando, quæ hinc ſequatur, poſitionem incongruam, quod lumen ante creatum hominem non fuiſſet; quam S. Scripturæ verbis e diametro contrariari, nemo non facile conſpicit. Denique animalia bruta puras dici poſſe machinas ſenſibusque deſtitui negat, cum & iis organa ſenſuum, oculi, aures, nares &c. a Deo conceſſa non alium in finem fuerint, quam ut beneficio illorum anima corporea ſentiret. p. 154.

Alteram partem hujus Collectionis quod attinet, ea quæ ad fidem & religionem, controverſiasque imprimis pertinent, Opuſcula

illa complectitur. In quibus utut exquiſitum illud, quo Theologi in hujusmodi argumentis verſari ſolent, ſtudium deſiderari, facile largiamur; haud pauca tamen in iis deprehendimus, quæ & prodeſſe & delectare, & ut melius quam de plerorumque Medicorum religione vulgus ſolet, de Auctoris pietate feramus judicium, perſuadere queant.
p. 212 Digna inter alia eo ſunt illa, quibus *Ludovicum Molineum* Londinenſem Medicum, qui in *Paræneſi* ſua perquam abſonam de excommunicatione eccleſiaſtica proponere auſus fuerat ſententiam, ad meliorem viam reducere conatus eſt. Ejus nimirum exercitium Paſtoribus Eccleſiæ, quorum ſcilicet officium ſola verbi prædicatione & adminiſtratione ſacramentorum abſolvatur, ille abjudicaverat. Cum autem periculo non careat, impœnitentes infamium flagitiorum reos in Eccleſiæ communione retineri, Principum vel conſtitutorum ab iis Magiſtratuum eſſe voluerat, excommunicationis vibrare fulmina. Verum hanc ſententiam variis argumentis parum tutam Menjotus noſter eſſe evincens, eam potius tuetur, quæ maximi nominis Reformatæ Eccleſiæ Doctoribus ſeſe probavit, toti fidelium particularis cujusque
p. 248. Eccleſiæ corpori poteſtatem illam reſervari cupiens. Miniſtrorum Eccleſiæ vocandorum jus ad totam Eccleſiam; non ad πρεσβυτέρους ſive Seniores aut Conſiſtoria tantum pertinere, occaſione controverſiarum quarundam ea de re in Eccleſia Proteſtantium apud Pariſios ortarum, & Scripturæ autoritate, & conſtanti Eccleſiarum Reformatarum in cæteris Galliæ partibus praxi, & præſtantiſſimorum Doctorum conſenſu, imo & antiquioris Eccleſiæ exemplo aſſertum ivit.
p. 260. Atque ut certior huic ſententiæ conſtaret veritas, argumenta quoque ſolicite confutavit, quibus nitebantur ii, quorum animos contraria occupaverat opinio. Ex iis primum, ejusque ſolutionem attingere, abs re non judicavimus, eo quod doceat nos nonnulla non adeo forſan omnibus nota. Scilicet ſuperiori ſeculo condemnatam jam eſſe *Menjoti* noſtri ſententiam in *Morellio* quodam, adverſæ partis patroni objecerant, cujus librum de *Diſciplina Eccleſiaſtica* ſub examen non tantum diſſimulato nomine *Th. Beza*, in libro cui titulum fecerat *Confirmatio Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Eccleſiarum Reformatarum in Gallia* revocaverit, ſed gravi etiam cenſura notaverit Synodus nationalis anno ſuperioris ſeculi 62 Aureliis celebrata: quæ etiam a ſacra Cœna *Morellium* ob librum iſtum abſtinere juſſerit. Quod utut

utut ob errores Anabaptiſticæ confuſioni & Independentiſmo faventes potiſſimum factum eſſe Noſter obſervet; negare tamen non poteſt, hanc ipſam quoque, quam nunc tuetur, in eo ſententiam expreſſe condemnatam fuiſſe. Verum in iſta reformationis infantia, tyrannici ſpiritus reliquias in Doctoribus Reformatis agnoſcere non veretur: niſi potius Synodi decretum ob certas temporum circumſtantias ſancitum, Hieroſolymitani Concilii decretis quibusdam (Act. XV, 20.) ſit comparandum. Et hoc quidem eo magis probabile ei videtur, quod illo jam tempore maximi Doctores, & ipſe etiam *Calvinus*, non Synodi illius ſententiam, ſed eam quam ipſe defendendam ſuſceperit, defenderint: unde & nullo idoneo argumento *Bezæ* adſcribi librum contra *Morellium* publicatum ſtatuit. Quod Petrum armata manu iis, qui, ut Chriſtum caperent, ablegati fuerant, reſiſtere parantem, non prævenerit ſevera admonitione Salvator, ideo factum eſſe ſtatuit alicubi celebris Reformatæ Eccleſiæ Doctor *Jurius*, ut licitum eſſe oſtenderet, arma contra magiſtratum pro Chriſto & religione arripere. *Meldenſis* contra *Epiſcopi* ſententia eſt, propterea id factum eſſe, ut naſceretur hoſtibus Chriſti occaſio, eum tanquam criminis læſæ majeſtatis reum *inter maleficos* ſecundum Prophetæ effatum *referendi*. Utramque ſententiam tanquam periculoſam & circumſtantiis Evangelicæ hiſtoriæ parum congruam *Menjotus* confutat, nullam aliam cauſam, quam ut locus eſſet miraculo in *Malcho* patrando, ſubeſſe perſuaſum habens. Silentio plane prætereundæ non ſunt obſervationes ad Commentarium ejusdem *Meldenſis Epiſcopi* in Apocalypſin S. Johannis, quas inter præcipua dubio procul illa eſt, qua confutat ſententiam ejus de ruina Babylonis, utpote cui maximam partem ſuperſtructa eſt tota libri illius a *Præſule Meldenſi* inſtituta explicatio. Per eam ſcilicet nihil aliud, quam Romanæ urbis evaſtationem ab *Alarico* factam intelligendam eſſe ille ſtatuit. Sed eam ſententiam duobus potiſſimum argumentis Noſter refellit, quorum primum eſt, quod Gentiliſmo eo tempore Roma addicta amplius non fuerit, adeoque nec Babylon exſtiterit: alterum, quod deſtructa penitus non fuerit, id quod Babyloni tamen eventurum eſſe, Apocalypſis aperte teſtetur. Agmen inter hæc opuſcula claudit formula abjurationis religionis Proteſtantium, ex *Epiſcopi Meldenſis Doctrina Eccleſiæ Catholicæ*

p. 272.

p. 280.

p. 417.

*ca* concinnata, cujus nullus alius eſt finis quam oſtendere, talem ab eo repræſentari Eccleſiæ Romanæ fidem, qualem nemo alius unquam illius Eccleſiæ Doctor agnoverit; verumque adeo de eo libro Archi-Epiſcopi Pariſienſis Doctorumque Sorbonæ & aliorum judicium fuiſſe, qui ita a *Meldenſi Præſule* proponi cenſuerint Romanæ Eccleſiæ doctrinam, ac ſi puderet illum Catholicæ fidei nude & ſincere ob oculos poſitæ. Antequam autem finem de poſthumis hiſce *Menjoti* opuſculis loquendi faciamus, non poſſumus non monere oppido, multa in iis etiam haberi ad Virorum illuſtrium o-
p. 299. perumque eorum cognitionem pertinentia. Huc referas licet *Huetii* querelas in Epiſtola ad *Menjotum* effuſas, quibus fratrum ignorantiæ quorundam proſequitur judicium quod de elegantiſſimo ejus libro, quo *Concordiam Rationis & Fidei* docuit, tulerant, religionem Chriſtianam cum Gentilium fabulis ab eo contendi acriter reprehendentes. Eundem *Huetium* ut de concordia inter Proteſtantes & Pontificios ineunda aliquid commentari aggrederetur, *Menjotus* monuerat, atque idem alios maximi nominis inter Proteſtantes, exteros potiſſimum, ab eo exegiſſe, ex reſponſoriis *Huetii* litteris patet, qui ſucceſſu non deſtitutum iri tale opus inter Proteſtantes, polliciti fuerint. Verum non audere ſe tali operi admovere manum ait, quod Romanenſium Doctorum animos ita ſciat eſſe comparatos, ut de concordia ineunda ſpei admodum exiguæ
p. 301. locum relinquere videantur. De *Edmundi Albertini de Sacramento Euchariſtiæ* opere, mirabilis *Pelliſſonii* judicii hic quoque meminiſſe, abs re forſan haud fuerit: ſcilicet ei ſe unice debere, non *Bellarmini* aut *Perronii* ſcriptis, quod Eccleſiæ Romanæ nomen dederit. Verum cum *Pelliſſonius* modum, quo armis *Albertini* contra Proteſtantes uti liceat, edocere auſus non fuerit, & liber etiam ille integris ſeptem ante *Pelliſſonii* ab Eccleſia Reformata diſceſſum luſtris in lucem editus, ſero adeo & non antea id in eo effecerit, merito Menjotus epicriſin ſuam illo Satyrici expreſſiſſe videtur: *credat Judæus Apella, non ego.* Colophonis de-
p. 360. nique loco addere liceat, quæ de *Juſti Lipſii* morte & ultimis verbis refert. Scilicet eum, cum fato ſuo vicinus jam eſſet, juſſiſſe ait, ut toga, qua in morbo utebatur, e pellibus muſtelinis confecta, ſibi detraheretur, & ad quandam B. Virginis deferretur imaginem,

devoti

devoti in eam animi teſſera: quam etiam, utut neceſſariam valde ægroto & indigo redderet maxime tum ſævientis hyemis tempeſtas, læti acceperint imaginis illius cuſtodes ſacrificuli, B. Matris favorem illius nomine pro gratiſſimo dono ei polliciti. Quo ille mirum in modum recreatus, paulo poſt verba illa; *nunc dimittis ſervum tuum DOMINA*, pariter ac animam exſpiraverit.

*MARTINI LISTER CONCHYLIORUM BIVALVIUM UTRIUSque Aquæ Exercitatio Anatomica Tertia. Huic accedit Diſſertatio Medicinalis de Calculo Humano.*

Londini, ſumptibus Autoris, A. 1696. in 4.

Conſtat plag. 30. & Fig. æn. Tab. 9.

QUamvis nobiliſſimus Autor in *Hiſtoria Conchyliorum* à nobis in *Supplem. Tom. 2. Sect. 5. p. 248.* commemorata, primum Cochleas terreſtres, hinc Teſtacea fluviatilia, tum Bivalvia marina, ac denique Buccina marina, delineari curaverit; pro Anatomia tamen eorundem curioſius evolvenda, poſtquam hactenus in *Exercitatione prima* A. 1695. menſe Jul. p. 316 recenſita de terreſtribus Cochleis, in *altera* vero *Supplem. Tom. 3. Sect. 2. p. 85.* exhibita de Buccinis fluviatilibus pariter atque marinis egit, Bivalvia Conchylia utriusque aquæ in *Exercitatione ultima*, quæ hic ſiſtitur, exacte voluit deſignare, quod in talibus alius partium ordo aliaque viſcerum ſcena exhiberi videretur. Scilicet ex Bivalvibus fluviatilibus *Muſculorum* nonnullorum, ex marinis autem *Pectunculi ſtriati vulgaris*, *Tellinæ*, *Chamæ*, *Mytuli*, *Oſtreæ*, *Pholadis*, *Conchæ anatiferæ*, & *Balani* diſſectionem Autor celeberrimus tradens, in *Muſculis*, præter duplex ligamentorum ſive muſculorum par, ad teſtarum aperturam & clauſuram faciens atque margaritas involvens, itemque membranas quasdam externas, molles admodum laxasque, totum fere animal inveſtientes ac utrique valvæ intrinſecus adnectentes, talem partium ſeriem annotat, ut pes carinatus omnium ſit extimus in mediis branchiis eminens, hunc autem venter excipiat, in quo tamen os, meconiumque ſupremam ejus partem, infimam autem ovarium & genitalia occupent, aſt retro ad cardinem maxime vitalia inſtrumenta in tuto latitent, hepar nempe præcordiale & cor ipſum, pericardio inhærens apiceque caput animalis ſurſum ſpectans, adeoque natu-

ræ

ræ ordo in ejusmodi animalibus, dudum obſervante *Ariſtotele*, inverſus quodammodo habeatur. Quod Bivalvium autem marinorum anatomen concernit, in *Pectunculo* pariter *ſtriato vulgari* pedem vomere quaſi inſtructum, duo ligamentorum ſive muſculorum paria teſtas aperientia & claudentia, membranas extimas tota viſcera & branchias involventes ac in craſſiorem ſeu muſculoſam fimbriam deſinentes, tracheas duas in ima fimbriæ iſtius parte poſitas & quatuor branchiis interioribus continuatas, aquam alte ejaculari valentes, os cum duabus auriculis, ſtomachum, inteſtina, meconium, atque ſub hoc ſtylum quendam teretem & cryſtallinum, generationis denique inſtrumenta in ventre, ac in dorſo pericardium cum contento corde, fere circinato, deſcribit. Saltem in *Tellina faſciata* peculiariter branchias dentibus ſive radiis rarioribus & evidentibus admodum diſtinctas, ac in ſuperiori pedis carinati, multum extenſi, parte penis veſtigium lateſcens, in *Chama* vero *fuſca ſtriis tenuiſſimis donata*, duas tracheas, aquæ itidem & aeris ejaculationi inſervientes, ad digiti circiter longitudinem exeri poſſe, inque media pedis rectioris planta velut penem quendam exire, atque apicem cordis, ad medium deorſum inter duo ligamenta protenſi & figura conica præditi, deorſum vergere, obſervat. Equidem *Mytuli* diſſectionem cumprimis ab *Antonio de Heide* ac *Leeuwenhoekio*, *Oſtrei* anatomen a *Williſio*, ac *Balani vulgaris* deſcriptionem a *Leeuwenhoekio* mutuo petit, circa Oſtreas tamen & Mytulos alia quoque addit, ab Autoribus laudatis penitus neglecta. Sic cor Mytuli, de quo altum apud *Heide* ſilentium, pinnatum ſive biventre indigitat, ſub ipſo cardine inter duo ligamenta ad dorſum tali ratione extenſum, ut altero ſui extremo ad tubulum aereum, ubi in branchias dividitur, tendat, altero vero ſurſum ad caput & papaver procedat, dum pinnæ utrinque a latere ſuis membranis alligantur, totum autem pericardio, i. e. tenui membrana late & laxe diffuſa pellucidaque continetur. In Oſtreis vero, caput liberum obtinentibus, branchias veras a muſculis circularibus ſive extimis, branchiarum nomine itidem a *Williſio* inſignitis, accurate diſtinguit, earumque uſum æque ac in univerſis Bivalvibus triplicem exponit, quaſi illæ non ſolum reſpirationi, ſed & victui aſſumendo ac fœturæ nutriendæ videantur litare, cum branchiæ in Oſtreis pelagicis fere

re albicent, in Oſtreis autem cœno littorali vireſcenti ſervatis ipſæ vireſcant, hinc ſubtiliorem ſeminis a maribus Oſtrearum effuſi partem excipiant, exceptamque ad ova, branchiis adpoſita & impregnanda, deferant. Oſtreis quippe, Pectunculis & Muſculis fluviatilibus diſtinctum attribuit ſexum, Muſculos autem marinos ſeu Mytulos androgynos ſuſpicatur. Verum *Pholadis alte ſtriatæ* ſectionem porro ſuſcipiens, teſtas hujus non tres, ſicut olim, ſed quinque potius enumerat, quarum duæ potiores & majuſculæ laterales perinde ac in cæteris biforibus exiſtant, duæ autem minutæ, dorſales, latiuſculæ, contrario ſitu poſitæ, ac quinta denique anguſta & longiſſima infra cardinem protendatur. Quibus teſtis aſperitatem mirandam vel ideo reputat convenientem, ut veluti lima quadam ſaxa perterebrare, cavernulasque in iis pro ratione incrementi ſui ampliare & dilatare queant; prout virtutis hujus roborandæ gratia, huic animalium generi, præter ligamenta duplicia muſculoſa, cum reliquis Bivalvibus communia, teſtaceæ quoque apophyſes quædam, longiuſculæ & cavæ ſint conceſſæ, coſtarum inſtar ad cardinem intus diſpoſitæ, ac teſtis validius circumagendis perquam accommodatæ. Inter alias partes ab inferiori teſtarum extremitate ingentem a Pholade exeri tubum trachealem, ipſa concha multò longiorem, craſſum admodum & tantum non cartilaginoſum juxtaque apicem bifidum commemorat, cor autem tanquam e veſiculis conflatum & inteſtino recto ſtabilimenti loco firmiter adaptatum comparere. *Concharum* denique *Anatiferarum* teſtas & numero & diſpoſitione cum Pholadum easdem ſubinnuens, de cirris iſtis, qui ſolent exeri, nihil certi determinat, pro pede autem in iis pediculum quendam mirabilem e duplici membrana contextum, totaque viſcera purpurea, ſi meconium ex purpura nigricans & generationis organa albicantia, ex divaricatione conſueta facile dignoſcenda excipias, oſtendit.

De cætero quemadmodum ſectionibus Conchyliorum Bivalvium hactenus luſtratis *Auctarii* vice nonnulla præmittit, non modo Exercitationes duas priores de Cochlea terreſtri, fluviatili, ac Loliginis Anatome, verum hanc ipſam quoque Exercitationem tertiam quoad Pectines & Mytulos concernentia: ita *Coronidis* loco aliquot Diſputationum capita circa partes enarratas ſuborta, v. g. de

Automatis ſive ſponte ortis, de Teſtis Conchyliorum, Margaritis ac Calce & Sale teſtarum crematarum, de Aquis quibusdam medicatis Anglicanis, de Nitro Veterum, de Tincal ſive Borrace, de Pulverum teſtaceorum uſu medico, de Petrificatione, &c. ſubjicit. Primo nempe Bivalvia non minus, quam reliqua inſecta, Automatum ſeu ſponte ortorum numero eximit, quod ſexus diſcrimen in iisdem, falſo ab Ariſtotele & Galeno negatum, ad oculum valeat monſtrari, ac animalia convenientius a Poetis, quam a Philoſophis fingantur Automata, licet de modo & tempore coeundi nihil adhuc certi conſtet; prout nec ratio generationis in univerſum omnis pateſcat, nondumque ſatis intelligatur, quid vel mas ipſe in generatione efficiat. *Leeuwenhoekio* namque & aliis, qui a vermiculis, ſemini maſculino innatantibus, ſolum generationis cum effectum tum materiam hodie deducunt, plura adhuc problemata enodanda ſupereſſe, v. g. cur ova fœminis dentur? cur a galli ſemine, animalculis deſtituto, multa ova uno congreſſu fœcundentur? cur inſectorum plerorumque ova ipſo coitu adulta ſint & partui apta? imo cum in aliquibus nulla coitio requiratur ad ova fœcundanda, ſed tantum ſeminis adſperſio, an ſic animalculis commodior ſit ingresſus in ova duriuſcula? cur animalcula in ovis nullibi, ne puncto quidem vitelli, reperiantur? cur in uniparis & pauciparis animalibus æque numeroſa exiſtant iſta animalcula in ſemine maſculino, ac in multiparis? quorſum hæc perditio? &c. Vermiculos autem in ſemine maſculino microſcopii adjumento detectos, animalcula ſui generis videri, in humore ſeminali, utpote multum diuque accumulari ſolito, copioſiſſime ideo forſan prognata, ut animantes partim ad coitum ardentius excitarent, partim tenuiſſimos ductus ſeminales, quos in concubitu tranſeunt, confertim titillando majori voluptate perfunderent, quoniam pereunte coeundi voluptate aut ſemine involuntarie absque titillatione effluente, v. g. in gonorrhœa virulenta, ejusmodi etiam animalculorum proventus ceſſat. Hinc ad Conchyliorum teſtas atque margaritas accedens, fabricam illarum a *Stenone* & *Leeuwenhoekio* exhibitam approbat, ſaltem materiam earundem duplicem, i. e. e ſucco vitali & lapideo permixtam ac plurimis membranis lamellatim diſpoſitis incluſam ſtatuminat; haſce vero ſive margaritas, in ſeneſcentibus tantum aut alias morbidis conchyliis

circa

circa capita muſculorum valvas claudentium provenientes, ſola figura a teſtis ipſis diſcrepare, cum *Stenone* itidem aſſerit, rationem cumprimis a coloris utrobique identitate deſumens, ac Medicos idcirco redarguens, qui pulverem teſtarum margaritis ſubſtituere verentur. Sed cum teſtæ crudæ lapidis quandam naturam referre, merito viſæ fuerint veteribus, earundem porro cum lapide convenientiam, tum e calce præſtantiſſima, quæ e conchyliis combuſtis paratur, quam e ſale, cum lapidis calcarii ſale prorſus coincidente, explanat, ſimulque lapidis & ſalis calcarii in aquis medicatis exiſtentiam, in Tractatu *de Fontibus Angliæ medicatis* propugnatam, novis experimentis confirmat. Imo quia Nitrum veterum, a Sale Petræ hodierno omnino diverſum, duplicis generis a *Plinio* recenſetur, urinoſum alterum & in aere facile reſolubile, alterum lapideum, amarulentum & candidum, hoc ultimum Sali calcario annumerat, figuram novi cujusdam Salis foſſilis viſcoſi, Tincal appellati, ac depurati Borracis Veneti nomine venientis deſignans, uſumque pulverum teſtaceorum ad ventriculi concoctionem, ſola attritione haud abſolvendam, proficuum declarans. Ubi demum petrificationis rationem ſalibus appropriatis, cum convenientibus particulis lapideis commixtis, nec ab aqua amplius ſolvi aptis, adjudicavit, quæſtionem in ſpecie de Conchitis ſeu veris lapidibus ad imaginem concharum figuratis, an tales petrificationis vera ſint ſoboles, ventilat. Exactiori tamen hujus ſolutione amiciſſimo ſuo *D. Floid* relicta, Teſtarum foſſilium tria ſolum genera a *Stenone in Tr. de Solido intra Solidum*, minus accurate exponi notat, quod tertium genus incertum videatur, quartum vero quintumque addendum, umbræ puta Conchyliorum ſive ſimulacra horum Pyriti fiſſili aliquando impreſſa, atque Conchitæ in hominis interdum viſceribus ex multorum allegatorum Autorum obſervatione occurrentes, ab ipſo prorſus negligantur. Ne quis autem dubitet, Conchitas in terra, ſaxis & ipſis animalium corporibus, ſola materiæ lapideæ coalitione, in morem cryſtallorum poſſe figurari, e multis lapidibus perpetuæ figuræ ſponteque concretis, terrigenas illas Columnas ſive Aſtroitas novæ figuræ, ad littus maris Scotici quæ cernuntur, ac in *Transactionib. Philoſ. Anglic. N. 212.* prolixius deſcribuntur, paucis memorat.

Tandem in *Medicinali* quoque *Diſſertatione* ob affinitatem,

quæ *Calculo* cum teſtis Conchyliorum intercedit, annexa, geneſin Calculi, tanquam producti vere lapidoſi, ſali ac lapidi calcario, (in calculis crematis microſcopio detectis) & interdum metallo ferreo, (magnetis ope ex uſtis calculis coram Societate Regia extracto, ) cum quibuslibet corporis humoribus, in plerisq; viſcerum ductibus excretoriis, maxime in renibus atque veſica, concreſcentibus fert acceptam. Remedia calculum expellentia, poſtquam diagnoſin hujus & prognoſin cum indicationibus generalibus tradidit, itemque aliquot calculoſorum curationes, & in ſexagenario diſſecto renem dextrum immenſæ magnitudinis cancroſum, quinquaginta uncias adæquantem atque plurimos calculos exiguos continentem enarravit, ad quatuor revocat claſſes. In prima & præcipua ex inſectis penem Teſtudinis viridis toſtum, Margaritas, Conchyliorum teſtas, crudas pariter ac uſtas, Millepedes, Scorpiones, Canthárides, Lumbricos terreſtres, Cochiniliam, Apes, Formicarum naſcentium cineres, Sericum ejusque ſpiritum deſtillatum, apud Anglos nomine Guttarum Goddartianarum venientem &c. commendat. In altera autem ex animalibus oſſa cremata in capite Tuberonis, Aſelli piſcis, ſimilitumque, Tunicas interiores ventriculi Gallinæ, ſtercus hujus album ac cortices ovorum aduſtos; quemadmodum in tertia claſſe ex herbis diureticis Legumina, cumprimis Ciceres rubros, item Terebinthinam, Balſamum Judaicum, Peruvianum, Copayvæ, Tartarum, Succum Limonum, Amygdalas amaras &c. extollit. In ultima denique claſſe ex mineralibus Corallium, Lapidem Judaicum, Nitrum veterum, Spiritus acidos Salis, Vitrioli &c. Sal Prunellæ, Mercurium dulcem & Aquas medicatas decantat; ab uſu tamen Aquarum harum uberiori eos, qui tono renum & veſicæ labefactato, adeoque diſpoſitione gaudent, qua ipſæ ejusmodi aquæ in calculum concreſcant, ſedulo jubet abſtinere.

## *JUSTIFICATION DE LA DOCTRINE DU SIEUR ELIE SAURIN &c.*

i. e.

## *VINDICIÆ DOCTRINÆ ELIÆ SAURINI, ECCLESIÆ FLANDRO-GALLICÆ ULTRAJECTINÆ PASTORIS CONTRA DUOS PETRI JURII LIBELLOS.*

Ultrajecti apud Ant. Schouten, 1697. 8. Alph. 1. pl. 14.

PRodit denuo in aciem adverſus Jurium Elias Saurinus, objecta ſibi

ſibi in duobus libellis diſcuſſurus. Cum autem Jurius id potiſſimum agat, ut Saurinum erroris profani in doctrina de S. S. Trinitate convincat, aut ſaltem in hoc capite eum ſuſpectum reddat, hic quidem ſuarum partium eſſe arbitratus eſt, ſumma ope iſtam à ſe amoliri ſuſpicionem. Hunc in finem ſuam de Trinitate ſententiam in præfatione ſatis prolixe & perſpicue ediſſerit, nec aliam menti ſuæ ſedere, quam ibidem eloquitur, ſancte teſtatur, eandemque contra infauſtos Socini alumnos, eorumque frivolas cavillationes, pro viribus munit.

Hiſce ita præmiſſis, pugnam capeſſit. Duos autem Jurius contra Saurinum edidit libellos, quos hic ſibi confutandos ſumſit: Uni titulus eſt: *Idée des Sentimens de Mr. Saurin ſur les Myſteres de la Trinité & de l' Incarnation*; alteri: *La Religion du Latitudinaire.* Hunc menſe Februario hujus anni jam exhibuimus: ille ad nos nondum pervenit. Interim Saurinus teſtatur, & ejus quoque reſponſio docet, brevius ſolum & velut in ſumma quadam in eo tractari, quæ in altera commentatione fuſius deducuntur.

Primum principium, ut vocat, hæreticum, cui Saurini Theologiam inniti Jurius contendit, hoc eſt, quod univerſalis Eccleſiæ teſtimonium parum curet, iſtudque infringat, inſuper habita regula Vincentii Lerinenſis, qua iſtud verum eſſe pronunciat, quod omnes Chriſtiani, præſertim omnes Eccleſiæ Doctores, ubique & ſemper verum eſſe crediderunt. Regerit ad hoc Saurinus, ſe omnino docuiſſe, regulam Vincentii triplicem admittere ſenſum: in primo & ſecundo eandem veram quidem, ſed nullius uſus eſſe, cum talis conſenſus, cui tuto inniti queamus, haberi non poſſit: in tertio eandem quidem locum habere poſſe, minus recte autem pro fidei quodam principio venditari; cum conſenſus plurium aut plerorumque Chriſtianorum, præſertim Eccleſiæ Doctorum, magnum quidem momentum habeat, neutiquam autem inſtar demonſtrationis ſit, aut principii recte ſuſtineat vicem. Negat itaque, mentem ſuam a Jurio recte referri, quando dixit, Saurinum negare verum eſſe, quod omnes Chriſtiani, omnesque Eccleſiæ Doctores ſemper & ubique docuerunt: nunquam enim ſibi hoc veniſſe in mentem. Id quidem ſe docuiſſe, talem conſenſum univerſalem omnium Chriſtianorum haberi non poſſe: quod ſi autem haberi poſſit, omnino Part. I. n. I.

 iſtud

iſtud, in quo conſentiunt, pro vero agnoſcere ſe profitetur. Ut autem demonſtraret Saurinus, fruſtra ad talem conſenſum provocari, Patres minime errorum eſſe immunes dixerat: hinc nova Jurio enata accuſatio. Sed nihil ſe de Patribus effatum eſſe, quod non Dallæus & Claudius docuerint, Saurinus aſſerit; ſimul tamen addit, ſi quis conculcatæ Patrum auctoritatis reus peragi poſſit, eum Jurium eſſe, qui illis pro lubitu gravisſimos turpisſimosque, in rebus maxime arduis, ipſaque doctrina de Trinitate, æqualitate perſonarum Divinarum, immutabilitate Dei &c. imputet errores. Cumprimis de Patribus Ante-Nicænis Saurinus profitetur, eos a ſe pro orthodoxis haberi: tantum vero abeſſe, ut Sabellianiſmi eos accuſaverit (ut quidem Jurius contendit,) ut potius exiſtimet nonnullos, ſtudio evitandi Sabellii errorem, ultra quam decet in contrariam partem provectos eſſe, & ad Arrianiſmum proxime acceſſiſſe. Sed quod ad eos attinet, qui poſt concilium Nicænum vixerunt, aut huic concilio interfuerunt, non abnuit, ſua opinione a Tritheismi errore eos liberari non poſſe. Non quidem aſſerere audet, hunc errorem illorum mentibus inſediſſe; ſed tamen in eorum ſcriptis ejusmodi occurrere ait documenta & loquendi formulas, quæ eidem palam faveant. Quod ut evincat, negat de horum Doctorum ſententia e Symbolo Nicæno judicandum eſſe, cum hoc ſatis accurate quidem & clare Arrianorum, quibus oppoſitum eſt, errorem, non autem Tritheismum rejiciat; ſed ex eorum ſcriptis, præſertim quibus aliorum ſententias impugnarunt, & ſuam adeo mentem fuſius magisque perſpicue explicarunt. Præterea ſatis notum eſſe putat, Doctores, qui concilii Nicæni auctoritatem admiſerunt, unam eſſentiam in tribus hypoſtaſibus, ut Græci loquuntur, aut unam eſſentiam & hypoſtaſin in tribus perſonis, ut Latini dicere malebant, adoraſſe: per ὀσίαν autem ſive eſſentiam eos intellexiſſe naturam, quæ ut ſpecies pluribus individuis ineſt; Græcos autem per ὑπόςασιν, & Latinos voce perſonæ, naturam ſingularem ſive individuum deſignaſſe; quod quidem illorum Tritheismum, judice Saurino, ſatis aperte arguit. Atque hæc ita ſe habere, quam plurimis ipſius Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, & Auguſtini teſtimoniis ſe probare poſſe profitetur. Hæc pluribus exequitur, ut in ejusmodi ſcribendi genere fieri aſſolet; mox verba ſua a Jurio non recte intel-

lecta,

lecta, aut allegata, eadem quandoque depravata conqueritur; mox ſuam ſententiam rectam eſſe contendit, aut Jurium idem ſentire probat; mox ſequelarum nexum deſiderat. Sic ex eo, quod aſſerit, & conceſſit, Patres Nicænos, & qui poſt concilium iſtud vixerunt, a Tritheiſmo prope abfuiſſe, negat ſequi, quod Jurius inde colligit, doctrinam de Trinitate eſſe hæreſin Tritheitarum: namque iſtos Eccleſiæ Doctores veram de Trinitate doctrinam tenuiſſe, id quidem eſſe, quod abnuat, iterum inculcat.

Alterum principium erroneum Saurini Jurius hoc eſſe contendit, quod terminos, qui in Scriptura non leguntur, ut *Trinitatis*, *perſonæ*, *eſſentiæ*, *hypoſtaſeos*, *unionis hypoſtaticæ & perſonalis*, *incarnationis*, *generationis & proceſſionis &c.* rejiciat. Reſpondet Saurinus, ſe de voce *perſonæ* ſimilibusve ita ſentire, eas non niſi per analogiam Deo a Theologis tribui, aut tribui poſſe. Hoc maxime verum eſſe de iis vocibus, quæ proprie acceptæ imperfectionem quandam involvunt, uti ſunt generatio, ſpiratio, proceſſio, circuminceſſio, quippe quæ motum, diviſionem, aut tale quid, quod corporibus proprium eſt, & adeo de Deo non ſine ſcelere cogitari poteſt, connotant. Notat hic velut in tranſitu Jurium, quod dixerit, creaturas eſſe emanationes eſſentiæ Divinæ, & ex ea egredi; id quod ex Spinozæ ſchola eum hauſiſſe ait. De voce perſonæ porro docet, eam proprie nil aliud ſignificare, quam naturam ſingularem, aut ſubſtantiam ſingularem intelligentem, completam, & quæ non eſt conjuncta cum alia ſubſtantia ad totum aliquod conſtituendum. Nec aliam fere ideam perſonæ Theologorum mentibus obverſari, cum de Trinitate verba non faciunt, fidenter aſſerit. Nec aliud quid, eo judice, cogitarent, aut mente conciperent, ad hoc myſterium accedentes, niſi res ipſa ſignificationem hujus termini mutare eos cogeret. Etenim ſi eodem modo tres in Divinitate perſonas admitterent, quo ceteroquin tres perſonas cogitant, non poſſent quoque non tres ſibi fingere Deos. Evidenter itaque hinc ſequi putat, vocem perſonæ per analogiam ſolum de perſonis Trinitatis adhiberi. Nimirum denotari ea aliquid reale fatetur, ſed hoc quale ſit, nec cognoſci a quoquam, multo minus exacte verbis exprimi poſſe. Confirmat hanc ſuam ſententiam autoritate Auguſtini, qui vocem perſonæ hic ideo adhiberi autumavit, non quod n. II

rem accurate exprimeret, ſed ut haberemus tantum aliquid interrogati, quod diceremus. *Cum quæritur*, inquit, *quid tres? magna prorſus inopia humanum laborat eloquium. Dictum tamen eſt tres perſonæ, non ut illud diceretur, ſed ne taceretur.* Hinc nunc porro colligit, hancce ſimilesque voces neutiquam plane rejiciendas eſſe, cum difficile ſit, ſine iis Scripturam ſacram interpretari; ſed quantum fieri poteſt, Scripturæ ſacræ vocibus utendum eſſe: præterea, ſi qui forte ſint, qui religioni ſibi ducant, hisce vocibus iſtud myſterium exprimere, modo in re ipſa conſentiant, neutiquam ideo damnandos, aut erroris arguendos eſſe. Atque hanc ſuam ſententiam a Reformatæ Eccleſiæ Doctorum placitis non abire, ipſius Calvini teſtimonio, quod affert, comprobare annititur. Tandem & iſtud addit, neutiquam ſe unquam negaſſe, voces *hypoſtaſeos, incarnationis, generationis* & *proceſſionis*, in Scriptura S. inveniri, cum cœcum aut rationis expertem eſſe oporteat, ſi quis iſtud negare ſuſtineat; ſed cæteris terminis ἀγράπτοις eousque ſe eos addidiſſe, ut oſtenderet, eos quoque ſolum per analogiam Numini tribui poſſe. Aſt voces *eſſentia* & *unitas eſſentiæ* omnino proprie Deo tribui fatetur, Juriumque, quod contrariam ſententiam ſibi

n. III. affinxerit, parum cordate ſe geſſiſſe, conqueritur. Tertium principium, quod in Theologia Saurini ut hæreticum Jurius redarguit, hoc eſt, quod in rebus fidei nihil nobis credendum ſit, niſi quod rectæ rationi noſtræ evidenter eſt conforme, & quod clare atque diſtincte a nobis eſt perceptum. Hic citra ambages Saurinus negat, hocce principium a ſe admitti, aut unquam admiſſum eſſe. Provocat ad ſcripta ſua, in quibus non ſemel hunc errorem, nihil credendum eſſe, niſi quod clare & diſtincte percepimus, a ſe profligatum eſſe dicit: iſtud autem ſæpius a ſe adſtructum & ſolide confirmatum addit, in rebus fidei nihil credendum eſſe, niſi cujus per evidentiam revelationis convicti ſumus. Atque hoc eſſe omnium Proteſtantium principium aſſerit.

Hocce labore defunctus Saurinus, ſequelas, quas hinc Jurius nectit, adgreditur. Primo namque hinc infert, Saurinum in Antitrinitariorum militare caſtris, & doctrinam de Trinitate pro hæreſi Tritheitarum habere. Quid ad hoc regerat Saurinus, divinatione haud difficulter aſſequi licet. Loca ex ſcriptis ſuis a Jurio

ut

ut hoc evinceret, adducta, perperam ab eodem allegata conqueritur. Theologos, qui ſatisfactionem Chriſti labefactant, a ſe pro amicis aut fratribus haberi, abnuit: multo magis autem inficiatur, ſe idem ſentire cum Auctore Relationis *de Tabula Socinianiſmi.* Præterea quando doceat, dogma de Trinitate minus evidens eſſe, hoc non de evidentia teſtimonii; ſed de evidentia objecti, ut in ſcholis loqui amant, ſe intelligere teſtatur: ſic & dum negaverit, Deum proprie generare &c. neutiquam hinc ſequi putat, quod Jurius inde infert, ergo figurate generationem & ſimiles actus Deo tribui. Se enim τὸ *proprie* non oppoſuiſſe τῷ *figurate*, ſed τῷ *analogice.* Tangit etiam quæſtionem, quomodo eſſentia in divinis a perſonis & a perſonalitatibus, itemque perſonæ & perſonalitates a ſe invicem differant? commemoratisque Scholaſticorum placitis, eam, cum definiri nequeat, rectius ſilentio involvi pronuntiat. Delabitur hinc iterum, veſtigiis Jurii inſiſtens, ad Patres, præſertim eos, qui poſt Concilium Nicænum vixerunt, horumque Tritheiſmum, interque multa alia, quæ de iis diſputat, hoc quoque obſervat, in ipſo Symbolo Nicæno nonnulla parum commode dicta occurrere, quale & illud eſſe putat, *Deus de Deo;* quippe qua formula, judice ipſo Calvino, aliquis, ut duos Deos cogitet, induci poſſit. Ultimo autem loco Jurius hoc attulerat, quod Saurinus imagines Trinitatis ſubinde afferri ſolitas rejecerit. Non prorſus eas ſe rejeciſſe ait, ſed hoc ſolum docuiſſe, hinc nullum argumentum ſtringens, aut quod Trinitas perſonarum in Deo ſit, aut quod eſſe poſſit, duci poſſe. Interim & aliis Theologis, quos inter maxime Hermannum Witſium laudat, haſce imagines non adeo placere, obſervat.

Incarnationem quoque Verbi Saurinum negare, Jurius autumat. Namque quod unionem, qua naturæ in Chriſto inter ſe colligatæ ſunt, ſolum pro morali & παραςατικῇ habeat, ex ipſo Saurino ſe audiviſſe denuo teſtatur, idque jurejurando ſe confirmare poſſe, profitetur Lis de facto eſt. Aſſerit hoc Jurius; ſtrenue negat Saurinus. Sed addit Jurius rationes, ex ſcriptis Saurini petitas, iis evicturus, non ſecus eum ſentire. Primo ait, perſonam a Saurino & Carteſianis nihil aliud quam negationem haberi. Jam abſonum eſſe, ſi quis dicat negationem carne veſtitam. Sed hoc ſe aſſeruiſſe, inficias it Saurinus. Perſonalitatem in rebus creatis ne-

gationem unionis cum alia natura eſſe, concedit; aſt in divinis ſecus ſe rem habere profitetur. Pergit Jurius, Neſtorium tamen a Saurino pro orthodoxo, Cyrillum pro hæretico haberi. Largitur hoc Saurinus. Etenim errorem Neſtorianorum non eſſe imputandum ait ipſi Neſtorio. Hunc quippe nihil aliud docuiſſe, quam in Chriſto eſſe duas naturas & unam perſonam. Per malitiam autem & ignorantiam, aliam ſententiam Neſtorio affictam eſſe. Cyrillum contra, revera Eutychianorum ſententiam foviſſe. Hanc itaque damnando, neutiquam ſe orthodoxam ſententiam damnare ait, quippe a qua Cyrillus fuerit alienus. Atque hoc ita ſe habere, haud difficulter ſe probare poſſe contendit. Quod ſi Neſtorius aliquando non ſatis accurate locutus fuerit, hoc non magis illi vitio verti poſſe, quam Gregorio Nazianzeno, Chryſoſtomo, & Auguſtino, qui iisdem ſæpius uſi ſint formulis. De Cyrillo vero rem dubio carere, cum ſemper unam ſolum naturam, & quidem diſerte & citra ambages, Chriſto tribuat.

Tandem & Pelagianiſmi Saurinum arguit Jurius. Nullo jure, inquit Saurinus. Verba quæ hunc in finem a Jurio adducta ſunt, nihil ejusmodi indicare, & præterea a Jurio mutilata eſſe, queritur. Nec enim aliud quid iis ſe aſſeruiſſe, quam talem Deum, qualem ſibi fingat Jurius, qui non etiam ſanctus & juſtus ſit, non Deum, ſed ipſum potius Diabolum eſſe. Atque ejus quidem asſerti neutiquam ſe pœnitere ait. A Pyrrhoniſmo autem prope abesſe Jurium, dum aſſeruerit, ſe opinionem iſtam, quæ animo ſuo de Deo inſideat, libenter rejecturum, aliamque admiſſurum, modo unum alterumve, quo adhuc urgeatur, dubium ſibi eximatur. Hinc paucis cæteras accuſationes, quod parum honorifice de Sacramentis & de Magiſtratu ſentiat, & id genus alias, Saurinus a ſe amolitur, citra ambages negando, tale quid ſe unquam effatum eſſe.

Part. II. In parte ſecunda, quam alteri Jurii libello de Religione Latitudinarii oppoſuit, eadem fere recurrunt & repetuntur, aut nova ſolum argumenta, quibus Jurius probare voluerat, omnino Saurinum

Cap. I. hanc fovere ſententiam, quam ſemel illi tribuerat, diluuntur; adeoque breviores hic ducemus lineas. Primo quidem de religione Latitudinariorum & Carteſianiſmo nonnulla monet, & nullam Jurio fuiſſe rationem, ut de illa tam prolixe diſſereret, cum nemo magis

magis ab ejuſmodi erroribus, quam ipſe abhorreat: rectius tamen, dici, ipſum Jurium Latitudinariis eſſe accenſendum. Carteſianorum quoque placita eo usque ſe probare, ut inde puriori Theologiæ labes adſpergi poſſit, itidem inficiatur. Jurium autem, quod Carteſianorum decreta cum Scripturæ S. effatis componere & conciliare rite non potuerit, craſſos atque ineptos admiſiſſe errores. Hinc ea, quæ Jurius in cap. 7. 8. 9. & 10. diſputavit, perſtringit. Nimirum in iis omnes elabendi rimas obturare, & deſtruere ea omnia ſuſceperat Jurius, quæ Saurino præſidio eſſe potuiſſent: quod infelici quidem, quin nullo plane ſucceſſu ab eodem factum eſſe, demonſtrat. In capite 3 Auctor iterum Jurii ductum ſecutus, ad terminos in Eccleſia ad myſteria deſignanda receptos dilabitur. Inter alia de voce perſonæ rurſus diſceptatur, quam cum in Scriptura S. occurrere aſſeruiſſet Jurius, provocaſſetque ad Hebr. XI, 1, Saurinus Amyraldi aliorumque interpretum auctoritate comprobat, eam vocem hic ſine hæreſeos nota aliter verti poſſe. Sed quod addidit Jurius, ὑπόςασιν hic recte per perſonam verti, cum perſona ſit velut fundamentum, cui attributa quin ipſa eſſentia divina innitantur, hoc non ita prætermittit, ut non graviter caſtiget, quod ſua opinione parum accurate dictum eſt. In capite 4. imagines, ſive ut Auctor vocat, emblemata Trinitatis rurſus in ſcenam prodeunt, de quibus quod minus magnifice ſenſerit, eam vero vel præcipuam cauſam memorat, cur a Jurio velut Antitrinitarius traducatur. Rejicit hic Saurinus Patrum quorundam Scholaſticorumque, & recentiorum quoque Eccleſiæ Reformatæ Doctorum ſententiam, generationem per contemplationem explicantium, & ideam hinc exurgentem Filium Dei eſſe contendentium. Hanc ſententiam omni deſtitui fundamento, palam profitetur. Idem jam feceratin Examine Theologiæ Jurii, ſuamque de locis Gen. I. Prov. VIII. & Joh. I. ex quibus robur huic opinioni videtur conciliari poſſe, mentem expoſuerat: ſed cum Jurius hoc ita accepiſſet, ac ſi in hiſce effatis divinis explicandis frigidam ſuffudiſſet Socini aſſeclis, prolixus & valde operoſus eſt in mente ſua declaranda. Cuncta autem eo redire videntur, ut fateatur, Filium Dei eſſe quidem & recte vocari Verbum Dei & Sapientiam Dei, non autem ideo, ut modus generationis per haſce voces indigitetur, ſed ob alias cauſas. Adeoque non negat, in lo-

Cap. II.

Cap. III.

Cap. IV.

cis citatis de Filio Dei ſermonem eſſe, ſed negat voces ibi occurrentes modum divinæ generationis connotare. Laudat, auctoritate etiam ſuam ſententiam confirmaturus, iterum Witſium, ejusque ſententiam de Λόγῳ approbat, quod videlicet Filius Dei λόγος dicatur, non quod ſit intellectus aut idea Patris, nec, quod aliis placet, quod ſit objectum verbi ſive Evangelii: ſed quod ſit principium verbi, ſive quod Deus per ſuum Filium de ſua voluntate nos certiores reddiderit, ſicut verbum loquentis mentem & cogitata manifeſtat. De Conciliorum & Patrum auctoritate diſceptatur in cap. 5. nec aliud fere agitur, quam quod jam in parte priori actum. Argumentis iſtis, quibus probare voluit Jurius, ſe de Patribus durius, quam par erat, non cenſuiſſe, nihil eum proficere, hic oſtendere laborat Saurinus. Se autem de Patribus, præſertim Ante-Nicænis, minus honorifice ſentire, denuo negat. Speciatim Origenis, Hilarii, & Hieronymi defenſionem in ſe ſuſceperat Jurius. Ad Origenem autem quod attinet, quæ de eo Jurius diſputavit, plane huc non quadrare pronunciat Saurinus. Quoties enim de auctoritate Patrum ex doctrina eorum metienda diſquiritur, parum noſtra referre, pervenerintne ad beatorum ſedes, an non? Fieri enim poſſe, ut perditiſſimus hæreticus, ſi pœnitentia vera vel in fine vitæ crimina ſua expiet, æternos cruciatus effugiat. De Hieronymo ita cenſet, in ejus defenſione non ſatis ſibi conſtare Jurium. Mox enim eum fateri quidem, quod Hieronymus ita ſenſerit, utut hic error excuſari mereatur: mox aſſerere, iſtum locum non Hieronymi, ſed alterius Auctoris, ab Hieronymo autem arreptum & commentario inſertum eſſe. Nec admittit, quod Jurius porro dixerat, in Hieronymo hunc errorem excuſari poſſe, quem ſi quis hodie admittat, eum venia indignum eſſe. Hilarium denique nullo modo defendi aut excuſari poſſe, arbitratur. Fruſtra autem eſſe Jurium, dum ut eum excuſet, aſſerat, eum impetu & fervore diſputationis in devia abreptum, non adeo malo conſilio hanc ſententiam arripuiſſe. Hoc enim, inquit, ſi ſufficeret, nulla tam execrabilis eſſet hæreſis, quæ non hoc modo excuſari poſſet. Hinc Jurii veſtigia premens redit ad Patres Ante-Nicænos, quos non adeo felici ſucceſſu a Jurio defenſos probare annititur: Athenagoram, Theophilum Antiochenum & alios, revera ab eodem in Arrianorum claſ-

Cap. V. (margin, beside "nifeſtat. De Conciliorum") · Cap. VI. (margin, beside "minus honorifice") · Cap. VII. (margin, beside "hæreſis")

ſem

ſem detrudi ait, tantum abeſt, ut ab erroris aut hæreſeos ſuſpicione
eos liberaverit. Quin talia ex hiſce Scriptoribus a Jurio referri, quæ
longe turpiores, quam Arrianorum fuerint, errores eos docuiſſe
evincere videantur. Non ſufficere ad orthodoxiam illorum com-
probandam, ſi τȣ͂ ὁμȣσίȣ veſtigia apud illos inveniantur; diſpici-
endum enim eſſe, quo ſenſu hanc vocem admiſerint, aut uſur-
paverint. Sed nec felicius Patrum quarti aut quinti ſeculi Cap. VIII.
cauſam egiſſe Jurium aſſerit. Quæ ſæpius hac in re dixerit, firmo
adhuc conſiſtere talo, quicquid etiam aſſerat Jurius, hic probare
conatur. De Symbolo Nicæno denuo pronunciat, non ſibi tan-
ti eſſe ejus auctoritatem, quanti illi eam faciunt, qui antiquitatis
unice ſtant decretis. Negat nos certos eſſe poſſe, quo conſilio,
quove propoſito, Concilii Nicæni Patres ea de Trinitate ſanciverint,
quæ in Symbolo hocce profeſſi ſunt. Nec cuiquam hoc fraudi eſ-
ſe poſſe, cum nihil frequentius ſit, quam ut tum in civilibus tum ſa-
cris congregationibus, plerique alia quavis potius cauſa, quam ve-
ritatis amore, ut ſententiam quandam tuendam ſuſcipiant, addu-
cantur. Sibi vero, quod ita ſentiat, hæreſeos notam inuri poſſe,
prorſus abnuit. Proſequitur idem argumentum in capite 9, & de Cap. XI.
quarti ſeculi Doctoribus hoc ſedulo inculcat, eos ſæpius obſcure
& confuſe de myſteriis graviſſimis locutos eſſe; unde ſi non falſas
ſecumque pugnantes, confuſas tamen & obſcuras ideas illorum
mentibus obverſatas colligit: præterea eos, qui ab eſſentia diſcrevere
hypoſtaſin, hypoſtaſes tres in una eſſentia, aut unam eſſentiam in
tribus hypoſtaſibus adorando, per eſſentiam naturam communem,
ſive ſpeciem, ut Logicorum filii loquuntur, per hypoſtaſin autem
naturam ſingularem, ſive individuum intellexiſſe. Tertium quod
obſervat hoc eſt, Patres voce ὁμȣσίȣ intellexiſſe tale quid, quod
unam communem, ſed ſpecificam habeat eſſentiam, aut ſaltem
hac voce unitatem, ut vocant, numericam ab unitate ſpecifica non
diſtinxiſſe. Quarto denique addit, a Patribus quarti ſeculi ἀκρίβει-
αν adeo non expectandam eſſe, ut in ſententia ſua ediſſerenda parum
cauti & circumſpecti ſint, & non tantum eos intermiſiſſe, quod facere
debuiſſent, ſed feciſſe quod intermiſiſſe longe fuiſſet conſultius. Hæc
omnia adductis ipſorum Patrum verbis comprobare ſatagit: cumpri-
mis autem ad Athanaſium, Auguſtinum, Gregorios Nazianzenum &

Uu 3 Nyſſe-

Cap. X. Nyſſenum, Cyrillum aliosque provocat. Quæ Jurius jam ad hæc regeſſerat, diluit in cap. 10. ejusdèmque argumenta, quibus contrariam ſententiam firmaverat, infringere adgreditur cap. 11. Sed addiderat Jurius 13 obſervationes de Tritheiſmo quarti ſeculi, ad ſuam ſententiam ſtabiliendam pertinentes. Eas diſcutiendas ſibi ſumpſit Saurinus cap. 12. In ſecunda harum obſervationum, Jurius ab omni plane ratione abhorrere dixerat, veteres Doctores, qui tam ſtrenue Gentilium Polytheiſmum impugnarunt, Polytheiſmum ſi non craſſiorem, certe æque craſſum admiſiſſe ac propugnaſſe. Reſpondet ad hoc Saurinus, falſum pronunciando, Tritheiſmum Patrum æque craſſum fuiſſe, ac Polytheiſmus Gentilium fuit. Eundem porro in verbis eorum & loquendi formulis ſe ſolum notaſſe; interim ſe non negare, quod mens illorum ab hoc errore fuerit aliena. Addit, Patres, qui contra Gentiles diſputarunt, tria præcipue illis exprobraſſe: quod infinitum Deorum induxerint numerum; quod diverſa illis dederint imperia, certisque mundi partibus certos præfecerint Deos; quod eos ſecum invicem commiſerint, fingendo, alium a Trojanorum ſtetiſſe partibus, alium in Græcorum militaſſe caſtris: cum contra Chriſtiani ſolum adorent tres perſonas divinas plane æquales inter ſe, & unitas, omnes tres eodem modo univerſo orbi leges dantes, idemque ſemper volentes. Denique monet, Patres contra Gentiles hac de re diſputantes, nec diſtincte ſatis ſuam ſententiam propoſuiſſe, nec valide Gentilium errores retudiſſe; id quod prolixius evincere ſatagit. In capite 13. ſub examen revocat defenſionem a Jurio pro Concilio Epheſino ſuſceptam. Et primo quidem Derodonem perperam hæreſeos aut impietatis a Jurio argui, & in ejus libro de Suppoſito nihil, quod a veritate alienum ſit, deprehendi, iſtumque adeo ſine cauſa a tribunali Tholoſano igni adjudicatum, evincere annititur. Deinde Cyrillum adgreditur, quem Jurius ab Eutychianiſmo craſſiori quidem, ſed neutiquam ſubtiliori abſolverit. Varia hic monet circa deſcriptionem ſubtilioris Eutychianiſmi a Jurio allatam, aſſeritque ſi qui ſubtilioris Eutychianiſmi argui poſſint, in hunc cenſum eos referendos eſſe, qui duas naturas in Chriſto ante unionem quidem ſeparatas agnoſcant, ſed poſt unionem non unam tantum perſonam, ſed naturam unam totalem, ex duabus naturis compoſitam, inde emerſiſſe credant, nec adeo duas naturas

Cap. XI.

Cap. XII.

Cap. XIII.

turas in una perſona admittant. Et ita quidem tum ipſum Eutychem, tum Cyrillum quoque ſenſiſſe, id quidem eſt, quod Autor prolixe ipſius Cyrilli allatis verbis demonſtrare conatur. Evicta itaque hunc in modum, ut putat, Cyrilli hæreſi, facile eſſe credit innocentiam Neſtorii demonſtrare. Sed cum ipſe Jurius diſerte pronunciare auſus non fuerit, jure damnatum Neſtorium, Saurinus argumenta iſta probabilia, quibus ſuam ſententiam Jurius ſtabiliverat, hic convellit, & de Concilio Epheſino porro concludit, Doctores Eccleſiæ in eo congregatos ordinem in Conciliis obſervari ſolitum non tantum migraſſe, ſed affectu potius & adulandi ſtudio, quam veritatis amore adductos, ſententiam tuliſſe, quin & erroris, quem Cyrillus defendit, quique, judice Saurino, in hæreticorum claſſem illum detrudit, non fuiſſe immunes. Et hoc quidem in cap. 14. agit. In capite 15. autem adhuc dubia quædam, quæ ſuæ de Patribus quarti & ſequentium ſeculorum ſententiæ opponi poſſint, removet. Hinc ad ultimam libelli, in quo refutando verſatur, partem progreditur, & denuo teſtatur, nunquam ſe docuiſſe, rationem primum in rebus fidei eſſe principium, adeoque hanc ſententiam perperam a Jurio ſibi tribui. Conſenſum quoque, quem Jurius inter Saurini placita, & decreta Socinianorum ac Latitudinariorum ſe inveniſſe putat, nullum plane eſſe, probare nititur, denuoque de Scripturæ & rationis auctoritate diſputat. Inter alia autem ad quæſtionem dilabitur: ſi ratio Scripturæ repugnet, ſitne ratio potius ſequenda, an revelatio? Abſurdam atque ineptam hanc quæſtionem appellitat, cum tale quid ponat, quod plane fieri nequit. Nunquam enim pugnam veram inter rationem & revelationem eſſe: quod ſi autem eſſe cuiquam videatur, hoc inde evenire, quod aut rationis defectum vel abuſum perperam pro recta ratione capimus, aut divina oracula non rite interpretamur. De methodo autem inquirendi in veritatem, hoc eſt, quando prius ratio auſcultanda, ut deinceps ad Scripturam rite deſcendamus, aut quando directe & unice revelationi nos ſubmittere deceat, alibi ex inſtituto ſe expoſiturum pollicetur. Quibus ita expeditis, reſpondet ad argumenta Jurii, quibus demonſtrare ſuſceperat, ex Saurini principiis non tantum errores pernicioſiſſimos fluere, ſed eadem etiam decreto Ordinum Hollandiæ die 8. Decembr. A. 1694. promul-

Cap. XIV. Cap. XV. Cap. XVI. Cap. XVII. Cap. XVIII.

mulgato adverſari. Utrumque negat Saurinus, ſimulque docet, quæ de Burii libro in Anglia combuſto, & Academiæ Oxonienſis decreto Jurius attulerat, huc plane non ſpectare, eademque nec ſe
Cap. XIX. nec ſuam ferire ſententiam. Strenue quoque characteres, ut vocat, ſive notas hæreticorum, quas in Saurino deprehendiſſe ſibi
Cap. XX. viſus eſt Jurius, a ſe amolitur: variaque ad inuſtum ſibi a Jurio malæ fidei in diſputationibus crimen regerit. Finit denique totum opus, ad Jurii præfationem pauca monendo: ubi nonnulla a Jurio commemorata falſitatis arguit, quædam inpoſterum ſe refutaturum promittit, cætera coram illis, quibus uterque factorum ſuorum rationem reddere teneatur, ſe expoſiturum profitetur.

## LIBRI NOVI.

*Theſaurus Antiquitatum Romanarum, congeſtus a Joh. Georgio Grævio. Tomus IV. & VI. Ultrajecti apud Franc. Halmam, & Lugd. B. apud Petrum van der Aa, 1697. fol.*

*Theſaurus Græcarum Antiquitatum. Volumen primum, Memorabilia Temporis Mythici, quod Trojano bello terminatur, complectens. Auctore Jacobo Gronovio. Lugd. Bat. 1697. fol.*

*Philippi Bonanni Soc. Jeſ. Numiſmata ſummorum Pontificum, Templi Vaticani fabricam indicantia. Romæ, typis Dom. Ant. Herculis, 1696. fol.*

*De Canonibus Apoſtolorum Diſſertatio Hiſtorico-Chronologica & Dogmatica, authore P. Antonio Conſtantino, Ordinis Minimorum. Romæ, apud J. J. Komarek, 1697. in 4.*

*Gli Antichi Mauſolei Romani & Etruſchi diſſegnati & intagliati da Pietro Santi Bartoli. Roma, 1697. fol.*

*Joh. Clerici Ars Critica, in qua ad ſtudia linguarum, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ via munitur &c. Amſtelodami apud Georg. Gallet, 1697. 8.*

*Defenſe de la Veritable Doctrine de l' Egliſe Reformée ſur le Principe de la Foy, par Elie Saurin. A Utrecht chez Ant. Schouten, 1697. 8.*

*Nouvelle Decouverte d'un tres grand Pais ſitué dans l' Amerique entre le Nouveau Mexique & la Mer Glaciale &c. Par le P. Louis Hennepin. A Utrecht chez G. Broedelet, 1697. 12.*

*** *** ***

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Auguſti, Anno M DC XCVII.*

## *JO. CHRISTOPHORI WAGENSEILII DE SACRI ROM. Imperii Libera Civitate Noribergenſi Commentatio.*

Altorfi Noricorum apud J. W. Kohleſium, 1697. in 4.
Conſtat alph. 3. plag. 4.

CUm patriam ſuam optimus quisq; tenero proſequi amore, quodque ad laudem ejus ac decus pertinet, & audire lubentius, & non prompte minus commemorare ſoleat; dignum omnino operæ fecit pretium celeberrimus Wagenſeilius, omnemque grati civis menſuram ſolerter implevit, quando emiſſa de Civitate Noribergenſi commentatione, quicquid de initiis ac incrementis, amplitudineque atque opibus, ac univerſa inclytæ urbis gloria ſciri meretur, copioſe expoſuit, ac ne indicta porro maneret, quæ ex nobiliſſimis Germaniæ una eſt, curavit. Totus liber in duas partes diſpeſcitur, quarum *prima* encomia civitatis, & unde nomen teneat, ſitum deinceps ac incrementa, quaque ratione S. Sebaldi induſtria Chriſtiana eadem facta ſit, quali nitore cultuque gaudeat, quibus a natura bonis inſtructa fuerit, quæ templa habeat, quas ſcholas, quæ ædificia alia magnifice extructa; qualis Senatus, quæ patriciæ familiæ in ea floreant, quibus porro legibus a Venetis maximam partem petitis contineatur, quæ privilegia eidem conceſſa, qua indulgentia S. R. I. clinodiorum cuſtos evaſerit, ac bella poſtremo, quibus eandem implicari contigerit, percenſet. *Secunda* vero in exponendam controverſiam, quæ a ducentis prope annis inter Sereniſſimos Marchiones Brandenburgicos tanquam Burggravios Noribergenſes, & ipſam Rempublicam agitatur, & aſſerendam hujus potiſſimum cauſam inſumitur. Foret operoſum nimis de ſingulis exponere, quæ in elegantiſſimo libro continentur; unde unicum attingemus ſaltim,

quod memorabile cumprimis eſt, & cum digredi ſubinde à propoſito ſcopo placeat celeberrimo Viro, ejusdem & hic veſtigia alicubi ſequemur. Nimirum, ut in clinodiorum omnium, quæ Noribergæ aſſervantur, ita in Coronæ Germanicæ deſcriptione non parum operoſus eſt; quam cum ſint ex eruditis, qui non Carolo M. ſed ex Conradis cuidam acceptam ferri debere velint, eorum judicium minus convenienter latum hic refellendum ſibi ſumit. Ipſe
p. 242. ſcilicet Hermannus Conringius in Caſtigatione libelli, cui titulus, *Anti-Conringiana Defenſio Juris Colonienſis*, non Caroli eam, ſed Conradi I. eſſe arbitratur, & quidem, quod habeat nomen Conradi inſcriptum; & quod Luitprandus coronam eam, quam Conradus I. morti vicinus Henrico Aucupi per fratrem Fridericum obtulit, quæ plane eadem cum illa, quæ hodie ſupereſt, Conradi propriam dicat; ac Witikindus denique Corbejenſis gladium, qui una Henrico traditus fuit, *veterum Regum gladium* dicens, diademati titulum hunc non addat. Ad ea ita reſpondet Wagenſeilius, ut hac ratione propriam Conradi coronam vocitari ſtatuat, quatenus ejus uſus ipſi pro tempore fuit conceſſus; prout ſcilicet juris interpretes, *meorum*, *tuorum*, *ſuorum*, appellatione non ſolum illa intelligi docent, quæ in pleno dominio habemus, ſed & in quæ jus aliquod exercemus. Gravius argumentum illud eſt, quod ab inſcriptione nominis Conradi petitur. Hæc enim verba leguntur in arcu: CH VON RAD US DEI GR AT IA RO MA NOR V̄ IM PE RA TOR AVG. Hic manifeſtum eſſe ſcribit, Conrado I. aſſignari nequaquam hæc poſſe; neque enim unquam coronatum fuiſſe Romæ, ac inde pro more ſeculi id nominis non potuiſſe uſurpare, cum qui Romæ non eſſent inaugurati, haud unquam Imperatores & Auguſtos in publicis ſe monumentis appellaverint: quin & in nummo apud Stradam Conradum I. non niſi Regem dici. Poſſe cuidam vero videri ſimile, quod Conradus III, cui vulgo Suevi cognomen tribuitur, hic ſignificetur; propterea quod ad Imperium evectum, æmulo Henrico Superbo Bavariæ & Saxoniæ Duce, ut Otto Friſingenſis eſt teſtis, regalia habente, cum deſtitueretur adeo inſignibus, ad nova ſibi paranda neceſſitate coactum fuiſſe credi queat: aſt cum nec hic Conradus Romæ coronatus ſit, æque falli ſcribit, qui ita autumant, ac Gryphiandrum
deciid

decipi contigit, qui Conradum IV. Friderici II. Imperatoris Filium eum eſſe putavit, cujus nomen corona præfert; tantum quippe abeſſe, ut hic benedictionem & conſecrationem Pontificis impetraverit, ut ab Innocentio IX. diris potius fuerit devotus. Neceſſarium igitur eſſe concludit, non alium quam Conradum II. ſive Salicum nominari, ut qui Romæ A. M XXVII a Johanne XX ſolenni ceremonia coronatus Imperatoris Auguſti titulum uſurpavit, qui & in nummis legitur, & ſepulcro ipſius, quod Spiræ eſt, inciſus deprehenditur. Eum vero Conradum, cum circulis gracilioribus in corona Caroli M. exiſtentibus, & ſive ævi diuturnitate, ſive quod Imperatores in caſtris & expeditionibus coronam ſemper circumvectarent, vitium paſſis, unum robuſtiorem magisque compactum ſubſtitueret, nomen quoque ſuum & titulum eidem inſcripſiſſe: ac indubium cæteroquin eſſe cenſet, & comprobari tot Pontificum bullis, tot Imperatorum reſcriptis, tot graviſſimorum ſcriptorum teſtimoniis, fama porro per orbem late ſparſa, ac nummo denique aureo, qui apud Stradam extat, & Carolum ipſiſſima, qualis nunc adhuc ſuperſtes eſt, corona redimitum exhibet, coronam ipſam inde a Carolo M. ad nos profectam eſſe.

Inter digreſſiones ea cumprimis docta eſt, qua invitatus ab illuſtri Cupero *de Judæorum ludis* commentatur. Luſiſſe nimirum Judæos cum avibus cicuratis aut cavea incluſis; infantes vero ipſorum aviculas funiculis vinctas in deliciis habuiſſe docet, & huc Jobum c. XL, 24. reſpexiſſe oſtendit. Pilæ luſus Eſ. XXII, 18. luctæ vero & pugilationis 2. Sam. II, 14. indicium eſſe monet. Ludis ſcenicis fuiſſe delectatos inde colligit, quod Jobi liber veriſſimam dramatis ſpeciem præbet, & Ezechielis Poetæ Judæi de liberatione Ebræorum ex Ægypto Comœdiæ Clemens Alexandrinus ac Euſebius meminerunt, atque hodienum adhuc Judæi, in hilariis Purim, Ahaſveri & Eſtheris hiſtoriam more comico repræſentant. Fidibus ludere crebro ſolitos eſſe, ex Zachar. VIII, 5. Matth. XI, 16. 17. & plurimis aliis locis probari poſſe contendit, ac dehinc loca, quibus ſaltationem inter præcipua Judæorum oblectamenta extitiſſe manifeſtum ſit, producit. Schachiæ ludi, quem *Schach-tſchovel* vocant, illos Salomonem Regem autorem credere, & hoc in MSCto libro Senis ſe apud Synagogæ Præſidem multis quoque argumentis probatum didiciſſe

p. 164.

ſe addit: ſed & perſonatas virgines Iſraeliticas præ lætitia inceſſiſſe, ex Miſchna Taanit demonſtrat, ac morem illum, quando juvenes graviſſimi ponderis lapides ſublevando exercuerunt ſe, quem ad Zachár. XII, 3. Hieronymus illuſtrat, tangit. Ubi de venatione Judæorum agit, ipſius Cuperi de loco Eſ. XXIV, 17. & 18. mentem exponit, quod vocabulum פחד à LXX Interpretibus non abſque ratione per φόβον translatum ſit, ac non minus ac ſubſequentia duo, ad rem venatoriam pertineat, notetque lineam verſicoloribus plumis pinnisque avium diſtinctam, qua venatores utuntur ad fallendas feras, cujus mentio apud Senecam de Ira L. I. c. 12. & Ovidium I. de Remed. amor. v. 204. itidem ſub *formidinis* titulo, quamque Oppianus πολύχροα δείματα θηρῶν, & iterum δεῖμα πολύχροον, tandemque κενὸν φόβον nominet. Ex arcu ſagittas emiſiſſe Judæos, 2. Sam. XX, 20. indicari, & cum ex Moſis Kozenſis libro Præceptorum magno appareat, fuiſſe aliquos inter Judæos, qui nulli alii operi intenti erant, quam ludo teſſerarum, hinc forte morem antiquiſſimum proveniſſe docet, triadem teſſerarum, einen Paſch Würffel/ a Judæis in Germania extorquendi; ac denique ex Balthaſ. Bonifacii Hiſtoria Ludicra de ludo exponit, qui pueris Italorum *Judæo cremnos* vocatur. Cum reſpondiſſet adhuc illuſtris Cuperus, & ſibi non perſuaderi ſcripſiſſet, ludos ſcenicos Judæis in uſu fuiſſe ab eo tempore, quo Jobi hiſtoria literis fuit mandata, tametſi forte poſſit concedere, ad inſtar dramatis fuiſſe compoſitam; quin imo magnum argumentum ex Prophetarum ſilentio peti, eosdem Judæis plane fuiſſe incognitos: Noſter, omnino eos ſaltim, qui ad pietatem probosque mores augendos compoſiti erant, & privatim quaſi inducebantur, in ea gente jam olim invaluiſſe putat, propterea quod virgines Judaicæ d. XIV menſis Ab inque ſolemni expiationis feſto perſonatæ inceſſiſſe, ac David quoque 2. Sam. VI, 14. non propriis veſtibus indutus comparuiſſe, 1. Sam. XX, 13. vero idem quaſi hiſtrioniam egiſſe legantur, & quod, quando Judæi Ezech. XIII, 8. 14. 15. jubentur narrare liberis ſuis, quæ fecerit Dominus in Ægypto, non verbis tantum hoc facere, ſed & in rem præſentem quaſi parvulos deducere, ac Pharaonis tyrannidem cum ſubſecutis pœnis vivis imaginibus ob oculos ſiſtere, injunctum ipſis fuiſſe, ſibi veroſimile videatur. Monet porro, Ezechielem poetam,

quia

quia ejus ætate Ebraicæ linguæ uſus nimium defecerat; Ebraico dramati Græcanicum ſubſtituiſſe, quem Clemens Alexandrinus atque Euſebius non accurate *τῶν ἰȣδαικῶν τραγῳδιῶν ποιητὴν* vocent, cum iſtud drama, ad quod provocant, & quod *Ἐξαγωγὴ* inſcribitur, Judæorum ſane reſpectu non Tragœdia ſed Comœdia fuerit. Judæos porro, dies Purim cunctis in toto orbe provinciis celebrantes, omnino credibile putat idem olim feciſſe, quod noſtri hodie Judæi, Eſtheris hiſtoriam privatim comicis exhibitionibus ſpectandam ſiſtentes; faciunt; quandoquidem hi moribus antiquis præ aliis maxime viventes, à *τῶν ἔξω* ludis ſcenicis hoc inſtitutum nequaquam hauſerint. Ipſi Luthero ſubjungit in mentem veniſſe, Comœdiarum uſum à Judæis ad Græcos commigraſſe, ac Tobiæ Judithæque libros ad inſtar dramatis conſcriptos, atque deinde in proſaicum ſermonem translatos fuiſſe. Cumque eos libros Chaldaicos poſſederit Hieronymus, occaſionem arbitrandi naſci poſſe, ad Judæos in captivitate Babylonica ſolandos & oblectandos iſtas Comœdias pertinuiſſe; quam ſententiam non vult tamen mordicus defendere. p. 124.

Non minus elegans eſt digreſſio, quando ad ejusdem Cuperi deſiderium quæſtionem explicat: *an Judæis non niſi in munitis urbibus Synagogas extruere licuerit?* Reſpondet Wagenſeilius, tantum abeſſe ut olim id Judæis non licuerit, ut etiam in campis liberis & apertis conditæ fuerint. Poſtea promiſcue in vicis aut urbibus ſive munitis ſive omni munimento deſtitutis exſtructas fuiſſe. Idemque nunc etiam obtinere inter Judæos, probat vel exemplo vici undique patentis, uno milliari ab urbe Noriberga diſſiti, *Furtha* dicti, in quo Synagogæ duæ extent, eæque ſatis ſpecioſæ. Ipſi Commentationi ſubjunxit celeberrimus Vir *de Phonaſcis Germanorum*, quos Meiſter-Sänger nos appellamus, diſſertationem, in cujus præfatione in originem Cingarorum inquirit, eosdemque a Judæis oriundos vel hanc etiam ob cauſam credit, quod multa Ebraica vocabula hodienum in lingua ſua ſervant. In ipſo vero opuſculo de Phonaſcis illis, & quando ars ea cœperit, de legibus porro, ac ipſis hymnis, ac quomodo Phonaſci a cæteris Vatibus, quos Spruch-Sprecher Noribergæ vocant, & inter quos Michael Weber potiſſimum eminuit, exponit.

## *PETRI FRANCII POEMATA. EDITIO ALTERA, AUCTIOR & emendatior.*

Amſtelædami, apud Henricum Wetſtenium, A. 1697. in 8.
1. alph. plag. 18.

MAgna haud immerito poeticæ artis laus eſt, quæ non dulci tantum ſono tenet aures, ſed etiam omni genere affectuum intimos audientium & legentium ſenſus cogitationesque tentat. Ad hanc autem niſi quis propenſione naturæ feratur, ne ad mediocritatem quidem aliquam pertinget, nec labore, diligentia & vigiliis quicquam efficiet: quum hi, quos natura ad eam finxit, ſponte quadam ſine ullo labore ea fundant, quæ cum admiratione leguntur. Horum in numero cenſeri & primas hodie tenere Francium, ubertate & felicitate ingenii, ac numerorum gravitate, anteceſſoribus ſuis, venuſtiſſimis in Belgio poetis non minorem, jampridem agnovimus, e prima Poematum ejus editione anni 1682, in Actis anni iſtius p. 359. memorata, de his dotibus edocti. Nunc alteram eamque copioſiorem ab Auctore adornatam evulgatamque eſſe, tanto magis gaudemus, quanto pluribus novis poematibus inſtructam eſſe intelligimus. Comparent autem hic Heroicorum libri tres, Elegiarum quatuor, Eclogæ ſex, Odarum & Silvarum ac Epigrammatum, de quolibet genere libri duo, & Græcorum carminum liber unus. Ex his *Heroica* poemata omnia in priori conſpiciuntur editione: *Elegiæ* etiam, quæ in tribus primis libris continentur, in eadem comparent; præter iſtas ad Menagium p. 195, in Nympham Bruxellanam p. 225, & de Jo. Secundi poematibus ἀνεκδότοις p. 229. Quartus liber totus eſt novus. *Odarum* etiam duo & *Silvarum* totidem libri in priori editione non viſuntur; *Epigrammata* autem multa prioribus admixta ſunt nova, e quibus ſpeciminis loco iſtud e p. 441. decerptum, quo effigies doctorum virorum in bibliotheca ſua ſuſpenſas condecoravit, huc transferemus;

*Artifices tabulæ, ſæclo cantata priore*
*Nomina, victuri tempus in omne viri;*
*Quos mea ſe ſupra poſitos, circumque locatos,*
*Reſpicit indigetes Bibliotheca Deos.*
*Ut juvat hac veſtros mirari in imagine vultus,*
*Et luſtrare oculis ora oculosque meis!*

*Ut*

*Ut juvat heroas animas, potioraque ſigna,*
*Mentis & æternas mente videre notas!*
*Longius hæ durant tabulæ. Dubitatis? id ipſum,*
*Edocet hoc ipſo multa tabella loco.*
*Hæ mihi vel mutæ clamant, cadere omnia; præter*
*Caſuras nullo tempore mentis opes.*

Græca carmina peculiari libro p. 457. & ſeqq. incluſa, omnia nova ſunt, nec ullum eorum in prima editione fuit viſum: quæ autem ibi p. 241. converſa e Græcis Anthologiæ epigrammatibus extabant, in nova editione ſunt omiſſa, quod peculiarem in librum ea redigere, pluresque interpretationes addere, adjectisque ad Græcos verſus notulis integram *Anthologiam* evulgare conſtituit doctiſſimus Auctor. Multa iſtius operis epigrammata ab Hugone Grotio cultiſſimis verſibus Latinis eſſe expreſſa, vel e Junii de Pictura opere diſcimus, in quo pluſcula ea ſunt prolata. Heinſius, Caſaubonus etiam & Scaliger, aliique multa inde epigrammata feliciſſime tranſtulerunt, & Latinis elegantiſſimis verſibus expreſſerunt. Quæ omnia ut cum Francii ſymbolis Anthologiæ Græcæ adjecta in publicum prodeant, literarum elegantiorum & Græcæ ac Latinæ poeſeos cultorum pluſimum intereſt.

## ΙΩΑΝΝΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΟΝΣΤΑΝτινȣπόλεως τὰ ἅπαντα.

id eſt,

## *JOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTInopolitani Opera omnia, Græco-Latina.*

Francofurti, ſumptibus Balth. Chr. Wuſtii, 1697. in fol. tomis XII.

IN ſanctorum Patrum ordinibus primas partes tenere hunc χρυσοῤῥήμονα, ſacræ eloquentiæ principem, apud omnes in confeſſo eſt. Deſudarunt in operibus ejus Græcis collectis (nam Latinas interpretationes ſeorſim diverſis temporibus ſæpius editas allegare nil attinet) quæ ſuperſunt, excudendis typi Anglicani, Henrico Savilio ea tomis octo Etonæ evulgante; nec non Heidelbergenſes, in officina Commeliniana; & tandem Pariſini, partim cura Frontonis Ducæi adgubernante, partim Morellii ſtudio accedente, qui quatuor Commelini tomos in ſex diviſit, illisque ſex tomos a

Ducæo editos adjunxit. Omnium harum editionum exemplaria cum nuſpiam amplius proſtent, ſacræ eloquentiæ ſtudioſis ea nunc ſufficere ſtudet Francofurtenſis bibliopola, qui Pariſienſem editionem hac ratione imitandam ſibi propoſuit, ut ſeriem librorum & tomorum, qua Morellius opera hæc exhibuit, ſervet; emendatiora autem ea ſiſtat; folia etiam ita coarctet, ut quævis facies novæ Francofurtenſis editionis folium Pariſinæ complectatur, & ſic impenſæ emptorum attenuentur, qui levi pretio totidem volumina, nitida charta & elegantibus typis quæ conſtant, comparare ſibi poterunt, quot magno hactenus ære non licuit impetrare. Tres priores tomi jam abſoluti extant, & venduntur æquiori pretio iis, qui ad reliquos, ubi prodierint (quod futurum editor promittit, antequam annus vertat) emendos ſolutione argenti pro his primis tribus ſe obſtrinxerunt.

## *ADAMI RECHENBERGII SUMMARIUM HISTORIÆ ECCLEſiaſticæ, in uſum Studioſæ Juventutis adornatum.*

Lipſiæ apud Jo. Herbord Kloſium, 1697. in 12. 1½. Alph.

CUm Studioſæ Juventutis, quæ S. Theologiæ operam navat, Eccleſiæ Chriſtianæ fata, diſciplinam, regimen moresque Chriſtiani gregis noſſe maxime interſit; Auctor hujus libri celeberrimus, quæ multis ac vaſtis etiam voluminibus ab aliis tradita fuerunt, in compendio, vel ut ipſe vocat, *ſummario* breviter conſtringere voluit: ut absque tædio, illa præcipua hiſtoriæ eccleſiaſticæ capita ſibi reddere familiaria poſſet. Id quod ipſe Autor in præfatione libri ſui fuſius declarat. Cæterum vero dum typum velut hiſtoriæ eccleſiæ univerſalis delineare illi animo ſedit, res V. Teſtamenti, juxta temporum intervalla ſeu epochas, per indicem tantum deſignat. In hiſtoria autem N. Fœderis, ex contemplatione fatorum, quibus Eccleſia obnoxia fuit, res illius quinque conſtitutis periodis, obſervata per capita ſeculorum ſerie, ſummatim exponit. *Prima* illi *periodus* eſt Eccleſiæ a Chriſto & Apoſtolis in orbe plantatæ, quæ tribus prioris Chriſtianiſmi ſeculis abſolvitur: *Secunda* eſt Eccleſiæ ſub Imperatoribus Chriſtianis publica libertate gaudentis, quæ a Conſtantino M. cœpta, ætatem Phocæ tyranni Byzantini attigit: *Tertia* eſt Eccleſiæ per Epiſcopos Romanos & a Mohamme-
danis

danos preſſæ, ac barbarie ingruente obſcuratæ, usque ad ſeculum X. *Quarta* eſt Eccleſiæ ſub jugo Pontificio, Saracenorum & Turcarum gementis, usque ad ſeculi XIV finem. *Quinta* eſt Eccleſiæ miniſterio Lutheri repurgatæ, & magnam partem a jugo Papali liberatæ, usque ad hæc tempora. In ſingulis periodorum ſeculis, methodo ſibi conſueta, (1.) doctores ſeu patres & ſcriptores Chriſtianos præcipuos recenſet: (2.) doctrinam Chriſtianorum publice receptam breviter recitat: (3.) hæreticos deſcribit, ſaniorem doctrinam infeſtantes: (4.) ſynodos & concilia præcipua recenſet: (5.) regimen Eccleſiæ externum, ſenſim in regnum ſacrum degenerans exponit: (6.) perſecutiones Chriſtianorum notabiles annotat: (7.) memorabilia ex civili & eccleſiaſtica hiſtoria cujusque ſeculi inſpergit, ſubjuncto, ut vocatur, judicio pragmatico. In ultima periodo, quæ quinta eſt, rerum in Eccleſia factam converſionem, per ſectiones novas, juxta annorum ſeriem paullo fuſius perſequitur; cum inde ſectarum & controverſiarum, poſt ſalutarem Lutheri reformationem ortarum, notitia Chriſtianis neceſſaria maxime dependeat. Sub calcem libri, doctiſſimi Galli, Dn. Claudii Judicium de Patribus Græcis & Latinis, ex operibus ejusdem poſthumis tom. V. epiſt. 19. & D. Martini Chemnitii Orationem de lectione Patrum annectit, quæ utilia lectu ſtudioſæ juventuti, in cujus gratiam hunc librum evulgavit, maxime judicat.

*MEMORABILIA ECCLESIASTICA SECULI A N. CHRISTO decimi ſeptimi, juxta annorum ſeriem notata, & convenienti ordine digeſta per ANDREAM CAROLUM, Abbatem San-Georgianum in Ducatu Wirtembergico. Tomus primus, operis dimidium anterius exhibens.*

Tubingæ ſumptibus Jo. Georgii Cottæ, 1697. in 4.
Conſtant 7. alphabet.

CUm multi veteris Eccleſiæ Chriſtianæ fata proſpera & adverſa, & ex parte etiam recentioris ſtatum, juſtis commentariis deſcripſerint; pauciores fuere, qui hujus jam decurrentis ſeculi res Eccleſiæ memorabiles annotarint. Itaque juſſu Sereniſſ. Principis Wirtenbergici, DN. EBERHARDI LUDOVICI, *maxime venerandus Autor* Memorabilia eccleſiaſtica ſeculi hujus ſingulari induſtria & la-

bore colligere, atque obſervata annorum ſerie diſponere aggreſſus eſt. In quo utili opere, dimidiam hiſtoriæ hujus ſeculi partem complectitur, alteram huic, quam prælo paratam habet, poſtea ſubjecturus. Res autem a ſe enarratas juxta Cæſarum Romanorum, qui hoc ſeculo rerum potiti ſunt, ſeriem ordinavit: ita ut diſtinctis capitibus & eorum ſectionibus, primum quæ Lutheranorum & ex parte Græcorum Chriſtianorum; ſecundo, quæ Romano-Catholicorum ſeu Pontificiorum; tertio, quæ Reformatorum; quarto, quæ novatorum, ſchiſmaticorum, hæreticorum, idololatrarum atque atheorum res fuerint, commemoret. Inde quinto de colloquiis & ſynodis religionis cauſa inſtitutis agit. Sexto etiam res civiles, quæ cognationem aliquam cum Eccleſia habent, memorat, ac ut lectorem oblectet, varii argumenti res denique admiſcet. Omnia autem ex fide recentiorum ſcriptorum fideliter refert, eorumque teſtimoniis adductis firmat, judicio quandoque ſuo ſubjuncto. Labore excerpendi, quæ recenſuit, ipſe Autor laudatus nos ſublevavit, quando ſingulorum librorum & capitum ſummaria præmiſit. Quapropter nihil addimus, niſi quod venerando Seni vitam & vires animi conſtantes adprecamur, ut alterum horum Memorabilium tomum, in gratiam orbis eruditi, in lucem publicam emittere queat.

*DEFENSE DE LA VERITABLE DOCTRINE DE L' Egliſe Reformée ſur le Principe de la Foy &c.*

i. e.

*DEFENSIO VERÆ DOCTRINÆ ECCLESIÆ REFORMATÆ de Principio Fidei, libro JURII, cui titulus:* Defenſio Doctrinæ Univerſalis Eccleſiæ &c. *oppoſita, auctore ELIA SAURINO.*

Ultrajecti, apud Anton. Schouten, 1697. in 8. Alph. 1. plag. 6.

INter ea cœleſtis doctrinæ capita, ſuper quibus clariſſimi Eccleſiæ Reformatæ Theologi, Jurius atque Saurinus, acriter inter ſe concertant, haud extremum obtinet locum illud de principio fidei. De hoc non recte ſentire Saurinum, probandum ſibi ſumſerat Jurius in libello, cui titulus: *Defenſio doctrinæ univerſalis Eccleſiæ &c.* Huic itaque oppoſita eſt, quam nunc ſiſtimus, *Defenſio veræ doctrinæ, &c.* ab Elia Saurino edita, ex qua controverſiæ præcipua momenta uberius paulo expoſuiſſe, operæ pretium duximus.

Capi-

Capite primo exhibentur quædam propoſitiones, quibus mentem Saurini de hoc argumento complexus erat Jurius: circa quas nonnulla obſervat Saurinus, quasdam plane perperam, nonnullas obſcure aut ambigue a Jurio conceptas docens. In ſecundo autem capite itidem certæ propoſitiones comparent, quibus Jurii hac de re mentem ſententiamque exponit Saurinus. Quibus ita expeditis, quæſtionis rationem, ſive controverſiæ ſtatum, hunc in modum Saurinus ediſſerit: non quæri, an nihil debeamus credere, quod non evidens ſit, evidentia, ut vocat, objecti, & quod per rectam rationem poſſit demonſtrari; quod nunquam a ſe fuerit aſſertum: non etiam quæri, ſintne quædam obſcura & intellectu difficilia in Scriptura Sacra; cum ſenſus expertem eſſe oporteat, ſi quis hoc inficias iverit: multo minus de neceſſitate operationis internæ Spiritus ſancti & gratiæ divinæ ad progignendam fidem, litem eſſe, namque & hanc ſe agnoſcere, & alibi ſolide ſtabiliviſſe. Diſputari vero de ſequentibus: primo, ſitne Scriptura ſacra inſtructa ejusmodi characteribus ſuæ divinitatis, quibus animus, ad veritatem capiendam non plane inidoneus, convinci, omneque dubium & formido oppoſiti illi adimi poſſit; an vero characteribus, quibus divinitas ejus probari poſſit, deſtituatur, ita quidem ut omnes characteres ſimul ſumti, ne moralis quidem demonſtrationis vicem ſubeant, tantum abeſt, ut mathematicæ vim teneant? Secundo, ſintne Scripturæ S. oracula, quibus fidei articuli probantur, adeo obſcura, ut articuli fidei ſolum ideo credendi ſint, quia volumus credere, non autem quia convicti ſumus, rem ita & non ſecus ſe habere? Tertio denique, ſintne credentes, quibus divinus Spiritus impertitus eſt, convicti per evidentiam & robur argumentorum, quibus & Scripturæ divinitas & dogmatum in ea propoſitorum veritas comprobatur; an vero credant ideo, quia velint credere, & an operatio iſta Spiritus ſancti, qua ita certi redduntur, ut nullum argumentum, quantumvis evidens, eos certiores reddere poſſit, nec in evidentia objecti, nec in evidentia teſtimonii fundata ſit? Se itaque docere profitetur, Scripturam ſacram pluribus characteribus inſtructam eſſe, quibus divinitas ejus non tantum probari, ſed morali ratione demonſtrari poſſit: omnes quoque articulos fidei, quibus myſteria Chriſtianæ religionis continentur, tam clare & perſpi- Cap. I. Cap. II. Cap. III.

cue in Scriptura ſacra propoſitos eſſe, ut ſi qui iſtis fidem non adhibeant, nihil aliud quam ſuam pravitatem, & quæ hinc oritur, cœcitatem accuſare poſſint: Spiritum vero ſanctum in credentibus ita operari, ut intellectum illorum illuminet, eosque determinet, ut lumen iſtud ſequantur: eum porro efficere, ut argumentis invictiſſimis veritatis convincantur, ita quidem ut certitudo, quam habent de divinitate Scripturæ ſacræ, fundata ſit in evidentia objecti, certitudo autem articulorum fidei in Scriptura S. propoſitorum, in evidentia teſtimonii. Jurium autem in hiſce omnibus contrarium ſtatuere, memorat.

Cap. IV. Cæterum in tractanda hacce controverſia ita verſatur, ut primo argumenta, quibus ſententiam ſuam ſtabiliverat Jurius, ſub examen revocet; hinc vero quousque tum Patres, tum Eccleſiæ Reformatæ Doctores cum ipſo conſentiant, diſpiciat. Ordinis hujus rationem in cap. IV exponit, & methodum, qua Jurius uſus eſt, rejicit; terminos quoque nonnullos explicat, præſertim quid formido oppoſiti ſibi velit, ediſſerit, occaſionem illi ſuppeditante Jurio.

Cap. V. Sed nec in capite V. ad caput cauſæ contendit, quin alias obſervationes Jurii de evidentia fidei, prius ſibi diſcutiendas ſumit. Diſceptatur hic de definitione fidei; aliam enim Jurius, aliam Saurinus excogitavit: diſceptatur quoque de Scholaſticorum diſtinctione, qua ab evidentia veritatis diſcrevere evidentiam credibilitatis, & hanc Scripturæ ſacræ conceſſerunt, illam denegarunt, perperam quidem & non ſine impietatis crimine, judice Saurino; unde ejusdem Jurium reum pronunciat, dum hæc Scholaſticorum commenta iterum in ſcenam prodire juſſit: additur denique aliquid de demonſtratione morali, qua voce veram demonſtrationem, quæ æque certa & evidens ſit ac mathematica, deſignari poſſe docet, licet non diffiteatur, eam pro probatione minus evidenti quandoque ſumi.

Cap. VI. Hinc Jurii aſſertum, quod etiamſi aliquis de articuli veritate per evidentiam convictus ſit, fides tamen per hanc evidentiam non progignatur, adgreditur. Putat autem, hac aſſertione ipſa velut fundamenta religionis concuti ac labefactari. Divinos enim Vates ipſosque Apoſtolos in claſſem hominum aut ratione deſtitutorum, aut perperam eadem utentium detrudi, dum, ſi vera eſſet Jurii ſententia, & miracula & argumenta fruſtra adhibuiſſent, cum iis tamen ex

Jurii

Jurii mente non poſſit produci fides. Quin omnes Doctores fruſtra fuiſſe, qui & ſapientiam & eruditionem ſuam eo contulerunt, ut non credentes argumentis convincerent, & ita fidem in iis excitarent. Nec proficere quidquam Jurium, argumenta ejusmodi inter occaſiones fidei adipiſcendæ, quæ tamen immediate a gratia producatur, referendo: cum recte quidem dicatur, Spiritum ſanctum eſſe cauſam efficientem fidei unicam, eamque immediate ab illo produci, ſed inde non ſequatur, quod fides non habeat cauſas morales & objectivas, quæ cum operatione gratiæ bene poſſint conſiſtere. Argumentum, quo Jurius ſuam ſententiam firmat, hoc eſt: ſi miracula aut argumenta, quibus veritas doctrinæ cœleſtis probatur, producerent fidem per ſe, ſemper & ubique eandem producerent. Hoc autem falſum eſſe, vel exemplo Judæorum probari poſſe: ergo inde colligit, miracula & ejusmodi argumenta fidem per ſe non gignere. Reſpondet Saurinus laborare hocce argumentum ignoratione elenchi. Exempla a Jurio allata hoc probare, quod miracula & argumenta, quibus veritas ſtabilitur, ſine concurſu & cooperatione Spiritus ſancti fidem non progignant; id quod a ſe nunquam in dubium vocatum aſſerit. Quibus hunc in modum expeditis, tria Jurii capita, quibus doctrinam ſuam uberius explicare conſtituerat, paucis perluſtrat, ſubinde nonnulla monens aut redarguens, & tandem ad argumenta, quibus ſententiam ſuam munivit Jurius, progreditur. Primum depromptum eſt ex illis divinarum literarum oraculis, quæ fidem per obſcuritatem & ænigma definire videntur, ut dum Hebr. XI, 1. demonſtratio rerum, quæ non cernuntur, vocatur, & id genus aliis. Aſt hocce telo ſuam neutiquam feriri ſententiam, fidenter Saurinus aſſerit. Nunquam enim ſe myſteriis religionis Chriſtianæ evidentiam objecti tribuiſſe, ſed ſolum evidentiam teſtimonii: jam vero non hanc, ſed illam per hæc oracula fidei demi. Alterum Jurii argumentum deſumtum eſt a ſublimitate objectorum doctrinæ cœleſtis. Hanc enim ejusmodi eſſe ait, ut facultates noſtræ mentis infinitis modis ſuperet. Unde concludit, tale objectum, ut ſupra rationem poſitum eſt, ita & a ratione demonſtrari non poſſe. Cum vero huc Dei exiſtentiam, variáque ejus attributa, & mundi creationem retuliſſet, Saurinus quidem hanc ejus ſententiam palam impietatis arguit

Cap. VII. & VIII.

Cap. IX.

guit. Addit eum Andabatarum more pugnare, cum nunquam ſibi in mentem venerit affirmare, quod myſteria Chriſtianæ religionis ex ratione demonſtrari poſſint. Hac occaſione & Jurius ad Pauli effatum: *animalis homo non capit quæ ſunt Divini Spiritus*, 1.Cor. II, 14 provocaverat, idque ut pro ſua militare ſententia oſtenderet, per animalem hominem eum, qui ratione ſua utitur, intellexerat: quo nomine iterum Saurino vapulat. Tertium argumentum Jurio ſubminiſtrat fides ſimplicium. Huc Chriſti Servatoris preces: *ago tibi gratias, Pater, qui hæc ſapientes peritosque celaveris & infantibus patefeceris*, Matth. XI, 25 & ſimilia Scripturæ dicta refert. Saurinus autem quod hiſce parum ad rei ſummam proficiat Jurius, alibi ſe jam demonſtraſſe, indicat. Sed præcipuum cauſæ ſuæ præſidium Jurius ſe inveniſſe arbitratur in guſtu & ſenſu fidelium, quo divinam veritatem percipere, & velut in corde ſuo ſentire videntur. Argumentum tale inde nectit: guſtus & ſenſus in operationibus Spiritus idem ſunt, ac perceptio ſenſualis in operationibus ſenſuum corporis. Jam perceptiones ſenſuales rei, vividæ quidem ſunt & penetrant, ſimul tamen obſcuræ ſunt & inevidentes. Eodem modo itaque guſtus & ſenſus ſpiritualis ſe habet, adeoque fides claram ac diſtinctam cognitionem non requirit. Saurinus ut unico velut ictu hanc machinam proſternat, ipſum principium, cui innititur, perceptiones ſcilicet ſenſuum obſcuras & inevidentes eſſe, evertit. Deinde docet, inter ſenſualem perceptionem, & ſenſum ac guſtum ſpiritualem, magnum intercedere diſcrimen: quæ omnia uberius hic exponi, prolixum nimis foret. Quæ hinc porro elicit argumenta Jurius, una cum reliquis ad caput cauſæ ſpectantibus, Auctor diluit in capite XII. Decimum tertium autem obſervationes quasdam ſiſtit ad quæſtionem, quænam cauſæ ſint certitudinis, quam de divinitate Scripturæ ſacræ habemus, ſpectantes. In ſequentibus autem, XIV ſcilicet, XV & XVI, diſtinctiones Jurii inter evidentiam rationis & evidentiam conſcientiæ, item inter convictionem ſpiritus & convictionem cordis, ut & inter claritatem & evidentiam, quibus ad firmandam & defendendam ſuam de obſcuritate principii fidei ſententiam, uſus fuerat, explodit; ſimulque quæ Jurius pro defendendo hocce effato: *ego credo, quia volo credere*, itemque de certitudine adhæſionis attulerat, diluit. Hinc ſuum judicium de Reformatæ

Cap. X. Cap. XI. Cap. XII. Cap. XIII. Cap. XIV. Cap. XV. Cap. XVI.

matæ

matæ Eccleſiæ haud incelebri Theologo Beaulieu tuetur cap. XVII, Cap. XVII.
& ſic tandem in cap. XVIII, argumenta quibus Jurius probare voluerat, Scripturam ſacram minus evidentem eſſe, adgreditur. Cap. XVIII. Primum Jurii argumentum hoc eſt, quod cuncta prima ſcientiarum principia non poſſint non minus evidentia eſſe, quia omnium philoſophorum conſenſu, demonſtrari nequeant. Id vero eſt quod Saurinus negat, quippe qui docet, prima principia indemonſtrabilia eſſe, non quod ſint minus evidentia, cum potius evidentiſſima ſint, ſed quod ita evidentia ſint, ut per alia principia demonſtrari nec poſſint nec debeant. Addit, cum Jurius profiteatur, ſe loqui de principiis, ut in ſcholis vocari ſolent, primo primis, turpiter eum falli, quod Scripturam ſacram pro tali principio venditet, cum citra controverſiam ejus & veritas & divinitas aliunde demonſtrari poſſit. Subjicit hunc in modum & alia, nec prætermittit, quod Jurius asſeruerat, principia prima a poſteriori demonſtrari poſſe; quod de principiis eſſendi, ut vocantur, concedit, de cognoſcendi autem principiis falſum eſſe pronunciat. Alterum Jurii argumentum iterum deſumtum eſt a fide ſimplicium: hanc enim non niſi auctoritatem hominum, aſſerentium verſionem Scripturæ, qua utuntur, cum textu originali convenire, aut teſtantium hoc vel illud dogma in divinis literis contineri, ſupponere, adeoque principio minus evidenti inniti. Cap. XIX. Cap. XX. Reſpondet ad hoc Saurinus, non verba, ſed res ipſas doctrinam divinitus revelatam abſolvere: hanc itaque, modo ſimplicioribus innoteſcat, ſemper characteres ſuæ divinitatis ſecum vehere, quæ demonſtrationis moralis vicem ſuſtineant. Tacemus argumenta Jurii alia, quæ Saurinus in cap. XIX ſub examen revocat. Quibus expeditis, aſſertum ſuum, quod characteres, qui Scripturæ ſacræ divinitatem probant, manifeſtam demonſtrationis moralis vicem ſuſtineant, & quidem independenter ab operatione Spiritus ſancti in cordibus credentium, tuetur, & ab accuſationibus Jurii vindicat. Nimirum perperam illud pro falſo, pro æquivoco, & parum ſufficiente a Jurio haberi contendit. Et ad falſitatem quidem hujus asſerti quod attinet, ut unicum ſaltem delibemus, Jurius concedit quidem, characteres Scripturæ externos etiam apud incredulos demonſtrandi vim habere, internis autem eam plane denegat, utut concedat, apud credentes his etiam demonſtrandi vim competere.

Sic

Sic ſublimitate myſteriorum tantum abeſt, inquit, ut convinci improbi & profani homines poſſint, ut nihil magis a fide eos deterreat, quam quia talia ratione aſſequi nequeunt: ſtyli ſimplicitatem potius ridebunt, quam ut ea ſe ad credendum induci patiantur: moralis doctrinæ ſanctitati aut opponere, aut præferre præceptiones Senecæ aut Chinenſium non dubitabunt. Gratulatur hic ſibi Saurinus, quod characteribus internis a Jurio ſaltem apud credentes demonſtrandi vis non denegetur; hoc enim apprime pro ſua facere ſententia: ſed addit, nec apud non credentes eadem deſtitui. Si enim a ſublimitate myſteriorum abhorreant, ſtyli ſimplicitatem rideant &c. tale quid eos committere, quod cum ſana ratione parum conveniat. Oſtendit porro, fruſtra ſe a Jurio erroris argui, quod hiſce characteribus demonſtrationem moralem, & quidem independenter ab operatione Spiritus ſancti, tribuerit: quæ omnia fuſius ediſſerit.

Cap. XXI. In cap. XXI. revelationum extraordinariarum mentio injicitur. Aſſerit quippe Saurinus, extraordinarias etiam revelationes ſuos characteres divinitatis ſenſibus & rationi evidentes ſecum vehere debere; quod ſi non ſit, neminem ſintne a Deo, an infernali genio profectæ, certum eſſe poſſe. In quo quidem rurſus ſecus ſentit Jurius. Saurinus mentem ſuam ulterius explicat docetque, revelationes extraordinarias aut expreſſe aut tacite notionibus communibus eſſe conformes. Id exemplo Abrahami & Eliæ illuſtrat. Addit ſi a revelatione tale quid alicui injungatur, quod palam cum divina lege pugnat, ut idololatria, colligi, eam neutiquam a Deo eſſe. Sed ex iis quæ de evidentia revelationum ordinariarum dixit, evidentiam extraordinariarum quoque probari poſſe putat. Interim de ipſis characteribus harum revelationum, quales ſint, ut evidenter homo inde colligere poſſit, a Deo, non autem a Dæmone hoc ſibi revelari, nihil certi definiri poſſe fatetur.

In altera parte, ex ordinis quem ſibi præſcripſit, ratione, de teſtimoniis tum Patrum tum Reformatæ Eccleſiæ Doctorum, quibus ſuam ſententiam firmaverat Jurius, diſpicit. Et in XXII. qui-

Cap. XXII. dem capite, ad Arnobii, Auguſtini, Juſtini Martyris, Chryſoſtomi, Baſilii, Gregorii I, Theodoti Ancyrani Epiſcopi, Procli Conſtantinopolitani, & aliorum veteris Eccleſiæ Doctorum teſtimonia a Jurio adducta reſpondet, evicturus, iis ſuam neutiquam feriri ſententiam,

tentiam, progreditur hinc ad Theologos ſuæ Eccleſiæ modernos. Cap. XXIII.
Hos omnes contra Saurinum militare, Jurius ex illorum doctrina de habitibus infuſis probare voluerat; ſed Saurinus diſtinguit habitus in pure infuſos, pure acquiſitos, & partim infuſos, partim acquiſitos. Fidem ceterasque virtutes habitibus partim infuſis, partim acquiſitis, annumerat, adeoque eas habitus acquiſitos dici poſſe ait, prout pure infuſis opponuntur, & vice verſa. Concludit inde, ad ejusmodi habitum fidei acquirendum, cognitionem divinæ cœleſtisque veritatis præcedere debere. Præterea ex doctrina Reformatæ Eccleſiæ Cap. XXIV. Doctorum de gratia immediata, Jurius evincere vult, eos neutiquam approbare ſententiam Saurini. Hic ita hinc ſe expedit, ut gratiam in abſolute immediatam, abſolute mediatam, & partim mediatam, partim immediatam diſpeſcat. Gratiam, per quam fides credentibus confertur, partim mediatam, partim immediatam eſſe contendit; recte tamen immediatam dici, prout abſolute mediatæ opponitur, & certa media a Deo præſcripta, lectionem & meditationem verbi, per quam ejusmodi homo de veritate doctrinæ cœleſtis magis magisq; convincatur, non excludere. Et ita de gratia immediata omnes Theologos Reformatæ Eccleſiæ ſentire autumat. His ita præmiſſis, ad ſpe- Cap. XXV. cialia deſcendit, & primo quidem Calvinum in ſuis Inſtitutionibus, nihil quod cum ſua ſententia pugnet, docere, operoſe contra Jurium evincit. Deinde Bucerum, Hemmingium, Muſculum, Pe- Cap. XXVI. trum Martyrem, Chamierum, ut & Confeſſiones Eccleſiæ Scoticæ, Francicæ, Belgicæ, perperam ſibi a Jurio opponi, demonſtrare nititur. Idem & de aliis Reformatæ Eccleſiæ Theologis, Van der Cap. XXVII Wayen, Hornbeckio, Heidano, Burmanno, Witſio, demonſtrat. Hac occaſione iterum Wolzogenii mentionem injicit, eumque non tantum a Synodo, quæ cauſam ejus cognovit, innocentem, hæreſeosque & erroris immunem pronunciatum fuiſſe narrat, ſed Mareſii quoque, Heidani, atque Burmanni literas de ejus orthodoxia producit. Agmen claudunt maximi nominis inter Reformatos Theologi, Amyraldus, Meſtrezatus, Turretinus, & Claudius. Singulis Cap. peculiare caput Saurinus deſtinavit, prolixe & operoſe in illorum XXVIII, ſententiam inquirens, idque ut evincat, ſuæ potius eos ſententiæ XXIX, favere, tantum abeſſe, ut recte a Jurio ſibi opponantur. XXX, XXXI

## REFLEXION UPON A PAMPHLET &c.

Hoc eſt:

ANIMADVERSIONES IN LIBELLUM QUENDAM, CUI Titulus: *Obſervationes nonnullæ de D. BURNETTO & JO. TILLOTSONO, occaſione nuperæ orationis funebris huic ab illo dictæ, prolatæ.*

Autore GILBERTO EPISCOPO SALISBURIENSI.

Londini apud Rich. Chiswell, 1696. in 8. plag. $10\frac{1}{2}$.

NEmini obſcurum eſſe poteſt, quam inviſa iis, qui JACOBI Britanniæ nuper Regis, contra GULIELMUM, Regem hodiernum, in Anglia partes tuentur, *Jo. Tillotſoni* Cantuarienſis Archi-Epiſcopi ſit memoria. Eorum enim graviſſimum odium non incurrere non potuit, qui & alias fide ſemper in hodiernum Sereniſſimum Regem quam maxime fuit conſpicuus, & in ejus locum ſurrogari ſe paſſus eſt, qui pro Rege ſuo illum agnoſcere recuſaverat. Nullam itaque & vivo eo prætermiſere maledictis ſuis lacerandi illum occaſionem, & in mortuum quoque omnem iram effundere non erubuerunt. Ex horum autem, qui male adeo Tillotſono cupiunt, numero quoque eſt Auctor libelli, cujus inſcriptionem nobis modo repræſentavit Reverendus maxime Salisburienſium Præſul *Gilb. Burnettus*; qui ei confutando aliquid operæ impendere eo magis neceſſum habuit, quod ad ipſum quoque propalatarum in eo accuſationum pars pertineret. Quas ut nos hoc in loco repetamus, & quam ſolide depulſæ illæ a Viro celeberrimo fuerint, oſtendamus, non expectabunt Lectores: excerpemus tamen nonnulla, quæ noſſe e re illorum eſſe maxime judicaverimus.

Nihil frequentius in ore habent ii, quibus præſens rerum in Anglia ſtatus diſplicet, quam ut Doctoribus atque Epiſcopis illius regni, imperantis hodie Regis auſpicia ſequentibus, doctrinam, quam olim tenuerunt, objiciant, quod ſcilicet ſummo magiſtratui religio-
p. 30. nis prætextu non liceat reſiſtere. Hanc doctrinam eos abnegaſſe, mutata rerum in Anglia facie, contendunt, eandemque Burnetto & Tillotſono dicam ſcribit Auctor, quem confutandum ille nunc ſibi ſumſit. Complura proinde loca ex ſcriptis Burnetti, præcipue ante mutationem hancce in lucem editis congeſſit, atque imprimis e libro, quem ex inſtituto ille ſcripſerat, ut quosdam Scotiæ cives ab hu-

hujusmodi moliminibus abſterreret, in quibus hanc doctrinam eum quoque luculenter tueri oſtendit. Verum reſpondet Vir reverendus, in eo ipſo libro, quo vel maxime adverſarius ejus nitatur, ſe clariſſime docuiſſe, licere Principi reſiſtere, ſi totalis ab eo Reipublicæ ſubverſio immineat. Quamobrem etiam Deum & Sereniſſimum Regem ſuum in teſtimonium vocat, ſe eo tempore, quo totalis nondum religionis & libertatis ſubverſio Angliæ erat metuenda, editis licet tyrannicis actionibus, nondum tamen in eorum ſententiam ire voluiſſe, qui jam tum, qua ratione communi oppresſori reſiſterent, conſilia agitarint. Aſt vero cum Legatos Romam ex Anglia, & in Angliam Roma ablegari, cum Epiſcopos Pontificios tanquam Papæ delegatos in Anglia ſe gerere, cum denique poteſtatem diſpenſandi circa leges Angliæ ambiri, imo Clerum ut illam publice proclamaret cogi cerneret, tum demum fundamentalem Angliæ legem, quæ velit ut legibus, non a Rege ſolo, ſed a tota Natione in Parliamento congregata ſancitis, regnum illud gubernetur, everti ſeſe exiſtimaſſe, adeoque de refrenanda Regis licentia una cum aliis cogitaſſe ait. Verum cum abiret etiam inſuper, poſtquam æquæ adeo conditiones propoſitæ ipſi fuiſſent, ut nimirum libero Parliamento poteſtatem de ſalute nationis diſpiciendi faceret; judicaſſe ſe dicit, pro deſertore regni eum eſſe habendum, adeo ut auctoritatem ejus antea ſolummodo ſuſpenſam, nunc plane collapſam eſſe judicaverit, relicta Nationi poteſtate, ut quacunque ratione rebus ſuis proſpiceret. Non itaque aliter ſe nunc ſentire, de magiſtratu religionis prætextu non oppugnando, quam olim, luculente conſtare arbitratur. Eandemque eſſe ait aliorum Doctorum Anglicorum doctrinam, quos, licet tam clare ac ipſe limitationem in ſcriptis ſuis non adhibuerint, reprehendendos tamen propterea non eſſe exiſtimat; cum & Apoſtolus recte doceat, uxorem ſubjectam marito ſicut Chriſto Eccleſiam eſſe, non addita de crudeli marito exceptione, utpote quam ipſa rei natura jam notam faciat. Et poſito etiam, aliter paululum nonnullos antea ſenſiſſe, nihil tamen ſcandali ex mutata ſententia eorum oriri poſſe credit. Duabus enim quæſtionibus ait totum illud negotium conſtare, quarum altera ſit, an prætextu religionis Principi ſuo reſiſtere ſubditi queant? altera, quantum libertatis ſibi Regni Angliæ cives reſervaverint, & an periclitantibus legibus

p. 32. p. 34. p. 37. p. 39. p. 43.

bus eorum fundamentalibus, Regibus ſuis poſſint obniti? Illam quæſtionem Theologicam eſſe, firmiterque eam hodienum etiam omnes Angliæ Doctores negare. Alteram ex Jure civili & Hiſtoria decidendam ait, eaque forſan, quæ ad illam ſpectant, omnibus non ſatis olim fuiſſe explorata. Et hoc obſervato, omnes illos clamores, quibus Vertumni eſſe arguantur Epiſcopi atque Doctores, partes Jacobo adverſas ſecuti, ſcandalaque inde exſurgentia exaggerentur, retundi poſſe arbitratur. Prolixius Burnettus huic argumento inſiſtit, quod præcipuam illam accuſationem eſſe ipſemet agnoſcat inter eas, quas adverſarius ipſi & aliis fratribus ejus intentavit. Reliquas, utpote quas tanti momenti non eſſe ait, brevius abſolvit. Et ſane ita comparata illa ſunt, ut ancipites hæreamus, an ulla earum repetenda hic nobis ſit. Ut ex paucis tamen indoles
p. 76. reliquarum appareat, nonnulla recenſuiſſe non pigebit. Exprobrat Reverendo Viro inter alia adverſarius ſchedas quasdam, in quibus divortium ob ſterilitatem legitime inſtitui poſſe affirmaverit, idque eo fine, ut ad alias nuptias Carolus II procedere poſſet, quod Shaftsburium Comitem aliosque nonnullos eo tempore agitaſſe ait, Jacobum Caroli fratrem regni hæreditate defraudare hac ratione cupientes. Reſpondet ad hoc ipſum ille, Shaftsburii conſilia, quæ illo tempore agitaverit, incognita prorſus ſibi eſſe. Hoc tamen ſe recordari ait, quod a Duce Lauderdalio quæſtio iſta propoſita ſibi fuerit. Primum dicit eum fuiſſe, ex quo Jacobi Eboracenſis eo tempore Ducis religionem reſciverit; quod ipſum cum non ſine ſumma animi conſternatione eum accepiſſe laudatus Dux animadvertiſſet, illum divortii mentionem facere cœpiſſe, variasque rerum circumſtantias narraſſe ait, quas ſilentio nunc prætermittendas ducat. Poſtea tamen ſe certiorem factum eſſe, ſtatum cauſæ minus recte conſtitutum fuiſſe, dicit. Præterea XXVII ætatis annum eo tempore vix ſeſe exceſſiſſe, legumque civilium, quibus primis ætatis ſuæ annis vacaverit, auctoritate præſtrictum fuiſſe fatetur: ut adeo ex Digeſtis, Codice & Novellis multa coram Lauderdalio, quæ faverent cauſæ iſti, allegaverit. Cumque deſideraſſet ille, ut in chartam ea, quæ prolata ore fuerant, conjiceret, hoc etiam ſeſe feciſſe non diſſimulat. Veruntamen poſtquam accuratius rem expendere datum fuiſſet, aliter ſe judicaſſe, & per literas proxima hyeme

me ad Ducem ſcriptas priorem ſententiam retractaſſe, imo integro libro, ſed nondum edito, eam ſe confutaſſe teſtatur. Verum ſatis de iſtis. Non inviti forſan Lectores accipient, quod inter alia Hiſtoriæ Reformationis Anglicanæ ab Auctore conſignatæ, ejus adverſarius de male repræſentatis quibusdam Lutheri literis, ad controverſias de ſacramento cœnæ ſpectantibus, objecit. Suſpectæ jam olim viſæ fuerunt illuſtri Seckendorfio literæ iſtæ, prout a Burnetto editæ fuerunt, cumque ob illas quosdam familiares ſuos apud Reverendum Virum inquirere juſſiſſet, hujus opera, uti ipſe hoc loco narrat, factum fuit, ut Lutheri autographum iis perluſtrandum concederetur, qui tamen aliam nullam differentiam ab autographo deprehenderint, quam quod pro *nihilominus*, in autographo *nihil minus* ſcriptum notarint. Verum etiamſi plures forte, quam illa, mutationes factæ ſint, quod nec ipſe Rev. Auctor plane negare ſuſtinet, omnem is culpam in ipſum Lutherum rejicit, cujus literæ male adeo pictæ fuerint, ut legi facile a nemine valeant: utque eo minor nævus ille appareat, quocunque modo momentum illarum literarum elevare nititur. Sunt, fatemur, alia in hoc ſcripto, quæ præſentis Angliæ conditionis curioſis indagatoribus ingrata eſſe non poſſunt, atque inprimis Epiſcoporum ob juramentum recuſatum depoſitorum cauſa fuſe examinatur. Verum hujusmodi res aut plane exſcribendæ, aut omnino prætermittendæ ſunt; quamobrem plura referre de iſtis jam ſuperſedemus. p. 40.

## *CONRADI SAMUELIS SCHURZFLEISCHII ORATIONES Panegyricæ & Allocutiones varii argumenti.*

Vitembergæ, apud Hæredes Meyerianos, 1697. in 4. Alph. 1. plag. 5.

EA Polyhiſtoris celeberrimi, cujus Orationes & Allocutiones varii generis unum in faſciculum colligatæ hic exhibentur, optimarum quarumque litterarum eſt peritia, ea in dicendo vis & elegantia gravitasque, ut cavendum merito ſit, ne eorum, quæ a limatiſſimo ejus ingenio profecta ſunt, quicquam intereidat. Ipſos ſermones, quos ex tempore, nec quicquam præmeditatus, in publica privatave doctrina, prout a propoſito digrediendi occaſio ſe offert, ad auditores ſuos mira felicitate, (qua Buchnerum ipſum, cujus maſculam ubique Latinitatem æmulatur, longiſſime ſuperat,) habere

ſolitus eſt, par erat æquumque non abire in auras, aut præſentium, ſolum auribus animisque illabi, ſed excipi ſcribarum calamis, typorumque beneficio cum Orbe literato communicari. Quanto magis interfuit, Orationes ejus ac Allocutiones, in quibus rite & ex artis præcepto componendis in muſeo ſuo elaboravit, & quas ipſe, quæ prælo ſubjicerentur, dignas jam olim reputavit, ſeræ poſteritatis uſui conſervari? Itaque & fratribus *Knauthiis*, Viris-Juvenibus doctiſſimis, quod ejus hæc monumenta ingenii, ſeorſim antehac typis excuſa, ſed plane diſperſa ac tantum non deperdita, magno undique ſtudio collegerint, & ipſi diſertiſſimo Auctori, quod, ut denuo ea & junctim quidem edi pateretur, exorari ſe fuerit paſſus, gratias maximas debemus; meritoque, ut & Diſputationes ejusdem Academicæ, ut & commentationes aliæ pari modo propediem luci publicæ exponantur, optamus. Ceterum uti Orationes & Allocutiones præſentes perlegi ab unoquoque malumus (cujus quidem operæ neminem pœnitebit) quam hoc loco prolixiora ex iis excerpta dare: ita brevi tamen recenſu methodi, qua iſthæc Auctoris noſtri opuſcula diſpoſita in hoc volumine comparent, ſuperſedere non poſſumus.

Primum nempe locum juſtæ ſolennesque Orationes, quas ad cives academicos ex cathedra diverſis temporibus recitavit, occupant; quas inter Panegyricæ quatuor eminent, quarum prima in Climactericum magnum JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris glorioſiſſimæ memoriæ, fuit habita: altera honori ſupremo Divi JOHANNIS GEORGII III conſecrata fuit: tertia in natalem Sereniſſimi Principis FRIDERICI AUGUSTI, Electoratus Saxonici tum Heredis, fuit inſtituta: quarta *Henrici* Liberi Baronis *a Friſen*, ſummis in Domum Electoralem Saxonicam meritis illuſtriſſimi, tum defuncti, elogia proſequitur. Sequuntur Orationes in funeribus celeberrimorum inclytæ Academiæ Witembergenſis Doctorum, nimirum *Johannis Meiſneri* & *Abrahami Calovii* Theologorum, *Caſparis Ziegleri* JCti, & *Andreæ Sennerti* linguarum orientalium Profeſſoris, nec non Quæſturæ Witembergenſis Præfecti *Andreæ Hahnii*, dictæ. Has excipiunt Allocutiones ſolenniores quatuor, quas ad auditores, jam redux ex Italia, jam ex Ubiorum finibus rever-

reverſus, jam occaſionibus aliis inſtituit. Major eſt Allocutionum reliquarum minoris momenti varietas, in claſſes ſex diſtributarum, quarum I eſt nuptialium; II ad Candidatos honorum Academicorum; III diſputationibus, orationibus & libris quorundam ſubjunctarum; IV dedicatoriarum; V apodemicarum; VI conſolatoriarum: quibus denique variarum Allocutionum Appendix ſubnectitur.

## *A CONFERENCE WITH A THEIST &c.*
## h. e.
## *COLLATIONIS CUM THEISTA PARS II, QUA RELIGIONIS naturalis imperfectio, Divinæ revelationis neceſſitas, Moſaicarum legum rationalitas, veritasque miraculorum ejus demonſtrantur, ſimulque de diluvio, de ſacrificiorum origine, nec non mediatorii Chriſti officii rationalitate diſquiritur, Auctore GULIELMO NICHOLLS, S. Th. D.*

Londini apud Franc. Saunders & Thom. Bennet, 1697. in 8.

Conſtat plagulis 21.

BEnigna plerorumque approbatio, qua partem priorem hujus Collationis, a nobis quoque in Actis ſuperioris anni p. 537. ſeqq. recenſitam, exceperunt, Reverendum ejus Autorem permovit, ut alteram hanc partem non tantum publicæ luci exponere, ſed edendæ etiam tertiæ ſpem nobis facere animum induxerit. Duo autem potiſſimum ſecundam hanc Collationem capita abſolvere videntur. Primo enim de Naturali Religione cum *Credentio* diſputat *Philologus*, an ea Deo rite colendo vitæque recte inſtituendæ ſufficiat, diſquirens: deinde vero Religionem Revelatam, quam ille tuetur, variis argumentis oppugnat. De naturali religione diſſerendi initium facit, eamque primis & antiquiſſimis temporibus obtinuiſſe, quibus aurea nimirum apud homines viguerit ætas, gloriatur, Sacerdotum poſtmodum fraudibus miſere corruptam. Verum ex omnium omnis ævi nationum hiſtoria, nullam hujusmodi naturalem religionem, quæ rationis unice ſequi profeſſa fuerit dictamina, unquam exſtitiſſe demonſtrat *Credentius*, ſed ſua quamvis gentem oracula, ſacerdotes, ſacrificia aliasque cæremonias ritusque ſacros, a primis usque humani generis initiis habuiſſe. Imo ipſa

p. 5. p. 21. p. 32.

ipſa quoque prima principia moralia, quæ naturalia & connata Scholaſticorum Doctorum grex vulgo appellare ſuevit, ex revelatione humano generi primitus innotuiſſe, & per traditionem poſtmodum propagata eſſe evincit. Cum autem primam, quam naturalis religio paſſa eſt, corruptelam inde originem ducere perſuaſum habeat *Philologus*, quod in mentem hominibus venerit ænigmatibus res theologicas involvere, unde omnis illa mythica ex-
p. 39. ſurrexerit theologia; plane *Credentius* illam ſententiam evertit, atque iſta, quæ a Platone in Cratylo aliisque traduntur ſub Jovis, Junonis cæterorumque Deorum nominibus latere myſteria, mera commenta Philoſophorum, turpitudini religionis ſuæ velum hone-
p. 45. ſte obtendere ſatagentium, eſſe oſtendit: atque potius confuſioni theologiæ cum obſcœnis Principum ſuorum hiſtoriis, aliisque cauſis, quas prolixe recenſet, omnem Gentilium religionem deberi, de-
p. 52. monſtrat. Omiſſa igitur iſta diſceptatione, *Philologus* eam tanquam optimam & vere naturalem religionem deprædicat, quæ inter ſapientiores Gentiles obtinuit, quales Plato, Cicero & omnis Stoicorum grex fuerint; quorum ſcripta vitæ optime inſtituendæ regulis præclariſſimis, atque ad homines perſuadendos maxime idoneis referta plane ſint atque ſtipata: quæ proinde ſacris ſcriptoribus longiſſime anteferre non dubitat. Hinc itaque occaſionem *Credentius* nanciſcitur ejus, quam moralem vocant, partis philoſophiæ defe-
p 54. ctus oſtendendi: utpote quæ cum aliud, quam inſitam mortalium
p. 56. mentibus ſuperbiam, fundamentum non habeat, veri Dei cognitio-
p. 59. ne deſtituatur, in virtutibus vitiisque definiendis multum aberret, imperfectiſſima non poſſit non eſſe: unde factum eſſe evincit, ut
p. 61. 64. cum Philoſophi, tum vulgus hominum, ſpurciſſimis vitiis contami-
p. 68. natam duxerint vitam. Quorum enormia maxime, qualia idololatria, magia, hoſtiarum humanarum oblatio, aliaque quamplurima, Chriſtianæ doctrinæ ope abrogata eliminataque eſſe probat.
p. 76. Quid ad hæc *Philologus?* Sane imperfectam adeo religionem naturalem eſſe, ut ad æternam vitam homines deducere nequeat, vel eo ſibi perſuaderi non patitur, quod divina miſericordia indignum eſſe videatur, minima generis humani parte meliore luce colluſtrata, reliquos mortales omnes cum religione ſua naturali exitio permittere: ſi autem Gentiles per eam ſalvari queant, ſe quidem intel-

intelligere non ait, cur alia ſibi ſuique ſimilibus via opus ſit. Diverſam itaque plane rationem eſſe Theiſtæ in ſinu Eccleſiæ educati, p. 78.
& Gentilis cui nunquam melior radius affulſit, ante omnia demonſtrat *Credentius*. Deinde autem Gentiles etiam, quamvis ad unum omnes infernalibus addicere non audeat carceribus, ad illam tamen ſalutem, quæ Chriſtianorum propria futura eſt, acceſſum minime habituros exiſtimat: forteque adeo alias manſiones futuras arbitratur, ad quas melior Gentilium pars poſt hanc vitam ſit admittenda, p. 80.
ab iis, quas fide ſeſe amplexis præparavit Salvator, plane diverſas. Aſt pergit nihilominus adſtruere *Philologus*, perinde id eſſe, quacunque religionis externarumque cæremoniarum lege ſummus ille Deus colatur, atque imprimis Siamenſis Regis ſibi placere ait reſponſum, quod ab eo Gallicus Orator, ut Chriſtianiſmum amplecteretur, ei perſuaſurus, ab illo tuliſſe dicitur. Potuiſſe ſcilicet Deum, ſi viſum ei ita fuiſſet, omnes mortales uti faciebus animisque prorſus ſibi invicem ſimilibus condere, ita uni quoque eidemque legi atque religioni ſubmittere. Verum viſum eſſe Deo opinionum circa religionem tolerare diverſitatem, quod non minus cæremoniarum varietate coli, quam creaturarum inſigni diverſitate glorificari gaudeat. Attamen luculente ſatis evincit *Credentius*, quam periculoſum ſit ita ſentire, quamque hypocriſin & idololatriam evitare nequeat, qui quocunque cultus genere Deum proſequi ſibi licere putet. Atque ut cætera, quæ *Philologo* opponit, taceamus, Siamenſium Regi potiſſimum reſpondet, neutiquam eum ex permiſſione divina ejus approbationem juſta ſequela poſſe elicere; namque alias eum etiam cogi ut admittat, vitioſos quoque habitus puriſſimo illi Enti non diſplicere. p. 84.

Et hæc quidem præcipua ſunt diſputationis de religione naturali momenta. Jam quæ de revelata, doctrinaque de Mediatore diſceptent invicem *Philologus* atque *Credentius*, videamus. Primo p. 93.
nempe ſtatim loco *Philologus* fatetur, ſe humani ingenii infirmitatem, divinamque ex altera parte miſericordiam expendentem facile adduci, ut credat, revelaſſe Deum aliquid de voluntate ſua, quo dirigat fluctuantes hominum mentes. At characteres ſibi dari poſtulat, quibus cognoſcat, ubi demum gentium ſalutaris illa habeatur revelatio, cum nulla non inveniatur natio, quæ eam non ina-

niter jactitet, ipſaque etiam ſacra Scriptura revelationes inter Gentiles quoque extare confirmet, nullamque adeo Judæis & Chriſtianis
p. 97. præ iis prærogativam relinquat. *Credentius* igitur, ut dubio huic ſatisfaciat, negat omnino revelationes divinas inter Gentiles haberi, quibus religio eorum ſtabiliatur; id quod ex impuritate ejus probat; quæ divinæ nequeat eſſe originis. Cumque varia Scripturæ loca, quæ Philologi ſententiæ favere videntur, ab eo oppoſita fue-
p. 99. rint, diſtincte ad ea omnia reſpondet. Melchiſedeco certe divinas revelationes obtigiſſe fatetur, utut Judæus haud fuerit. Verum nec Gentilem idololatram eum fuiſſe oſtendit, ſed genuinum an-
p. 101. tiquæ Eccleſiæ Noachicæ membrum. Locum Malach. I, 10 quod attinet, quo Spinoſæ etiam placuit abuti, ut deteriorem Gentilium quam Judæorum conditionem non eſſe oſtenderet; vaticinium illud eſſe de ſtatu Gentium ſub regno Meſſiæ evincit, nihilque plane
p. 102. ad ſtabiliendam cauſam, quam Philologus agit, facere. Ea porro quæ e Pſ. CXLV, 9. 18. adducta fuere, nullam inter Gentiles inſtitutionem divinam, revelationi Judæis editæ æquandam, ſed univer-
p. 103. ſalem Dei in omnes creaturas ſuas amorem notare. Jobi exemplum nihil quoque huc facere, utpote cujus non alia quam omnium ante legem fidelium conditio fuerit, cum idololatrarum impie-
p. 104. tate nihil habens commune: idemque etiam ei Noachum & Eno-
p. 103. 105. chum objicienti reſpondet. Jonam autem & Obadiam cum Gentiles, Gentiliumque Prophetas facere auſus fuerit *Philologus*, contra-
p. 105. rium de illo luculenter probat ex 2. Reg. c. XIV, de hoc vero ex ipſis ejus oraculis, maxime ex comm. 17 & 18. Quod vero per ſuos quoque Prophetas, Eſaiam, Jeremiam, Ezechielem & alios, oracula ediderit Deus ad Gentiles ſpectantia, id Philologi cauſam minime juvare docet, cum non religionem eorum ſtabiliant, ſed judicia divina iis annuncient, quorum prædictione Judæi ab iis oppreſſi ſolamine afficiebantur, & ad divinam cognoſcendam juſtitiam fortius
p. 106. incitabantur. Balaami denique exemplum ad vincendam cauſam parum idoneum eſſe oſtendit; neutiquam enim ex eo colligi poſſe, prophetiæ donum commune Gentilibus cum Judæis fuiſſe, cum manifeſte pateat, Judæorum gratia ſuperſtitioſo illi incantatori tum ſolum Spiritum Dei obveniſſe; nec meliorem tum ejus quam aſinæ illius antea conditionem fuiſſe, cujus tamen exemplo nemo brutis animan-

mantibus prophetias & revelationes aſſerere audeat. Secundum dubium *Philologo* movet ſapientia juſtitiaque divina, cui conſentaneum eſſe non putat, ut neglectis omnibus orbis incolis, ſtultiſſimo & pervicaciſſimo Judæorum populo oracula ſua, lumenque melius crediderit Deus. Verum & nihil indignum juſtitia providentiaque divina admiſſum hic eſſe, *Credentius* monſtrat; & alia haud pauca eſſe providentiæ divinæ opera docet, quorum rationem infirmi homines reddere nequeant; & ſtultum adeo ac male ſanum Judæorum populum haud fuiſſe oſtendit, quam a plerisque repræſentari ſoleat, eaque occaſione a Juſtini & Taciti potiſſimum eos calumniis vindicat. Jam itaque porro ſuam de inſpiratione divina ſententiam *Philologus* exponit, ſibique non perſuaderi poſſe ait, Prophetis, qui inſpirati eſſe dicuntur, alia ratione divinam mentem eſſe revelatam, quam ea, quæ communis eſt & naturalis, ratiocinationis nimirum, qua ad ſcientiam pervenitur. Quam ratiocinandi & cognoſcendi facultatem cum a Deo habeamus, revelationem dici omnino poſſe cenſet. Nihil autem aliud, quam uſum nominis *Dei* apud Hebræos effeciſſe, ut parum probabilem de Prophetis ſententiam Judæi pariter ac Chriſtiani amplecterentur. Fuiſſe enim iis familiare, ut res magnas atque extraordinarias, adjecto Dei nomine, ſignificarent; ſic enim *montes Dei*, *ſomnum Dei*, & alia dici invenimus. Viros itaque etiam Dei, non homines divinitus inſpiratos, quod parum ſapiens crediderit poſteritas, ſed viros præſtantes, quos *divinos* Græci quoque & Latini dicerent, initio ſignificaſſe: per *Spiritum* autem *Dei*, quem habere dicuntur, mentis habitum divinum atque excellentem denotatum eſſe. At nihil aliud quam doctas nugas omnia iſta eſſe, *Credentius* oſtendit, qui luculentum diſcrimen inter naturalem cognitionem & revelatam collocat. Ad obſervationem autem de *Viris Dei* illi reſpondet, rariſſimum illius appellationis in S. litteris uſum eſſe; contraque alia nomina & phraſes de Prophetis magis frequenter uſurpatas ei opponit, quæ peculiare aliquod cum Deo commercium manifeſtiſſime innuant. Denique cavillationem de *Spiritu Dei*, æquivocatione vocis *ſpiritus*, quæ *mentem* in Scripturis quandoque ſignificat, ſubnixam quod attinet, loca producit, in quibus non *mentis excellentiam*, ſed revelationem divinam, non poſſe non per *Spiritum Dei* ſignificari arbitratur. Taliaque eſſe putat Gen.

p. 111. p. 113. p. 114. p. 117. p. 119. p. 125. p. 126. p. 127. p. 129. p. 130. p. 132. p. 135.

XLI, 38. Num. XXVII, 18. Eſ. LIX, 21. Ezech. XI, 5. & alia quamplu-
p. 138. rima. Concedere itaque *Philologus* videtur, fuiſſe eam, quam pu-
tat *Credentius*, Judæorum phraſibus iſtis utentium opinionem: ve-
rum abſonam eam eſſe cenſet, eorumque ignorantiæ naturalium
rerum & craſſæ ſuperſtitioni deberi, qua inducti ad Θεὸν ἀπὸ μη-
χανῆς retulerint, quod rectius ad vividam aliquam imaginationis
p. 139. vim retuliſſent. Namque eam ſolum neceſſarium Prophetæ requiſi-
tum eſſe, ex ipſis S. litteris confirmare audet, quæ viros ſapientes,
qualis Salomon, Heman, Darda, Kalchol, Prophetas nunquam fa-
ciant, utpote in quibus locum phantaſiæ ludibriis prudentia eorum
non reliquerit: contra vero rudem ruſticorum & paſtorum plebem,
& infirmas mulierculas prophetico dono ornatas repræſentent. Imo
p. 140. & urget, quod pro affectuum varietate differant eorum prophetiæ,
quodque proinde muſica & aliis rebus eos excitare quandoque co-
nati fuerint, ut lætiora prædicere valerent, quod ex 2. Reg. III, 15.
potiſſimum confirmat. Denique ſæpe revelationes opinionibus fir-
miter hærentibus, utut falſis, originem debere, nihilque aliud pro-
phetiam eſſe, quam vehementem imaginationem cum bona inten-
tione conjunctam, ex Ezech. XXI, 21. & Matth. II, 2. conatur evincere.
p. 143. Jam quid ad omnia iſta *Credentius*? Primo omnis ævi ſapientes, re-
velationes a Deo procedere exiſtimaſſe, ex Cicerone, Jamblicho
& Xenophonte probat. Deinde imaginationis vim ejus cauſam
p. 144. non eſſe, fuſe demonſtrat. Namque Moſis aliorumque exemplis
oſtendit, magis quam alios homines melancholiæ deditos Prophe-
tas non fuiſſe, quod tam vitæ, quam egerunt, inſtituta, quam ſcripta
eorum nihil ſimile ſcriptis Tereſiæ, Pazziæ aliarumque melancholi-
p. 146. carum mentium fœtibus habentia, abunde teſtari ait. Atque adeo
Petiti commentum, quod Lib. I. de Sibyllis proponit, quod ſcili-
cet melancholia primarium ſit requiſitum, quod Prophetam conſti-
tuat, penitus evertit. Imo Davidis imprimis exemplum urget, quem
ſanguinei temperamenti hominem fuiſſe, ex S. litteris abunde con-
p. 153. ſtet. Cum ſapientia autem prophetiæ donum conſiſtere non poſ-
ſe, falſiſſimum eſſe, Moſis qui inſtitutus erat in omni Ægyptiorum
ſapientia, Nathanis, Eſaiæ, & Danielis, qui in Regum aulis fuerant
educati, exemplis facile evincit. Imo & Salomoni bis ſeſe revelaſſe
Deum, ſacra nos docere oracula urget. Atque Hemanum etiam,
quem

quem itidem impedivisse ſapientiam, quo minus Propheta eſſet, dixerat *Philologus*, in Prophetarum ordinem referri 1. Chron. XXVI, 5. obſervat. Ab affectibus porro vaticinia & viſiones Prophetarum non pependiſſe, quamplurimis exemplis probat, interque alia Danielis, qui in ſummo luctu conſtitutus, lætiſſimam a Gabriele de adventu Meſſiæ promiſſionem acceperit. Eliſæi exemplum quod concernit, non ad excitandos affectus, ſed ad componendam perturbatam improbi Regis præſentia mentem, muſico inſtrumento eum uſum eſſe dicit, ut mens quieta divinas impreſſiones recipere apta evaderet. Falſas opiniones revelationibus ſeſe miſcere, ex allato Ezechielis loco probari non poſſe docet, utpote quo ſuperſtitioſi Babyloniorum ritus tantum deſcribantur, neutiquam autem veræ editæ eſſe dicantur prophetiæ. Ex Magorum autem Chriſtum adorantium hiſtoria, nil aliud colligi poſſe, quam occaſionem Deum arripuiſſe ex ſuperſtitione eorum, ut ad Chriſtum, veram lucem, eos perduceret. Prolixe deinceps de miraculis inter ſe diſputant, qua occaſione varia miracula, atque imprimis id, quod patratum a Joſua eſt, Soli, ne curſum ſuum perageret, donec hoſtes ſuos penitus deleviſſet, præcipiente, vindicat *Credentius*. Inde vero de ſacrorum Scriptorum divinitate contendunt, quorum fidem variis argumentis *Philologus* impugnat. Et Moſi quidem autoritatem ſuam ereptum it, rationibus potiſſimum ex tradita ab eo diluvii hiſtoria petitis. Dicere enim, quod univerſus mundus eodem tempore aquis perierit, non minus abſonum cenſet, quam ſi ſputo ſuo ſubmerſum & ſuffocatum hominem eſſe affirmes. Huic itaque dubio obviam iturus *Credentius*, ante omnia utilem atque non ſine ingenti & eruditionis & ingenii laude ſuſceptum a Th. Burnetio laborem commendat, quo diluvii poſſibilitatem incredulis perſuadere conatus eſt. Non diſſimulat tamen, haud pauca eſſe, de quibus ut aſſenſum ipſi præſtet, adduci non poſſit. Quemadmodum & in ingenioſiſſimi Woodwardi (cujus Tentamen circa Naturalem Hiſtoriam Telluris Tomi III Supplementorum ſectione I pag. 7. ſeqq. juſto ſtudio recenſuimus) ac Whiſtoni (cujus Theoriam Telluris hoc ipſo anno editam propediem recenſebimus) methodis diluvii univerſalitatem probandi nonnulla animadvertit, quæ parum certa ipſi videntur, hoc loco annotari quidem non indigna, ſed quæ tamen nimiæ

p. 154.

p. 175.

p. 160.

p. 185.

p. 187.

p. 198. miæ prolixitatis metus præterire nos jubet. Ipſemet ita procedit,
ut primo diluvium aliquod univerſale mundo aliquando obtigiſſe,
tum ex conſtanti traditione gentilium quoque ſcriptorum, tum ex
p. 201. marinis, qualia oſtreæ, conchæ, & alia, in locis mediterraneis re-
pertis probet. Deinde autem, ut aquam ſuppetiiſſe Deo, qua ad
eam usque, quæ a Moſe traditur, altitudinem obruere mundum
potuerit, oſtendat, in viſceribus terræ immenſam aquarum vim de-
p. 202. liteſcere, quam ea cruſtæ inſtar ambiat, cum clariſſimo Burnetio ſta-
tuit, idque ita eſſe, ex Maris Mediterranei phænomenis demonſtrat.
p. 205. Jam itaque totius terræ ambitum 8000 milliaria abſolvere ſuppo-
nit; hujus autem numeri partem trigeſimam ſecundam cruſtæ con-
ſtituere craſſitudinem putat, ut adeo ea 250 milliaria craſſitie ſua
conficiens, conſiſtentiam terræ in rapidiſſimis ejus motibus tueri que-
at. Vel ſi ea craſſitudo ſufficere alicui non videatur, non impedi-
re ſe ait, quo minus 500 milliaria craſſitudini terræ, abyſſum aquæ
ambientis, tribuantur. Nam ſic quoque computanti appariturum,
abunde ſufficere aquas in reſiduo ſpatio concavo terræ abditas, ad
obruendam univerſam terram ea, qua Moſes ſcripſit, ratione, nul-
laque alia re opus fuiſſe, quam ut Deus miraculoſa ſua potentia,
per foramina in fundo marium apparentia, & communicationi in-
ter illa & abyſſum inſervientia, tantum, quantum negotio iſti ſuffi-
p. 206. ciebat, aquæ extraxerit. Duo tamen ſunt, quæ hic excipit *Philolo-
gus*, alterum, ipſam illam miraculoſam Dei potentiam, qua extra-
xerit aquam, callidum potius eſſe Theologi κρυσφύγητον, quam
dignam Philoſopho difficultatis ſolutionem: alterum, ſuppoſitionem
illam de aquis in cavitate terræ deliteſcentibus, deſtruere ſpecificæ
gravitatis leges, utpote quæ aquas terra leviores infra terram mul-
p. 207. to iis graviorem conſtituat. Ad primum itaque *Credentius* reſpon-
det, omnino miraculum agnoſcendum eſſe: ſi enim ordinariis na-
turæ legibus factum eſſet diluvium, pœnæ rationem id habere non
p. 208. potuiſſe. Alteram vero objectionem, a ſpecifica gravitate petitam,
ex univerſæ naturæ praxi vaniſſimam eſſe demonſtrat. Ut enim
pauca, ſed præcipua hic repetamus, Sol centrum omnium planeta-
rum eſt, quorum nullus materiæ levitate & ſubtilitate ipſi æquari pot-
p. 209. eſt: et in ipſa terra, graviſſima foſſilium, ſuperficiei ejus proxima
ſæpe ſunt, levioribus ſtratis in locis multo profundioribus obviis.
Sic

Sic in vegetabilibus, ſecus quam gravitatis leges jubent, fibræ ſurſum tendunt, & liquor ſuccusve arborum contrario, quam natura poſcere liquidorum videtur, motu ſuperiora petunt; ut alia hujusmodi ab eo allata nunc taceamus. Cum autem nihilominus *Philologus*, quomodo extractio illa aquarum ex abyſſo fieri potuerit, ſcire cupiat, Credentius, ut ei aliquo modo ſatisfaciat, fieri id potuiſſe oſtendit per extraordinariam Dei potentiam, Terra ad Lunam propius admota: quæ preſſura ſua maribus, & conſequenter abyſſo, per varios meatus cum iis conjunctæ incumbens, ut effunderent ſe aquæ abyſſi effecerit, quibus incrementi nonnihil ex continuis imbribus acceſſerit. Miſſa itaque tandem diluvii hiſtoria, miracula Moſis *Philologus* impugnat, quæ meras fraudes, ad fallendum arbitrioque ſuo regendum populum compoſitas fuiſſe, atque adeo Moſen verum Prophetam non exſtitiſſe, perſuaſum habet. Sic v. c. Deum in igne leges ferre eum finxiſſe ait, ignivomo monte ad fraudem iſtam abuſum. Verum & ignivomi montis nullum veſtigium eſſe in Sinai, *Credentius* oſtendit, cum Ætna aliisque Vulcanis illum contendens; & apparitiones Angelorum, qualem iſtam in Sinai fuiſſe ſtatuit, pariter ac ipſius Dei apparitiones, in igne factas ſemper eſſe, ex Jamblicho, Plutarcho, Orpheo aliisque Gentilium Theologis ſacrisque eorum ritibus probat. Simili diligentia miraculum in mari rubro patratum inter ſe expendunt, & ſic demum ad ipſas leges Moſis paulo penitius conſiderandas accedunt. Earum enim pars haud exigua, ridicula prorſus & omnis conſilii expers *Philologo* videtur. An enim, inquit, ſapientis Legislatoris cura dignum aliquis cenſeat proſpicere, ne beſtiarum ſanguine quisquam veſcatur: ne bos & aſinus eodem jugo jungantur, & ſimilia? Forenſium vero legum plerasque pro iniquis & crudelibus habet. Quæ tamen optimæ ut eſſe omnino videantur, recta earum explicatione, & cum aliarum ſapientiſſimarum gentium legibus collatione, *Credentius* efficit. Prætereaque etiam oſtendit, falſum eſſe, quod *Philologo* in mentem venerat, tuliſſe nimirum Moſen leges plerasque, ad Zabios habito reſpectu. Nullam enim unquam gentem hoc nomine exſtitiſſe, eſſeque ſuppoſititios, qui Majemonidis ævo circumferebantur ſub nomine eorum, libros omnes, fuſe oſtendit. Nec minus falſum eſſe demonſtrat, quod paulo poſt ille ait, cultum divi-

p. 214. p. 218. p. 221. p. 228. p. 237. p. 247. p. 253.

p. 257. 259. divinum a Moſe inſtitutum ab Ægyptiis eum mutuatum eſſe, adeo-
263. que a Deo non accepiſſe. Ubi circumciſionem, Urim & Thu-
p. 264. 268. mim, lintea ſacerdotis veſtimenta, Cherubinos, arcam fœderis, no-
269. vilunia, purificationes & luſtrationes, templum Hieroſolymitanum
p. 271. 272. aliaque hujusmodi ab Ægyptiis ad Judæos translata non eſſe, con-
p. 275. tra Spencerum, Marshamum & ſequaces eorum fuſe demonſtrat. Atque apud alias quoque nationes oppido multa eſſe docet, quorum aliqua cum Judaicis moribus ſit convenientia, quæ tamen ab iis ad hos propterea translata eſſe nequeant dici. Sed nondum tamen *Philologus* impugnandi Moſis finem facit, ſed eum pariter ac omnes reliquos V. T. Scriptores graviſſimorum errorum accuſat, atque imprimis id moleſte fert, quod anthropomorphitarum errore conta-
p. 279. minatos fuiſſe omnes deprehendat. Sed longiſſime eos ab iſto delirio abfuiſſe, *Credentius* evincit, luculenta loca producens, quibus Deum Spiritum eſſe affirmant; ea, quæ membra Deo, affectus item
p. 282. & mores humanos tribuere videntur, dextre exponens; nullamque linguam humanam aptam eſſe oſtendens, ad Dei naturam & actiones
p. 284. vocibus ſatis propriis exprimendas. Imprimis notari meretur, quod verba Moſis, dicentis, audiviſſe Protoplaſtos vocem Dei deambulantis in horto, ita exponat, audiviſſe eos ventum ſeu vocem, quæ comitari ſolebat præſentiam Angeli, per quem Deus cum ipſis agere
p. 285. ſueverat, atque ea ex Job. XXIIX & 1. Reg. XIX, illuſtret. Cum vero idem Moſes orat Deum, ut faciem ejus intueri ſibi liceat, non oculis corporis intueri illum Deum voluiſſe dicit, utpote quibus eum haud patere optime noverit: ſed magis claram Angeli in nube hactenus ipſi apparentis manifeſtationem deſideraſſe, ut magis evidens ſignum
p. 286. divinæ miſſionis ſuæ Judæis inde naſceretur. Denique Jonam non omnimodam Dei præſentiam effugere voluiſſe, ſed propheticam tantum, exiſtimat, vulgari forſan etiam Judæorum opinione occupatum, in terra a Gentilibus habitata revelationes divinas dari haud
p. 287. ſolere. Tandem etiam ad ea reſpondet, quæ in actionibus Prophetarum taxat *Philologus*, v. g. quod 390 dierum ſpatio in latus reclinis jacuerit Ezechiel: quod meretricem duxerit Oſeas: quod parum reverenter in Reges ſe geſſerint Samuel & Hanani. Ultimos
p. 288. enim hoſce mandato divino & conceſſa a Regum Rege autoritate excuſat: illorum vero monſtroſas actiones in viſione plerumque,

non

non reapſe factas eſſe, ad ſignificandas maximi momenti res exiſtimat. Aggreditur igitur denique *Philologus* doctrinam de ſatisfactione & expiatione pro peccatis, quam per ſacrificia fieri Judæis, per Chriſtum Chriſtianis Sacerdotes lucello inhiantes perſuaſerint; cum tamen illa doctrina Dei naturæ plane conveniens non ſit, quem tanquam implacabilem & ad reconciliationem parum proclivem repræſentet. Indignam itaque Deo non eſſe *Credentius* oſtendit rem iſtam, utpote cujus non miſericordia tantum, ſed & juſtitia attributum ſit. Sacrificia autem non ideo tantum, ne gratis peccare viderentur homines, inſtituta eſſe, ſed ut Chriſti ſacrificium repræſentarent, evincit: eaque adeo antiquiſſimæ inſtitutionis divinæ, ab Adamo ad omnes gentes derivatæ, eſſe docet. Cumque videre ſe non dicat *Philologus*, quid mediatore opus ſit, cum omne id, quod poſt peccatum homo præſtare queat, pœnitentia ſit, mediator vero meliorem hominem non faciat: ideo ſaltem *Credentius* mediatore opus eſſe docet, ut læſo Dei honori ſatisfiat; id quod ſalva juſtitia divina nequeat omitti. Præterimus reliqua, quæ e Socinianorum maximam partem ſcholis petita opponit contra doctrinam de mediatore *Philologus*, & *Credentius* confutat; jam dudum enim, ut de fine cogitemus, alia quæ operam noſtram ſibi depoſcunt, nos admonent.

p. 91.

p. 293.

p. 295.

p. 300.

## ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΕΡΙ ΠΟΙΗΤΙΚΗΣ.
## *ARISTOTELIS DE POETICA LIBER, EX VERSIONE THEOD. GOULSTONI, perpetuis notis analyticis illuſtrata.*

Cantabrigiæ apud Jo. Hayes, ſumptibus Th. Dawſon, 1696. in 8.
Conſtat plag. 15.

ARtem poeticam, generi humano admodum utilem quum intelligeret, & quantos fructus ferre poſſet præclare videret, judicio ſuo ac cognitione multa pulcherrimarum rerum ornare voluit Ariſtoteles, ſimulque, quæ ipſius tractandæ optima ratio eſſet, amatoribus illius indicare. Nam quum longo tempore Athenis obſervaſſet, quæ laudi aut vitio poetis darentur, & ingenium id judiciumque haberet, quod metiri res omnes facile valeret, veramque illarum formam cerneret, haud difficulter omnes poeticæ artis numeros ac partes pertractavit. Eam ſane primum ipſum aggreſſum eſſe, nec ante ei incubuiſſe alios, reperimus: poſt Ariſtotelem etiam,

iam, qui aliquid huic arti addiderint, multumque in ea progreſſi ſint inter veteres, minime feruntur. Ipſius duos libros πραγματειῶν τέχνης ποιητικῆς memorat Laertius, ſingularem etiam librum Ariſtotelis citat, qui inſcriptus fuerit ποιητικὰ, & tres libros περὶ ποιητῶν. De quibus videndus Petr. Joh. Nunneſius ad vitam Ariſtotelis ſcriptam ab Ammonio vel Philopono not. 17 & 18. Ex iſtis libris unici modo fragmentum ſupereſt, gratum nobis acceptumque, ut eſſe ſolent quæ e magna quadam procella naufragioque fortuna ſervavit. Multa enim in iſto præcepta continentur, diſputationesque tam acutæ & poetæ informando neceſſariæ illic exiſtunt, ut omnis opera in eo diligenter legendo bene collocetur, fructusque maximus inde capiatur. Proinde ſuperiore ſeculo, quum renaſceretur litterarum cultus, in excolendo hoc exiguo licet earum monumento ſtudium poſuerunt præſtantes eruditione Itali, *Alex. Paccius*, *Franc. Robortellus*, *Vinc. Madius*, *Barth. Lombardus*, *Paulus Benius*, &, qui cives ſuos omnes ingenii perſpicacitate & doctrinæ elegantia ac copia vicit, *Petrus Victorius*. Hi conſumptis in libello hoc Ariſtoteleo plurimis vigiliis, ſcriptis ſuis eundem illuſtrarunt, plurimumque caliginis inde ſuſtulerunt ac diſſiparunt, nonnullas præterea ope antiquorum librorum maculas deleverunt, ſingulas ſententias diligenter examinarunt, ac quæ obſtare illic pugnareque inter ſe videbantur, cognoverunt, adhibitaque diligentia plurimos nodos diſſolverunt & extricarunt, juſtisque voluminibus parvum libellum expoſuerunt. Hujus ſeculi anno decimo doctiſſimus Belgarum *Daniel Heinſius* eidem opuſculo eruditam operam impendit, & quod alii interpretes non viderant, primus animadvertit: ordinem nimirum vehementer luxatum ac ſolutum, immanesque in eo trajectiones, ab Italis non obſervatas. Ipſe igitur in meliorem ordinem eum (quod in Horatii etiam de arte poetica libro fecit) redegit, Latine interpretatus eſt, textum emendatiorem reddidit, collocationisque hujus & emendationis cauſas in notis expoſuit. In Anglia *Theodorus Goulſtonus* anno 1619 eundem nova Latina verſione & notis illuſtratum edidit. Paucos ante annos elegantiſſimus Gallorum *Andreas Dacerius* libellum hunc Gallicam in linguam traductum doctis obſervationibus illuſtravit, criticisque annotationibus veram Ariſtotelis ſententiam dilucidavit, ut ad recte eam intelligendam nihil amplius deſide-

ſiderari poſſe videatur. Omnium horum curas, & quæ præterea a Sylburgio A. 1587, & Du Vallio in vaſta illa omnium operum Ariſtotelis editione A. 1629 annotata fuerunt, collegit & Ariſtotelicis verbis ſubſtravit, libelli quem recenſemus editor Cantabrigienſis; Goulſtoni interpretatione & analyſi adjecta, ex aliis etiam philologicis, Petiti, & Heinſii de conſtitutione tragœdiæ libris, inſignioribus obſervationibus additis: ut paucis his pagellis, quicquid ad poeticæ artis conſtitutionem & dramatum, cumprimis autem tragœdiæ, naturam pertinet, quantum ab Ariſtotelis divino ingenio proditum hodie ſupereſt, contineri & pulchre expolitum exhiberi intelligamus. Vere autem cenſuit Heinſius: *nihil eſſe ab Ariſtotele profectum, quod majore ſit judicio perſcriptum; nihil in quo cum ſubtilitatem viri admiratus fueris, quæ in omnibus elucet, tantum ſimul eruditionis invenias.* Item: *Ariſtotelem, poſtquam omnia, quæ in tota Græcia prodierunt, poemata, præſertim autem dramata, acumine cœleſti & divina mentis acie conſideraſſet, judicium ex his ipſis de tota arte tuliſſe: quumque virtutes pariter & vitia in iis annotaſſet, legem quæ perpetuo ſequenda eſſet, toti poſteritati ſtatuiſſe.*

## *SPECIMEN SAPIENTIÆ INDORUM VETERUM.*

*Id eſt, Liber Ethico-politicus pervetuſtus. Nunc primum Græce ex MS. Cod. Holſteniano prodit, cum verſione nova Latina, opera SEBAST. GOTTOFREDI STARKII.*

Berolini, ſumptibus Jo. Mich. Rudigeri, 1697. in 8.
Conſtat alph. 1. plag. 13.

EFfloruiſſe primum in Oriente ſapientiæ ſtudia, & a Barbaris illis, quos vocabant, poſtea ad Græcos dimanaſſe, Diogenes Laertius quamvis negat, confitentur omnes Hiſtoriæ litterariæ non prorſus imperiti. Nondum in Græcia cognita erant ſeptem Sapientum nomina, quum in Ægypto Sacerdotes, in Aſſyriis Chaldæi, in Perſis Magi, inter Indos Gymnoſophiſtæ & Brachmanes, & ante hos omnes, in populo Dei Patriarchæ ac Prophetæ, arcem omnis doctrinæ ac ſapientiæ tenerent. Adamarunt vero Orientis populi genus philoſophandi myſticum & allegoricum, quod doctrinæ nucleum fabularum & figurarum cortice concluderet. Hujus fabularis philoſophiæ monumentum longe antiquiſſimum, & toto Oriente

decantatum, Græce Latineque nunc divulgavit eruditus in omni orientalium linguarum & doctrinæ genere vir *Sebaſtianus Gottofredus Starckius*: qui in ſubjecta præfatione monet, non eſſe, cur quis ab his litteris recte cognoſcendis eam ob cauſam abhorreat, quod omnis orientalium gentium ſapientia denſa fabularum nube tecta ſit & obfuſcata. Eſſe omnino fabulas in Oriente natas & excultas, ſed his involucris maximarum rerum momenta ab injuria temerariorum defendi. Nec politioribus gentibus fuiſſe inſolitum, arcana ſcientiarum vel vitæ diſciplinam in fabulis abſcondere: majores quoque noſtros, æque ac reliquos populos, primis doctoribus uſos eſſe poetis, quorum laus ſine fictione ſit prorſus nulla. Ex Morhofii *de Poeſi Germanica* libro cognoſci poſſe, quid in hoc genere ſit præſtitum: & complures hujusmodi Germanos ſcriptores laudari in notis ad carmen non incelebre morale & politicum, quod *de aſtutiis vulpeculæ* Nic.Baumannus, Duci Juliacenſi quondam a ſecretis, idiomate Saxoniæ inferioris compoſuit. Inquirit deinde in cauſas, cur philoſophia fabularis & ſymbolica fuerit inventa. Ac fieri quidem potuiſſe ait, ut nonnulli vel metu ducti, vel invidia & ambitione compulſi, ut ſoli ſapere viderentur, quæ ſentirent, aperte dicere noluerint. Quanquam vitio magnopere vertendum non ſit, ſi qui ſcientias, ſymbolorum myſteriis involutas, a contemtu & ludibrio profanorum vindicare ſuſceperint: obvia enim & expoſita vulgo contemni, abſtruſa & recondita quæri & eſſe admirationi. Alios vero, quum res ipſas perſpicere nequiverint, in rerum umbris & imaginibus latibulum quoddam ignorantiæ quæſiviſſe. Attamen illarum fabularum, quæ ſub fictis animalium aliarumque rerum perſonis vitæ morumque quandam exhibent imaginem, exploratam eſſe utilitatem. Morum enim præcepta pleriſque eſſe ingrata: exemplis virtutum ſubeſſe tacitam quandam vitiorum exprobrationem: ſatyris & comœdiis ad vitia potius irridenda quam fugienda, notandos magis alios quam ſe emendandos, aſſuefieri homines: at a fabulis abeſſe & præcipiendi ſeveritatem, & exemplorum odium, & reprehendendi libidinem. In illis ad gratiam conciliandam omnia eſſe comparata: fictionem illam, quæ res quadam ſimilitudine adumbrat, & arte ſua placere & excitare diſcendi cupiditatem, & ingenio lectoris deprehenſam perfundere animos gaudio, firmasque imagines

iisdem

iisdem impreſſas relinquere. Mirum ergo non eſſe, cur vetuſtiſſimis mortalium ad virtutem animis inſtillandam idoneæ præ cæteris viſæ ſint fabulæ, quibus & duci maxime homines, & magis quam rationibus commoveri, non uno documento ſit compertum. Hujus generis eſſe libellum hunc longe antiquiſſimum, trecentis ante Alexandrum M. annis (ſi Abrah. Ecchellenſi fides) in Arabicam linguam traductum, vetuſtiorem certe, quam qui Philoſopho Secundo, Hadriani Imp. æquali, tribui poſſit. Natales libri hujus multorum indicio in India eſſe quærendos, auctoremque ejus ferri *Iſamum* Regem Indorum quintum; quamvis alii alium nominent. Quum diu in regio Indorum tabulario, veluti res ſacra, is delituiſſet, neminique ad eum patuiſſet aditus, famam ejus perveniſſe ad Perſarum Regem Choſroem, quem & Anaſuranum vocant. Hunc opera Medici cujusdam, in Indiam ea gratia miſſi, potitum eſſe libro, eumque in Perſicam linguam transferri curaſſe. Extare adhuc in Vindobonenſi Cæſarea, Electorali Brandenburgica, aliisque Bibliothecis, Perſicam illius libri verſionem: incertum tamen eſſe, an ſit prima illa ex Indica, an altera ex Arabica converſa: eſſe enim eundem librum & in Arabicam & in Turcicam linguam translatum: ac Turcis quidem inſcribi *Hamajun name*, quaſi *Speculum Regis* dicas; Arabibus vero appellari *Kelila Wadimnah*, non ſatis perſpicua denominationis ratione. Duorum quidem Thoum (animantium noſtris regionibus ignotorum) qui fabulam prioribus duabus ſectionibus peragunt, alteri inditum eſſe nomen *Kelila*, quod *coronatum* & Græce στεφανίτην poſſis vertere; alteri vero *Dimna*, quod Græcus interpres reddiderit ἰχνηλάτης, ſed quam ea vox vim habeat, non apparere. Ex Arabica porro lingua in Hebræam tranſiiſſe dicitur, auctore quodam Rabbi Joel. Hebræa porro verſio peperiſſe fertur Latinam veterem, quæ libro titulum fecit *Directorium humanæ vitæ*, ſeu *Parabola antiqua*, *interprete Johanne de Capua*. Hinc promanaſſe Caſtellanam verſionem, teſtis eſt interpres hujus libri Italus Donius, qui *Philoſophiæ moralis* titulum verſioni ſuæ Ferrariæ A. 1610 editæ præſcripſit; qua antiquior anno 1583 prodita extat hoc titulo: *Lelo Demno del governo de regni* &c. cujus auctor inepte putavit, Lelum Demnum ex Indica lingua hunc librum vertiſſe in Agarenam, cenſente Leone Allatio. Nec Germanis hac etiam parte de-

fuit libri hujus in linguam ſuam transfundendi ſtudium: tribuiturque ea interpretatio EBERHARDO I. Duci Würtenbergico, & quater in Germania diverſis titulis & formis excuſa obſervatur. Ad Græcam denique verſionem, quam Editor nunc in publicam iterum lucem profert, quod attinet, eam Arabicum interpretem ſecutus Alexii Comneni Imp. juſſu adornavit Simeon Sethus, Antiochenus magiſter & medicus, libro de cibariorum facultatibus per ordinem literarum expoſitis, περὶ τροφῶν δυνάμεων, κατὰ ϛοιχείων, quem Martinus Bogdanus Lutetiæ A. 1658 edidit, cognitus: qui Homeri aliorumque Græcorum poetarum adſperſis ſententiis librum hunc alicubi interpolaſſe videtur. Græcæ dictionis puritatem in hac interpretatione deſiderant Allatius & Poſſinus; quam Editor noſter ab interprete, orientalium præſertim ſcriptorum, & vitæ potius quam orationis magiſtro, non æque exigendam cenſet. Græcæ hujus verſionis exempla in variis Bibliothecis aſſervari obſervat manu ſcripta: ipſe vero e codice Johanneæ Hamburgenſis, quem Lucas Holſtenius deſcripſerat, recenſendam eam exiſtimavit, adjecta Latina ſua interpretatione. Antea quidem Poſſinus eundem librum e Græco Latine redditum Georgii Pachymeris Hiſtoriæ Palæologicæ ſubjunxerat; ſed quum Noſter animadverteret, liberiorem eſſe Poſſini verſionem, & ſæpe a veſtigiis Græci textus diſcedere, non dubitavit verſionem iſtam ſuam publicæ luci exponere. Eſt autem hujus libri, quem exemplo Poſſini *Specimen ſapientiæ Indorum* inſcripſit Editor, hæc ratio, ut Rex quidam Indiæ, cui nomen *Abesſalomus*, quæſtiones ad mores vitamque pertinentes in medium afferat; quibus Philoſophus quidam, quem Italica & Germanica verſio vocant *Sendebar*, confictis appoſite fabulis, reſpondet. Diſtinguitur liber in hac Græca verſione in ſectiones quindecim: quarum I artium aulicarum ſcenam retegit, quibus ſe mutuo evertere & ſupplantare conſueverunt, qui Principis gratia florent. II pravorum conſiliorum exitum oſtendit ipſis tandem auctoribus funeſtum. III amicitiæ colendæ rationem docet. IV inimico nunquam fidendum eſſe monet. V ſuis quemque bonis facile excidere poſſe obſervat. VI temerariæ ſpei vanitatem arguit. VII Regis imperium conſervari animi prudentia & conſtantia, bonorumque ſapientumque conſilio, & uxore proba ac prudente, demonſtrat. VIII pacem
&

& amicitiam diuturnam eſſe non poſſe probat, quam vis & metus expreſſerit. IX cavere ab eo jubet, quem læſeris. X. memoriam injuriæ fidis miniſtris illatæ amplioribus honoribus abolendam eſſe ſuadet. XI non niſi dignis benefaciendum, nec cuivis fidendum, præcipit. XII varias eſſe rationes, quibus & quærantur fortunæ & amittantur, commemorat. XIII æquo animo debere pati injurias, qui aliis intulit, confirmat. XIV conſilia ſalutaria a Principe anteponenda eſſe docet iis, quæ ad gratiam & voluntatem illius dicuntur. XV non appetenda eſſe monet, quæ aſſequi non poſſis. Ex his ſummatim expoſitis, quæ ſuaviſſima fabularum & ſententiarum varietate diducta & explicata in ipſo ſcripto legere licet, facile intelligitur, librum hunc eſſe ejusmodi, qui ad augendam prudentiam & virtutem plurimum conferre poſſit adjumenti.

*MUSEUM REGIUM, SEU CATALOGUS RERUM TAM NAturalium, quam artificialium, quæ in Baſilica Bibliothecæ Auguſtisſimi Daniæ Norvegiæque Monarchæ CHRISTIANI V Hafniæ aſſervantur, deſcriptus ab OLIGERO JACOBÆO, Med. & Phil. Profeſſ. Regio.*

Hafniæ literis Joachimi Schmetgen, 1696. in fol.
Conſtat Alph. 2. pl. 8. & Fig. æn. pl. 18.

MErito tandem in lucem prodiit egregium hoc Auguſtiſſimi Danorum Regis Muſeum, ſiquidem id unum tanto theſauro deerat, ut literarum monumentis fieret conſpectior. Duas illius partes conſtituit doctiſſimus Auctor, alteram, qua rerum naturalium, alteram, qua artificialium catalogum exhibet. Poſtquam enim, quæ in quadrupedibus, avibus, piſcibus, conchyliis, inſectis, plantis, lapidibus, terris, metallis & mineralibus curioſos delectare ſpectatores poſſunt, accurate & diligenter delineavit; in altera parte res deſcribit, e variis metallis, ſuccino item, ligno atque cera affabre confectas, nec non veſtimentorum, armorum, inſtrumentorum bellicorum varia genera, vaſa ac utenſilia alia, præterea mechanica & optica opera, & antiquitatum variarum ſpolia quæſitiſſima, picturas itidem & Regum Principumque & variarum rerum aliarum elegantiſſimas, nummos denique non Danicos ſolum, ſed quosdam etiam Græcos, & Romanos imprimis haud paucos. Tanta occur-

currente rerum varietate, juvabit aliquos hoc loco recenſere num-
p. 69. mos Danicos, ne nihil videamur ex inſtructiſſima penu legiſſe. Pri-
mum eſto Regis *Johannis* numiſma, in cujus area altera Regis ſo-
lio inſidentis effigies comparet, circumſcriptis verbis: IOHS. DEI.
GRA. REX. DANOR. IVSSIT. ME. FIERI. AN. 1496; altera
Regis inſignia exhibentur, cum inſcriptione ex Pſalmo 117. v.
16. DEXTERA. DNI. EXALTA. ME. DEXTERA. DNI. FE-
p. 70. CIT. VIRTV. Succedat nummus *Chriſtiani II*, cujus pars altera
Regem throno inſidentem exhibet, cum ejusdem nomine: CHRI-
STIANVS. DEI. GRACIA. REX. DACIE. SVECIE. AC. NOR-
p. 71. VEG. altera inſignia ejusdem cum hac inſcriptione: XPS. IHS.
ELEGIT. ME. REGEM. POPULO. SVO. IN. ANO. 1518. In
nummo alio *Friderici I*, latus alterum Regis & Reginæ facies oc-
cupant ſibi invicem oppoſitæ, cum verbis: FRIDERICUS. ET.
SOPHIA. D. G. REX. ET. REGINA DANIE: alterum inſignia
ejus, adſcripto ſymbolo: IN. MANU. DOMINI. OMNIS. PO-
p. 70. TESTAS. TERRE. 1532. Ita & in nummo *Chriſtiani III*, ex uno
latere Regis effigies cum nomine: CHRISTIANVS. D. G. DA-
NO. REX: ex altero ſymbolum ejus: UNICA. SPES. MEA.
p. 73. CHRISTUS. 1541. comparent. In *Friderici II* Regis quodam nu-
miſmate, in una area faciem item atque titulum Regis, in altera
Fortunæ globo inſiſtentis typum videas, cum inſcriptione Italica:
FEDELTA E COSA RARA, i. e. *rara res fides eſt*. Quibus ver-
bis ad Regium illud apophthegma haud dubie reſpicitur, quod vel
expreſſum integre, vel primis tantum literis deſignatum, in plurimis
ejus nummis videas, nimirum Treu Iſt Wild-Brat / quaſi carne fe-
p. 75. rina rariorem dixeris fidem. In ejusdem Regis nummis primum
deprehendimus elephanti turriti typum, a ſequentibus multoties re-
petitum; quod argumento eſt, Illuſtriſſimam Societatem Elephan-
tinam, ſi non inſtitutam, reſtauratam tamen magisque illuſtratam
p. 78. a Friderico II fuiſſe. *Chriſtiani IV* ſymbolum fuit: *REGNA FIR-
MAT PIETAS.* Unde frequentiſſimum id in nummis ejus legitur:
inter quos & mnemonici haud pauci comparent, in memoriam ſeu
recepti a Senatu Populoque Hamburgenſi anno 1603 homagii; ſeu
Calmariæ urbis A. 1611. expugnatæ; aut capti A. 1612 Elfsburgi; ſeu
firmari munimentis cœpti A. 1620 Gluckſtadii; ſeu armorum pro
religio-

religione & libertate A. 1625 captorum; ſeu Uraniburgi pro excolenda Aſtronomia A. 1642 Hafniæ erecti, ſimiliumque rerum fortiter aut proſpere geſtarum cuſi. Nobis unicum exhibuiſſe ſuffecerit, in Chemicorum imprimis gratiam, in cujus antica parte Regis effigies, in adverſa perſpicillum cum hac inſcriptione: VIDE MIRA DOMI. 1649. deprehenduntur. Cui intelligendo memorat Auctor, cuſum numiſma ex auro Norvagico fuiſſe, quod Chemica arte ex minerali quodam Norvagico Caſpar Harbach produxerat; perſpicillo autem illo, verbisque *VIDE MIRA DOMI*, exprobratam Præfecto rei metallicæ in Norvagia incredulitatem fuiſſe, quod metallorum transmutationi fidem adhibere noluerit. Duos juvat nummos decerpere ex iis, qui *Friderici III* auſpiciis debentur. Ut enim taceamus, quandoque eum voculam TANDEM thuribulo, ſæpius & navi inſcripſiſſe, ſymbolum item, DOMINUS PROVIDEBIT, in nummis ſæpe expreſſiſſe; proſtat nummus, quo Regi A. 1648 ſceptra capeſſenti gratulabantur ſubditi. Ejus in parte altera Regis effigies cum nomine ac titulo, in altera Pacis repræſentatur typus, dextra ſtellam tenentis, ſiniſtra palmæ ramum, ſub quo liber cum inſcriptione: DAS HOHESTE GUTH, i. e. *ſummum bonum.* Cingitur præterea tota area verbis: SEHT WIE DER FRIED IEZ ZIERT DIE WELT, DA FRIEDRICH KROHN VND SCEPTER HELT. i. e. en! ut pax ornat orbem, Friderico coronam & ſceptra capeſſente. Alius quadratus eſt, in quo elegans ſeſe nobis inſcriptio offert: *OPTIMO REGI* FRIDERICO III *DANIÆ NORVEGIÆQUE D.D. O. M. EXERCITUM FELICEM, POPULUM FIDELEM ET ANNOS DE NOSTRIS.* Nummorum denique *Chriſtiani V.* Auguſtiſſimi hoc tempore Regis exhiberemus plurimos, ſi nobis in his liceret eſſe prolixioribus. Tres itaque ex multis ſiſtimus tantum, in quorum primi antica, præter inſcriptionem: NON EST MAJORIBUS IMPAR; obeliſcus repræſentatur, ex altera parte hieroglyphicis figuris refertus, quibus victoriæ Regis, cujus in ſummitate apicis nomen apparet, deſignantur; ex altera literis Runicis votum illud contineri Auctor tradit: Gud bevare Kongen / i. e. *Deus ſoſpitem ſervet Regem:* in poſtica parte figura Solis deſcribitur, cujus radii his nominibus inſigniuntur: *WISMAR, JEMTERLAND, GOTHLAND, CARLSBURG, CHRI-*

p. 86.
p. 87.
p. 100.

*STIANSTAD*, *MARSTRAND*, *LANSCRON*, *VENNERBURG*: circa quæ hæc inſcriptio legitur: VELOX IRE VIAM ULTERIUS. Alterum memoriæ caſtelli Chriſtianſö in inſula Maris Balthici cognomine exſtructi dicatum, in cujus altero latere hæc leguntur verba: *ERTHOLMIA ANTE PISCATORUM FAMULA, NUNC ARBITRA CODANI MARIS, ANTE INHOSPITA SCOPULIS, ABRUPTA CAUTIBUS, NUNC ANNO M DC LXXXIV AUSU PLUS QUAM HERCULEO* CHRISTIANI V *AUGUST. DANIÆ NORVEGIÆQUE MONARCHÆ, TUTELA BALTHIS, ASYLUM NEGOTIANTIUM, REGNORUM GLORIA, EX CASTELLO SAXEO ARCET HOSTILIA, AMICOS PLACIDE RECEPTAT, POSTEA CHRISTIANSö:* in altero latere typus caſtelli exſtat, ſupra quod verba: DEFENDIT ET AUGET; infra: MEDIIS JAM PORTUS IN UNDIS; circa oram extremam: *FLECTIT AD OBSEQUIUM CAUTES ET PECTORA FLECTIT*, leguntur. Tertium eſt, in cujus prima area, quod fit in plurimis aliis, Regis expreſſa eſt facies, addito titulo Regio; in altera navale Regium vallis præmunitum navibusque bellicis bene inſtructum, in quo comparent in aere nubis atque ignis ſtatuæ, additis verbis: HIS DUCIBUS. EXOD. XIV; ad oram nummi inferiorem leguntur iſta: NEC IRRITANTES, NEC IRRITANDÆ; & in circulo, quo nummus cingitur: SIC STANT CONSPICUÆ REGALI IN SEDE CARINÆ, ET BENE MUNITI CASTELLA NATANTIA REGNI. A. 1692.

*EPISTOLÆ ANATOMICÆ PROBLEMATICÆ VII, IIX, IX, ad Virum Clariſſimum FRIDERICUM RUYSCHIUM M. D. Anat. & Botan. Profeſſorem; una cum hujus totidem Reſponſionibus.*


Amſtelodami apud Jo. Wolters, 1696. 1697. in 4. plag. 6. Fig. tab. 3.

Continuatio hic ſiſtitur Epiſtolarum ea propalantium, quæ a celeberrimo *Ruyſchio* in animali noſtro corpore novæ balſamationis adjumento indies deteguntur. *Reſponſione* videlicet *ſeptima*, quam Autor laudatus æque ac ſextam & octavam ad D. Johannem Henricum Grætz remittit, meninx pia in cerebelli interſtitia per modum totidem proceſſuum falciformium, in cerebri autem anfractus itidem adinſtar tot proceſſuum, ſed ductu ſerpentino repentium, una

una cum tenuiſſimis & numeroſiſſimis arteriolis, ubi prodeunt, muſci veluti ſpeciem referentibus, inſinuari edocetur. Piæ namque matris in cerebri & cerebelli ſulcos ingreſſum tali neutiquam fieri ritu, quali omentum inter circumvolutiones inteſtinorum demergatur, aut linteum aliquod varios in ſinulos intrudatur; cum eadem a cerebro & cerebello caute ſeparata non tam quoad magnitudinem & extenſionem augeatur, quam in loculamenta potius iis haud abſimilia, quæ in capitibus papaveris albi occurrunt, dividatur. *Octava* vero *Reſponſione*, quæ ordine ſequitur, tum cartilaginea naſi ſtructura, tum arteriolæ membranæ tympani atque oſſiculorum auditus multo accuratius, quam hactenus, evolvuntur. Etenim quod cartilagines naſi attinet, non niſi quinque earum Anatomicis hucusque innotuerunt, a *Noſtro* tamen novem annotantur, quod plures omnino in utraque naſi ala cartilaginoſæ dentur interruptiones. Prima cum Spigelio audit, quæ impar vice ſepti inferius rotundi, quandoque incurvi, inferiorem naſi partem in duas plagas diſpeſcit, ſtricteque parti ſepti narium oſſeæ interventu ſubtilioris membranoſi vinculi adhæreſcit, binis membranis ſtipata, quarum exterior mucoſa copioſiſſimis & arteriolis & glandulis gaudeat, interior autem & immediata membranula habeatur tenuiſſima, perioſtio naſi continuata & arteriolis exornata, Perichondrii nomine efferenda. Membranam hanc dilaceratam multum negotii Chirurgo faceſſere, tanquam ægre renaſcentem; prout a vinculo membranoſo modo indigitato, ab ulcere eroſo, figura naſi deformis eaque plana ſoleat dependere. Secunda & tertia naſi cartilagines par primum conſtituentes, triangulares innuuntur, ſuperius oſſeæ naſi parti ope ligamenti adnexæ, ſenſimque deorſum procedendo anterius in angulum acuminatæ, donec inferius cartilagines quartam & quintam, ſive par ſecundum, excipiant, quæ ab aliis neglectæ breves quidem, ſatis tamen latæ exhibentur. Cum pari ſecundo par tertium jungi dicitur ſub figura præter propter quadrangulari. Octava demum & nona cartilagines, veluti par quartum, cum foliis minoribus Periplocæ ſcandentis quodammodo comparantur, quod in utroque extremo cuſpidatæ ſint ac in appendiculam tenuem deorſum reflexam, foliorum dictorum pediculo ſubſimilem, deſinant, itemque circa finem, qui in crenam labii ſuperio-

rioris terminatur, proxime ſibi appropinquent ac ſepto utrinque, ceu pediculi foliorum coſtæ, adſtent. Reliqua portio maximam pinnarum partem in utroque naſi latere efformans, non cartilaginea, ſed mere membranea, quamvis ſatis craſſa, aſſeritur. Quod arteriolas autem membranæ tympani & oſſiculorum auditus, ex parte delineatas, concernit, reptatus harum in membrana tympani multum diſcrepans obſervatur ab eo, qui in membrana tenuiſſima ipſam capſam obducente conſpicitur. Membranam quippe tympani e tribus diſtinctis lamellis coaleſcere, quarum per mediam vaſcula arterioſa a ramulis arteriarum carotidum externarum oriunda, & raro, ſi unquam, cum vaſis capſam perreptantibus communicantia, denſiſſima ramificatione ita videantur diſpergi, ut a centro ſeu medio tympani ad circumferentiam tendant. *Reſponſione* denique *nona*, ad D. Andream Ottomarum Gœlicke directa, exactior partim intermediæ cerebri meningis textura, partim arteriarum per piam matrem, hepar atque diaphragma diramatio oſtenditur. Primo ſcilicet intermedia cerebri meninx non æque craſſa, nec in tanta portione a ſubjecta matre pia, cui non minus atque vaſis ejus ſanguineis per nexus fibroſos adhæret, illibata ſeparari facilis indigitatur, ac quidem a Bidloo repræſentatur, cum membrana ſit omnium in corpore ſubtiliſſima, vaſis ſenſibilibus deſtituta, meritoque Arachnoideæ titulo a primis inventoribus, Blaſio, Slado, Swammerdamio &c. in medulla ſpinali inſignita, adeoque non niſi quoad exiguam ejus partem flatu elevanda. Quod ipſum uti facilius circa cerebellum, præſertim regionem hujus poſteriorem, & medullam ſpinalem, quam circa ſuperiorem utriusque hemiſphærii cerebri partem, ſuccedere perhibetur; ita eadem membrana arachnoidea, flatu a ſubjecta meninge pia innumeris in locis disjuncta, celluloſæ membranæ ſpeciem mentiri ſimul traditur, etiamſi revera celluloſa haud ſit. Hinc arteriarum per piam matrem diſtributarum icon accuratior ſiſtitur, quam qualis apud Bidloum habetur, quia in qualibet cerebri circumvolutione longe copioſius arteriæ invicem inoſculentur, ipſæque cerebri circumgyrationes pia adhuc meninge inſtructæ neutiquam tam profunde, adeoque nec ſuperficies cerebri adeo inæqualis, conſpiciantur. Tandem poſtquam tenuiſſimam ſinuum frontalium membranam unice cum ſpongioſorum oſſium narium tunica communicare fuit adſtructum, arteriæ novæ, cum hepatis, tum diaphragmatis,

TAB. V. ad A. 1697. M. Aug.
pag. 387.



tis, intimantur. Arteriarum enim hepaticarum nonnullas a diaphragmatis vaſis oriri, per gibboſam hepatis partem excurrentes, atque cum arteria, vulgo hepatica dicta, communicantes; pluriſmas etiam alias exiles ab arteriis per ligamentum hepatis ſuſpenſorium utrumque diſſeminatis exſurgere. Præter diaphragmatis autem arterias phrenicas easque, quas ex ſubclaviis atque lumbaribus ſeu adipoſis detexit Verheyen, plures ramos arterioſos tam ab inferioribus & interioribus intercoſtalibus, quam a ſplenicis arteriis ad diaphragma accedere. E figuris, quibus pleraque illuſtrantur, Tabulam, quæ apud Autorem eſt nona, placuit tranſcribere, ejusque explicationem addere.

## EXPLICATIO TABULÆ V. TAB. V.

### Figura Prima

Repræſentat Oſſicula auditus in ſitu naturali perioſtio munita, vaſculisque ſanguineis ditata: ſuntque hic delineata multis numeris majora, ut vaſa ſanguinea eo magis ſenſus incurrerent.

A. Malleolus. B. Incus. C. Stapes. D. Quartum Oſſiculum auditus.

### Figura Secunda

Eadem Oſſicula proponit naturali magnitudine, idque e corpore adulti.

### Figura Tertia

Eadem Oſſicula e capite fœtus humani jamjam nati, quæ magnitudinem in adulto fere æquant.

### Figura Quarta

Quatuor proponit interruptiones cartilagineas Naſi, lateris ſiniſtri.

A. Unam ex primo & ſupremo pari viſui exhibet.
B. Unam ex ſecundo pari.
C. Unam ex tertio pari.
D. Unam ex quarto pari.
E. Pars membranacea, unius pinnæ Naſi.

### Figura Quinta

Naſum cum portione Oſſium frontis & maxillæ ſuperioris exhibet, cujus globus in duas partes dehiſcit, nexu membranaceo diſſoluto. Suntque integumenta Naſi exteriora ablata.

A. A. Globus in 2 partes dehiſcens. B. Portio ſepti narium.

### Figura Sexta

Septum Narium repræſentat, cum involucro mucoſo, ſuisque vaſis ar-

arterioſis, ſuntque dictæ arteriolæ longe plures, quam hic delineari potuerunt.

A. Portio oſſis frontis.

B. Septum vaſis arterioſis ſuperbiens, ſuntque numeroſiora, quam expreſſum eſt.

Figura Septima

Dictum ſeptum indigitat cum ſuo involucro mucoſo, glandulis innumeris prædito, quarum oſcula hiantia viſui ſeſe exhibent.

Figura Octava

Membranam tenuiſſimam ſub involucro mucoſo ſeu membrana papilloſa ſitam, ſeptumque narium immediate inveſtientem, vaſisque ſanguineis inſtructam, demonſtrat.

Figura Nona

Membranæ tympani arterioſa vaſcula exhibet.

A. Ramulus rami Arteriæ Carotidis exterioris.

B. Ejusdem diſtributio per membranam tympani.

Figura Decima

Reptatum Arteriolarum per membranulam capſam ſuccingentem demonſtrat.

## *HISTOIRE DE LA REPUBLIQUE DE GENES.*

h. e.

## *HISTORIA REIPUBLICÆ GENUENSIS,*

*Autore Equite DE MAILLY.*

Juxta exemplar Pariſienſe, 1697. 12. Alph. 2.

INter Italiæ Reſpublicas tametſi Genuenſis Venetæ potentia & magnitudine nequaquam par ſit; ejus tamen eſt omnino momenti, ut a multis retro ſeculis eminentiſſimorum Europæ Principum armis atque conſiliis petita, ac velut novum Eridos pomum toties in contentionem fuerit deducta, donec libertatis ſuæ, in quam ante duo propemodum ſecula plene ſe vindicaverat, nunquam non tenax, in partes tamen alterius Monarchæ ſingulari ac nec illepido invento pertraheretur, inter cujus præcipuas curas primaque ſtudia, ſervari eandem ſibi, perpetuo habebitur. Dignaque fuit adeo viſa hæc Italiæ quaſi Janua, cujus deſcriberet hiſtoriam nobiliſſimus Autor, &, ut cœperit, utque adoleverit, ut ad faſtigium inde ſuum pervenerit, ac quibuscum luctari interim collidique eadem coacta ſit, expo-

exponeret. Factum hoc fuit III Tomis, quorum priores duo res ab a. 1096 ad finem usque ſuperioris ſeculi circa Genuam geſtas pertexunt: tertius vero, quæ præſenti ſeculo fata ſit experta, & tria potiſſimum enarrat bella, quibus ipſam implicari contigit, Gallicum nempe Sabaudicumque ab a. 1624 ad a. 1631; iterumque Sabaudicum (ita quippe ex vicinia non poterat non æmulatio naſci) ab a. 1670 ad a. 1673 protractum, ac denique Gallicum, quando a. 1684. hoſtilis claſſis adventu, tormentisque militaribus & ignitorum globorum pluvia graviter infeſtata eſt.

PASTORALE EVANGELICUM, ADORNATUM A JOH. LUDOVICO HARTMANNO, *SS. Theol. D. & Eccleſ. Imper. Rotenburgo-Tuber. Superintendente.*

Norimbergæ, ſumtibus Wolfgangi Mauritii Endteri, 1697. in 4.
Conſtat alphabetis novem.

CUm ante Actorum noſtrorum auſpicia liber hic anno jam tum 1678 prima vice in lucem prodierit, non eſt, ut de illius contentis multa demum moneamus, præſertim, cum ſedulo is plurimorum manibus hucusque tritus fuerit, nemoque fere ſit, cui non abunde conſtet, a B. Autore (cui dies Julii decimus octavus A. 1680. emortualis obtigit,) latius in eundem congeſtum fuiſſe, quicquid circa verbi Miniſtrorum vocationem, ordinationem, inveſtituram, mores atque converſationem, officii dignam adminiſtrationem, promotionem ac remotionem, aliaque ad iſtos attinentia obſervari mereatur, unde ſingulis, qui vel officio ſacro adhuc ſe præparent, vel in eo jam conſtituti vivant, uberem caſibusque dubiis haud paucis optime ſervituram informationem petere exin conceſſum ſit. Una tamen, ob quam inter libros recentiores hunc eidem locum aſſignamus, ratio hæc eſt, quod, qui iterato imprimendum curavit, Bibliopola paſſim eum auctiorem reddidit, dum obſervationes varias manu Auctoris iſtum in finem conſignatas, ut operi ſuo aliquando adderentur, juſto quamque loco inſeruit.

## LIBRI NOVI.

*The general Hiſtory of England, both Eccleſiaſtical and Civil. by James Tyrrell, Esq. Vol. I. London by W. Rogers, J. Harris &c. 1697. fol.*

An

*An Account of Raiſon and Faith, in Relation to the Myſteries of Chriſtianity. By John Norris. London for S. Manship, 1697. in 8.*

*The Snake in the Graſs: Or, Satan transform'd into an Angel of Light. London, by Ch. Brome, 1697. in 8.*

*A Commentary upon the ſecond Book of Moſes, called Exodus. By the Right Reverend Father in God, Symon, Lord Bishop of Ely. London, by R. Chiſwel, 1697. in 4.*

*Reflexions ſur les Droits de la Conſcience &c. par Elie Saurin. A Utrecht chez Ant. Schouten, 1697. in 8.*

*Nouveaux Memoires ſur l' Etat preſent de la Chine, par le P. Louis Le Comte, de la Comp. de Jeſus. A Amſterdam, 1697. in 8.*

*Hiſtoria nuperæ rerum mutationis in Anglia: in qua res a Jacobo Rege contra leges Angliæ & Europæ libertatem, & ab Ordinibus Angliæ contra Regem patratæ recenſentur. Autore Ezek. Burridge. Londini apud A. & J. Churchill, 1697. in 8.*

*Evangelium Infantiæ, vel Liber apocryphus de Infantia Servatoris. Ex Mſto edidit, ac Latina verſione & notis illuſtravit Henricus Sike. Trajecti ad Rhenum apud F. Halmam & Gu. vande Water, 1697. 8.*

*Geographica antiqua, h. e. Scylacis Periplus Maris Mediterranei: Anonymi Periplus Mæotidis Paludis &c. edente Jac. Gronovio. Lugd. Bat. apud J. Luchtmans, 1697. in 4.*

*Les Memoires de Meſſire Roger de Rabutin, Comte de Buſſy. A Paris chez Jean Aniſſon, 1697. in 12.*

*De Ara exteriore Templi ſecundi Exercitationes Philologicæ, auctore Joanne Jacobo Cramero, Tigurino. Lugd. Bat. apud Jord. Luchtmans, 1697. in 4.*

*Eliæ Benoiſt in priores octodecim primi capituli Evangelii ſecundum Johannem verſiculos Diſſertationes Epiſtolicæ tres. Roterod. ex typographia Leerſiana, 1697. in 8.*

*L' Era Volgare di Criſto poſta alla coppella della verità dal Dott. Tomaſo Sant Agoſtini, Patrizio Milaneſe. In Macerata per Michel' Arc. Silveſtri. 1697.*

*Iſtoria dell' Origine de Saſſoni, de Gio: Andrea Angelini Bontempi. In Perugia pel Coſtantini, 1697. in 12.*

* * * * * * * * *

N. IX. 

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Septembris, Anno M DC XCVII.*

---

## *THE SNAKE IN THE GRASS &c.*

h. e.

*ANGUIS IN HERBA LATENS, SIVE SATANAS IN LUcis Angelum transformatus. Repræſentans ſummam & inexpectatam illam verſutiam, quam affectata ſua ſimplicitate tegunt complures ex præcipuis factionis illius, quæ Quakerorum nomine inſignis eſt, ducibus.*

Londini apud Carol. Brome, 1697, in 8. alph. 1, plag. $4\frac{1}{2}$,

ALtera quidem hæc eſt libri jam antea publicati editio, cujus tamen adeo & acceſſionibus quamplurimis, & novo quo omnia diſpoſita ſunt ordine, mutata facies fuit, ut ipſi ejus Autori, qui ignorare nomen ſuum, hic pariter ac in aliis, quos Quakeris oppoſuit, operibus ſuis, nos voluit, novus plane videatur. Ille in ea re potiſſimum ſtudium ſuum ponere videtur, ut penitius intellectis omnis generis fanaticorum ſcriptis, difficiles nugas eorum, quibus obſcuritate pretium conciliare nituntur, omnium exponat contemtui. Non Quakeros enim ſolum deſtructos eum cupere, armaque contra illos parare, ſed omnes etiam alios, quibus aliquid cum iis cognationis eſſe exiſtimat, vel ex prolixa, quam operi ſuo præmiſit, præfatione patet. In ea enim Belgicæ, quam vocat, Prophetiſſæ Antoniæ Bourignoniæ tractatum, qui *Lucis mundi* titulum præfert, in Anglicam linguam nuper translatum examinaſſe, & graviſſimorum errorum conviciſſe haud contentus, in ejus fautorem & diſcipulum P. Poiretum graviſſime etiam invehitur, & clerum Anglicanum ut ne quid ab iis detrimenti Eccleſia capiat, curæ ſibi eſſe patiatur, monet. Quin eſſe jam aliquem nos docet, qui data opera Bourignoniæ &

 Poireti

Poiréti ſomnia , quæ putat, confutanda ſuſceperit, ſi forte ad meliorem mentem redire velint , qui hactenus in Anglia, carminibus quaſi eorum incantati, ab ea diſceſſerunt. Ne tamen interea fanaticos impugnans omne devotionis genus eliminare velle videatur, diſcrimen inter divinum & diabolicum Enthuſiaſmum fuſe exponit, & quibus characteribus dignoſci invicem queant docet. Atque his ita conſtitutis, ipſos Quakeros aggreditur, quos nec indoctos adeo eſſe docet ac vulgo exiſtimantur , præcipue poſtquam recentiores quidam , quorum præcipuus facile ſit Gul. Penn, craſſiores Foxii errores σοφοῖς φαρμάκοις ſanare, aut potius veteratorie occultare auſi fuerunt; nec exiguos adeo paucosque, ut negligi merito poſſint, cum magnam Angliæ coloniarumque Anglicarum partem
p. 4. conſtituant. Id autem præcipue agit, ut errores eorum ſemper ex Foxio aliisque antiquioribus Quakeris proponat, poſtea vero diſtinctiunculas & κρησφύγετα modernorum , quibus palliare eos cupiunt, explodat, atque adeo evincat aut Foxio aliisque magiſtris ſuis antiquioribus renuntiandum ab iis eſſe, aut concedendum fidem illis nullam deberi, cum illa etiam formoſa, ut putant, facie
Sect. I. p. 7. religionem ſuam nobis hodie ſiſtunt. Facit igitur illius rei initium a doctrina Quakerorum de lumine interno, per quod Deum ipſum, Chriſtique perſonam, aliter quam in cordibus fidelium non ſubſiſtentem , eos intelligere , utcunque Pennus occultare doctrinam
Sect. II. p. 13. illam nitatur, evincit. Atque a nefando iſto errore doctrinas eorum plane horrendas de anima humana eandem ſubſtantiam & perſo-
Sect. III. p. 17. nam cum Deo conſtituente, de ejus cum Deo æqualitate, perfectio-
Sect. IV. V. ne nullo peccato contaminata, immediata revelatione, imo infal-
Sect. VI. p. 31. libilitate pendere, in ſequentibus oſtendit. Prolixus autem imprimis in infallibilitate eorum explodenda eſt, quam eos ſibi tribuere tum ex ante explicatis doctrinæ eorum capitibus probat, tum luculen-
p. 33. 35. 42. tis Foxii locis: ſed quam vana illa ſit arrogantia, Atkinſoni, Naylori
46. & aliorum exemplis evincit, quos graviſſimorum vitiorum reos, pro magnis tamen Eccleſiæ ſuæ luminibus ipſi habuerint, donec
p. 44. atrociſſima eorum ſcelera in lucem protraherentur. Imo & vaticiniorum oraculorumque , a Quakeris Dei nomine blaſphemo ore effuſorum , nonnulla commemorat, quæ res ipſa minime in-
p. 59. 256. fallibilia, ſed a patre mendacii profecta eſſe probaverit. Maxime
277.

vero

vero infallibilitati iſti ipſorum Quakerorum diſſenſiones opponit. Atque ea occaſione eas, quæ inter Georgium Keithum, inſignis Quakerorum partis anteſignanum, & Gul. Pennum aliosque contrariæ partis duces exortæ ſunt, de lumine potiſſimum interno, in quod converti Chriſtum, reali ejus extra hominum corda plane abnegata exiſtentia, ferre Keithus non poterat, controverſias luculenter exponit. In quibus eo usq; proceſſum eſt, ut Keitho a XVI in Penn-Sylvania Synodis condemnato, a XVI aliis vero abſoluto, carcere etiam puniti ejus aſſeclæ fuerint, majora forte perpeſſuri, niſi opportune rerum in Penn-Sylvania facies mutata fuiſſet. Quod ipſum tamen non impedivit, quo minus poſtea Keithus Londini excommunicatus fuerit, ipſo Penno præfervide fulmen iſtud in eum primum vibrante. Tacemus alias, quas inter Quakerorum cœtus hodie magna animorum contentione tractari docet, controverſias, ob quas perſequi & excommunicare ſeſe invicem minime eos vereri dicit. Prolixum autem nimis eſſet, omnia quæ deinceps de eorum in doctrina de Scriptura Sacra, de Trinitate, de incarnatione Chriſti, de ſatisfactione item ejus, de reſurrectione carnis & de Sacramentis, erroribus annotavit, ſpecialius hic perſequi; uti & ea quæ de edito a quodam eorum ſodali, Georg. Whiteheado, Symbolo, ſive fidei Quakerianæ confeſſione, partim obſcura & veteratoria, partim manifeſte impia obſervavit. Illud notatu haud putamus indignum, quod perſuadere nobis conetur, Quakeriſmi originem in Anglia Pontificiis emiſſariis deberi, qui callidiſſime hac ratione Eccleſiæ ſuæ in Anglia cauſam egerint. Id quod tum inde probabile fieri putat, quod præcipui inter Quakeros viri Romanæ Eccleſiæ primum addicti fuerint: tum inde, quod infallibilitatem ſpiritus privati ſtatuminaverint, quam, utpote nulla ſatis apta ratione ſeſe tueri valentem, eo facilius ad infallibilitatem Eccleſiæ ejusque capitis reducere poſſent: tum inde denique, quod argumentis Pontificiorum diligenter utantur, in multis ab eorum doctrina non nimis alieni, imo integros Pontificiorum libellos, convitiis in Eccleſiam Anglicam plenos, libris ſuis inſerere non vereantur. De moribus porro eorum nonnulla attingit, & quam parum charitatis in alios omnes ſuæ ſectæ non addictos exerceant, quam furioſe item in ſcriptis ſuis contra adverſarios ſuos debacchentur, a turpibus quo-

Sect. VII. XIII.

Sect. XIV.

Sect. XV. p. 175

Sect. XVI.

Sect. XVII.

Sect. XIIX. que & obſcœnis loquendi modis non abſtinentes, demonſtrat. Imo quam mali & periculoſi ſubditi ſint, ex hiſtoria imprimis rerum ſub Cromwello & Carolo II geſtarum evincit: meram hypocriſin eſſe ex praxi eorum oſtendens, quod perſuadere hominibus ſatagunt,
Sect. XIX. arma ſibi attingere licitum haud eſſe. Myſterium quoque iniquitatis, quod ſub decimarum, quæ ordinariis Eccleſiæ miniſtris debentur, denegatione latet, detegit, atque quod hac ipſa via ruinam Eccleſiæ promoveri optime poſſe exiſtiment, ex ſcriptis eorum confirmat: hac quoque occaſione monſtrans, quam tyrannice conſcientiis imperent, cum maxime libertatis Chriſtianæ defenſores videri volunt, utpote qui graviſſime omnes eos execrentur, qui de-
Sect. XX. cimas vel accipiunt vel ſolvunt. Inde vero rurſum in vanam eorum,
p. 275. qua hodienum ſe efferunt doni prophetici jactantiam invehitur, atque imprimis duo recentiſſima oracula, quorum alterum eſt Whiteheadi, alterum Penni, utrumque autem execrationem & commina-
Sect. XXI. tionem contra Keithum complectitur, ſpeciminis loco affert. Utque
p. 282. melius conſtet, unde oracula hujusmodi eis inſpirentur, haud paucos Quakerorum dæmoniacos & energumenos eſſe, affirmare audet. Cujus rei argumentum præcipuum ei eſt præternaturalis illa membrorum in quibusdam diſtortio & tremor, quo eos corripi & ipſi
p. 284. fateantur, & aliunde ſatis conſtet. Atque exempla ne deſint, aliquot valde inſignia ipſe adducit, fidem relationi ſuæ idoneis monu-
p. 291. 293. mentis adſtruens. Imo de iſto tremore & membrorum horrenda diſtractione Livingſtoni cujusdam, non infimi ordinis Quakeri, judicium affert, qui non obſcure fatetur, a Diabolo illam eſſe, ante plenariam purgationem, ſuam adhuc poteſtatem in talibus homi-
Sect. XXII. nibus exercente. Denique Enthuſiaſmum, h. e. internam Spiritus Sancti gratiam, qui in Eccleſia Anglicana docetur, cum Quakeriano Enthuſiaſmo comparat, atque denuo prophetias quaſdam eorum, quibus ſe jactant, eas in ſpecie, quibus Londinenſe incendium
Sect. XXIII. prædictum eſſe ajunt, explodit. Quod ut eo fortius faciat, plane eandem Foxii & reliquorum Quakerorum cum Muggletono, aliisque quos ipſi condemnant, fanaticis, in omnibus fere dictis factisque eſſe doctrinam, ſatis accurate oſtendit.

De Supplemento ad calcem libro huic adjecto multa dicere non attinet. Reſpondetur in illo quibusdam Georgii Whiteheadi objecti-

objectionibus, quibus primam operis hujus editionem oppugnaverat. Id forte ſilendum non eſt, inter omnes illas objectiones nullam eſſe, quæ hiſtoricam rerum ab Autore noſtro expoſitarum veritatem in dubium vocet. Quæ cum ita comparatæ ſint, ut unicuiq; ſanæ mentis homini horrorem non incutere non poſſint, & ab adverſario tamen pro veris agnoſci videantur, apud mentis ſuæ compotes ſaltem conclamatum de Quakerorum rebus eſſe, merito ſane judicat.

*UTILISSIMO TRATTATO DELL' ACQUE CORRENTI &c.*
h. e.
*UTILISSIMUS TRACTATUS DE AQUIS PROFLUENTIBUS, diviſus in tres libros, in quo indicantur menſuræ & experimenta illarum, nec non joci ludique, qui mediante aere & igne ab aqua eduntur &c. Autore CAROLO FONFANA, Equite.*

Romæ in Typographeo Joh. Franciſci Buagni, 1696, fol.
Conſtat plag. 56, cum multis iconiſmis.

CUm nobiliſſimus Auctor ab anno ætatis ſuæ vigeſimo, atque adeo per annos plus quam triginta, arti aquas legitime derivandi & diſtribuendi dediſſet operam, multaque cepiſſet experimenta ad genuinam fluxus aquarum cauſam indagandam, ſimulque animadvertiſſet, infinitos commiſſos errores ab iis, qui deducendis aquis præfecti, non ſatis animum adverterunt ad aquæ velocitatem; conſtituit publici boni gratia ea non amplius premere, quæ longo rerum uſu multaque induſtria ſibi comparavit, ut manifeſtum reddat, cumprimis in hoc argumento ad aquæ velocitatem, dehinc autem ad lumina ſeu aperturas, & pondus aquæ luminibus incumbentis, eſſe reſpiciendum. Cenſuit autem paulo altius rem ſibi repetendam in primo libro, in quo primum de natura, loco & termino quatuor elementorum, ſpeciatim vero aquæ, Peripateticorum more agit, poſtea vero generaliora circa derivationem aquarum præcepta proponit, v. g. de aquæ quantitate, perennitate, & qualitate probe examinanda, ejusque bonitate in caſtello conſervanda; ac porro pergit ad ſpecialiora, docens quomodo aquæ ex montibus præcipitantes coercendæ, & aquæductus tum ſubſtructionibus

 muni-

muniendi, tum quoque ſpiraculis, per quæ aër collectus exhalat, inſtruendi ſint. Ac de his quidem in prioribus XI capitibus agitur: in ſequentibus vero hujus libri, poſtquam probe inculcatum fuit Caſtelli principium, velocitates diverſarum partium ejusdem fluminis habere rationem reciprocam ſuarum menſurarum, & deſcriptus modus ope machinæ cataracta mobili, ut pro re nata attolli & deprimi poſſit, inſtructæ aquas menſurandi; variæ afferuntur propoſitiones, quibus explicatur, quid accidat aquis, quando vel mutatur alvei menſura aut declivitas, vel aquarum altitudo & velocitas, vel plures fluvii in eundem alveum derivantur &c. Has ſequuntur ad praxin magis ſpectantes, quales ex plurimis ſunt ſequentes: aquas inferiores in fluvios majores non introducendas ad angulos rectos; fiſtulas irregulariter ſitas irregulariter quoque aquam effundere, ac proinde ita collocandas, ut earum diametri ſint in eadem linea horizontali; fiſtulas in aquæductibus ponendas ad angulos rectos, ne obvertantur curſui aquæ, atque ita plus, quam par eſt, effundant; caſtellum, ex quo aqua erogatur, cylindricum eſſe conſtruendum, & per foramen in centro vaſis factum immittendam aquam ex aquæductu, fiſtulas autem in circumferentia caſtelli diſponendas ita, ut majores minoribus alternis admiſceantur; plus effundere fiſtulas pendentes quam horizontales, quia ſiphonis vice funguntur; lumen, cujus ſpatium æquale ſpatiis duorum aliorum luminum, non emittere tantum aquæ, quantum per illa duo lumina effluit. Secundus liber complectitur propoſitiones de aquæ per ſiphones attractione, ejusque ex vaſis expulſione, ope aëris vel compreſſi, vel ignis adminiculo rarefacti, quas longum foret huc afferre. Tertio autem libro recenſetur, quænam opera poſita fuerit in derivatione aquæ novæ lacus Braccianenſis in aquæductum antiquum Alſeatinum. Hæc enim quamvis jam A. 1694 edita maximam partem fuerint, huic tamen operi jungenda cenſuit nobiliſſimus Auctor, diſtinctius paulo tradita, ut theoriæ cum praxi aliquod fieret connubium. In fine hujus tractatus promittit Auctor duos libros, quos jam confectos habet, in publicum edendos, quorum unus de Thuſcia aget antiqua & aquæ Trajanæ deductione; alter hiſtoriam amphitheatrorum & theatrorum tradet, eorumque magnificentiam & delineationes oculis eruditorum exponet.

Samu-

## *SAMUELIS REYHERI JC. ET MATHEMATICI KILIENSIS Experimentum novum, quo aquæ marinæ dulcedo examinata deſcribitur.*

Kiliæ apud J. S. Riechel, 1697, in 4. plag. 2.

AQuam marinam glacie concretam ſalſedinis expertem eſſe, primus, quod nos ſciamus, literis prodidit *Thomas Bartholinus*, in Obſervationibus de Uſu nivis medico cap. 6. p. 42. idque pro explorato habere braxatores Amſtelodamenſes notat *Boylius* in Hiſtoria experimentali frigoris (*New Experimonts and Obſervations touching Cold*) pag. 59; quippe qui glaciem ex aqua marina concretam, rurſumque ſolutam, dulcis aquæ loco ad coquendam cereviſiam adhibeant. De ipſa vero aqua marina fluida ejus quidpiam hucusque obſervatum non meminimus.

Quo magis deprædicanda nobis eſt celeberrimi *Reyheri* ſolertia, qui rem fando acceptam ipſo facto experiri, experimentique ſui ſeriem Orbi literato exponere non recuſavit. Poſtquam enim multos ante annos ex muliere quadam, quæ tempore hyberno in portu Kilienſi lintea lavare ſueta erat, audiviſſet, aquam marinam, quo tempore glacie premitur, ſale deſtitui; idemque etiam ſibi aliisque compluribus perſuaſum eſſe, non ita pridem a piſcatore, ibidem loci mytilos per foramen glaciei ex fundo maris extrahere ſolito, accepiſſet: tentamen ejus die 6 Februarii hujus anni, e regione caſtelli Regii, cui *Fridericia* nomen eſt, inſtituit. Perfracta itaque glacie, pedem unum craſſa, deprehendit: 1. *fruſta glaciei fuiſſe dulciſſima. 2. aquam glaciei proximam itidem ſale deſtitutam. 3. aquam ſiphone ſesquipedali extractam modice ſalſam. 4. eandem ſiphone quinquepedali hauſtam adeo ſalſam, ut unus cantharus, ſeu 4 libræ Romanæ, iſtius aquæ igni appoſitæ, & in vaporem redactæ, unciam unam cum ſequiſcrupulo ſalis reliquerint.*

Huic obſervationi innixus *Autor* de cauſa dulcedinis disquirit, eique duplicem aſſignat: unam, aquæ compreſſionem, & cum ea ſimul particularum ſalinarum expreſſionem; alteram, ſalis gravitatem, ob quam ſponte fundum petat. Circa deductionem prioris, elegantem rationem ſubminiſtrat, qua tempore æſtivo, ubi neque cellæ ſubterraneæ, neque frigidi fontis copia ſuppetit, vinum cerevi-

cereviſia, aliique potus, ob teporem minus grati, refrigerari posſint. Nimirum in loco opaco, ſub umbra arboris frondoſæ, lagena ſtannea, vitrea, argillacea &c. potu repleta, foveæ, ad altitudinem & figuram vaſis excavatæ, immittatur, terra circa lagenam ad palmi craſſitiem circum circa relicta; circa hanc terram vero foſſa ejusdem cum fovea profunditatis, palmi latitudine effodiatur, fervidaque aqua compleatur: quamprimum vero terra calidam aquam abſorpſerit, lagena foveæ extrahatur, gratiſſimi frigoris potum ſitientibus præbitura. Frigus enim terræ nitroſæ lagenam ambientis, per aquam fervidam affuſam in lagenam propellitur, potumque refrigerat; qui tamen ne a ſuccedente calore aquæ, qui non ſecus ac ipſum frigus lagenæ ſe inſinuat, priſtinum teporem recipiat, citra moram eximendus eſt.

Pro aſtruenda poſteriori ſupponit, aquas fluminum & rivorum, in mare ſe exonerantium, non ſtatim aquæ ſalſæ miſceri; hanc vero graviorem eſſe fluviatili dulci; nec hanc marinæ commiſceri, niſi ventis & procellis agitatam; indeque marinam, fluviatili difficilius congelabilem, ſi glacie obducatur, quod tum ventis agitari nequeat, cum adfluentibus fluviorum dulcium aquis miſceri haud poſſe: atque ideo omnes aquas ex fluviis & rivis mari influentes, ſupremam & glaciei proximam occupare regionem, ita ut ad inſignem altitudinem illibatæ, dorſo quaſi maris inſideant.

Ex hac porro obſervatione duplex commodum in cocturam ſalis, cum ſalſularum, tum aquæ marinæ, derivat. Salſularum enim aquis frigori expoſitis, tenuiores earum partes in glaciem coactæ removeri, poſſunt, atque ſic muria craſſior obtinebitur. E maris vero glacie tecti fundo per ſiphones aqua ſalis abundantisſima haurietur. Edulcorationi etiam aquæ marinæ obſervationem hanc non omnino nihil conferre poſſe *Autor* exiſtimat. Quamvis enim in regionibus calidioribus, intenſi frigoris inexpertis, nullum uſum habere videatur: inveniri tamen ejus occaſione poſſe autumat modum producendi frigus artificiale, cujus beneficio aqua marina potui apta queat reddi. Quæ ſub finem diſquiſitionis præterea annotare *Autori* viſum fuit, B. L. ex Schediaſmate non multorum foliorum ipſe non difficili opera cognoſcet.

ספר

*THE GENERAL HISTORY OF ENGLAND &c,*

i. e.

*HISTORIA ANGLIÆ GENERALIS, TAM ECCLESIASTICA quam Civilis, ab antiquiſſimis temporibus repetita, & ad ejus, qui nunc rerum ſummæ præeſt, Sereniſſimi Regis GULIELMI III ævum perducta. Ex antiquiſſimis monumentis, manuſcriptis editisque Hiſtoricis concinnata, illuſtrium in Eccleſia & Republica Virorum monumenta complexa, celebriorumque in Anglia Monaſteriorum, ac utriusque Academiæ origines exponens. Vol. I. Autore JACOBO TYRRELL, Armigero.*

Londini apud W. Rogers, 1697. fol. alph. 8.

FRequentibus adeo omnium votis Generalis Angliæ Hiſtoria expetita hactenus eſt, ut non defuerint Viri docti, qui paſſim, data occaſione, ſummum quo exarſerant ejus videndæ deſiderium expoſuiſſe haud contenti, viam, quam in ea concinnanda ineundam cenſuere, monſtrarent, fontibus ex quibus petenda ea ſit, omnisque generis, quæ ad ornandam illam conducere poſſe videbantur, ſubſidiis fideliter indicatis. Verum difficile opus illud adeo eſſe exiſtimarunt, ut ne Seldenos quidem, Miltonos atque Camdenos pares ei fuiſſe arbitrati, deſperandum pene eſſe putaverint, ab uno aliquo homine in hoc genere aliquid, quod doctiorum ſuſtinere cenſuram queat, poſſe proficiſci. Quo magis ſane ei, quem nunc ſiſtimus, nobiliſſimo Autori gratulandum eſt, ſi arduum & aleæ plenum, quod de Generali Angliæ ſcribenda Hiſtoria cepit, conſilium ex animi ſententia ipſi ſucceſſerit. Equidem an ille præſtiterit, quod tot illuſtrium in hoc ſtudiorum genere heroum vires longiſſime exceſſiſſe, nobis perſuadere ſatagunt, qui Anglicarum rerum ſibi vindicant notitiam, noſtrum dicere non eſt, qui uti alias, ita hic quoque cenſorum officio merito abſtinemus: nec quod eorum, quorum eſt de talibus ferre judicium, ſenatus nondum cenſuit, id arroganter præjudicamus. An vero omnem adminiculorum & eruditionis apparatum, quo tale quid molientem inſtructum eſſe oportere, peculiari opere, in Actis hujus anni p. 27 commemorato, Gul. Nicholſonus nos docuit, ad hanc hiſtoriam ſuam ejus Autor attulerit, eo facilius Lectoribus licebit perſpicere, quod ipſe, quibus

p. 1. ſubſidiis fuerit uſus, non putaverit eſſe diſſimulandum. In præfatione enim, quam luculentam ſatis atque prolixam operi huic præfixit, id potiſſimum egit, ut, poſtquam omnes, qui ab Henrici VIII ævo usque ad noſtra tempora ad Hiſtoriam Angliæ ſcribendam animum adjecerunt, cenſura ſua notaſſet, varioſque eorum obſervaſſet defectus; ſuum, quod ſecutus in ea concinnanda conſilium fuit, aperiat, fideliterque tam manuſcripta monumenta, quam edita recenſeat, quibus in primo hoc volumine, quo hiſtoriam Angliæ, a fabuloſis temporibus facto initio, usque ad Normannorum invaſionem pertexuit, ipſi licuit uti. Partis eorum haud poſtremæ paulo poſt mentionem faciemus, ubi argumentum hujus voluminis paulo luculentius erit exponendum. Jam Aſſerii tantum Menevenſis, Ethelwerdi, Oſberni, Anonymi vitæ S. Dunſtani ſcriptoris, Florentii Worceſtrienſis, Simeonis Durhamenſis, Richardi, Gulielmi Malmesburienſis, Henrici Huntingdoni, & decem Scriptorum Hiſtoriæ Anglicanæ qui uno volumine Londini prodierunt, meminiſſe liceat; de iis enim ſingulis fuſius agit, multumque eorum laboribus adjutum ſeſe eſſe fatetur. Quibus addit Annales Abbatiæ Worceſtrienſis a Warthono in Monaſtico Anglicano publicatos, Ramſeyenſis item Elienſis & Glaſtenburienſis Monaſterii Hiſtoriam a Gulielmo Malmesburienſi adornatam, uti & Ranulphi Higdeni Polychronicon. Ex vaſtiſſimo autem ineditorum monumentorum, ad Hiſtoriam Saxonici in Anglia regni ſpectantium numero, præter *Hiſtoriam Auream* Joannis Tinmouthi, *Hiſtoriamque Regum Angliæ* a Joanne Caſtorio, & Joanne Rouſe conſcriptas, & quinquaginta circiter anonymos Scriptores, nihil habet quod incrementa dediſſe huic operi ſuo dicere queat, imo ab iis quoque perexiguum ei acceſſiſſe momentum non obſcure fatetur. Cum vero non poſſit non vacillare totius hujus voluminis fides, ſi verum eſt quod Thomas Craigius, dum homagium a Scotiæ Regibus Anglis præſtitum nunquam eſſe contendit, cauſæ ſuæ inſerviens affirmavit: nullam nimirum eſſe Hiſtoricorum Beda poſteriorum, quibus ſe jactent Angli, ſive antiquitatem, ſive autoritatem; prolixe audaciſſimum illud Craigii commentum confutat, ejusque in Hiſtoria Angliæ imperitia luculenter demonſtrata, multa affert, quibus magis expedita illa de Scotorum homagio controverſia reddatur. Quæ

[Margin notes: p. 7. (beside "mum adjecerunt"); p. 12. (beside "lo luculentius"); p. 15. (beside "adjutum ſeſe"); p. 17. (beside "Hiſtoriam Saxonici"); p. 18. (beside "ceſſiſſe momentum"); p. 19. (beside "gliæ imperitia")]

omnia

omnia breviter a nobis ſaltem perſtringi, imo etiam præteriri non-
nulla, qualia ſunt quæ de Eccleſiaſticis in Anglia rebus, & inter eas
de martyrio S. Albani monuit, (cujus hiſtoriam fabulam redolere, p. 24.
contra Rever. Worceſtrienſium Præſulem, qui in Originibus Bri-
tannicis nonnulla ad fidem ei adſtruendam attulerat, probavit,)
eo minus ægre ferent Lectores, quod prolixa adhuc Introductio ad
hoc volumen perluſtranda nobis ſit, antequam ad ipſum propius
inſpiciendum accedere valeamus.

In illa itaque Howelium, & Bradeum imitatus, qui in limine
Anglicanæ, quam ipſi concinnarunt, Hiſtoriæ idem præſtiterunt, ex
Seldeno & aliis de forma regiminis legibusque, quæ in Anglia tum
ante Cæſaris in eam adventum, tum ſub Romanis quibus paruit
Imperatoribus, tum poſt eos, tum denique ſub Saxonum imperio
obtinuerunt, agere inſtituit. Et ea quidem, quæ ad tempora Cæſa- p. 29.
re antiquiora ſpectant, pauciſſimis abſolvit, utpote quæ ad fabulas
quam veram hiſtoriam propius accedant, Gothofredi Monume-
tenſis autoritate unice ſubnixa. Nec multum prolixior eſt in eo, p. 31.
qui ſub Romanis in Anglia fuit, rerum ſtatu. Aſt Anglo-Saxonici
in ea regiminis qualis fuerit facies, fuſe & operoſe ſibi inquirendum
eſſe putavit. Et ipſam quidem imperii formam Ariſtocraticam po- p. 39.
tius quam Monarchicam fuiſſe contendit: Regium enim quidem
inter eos docet obtinuiſſe nomen, ſed cujus major belli quam pacis
tempore fuerit autoritas. Howelium autem, qui ſumma & abſo-
luta poteſtate Anglo-Saxonum Reges imperaſſe ſtatuit, fallere &
falli, prolixa & acri confutatione oſtendere conatur. Nec minus p. 41.
operoſe contra Bradeum diſputat, qui hæreditario jure a parentibus
ad filios ſemper Angliæ regnum, quamdiu Anglo-Saxones rerum
ſumma potiti ſunt, devolutum fuiſſe exiſtimavit. Electitium enim
regnum iſtud fuiſſe, & ipſos etiam eos, qui a parentibus nomina-
bantur ſucceſſores, ſine magni Regni Concilii conſenſu ſpei iſti de-
ſtinatos haud eſſe, prolixe examinata Regum in omnibus ſeptem
Saxonum provinciis, maxime autem Saxonum occidentalium ſuc-
ceſſione, usque ad Normannorum in Anglia adventum, evincit. Quæ p. 46.
vero de horum Regum coronatione, titulis, juribus & prærogati-
vis obſervat, prolixiora ſunt quam ut hic repeti queant. Id tamen
non obſervare non poſſumus, ita in iis deſcribendis eum verſari,

ut omni data occaſione, quam arctis limitibus eorum circumſcri-
p. 68. pta fuerit poteſtas, oſtendat. Imo abrogatum iis haud raro impe-
rium ob crimina inſigniora fuiſſe, & exemplis & aliis argumentis
probat, & pacta quædam, ut vocat, originalia, quæ Rex & populus
inter ſe inierint, exſtitiſſe docet. Quæ omnia quo tendant, non
obſcurum eſſe poteſt iis, quibus præſens rerum Anglicarum facies
ignota non eſt; qui etiam facile, quas partes cl. Autor noſter ſe-
quatur, ex iis, quæ mox dicemus, conjecturam facere poterunt. De
p. 72. dignitatibus nimirum & titulis honorum, variaque populi Anglica-
p. 78. ni, pro eorum diverſitate, diviſione agens, contra Bradeum acriter
diſputat, qui plebis Anglicanæ conditionem ævo iſto a ſervili non
longe abfuiſſe contendit, imo & optat, ut priſtinæ conditioni, hodie
p. 80. non parum immutatæ, denuo illa reſtituatur. De judiciis autem
aulisque judiciariis ſermonem inſtituens, Communis Regni Conci-
lii, quod Parliamentum vocare hodie ſolent, & antiquitatem pro-
lixe adſtruit, & autoritatem quam fieri poteſt maxime extollit, quam
Johnſtonum & Filmerum infirmis nimium argumentis evertere co-
natos fuiſſe queritur. Quin & Bradeum acerba denuo cenſura no-
tat, qui ſolos generis nobilitate conſpicuos membra ejus fuiſſe ſta-
tuit. Plebeji enim ordinis homines, urbium & civitatum delega-
tos, quos Communes hodie vocant, ad ea non minus olim ac ho-
die admiſſos fuiſſe, idoneis monumentis confirmat. Legum por-
p. 103. ro ferendarum poteſtatem non ſolius Regis, ſed Statuum Regni ei
in Parliamento junctorum fuiſſe, contra Johnſtonum defendit: ejus-
p. 108. que & Parliamenti in rebus Eccleſiaſticis poteſtatem explicat. De-
p. 117. nique leges, quibus Anglia ante Normannorum invaſionem recta
fuit, in compendio quaſi exhibet. Ubi id ſaltem obſervare placet,
communem legum Anglicarum diviſionem in leges Saxonum
Occidentalium, Mercianorum, & Danorum, ipſum quoque retine-
re: quem communem, ſed gravem ſatis errorem ex mente claris-
ſimi Nicholſoni eſſe, in Actis hujus anni p. 32 a nobis monitum fuit.

Jam ut ad ipſum denique opus accedamus, Annalium me-
thodo digeſtum, ſex abſolvitur primum hoc ejus volumen libris. Pri-
mum eorum poſt geographicam Angliæ deſcriptionem, & diſpu-
tationem non nimis prolixam de variis nominibus & antiquiſſimis
incolis ejus, eorumque linguis, nihil aliud exhibet, quam brevem

aliquam fabuloſæ Gothofredi Monumetenſis Hiſtoriæ Britannicæ epitomen. Ea Bruti, qui primus inſulam iſtam, deductis in eam quibusdam Trojanæ gentis reliquiis, incolis impleviſſe dicitur, & ſucceſſorum ejus res geſtas perſequitur. Quam Hiſtoriæ Angliçæ partem utut fabuloſis narrationibus mire inquinatam eſſe atque corruptam negare non audeat; Gothofredum tamen, doctum Virum & Hiſtoriæ gentis ſuæ apprime peritum, multa præclara & a veritate non aliena tradidiſſe, perſuaſum habet. In ſecundo libro ex fragmentis Hiſtoriæ Britannicæ, quæ apud antiquos Romanorum Hiſtoricos obvia ſunt, illorum temporum rationem reddit, quibus cum Romanis, poſt Cæſaris adverſus Britannos expeditionem, aliquid commercii illis fuit. Quem laborem, utut a Miltono & Camdeno jam olim fuerit occupatus, eo minus tamen Lectoribus ingratum fore ſperat, quod maximorum nominum, Uſſerii, Stillingfleeti, Lloydii obſervationibus, paſſim ab iis propoſitis, & ſuo loco hic inſertis, novum ſplendorem ſibi conciliet. In tertio libro, poſtquam ex Sheringhami tractatu *de Origine Gentis Anglorum*, de earum gentium, quæ communi Saxonum nomine appellantur, natalibus & incrementis nonnulla attuliſſet; ex Gilda, Beda & Nennio, quæ prima Britanniam invadendi occaſio iis data fuerit, exponit, atque id potiſſimum operam dat, ut Heptarchiæ ab iis in Anglia erectæ Hiſtoriam ex Annalibus Saxonum tradat, quorum etiam methodum in ea exhibenda, utpote omnium aptiſſimam, fuit ſecutus. Illo itaque ordine libro iſto Saxonum in Anglia Hiſtoriam ad ſeculi usque poſt C. N. ſexti finem perſequitur. Atque adeo libro quarto ſeculum ſeptimum, quo Auguſtini Monachi miniſterio Evangelii lux Anglis affulſit, auſpicatur. Hujus vero hiſtoriam ex Beda unice texit, niſi quod poſtremam ejus partem, in qua deficit ille, ex Annalibus Saxonum ſupplere coactus fuit, & ex conſcripta a Stephano Eddo, qui ævo illo floruit, vita Wilfridi Archi-Epiſcopi Eboracenſis, paſſim nonnulla inſeruit. Quintus denique liber & ſextus, in anno Chriſti 1066 deſinens, eorundem Annalium autoritate potiſſimum nituntur, qui tamen ex Florentio Worceſtrienſi & aliis ſupplendi paſſim fuerunt. Cum autem Annales Saxonici utramque fere in hoc volumine faciant paginam, qui tamen ita ſunt aridi atque jejuni, ut ægre admodum hiſtorico operi, quod ſine tædio

legas, materiam ſuppeditare poſſint; coactus clariſſ. Autor fuit, non Eccleſiaſticarum tantum rerum paſſim facere mentionem, & illuſtrium in Eccleſia Virorum geſta, imo & præcipuarum Sedium Epiſcoporum ſucceſſiones exponere, quæ omnia ex Gulielmo Malmesburienſi, & iisdem Annalibus plerumque deſumſit: ſed leges quoque tam civiles quam eccleſiaſticas, in magnis Regni Conciliis variis temporibus ſancitas paſſim repræſentare: quarum poſteriores ex Henrici Spelmanni Collectione Conciliorum deſumſit. Imo ne fabulis quidem & otioſorum Monachorum figmentis enarrandis omnino abſtinuit, quod parce tamen, & iis ſaltem in locis, quæ mutila ſine iis erant apparitura, ſe feciſſe profitetur.

*EXCERPTA EX ILLUSTRISSIMI DN. LUDOVICI FERDINANDI Comitis MARSIGLII, S. Cæſ. Majeſtatis Cubicularii & Legionis peditum Tribuni, Epiſtola ad ------ ex Actorum Lipſienſium Collectoribus, de Phoſphoro Bononienſi.*

Iam diu eſt, quod illuſtriſſimus Comes has de Phoſphoro Bononienſi fecit obſervationes, eum in finem, ut illas ad immortalis memoriæ virum Robertum Boyle in Angliam mitteret. Verum audita tanti viri morte, paſſus eſt ſepultas quoque illas jacere in ſcriniis, donec tandem ex Tomo I. Supplem. Sect. IV, p. 207 Actorum quæ a nobis colliguntur, occaſio ipſi nata fuit illas eruendi, & quantum permiſerunt ardua, quibus diſtinetur negotia, in ordinem redactas nobiscum communicandi. Primum autem loca, ubi lapis ille Bononienſis reperitur, deſcribit, & mineralia recenſet, quæ in illis naſcuntur; deinde partes, quas vocat organicas, lapidem componentes delineat, & in ejus ſtructuram inquirit, enarratisque obſervationibus, quæ Chemiæ adminiculo factæ ad intrinſecas lapidis partes inveſtigandas, exponit modum compendiarium facilemque lapidem præparandi, ut phoſphori munus perfecte obire poſſit. Naſcitur hic lapis, ut Lectori præcipua more noſtro ſummatim cognoſcenda proponamus, in montibus circa Bononiam, quorum alter mons de *Paderno*, alter *Piedalbino* vulgo dici ſolet. Uterque ſterile caput effert inter amœnos colles vicinos, ſimilemque habet ſuperficiem; quamvis Padernus magis his lapidibus, quam alter, abundet.

det. Terræ, quibus teguntur montes, variæ ſunt, aliæ cineracei coloris, aliæ albi, aliæ rubri, atque in his bolus colligitur ejusdem coloris, linguæ adhæreſcens & naturæ adſtringentis. In reliquis hinc inde effloreſcit ad altitudinem digiti ſal quidam mixtus flammulis gypſi atque talci, cujus ſolutio concreſcit in lamellas ſaporis ſalſi, ſed craſſioris nec multum penetrantis; unde etiam conjicit illuſtr. Comes, eum non prolem eſſe ſalis ammoniaci, ſed potius principium gypſi, dum laminis terreis miſcetur, easque conjungit. Reperiuntur quoque hic duo alia lapidum genera, quorum unum ob ſimilitudinem cum animalium renibus, reniforme, alterum ob affinitatem cum ventre cryſtallino, ventrem tartareum illuſtriſſimus Comes appellat. Illud ad naturam jaſpidis accedit, multasque fiſſuras habet: hoc cinerei eſt coloris, & loco depuratæ materiæ cryſtallinæ continet tartaream cruſtam variegatam coloribus. Duplices quoque marcaſitæ hic inveniuntur, ferri nimirum & cupri, quarum nonnullæ tuberoſam habent figuram, aliæ ex quadratis corpuſculis componuntur. Terra, in qua lapis phoſphorus quaſi ſparſus reperitur, quæque pluviis aquis una cum illo avehitur, & in rivos, ex quibus colligitur, præcipitatur, profunditate unius palmi arida eſt, denſa, obſcura, flammulisque conſperſa, vel particulis non diſſimilibus gypſo & figura non multum differentibus a partibus phoſphorum conſtituentibus; in duorum profunditate palmorum, coloris eſt ferruginei & ſubviridis, iisdem flammulis ſed minoribus diſtincta; in trium profunditate, non multum eſt diſſimilis priori, niſi quod flammulæ ita ſunt exiguæ, ut ſine lente optica vix diſcerni poſſint. Eam autem fœtam eſſe vitriolicis & arſenicalibus particulis, ex tentaminibus factis adparuit. Figura phoſphororum irregularis eſt: alii nempe plani, alii cylindrici ſunt, alii ovales, alii ſphærici, alii tabulati. Sphærici maximi ſunt omnium, neque tamen Perſici mali magnitudinem excedunt. Tabulati cavitatem habent ex utraque parte quaſi duobus digitis impreſſam, ſuntque ad præparationem optimi. Pondus ad unam duasve libras vulgo accedit, quamvis etiam nonnulli octo librarum pondus æquent. Neque tamen maximi graviſſimique reliquis ſunt præferendi, & falſus fuit Licetus, qui gravitate ſpecifica hos lapides plumbum ſuperare memoriæ prodidit. Ad uſum minus apti ſunt colore plumbeo, præſtantiores argenteo, &

chal-

chalcedonium cinereum referentes præſtantiſſimi, qui ad perſpicuitatem ſuccini accedunt. Quintuplex occurrit varietas interna ratione fibrarum in lapidibus confractis, (cujusmodi aliquem hic ſiſtimus) ab Ill. Comite deſcripta; qui hanc quoque lapidis anatomiam tradit: Separatur lapis in plures partes, quarum prima eſt punctum, vel diſcus, vel linea centralis, nihilque aliud quam pauca terra aut argilla carens particulis ipſam conglutinantibus. Sequuntur certa ligamenta fig. 2. quæ ſerviunt uniendis partibus fibroſis, 3, 4, 5, 6. Super has variis in locis transverſæ excurrunt lineæ 7, 7, 7. Extremum lapidis cruſta tegit ſeu cuticula 8, cujus partem aliquam refert fig. 9. Extima illa cruſta eſt pars, in quam ignis vi rediguntur particulæ lumen ſuſcipientes: ſeparata enim a lapide lucem imbibit, & ſine illa lapis manet cadaver tenebroſum. Ex calcinatione lapidis, ejusque ſublimatione apparet, lapidem illum non eſſe gypſi ſpeciem, ſed potius ad ſubalternam talci ſpeciem eſſe referendum, prætereaque continere miſturam variorum mineralium, vitrioli, ſulphuris, certæ ſpeciei nitri, & fortaſſis etiam mercurii & arſenici.

TAB. VI. Fig. 1.

TAB. VI. Fig. 2-9.

Præparatio Phoſphori ſequentem in modum commode fieri poteſt: Aſſumantur lapides mediocris magnitudinis, probeque loti aqua pura, non tantum penicillo ſetaceo, ſed etiam lima radantur, ut inæqualitates tollantur; deinde in ſpiritum vini probe rectificatum immerſi volutentur in pulvere lapidis phoſphori contuſi bene cribrato, ut eodem toti cooperiantur, & cruſta quadam induantur. Porro transverſo furni anemii ferro inſternatur craticula ferrea, eique injiciantur carbones nucis circiter magnitudine ad 4 digitorum altitudinem; his autem imponantur lapides, ut diſtantiam inter ſe unius digiti ſervent, & contegantur ſimilibus carbonibus, ita ut totus furnus impleatur. Hic tandem operculo ferreo, cui apertura decuſſatim inciſa eſt, vel lateribus debitas aperturas relinquentibus, muniatur, igneque ſuccenſo expectetur, donec carbones comſumti, quod horæ fere ſpatio fieri ſolet, & lapides fuerint refrigerati. Quo facto lapides cruſta, quam pulvis aqua vitæ madefactus ſuperinduxit, quæque facile ſeparari poteſt, liberentur, & pulvis abraſus, qui etiam perfecte lumen recipit, denuo minutim contundatur, ut ex illo variæ poſſint efformari imagines. Illæ enim primum delineantur albumine ovi miſto cum ſaccharo auttraga-

# TAB. VI. *ad A. 1697. pag. 406. ſqq.*

*Fig: 3.*



*Fig: 4.*



*Fig: 5.*



*Fig: 6.*




*Fig: 2.*



*Fig: 9.*



*Fig: 1.*




*Fig: 12.*







*Fig: 10.*





*Fig: 15.*





*Fig: 11.*





*Fig: 14.*






*Fig: 13.*



tragacantha, cui deinde pulvis inſpergitur, poſſuntque etiam addi colores varii ſine virtutis luciferæ damno. Ex eo autem, quod lapis etiam contritus vim lumen imbibendi retinet, cognoſcitur, non provenire illam a ſtructura aut figura partium, ſed principio potius proprio, quod operatur interne per qualitatem ſuorum componentium. Varias ſubit lapis ille Bononienſis mutationes, dum ex ſtatu naturali transfertur in artificialem. Inprimis mutat colorem, dum ordinarius gypſi & albus vertitur in mixturam variorum colorum, nempe ferruginei, cœrulei, albidi, carnei, flavi, indicantium varietatem mineralium quæ complectitur. Ante præparationem non habet odorem ullum ſenſibilem, poſtea vero fit varii odoris, ex varietate mineralium orti, cum prædominio mitis ſulphuris. Inter illos colores varios albus mixtus ferrugineo indicat lapidem optime ad imbibendum lumen diſpoſitum. Quo magis ſunt impuri lapides, eo per calcinationem fiunt leviores, & durities in friabilitatem adeo magnam tranſit, ut ob illam difficulter conſerventur, aut de loco in locum, ſi ſuccuſſio accedat, transferantur. Extima ſpoliatus ſuperficie phoſphorus, totus albus & transparens inſtar talci apparet, atque ſi in fruſta confringatur, fibras exhibet aduſtas, exſiccatas, & hinc inde admixtas maculas rubras, quæ nihil aliud ſunt, quam partes terræ interjacentis inter fibras, & ad ordinarium argillæ igne excoctæ colorem deductæ; quamvis occurrant etiam aliæ maculæ, vicinæ ſuperficiei lapidis, & ejusdem coloris cum cortice ſuperiori, quæ etiam nonnunquam lumen recipiunt. Unde patet, nihil eas eſſe aliud, quam particulas materiæ attrahentis lumen, quæ a centro tendebant verſus ſuperficiem, verum ob defectum vel temporis, vel ignis, aut ob aliud quoddam impedimentum, eo pervenire non potuerunt.

Uſus tandem phoſphori ita ſe habet: Poſtquam, ut ſupra monitum, lapis liberatus eſt cruſta exteriori, exponendus eſt aeri luminoſo tantiſper, dum Symbolum Apoſtolorum ter circiter recitari poteſt; ita ſubito lumen concipiet, & inſtar candentis carbonis relucebit. Notandum tamen eſt, illum valido Solis lumini objiciendum non eſſe, quia virtutem ſuam amittit, neque ita bene illuminatur, ſed melius concipere lumen in conclavibus concluſis. Idem autem generaliter accidit, etiam temporibus aliquo modo humidis & non

ſerenis. Probe ſemper conſervandus eſt phoſphorus in ſcatula, cum lana bombycina, neque exponendus aeri, niſi quantum operationis requirit neceſſitas: alias enim vis ejus perit, conſiſtens quippe in partibus ſpirituoſis, quæ facile ſeparantur & avolant, aut in textura partium ſingulari, quæ facile ab injuriis aeris ambientis turbatur. Quando lumen aeris debile eſt, v. g. veſperi, lumen quoque phoſphori fit debile. Repoſitus in vitro Hermetice clauſo, aliquo modo lumen recipit, uti etiam, ſi lapis eſt perfectiſſimus, illuminatur in obſcuro ad lumen candelæ aut facis; a lumine vero lunari non accenditur. In variis aquarum poſitus generibus imbibit & retinet lumen, idemque facit in variis affuſis liquoribus & ſpiritibus, neque tamen generaliter omnibus. Immerſus in aquam fortem excitat fermentationem vehementem, quæ ipſum ſpuma flava involvit, & lumen ab ipſo prohibet. In omnibus oleis imbibit & monſtrat lumen, excepto oleo nucis, in quo vim quidem habet illud attrahendi, non autem manifeſtum faciendi; extractus enim ex eodem, neque denuo expoſitus aeri, ſtatim relucet. Illatus in recipiens aere vacuum retinet lumen, ſed remiſſius, quod non mutatur, ſi de novo aer admittatur.

Hæc potiora ſunt, quæ Illuſtr. Comes de phoſphoro Bononienſi obſervavit experimentis cum cura factis, relinquens aliis majori affluentibus otio provinciam indagandi modum, quo vel generatur, vel colligitur lumen in lapide Bononienſi. Appendicis loco acceſſit ejusdem obſervatio de gypſo, quod in territorio Bononienſi effoditur, præcipue circa villam S. Raphaelis, ubi fodinæ ſeu caveæ centum paſſus profundæ reperiuntur, in quibus ope pulveris pyrii, ex monte vaſtæ moles decutiuntur, quæ comminuuntur deinde ab operariis in partes in fornacibus excoquendas. Tres autem ibi reperiuntur gypſi ſpecies, quarum prima poſitum habet horizonti parallelum, eſtque gypſum commune, *Scaglia* dictum operariis. Hujus ſtratis alternis ſuccedunt ſtrata terrea; olimque rude ad fundamenta turrium, nec non portarum & feneſtrarum ornamenta fuit adhibitum, hodie vero in pulverem uſtum pro cæmento habetur præſtantiſſimo, præſertim ſi cum calce miſceatur, ut humiditati eo melius reſiſtat. Secunda ſpecies *Scagliola* dicta, eſt ad horizontem perpendicularis, effoditurque ex montis quibusdam fiſſuris,

&

& talci imperfecti quædam eſt ſpecies, fortaſſis lapis ſpecularis a Plinio celebratus. Calcinatur in pulverem minutiſſimum & nivei coloris, ex quo omnia fingi poſſunt pari elegantia, quæ ex albiſſimo Carrarenſi marmore exſculpi ſolent. Tertia ſpecies, quæ obliqua eſt ad horizontem, accedit ad alumen plumoſum, & forſan eſt ſpecies impurior & imperfectior hujus foſſilis. Obvia quandoque eſt in fiſſuris hujus montis cruſta quædam, ab operariis oculus gypſi & nervatura dicta, quæ polituram inſtar marmoris recipit, & diſtributione macularum pulcherrimo non cedit alabaſtro. Referunt operarii, ſi quis ſcabie infectus in fodinis illis aliquot dies commoretur, eum ab eadem, fortaſſis ob ſulphur gypſi, liberari, ut adeo compenſet aliquo modo damnum, quod intus ſumtum affert, inſtar veneni.

## *SPECIMEN METHODI, CUJUS OPE DATUM SPATIUM in ratione data dividitur, licet ejus quadratura ſit ignota. per D. T.*

QUæ in Actis anni 1695 menſe Novembri indicaverim, Lectorem Philomathematicum adhuc memoria tenere arbitror. Circa ea jam monendum duxi, proprietatem, Curvæ Parabolicæ partes inter ſe comparandi; quam tunc ut univerſalem tradidi, valde eſſe limitatam, & tantum in certo particulari caſu ſuccedere. De hoc enim aſſerto licet utens methodo indefinite parvarum quantitatum, duplici via perſuaſus eſſem, atque tunc in eo acquieſcerem; quoniam tamen paulo poſt tertia quadam ſatisque facili methodo plane contrarium hinc deducebam, alia plane methodo, infinite parvarum quantitatum non indiga, in calculo, cujus mentionem diu eſt quod feci in Actis hiſce, in rem totam denuo inquiſivi, atque iterum comperi, eam tantum particulariter eſſe veram. Quamvis ergo jam dudum id animadverti, non tamen conſultum duxi id edere in publicum, ſperans, quoniam hæc methodus viam plane ſingularem aperit, quæ nondum nota eſt publice, videturque maxime eſſe genuina in calculo indefinite parvarum, fore ut concederetur mihi ſpatium, hanc methodum probe excolendi, atque deinde ſingulare aliquid publico exhibendi, ut defectus ille reſarciretur. Verum tam occupationes maximæ, quæ tamen vix me ab his ſtudiis ab-

abſtraxiſſent, quam perpetua fere itinera & converſationes, quibus adhuc dum diſtineor, cogunt in quietiora rem differre tempora. Ut tamen interim aliquo modo publico ſatisfaciam, cum nuper in Actis Eruditorum mentionem fecerim univerſalis methodi, ſpatium quodcunque, cujus quadratura ignota, in data ratione ſecandi, idque infinitis modis; ejus aliquod dabo ſpecimen in quadrante circuli. Sit quadrans Circuli AECB, & deſcribatur Curva AGC, cujus hæc eſt natura, ut poſito $AF = x$, $FG = y$, $BC = a$, $HI = b$, natura ejus per hanc Æquationem exprimatur: $a^4y^4 \propto 4a^5xyy + 8a^3bbxyy - 2a^4xxyy - 8aabbxxyy + 16a^4bb - 4a^6xx - 16aab^4xx - 24a^3bbx^3 + 4a^5x^3 + 32ab^4x^3 + 8aabbx^4 - a^4x^4 - 16b^4x^4$: dividet hæc Curva, quæ non difficulter per puncta deſcribi poteſt, ſpatium quadrantis AECB in duas partes AECGD & ADGCB, quæ ſunt in ratione lineæ b ad lineam $a - b$. Hic autem animadvertendum eſt, cum ſpatium dividitur in ratione numeri ad numerum, curvam ADGC rectam ADC ita ſecare, ut AD ſemper ſit ad DC in ratione numeri quadrati ad alium numerum quadratum; v. g. quando quadrans AECB eſt ad ſpatium ACGD, ut 3 ad 1, Curva ADGC ſecat rectam ADC in D, ut AD ſit ad DC, uti 49 ad 36. Hujusmodi curvæ, quæ omnes talem conditionem habent, innumeræ poſſunt inveniri. Unam tantum ex his adhuc ſuperaddam. Sit curva, cujus hæc natura: $y = \sqrt{2ax - xx}\ \frac{b}{a}\sqrt{2a^3x + aaxx - 2ax^3 - x^4}$, ab hac itidem ſpatium quadrantis in ratione datæ lineæ ad datam lineam dividetur. Quodſi ergo quis, adſpirante fortuna, inter tot curvas in eam incideret, ubi ſegmentum AD ſegmento DGC eſſet æquale, Quadratura Circuli hucusque fruſtra quæſita, quoque foret manifeſta.

TAB. VI. Fig. 10.

## *JAC. B. SOLUTIO DIFFICULTATIS CUJUSDAM CIRCA NATURAM Flexus contrarii.*

DIxeram in Meditatione de natura Oſculi, menſe Mart. 1692 p. 116, quod in *omni Flexu contrario Circulus oſculator ſit infinite magnus, adeoque Curvedo Lineæ nulla.* Hoc enim ex notione flexus contrarii & illa naturæ lege, qua conſtanter ſaltum abhorret, ſatis, puto, per ſe manifeſtum. Illuſtriſſimus tamen Dominus Marchio

chio Hoſpitalius ingenioſe mihi objecit caſus quoſdam particulares, ubi conttatrium evenit, & circulus oſculator infinite parvus eſt; ut in Curva GAg (fig. 11) cujus natura eſt $aax^3 = y^5$, & quæ in vertice A habet flexum contrarium, tametſi radius oſculantis circuli ibidem ſit nullus, quippe quæ ex evolutione curvæ IAi per ipſum verticem A tranſeuntis deſcribitur. In quo ſane Vir laudatiſſimus quiddam valde ſingulare detexit, cum hoc aſſertionem meam dictamque naturæ legem prorſus evertere videatur. Stante enim hoc Axiomate, *Natura non facit ſaltum, ſed etiam in minimis agit gradatim*, difficulter concipi poteſt, quomodo partes Curvæ uno ſenſu inflexæ ſenſu contrario flecti & incurvari poſſint, niſi prius amiſſa curvedine ſitum inter ſe directum acquirant. Ergo ubicunque id accidere videtur, credendum eſt, in illo puncto virtualiter contineri omnes curvedinis gradus intermedios, quod ſic explico: Loco Curvæ $aax^3 = y^5$, concipio hanc $aax^3 = y^5 - bby^3$, quæ Curva hujusmodi plexus format, quales in fig. 12 repræſentantur, eritque poſita $AH = x$, & $HG = y$, applicata in vertice $AC = b$, & applicata in extrema ora ſinus ASC, ſcil. $ST = b\sqrt{\frac{3}{5}}$. Radius Circuli oſculatoris (facta inſuper $ayy - abb = s^3$, $5yy - 3bb = tt$, & $5yy - 9bb = uu$) univerſaliter reperitur $= \frac{9s^4 + t^4 \sqrt{9s^4 + t^4}}{6asuuy}$. Unde diſcimus 1. radium oſculi fore infinitum, ſi vel $s$, vel u, vel y ſit $= 0$, id eſt, ſive $y$ ſit $= 0$, ſive $= b$, ſive $= \frac{3b}{\sqrt{5}}$. 2. aliis vero in caſibus ſemper finitum, ut in puncto $s$, cum $y = b\sqrt{\frac{3}{5}}$, quo caſu radius hic (poſito $\frac{2}{5}abb = z^3$) fit $= \sqrt{\frac{3}{50}}az$. 3. eundem fore poſitivum, ſi vel ambæ $s$ & uu ſint negatæ, hoc eſt, ſi ſit $y < b$; vel affirmatæ ambæ, id eſt, ſi $y > \frac{3b}{\sqrt{5}}$. 4. negativum autem, ſi exiſtente $s$ affirmata, uu maneat negata, id eſt, ſi $y$ ſit $> b$, & $< \frac{3b}{\sqrt{5}}$. E quibus porro colligimus, Curvam in parte ASC & EFG (ſuppoſita in E applicata $y = \frac{3b}{\sqrt{5}}$) verſus axem cavam eſſe, in parte CDE convexam; &

TAB. VI. Fig. 11.

Fig. 12.

 puncta

punčta A, C & E eſſe puncta flexuum contrariorum, ibique curvedinem nullam eſſe; in puncto vero aliquo duobus flexibus intercepto, ut & alio quodam ultra flexum extremum E, puta in punctis B, D & F curvedinem eſſe maximam, ac-proinde Curvam a G verſus A ordine deſcribi alterna convolutione & evolutione curvarum IKLMNOPQRrqponmlki. Jam ſi b ſenſim intelligatur minui, ac tandem evaneſcere, ut loco æquationis $aax^3 = y^5 - bby^3$, reſultet $aax^3 = y^5$, manebunt quidem radii circulorum oſculatorum in punctis A, C & E infiniti; ſed radius puncti S fiet nullus, quippe $= \sqrt{\frac{1}{50}az}$; quapropter cum hæc omnia puncta tum coaleſcant in unum punctum A, ſequitur, in hoc puncto radium circuli oſculatoris eſſe ſimul & o & ∞; adeoque punctum illud A eminenter in ſe continere omnes curvedines a maxima ad minimam, omnesque evolutas KLMN &c. nmlk in unam rectam, axem vid. Curvæ AH, coincidere. Ex quo tandem illud evincitur, quod in fig. II. Evoluta Curvæ GAg proprie non ſit ſola Curva IAi, ſed una cum aſſumto axe HAh, ita quidem, ut gignatur per convolutionem & evolutionem hoc ordine factam IAHhAi, radiusque circuli oſculatoris in extremitatibus tantum puncti A (ſi ita loqui fas eſt) nullus ſit, in parte vero intermedia infinitus.

Explicationem noſtram confirmat inſuper hoc, quod circulus ſuper quolibet puncto axis infiniti AH per A deſcriptus, adeoque & ipſa linea recta MN, ob axem AH curvæ in A perpendicularem, curvam ibidem tangit, eandemque ob flexum contrarium ſimul ſecat; quod cum nemine nunc refragante ſignum habeatur oſculi, ſequitur infinitos hos circulos curvam in A oſculari, omnesque proin curvedinis gradus eminenter in hoc puncto contineri. Id quod hac vice oſtendendum ſuſcepi, ad aſſertionem meam olim editam cum Illuſtriſſimi Domini Marchionis obſervatis utcunque conciliandam. Habui quidem hanc ſpeculationem jam dudum, ſed neglecta jacuit, jacuiſſetque diutius, niſi animadverſionem Viri perilluſtris nuperrime in Supplem. Tom. III, Sect. II, p. 78 ex Commentariis Mathematico-Phyſicis Pariſienſibus recenſitam, atque etiam in ejus Analyſi Infinite-parvorum p. 79 publicatam vidiſſem.

*IAC. B. ADDENDA AD CONSTRUCTIONEM PROBLEMATIS BEAUNIANI in Actis hu menſ. Jul. 1696 exhibitam.*

Dixi

Dixi tum, quod ſi Curva data AC (vid. ibid. Tab. VI, fig. 1) ſit ex genere Paraboloidum, denotante v æquationis $ady = ydx. x^v dx$, numerum quemcunque integrum & poſitivum, Curva quæſita ED obtineri poteſt abſque quadraturis per ſolam Logarithmicam; ſed non adjeci, Curvam hanc omnino quoque poſſe eſſe Algebraicam. Itaque nunc dico amplius:

1. Quod eo caſu ſemper duæ ſatisfaciunt Curvæ, Mechanica & Algebraica.

2. Idque non tantum, cum Curva AC eſt ex numero Paraboloidum, ſed etiam quotiescunque talis, ut ejus applicata BC exprimatur per quotlibet poteſtates integras & poſitivas ipſius x, hoc eſt, ſi terminus $x^v dx$ quotcunque membris conſtiterit; veluti ſi ſit $ady = ydx. x^s dx. x^t dx. x^v dx.$ &c.

3. Quod Algebraica ejusdem perpetuo gradus futura eſt cum data AC.

4. Hinc ſi AC recta eſt, angulum conſtituens cum axe AB, ſeu $v = 1$, & ED recta eſſe poterit (quod jam olim etiam, cum Problema Beaunianum inter nos reviviſceret, animadverſum mihi fuit) Si AC eſt Parabola communis, ipſa ED quoque talis erit; ſed ſi AC eſt Parabola Cubica, erit ſaltem ED una ex Curvis ſecundi generis &c.

5. Quod dictum de Æquatione $ady = ydx. x^v dx$, idem quoque intelligendum de Æquationibus differentio-differentialibus, $aaddy = ydx^2. x^v dx^2$; $a^3 dddy = ydx^3. x^v dx^3$, aliisque altiorum graduum in infinitum, quibus ſingulis (ſumtis dx æqualibus) in caſu exponentis v integri & poſitivi, Tranſcendentes pariter & Algebraicæ Curvæ ſatisfacere poſſunt.

Unicum exemplum eſto loco omnium: Sit Curva data AC vel IC (ibid. fig. 2 vel 3) cujus applicata $BC = x^3 : aa - 3xx : a + bx : a$, hoc eſt, ſit Æquatio conſtruenda $ady = ydx - x^3 dx : aa + 3xxdx : a - bxdx : a$. Dico, ſi in recta infinita BG, ſeu ex G puncto Logarithmicæ, ſeu ex B puncto tantum axis, abſcindatur ſurſum quantitas Algebraica $x^3 : aa + bx : a + b$, fore, ut obtineatur utrovis modo punctum in optata Curva ED, quæ propterea priori caſu Tranſcendens fiet, poſteriori Algebraica, & ejusdem generis cum data AC vel IC.

Ex quibus omnibus, neſcio an obſervatis hactenus, præclare confir-

confirmatur ejus veritas, quod ad Problemata Groningani Programmatis nuperrime notavi, fieri ſcil. poſſe, ut una eademque æquatio differentialis differentes numero graduque curvas deſignet; hic enim exempla produxi infinitarum talium, quæ Curvis etiam toto genere diverſis quadrant.

*DE MAGNIS LENTIBUS SEU VITRIS CAUSTICIS, Quorum diameter trium quatuorve pedum, nec non eorundem uſu & effectu plene & perſpicue indicato, per D. T.*

CUm ſæpe multumque petitum a me fuerit, ut de lentibus illis magnis, quas huc usque fieri curavi, pleniorem explicationem ederem in publicum; nolui, quamvis varia de his jam in Actis Eruditorum ſunt expoſita, defugere hanc operam, ſed ſequentem potius paulo accuratiorem planioremque relationem indagini ulteriori curioſorum Phyſices ſcrutatorum ſubjicere conſtitui.

TAB. VI. Fig. 13. 1. Ita exponi debet vitrum cauſticum Soli, ut radii normaliter in illud incidant; quod fieri tunc manifeſtum eſt, quando focus, ſeu imago Solis E (fig. 13) incidens in aſſerculum vitro parallelum CD, perfecte rotundam figuram habet. Quodſi ergo ellipticam figuram referat, lens tamdiu ſurſum deorſum, aut ultro citroque, movenda eſt, donec focus perfectam rotunditatem acquirat. Hoc enim facto, ſtatim flamma in ligno ſuſcitatur, plumbum funditur, lapis ſciſſilis in vitrum abit &c. & quidem in diſtantia duodecim pedum Rhinlandicorum. Focus autem thalerum æquat magnitudine.

2. Ut vero ad majorem adſcendat vis comburendi gradum, vitrum minus collectivum FG, majori AB, ope trium bacillorum parallelως adaptandum ita eſt in FG, ut radii per lentem majorem collecti id totum occupent, atque hoc in ſitu firmandum. Ita enim imago Solis ſeu focus in H minor quidem fit, groſſi circiter magnitudine, ſed majoris longe efficaciæ quam antea, ita ut quæ in E non funduntur, in H momento colliqueſcant.

3. His ita in ordinem redactis, ſtatumen parandum eſt congrua gaudens altitudine, & ex duabus partibus compoſitum. Prima eſt pedamentum firmiter collocandum; altera huic imponi inſerique debet, ut horizontaliter hinc inde moveri poſſit, ea circiter forma, Fig. 14. quam refert ABDC in fig. 14. ABC in rotunditatem parum oblongam

ex-

excavatur, ut vitrum majus, cujus axis incumbit in A & C, libere circa illum commoveri poſſit. Quibus comparatis, vitrum minus, quod majori ope bacillorum adfixum eſt, manu comprehendatur, atque tamdiu ſurſum deorſum, ultro citroque commoveatur, donec minus vitrum totum ſit a Sole illuminatum; quo in ſitu, ſuppoſito fulcro, vel alio quocunque modo, conſervandum eſt, & dum Sol promotus apparet, ligneum illud illuminare, quod vitrum collectivum comprehendit, ſenſim quoque convertendum & denuo eſt firmandum.

4. Quo facto omnia jam ad uſum ſunt parata, poſſuntque tunc ſemper, eo præſertim tempore, quo Sol maxima vi operatur, i. e. meridiano, ſequentes præſtari effectus, etiam vitris, quæ tres ulnæ quartas partes non excedunt, tum æſtate tum hyeme, maximo quantumvis ſæviente frigore Februarii, ita tamen ut minores portiones aſſumantur materiæ quam æſtate, & major operationi mora concedatur. Et quidem

1. Lignum, quantumcunque etiam durum, imo aqua humectatum, momento flammam concipit.

2. Aqua in parvo vaſe effervescere ſtatim incipit.

3. Metalla debitam magnitudinem & craſſitiem habere debent, alias non funduntur, id quod praxi facile addiſcere licet. Quamvis etiam requiſitam habeant magnitudinem & craſſitudinem, non tamen colliquefiunt in momento, ſed cum totum fruſtum undique ad certum redactum eſt caloris gradum: tunc enim omnia momento ſolvuntur. Ita v. g. plumbum nimis craſſum plane non funditur; ſi vero craſſitiem habeat non nimiam quidem, ſed tamen ſatis adhuc magnam, detinendum eſt aliquamdiu in foco, atque tunc quando uno in loco colliqueſcit, idem quoque in momento in reliquis fit locis. Ferrum autem oportet ut maxime ſit tenue; ita enim bractea ferrea momento excandeſcit, & parvo tempore a cono radioſo quaſi perterebratur, ut multa acquirat foramina.

4. Lateres, lapis ſciſſilis, pumex, porcellana Hollandica, asbeſtus, cujuscunque ſint magnitudinis, ſtatim igneſcunt, & facile in vitrum convertuntur.

5. Sub aqua ſulphur, colophonia, pix, & id genus alia, colliquantur. Piſces & cancri valido ſuo motu de operatione caloris

loris in ſe teſtantur. Æſtatis tempore lignum rarius, v. g. pinea tæda ſub aqua in carbonem convertitur, exterius non tam bene animadvertendum, quam ſi lignum diſſecetur.

6. Si carbo durior probeque excoctus, cujus generis uſus apud fabros eſt ferrarios, (ex fornacibus enim qui deſumuntur, nimium præbent cineris, qui cum impoſita commiſcetur materia) excavetur, eique certæ materiæ imponantur, effectus omnes, quorum hactenus facta mentio, incredibiliter ſunt majores & vehementiores. Si enim

7. imponas metalla, momento colliquefiunt, & ſi focus hinc inde ita transferatur, ut in omnes incidat partes, conglobatur in ſphæram, ut monetæ cito inſtar aquæ fundi poſſint. Ferrum copioſas de ſe ſpargit ſtricturas, non ſecus ac in ferraria officina. Si quoque metalla diutius detineantur in fluore, avolant illa, quod in plumbo præſertim & ſtanno valde ſenſibiliter contingit.

8. Si fragmina minora ex lateribus, lapide ſciſſili, porcellana Chinenſi, talco &c. carboni tali imponantur, momento funduntur, & in globulos abeunt vitreos. Asbeſtus totus in pellucidum vitreum globulum convertitur.

9. Si aſſumantur charta, linteum, vegetabilia, gramen, ceſpites, & materiæ his adfines, rediganturque in cineres, horum autem, vel etiam cinerum ex fornacibus vulgaribus extractorum, portio exigua imponatur carboni, dicto citius in vitrum mutatur.

10. Nonnulla corpora carboni impoſita, ſimul atque foco admoventur, diſſiliunt, v. g. vitrum, jaspis &c. verum quando ſenſim ad focum admoventur, ut per gradus incaleſcant, ſatis bene colliquefiunt. Si nec dum ferant illum calorem, in pulverem ſunt conterenda.

11. Si quoque corporum partes licet exiguæ fundi renuunt, probe pulveriſandæ, earumque particulæ maxime exiles aqua eluendæ ſunt, Solique exponendæ. Quodſi autem intemeratæ adhuc maneant, ſalia ſunt addenda; ita nihil facile erit, quod huic ignis gradui reſiſtere valeat.

12. Quæ facillime ab hoc igne corripiuntur vehementerque alterantur, ſunt corpora, quæ nigra ſunt & in igne nigra manent: difficilius afficiuntur (2) quæ alba ſunt & in fuſione nigreſcunt, deinde (3) quæ nigra ſunt, & poſtea fiunt alba; (4) difficillime tandem,

quæ

quæ alba ſunt & in applicatione ad focum alba manent, v. g. ſilex, creta, calx.

13. Quæcunque huic admoventur igni, vel funduntur, vel in vitrum mutantur, vel in calcem vertuntur, vel in auras abeunt.

14. Metalla, porcellanæ (debitæ magnitudinis & craſſitiei, ne ipſa liqueſcat, & per gradus, ne diſſiliat, calefactæ) impoſita, omnia vitrificantur: quæ autem facile fluunt, ut plumbum, duris impoſita lapidibus aut lateribus in vitrum poſſunt redigi.

15. Si in vaſe recipiente magno ABC, corpora facile colliqueſcentia in igne, v. g. vegetabilia, ſulphur, antimonium, zinckum, biſmuthum carboni imponantur in C, ſolumque vitrum majus adhibeatur, poſſunt in clauſo recipiente valde curioſa experimenta tentari. Oportet autem, ut magnum ſit recipiens, quo A B ingreſſus radiorum Solarium debitæ ſit magnitudinis; alias enim calefieret nimis atque diſrumperetur. Poteſt quoque aliud fieri receptaculum ita munitum, ut penetrare nihil poſſit, & introitus radiorum Solarium fiat per laminam vitream. TAB. VI. Fig. 15.

16. Si excavetur carbo, ut eidem poſſit imponi ſcutella cuprea tam craſſa, ut non facile igne fundatur, injicianturque ei varia corpora, magnus quoque acquiritur caloris gradus, quia metalla, quem conceperunt, diu retinent, poſſuntque varia curioſa fieri tentamina. Ita v. g. nitri doſis legitima ſtatim volatiliſatur & avolat, ut adeo ſpiritus nitri, ope recipientis clauſi, cito præparari poſſit.

17. Valde conducit, in promtu habere varias mixturas pulverum alias præparatorum, Solaribus exponendas radiis, ne, dum Sol clariſſimus affulget, tempus hac præparatione teratur. Ita enim una hora complurima notabilia experimenta poſſunt abſolvi, præſertim ſi eligatur locus ventis non obnoxius, ne in pulverem redacta diſpergantur. Accedit, quod vis urendi his in locis quoque major eſt, cum alias venti materias calefactas valde refrigerent, atque efficiant, ut, dum refrigeſcunt, rumpantur.

18. Si magnæ corporum partes cito liquefaciendæ ſunt, redigantur in minores, quæ momento ſphærulæ fiunt, atque ex his totidem, quot focus capit, conjungantur. Hoc enim modo cito etiam colliqueſcunt, atque in tantos coeunt globos, quantos alias non ita facile efficere liceret. Idem ſi in metallis obſervetur, & parvæ

quantitati jam fuſæ aliæ particulæ ſenſim ſuperaddantur, magna metalli pars in fluore detineri poteſt, v. g. argenti puri marca dimidia.

19. Si ſolidæ materiæ, quæ facile colliqueſit, portio quamvis exigua additur alteri difficilius fluenti, hæc facile in fluorem quoque redigi poteſt.

20. Id quoque ſingulare, duo corpora, v. g. ſilicem & cretam, quæ ſeorſim perquam ægre liqueſcunt, ſi certa in doſi conjungantur, facile colliquari.

21. Si cuprum pondere duos tresve Hollandicos trientes (duyt) æquans confletur, & in aquam ſtatim infundatur, incredibilem edit ſonum, qui etiam vaſa figulina ſatis valida disjicit. Quæ etiamſi perdurent, nullum tamen in ipſis cuprum reperitur, ſed totum in minutiſſima reſolutum avolavit; id quod nullo alio in metallo evenire ſolet.

22. Quoniam ex metallis unum altero avolat facilius in fluore, hinc unum per alterum purgari poteſt, v. g. aurum, plumbi adminiculo, brevi tam pulchrum fit ut in cupella.

23. Quandoquidem metalla in hoc igne ſuos non amittunt colores, aliæ quædam res iis poſſunt addi talesque colores, ut hinc oriantur gemmæ factitiæ pulcherrimæ pellucidiſſimæque.

24. Omnia alia corpora ſuos amittunt in hoc igne colores, ipſæque gemmæ ſtatim illis exuuntur, ita ut rubinus orientalis fiat omnis coloris expers.

25. Ex certis corporibus, quæ in globulos redacta diutiusque in foco detenta claritate ſemper augentur, ſi exiguam ſumas particulam, eamque in foco aliquo usque ſiſtas, globulus exinde pulchre fit pellucidus.

26. Quædam materiæ facile funduntur, & pelluciditate cryſtallum æmulantur, ſed dum refrigeſcunt, albæ fiunt & opacæ.

27. Aliæ contra ſunt, quæ dum colliquantur, ſunt opacæ, ſed ex foco remotæ refrigeſcentesque fiunt diaphanæ.

28. Rurſum aliæ formantur in pulchre diaphanos globulos, qui etiam dum refrigerantur tales manent, ſed aliquot diebus ſenſim pelluciditatem omnem amittunt.

29. Globuli quidam pellucidi tam duri fiunt ex certis corporibus, ut ſi in angulos ſculpantur, vitrum iis diſcindi poſſit.

30. Non-

30. Nonnullæ materiæ ſolidæ, ſi non adeo craſſæ ſint, peruruntur funduntur que, ut porcellana Hollandica.

31. Quando ſtannum cum plumbo in craſſiori lamina cuprea colliquatur, longe copioſior excitatur fumus, quam ſi ſingula ſeorſim fundantur, neque avolant plane, ſed ceſſante fumo remanet quid cryſtallo ſimile, ſeu materiæ, quam metallici Druſen vocant.

32. Certæ materiæ in fluore evadunt globuli maxime perſpicui, ſed qui extra focum non durant: his autem ſi admiſceantur aliæ certæ, in fluore alias nullam acquirentes pelluciditatem, plane fiunt manentque diaphani.

33. Si per magna talia vitra cauſtica Lunæ plenæ colligantur radii, magnum quidem fit luminis, non vero caloris augmentum, ita ut hinc materiæ maxime combuſtibiles nullam patiantur alterationem, ſed oculus ſine noxa ipſi foco adplicari poſſit.

34. Tandem valde curioſæ repræſentationes opticæ horum vitrorum adminiculo exhiberi poſſunt, dum objecta incredibiliter augent, effigies in picturis, ac ſi exſculptæ eſſent, repræſentant, cameram ſuppeditant obſcuram non vulgarem, atque ſi poſteriori eorum parti ſpeculum adhibeatur planum, omnia illa miranda exhibent ſpeculorum concavorum phænomena, & quidem præſtantiori ratione; ita ut v. g. imagines fere in diſtantia 6 ulnarum extra ſpeculum in aere appareant libero. Sed de his optices peritus conſulendus eſt, qui brevi tempore ea de his indicare poterit, quæ ne pluribus quidem verbis harum rerum imperitis hic poſſent exponi.

35. Quomodo tandem harum magnarum lentium ope conſtrui poſſint teleſcopia præſtantiſſima, atque hujusmodi microſcopia, quorum effectus antecellunt illos omnes, qui hucusque facti ſunt juris publici, & ſine tantæ magnitudinis vitris præſtari non potuerunt, ſuo tempore trademus, Lectorisque, ut ſperamus, ſatisfaciemus deſiderio.

*AD VIRUM ILLUSTREM, JACOBUM BORNIUM, JCt. Potentiſſ. Electoris Saxoniæ Conſiliarium Intimum, Epiſtola CHRISTFR. WÆCHTLERI, D.*

Dresdæ apud Jo. Conrad. Rüger, 1697. fol. 3½.

DE ſublimi jure Imperii in regna uno plura, ſcripta eſt ſuperiori

menſe Aprili, occaſione teſtamenti Caroli Magni, quod Pithœus edidit, totumque hic recitatur, præſens epiſtola. Mens igitur Imperatoris ut rectius indagetur, notandum duxit ab initio ſtatim Autor conſultiſſimus, pulchrum Carolo M. viſum fuiſſe, antequam conderetur adhuc teſtamentum iſtud, unum in terris exſtare ſummum rerum Regimen, cui reges omnes gentesque pareant, quodque ſuper cetera emineat. Cui inſtituto cum refragarentur Proceres Francorum, jugum perpetuum veriti, & Imperium in Francia ſempiternum fore, a nemine ſponderi poſſe objicientes, de antiquo ſtatu Francorum nihil fuiſſe ab Imperatore mutatum, teſtamentumque eo modo, quo exhibetur, conceptum. Ubi variæ artes circa ordinem trium filiorum, Caroli, Pipini & Ludovici, ac diſtributionem ipſam portionum regni Francorum ſecundum illam, qua tunc pollebat, amplitudinem, deinde circa occultum conſilium Imperatoris adverſus quævis ſubita caſuum humanorum, quodque & Ordinibus Proceribusque omnium populorum, qui tunc parebant, & legi fatorum veluti ipſi quodammodo hic ſatisfactum ſit ex ingenio, temperamento egregio inter deformem eligendi pruritum & abruptam legem fatumque cognationis ſervato, collaudantur. Sed & illud animadvertit Autor, diſcrimen gentium ac nationum, quas jure belli Teſtator domuiſſet, quæque pactis & conventionibus magis quam armis ac legibus obtemperarent, ſpretum hic tantiſper, neque de eo cogitatum videri. De Italia enim maxime quæſitum eſſe apud multos. Ac titulum illum belli, qui in Italiam Carolo M. vulgo tribuatur, pro Italia potius, ab oppreſſionibus Longobardorum liberanda interpretandum. Utrum tamen ille orandi cauſa Romam tunc venerit, cum alterum filiorum Longobardiæ, alterum Aquitaniæ Regem ab Hadriano poſt baptiſmum appellari pateretur, fidei autorum relinquendum cenſet. Non potuiſſe autem non jam tunc ſimultatem oriri in aula Orientis: cum nihil de Italia acquiri crederetur, quod non ereptum Græcis videri poſſet. Atque adeo ſolennem *Imperatoris* titulum Carolo M. a Pontifice, adclamantibus equidem omnibus, ſed invito Oriente, donec per crebras legationes pacaretur, conciliatum. Quumque Leo III ætati Caroli grandævæ parum fidens, arrepto quocunque miraculi cujusdam obtentu, ad illum excurreret, atque per dies octo de ſumma rerum inter filios partienda col-

collocutus eſſet, teſtamentum hoc, quod habemus, conditum, atque ab Optimatibus Francorum jurejurando confirmatum, & a Leone, cui per Eginhardum, omnium & Caroli & Leonis arcanorum conſcium, transmiſſum fuerit, ſubſcriptum refert. Et quanquam nihil in illo de Imperatoria dignitate, deque eminentia partis præ parte, ac ſublimi illo jure Imperii, quod diximus, diſerte cautum deprehendatur, ſed toto complexu nunc Regnum, nunc Imperium, nunc tria Regna, atque iterum tres partes appellentur, falſum tamen eſſe, diſpoſitioni Romani Pontificis hæc relicta arbitrioque, in Regno utpote, ceu fateatur Eugenius Lombardus, hæreditario. Accurate enim diſtinxiſſe Carolum Regnum ab Imperio, ubi de ſeipſo verba faciat fine teſtamenti. Quidque voluerit Teſtator, poſt mortem duorum filiorum, Pipini & Caroli, ab Ordinibus plenius intellectum & approbatum, quum Bernhardum, Pipini ex concubina filium, Italiæ præficeret, & Regem appellari juſſiſſet, Pipino tamen ſuccedere per omnia nollet, neque ei de regno Caroli defuncti quidquam adjiceret, multo minus Ludovico æquiparandum exiſtimaſſet. Et Bernhardum ipſum poſt obitum Imperatoris, genuinas teſtamenti illius rationes probe aſſecutum, tradidiſſe ſe Ludovico Pio procerem, & fidelitatem ei juramento promiſiſſe. Uſum etiam Ludovicum Pium Imperatorem jure ſuo, miſiſſe Bernhardum ad inveſtiganda ea, quæ Pontifici a primoribus Romanorum mox objiciebantur; & Pontificem ipſum, cognita cauſa, non Bernhardo, ſed Ludovico Imperatori per Legatos ſuos ſatisfaciendum perſpexiſſe ac judicaſſe. Quod argumentum ſublimis juris in Italiam haud leve Autori perhibetur. Idem conſilium perplacuiſſe Ludovico Pio, cum patrem per omnia, ſed præcipiti deſtinatione æquare feſtinaret, atque eundem dividendi ordinem inter tres filios, Lotharium, paulo poſt Imperii ſocium, Pipinum & Ludovicum tentaſſet. Hinc vocem illam auditam: *nequaquam nobis, nec his, qui ſanum ſapiunt, viſum, ut amore filiorum aut gratia unitas Imperii diviſione humana ſcinderetur.* Hoc Agobardum etiam monuiſſe: *ceteris filiis veſtris deſignaſtis partes regni veſtri; ſed ut unum regnum eſſet, non tria.* Et Bernhardi motus in Italia, quum tyrannidem, hoc eſt, abſolutum & plenum regnandi jus, quin ipſum Franciæ regnum affectaret, nihil quicquam valuiſſe apud Ludovicum Pium, eique & dignitatem & vitam

vitam abſtuliſſe ultrix fatum. Mutaſſe autem hunc Imperatorem animum, quum incidiſſet in Juditham, atque ex ea natus eſſet, qui poſtea Calvus dicebatur, Carolus: quod ægre tulerit idem Epiſcopus Lugdunenſis. Recitantur inde initia diſſenſionum, ac funeſtisſimi illius, quod poſt obitum Ludovici Pii deflagravit, inter ipſius filios tres ſuperſtites, Lotharium, Ludovicum & Carolum, belli civilis tum prætextus tum cauſæ. Hic vero ad Teſtatorem Carolum M. itum eſſe, atque ad genuinum intellectum teſtamenti noſtri, ceu normæ dividendi, ab ipſo Lothario, cui dignitatem nominis Imperatorii nemo dubiam feciſſet, fuiſſe provocatum. Carolum Calvum etiam per ipſum illum Nithardum, qui rem totam deſcripſerit, deprecatum, *permitteret ei Lotharius habere, quod illi ſuo conſenſu pater conceſſiſſet*, medietatem ſcilicet totius regni, *fidelem ſe illi & ſubjectum fore velle, ſi hoc faceret, ita ut primogenito fratri eſſe oporteret*. Ergo Nithardum iſtum, nepotem Caroli M. ex Bertha, & multis legationibus in aula Imperatoria functum, & jam provectæ ætatis, ſenſum interiorem eorum, quæ Carolus M. agitaſſet, probe calluiſſe, & *tantæ ſublimitatis*, quo verbo utatur ipſe, apprime fuiſſe gnarum, infert Autor. Calvum vero ad nutum Lotharii Imp. etiam a medietate regni Francorum mox receſſiſſe, *ſi regna* tenuiora, *quæ illi deputabat*, (vocabulo aulico & jam tunc ſueto) *quieta habere faceret*. Lotharium contra in belli diſcrimen rem totam deduxiſſe, atque ita prælio ad Fontanetum cauſæ illius vulnus ingens eſſe inflictum, accedente fœdere Argentoratenſi arctiore inter Carolum Calvum & Ludovicum Germanicum. Fœdus autem hoc cum diviſione Virodunenſi trium fratrum non miſceri debere, ceu factum a nonnemine, arbitratus eſt Autor. Namque illo nihil cum Lothario, ſed contra Lotharium fuiſſe tractatum. Sed & in diviſione Virodunenſi ad teſtamentum Caroli M. reſpexiſſe Nithardum conjicit. Atque hinc ad argumentum diſſentientium, quod *pares* vocentur Reges ceteri cum Imperatore dividentes, uberius reſpondet, & vel Blondellum ipſum in hac faba nihil quæſiviſſe aſſerit. Tuendam deinceps etiam diviſionem Lotharii Imp. inter filios tres, Ludovicum, Lotharium & Carolum ſuſcipiens, non repugnaſſe ait, ſi ſub uno Imperatore alii eſſent Reges, nunc plures, nunc pauciores. Ipſosque Francorum Proceres nimio dividendi

ſtudio

ſtudio hic peccaſſe ſtatuit, & ex recentioribus ſcriptoribus laudat Petrum de Marca, atque Jo. Schilterum, ſecum hic ſentientes. Jam Calvum ipſum Imperatorem ſtatim ad Caroli M. & Ludovici Pii, quin & Lotharii exempla reſpexiſſe dicit, cum Boſonem *Regem Provinciæ, (ut more priſcorum Imperatorum Regibus videretur dominari,)* ſe vero Imperatorem & Auguſtum *omnium Regum cis mare conſiſtentium* appellari præciperet, nimio regnandi ſtudio, & invito Servato Lupo, quo tamen ad diverſas legationes uſus fuerit; cujus Epiſtola C in hanc rem allegatur. Putatque Autor, mores illorum temporum, de quibus ſupra, atque adeo Pontificum etiam, ab Aimoino ipſo tangi ſubinde ac ſtringi. At multo magis pœnitentiam Italorum Francorumque enituiſſe in Carolo Craſſo, in quem tædio diviſionum illapſa potius ſit & Italia & Germania & Francia, quam in illius imperium conſenſerit. Ceterum nec iſtud recte & ex ſententia cecidiſſe; poſtremoque Caroli M. teſtamento ignobilem veluti executorem, Arnulphum Carlomanni ex concubina filium, fuiſſe datum. *Quinque* enim *Reges*, recitante Bœclero, ſtatim ordinatos, & regnum Francorum in quinque partes ſciſſum procubuiſſe, Imperio manente penes Arnulphum, *quatuor Regibus fidelitatem & obedientiam ei promittentibus, & nullo jure heredum.* Quem locum tamen judicavit Noſter poſtulare eruditum interpretem adhuc videri poſſe. Tandem inopia ſucceſſorum laboraſſe rem publicam, & verſa rerum facie Ducibus tantum non paruiſſe, qui imperarent. Sic in Ottone Saxonico, qui repudiarit hoc diadema, viguiſſe Imperium, Conrado uncto. Et Henricum, filium Ottonis, perſtitiſſe in hoc propoſito, diutiusque & pacatius imperaſſe, quam plures Carolinorum, eo quod tutiora ſecutus eſſet; & tanquam eſſet in domo Caroli M. natus, Ottonem filium Imperio præfeciſſe, teſtamento legitime facto, *ceteris filiis prædia cum theſauris diſtribuendo.* Atque hunc Ottonem Magnum, vindicem ordinationis Caroli M. in recuperanda Lotharingia, inſigniter laudare ait Theodoricum de Niem, elogio utriusque. Ita vero revixiſſe concludit inſtitutum Caroli M. quodammodo, quodque a Ludovico Pio varie tractatum, & a Lothario minus proſpere nec decenter animoſiusque quæſitum fuerit, a ſucceſſoribus autem neglectum ac prope ſepultum, novam formulam eamque correctam ac ſtabilem acce-

piſſe. Quæ omnia ex vetuſtiſſimis Annalium, quos frequentes adduxit, monumentis eruenda, & cum communi hactenus ſententia conferenda Autor nobiliſſimus cenſuit.

## *A COMMENTARY UPON THE SECOND BOOK OF MOSES &c.*
h. e.
## *COMMENTARIUS IN SECUNDUM, QUEM EXODUM APpellare ſolent, Moſis librum. Autore Vere Reverendo in Deo Patre, SYMONE EPISCOPO ELIENSI.*

Londini apud Rich. Chiswell, in 4. 1697. alph. 4.

PLurimum Reverendus Elienſis apud Anglos Eccleſiæ Præſul, cujus in Geneſin Commentarius in Actis anni 1696 p. 196 locum ſuum occupavit, inſtituti ſui in his ad Exodum obſervationibus quoque memor, id operam dedit potius, ut luculenta atque perſpicua textus Moſaici explicatione, inepte incredulorum atque addubitantium apud eos præcipue irritos redderet conatus, qui alia quam vernacula lingua ſacra oracula legere prohibentur, quam ut ſplendidis criticarum obſervationum, novarumque interpretationum apparatu, ingenii atque eruditionis famam aucuparetur. Quod ipſum effecit, ut non breves tantum atque concinnæ, ſed cujusvis quoque Lectoris captui attemperatæ, in hunc etiam Moſis librum notæ ſubnatæ illi fuerint. In quibus tamen, ne quid merito deſideret Lector paulo curioſior, ad Bochartos, Seldenos, Huetios, Marshamos, Druſios, aliosque eum paſſim ablegare non dubitavit, ſi quid forte eorum fuſior res ſacras tractandi ratio ad uberiorem ejus inſtructionem valeat conferre. Suo interea officio ſatisfactum exiſtimat, ſi ut perſpicui evadant, & nihil ſanæ rationi contrarium habere videantur ſenſus ſacri Scriptoris, interpretationibus ſuis effecerit. De quarum genio ut evidentius omnibus conſtet, mori inter nos recepto obſecuturi unam & alteram age producamus. Ad capitis
P. 41. itaque III comma 2, ubi Angeli Domini, Moſi per viſionem oblati, mentio eſt, animadvertendum in eos eſſe cenſuit, qui Angelum increatum, æternum Dei Filium, ibi intelligendum eſſe exiſtimarunt. Illa enim ſententia non periculoſa ei tantum videtur, cum Angeli nudam ſine omni addito appellationem Filio Dei tributam eo tendere appareat, ut melior, quam creaturæ, ejus conditio haud eſſe credatur:

datur: ſed ſtylo Scripturæ manifeſte etiam repugnare, quæ nunquam Angelum abſolute, ſed ſemper adjecta voce quadam, eum clarius deſignante, unigenitum Dei appellet. Excludendum tamen illum penitus haud eſſe in loco, de quo agimus, credit. Deſcribi enim in eo apparitionem Schechinæ, quæ & ipſum Deum, & Angelos, ut miniſterio ſuo ei adſint, præſentes complectatur. Angelorum autem unum, ſumma gloria circumfuſum, fuiſſe exiſtimat eum, qui conſpectui Moſis ſeſe ſtiterit, atque ipſa illa apparitione ſua Deum quoque præſentem eſſe teſtatus fuerit. Qui proinde etiam in ſequentibus Moſen proprio, ut ita dicamus, ore affatus eſſe dicatur. Ad capitis IV comma 16, ubi Moſes Deus Aaronis vocatur, obſervat, Juſtinum Martyrem (Apol. II. p. 10.) Diodori Siculi autoritate affirmare, Θεȣ̃ cognomine celebratum inter Judæos Moſen fuiſſe. Sed male acceptum a Juſtino Diodorum recte monet, quod eo magis mirandum videtur, quod ita corruptum ejus locum exhibuerit, ut nullum plane ſenſum aliqua ſui parte admittat. Minus forte, ut id loco minime alieno hic obſervemus, mirum, quod eundem locum aliter non tantum, quam hodie apud Diodorum, ſed etiam quam apud Juſtinum legitur, repræſentaverit Cyrillus, in primo doctiſſimi contra Julianum operis libro (p. 14.) Cyrillum enim cum Juſtino contendenti obſcurum non erit, non inſpecto ipſo Diodoro, ab hoc locum ejus Cyrillum accepiſſe, cui tamen cum ſenſum omni ex parte haudquaquam cerneret conſtare, ex ingenio medelam afferre non dubitavit. Ut autem ad Rev. Autorem noſtrum redeamus, non abs re fore ducimus, ſi breviter ſaltem allata ejus in comma 26 capitis IV paraphraſi, quæ ejus de illius ſenſu ſit opinio, indicemus. Ita igitur illud exponit: *Cum itaque dimiſſo Moſe retro in patriam viam ingrederetur Zippora, dixit ad eum: memento vitam tibi a me fuiſſe ſervatam, teque adeo denuo quaſi, profuſo filii mei ſanguine, conjugali vinculo, quod rumpere mors jamjam parabat, mihi eſſe conjunctum.* Simili modo verba Exodi VI, 3 quomodo accipienda ſint, breviſſime exponit. Poſtquam enim ſolicite obſervandam eſſe ipſam Dei phraſin docuiſſet, utpote qui non ſine cauſa dicat, *nomine meo JEHOVA haud innotui iis*, non *nomen meum JEHOVA haud innotuit iis*; hunc ῥήσεως illius ſenſum ſuppeditat: haud innotui iis eo quod nomine iſto meo ſignificatur; id eſt, nondum feci, ut reipſa fierent atque

p. 69. p. 78. p. 91.

eſſent (eſſe enim atque exiſtere, verbum unde Jehovæ nomen derivatur, ſignificat) omnia ea quæ gratioſa promiſſione iis pollicitus
p. 143. ſum. Capitis VIII comma 26 explicans, parum tuta incedere via, illos credit, qui ex veneratione, qua Ægyptii proſequebantur animalia ab Iſraelitis Deo mactanda, illud illuſtrare conantur. Ipſos enim etiam Ægyptios hujusmodi animalibus in ſacrificiis uſos eſſe, ex Herodoto evincit. At enimvero delectu admodum curioſo, variisque ritibus in iis offerendis, apud illos opus fuiſſe, ex eodem Herodoto probat. Cujusmodi ſacræ ceremoniæ cum ab Iſraelitis fuerint negligendæ, abominationes Ægyptiorum ſacrificaturi merito dicantur. Claudat denique hocce obſervationum Rev. Viri, ſpeciminis
p. 551. loco adductarum agmen, ejus de Urim & Thumim ſententia. Eo nimirum propendere ille videtur, ut diverſam eſſe illam ornatus ſacerdotalis partem a duodecim gemmis, quadruplici ordine diſpoſitis, non credat; atque id e collatione ejus, de quo loquimur, textus cum Exodi XXXIX & Levitici VIII capitibus, in quibus repetitur ſacerdotalium ornamentorum enarratio, nulla Urim & Thumim, ſed duodecim tantum iſtorum lapidum facta mentione, confirmari poſſe putat. Urim & Thumim autem, h. e. lucis & perfectionis nomen lapidibus illis inde adhæſiſſe cenſet, quod fulgidiſſimos lucidiſſimosque in ſuo genere illos eſſe oportuerit: quodque omnia, quæ ad pectorale ſpectabant, annuli nimirum, catenulæ & reliquus ejus apparatus, perfecta eſſe debuerint atque abſoluta, antequam gemmæ iſtæ illi affigerentur.

## *REFLEXIONS SUR LES DROITS DE LA CONSCIENCE &c.*
id eſt:
## *CONSIDERATIONES JURIUM CONSCIENTIÆ, AUCTORE ELIA SAURINO.*

Ultrajecti apud Antonium Schouten, 1697. 8. Alph. 2.

SIntne diverſa circa religionem ſentientes in republica ferendi, haud ſemel quidem, præſertim tamen noſtra ætate, tum alibi, tum maxime in Belgio, acriter diſceptatum eſt. In tres vero claſſes aciesque diverſas abeunt, qui in hocce certamen deſcendunt. Quidam
Part. I. adeo nemini, quod ita nec aliter ſentiat, fraudi eſſe debere conten-
Sect. I. dunt, ut quibusvis quidlibet & ſentiendi & docendi concedenda ſit liber-

libertas. Hos *Indifferentes* vocare ſolent, princepsque & anteſignanus illorum hodie eſt, ſi Saurino credimus, Auctor *Commentarii Philoſophici ſuper hæc verba : compelle eos intrare.* Nonnulli dum hocce vitare vitium volunt, in contrarium currunt, limitesque ſummorum Imperantium poteſtati ab ipſo Deo ſcriptos, ultra quam par eſt, extendunt, eosque ſine diſcrimine in quosvis diſſentientes armant, gladiumque ſtringere jubent. Hi *Intolerantium* nomine veniunt, principemque, judice Saurino, ac præcipuum propugnatorem hodie habent Auctorem libri, cui titulus: *Jura duorum ſummorum Imperantium*; hoc eſt, ut haud obſcure Saurinus innuit, & nobis quoque jam obſervatum eſt menſe Octobri A. 1691. pag. 456, ipſum Jurium. Qui medium inter hoſce locum tenent, & *Tolerantium* nomine inſigniri poſſunt, nec libertatem quidvis ſentiendi aut ſtatuendi concedunt, nec promiſcue in ſecus ſentientes ſæviunt, ſed mediam tenent viam, & quando errantes ferre, quando graviori coercitione eos in ordinem redigere fas ſit, Scripturæ ſacræ & rectæ rationis ductum ſecuti, exponunt. Hos inter & nomen ſuum profitetur Vir clariſſimus Elias Saurinus, quippe cui in præſenti opere conſtitutum eſt accurate oſtendere, quo pacto tum Indifferentium, tum Intolerantium ad præcipitia ducentes errores evitare queamus. Quod ut rite efficiat, de juribus & obligationibus conſcientiæ, tum veræ, tum errantis, ut & de peccatis, quæ vocantur ignorantiæ, & contra conſcientiæ dictamen perpetratis, nonnulla præmittit: hinc Commentarium Philoſophicum ſub examen revocat: porro Auctoris de Juribus duorum ſummorum Imperantium placita a veritate aliena caſtigat: & denique ſuam ſententiam de poteſtate ſummorum Imperantium in conſcientias ex inſtituto explicat, firmat, roboratque, & ſecus ſentientium argumenta diluit.

Quod ad primũ attinet, poſtquam monuit, conſcientiæ nomine ſibi venire judicium hominis de ſe ipſo reſpectu legis ſupremæ, & hinc quid conſcientia vera & erronea, bona & mala ſit, definivit; poſtquam etiam obſervavit, ſe per obligationem conſcientiæ nihil aliud intelligere, quam officia, ad quæ homo per conſcientiam obligatus eſt; per jura autem & privilegia conſcientiæ, poteſtatem, quæ per conſcientiam, ut agere aliquid aut omittere queamus, nobis competit; ſupponit, Sect. II.

 (1) De-

(1) Deum quædam nobis præcepiſſe, alia vetaſſe. (2) Deum non tantum ad certas actiones edendas, ſed etiam ad veritatem quarundam rerum cognoſcendam nos obligare. (3) Homines ſæpe leges Dei, tum præcipientes, tum vetantes, ex conſcientia erronea migrare, h. e. ut ſuæ conſcientiæ obediant, non obedire Deo, adeoque ex errore & ignorantia peccare. (4) Ignorantiam vel involuntariam & invincibilem eſſe, vel voluntariam, idque tum directe, tum indirecte. (5) Tres eſſe ſpecies ignorantiæ voluntariæ; aliam initio voluntariam & vincibilem eſſe, ſed poſtea & involuntariam & invincibilem fieri; aliam invincibilem eſſe quoad potentiam proximam, ut in ſcholis loqui amant, ſed vincibilem quoad potentiam remotam; aliam denique nunquam plane invincibilem eſſe. (6) Ignorantiam juris pariter ac facti alicui fraudi eſſe poſſe, cum vinci & exui potuerit; ignorantiam autem juris nunquam plane invincibilem eſſe, ſaltem ratione præcipuorum officiorum, quæ homo erga Deum & alios præſtare tenetur. (7) Ignorantiam atque errorem multum inter ſe differre: adeoque ex eo, quod detur ignorantia involuntaria & invincibilis, non ſequi, talem quoque dari errorem: omnem quoque errorem recte in vitio poni; ignorantiam autem adeo non vitium crimenque ſecum trahere, ut hujus auctor non raro ipſe ſit Deus, qui tamen ſine ſacrilega impietate, erroris cauſa auctorque dici nequeat: accedere, quod multæ cauſæ obſtent, quo minus interdum homo ignorantiam exuere poſſit, aſt ut ſecus quam res ſe habet judicet, hoc eſt, ut erret, nulla unquam neceſſitate eum adduci. (8) Omnes errores, quantumvis innoxii nobis videantur, ex corrupta indole noſtra pravaque voluntate procedere. (9) Judiciis temerariis & falſis ea non eſſe annumeranda, quæ de re aliqua non aliter ſtatuunt, quam rationum indoles patitur; ut ſi quis non certo vera, ſed veroſimilia tantum judicet, quæ apodictica certitudine deſtituuntur. (10) Errores non eſſe unius ejusdemque generis. Alios in iis rebus committi, in quibus errari humanæ ſocietatis non adeo refert: alios autem directe in Deum, aliosque homines injurios eſſe; & hos majus vitium ſecum vehere, magisque voluntarios cenſendos eſſe. Quibus hunc in modum præmiſſis, & variis rationibus comprobatis, tribus propoſitionibus ſuam de hoc argumento ſententiam includit. Prima hæc eſt: quicunque ſecundum conſcientiam erroneam agit, in iis quæ Deus præ-

præcepit aut vetuit, peccat: migrat enim legem Dei, adeoque culpa non vacat, ſed pœnam delicto huic debitam promeretur. Secunda propoſitio hæc eſt: peccat homo, qui agit contra dictamen conſcientiæ erroneæ, committens ſcilicet, quod a Deo prohibitum credit, & intermittens, quod credit a Deo præceptum. Hinc elicit tertiam propoſitionem: quicunque errat in jure Divino, eodem tempore obligatus eſt ad faciendum, quod conſcientia erronea dictitat, & non faciendum; e.g. quicunque firmiter perſuaſus eſt, Jovem verum eſſe Deum, obligatus eſt ad eum adorandum, & ad non adorandum. Haſce propoſitiones multis rationibus operoſe adſtruit: cumque in ultima, manifeſta diverſarum obligationum pugna eſſe videatur, idque potiſſimum Auctor Commentarii Philoſophici urgeat, oſtendit, etiamſi hic pugna ſubeſſe videatur, revera tamen nullam eſſe. Enimvero quoties duæ ejusmodi obligationes concurrant, unam, v. g. per quam ſolum Deum adorare obſtringimur, abſolutam eſſe, alteram hypotheticam, v. g. qua Pontificius obligatus eſt ad adorandam B. Virginem Mariam, cum hæc falſo & erroneo judicio innitatur; quod ſi mutetur, isque veritatem agnoſcat, obligationem quoque ſtatim exſpirare. Denique cum ſuæ ſententiæ decantatum iſtud Theologorum quorundam effatum, *Conſcientia erronea ligat, non obligat*, objici poſſe videat, in ejus ſenſum inquirit: putatque, hoc ſibi non obſtare, cum τὸ ligare obligationem hypotheticam, τὸ obligare autem abſolutam denotet. Idque Ameſii pariter ac Johannis Dallæi teſtimoniis comprobat.

Peccata autem per ignorantiam commiſſa dum comparat cum peccatis contra conſcientiam perpetratis, eos in magno verſari errore contendit, qui exiſtimant, his illa ſemper eſſe leviora: cum fieri poſſit, ut qui per ignorantiam peccat, graviori crimine ſe obſtringat, quam qui contra conſcientiam aliquid admittit. Idque inde provenire, quod gravitas & levitas delictorum, non ex ſcientia aut ignorantia juris (quanquam & hæc omnino aliquid huc conferat, quin ſi hactenus delicta ſint æqualia, rem omnem conficiat) ſed ex variis circumſtantiis, quæ actionem comitantur, pendeat. Sic, ut ex pluribus, quæ affert, exemplis unicum adducamus, Principes Judæorum, qui Servatorem morti tradiderunt, utut ex ignorantia hoc fecerint, citra controverſiam gravius peccaſſe putat, quam Pe- Sect. III.

trum,

trum, dum Chriſtum contra conſcientiam abnegavit. Majorem enim in illis fuiſſe malitiam, & ad peccandum obſtinationem, quam in hocce fuit.

Part. II. Sect. I. Hæc ſtadia emenſus, demum cum Auctore Commentarii Philoſophici in arenam deſcendit. Errores ejus, præcipue quos Saurinus ſubinde ſibi debellandos ſumſit, hi ſunt: Deum nobis non dediſſe medium certum, & quo falli non queamus, diſcernendi ab errore veritatem, etiam in religione: quin eum ita nos condidiſſe, ut bonum eligere, non cognita ratione quare id eligamus, poſſimus: ignorantiam atque errorem illorum, qui bona fide errant, hoc eſt pravitate voluntatis abrepti ſe ipſos in errores non dant præcipites, pro invincibili reputandum, omnique culpa coram tribunali Divino ejusmodi homines carere; Deum citra injuſtitiæ crimen a nobis exigere non poſſe, ut inveniamus veritatem, aut ut certi ſimus nos illam inveniſſe; ſed ut quæramus ſolum veritatem ſummo ſtudio, & id amplectamur, quod nobis verum videtur, etiamſi hoc ipſum abſurdiſſimus, qui unquam excogitari potuit, ſit error; & ut nos componamus ad regulas iſtius veritatis, quam deprehendiſſe nobis viſi ſumus: omnes actiones noſtras bonas juſtasque fore, Deoque placituras, ſolum quia ad dictamen conſcientiæ ſuſceptæ editæq; ſint. Ex quibus omnibus porro concludit, errantis conſcientiæ eadem jura eſſe, quæ veræ ſunt, veritatemque non melioris conditionis eſſe quam errorem. Hæc & ejusmodi alia principia per Commentarium huncce Philoſophicum ſparſa ſunt: quæ Saurinus, nullo ſervato ordine, ſed veſtigiis Auctoris inſiſtens, paſſim redarguit. Nos, ut intra noſtros limites nos cohibeamus, paucis ſolum, quæ ad caput cauſæ pertinent, ex obſervationibus Saurini decerpemus. Præcipuum hoc eſt, quod docet, primum Auctoris hujus principium citra ambages ad Pyrrhoniſmum ducere: unde & rejicit, quod idem porro docet, ſi quis ex neſcio quo orbis angulo provolaret, novam nobisque non auditam doctrinam profeſſurus, eodem jure nos obſtrictos eſſe ad placita ejus audienda, quo Americani vel aliæ gentes, veritatem Chriſtianæ religionis nondum edoctæ, obſtrictæ ſunt ad eos audiendos, qui doctrinam cœleſtem illis impertituri, ad eos accedunt. Maximum enim docet Chriſtianos inter & illas gentes intercedere diſcrimen, cum illi de religionis ſuæ veritate plane ſint convicti

victi, eamque evidenter cognitam habeant, quod de aliis gentibus aſſeri nequit. Dum vero Auctor Commentarii Philoſophici ad capitalem errorem ſuum, quod ſcilicet nemo mortalium mendacium erroremque a veritate certo diſcernere poſſit, palliandum, a ſenſibus ad rationem argumentatur hunc in modum: plerique mortalium, quæ guſtu & tactu aliisque ſenſibus percipiunt, evidenter ſe percipere putant, & nihiloſecius falluntur; ergo idem illis contingere poteſt, dum putant ſe evidenter hujus vel illius rei veritatem cognoſcere: non impune illud fert, ſed magnopere Saurino vapulat. Enim vero fieri poteſt, inquit, ut in rebus ad ſenſum pertinentibus, ſi duo ſint, qui diverſa ſentiunt, unusque amarum eſſe judicet, quod alteri dulce videtur, neuter fallatur; quod harum rerum veritas certo modo a relatione ad ſenſus pendeat: aſt falli eum turpiter, qui de ratione idem aſſeveraverit, v. g. quod reſpectu unius bis duo poſſint eſſe quatuor, reſpectu alterius autem quinque; cum veritas plane non ab opinione hominum pendeat. Sed in ſpecie de religione aſſerit Auctor Commentarii Philoſophici, Deum veritati, quam nobis revelavit, ſaltem plerisque veritatis cœleſtis capitibus, non addidiſſe ſignum aut characterem, cujus beneficio cognoſci poſſet, hoc verum, illud falſum eſſe: ea carere evidentia geometrica & metaphyſica, nec magis firmam in nobis progignere perſuaſionem, quam ipſi errores progignunt: quin errores easdem paſſiones in nobis excitare, quas hæ veritates excitare posſunt. Unde porro concludit, Deum non minus nobis impoſuiſſe neceſſitatem amandi veritatem, quæ talis ſaltem nobis videtur, licet non ſit, quam veritatem, quæ revera etiam talis eſt. Sapientiam enim infinitam Numinis exigere, ut leges ſuas attemperet ad rationem & indolem eorum, quibus eas tulit, nec illis imponat quid, quod illorum vires infinitum in modum excedit. Jam vero cum veritatis accurata cognitio mentis noſtræ vires excedat, falli eum qui putet, Deum hanc a nobis exigere. Hic vero Saurinus Auctorem palam impietatis & blaſphemiæ poſtulat. Diſerte eum contradicere divo Paulo Apoſtolo Rom. I, 19. 20. palam aſſerenti, illud quod de Deo cognoſci poteſt, hominibus manifeſtum eſſe: evertere illum velut unico ictu univerſam Scripturam ſacram, quæ teſtetur, hominem obligatum eſſe ad cognoſcendum verum Deum creato-

 rem

rem cœli & terræ, eumque ſecundum ejus voluntatem adorare præcipiat; quæ idololatris cœcitatem atque ſtuporem exprobret, & æternis cruciatibus cœcos ductores una cum illis, qui eos ſequuntur, adjudicet. Secundum hocce principium, inquit, ſupervacaneæ fuiſſent preces Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quibus apud Patrem pro illis, qui per ignorantiam illum cruci affigebant, interceſſit. Non enim potuiſſet ab illis exigi, ut Jeſum pro Meſſia reciperent, cum eosdem veritatis characteres deprehendiſſent in hac propoſitione: Jeſus filius Mariæ eſt impoſtor, ac in illa: Jeſus filius Mariæ eſt Chriſtus & filius Dei viventis. Fruſtra, ſi hæc admittantur, Johannes ſuos adhortatus fuiſſet, ut explorarent ſpiritus: nec operæ feciſſent pretium Berrhoenſes, doctrinam Apoſtolorum cum Scriptura ſacra conferentes, cum, deprehenſa etiam Scripturæ ſacræ & prædicationis Apoſtolicæ convenientia; non tamen certi eſſe potuiſſent, an ſeductores ſint Apoſtoli, nec ne? Suam interim prodere Auctorem ignorantiam, quod diſtinguere neſciat inter perſuaſionem & convictionem. Poſſe aliquem ſibi perſuadere aliquid, quod a veritate abhorret: ſed convinci aliquem nullius rei, niſi quæ vera ſit, poſſe. De cetero licet religio deſtituatur evidentia metaphyſica & geometrica, ſufficere tamen, quod gaudeat evidentia morali; hanc vero neminem illi abjudicare poſſe. Quæ Saurinus porro in hocce Auctore notat atque refellit: quod ſatis profane diverſitatem religionum, cum rituum ac morum apud diverſos populos receptorum varietate contendat, Deoque eam adeo diſplicere non poſſe doceat, ut majori potius hæc ipſi cedat gloriæ: quod conſcientiæ erranti eadem tribuit jura, quæ veræ competunt: quod profiteatur, actionem contra conſcientiam perpetratam ſemper pejorem eſſe actione ſecundum conſcientiam commiſſa, itemque actionem bonam ex falſa perſuaſione perpetratam æque bonam eſſe, ac ſi ex vera perſuaſione fuiſſet profecta: quod jura conſcientiæ cum ejus obligationibus, & obligationes hypotheticas cum abſolutis confundat: quod aſſerat, omnes peccati Adamitici effectus neceſſario provenire ex ratione legum Divinarum: porro quod doceat, Ethnicum & Turcam æque certum de religione ſua eſſe poſſe, ac Chriſtianum; & id genus alia, ejusmodi plane ſunt, ut & indolem geniumque Auctoris Commentarii philoſophici, & diſputationis, quam Sau-

Saurinus adverſus eum inſtituit, rationem haud difficulter prodant atque demonſtrent.

In Sectione II Saurinus Tomum II Commentarii Philoſophici perluſtrat, & quæ ibi Auctor pro ſententia ſua adſtruenda attulerat, ſummo ſtudio refellit. Nihil aliud autem in eo Auctor Commentarii philoſophici agit, quam ut principia, quibus orthodoxos hæreticosque in eandem claſſem conjecit, magis probet, exemplis illuſtret, & dubia, quæ forte ſibi objici poſſe putavit, diſpellat. Hinc quid Saurinus ſibi datum crediderit, quilibet conjectura facile aſſecutus fuerit. Documento hæc ſint. Hominem, qui errat, ſed nihiloſecius ſummo ſtudio ſe ad legem Dei componat, pœnam non promereri, hiſce exemplis probat Auctor Commentarii philoſophici: ſi Princeps errore adductus regnum aliquod ſibi deberi credat, adeoque legitimum ejus poſſeſſorem ejiciat, eo tamen ejecto rempublicam bene adminiſtret, & omnes boni Principis partes impleat; num, inquit, iſte coram tribunali Divino, ut injuſtus uſurpator, aut ob rempublicam male geſtam, condemnabitur pœnamque luet? Item ſi Salomoni non ſuccurriſſet ratio veram matrem a falſa diſcernendi, & adeo infantem huic adjudicaſſet, eaque infantis compos ſumma cura & diligentia illum educaſſet, & artibus honeſtis erudiri curaſſet; num, inquit, vera mater eam ideo accuſare, aut ut vitium exprobrare potuiſſet, quod in infante educando bonæ matris functa fuiſſet munere? Saurinus hæc & alia ejusmodi exempla cauſam Auctoris parum aut nihil adjuvare pronuntiat: namque quæſtionem præcipue eſſe de hæreſi, ſive errore fundamentali circa religionem, qui nullo modo permittat, ut aliquis religioſe & rite legem Dei obſervare poſſit, cum fidem veramque charitatem ex mente noſtra ejiciat; unde omnes ejusmodi hominum actiones, quantumvis ſplendidæ, contaminentur. Sed errorem, cujus exempla Auctor attulit, ejus generis eſſe, ut non plane omnes hominis actiones inficiat, nec obſtet, quo minus aliquid bene recteque gerat. Sic errorem, quo quis inductus credit ſibi regnum aliquod deberi, non eſſe ejusmodi, ut impediat, quo minus errans, vir bonus & juſtus eſſe queat: adeoque & hunc multas actiones edere poſſe, quæ virtutum nomine haudquaquam indignæ ſint. Addit tamen, ſi populus legitimi Principis ſui jura edoctus, uſurpatori huic obſequium detrectet,

Sect. II.

trectet, hic autem vi armisque illum ad ſibi obtemperandum, parteſque legitimi Principis deſerendas cogat, cum ad rationem hac de cauſa Deo reddendam omnino obſtrictum eſſe, & omnia, quæ hinc conſequuntur, mala utique illi imputari poſſe. Nec aliter de altero exemplo ſentit. Educare infantem, eumque bonis imbuere artibus, ſunt certe actiones materialiter, ut loquitur, bonæ, nec error, in quo mater putatitia verſatur, eas malas reddit, cum error iſte ejusmodi ſit, qui charitatem ex corde non ſtatim expellat: quod ſi autem infans veram matrem agnoſcens, falſæ obedire nolit, hæc vero in illum ideo ſævire incipiat, multorum criminum, judice Saurino, ſine dubio ſe ipſam ream facit. Porro ut alterum ſpecimen adducamus, cum inter eos diſputatur, num omnis ignorantia atque error ſit conſequens peccati, Auctor Commentarii Philoſophici negantium ſententiam ita tuetur, ut provocet ad exemplum Adami, quem in ſtatu innocentiæ multa ignoraſſe dicit, etiamſi peccati omnis fuerit immunis, cumque peccaret, judicii infirmitatem prodidiſſe, ſeu perperam judicaſſe, quod tamen ex peccato fluere non potuerit, quia, cum primum peccaret, nondum peccaverat. Præterea cum Servator aliud quandoque præ ſe tulerit, aliud mente cogitaverit, nihil abſurdi eſſe putat, ſi dicamus, homines in ſtatu innocentiæ idem facturos fuiſſe: hinc autem fieri aliter non potuiſſe, quam ut alii fuerint decepti & in errorem adducti. Reſpondet ad hoc Saurinus, primo, ab ignorantia diſcernendo errorem, quæ hic ab Auctore Commentarii Philoſophici confundantur. Oppido enim hæc a ſe differre. Porro falſum Adami judicium, quod tulit, perperam verbum Dei cum blanditiis & perſuaſione fœminæ contendendo, fuiſſe effectum amoris ſui ipſius inordinati & pravi, & ambitionis, quam idea perfectionis majoris conſequendæ in eo excitarit. Præterea ipſum hocce judicium Adami maximum fuiſſe peccatum, ſive aliud peccatum præceſſerit, ſive non præceſſerit. Non omnia peccata ab alio peccato provenire, cum neceſſario unum fuerit primum, a quo ceu ex fonte veneno infecto, cetera deinceps profluant. Fuiſſe ergo errorem Adami aut primum peccatum, aut effectum primi peccati. Quod Auctor Commentarii Philoſophici de Chriſto Servatore aſſerit, id Saurinus ab impietate prope abeſſe cenſet. Paucis: reſtrictiones mentales & æquivocationes Jeſuitarum procul hinc faceſſere jubet: ſerio

enim

enim Chriſto conſtitutum fuiſſe ultra ire, niſi precibus ſuis diſcipuli interveniſſent. Conditionatam hanc voluntatem vocat, cujus aliquot exempla pro fert. De poſteris Adami, ſi in ſtatu innocentiæ manſiſſent, ita cenſet, ut concedat, phyſice eos potuiſſe decipi: aſt moraliter hoc fieri potuiſſe, negat. Licet enim aliquis eorum ſignis cum mente non convenientibus uſus eſſet, alter tamen ob perfectam, qua gaviſuri fuiſſent, prudentiam, non temere fuiſſet præbiturus aſſenſum: quin potius ratione ita uſuri fuiſſent, ut ſimile quid non fuiſſet illis metuendum. Sed hæc ſufficiant, ut quo pacto ſe habeant cetera, quæ in hunc modum diſputantur, utcunque intelligi poſſit.

Quæ porro in parte III & IV diſſeruntur, cum unius menſis penſum excedant, alio tempore recenſebimus.

*COMPENDIUM THEOLOGIÆ, IN QUO CAPITA CHRISTIANæ Fidei juxta cauſarum ſeriem per Theſin & Antitheſin plene & perſpicue traduntur, Scripturæque fundamentis confirmantur, adornatum a SEBASTIANO SCHMIDIO, SS. Theologiæ in Univerſitate Argentoratenſi P. P. Ordinario & Seniore.*

Argentorati ſumptibus Jo. Reinholdi Dulſſeckeri, 1697. in 8.
Conſtat Alphabetho uno & plag. 19.

CUm nullius temere opera parvi ſit æſtimanda, quæ in tradendis ordine decenti & accurato fidei Chriſtianæ capitibus eſt occupata; tum imprimis hoc Theologiæ ſanioris Compendium favore publico ſacrarumque litterarum ſtudioſorum applauſu eſt digniſſimum. Præterquam enim, quod auctorem agnoſcat Virum de Eccleſia Proteſtantium rebusque Theologicis præclare & eminenter meritum, *Sebaſtianum* nempe *Schmidium*, cujus graviſſimos utiliſſimosque labores ſæpius in his Actis recenſitos meminit Lector, a cujus ingenio quid niſi elaboratum ſtudio judicioque ſummo perfectum expectandum fuerit? in hoc ſane opuſculo concinnando ea videntur eſſe adhibita omnia, quæ in ejus generis ſcripto requiri modo poſſunt. Animadvertet enim, quisquis eidem ſe legendo dederit, & ſimplicitatem, & facilitatem, & juſtam denique perfectionem ubique elucere. Simplicitatem quidem in verbis, quæ ubique, quod in more poſitum habebat Auctor beatus, perſpicua ſunt, & intellectu facilia

lia: facilitatem vero in methodo ac ordine, qui nativus eſt, & res tractandas concinne convenienterque connectit: denique plenam in rebus ipſis exhibendis tractationem, quas ita exhauſiſſe videtur, ut ſint pauciſſima hujus argumenti, quæ ille non delibaverit. Atqui quis neſcit, hæc potiſſimum attendenda eſſe illi, qui in commodum juvenum, in Theologos ſe formantium, & diſciplinam omnium nobiliſſimam aggredientium, Theologiæ ſyſtematicæ compendium literis conſignare voluerit? Sed iſtud imprimis laborem hunc commendare poterat, quod ſecutus in eodem fere ſit Theologum in Eccleſia magni nominis & meritorum eximiorum, Jo. Gerhardum, qui prolixo ampliſſimoque operi, novem tomis & Exegeſi conſtanti, quicquid ad doctrinam Theologicam pertinet, videtur incluſiſſe; & hunc quidem adeo ſtudioſe ubique præ oculis habuit, ut & verba ejus retineat, & ordinem, ſuppletis & adjectis tamen iis, quæ in locis aliquibus deſiderari poſſe videbantur. Ut adeo Schmidianum hoc compendium aditum operi Gerhardiano majori facere, & egregie inſervire poſſit illis, qui puriorem fidei doctrinam veluti brevi expoſitam tabella deguſtare geſtiunt.

*BIBLIOTHECA PAROCHIALIS: OR A SCHEME &c.*

*i. e.*

*BIBLIOTHECA PAROCHIALIS, SIVE PRÆCIPUORUM DOctrinæ Chriſtianæ Capitum, in quibus omnes Parochi paulo accuratiori ſtudio verſari debent, Delineatio, una cum librorum ſtudiis eorum maxime inſervientium catalogo adornata a THOMA BRAY SS. Theol. D.*

Londini apud Rob. Clavel, 1697, in 4. plag. 19½.

REverendus hujus voluminis Autor ex iis eſt, qui propagandæ Chriſtianæ fidei in Americanis provinciis, Anglorum dominatum agnoſcentibus, operam ſuam addixerunt, quorum etiam ſtudiis commodisque eo potiſſimum inſervire voluit. Quamvis enim neceſſarium plane exiſtimet, ut in ipſa etiam Anglia parœciæ, ad unum aliquem, uti loqui amant, Vicariatum ſpectantes, communem quandam habeant bibliothecam, ex qua libros legendos depromere Paſtoribus liceat; in Americanis tamen provinciis, quo ob indigentiam ſuo ære emtos rariſſime Miſſionariis liceat aſportare libros,

vel

vel maxime opus eſſe putat; ut liberalitate eorum, quorum opes commerciis iſtarum regionum creverunt, hujusmodi Bibliothecæ inſtruantur. Atque eam ipſam ob cauſam præcipua Religionis Chriſtianæ capita, in quibus docendis potiſſima eorum, qui Chriſti doctrinam in iſtis oris propagaturi ſunt, opera collocari debet, percenſet, librosque iis accurate perdiſcendis inſervientes enumerat, ut de iis ante alios omnes coemendis ſoliciti ſint, quibus rei Chriſtianæ cordi ſunt incrementa. Imo & rationem oſtendit, qua & comparari & inſtrui conſervarique hujusmodi Bibliothecæ aptiſſime valeant. Quem ſcopum ſuum uti præſenti opusculo conſequi unice optat; ita deinceps in fratrum ſociorumque ſuorum gratiam, fuſiorem delineationem ſeſe editurum pollicetur, qua & fidei noſtræ ſingula capita, & ea, ad quæ illius vi obſtringimur officia, indicatis ſemper, qui iis penitius pernoſcendis adhiberi debent, & veteribus, & modernis Scriptoribus, haud paulo prolixius ſit perſecuturus.

*EMBLEMATA MORALIA, SCRIPTA QUONDAM HISPANIce a JOANNE DE BORIA; Latinitate donata a L. C. C. P.*

Berolini, apud J. M. Rudigerum, 1697. in 4. Alph. 1. pl. 3. cum figuris æneis.

QUanto magis in effingendis Emblematibus ingenioſi Hiſpani vulgo reputantur: tanto rectius de Republica Literaria cenſeri debet meritus, qui Emblemata hæc Moralia, jam quidem A. 1581 Pragæ, ſed Hiſpanico ſermone edita, Latino nunc induta habitu, in lucem iterum protraxit. Atque hæc quidem unicuique perluſtranda relinquimus. De Auctore vero eorum cum id unum in Præfatione monuerit Bibliopola, amplum eum ac honoratum locum in aula Philippi II Hiſpaniarum Regis tenuiſſe, id memorandum inſuper ex Nicolai Antonii *Bibliotheca Scriptorum Hiſpaniæ, qui poſt annum MD floruerunt*, duximus, fuiſſe eum celeberrimi illius *Franciſci de Borja*, Gandiæ in Regno Valentiæ Ducis, ac poſtea Jeſuitarum Sodalis tandemque poſt Ignatium & Lainium Præpoſiti Generalis, filium ſecundo genitum; Regium vero apud Rudolphum II Cæſarem Legatum, Mariæ Auſtriacæ Imperatricis & Margaritæ Hiſpaniarum Reginæ Oeconomum, nec non Philippo III Hiſpaniarum Regi a Conſiliis Status.

*HISTO-*

***HISTORIA ECCLESIASTICA NOVI TESTAMENTI, EDITA ex MSCtis CHRISTIANI KORTHOLTI, Profeſſoris apud Kilonienſes, dum viveret, Primarii.***

Lipſiæ, ſumptibus Gottfriedi Liebzeiti, 1697. in 4. Alph. 5. pl. 5.

PRolixos equidem Commentarios Eccleſiaſticos, antiquitatis ſacræ uberrimo apparatu refertos, condere decreverat Kortholtus celeberrimus, ſed morte præventus metam conſtitutam aſſequi haud potuit. Interim committere noluerunt hæredes beati Viri, ut prima velut operis illius lineamenta, aut penitus interciderent, aut ex ejus forſan Lectionibus non ſatis accurate excepta ab aliis ederentur; unde (id quod futurum nos jam anno 1694 menſe Junio p. 288 fuimus polliciti,) eadem ex ſchedis manu ipſiusmet Auctoris conſignatis publicæ luci nunc expoſuerunt. Sicut autem ibi ſeculorum a nato Chriſto omnium decurſus ad noſtra usque tempora, ſuccinctis quidem, aſt eruditis tamen narrationibus illuſtratur: ita eam in ſingulis methodum teneri obſerves, ut primo ſemper loco de Imperatoribus ſeculum quodque attingentibus, deque ſtatu, quem Eccleſia ſub iisdem habuit; mox de enatis ſecundum ordinata temporum intervalla Hæreticis Schiſmaticisque, & agitatis paſſim ſacris controverſiis; poſt de Synodis per orbem celebratis; ac tandem de Viris Fœminisque ſanctitate aut doctrina ævum ſuum illuſtrantibus ſermo inſtituatur, ſeculumque nullum ante finiatur, quam juvandæ memoriæ gratia brevis rerum hactenus commemoratarum repetitio annexa fuerit.

## LIBRI NOVI.

*Menſonis Alting Notitia Germaniæ Inferioris Antiquæ, qua hodie eſt in dicione VII Fœderatorum. Amſtelæd. apud Henr. Wetſtenium, 1697. in fol.*

*Petri Francii Specimen Eloquentiæ exterioris ad Orationem M. T. Ciceronis pro A. L. Archia accommodatum. Amſtel. apud H. Wetſt. 1697.*

*Le Opere di G.B.P. di Moliere, arrichite di belliſſime figure. Tradotte da Nic. di Caſtelli. In Lipſia, appreſſo Gio. Lodovico Gleditſch, 1698. 12.*

## ERRATA.

Pagina anni hujus 211, lin. 30. leg. *alii*. Pag. 213. lin. 23. leg. (*VHC*). *VRP*; ibid. lin. 25. pro *EG. VHC*, leg. *EG: VHC*. P. 215. lin. 18. pro *EP* leg. *EF*.

*** *** ***

# ACTA ERUDITORUM

Publicata Lipſiæ

Calendis Octobris, Anno M DC XCVII.

## *THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM, CONGESTUS a JO. GEORGIO GRAEVIO. Tomus tertius, quartus, quintus & ſextus.*

Trajecti ad Rhenum apud Franc. Halmam, & Lugduni Batavorum apud Petrum van der Aa, 1696 & 1697. fol. Conſtant 29 alph. 121 tabulis æneis majoribus, plurimisque minoribus.

INgentem Romæ, gentium dominæ, ſplendorem extitiſſe & magnificentiam, templorumque, fororum, baſilicarum, porticuum, theatrorum, circorum, aquæductuum, inſularumque copiam, parietinæ, quæ adhuc de tantis tamque inſanis ſubſtructionibus ſuperſunt, oſtentant. Has ex priſcis ſaxis, nummis, & veterum ſcriptorum monumentis explicatas, ac veluti redintegratas denuoque excitatas, ad poſterorum eorumque, qui Romam ipſam aut Italiam non accedunt, memoriam transmiſere & veluti oculis objecere docti viri, in libris editis admiranda hæc opera conſpicienda præbentes. Quas præſtantiſſimorum hominum lucubrationes colligere, & juſtis voluminibus compingere ſatagit doctiſſimi Grævii induſtria: cujus primordia, ſeu priores duos tomos, tribus abhinc annis editos, in Actis anni 1695 menſe Febr. p. 49 recenſuimus, idem nunc facturi, & quatuor, qui poſt priores iſtos duos in publicam lucem prodiere, tomos breviter enarraturi.

In tertium tomum doctiſſimus Collector congeſſit ſcriptores, qui Romæ veteris ſitum, ambitum, regiones, montes, aquas, portas, vias, vicos, inſulas, domos indagarunt: præmiſſis Franciſci Robortelli de *provinciis* p. 1. de *judiciis* p. 11. de *magiſtratibus Imperatorum* p. 37. de *gradibus honorum & magiſtratuum* p. 43. de *menſium ex nominibus Imperatorum appellatione* p. 23; nec non Junii Rabirii de ba-

*haſtarum & auctionum origine* p 17. Guidonis item Pancirolli de *magiſtratibus municipalibus* p. 47. & de *corporibus artificum* p. 17. haud facile obviis Diſſertatiunculis. Majoris operis & juſtorum voluminum menſuram implent, quæ ſequuntur, Barth. Marliani *topographia Romæ* p. 54. Onuphrii Panvinii *antiquæ Urbis imago* p. 203, quæ commentarium in Sexti Rufi *de regionibus Urbis* librum, qui p. 26. legitur, continet; Guid. Pancirolli *deſcriptio urbis Romæ*, & *de illius XIV regionibus* commentarius p. 317. Georgii Fabricii *Roma* p. 393. Alexandri Donati *Roma vetus ac recens* p. 469. plurimis elegantisſimis inſtructa iconiſmis.

In quarto tomo principem ſibi locum vindicat præclarum opus Famiani Nardini, *Romæ veteris* titulo conſpicuum, poſt ipſius obitum anno 1666 ab Octavio Falconerio lingua Italica editum, ſtudio Jacobi Tollii, antequam is anno ſuperiore vivis excederet, ex ea in Latinam translatum p. 877, cui præmiſſæ ſunt *quindecim tabulæ* nitidiſſimæ, loca & ædificia tam veteris quam novæ Romæ exhibentes, a Livino Cruylio concinnatæ, tanta cura & attentione, ut ne minima quidem res artificis diligentiam effugerit, ſed omnia in iis ad vivum verique ſimilitudinem accurate expreſſa ſint, referendæ ad adjectam topographicam Romæ tabulam a Joh. Bapt. Falda delineatam. Nardini ponderoſo operi breviores adjecti ſunt libelli: Oct. Falconerii de *pyramide C. Ceſtii Epulonis* ab Alexandro VII Pont. inſtaurata anno 1663, diſſertatio p. 1461. ejusdemque ad Carolum Datum epiſtola de *latere ex ædificii veteris ruderibus* anno 1661 eruto cum inſcript. TIT. ET. GALL. COS. TERT. D. L. EX. F. CAN. OP. DOLI. I. quam ſic explicat, *Titiano & Gallo Conſulibus Tertullus Decii Libertus Ex Figulina Canonis Operis Doliaris prima.* p. 1483. Iſaaci Voſſii de *magnitudine antiqua urbis Romæ* anno 1685 edita disſertatio p. 1493. Olai Borrichii de *antiqua urbis Romæ facie* liber anno 1687 excuſus p. 1517. Sexti Julii Frontini de *aquæductibus urbis Romæ* commentarius, cum notis Rob. Keuchenii p. 1625. Raph. Fabretti de *aquis & aquæductibus veteris Romæ* diſſertationes tres p. 1677. Jo. Chifletii de annulari vetere gemma, in qua *Aqua Virgo* expreſſa eſt, libellus p. 1779. Lucæ Holſtenii commentariolus in veterem picturam, quæ *Nymphæum* refert p. 1797. Ejusdem diſſertatio de *pila ſtaſſilari* p. 1803. & de *milliario aureo* p. 1806. Petri Ciacconii

nii explicatio *columnæ roſtratæ* p. 1807. Jac. Sirmondi explanatio antiquæ inſcriptionis, qua *L. Scipionis Barbati F.* expreſſum eſt elogium p. 1833. Joſephi Caſtalionis de *Pacis templo*, undé columna exempta in Exquilinum eſt translata, p. 1842. de inſcriptione *obeliſci* a Sixto V ante portam Flaminiam ſtatuti p. 1857. de columna triumphali *Imp. Antonini* per Sixtum V Paulo Apoſtolo conſecrata commentarioli p. 1939. Petri Angeli Bargæi de *everſoribus ædificiorum Romanorum* epiſtola p. 1867. ejusdemque de *obeliſco* ſupra memorato ad Sixtum V commentatiuncula p. 1893. Tomum hunc claudunt *fragmenta veſtigii veteris Romæ*, ex lapidibus Farneſianis, cum notis Jo. Petri Bellorii edita p. 1955.

Tomum quintum occupant potiſſimum ſcriptores, qui ſacra, cæremonias, & omnem religionis Romæ veteris cultum explicarunt. In quibus principem locum tenent Jac. Gutherii quatuor de *jure pontificio* libri Pariſiis 1612 primum editi, p. 1, in Præfatione a Cl. Editore paſſim notati. Sequuntur Jo. Andreæ Boſii (quo cive ob natales urbs noſtra gloriatur) duæ exercitationes, altera de *Pontifice Maximo Romæ veteris* p. 225, altera de *Pontificatu Maximo Imperatorum Romanorum*, Jenæ 1656 & 1657 evulgatæ. Mich. Ang. Cauſei de la Chauſſe *inſignia Pontificis Max. Flaminis Dialis*, *Auguris*, *aliorumque inſtrumento ſacrificantium*, tabulis XXV delineata p. 313. Auguſtini Niphi de *auguriis* libri duo p. 324. Julii Cæſ. Bulengeri de *ſortibus*, *auguriis*, *auſpiciis*, *ominibus*, *prodigiis*, *terræ motu & fulminibus* libri quinque p. 361. Jo. Bapt. Belli diatriba de *templo augurali* Toloſæ 1637 excuſa p. 541. Jo. Pierii Valeriani declamatio de *fulminum ſignificationibus* p. 591. Juſti Lipſii de *Veſta & Veſtalibus* ſyntagma p. 619. Ezech. Spanhemii de *nummo Smyrnæorum*, *inſcripto* ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, ſeu de *Veſta & Prytanibus Græcorum* diatriba, antehac Seguini ſelectis numiſmatibus antiquis Pariſiis 1672 editis adjecta, nunc vero luculentior & copioſior prodita, multisque nummorum aliorum explicationibus erudite illuſtrata p. 659. Hier. Aleandri explicatio *Tabulæ Heliacæ*, Pariſiis 1617 edita p. 602. Mich. Ang. Cauſei de la Chauſſe *Deorum ſimulacra*, *idolaque* tabulis XLII expreſſa p. 765. Jo. Bapt. Hanſenii de *jurejurando veterum* liber, Toloſæ 1614 editus p. 797. Stephani Trellierii de *jurejurando* diſſertatiuncula p. 869. Erycii Puteani de *antiquorum jurejurando* ſchediaſma p. 885. Marci Zuerii Boxhornii *quæſtiones Romanæ* Lugduni

1636 publici juris factæ p. 901. adjectis notis in Plutarchi Ῥωμαϊκὰ p. 974.

Tomo ſexto exhibentur Franc. Bern. Ferrarii de *veterum acclamationibus & plauſu* libri ſeptem, Mediolani 1627 editi p. 1. Petri Berthaldi liber ſingularis de *ara*, Nannetis 1636 evulgatus p. 231. Ben. Bacchini commentatio de *ſiſtris*, eorumque figuris ac differentia, cum notis Jac. Tollii, p. 407. Caſp. Sagittarii de *januis veterum* liber 1670 editus, cui analecta 1694 adjecit p. 407. Sequuntur ſcriptores de *re veſtiaria:* Laz. Bayfius p. 551. Octavius Ferrarius p. 605, qui tres ejus argumenti libros 1642, quatuor 1654, analecta eorum 1670 dedit. Albertus Rubenius p. 913. quam commentationem primus ante annos XXXIII edidit poſt mortem auctoris Grævius. Jo. Bapt. Donii & Bartoli Bartholini diſſertationes de *pænula* p. 1149. 1157. Aldi Manutii tres epiſtolæ de *toga Romanorum* p. 1189. *tunica* eorundem p. 1203. & *tibiis* veterum p. 1209. Claudit tomum Theophili Raynaudi tractatus de *pileo cæteriſque capitis tegminibus*, tam ſacris quam profanis p. 1213, qui ſub *Anſelmi Solerii* nomine, primum Lugduni 1655, & deinde cum multis figuris, minori forma, typis Amſtelodamenſibus 1662 prodierat.

## AN ACCOUNT OF REASON ET FAITH &c.
Hoc eſt
*RATIONIS ET FIDEI, PROUT AD MYSTERIA CHRISTIanæ Religionis referuntur, Conſideratio.* *Autore* IOANNE NORRIS A. M. *Bemertonæ prope Sariſburiam Rectore.*
Londini, apud S. Manship, 1697. in 8. Alph. 1.

NOn diſſimulat Rev. hujus opuſculi Autor, occaſionem ſibi primam dediſſe, ut iſtud ſcriptionis argumentum ſibi deligeret, librum non ita pridem in Anglia, titulo *Chriſtianismi nihil myſterii habentis*, evulgatum: cujus Autorem, in mox repetita editione ejus, Joannem Tolandum ſeſe profeſſum eſſe novimus. Librum iſtum tam procaci audacia atque irreverentia ſanctiſſimæ religionis noſtræ myſteria impugnare ait, ut conſtitutum initio habuerit, data opera eam, quam continet, doctrinam examinare atque evertere. Mox tamen, mutato conſilio, rectius ſibi facturus viſus fuit, ſi vera de iſto argumento ſententia ſtabilita, talia fundamenta ſterneret,

ſet, quibus bene conſideratis, arenæ ſuperſtructa eſſe Tolandi moles, atque ruinæ ſuæ imminere cuivis appareret. Quod ipſum ut eo facilius conſequeretur, brevem rerum potiſſimarum applicationem ad motas a Tolando controverſias, coronidis loco adjicere primum in animo habuit. Verum cum eam quoque nemini Lectorum valde difficilem fore poſtmodum ſecum reputaſſet, iſto etiam labore ſuperſedere ſe poſſe exiſtimavit.

Cum itaque ii, qui fidei myſteria in dubium vocare, imo aperto Marte oppugnare non verentur, nefarii iſtius facinoris nullam aliam habeant cauſam, quam quod fidem non mereri exiſti- p. 11.
ment, quicquid rationem humanam ſupergreditur; in hunc vero errorem ea ſola ex cauſa adducantur, quod veritatis menſuram, & canonem, ad quem exigenda veluti ſit, rationem eſſe ſibi perſuaſerint; hæc tanquam vera & genuina eorum principia, utcunque ea diſſimulare conentur, evertenda ſibi eſſe duxit.

Rem ipſam itaque a luculenta Rationis deſcriptione auſpicatur, per quam variis, quas vox admittere ſolet, notionibus remo- p. 24.
tis, nihil aliud quam intelligendi facultatem ſive ipſum intellectum ſeſe ſignificare ait. Uti autem ejus naturam atque eſſentiam de- p. 26.
ſcribere non audet, cujus nullam in mente ſua producere ſe poſſe ideam ingenue fatetur: ita in operationibus ejus explicandis haud paulo prolixior eſt. Et quidem initio ſtatim ſuum a vulgo Logi- p. 27.
corum teſtatum facit diſſenſum, qui tres intellectus ſeu mentis eſſe ſtatuunt operationes, *ſimplicium apprehenſionem*, *judicium*, *& diſcurſum*; cum *diſcurſus* tamen non tam nova aliqua operatio, quam *judicii* ſpecies ſit; utpote qui nihil aliud ſit, quam judicium de conſequente ex antecedente illato. Imo in eo etiam illos taxat, quod p. 30.
judicium atque diſcurſum ad intellectum referant, cum ad voluntatem potius pertinere videantur. Solam enim perceptionem intellectus eſſe operationem, inde patere exiſtimat, quod ſolum & unicum ejus objectum veritas ſit. In veritate autem cum nihil præter ideas earumque ad invicem relationes ſit obvium, conſequens eſſe cenſet, ut nihil præter illarum apprehenſionem intellectui relinquatur, adeo ut ubi rem ejusque ad alias res relationem perceperimus, eam intelligere recte dicamur. Jam itaque, inquit, p. 31.
ſi nihil aliud quam perceptio eſt, quicquid ad intellectum pertinet,

judicio ſane locus in eo eſſe nequit: aliud enim quid a perceptione judicium eſt, cum judicare de rebus perceptis dicamur. Idemque judicii a perceptione diſcrimen inde quoque eluceſcere ait, quod falli quandoque iſtud, hæc nunquam poſſit. Ad voluntatem itaque ablegandum eſſe judicium, cum nihil aliud ſit, quam ejus in repræſentationibus ab intellectu factis acquieſcentia, concludit, atque quod hæc ſententia cum quamplurimis principiis practicis explicatu alias difficillimis conſpiret, demonſtrare nititur. Excluſo itaque ex numero operationum intellectus judicio, dari ſibi poſtulat, unicam intellectus operationem perceptionem eſſe, cujus ut melius pateat indoles, vel ſimplicem eam eſſe dicit, quæ ſit idearum, vel complexam, quæ ſit relationis, quam ad ſe invicem habent ideæ. Hanc rurſum vel immediatam ſtatuit, quando ſcilicet relatio iſta menti innoteſcit ex nuda ipſarum idearum, de quarum ad ſe invicem relatione agitur, inter ſe comparatione: vel mediatam, quando nimirum ad relationem iſtam cognoſcendam opus eſt tertia aliqua idea, ſine cujus interventu illæ apte ſecum invicem non poterant contendi. Complexam iſtam perceptionem abſolvere eam quam vulgo dicimus *ſcientiam*, in ſequentibus docet, quam aſſenſum evidentem a nonnullis definiri reprehendit, cum *aſſenſus* voluntatis, non intellectus ſit. Eam autem, pariter ac perceptionem complexam, geminam, vel immediatam nimirum ſive intuitivam, vel mediatam ſive demonſtrativam eſſe, eodem inter utramque ac inter perceptionem complexam immediatam mediatamque intercedente diſcrimine, oſtendit. Ea quæ immediata ſcientia novimus, *principia*, quæ mediata ſcientia nobis innoteſcunt, *concluſiones* paſſim appellari obſervat, variasque diverſorum iſtorum cognoſcendi modorum affectiones indicat: quas tamen, ne in ipſo limine hujus libri nimis prolixi ſimus, merito prætermittimus. Ideoque ad ea progredimur, quibus non minus prolixe, atque accurate, in fidei naturam deinceps inquirit: quam poſtquam accurate a ſcientia & opinione diſtinxiſſet, *aſſenſum inevidentem* ſatis recte appellari largitur; qua tamen ratione iſta ei appellatio competat, fuſe perſequitur. Summa obſervationum ejus eo redit: Inevidentiam iſtam non eſſe quærendam in formali, uti ſcholæ loqui amant, fidei ratione, ſed in

Margin notes: p. 32. (beside "judicii a perceptione"); p. 36. (beside "ex numero operationum"); p. 37. (beside "contendi"); p. 37. 55. (beside "dentem"); p. 40. (beside "non intellectus"); p. 41. (beside "mediatam ſive"); p. 44. (beside "cedente"); c. II. p. 53 (beside "modorum"); p. 45. (beside "Summa").

in objecto ejus. Imo nec objectum undiquaque eſſe inevidens, ſed ea tantum, quæ ab intrinſeca ejus natura eſt, carere evidentia, & hanc quoque inevidentiam, non tam ad ſenſum alicujus propoſitionis, quæ fidei ſit objectum, quam ad veritatem ejus pertinere. Quin & cum veritas propoſitionis hujusmodi inevidens dicitur, non ita accipiendum id eſſe, ac ſi ſimpliciter & in ſe ſpectata ſemper talis eſſe illa debeat, ſed tantum quatenus objectum fidei eſt. Et p. 47. ex hac doctrina anticipando conſectaria nonnulla elicit, quæ eorum, quos impugnat, cauſam haud parum labefactare videntur: quorum præcipuum eſt, id quod ſupra rationem eſt, ſupra fidem ſtatim non eſſe, cum fides, divina imprimis, cui Dei autoritas omnis inſtar evidentiæ eſt, evidentiam in objecto nullam requirat. Inde vero de fide implicita & explicita nonnulla addit, atque ea occaſione ad p. 90. celebrem inter Scholæ Doctores quæſtionem delabitur, an ſcilicet ad intellectum, an, quod ipſi verum magis videtur, ad voluntatem p. 95. fides ſit referenda. Cum autem porro multum ad cauſam, quam agendam ſibi propoſuit, faciat probe intellecta inter id quod ſupra, & id quod contra rationem eſt, diſtinctio, quam omnibus viribus ut evertant, nituntur myſteriorum jurati hoſtes Sociniani; peculiari capite ejus explicationem ſuſcipit. Ubi poſtquam in Illuſtris c. III. p. 100 Boylii ea de re ſententia quædam deſideraſſet, ſupra rationem p. 116. 131. eſſe dicit id, cujus, poſtquam revelatum etiam eſt, modum & rationem aſſequi mentis acies nequit; contra rationem autem id eſſe putat, quod impoſſibile & contradictorium eſſe, menti humanæ eſt evidens. Utque eo clarius pateat, falſum eſſe, quod Sociniani ca- p. 123. villantur, nullum revera inter utrumque intercedere diſcrimen, manifeſtiſſimum id, ea inter ſe conferendo reddit, quin & ad exempla rerum provocat, quas rationem ſuperare, & veras tamen p. 127. eſſe, id eſt rationi non adverſari, ipſi qui illud diſcrimen vel maxime impugnant, non audeant negare, aliisque argumentis illud luculente confirmat, & denique objectionibus nonnullis reſpondet. p. 129. Atque ſic demum menſuram & canonem veritatis rationem hu- c. IV. p. 137. manam non eſſe, probare aggreditur. Licet enim Carteſii aſſeclis p. 143. concedendum eſſe putet, verum id eſſe omne, quod clare & diſtincte percipimus; nondum tamen hoc ipſo in eo, quod impugnat, faſtigio rationem collocari cenſet, cum verſa vice affirmare non li-

ceat,

ceat, quicquid clare & diſtincte non percipitur, illud falſum eſſe.
p. 146. Præcipuum autem, quo theſin ſuam firmat, argumentum illi eſt, quod id, quod canonis inſtar & menſuræ ad veritatem ſe habere debet, adæquatum illi, nec arctioribus quam ipſa circumſcriptum limitibus eſſe oporteat: talem vero rationem humanam non eſſe, tam ex ipſius natura, quam ex natura veritatis prolixe probat.
p. 149. Et hanc quidem quod attinet, infinitam eam eſſe evincit. Malebranchii namque, uti videtur, principia ſecutus, neceſſarias veritates atque æternas, quas a veritatibus contingentibus diſtinguit, nihil
p. 151. aliud eſſe quam relationes inter ideas: ideas autem illas divinas (cum immediatum intellectus noſtri objectum aliud non ſit, quam ipſæ ideæ intellectus divini, in quo omnia contemplemur) adeoque
p. 153. 167. infinitas eſſe docet, utpote quæ, id quod prolixe probat, eſſentiales Dei exſiſtant perfectiones, realiter, ut cum ſcholis loquamur,
p. 168. cum ipſo identificatæ. Tacemus reliqua, quæ pro veritatis infini-
p. 170 tate, tum ex divinæ naturæ, tum ex noſtrimet contemplatione
p. 174. depromta urget: quin potius ad alteram argumenti ipſius partem, qua rationis humanæ finitam & limitatam naturam expendit, ut finitum infiniti menſuram eſſe haud poſſe concludat, deveniamus. Eam itaque allatis compluribus ignorantiæ noſtræ, in rebus etiam, quæ ſenſibus ipſis ſunt expoſitæ, exemplis abſolvit, nec opus eſſe putat, ut multum urgeat corruptionem, quæ a peccato ei obtigit, cum natura ſua ſatis ſit circumſcripta, firmoque adeo fundamento concluſionem ſuam inniti perſuaſus, objectiones quasdam ad evertendam illam com-
p. 177. poſitas ab ea depellit. Præcipua eſt, humanam rationem, licet omnes veritates non aſſequatur, aſſequi tamen omnes poſſe, modo ipſi proponantur, adeoque veritati non collective quidem (uti clar. Autor loquitur) ſed diſtributive tamen acceptæ eſſe accommodam.
p. 178. Ad quam ita reſpondet, ut & adæquatam veritati dici non poſſe ratio-
p. 179. nem, ſine collective acceptæ veritatis cognitione, oſtendat, & in-
p. 183. certum eſſe demonſtret, an diſtributive etiam acceptæ veritati ratio noſtra viribus ſuis exacte reſpondeat; imo potius id ipſum, quod univerſam in tota extenſione ſua veritatem animo complecti non valeamus, ineptos nos reddere particularibus quoque cognoſcendis
p. 184. veritatibus oſtendit, & petito ab intellectui noſtro obſcuris providentiæ divinæ myſteriis exemplo luculente confirmat. Imo plane
ni-

nihil efficere iſta objectione adverſarios demonſtrat, cum infinita non tantum quoad extenſionem ſuam conſiderata veritas ſit, ſed in ipſa quoque natura ſua ſpectatæ infinitæ particulares veritates exiſtant, utpote quæ, ut ſupra ab eo probatum fuit, ideæ divinæ ſint ad ipſam Dei eſſentiam pertinentes, & in natura ſua infinitæ; quotquot nimirum earum abſolutæ ſunt, ad ſubſtantiam divinam in ſeipſa conſideratam pertinentes, non relativæ & creaturarum (ut loqui amat) repræſentativæ, utpote quas ut finitas conſiderandas eſſe, non diffitetur. Aſt vero licet etiam concedatur, finitam eſſe veritatem, fieri tamen poſſe oſtendit, ut ejus menſura non ſit humana ratio, cum probari non poſſit, æqualibus terminis utramque circumſcribi atque finiri. Imo ne poſſe quidem vel hoc modo eam veritatis menſuram eſſe exiſtimat, idque propterea, quod ipſa experientia nos doceat, multarum rerum nos deſtitui ideis, quodque cognitio unius rei, quam nonnunquam affectamus, pendeat ab idea alterius, qua penitus deſtituimur. Quod ubicunque accidit, utut vel maxime finita veritas, in qua indaganda verſamur, ſit, non magis tamen a nobis addiſci poteſt, quam ſi omnino eſſet infinita. Sic v. c. quid ſit libertas, quid item præſcientia, novimus omnes; quod autem exacte ſatis aſſequi non valeamus, quomodo actus noſtri liberi præſcientiæ poſſint eſſe objecta, id inde unice eſſe putat, quod nullam habeamus, quæ animam noſtram nobis repræſentet, ideam. Poſtquam itaque hac ratione eviciſſet, incomprehenſibiles dari veritates, menſuramq; adeo veritatis rationem non eſſe, duobus inde deductis conſectariis finem huic diſceptationi imponit: quorum prius eſt, ut ne inviti nonnulla ignoremus; alterum eſt, quod ſuperius etiam adſtructum fuit, dari res quæ ſupra, non contra rationem humanam ſint, vanamque adeo illam diſtinctionem non eſſe. Concluſionem vero, quæ ex iſta doctrina elicitur, non licere ſcilicet contra veritatem cujusquam rei argumentari ex eo, quod ratio illam aſſequi non valeat, peculiari capite expendit. Hæc enim ſi procederet arguendi ratio, manifeſtum fore putat, eſſe menſuram veritatis rationem; id quod tamen falſum eſſe, hactenus copioſe dedit probatum. Atque adeo ut fidem aliquid nullam omnino mereri conſtet, non ſufficere oſtendit, ſi rationi inevidens illud eſſe demonſtretur. Cum enim non evidens veritas, ſed veritas in genere objectum fidei ſit, non inevidentem tantum, ſed falſam etiam

p. 192. p. 213. p. 217. p. 219. p. 227. c. V. p. 230. c. VI. p. 243 c. VII. p. 254.

jam eſſe rem, quam credi nolunt, myſteriorum hoſtibus probandum exiſtimat. Duas autem præcipue eorum, quibus cauſam ſuam tueri conantur, objectiones examinat, ad quorum primam, qua fidem eſſe dicunt actum rationalem, adeoque id quod ſupra rationem eſt credi non poſſe, diſtinctione reſpondet inter actum rationalem evidentia interna ſive objecti, & inter actum rationalem evidentia externa ſive rationis ſuæ formalis & cauſæ impellentis ſubnixum. Si priori ratione actus rationalis ſumatur, fidem talem eſſe negat; ſi poſteriori, concedit, ſed non procedere argumentum dicit: non enim ſequi ex eo, quod ratio cur aliquis credat evidens ſit, rem ipſam etiam creditam in ſua natura evidentem eſſe atque per-
p. 268. ſpicuam, nec proinde rationis captum ſuperare. Ad alteram autem objectionem ex Carteſii ſchola petitam, quæ aſſenſum præſtare prohibet ei, quod clare & diſtincte non percipimus, neutiquam vulgari diſtinctione inter res ad fidem & ad rationem ſpectantes reſpon-
p. 271. dendum putat. Namque & in rebus ad rationem ſpectantibus aſſenſum nobis nonnunquam extorqueri, licet eas clare percipere non valeamus, & fidei res clariſſima quandoque haud carere evidentia, oſtendit. Inter evidentiam itaque diſtinguendum potius eſſe cenſet, & in Carteſii canone non internam præciſe evidentiam, ſed quamcunque,
c. VIII. p. 282 ſive externam ſive internam, intelligendam eſſe putat. His vero ita ſtabilitis, genuinum denique rationis uſum in rebus ad fidem pertinentibus ob oculos ponit: atque primo oſtendit, in nulla re melius & officio hominis convenientius rationis vires collocari, quam in reli-
p. 286. gione examinanda. Deinde nullam religionem minus cauſæ habere rationis ſubterfugiendi examen quam Chriſtianam, quæ tota ſit cultus rationalis; cum Gentilis contra, ne ei exponeretur, omni integumentorum genere opus habuerit. Parumque adeo abeſt, quin calumniatorum dicam ſcribat Tolando ejusque ſimilibus, qui paſſim innuant, rationem abjuratam cupere eos, qui adverſas ipſis partes ſe-
p. 291. quantur. At recte ratione in rebus fidei eos tantum uti docet, qui examinent & inquirant, non an ratio aſſequi valeat ea, quæ ut cre-
c. IX. p. 294. dantur ei propoſita ſunt, ſed an a Deo ſint revelata. Et ſic denique hactenus dicta omnia ad myſteria Chriſtianæ religionis paulo propius accommodat, quæ eo quod ſupra rationem, atque adeo ei inevidentia ſint, ſupra fidem etiam eſſe, tantum abeſſe putat, ut poti-

us

us cum Malebranchio ex eo ipſo argumentum pro veritate eorum, ducat, ea quæ humana ratio percipere non valet, ab ea inveniri etiam non potuiſſe perſuaſus. Omittimus quæ ea occaſione de interpretatione Scripturæ, in qua ii, contra quos hic potiſſimum ſuſceptus fuit labor, ita verſantur, ut id quod ſupra rationem ſuam eſſe putant, clariſſimo litteræ ſenſu hæretica pravitate male detorto, eidem accommodent, monere clariſſimo Autori placuit: nec non ea, quæ ex hypotheſi eorum urgeri poſſe dicit, qui ne ſupra rationem quidem eſſe fidei Chriſtianæ capita cenſent: item quæ de voce myſterii contra Tolandum, qui eam nunquam de doctrina revelata & rationi impetſcrutabili, ſed de quacunque re deinceps manifeſtanda in S. Litteris uſurpari docuerat, affert. Quam objectionem non inutilem tantum ad præſens negotium eſſe judicat, ſed frivolam etiam, cum antiquiſſimam ſaltem Eccleſiam hoc ſenſu voce iſta uſam conſtet. Id ex coronide hujus opuſculi adhuc annotare liceat, inſigni elogio in ea Whiſtonum, de cujus tractatu anno 1696 edito alias dicturi ſumus, ornari, quem plane probabilem diluvii a Moſe deſcripti rationem reddidiſſe Autor cenſet, atque hoc ipſo exemplo procacem adverſariorum præcipitantiam reprimendam putat, qui eo ipſo ne de phyſicarum quidem, multo minus de propius ad fidem & religionem ſpectantium rerum, impoſſibilitate temere pronuntiandum eſſe, debeant edoceri.

## ספר חנוכת הבית

i. e.

*LIBER INITIATIONIS TEMPLI, SEU EXPLICATIO FIGURÆ ſtructuræque templi ultimi deſtructi, juxta omnem modum & diſpoſitionem ejus, tam generalem quam ſpecialem. Adjecta eſt ἰχνογραφία Templi univerſi; præterea nonnullarum partium ejus figuræ operi inſertæ ſunt.*

Venetiis e Typogr. Bragadin. A. 5456, i. e. C. 1696, in 4. Plag. 15.

MIrandum merito, viros doctrina & fama celebres illuſtrandis atque delineandis magnificentiſſimis Græcorum, Romanorum aliorumque populorum ædificiis, tantam operam impendiſſe; ædificium vero omnium longe magnificentiſſimum, Hieroſolymitanum nempe Templum, tam prius quod ædificavit Salomo Rex, quam poſterius quod devaſtavit Veſpaſianus, poſt tot Scripturæ ſacræ, Miſnæ

& Joſephi teſtimonia, intactum quaſi reliquiſſe. Quod ſi Chriſtianis ſcriptoribus vitio verti poſſit, e quorum numero tamen aliqui, ut *Joh. Bapt. Villalpandus*, *Lud. Capellus*, *Joh. Lightfootus* & *L. C. Sturmius* ad illuſtrationem magnificæ hujus molis nonnihil contribuerunt: Judæis exprobrandum maxime venit, qui ſi ullam aliam, hanc imprimis materiam negligenter tractarunt, cum de aliis nugis ſpiſſa ſatis volumina in lucem emiſerint. Præter ea enim, quæ hinc inde ſparſim apud Commentatores Talmudicos in Miſnicum tractatum Middoth, ea de re inveniuntur, & quæ *Jac. Jebuda Leo* libris IV de Templo Hieroſ. latine a Joh. Sauberto redditis, itemque *R. Jacob Jebuda Arjeh* Judæus Amſtelod. A. 5410, C. 1650, ſub titulo תבנית היכל, & alius *R. Lipman Levi Haler* Pragenſis ſequenti anno ſub titulo צורת בית המקדש הנראה ליחזקאל libros evulgarunt, paucos aut forte nullos alios deprehendes, qui ex profeſſo ſibi hoc præſumpſerint, ut digni aliquid de tam ſplendido ædificio commentarentur. Nuper vero (ut de Chriſtianis taceamus, inter quos publicato ante paucos menſes de Ara exteriori Templi ſecundi libello, ſibi laudem comparavit *Joh. Jac. Cramerus*, Tigurinus,) inter Judæos aliquis ſurrexit, qui Templi ſecundi figuram, diſpoſitionem, proportionem partium, magnificentiam, eleganter & ſatis, ut apparet, accurate, reſolutis omnibus, quæ apud reliquos Judæos reperiuntur, difficultatibus, deſcripſit in illo libro, quem hic exhibemus. Eſt is *R. Moſes* filius *R. Gerſom Chapetz*, uti in præfatione libri nomen expreſſum legitur. Cum vero prolixior liber ſit, quam ut omnium ejus LVIII capitum, quorum in ſingulis aliquam ædificii partem Autor illuſtravit, *διάληψις* intra hoc anguſtum ſpatium, quo noſtri librorum recenſus circumſcribuntur, comprehendi poſſit, ſatis præſtitiſſe nos arbitrati ſumus, ſi cum univerſi ædificii ichnographiam, tum & paucas alias figuras ex Autore in conſpectum benevoli Lectoris produceremus, atque earundem explicationem paucis ſubjiceremus. Sequitur itaque primum Templi delineatio 58 figuris comprehenſa, quot etiam ſunt ædificii partes: eſtque ſimul hæc omnium libri capitum ſyllabe:

Tab. VII. fig. 1.

1 Mons Domus ſeu Templi, cujus ambitus 500 cubitorum quadratorum muro incluſus.

2 Murus montis Templi orientalis, in quo porta orientalis.

3 Ambæ portæ Hhulda verſus meridiem.

4 Porta




fig. 2.




fig. 4.




fig. 3.



4 Porta Kipponos ſeu Coponii ab occaſu.

5 Porta Thadde ad latus ſeptentrionale.

6 Soreg ſeu paries affabre cancellatus, 10 palmos altus.

7 Chel ſpatium intra parietem & murum atrii 10 cubitos latum. Ex eo per 12 gradus aſcendebant in atrium mulierum.

8 Atrium mulierum. Tetragonum 135 cubitos longum & latum.

9 Quatuor conclavia in quatuor atrii angulis.

10 Synedrium parvum 23 virorum. Alterum parvum ſynedrium erat ad portam montis domus orientalem.

11 Porta Nicanoris ad orientem atrii Iſraelis. Ingreſſus in hanc portam per 15 gradus ſemicirculares, qui erant in atrio mulierum.

12 Conclave Pinehas veſtiarii, & aliud conclave piſtoris ad ambo portæ latera.

13 Porta Haddelek ſeu ardoris verſus meridiem.

14 Prope iſthanc porta primitiarum.

15 Porta aquarum ad idem latus, ſed magis orientem verſus. Super ejus tectum domus ablutionis.

16 Porta Nizzoz ſeu ſcintillationis ad ſeptentrionem. Supra hanc extructum conclave pro ſacerdotibus excubias agentibus.

17 Porta Corban ſeu oblationis huic proxima.

18 Beth moked, ſeu locus ignis accenſi. Ibi porta in atrium ſacerdotum tendens.

19 Quatuor conclavia in 4 ejus angulis.

20 Duo conclavia ſub atrio Iſraelis, quibus aſſervata fuerunt inſtrumenta muſica.

21 Atrium Iſraelis 135 cubitos longum in latitudine, & 11 latum in longitudine atrii.

22 Dochan ſeu pulpitum 3 graduum.

23 Atrium ſacerdotum 11 cubitos latum & 135 longum.

24 Conclave ſalis ad oblationes inſervientis ſub atrio.

25 Conclave Parvah priori vicinum ad ſaliendas pelles ſanctas.

26 Conclave abluentium, ad abluenda viſcera victimarum prima vice.

27 Tectum domus Parvah, ubi balneum pro abluendo ſummo ſacerdote.

28 Conclave ligni ſeu Parhedrin pro ſummo ſacerdote.

29 Conclave putei.

 30 Con-

30 Conclave Gazith, cujus dimidia pars in Sancto,& altera dimidia in communi ſeu extra Templum in monte domus. Ibi ſynedrii magni locus.

31 Conclave familiæ Abtines ſupra portam aquæ.

32 Altare holocautomatum, cujus ambitus 32 cubitorum.

33 Agger ſeu aſcenſus in altare.

34 Annuli ad immittenda illis colla beſtiarum, quæ ad victimam mactabantur. Eorum ſex ordines, & quatuor annuli in unoquoque ordine.

35 Octo menſæ marmoreæ, in quibus abluebantur carnes & viſcera victimarum ſecunda vice.

36 Octo columnæ minores cum trabibus cedrinis transverſis & uncinis ferreis, ex quibus pendebant victimæ.

37 Lavacrum.

38 Tabula marmorea, ubi deſcenſus in fundamentum excavatum.

39 Duæ menſæ, quibus ſuperimpoſita inteſtina & inſtrumenta ſacerdotalia.

40 Spatium inter porticum & altare 22 cubitorum.

41 Duodecim gradus, per quos aſcendebant in porticum.

42 Porticus porta 40 cubitos alta & 20 cubitos lata.

43 Duæ menſæ intra porticum, cui aliquantiſper imponebantur panes.

44 Porticus lata ab oriente verſus occidentem 11 cubitos; ab aquilone verſus auſtrum longa 100 cubitos.

45 Beth hachali photh, 15 cubit. verſus ſeptentr. & 15 verſus meridiem, ubi cultri & inſtrumenta mactatoria aſſervabantur.

46 Porta Templi ſtricte ſic dicti, 20 cubitos alta, 10 lata.

47 Triginta octo procœtia, 15 ad ſeptentrionem, 15 ad meridiem, & 8 ad occaſum. Illis aſſervabantur res ad Templum neceſſariæ.

48 Podium verſus ſeptentrionem ad adſcendendum in tectum procœtiorum. Huic a meridionali latere oppoſita fuit domus deſcenſus aquæ.

49 Templum ſtricté ſumptum, ſeu Sanctum, 40 cubitos longum, 20 latum.

50 Altare aureum, cujus perimetrum quadratum unius cubiti.

51 Candelabrum ad meridiem poſitum.

52 Menſa panum facierum ad ſeptentrionem.

53 Ta-

53 Tabula marmorea, de qua pulvis ſumebatur ad Sota, ſeu uxorem adulterii ſuſpectam.

54 Duæ columnæ aureæ, ſuper quibus ſummus Sacerdos expiationis die ſanguinem juvenci & hirci demittebat.

55 Tarkeſin ſeu ſpatium cubitale cum duobus velis.

56 Adytum ſeu Sancti ſanctorum locus, 20 cubit. longus & 20 latus.

57 Lapis fundationis, ſuper quo arca fœderis olim poſita fuit.

58 Poſtremum adyti, ſeu domus expiatorii, 11 cubitos latum.

Reliquæ tres figuræ annexæ, quarum in Tabula generali ſignatæ ſunt 42, 51, 52, cum propter anguſtum ſpatium ibi accurate depingi nequiverint, operi ipſi inſertæ ſunt. Et prima quidem illarum eſt adumbratio magnificæ illius *Porticus Portæ*, altitudine, latitudine, ſplendore, magnificentia reliquas omnes ſuperantis. Erat 40 cubitos alta & 20 lata, januas nullas habens, ſed velo obtecta. Aſcendebant in illam per 12 gradus, quorum ſinguli ſemicubitum alti, & lati cubitum integrum, excepto gradu quarto, ſeptimo & duodecimo, qui ampliores erant. Gradus enim quarti & ſeptimi latitudo erat 3 cubitorum, duodecimi autem 4 cubitorum. Ad majus portæ ornamentum ſupra eam exterius quinque epiſtylia extruxerant, quorum ſingula in longitudine duobus cubitis a ſe invicem diſtabant. Infimum epiſtylium incubabat in ſuperliminari, præminens latitudine portæ cubitum unum ab unaquaque parte, adeo ut hujus longitudo fuerit 22 cubitorum, ejus quod ſupra hoc 24, tertii 26, quarti 28, & ultimi 30, id quod ſuperabat latitudinem portæ 5 cubitis ab unaquaque parte. Nec vero unum alterum attingebat, verum inter ſingula series lapidum erat. TAB. VII. Fig. 2.

Conſideratione dignum etiam eſt *Candelabrum*, quod ſub fig. 3 expreſſum eſt, de quo mira ſcripſerunt, qui illius diſpoſitionem ac deſcriptionem tradiderunt. Juxta Autoris noſtri deſcriptionem habuit 7 ramos, tres ab unaquaque parte & ſcapum in medio, qui rami omnes ornati erant ſcyphis, globulis & floſculis. Singuli rami habebant tres ſcyphos, præter illum, qui erat in media parte ſcapi, qui conjunctim efficiunt 22: ſinguli ſuum globulum, præter illum qui erat in media ſcapi parte, & tres alios ubi rami protendebantur, conjunctim 11: & ſinguli ſuum floſculum, qui una cum flore, qui erat in medio ſcapo, & qui erat infra ad pedem candelabri, 9 fuere. In floribus ipſis deinde lucernæ ardebant. TAB. VII. Fig. 3. Figu-

TAB. VII. Fig. 4. Figura quarta denique repræſentat *Menſam panum facierum*, de qua in Cap. 52 Autor tradit, quod fuerit duos cubitos longa & cubitum lata. Ex quatuor furculis ſeu paxillis aureis conſtabat, qui in ſuperiori parte coronis aureis ornati erant, ita quidem conjuncti, ut duo ordines panum facierum ſuper 28 bacillis imponi poſſent. Hi bacilli inter duas furculas ab utroque latere poſiti erant, ſuper quibus jacebant panes, quorum ſex erant ab unoquoque latere. Infimus omnium panis non jacebat ſuper bacillos, ſed in fundo menſæ: ſupra hunc tria bacilla aurea, æqualiter intervallis diſtantia, quibus impoſitus panis: ſupra hæc alia tria cum pane: ſupra illa iterum tria cum pane: & ſupra hæc alia tria cum pane: ſextus panis ſuper duobus tantum jacebat bacillis. Et ſic etiam ab altero latere ſe res habebat. Ratio autem, quod bacilla panibus ſupponerentur, fuit, ut aer permeare illorum concavitatem poſſet, panesque a mucore & corruptione immunes conſervarentur. In fundo menſæ ſtabat manipulus thuris, qui, cum auferebatur panis, in thymiamate in honorem Domini comburebatur, & circumcirca hunc fundum clauſuræ aureæ formatæ erant.

## *HISTORIA NUPERÆ RERUM MUTATIONIS IN ANGLIA &c. Auctore EZEK. BURRIDGE, &c.*

Londini apud A. & J. Churchill, 1697. in 8. Alph. 1.

QUæ in Anglia noſtra ætate contigit rerum ſtatusque converſio, ut exterorum animos attonitos ſuſpenſosque tenuit, & poſteris etiam, quod admirentur & obſtupeſcant, præbebit: ita & civibus, regnique incolis, illisque omnibus, quorum hactenus interfuit, aut Guilielmum aut Jacobum rerum potiri, fœcundum ſatis diſceptandi & ingenii periclitandi vires argumentum ſubminiſtravit. Et Jacobi quidem partes præ ceteris tuendas ſuſcepit Societatis Jeſu Sacerdos, Petrus Joſephus Aurelianenſis. In tertio enim Hiſtoriæ ſuæ libro, quam de rerum ſtatusque in Anglia converſionibus compoſuit, totius negotii ſeriem ita enarravit, ut populum Anglicanum magni ſceleris ob ejectum Jacobum Regem argueret, hunc vero ab omni culpa turpi remotiſſimum nihil ejusmodi promeruiſſe contenderet. Male id cumprimis habuit Ezechielem Burridge, Hiſtoriæ hujus, quæ nunc ſe nobis offert, auctorem clariſſimum, qui hoc ſibi datum credidit, ut

ut criminis omnis & injuſtitiæ infamiam ſtrenue a patria ſua civibusque depelleret.

Quo quidem munere ut rite fungatur, initio, imperium neutiquam Jacobo propter religionem abrogatum aſſerit, idque rationibus evincere annititur. Non abnuit periculum, quod religioni imminebat, populum Anglicanum ſolicitum habuiſſe; ſed hanc ob cauſam Regem Jacobum neutiquam regno ſpoliatum, primo probat ex inſtitutis & doctrina Eccleſiæ Anglicanæ. Provocat ad publica & Doctorum Eccleſiæ Anglicanæ ſcripta, ex quibus ſatis conſtare arbitratur, per Eccleſiæ Anglicanæ decreta, ſubditos Regibus ſine aliquo diſcrimine aut delectu religionis obſequium præſtare. Hinc poſtquam & Non-conformiſtas, ut vocantur, criminis hujus immunes eſſe oſtendit, idem ex inſigni ſtudio Epiſcoporum & Eccleſiæ Anglicanæ in Jacobum, priusquam regnum adivit, comprobat. Mentionem hic etiam injicit nuptiarum Jacobi cum Ducis Mutinenſis filia, easque multis non hoc nomine, quod conjugem ſacris Romanenſis Eccleſiæ imbutam ſibi adſciverit, ſed quod Galliæ Rege conciliatore initæ eſſent, diſplicuiſſe, vel ex eo patere ait, quod nuptias cum Ænipontii Ducis filia meditatas Senatus neutiquam repudiaverit. Quæ circa libellum, ut vocant, excluſionis, ſive plebiſcitum, quo legitimus hæres religionis cauſa hæreditate ſua & patrimonio ſpoliabatur, conſentientibus Præſulibus abrogatum, itemque circa legem examinis ſive ſcrutinii contigerunt, ejusmodi eſſe putat, ut benevolum Epiſcoporum in Jacobum, utut Romanenſia ſacra amplexum, animum ſatis prodant. Non minori autem ſtudio, poſtquam regnum jam adeptus erat, in eum fuiſſe Epiſcopos pariter ac Senatum populumque, porro ex eo colligit, quod licet jam tum nonnulla commiſerit, quæ illorum animos ab eo abalienare potuiſſent, nihilo ſecius certatim fidem illi probare ſategerint. Namque ut alia quæ affert, taceamus, ad rebellionem a Duce Monumethenſi & Argathelienſi Comite excitatam, ſupprimendam, non modo fortunas, ſed & vitam ipſam eos obtuliſſe. Cumprimis autem ſuperiorum temporum conſuetudinem revolvendo, haud proletarium, quo ſuam ſententiam confirmet, argumentum ſe inveniſſe arbitratur. Nimirum civiles contentiones, quæ Angliam vexarunt, Regumque & ſubditorum diſſidia commemorando, oſtendit, ſæpius in mutua eos Lib. I. c. I.

exarſiſſe odia, eo etiam tempore, cum diverſæ de rebus ſacris ſententiæ Britanniam nondum in partes diviſerant, luculentiſſimo quidem, ut putat, documento, non ob religionem, ſed ob rem publicam aut conculcatam, aut minus recte adminiſtratam, in Anglia male mulctari Reges. Quæ dum ita ediſſerit, temperare ſibi non poteſt, quin addat, quorſum zelus in religionem Eccleſiæ Romanenſis, quem Galliæ Rex pariter ac Jacobus præ ſe tulerint, pertinuerit.

Cap. II. Remota itaque ſpuria diſſidii inter populum Anglicanum atque Jacobum Regem cauſa, veras adferre adgreditur. Primum inter has locum tenet fœdus amicitiæ cum Galliarum Rege ſancitum. Quam iſtud ſtatim, ex quo divulgatum eſt, populo diſplicuerit, quamque Carolus pariter & Jacobus ab anteceſſorum ſuorum tramite minus recte deflexerint, hic pluribus memorat. Cumprimis autem tenente adhuc ſummam rerum Carolo, a Jacobo fratre fœderum rationes ad nutum & arbitrium Galliæ Regis diſpenſatas refert, nec cauſam ſoluti & minus ſancte ſervati fœderis, ut vocari ſolet, triplicis aliunde arceſſit: ipſo autem Jacobo ad regiam dignitatem evecto, amicitiam & fœdus cum Gallo ſe magis magisque prodidiſſe. Nec ſufficit Auctori hæc ita expoſuiſſe; in Galliæ Regis pariter ac Jacobi arcaniora penetrat conſilia, & quid utrique conſtitutum fuerit, dum arctiſſimo amicitiæ & fœderis vinculo ſe invicem junxerunt, non tam conjectando divinat, quam documentis variis demonſtrare annititur.

Cap. III. Succedit altera ratio, quæ populum Anglicanum contra Jacobum irritarit, inimicitiæ ſcilicet cum Batavis ſuſceptæ. In cauſam odii, quo Batavos Carolus, ſi Auctori credimus, proſecutus eſt, inquirens, hanc affert, quod Rex probe intellexerit, ſe niſi exciſis & peſſundatis Batavis, imperium iſtud, quod moliebatur, abſolutum in Anglos non conſecuturum. Hunc in finem fœdera cum Batavis ſublata, aliaque cum Gallis clanculum inita, magnaque diligentia cauſas atque προφάσεις belli, Belgis mox (A. 1672.) inferendi, auctore & incentore Colberto, Galliæ Regis tunc temporis ad Carolum Legato, conquiſitas fuiſſe. Paucis hic ſub examen revocat cauſas, quæ in bello iſto Belgico obtentui ſumebantur, res ſcilicet jam pridem Amboynæ geſtas, injurias quæ Anglicis mercatoribus a Belgis illatæ dicebantur, famoſos libellos atque picturas a Batavis expoſitas, vexilla a Bel-

gis

gis ex lege transactionis Bredanæ non demiſſa, & id genus alia; hasque cauſas omnes frivolas & nullius momenti fuiſſe pronunciat; nonnullas etiam ita recenſet, ut a Miniſtris Regis occaſionem Belgis tale quid committendi ſuppeditatam dicat, quod deinceps obtentum belli juſte inferendi illis præberet. Quæ de libertate conſcientiæ Sectariis eo tempore impertita, de Ormoniæ Duce a conſiliis abeſſe juſſo, de Guilielmo Coventræo quæſtoria dignitate privato, & Cliffordo in ejus locum ſurrogato, memorat, eo ſpectant, ut probet, Regi nihil aliud conſtitutum fuiſſe, quam Batavos bello perdere. Idem ulterius proſequitur, & Batavorum, in quas hocce bello conjecti fuere, anguſtias, Auriacique Principis fata & inter tot calamitates enitentem virtutem, hinc comitiorum Parlamentariorum, ut vocat molimina, ut tandem in gratiam cum Batavis rediret Carolus, ordine recenſet. Nec prætermittit, quod Regis Miniſtris Gallo faventibus imputandum ſit, quod Batavi ſeorſim, excluſis Fœderatis, cum Gallo pacem A. 1678 inierint: Eboracenſi autem Duci cum aſſeclis tribuendum obſervat, quod Angli ſuppetias tulerint Fœderatis, ad periculum videlicet quod ipſi tunc imminebat, declinandum, non autem quod Eboracenſis Dux aut Fœderatis bene, aut Gallo male cuperet.

Tertiam indignationis cauſam populo Anglicano, ut Auctor autumat, præbuit uſurpata a Rege Jacobo intempeſtive diſpenſandi poteſtas. Conſtitutum quippe jampridem in Anglia atque ſancitum erat, ne quis civili aliquo aut militari munere in Republica fungeretur, niſi qui verbis uſitatis atque a lege conceptis, jusjurandum fidelitatis & regii ſuprematus juraret, & in quibusdam capitibus doctrinæ cœleſtis ſuam ſententiam profiteretur. Has & ſimiles leges, quas pœnales vocant, neutiquam ex odio religionis Romanenſis ſancitas, ſed Reges atque Proceres tot Jeſuitarum inſidiis petitos, ſuæ non aliter conſulere potuiſſe ſecuritati, Auctor non tantum aſſerit, ſed ſcriptorum Romanenſi Eccleſiæ addictorum teſtimoniis quoque comprobat. Adeo nihil injuſte & crudeliter unquam in Anglia contra Romanenſes commiſſum porro docet, ut ſi qui Jeſuitici ordinis viri periere, eos proditionis pœnam luiſſe, aut alio ſcelere mortem promeruiſſe dicat. Illis quoque Caroli I interitum, incendium Londinenſe, Belgicumque bellum tribuere non dubitat. Jam quo pacto harum Cap. IV.

legum auctoritatem everſum iverit Jacobus, exemplis evincit, in quibus referendis & examinandis operoſus eſt.

Cap. V. Hinc de Judicibus Eccleſiaſticis a Rege conſtitutis diſpicit, novam inde odii populi in Regem cauſam enatam oſtenſurus. Altius autem Commiſſariorum, ut vocat, conſtituendorum rationem repetens, eorum originem ab Henrico VIII repetit. Qui hunc excepit Eduardus, & hinc Maria pariter ac Eliſabetha, eandem a Parlamento poſtularunt & impetrarunt facultatem Commiſſarios Eccleſiaſticos conſtituendi: ſed hæ quidem diverſimode eadem uſæ ſunt. Datum erat hiſce Commiſſariis, ut in mores Eccleſiaſticorum inquirerent, improbosque promeritis afficerent pœnis. Sed cum hac ratione ſæpius, quod Judices odio aut amore agerentur in transverſum, innocentiſſimi mortalium criminum, quæ nunquam illis in mentem venerant, dare pœnam cogerentur, placuit hanc facultatem ejusmodi Judices conſtituendi Regibus adimere. Factum iſtud eſt duobus ſtatutis, in Comitiis Regni ſolenni ritu promulgatis, quorum alterum ſub Carolo I, alterum ſub Carolo II prodiit. Hiſce autem non obſtantibus, Jacobum facultatem ejusmodi Commiſſarios conſtituendi ſibi tribuiſſe autumat. Addit multos officium iſtud ſubire detrectaſſe, interque eos Epiſcopum Roffenſem laudat: indeque factum eſſe, ut hominibus a nutu Regis pendentibus munus illud concrederetur. Regem autem hoſce Judices conſtituendo, leges Angliæ plane migraſſe, id quidem eſt, quod præcipue ſibi probandum ſumſit. Neve ſibi objiciatur, Guilielmum itidem ejusmodi Judices in Hibernia conſtituiſſe, longe alia ratione id factum eſſe, probare allaborat. Concludit, poteſtatem hiſce Judicibus conceſſam eo ſpectaſſe, ut ſervitus Anglorum acceleraretur: neve de funeſtis inſtituti hujus eventibus aliquis dubitare poſſit, Epiſcopum Londinenſem, Vice-Cancellarium Oxonienſem, & Socios Collegii Mariæ Magdalenæ Oxonienſes, Judicum horum aſperitatem & iniquitatem ſatis expertos docet.

Cap. VI. Non minus quoque nimiam iſtam Jacobi facilitatem, qua omnibus circa religionem diſſentientibus in Anglia libertatem ex ſectæ ſuæ præſcripto colendi atque placandi Numen indulſit, populum male habuiſſe docet. Pœnales enim, ut vocantur, leges ſalubriter in Anglia conſtitutas, hoc modo everſas penitus & peſſundatas eſſe.

eſſe. Nec tamen concedit, ex humanitate quadam & benevolentia Regis hocce Sectariis impertitum beneficium profluxiſſe, cum ſeveriſſime olim in Fanaticos ſtatuerit; ſed ad eundem finem, ad quem cuncta ejus tendebant conſilia, hoc quoque comparatum fuiſſe, fidenter aſſerit. Addit rationes, quas inſtituti memores prætermittimus. Dilabitur hinc ad Epiſcoporum a Rege in cuſtodiam, quod ejus declarationem ſuper iſta indulgentia publice promulgare nollent, datorum cauſam diſceptandam: reque omni prolixe & accurate expoſita, concludit, iſtos Antiſtites obſequium iſta in re Regi denegando, nihil, quod vituperari poſſit aut debeat, admiſiſſe.

Sed in leges quoque Angliæ Jacobum injurium fuiſſe, dum iis ſilentium indixit, ſuamque voluntatem pro lege eſſe voluit, indeque in populi Anglicani odium eum incurriſſe affirmat. Non minus officii ſui rationem eum neglexiſſe, quod Senatorum conventus non eo modo, quo Reipublicæ Anglicanæ indoles hoc poſtulabat, celebraverit: itemque, quod Senatorum electoribus jus electionis liberum non reliquerit. Cumprimis vim municipiis illatam urget, & inter cauſas, quibus populi iram Jacobus in ſe concitaverit, refert. Sunt autem municipia, docente Auctore, maximæ civitates & oppida Britanniæ, quibus fertilitas ſoli, aut ſitus loci, aut alia commoditas aliqua utilitasve communis, majorem hominum frequentiam conciliavit. His oppidis, ſive municipiis multa olim conceſſa privilegia, interque alia & illud, ut duos ex municipibus ſuis, aut alios, ſi forte maluerint, in Senatorum numerum illis referre liceat, ita ut horum municipiorum delegati magnam Senatus partem conſtituant. Jacobum itaque, quod animadverteret, ſe hoſce delegatos voluntati ſuæ minime obnoxios habiturum, oppida iſta juribus municipalibus, hoc eſt, jure mittendi delegatos ad conſtituendum Senatum privaſſe, nova collegia municipalia inſtituiſſe, omnique ratione curaſſe, ut in Senatorum numerum non alii reciperentur, quam quos cupiditatibus ſuis non refragaturos confideret. Hiſce ex voto peractis, poſtulaſſe eum a novis municipibus ait, ut pœnale ſtatutum viceſimo quinto Caroli II anno promulgatum, per quod Regi non licebat pro lubitu militum delectum agere, reſcinderetur. Et hæcce omnia ad evertendam Anglorum libertatem fuiſſe comparata, Auctor judicat. Addit & alia in hanc ſententiam, quod ſcilicet Primores Anglorum, Cap. VII.

glorum, & omnes quos voto ſuo obſtaculum ponere poſſe exiſtimaret, partim promiſſis ſibi conciliaverit, partim minis, ne facerent quod officii ratio poſtulabat, deterruerit.

Cap. VIII. Reliquas Anglorum querelas unico complectitur faſce. Hic ſpoliatum a Rege patrimonio & fortunis ſuis populum; obſtrictos jurejurando, invitis legibus, cives; pacta violata, & id genus alia, longa ſerie commemorari videas. Exaggerat etiam, quod rebus omnibus quietis & tranquillis, contra Senatus auctoritatem, militem legerit, & quidem Hibernicum, quem multis nominibus Anglis valde inviſum dicit. Hac occaſione de Hibernorum odio in Britannos diſſerit, nec magis Regem Anglos irritare potuiſſe ait, quam dum animum benevolum & faventem ubique erga Hibernos prodidit, & luculentiſſima favoris ſui erga illos documenta extare voluit. Finem primo huic libro impoſiturus, de Cambriæ Principe, quem ſuppoſititium vocat, nonnulla adjicit, & in toto hocce negotio Jeſuitarum artes & obſtinatum Regis ad evertendam Anglorum libertatem animum accuſat.

Lib. II. c. I. Expoſitis hunc in modum cauſis, quæ Anglos contra Regem Jacobum irritarunt, quo pacto contra Angli in accerſendo Principe Auriaco ſe geſſerint, enarrare ſuarum partium eſſe duxit. Calamitates itaque, quibus hi ſe plane obrutos credebant, poſtquam paucis denuo exhibuit, Proceres non aliter ſuis ac patriæ rebus, quam Principis Auriaci auxilium implorando, conſulere potuiſſe ait. Laudat Batavorum promptitudinem in claſſe & copiis Auriaco ſubminiſtrandis, eosque tum ſuam quoque fortunam plane habuiſſe in conſilio, animadvertit. Namque & Jacobum eodem tempore bellum in Belgas molitum fuiſſe, ut adeo non felicius imminentem ſibi tempeſtatem declinare potuerint. Jacobum autem primum a Legato Gallico, qui apud Batavos commorabatur, mox & aliunde de Auriaci Principis & Batavorum conſiliis certiorem factum, maximoque terrore circumſeptum, amicos accerſiviſſe, illorumque ſententias, quid in hoc rerum ſtatu factu opus eſſet, exploraſſe. Rejecto Barillonii, copias Gallicanas accerſendas ſuadentis conſilio, eum ad lenitatem ſtudia convertiſſe, chartam, ut vocat, immunitatum Londinenſibus reſtituiſſe, convocaſſe etiam Epiſcopos & illorum conſilium expetiiſſe. Jeſuitarum tamen ſiniſtra interpretatione Epiſcoporum conſilium

exce-

exceptum, apud Regem locum non inveniſſe. Interim eum ſummo ſtudio ſubſidia bellica conquiſiviſſe, plurimasque res in priſtinum ſtatum reſtituiſſe: ſed neceſſitate potius compulſum, quam quod mentem mutaſſet. Id hoc documento Auctor comprobat. Miſerat, inquit, Jacobus Oxonium Epiſcopum Wintonienſem, ut Præſidem & Socios Collegii Magdalenæ, Laribus ſuis non ita pridem a Rege expulſos, reſtitueret: ſed quamprimum fama, Belgicam claſſem naufragio periiſſe, a Belgis ad fallendum Regem ſparſa, ad aures ejus pervenerat, Antiſtitem illum retro ferre pedem, & re infecta domum reverti juſſit.

Inſigni & incredibili lætitia omnium Arauſionenſem in Anglia receptum, non diffitetur: auctam tamen hanc putat ex fama de Gallorum adventu, quam non plane inanem fuiſſe ſibi perſuadet. Refert hinc Arauſionenſis declarationem, populo a verbi divini miniſtris prælectam: quam mox alia Hagæ Comitum Kal. Novembr. edita ideo exceperit, quod Princeps Auriacus e re ſua & Angliæ eſſe putaverit, populum Anglicanum edocere, cuncta Jacobi molimina, quibus ſpem recuperandi amiſſam libertatem illi faciebat, ad ſimpliciores ludificandos ſolum eſſe comparata. Ipſum interea Auriacum moderationis & abſtinentiæ multa dediſſe documenta, & luculenter ſignificaſſe animum ad pacis conſilia propenſum, & hac ratione omnium favorem ſibi conciliaſſe. Jacobum quidem primum prælii diſcrimini fortunam committere ſecum conſtituiſſe, nec Senatum convocare voluiſſe: interim indies pluribus Proceribus ad caſtra Auriaci Principis tranſeuntibus, & oppidis præcipuis partes ejus amplectentibus, ſpem ejus magis magisque fractam & imminutam fuiſſe. Epiſcopos autem & Proceres nihil eorum, quæ ad firmandam ſine armorum ſtrepitu Rempublicam facere videbantur, intermiſiſſe, huncque in finem libellum ſupplicem Regi obtuliſſe, quo ſubmiſſe illum orabant, ut Senatum convocaret; ſed hoc ipſo nihil aliud illos effeciſſe, quam ut iratum Regis animum gravius incenderent & novis ſuſpicionibus complerent, amicis Regis illisque, quorum conſiliis ſe abripi patiebatur, id ſtrenue agentibus, ut mentem Regis a pacis conſiliis & Senatus auctoritate deflecterent. De hocce libello cum ſiniſtra fama a Regis aſſeclis ſpargeretur, Antiſtites & Proceres conſultum eſſe duxerunt, eum in lucem edere, ut Cap. II.

omnes

omnes intelligerent, ſe ſui muneris limites neutiquam tranſiliiſſe. Cenſuram tamen Jeſuitarum, ut Auctor refert, libellus iſte effugere non potuit. Interim Devoniæ Comitem alioſque Proceres & oppida nonnulla ad Auriacum Principem ſe recepiſſe, nihilque aliud ſuperfuiſſe, quam ut Jacobus a copiis quoque, quæ adhuc illi parebant, deſereretur. Et ſane milites hoſce, iſtam rerum in Anglia faciem conſiderantes, mox dubitare cœpiſſe, an ſe deceret pro illo militare, qui tanta omnium conſenſione conculcatæ Anglicanæ libertatis reus agebatur, Noſter refert. Qua animorum inclinatione uſurus Auriacus, literas ad Jacobi exercitum dederit, militeſque adhortatus fuerit, ut Reipublicæ propriæque libertatis haberent rationem; eo quidem eventu, ut nonnullis ad Auriaci caſtra ſe conferentibus, ceteris autem magis dubiis & ambiguis redditis, Jacobus in magnas anguſtias conjiceretur. Hunc itaque, ut rebus ſuis præcipiti lapſu peſſum euntibus medelam afferret, edictum promulgaſſe, quo proditionis gratia profugis fieret, & exteris aut venia domum revertendi, aut ſtipendia militaria promitterentur, ſi ſub illo mereri vellent. Nihil tamen hoc ipſo fuiſſe profectum: & licet ad bellum vires deeſſe viderentur, ad pacis tamen conſilia fruſtra eum a nonnullis fuiſſe ſollicitatum. Mentionem hic Autor injicit epiſtolæ Londino Sorbiodunum ad Regem miſſæ, quæ illum, ut in Galliam ſe reciperet, adhortabatur, ſimulque ſpem faciebat fore, ut ipſo abſente cuncta tumultu & confuſione rerum omnium conturbarentur, & ita Anglos demum, ut Jacobum reducerent, coactum iri. Ab amicis Jacobi & Gallicæ factionis hominibus iſtam epiſtolam profectam eſſe, Auctor non dubitat; interim Jacobum conſilium fuga ſibi conſulendi cepiſſe obſervat.

**Cap. III.** Fugam itaque Jacobus meditans, non ſine inſigni dolore, præter alios, Annam quoque filiam ad Auriaci Principis partes transgreſſam intelligit. Hinc (Auctoris mente loquimur) in omnem ſe verſans partem, mox ad molliora conſilia reverti videtur, mox de fuga iterum cogitat, ſe omnia ad Senatum rejeciſſe præ ſe ferens. Quæ Auctor de Oratoribus Auriaci Principis ad Jacobum miſſis, itemque de tertia Principis hujus declaratione, de Scotis a Jacobo deficientibus, deque Norfolciæ Duce refert, & id genus alia prætermittimus, ne legum, quas nobis præſcripſimus, ipſi parum obſervan-

vantes videamur. Quæ ad Jacobum pertinent, huc redeunt; poſtquam Regina cum Cambriæ Principe diſceſſerat, cohortes omnes Regis juſſu a Comite Feuershamienſi exauctorantur, ipſeque Rex in fugam ſe conjicit: Arauſionenſis quidem & Proceres ea de re certiores facti, ea agunt, quæ is rerum ſtatus exigere videbatur: ſed cum Jacobus poſt navem conſcenſam, iterum portum tenere cogeretur, per Legatos nobiles a Proceribus, ut reverteretur, invitatur: morem quoque illorum voluntati gerit; ſed poſt reditum talem ſe præbet, ut Auctor inde concludat, illi ſerio conſtitutum fuiſſe civium animos magis magisque irritare. Omnem autem viam negotium iſtud componendi ideo eum ſibi intercluſiſſe putat, ut ſaltem inde occaſionem aufugiendi nanciſceretur. Atque ut iſtud rite oſtendat, quæ porro inter Jacobum & Auriacum Principem acta ſint, quo pacto ille hunc ad D. Jacobi Baſilicam, hic illum Hamum per Legatos invitaverit, exponit. Sed Jacobus nihil tutum ſatis in Anglia credens, poſtquam Princeps Auriacus Londinum pervenerat, iterum in fugam ſe conjecit.

Fugiſſe itaque Jacobum dicit Auctor, non alium in finem, quam ut Parthorum more fugiendo vinceret, & Gallicanis copiis adjutus regnum recuperaret. Arauſionenſem vero omnium gratulationibus Londini exceptum poſtquam retulit, quo pacto is porro omnium conſenſu populi Magiſter, donec rite Proceres in Comitia coirent, creatus fuerit, memorat. Quo ipſo talem eum obtinuiſſe poteſtatem, qualem Dictatores olim apud Romanos obtinebant, obſervat. Ad hanc dignitatem evectus Auriacus Princeps munere ſuo pro viribus functus eſt, Hibernosque qui Angligenas in Hibernia vexabant, in ordinem redigere in animum induxit. Quæ omnia Auctor noſter prolixius proſequitur. Interea in Comitiis congreſſi erant Angliæ Senatores. Deputati Plebis, quæſtione de ſtatu Regni habita decernebant, Jacobum Regem, pacta & conventa mutua Regi cum civibus inita ſolvendo, civilem Regni politiam, quantum id illum penes erat, ſolviſſe; ipſum leges fundamentales ſubvertentem, & cedentem tandem Regno, imperium abdicaſſe, & ſolium eo facto vacuum relictum eſſe. In quo quidem decreto Senatoribus ſuperioris ordinis, obſervante Auctore, nonnulla diſplicuere. Nolebant enim dici, Regem imperium *abdicaſſe*, ſed imperium a Rege *fuiſſe dereli-* Cap. VI.

*ctum.* Nec ſatis commode dictum putabant, ſolium *vacuum* eſſe, cum in regno hæreditario, hærede adhuc aliquo ſuperſtite, ſolium vacuum dici nequeat. Mariam autem Jacobi filiam regni hæredem eſſe, non dubitabant. Deputati tamen Plebis non poterant, ut Auctor porro refert, induci, ut verba decreti mutarent. Non minus autem, cum de novo Rege in locum Jacobi ſubſtituendo deliberaretur, Senatores diſſenſiſſe non diſſimulat, nonnulloſque voluiſſe, ut Jacobo in regnum revocato nomen titulusque Regis permitteretur, jura autem majeſtatica penes alium eſſent, quem *Regentem* vocarent; alios autem Wilhelmo, alios denique conjugi ejus Mariæ ſummam rerum delatam cupiviſſe. Sed cunctis tandem ſcopulis feliciter ſuperatis, Wilhelmum & Mariam in Regem & Reginam cooptatos refert, illudque plane neceſſarium fuiſſe non tantum aſſerit, ſed rationibus etiam evincit, cauſaſque aperit, quare nonnulli Jacobum deſiderent; novique Regis commendatione, & ad eum paræneſi, opus ſuum finit.

## *PETRI FRANCII SPECIMEN ELOQUENTIÆ EXTERIORIS, ad Orationem Ciceronis pro A. Lic. Archia accommodatum.*

Amſtelædami apud Henr. Wetſtenium, 1697. in 8.
Conſtat pag. 15½.

DUplicem fuiſſe apud veteres eloquentiam, *internam* unam, quæ in ſtilo & ſcriptione conſiſtat, & *externam* quæ in elocutione & geſtu, quæque *actio* Rhetoribus dicatur, jampridem auditoribus ſuis inculcavit Auctor clariſſimus; ut ex Orationibus ejus anno 1692 editis, & a nobis in Actis anni iſtius p. 345 recenſitis, Orat. II. p. 48. III. p. 51. VI. p. 117. VII. p. 122. XII. p. 145. XV. p. 193. XVI. p. 212. conſtat. E veterum monumentis eorum eruditionem, & interiorem illam facundiam, copiam, ubertatem, omnemque artem rhetoricam perſpici poſſe; at quo ardore hæc dixerint, qua voce, qua manuum & totius corporis motu, neutiquam intelligi hodie exiſtimat. Actioni tamen primam in eloquentia palmam a principibus oratoribus Græcis & Latinis, Demoſthene & Cicerone, fuiſſe aſſignatam, animamque orationis & vitam, præclaramque ſemper & ſingularem habitam. Quapropter ut hanc externam eloquentiam internæ jungen-

gendam auditoribus ſuis perſuaderet, rationemque addiſcendæ ejus commonſtraret, non modo Tullianas & Demoſthenis orationes quasdam memoriæ mandatas conveniente oris & corporis geſtu recitare eos docuit, felici magnorum iſtorum Oratorum in vocis flexu ac corporis motu æmulatione; verum hanc ipſam eloquentiæ partem, quæ *corporis eloquentia* Ciceroni dicitur, veluti in artem redegit, certisque regulis adſtrinxit, quibus pronunciatio & actio contineatur, in hoc libello p. 44. ſeqq. traditis. Utque illuſtri exemplo præcepta confirmaret, ſpeciminis loco Ciceronis *pro Archia* Orationem exhibuit, ejusque omnia membra quo oris habitu, qua vocis flexione, quo corporis geſtu motuve pronunciarit, aut pronuncianda ſint, in adjectis cuivis colo ſeu inciſo obſervationibus, ad regulas antea traditas compoſitis, perſpicue oſtendit. Nam quæ lenta & ſubmiſſa, leni, continua; quæ modulata, ſuavi, clara, diſtincta, acuta; quæ pleniore, concitata, diffuſa; quæ gravi, elata ac ſublimi voce; quæ tono altiore, fortiore, graviore, acutiore; quæ ſimplice, ſuavi, quæ medio; quæ ore pleno ac libero, quæ preſſiore; quæ manu prona, ſupina, concava, expanſa, depreſſa, explicata, dilatata, in utrumque latus diffuſa, pectori applicata, in circulum vel iridem (ut p. 72. 74. loquitur) diducta, & excurrente aut in obliquum projecta; (p. 95.) quæ digitis complicatis, ſublatis, arrectis, exſertis, quæ depreſſis, in terram defixis, junctis; quæ oculis converſis, elatis, depreſſis; quæ toto corpore inclinato, firmo, varieve moto pronunciari in Oratione hac conveniat, perſpicue tradidit. Quo pacto non illi tantum qui ipſum audiunt, ſed & remoti, ad quos talia voce transmitti non poſſunt, quæ ſit actio ipſius & pronunciatio, plane ac liquido intelligent, & omnem hanc exterioris eloquentiæ formam, ſeu vocis & geſtuum moderationem, manifeſta ratione expoſitam & comprehenſam habebunt. Neque tamen negat, (p. 185.) aliter eadem pronunciari commode poſſe, pluresque modos eandem rem voce ac geſtu repræſentandi eſſe; ſed eum a ſe proditum affirmat, qui maxime naturalis & accommodatus ad rem fuerit viſus. Quod ſi quis uſu & exercitatione ita vocem geſtumque formaverit, ut nihil in iis ſit vitioſi, non tam anxie ei laborandum exiſtimat, dum rei naturam exprimat, hoc an illo modo fiat: ubique enim quod decebit, ubique quod placebit, inventurum. Ariſto-

 telis,

telis, Ciceronis & Quintiliani loca, quibus vocis ac motus miram in orationibus vim ac poteſtatem eſſe tradiderunt, in Præfatione laudat, Eraſmi etiam tertium librum Eccleſiaſtæ in hanc rem commendat: Ludovicum præterea Creſollium in Vacationibus ſuis Autumnalibus A. 1620 editis, vitia ac virtutes exterioris hujus eloquentiæ, multis Græcorum ac Latinorum prolatis in medium teſtimoniis expoſuiſſe; & Galli anonymi libellum de Actione Oratoria, ſub *Convarti* nomine poſtea editum, (ſed falſo, cum potius *Michaelem le Faucher* auctorem ejus eſſe indicarit Melch. Smidius, Prof. Helmſtadienſis, qui in Latinum ſermonem iſtum libellum A. 1690 tranſtulit), multæ utilitatis inque ſuo genere præſtantiſſimum eſſe, affirmat.

## *REFLEXIONS SUR LES DROITS DE LA CONSCIENCE.*

i. e.

## *CONSIDERATIONES JURIUM CONSCIENTIÆ, AUCTORE ELIA SAURINO.*

Ultrajecti apud A. Schouten, 1697. in 8. Alph. 2.

DE hoc clariſſimi Saurini opere proximo menſe Septembri pag. 426 ſqq. exponere incepimus. Nunc, quæ ſuperſunt, exequemur. Nimirum certamine cum Auctore Commentarii Philoſophici defunctus, cum celeberrimo Jurio congreditur Saurinus, auctore libri: *Jura duorum ſummorum imperantium.* Namque & hic contra Commentarii Philoſophici Auctorem calamum ſtrinxerat, ſed ita, ut cum, judice Saurino noſtro, recte docuiſſet, fontem omnium errorum in voluntate collocatum eſſe, alia tamen minus probanda inſperſerit; quæ proinde in parte hujus libri tertia ſub examen Saurinus revocat. Sed ea quidem intacta nunc relinquimus, tum quod magni adeo momenti non ſunt, tum nimiæ prolixitatis evitandæ ſtudio. Itaque ad partem potius quartam properamus, qua de poteſtate quoque ſummorum Imperantium in conſcientias ſubditorum, Auctor aliquid adnectere vel ideo operæ pretium duxit, quod haud mediocris difficultatis res ſit, eam juſtis limitibus hic circumſcribere. Suam itaque ſententiam Saurinus ſequentem in modum ediſſerit. Deum quidem omnium ſocietatum civilium auctorem eſſe agnoſcit: fundamentum tamen earundem recte in pactis quibusdam collocari putat, per quæ Imperantibus quidem ſumma

Pars III.

Pars IV. Sect. I.

poteſtas

poteſtas deferatur, ſed ita ut & ſubditis jura nonnulla relinquantur, interque ea merito jura conſcientiæ referenda eſſe. Poſſe ſummos Imperantes leges ferre, quæ ſcilicet divinis legibus non adverſentur; poſſe ſubditos cogere, ut haſce leges obſervent. Quin & aliquando ſubditos per conſcientiam obligatos eſſe, ut injuſtis legibus obtemperent. Hinc porro colligit, Principem non tantum poſſe poteſtate ſua uti, ad religionis, quam veram eſſe credit, conſervationem, ſed eum etiam ad hoc obligatum eſſe, & quidem, tum ut Chriſtianum, tum ut Principem. Omnes enim Chriſtianos obſtrictos eſſe, ut omnes curas, omnia conſilia ad gloriam Dei, propriamque & aliorum ſalutem promovendam conferant. Reges autem Principesque, ut ſubditos ad veram æternamque felicitatem perducant, obſtrictos eſſe. Obſtare quidem huic ſententiæ videtur, quod ſocietates civiles felicitatis tantum civilis cauſa coaluerint, & quod adeo religio in earum aut ſtructura & formatione, aut conſervatione non aliter in cenſum veniat, quam prout aut finem huncce promovere apta eſt, aut eundem impedit. Sed regerit, etiamſi homines, qui civitates conſtituerunt, ad ſpiritualem & æternam felicitatem non reſpexerint, eos tamen huc maxime reſpicere debuiſſe: quin & Chriſtianos Principes hunc Ethnicorum Principum errorem merito emendaſſe, & reipſa ſummam rerum ita tractaſſe, ut non minus civitatis conſervationem, quam æternam civium omnium ſalutem, ſibi curæ cordique eſſe oſtenderint. Ceterum ne hæc poteſtas Principis circa ſacra in infinitum excurrat, hiſce eam circumſcribit limitibus: primo, ſi Princeps rite hac poteſtate uti velit, religionem quam veram eſſe putat, etiam re ipſa veram eſſe debere: deinde, ſummo Imperanti ad veræ religionis conſervationem non niſi media legitima uſurpanda eſſe: tertio denique, ſummum Imperantem ne legitimis quidem mediis ad veræ religionis conſervationem uti poſſe, ſiquidem illa legibus Imperii fundamentalibus, & pactis publicis adverſentur. Hæc poſtquam rationibus haud contemnendis firmavit, porro aſſerit, ſummum Imperantem poſſe & debere poteſtate & auctoritate ſua uti, ad hæreſes & falſam religionem extirpandam. Neminem, qui Chriſtiano nomine indignum ſe reddere nolit, hac de re dubitare poſſe; litem omnem de modo ſaltem ſupereſſe. Hinc autem ut ſe expediat, ita

procedit. Primo aſſerit, ſummo Imperanti ſummopere cavendum, eſſe, ne in veram religionem hoc ſibi licere putet, quod illi in falſam licet: quin enim graviſſime peccet, ſi veræ religioni ſe opponat, dubium nullum eſſe. Secundo, nefas eſſe dicit, facere mala, ut inde eveniant bona. Perfidiam itaque, proditionem, perjurium, graviſſima atrociſſimaque eſſe crimina, etiamſi ad hæreticorum tendant perniciem. Quarto, Principem zelo pro vera religione defendenda & ad falſam extirpandam inflammatum, intra limites legum fundamentalium, & pactorum publicorum ſe continere debere. Nec enim horum violationem ullo modo excuſari poſſe. Quinto denique, ſummo Imperanti ſemper cogitandum eſſe, ſubditos ſuos ſimul ſubditos eſſe Dei, qui per conſcientiam ſuam voluntatem illis manifeſtet, & qui ſimul ab illis exigat, ut dictamen conſcientiæ ſuæ ſequantur, & iſtud religioſe obſervent. Ut ergo nefas eſt, (ita hinc porro colligit,) ſcelere ſe obſtringere, & contra conſcientiam agere: ita & Principes peccant, dum alios, ut contra conſcientiam agant, cogere in animum inducunt.

Sect. II. Non ſufficit Auctori hæc in genere ita delibaſſe: quin paulo diſtinctius ſuam ſententiam exponit. Triplices itaque religionis actus conſtituit: primo internos, qui velut eſſentiam religionis abſolvant, fidem ſcilicet & perſuaſionem de certorum dogmatum veritate: ſecundo actus externos, tum eos qui immediate ab actibus internis fluant, & progignantur, ut preces, gratiarum actiones, omnesque animi devoti Deumque religioſe colentis ſignificationes; tum actus quosdam, qui ad publicum religionis exercitium pertineant & a Deo præcepti ſint, quorſum ſolennes congregationes fidelium ad fundendas preces & ſacram cœnam adminiſtrandam refert: ſed & eos huc pertinere dicit, qui non ab omnibus, ſed a quibusdam ſacræ hujus ſocietatis membris edi ſoleant, ut ſunt doctrinæ veræ legitima propagatio, ſtudium convertendi & emendandi errantes, & ſimiles. Tertio denique alios actus ejusmodi eſſe ait, ut religionis quidem quodammodo interſit, eos exerceri, ſed ut nihilo ſecius, quoniam divinitus non ſint præcepti, intermitti queant: quorſum ritus varii & ceremoniæ ſacræ, cultus ſacrarum ædium & ornamenta, publicæ ædes in quibus ſacra fiant, & alia ejusmodi, judice Auctore, ſpectant. Hiſce præmiſſis porro docet, primo, ſummi

mi Imperantis eſſe, nihil facere reliqui, ut vera Eccleſia omnibus mediis conſervandi & propagandi veram doctrinam abundet; alendos itaque & ſuſtentandos ab eo eſſe idoneos Eccleſiæ Miniſtros, ſcholas bonarumque mentium domicilia erigenda &c. Secundo, ſummi Imperantis eſſe, eo anniti, ut vera Eccleſia fiat dominans, religioque vera cum ſtatu civitatis connectatur, ita ut a ſe invicem ſeparari nequeant; ut publicæ ædes ejus exercitio conſecrentur, & privilegia, quæ à Principe proficiſci poſſunt, illi impertiantur. Tertio, multo magis ſummum Imperantem ad defenſionem veræ Eccleſiæ, contra inſultus hæreticorum, obligatum eſſe. Quarto, ſi animadvertat Princeps, hæreticos in erroribus ſuis propagandis fraudulenter ſe gerere, & perſuaſionem de doctrinæ cujusdam veritate ab illis ſolum ad cupiditates ſuas tegendas obtentui ſumi, in eos ut rebelles & ſeditioſos illum animadvertere poſſe. Quinto, in commodorum & privilegiorum diſtributione orthodoxos præferendos eſſe hæreticis; neutiquam autem in juſtitiæ adminiſtratione, namque hoc pacto omnes ſubditos ejusdem eſſe conditionis, Principemque communem omnium ſubditorum patrem. Sexto, eſſe quasdam ſectas, quas ſummus Imperans plane extirpare non tantum poſſit, ſed etiam debeat, niſi impedimentum, quod ſuperari non poſſit, ſeſe offerat, quæ ſcilicet ad flagitia & atrociſſima crimina, parricidia Principum, perjuria, proditiones, homines impellant; quo etiam atheiſmum refert, quippe quo qui infecti ſunt, monſtra hominum ſint & peſtes publicæ, quos adeo e medio tolli omnium magnopere referat. Et eo usque quidem Auctor limites poteſtatis, qua ſummi Imperantes circa religionem gaudent, profert. Rurſus tamen eos coarctat, quando porro docet, ſummum Imperantem non poſſe præſcribere ſubditis, quid credere & ſentire circa religionem debeant, multo minus eos jubere, ut fiant orthodoxi, neque ſi nolint, eos punire poſſe. Præterea peccare ſummum Imperantem ait, ſi ſubditos cogere velit ad ejusmodi actus, quos religioni, cui addicti ſunt, adverſari putant, aut ſi prohibeat ejusmodi actus, quos ſalva conſcientia ſe intermittere non poſſe putant. Quod autem de jure Principis orthodoxi erga ſubditos hæreſi infectos aſſeruit, idem etiam admittendum eſſe, ſi Principi hæretico cum ſubditis orthodoxis res ſit, autumat. Licet enim Princeps hæreſi corruptus peccet, errorem

ſu-

ſuum propagando; ſi tamen intra limites hactenus deſignatos ſubſiſtat, ſubditos orthodoxos nec detrectare obſequium, nec de injuria ſibi illata conqueri poſſe.

Sect. III. Sua hunc in modum expoſita & confirmata ſententia, cum iis qui in diſſentientes circa religionem ſine diſcrimine ſæviunt, quos inter Romanenſes, interque hos Jeſuitas agmen ducere notat, in arenam deſcendit. Eos hiſce inniti fundamentis docet: Hæreticos eſſe latrones & homicidas, quin iis adhuc deteriores, quod non vitam, ſed æternam ſalutem hominibus eripiant; eos ſocietatibus civilibus longe majus damnum afferre, quam atrociſſimi hoſtes afferre poſſunt: non ergo nefas eſſe, ſi eodem modo in eos animadvertatur. Sed magnopere hosce homines falli, Auctor primo probat exemplo Chriſti & Apoſtolorum. Hoſce enim nunquam vi aut armis ad homines ab erroribus abducendos uſos eſſe. Non deeſſe qui reſpondeant, inepte ad hoc exemplum provocari, cum nec Chriſtus, nec Apoſtoli talem ſibi poteſtatem, qua Magiſtratus gaudent, arrogarint. Quin Bellarminus, obſervante Auctore, aſſerit, tempora mutata eſſe. Apoſtolos hac methodo errantes convertendi uſos non eſſe, quia eodem uti non potuerint, imperio deſtituti. Aſt poſtquam Eccleſia hanc facultatem vi cogendi diſſentientes adepta eſt, nihil obſtare quo minus eandem uſurpet. Sed reſpondet Saurinus, ſi Romanenſes invictis argumentis comprobaverint, Eccleſiæ jus cogendi ſecus ſentientes competere, tunc demum eos concludere inde poſſe, Chriſtum & Apoſtolos hanc poteſtatem exercere noluiſſe, qua cæteroquin uti iis licuiſſet; iſtud vero cum nulla ratione evincere poſſint, ſuum argumentum invicto hactenus pollere robore. Alterum argumentum Auctori contra Romanenſes ſubminiſtrant exempla primitivæ Eccleſiæ. Equidem in Priſcillianum ejusque aſſeclas a Maximo, inſtinctu quorundam orthodoxorum, durius quam par erat, animadverſum fuiſſe fatetur: ſed ſimul obſervat, Priſcillianum non tam ob hæreſin, quam ob alia crimina turpiſſima, ſupplicio affectum fuiſſe: nec tamen & defuiſſe ea ætate, quibus nimius illorum rigor, qui Priſcillianum accuſarunt, diſplicuerit. Sed ne exemplis tantum errorem Romanenſium impugnare videatur, rationes quoque in aciem prodire jubet. Ut hæreticus juſte puniri queat (ita rationes ſubducit,)

ducit, neceſſe eſt, ut ſummus Imperans ferre etiam leges poſſit contra hæreſin, quibus ſubditi omnes obedire obſtricti ſint. Jam vero nihil ineptius eſt, quam ſummo Imperanti facultatem leges de rebus fidei, quid credendum ſentiendumve ſit, ferendi tribuere. Namque ſi Imperans quid credendum ſit, definire poſſet, eum erroris omnis immunem & extra errandi periculum conſtitutum eſſe oporteret; quod tamen cordatiores Romanenſium ne de ſummo quidem Pontifice aſſerere audeant. Deinde ita argumentatur: in pœnis omnibus Imperantes duplicem finem ſibi propoſitum habere, emendationem tum ejus qui punitur, tum aliorum qui ſupplicio a ſimilibus delictis deterrentur. Neutrum autem horum finium, ſi hæretici puniantur, obtineri poſſe. Illum enim, qui punitur, hoc ipſo non convinci, religionem, cui addictus eſt, falſam eſſe. Ceteri autem multo minus convincentur, cum nemo ſanæ mentis colligere poſſit, hanc doctrinam erroneam eſſe, quia qui eam profitentur, comburuntur, aut alio modo puniuntur. Tertio addit: licet pœnæ non ſint ſalutares, eas tamen ad minimum non debere eſſe pernicioſas. At pœnas, quæ hæreticis infliguntur, tales eſſe, id quidem eſt, quod Auctor pluribus ediſſerit. Hiſce argumentis impugnata Romanenſium ſententia, quæ pro ea defendenda in medium afferunt, erudite diluit. Perperam ab illis hæreticos cum latronibus & homicidis comparari probat. Namque ne quis alterum interficiat, Imperantem lege civili ſancire poſſe: aſt eundem neutiquam definire poſſe, quid credendum ſit. Latrones & homicidas contra conſcientiam leges migrare: id quod de pleriſque hæreticorum ſecus ſe habeat. Divinas leges, quibus Prophetas mendaces, blaſphemos & idololatras capitali ſupplicio affici Numen jubet, illis neutiquam eſſe præſidio. Deum enim quodvis peccatum recte æternis cruciatibus, multo magis ſupplicio temporali punire; aſt ſummum Imperantem neutiquam putat tantam poteſtatem ſibi vendicare poſſe. Deinde ingens etiam intercedere diſcrimen inter ſeductorem talem, qualem Divinæ apud Moſen leges punire jubent, & hæreticum. Eliam quadringentos & quinquaginta ſacrificulos Baaliticos interficientem, in exemplum trahi non poſſe, cum Divino afflatu perculſus hoc fecerit. Jehu autem Regem Iſraelis vim fraudi doloque miſcentem, citra dubium Divinas migraſſe

 leges.

leges. Ad exempla Petri adverſus Ananiam & Saphiram, & Pauli adverſus Barjeſum ſummo rigore utentium, eodem modo reſpondet, ea ſcilicet ſingularem Numinis afflatum arguere. Effatum Servatoris, *compelle eos intrare*, vim moralem, quæ argumentorum pondere & robore abſolvatur, denotare. Ad leges civiles denique Imperatorum vel ideo fruſtra provocari, quod & hi homines fuerint, & mirum adeo non ſit, eos aliquando a recto aberraſſe tramite. Quod a nonnullis porro objicitur, licet hæretici ob actum animi internum, certam ſcilicet de doctrinæ cujusdam veritate perſuaſionem, puniri nequeant, ob denegatum tamen Imperanti obſequium, ſi is certos actus illis prohibeat, eos recte puniri poſſe; ita diluit, ut diſtinguat inter actus externos, qui ex religione ipſa fluunt, adeoque neceſſarii ſunt, & actus externos, qui ex religione non fluunt, & adeo pro indifferentibus recte habentur. Actus poſterioris ordinis imperio civili plane ſubjicit Auctor, eosque & prohiberi, & mandato non obedientes recte puniri poſſe fatetur. Secus autem de actibus prioris ordinis ſentit. Subjicit denique ſex obſervationes, quibus hactenus allatis lucem affundere annititur. Pleræque tamen eo tendunt, Romanenſes etiam quoad modum puniendi hæreticos multiplici ratione peccare, judiciorum ordinem non obſervando, reumque nec per teſtes nec alia ratione convictum igni adjudicando, fidem datam violando, pœnas juſto rigidiores dictitando, & quæ id genus alia ſunt.

Sect. IV. Ceterum cum & inter Proteſtantes non deſint, qui diſſentientes non ferunt, adeoque Intolerantibus ab Auctore annumerantur, cum hiſce etiam congrediendum ſibi exiſtimavit. Principem autem inter hoſce locum cum Jurius, cenſente Auctore, teneat, hunc etiam præcipue ſibi refellendum ſumſit. Sententia autem Jurii, ipſo referente Saurino, huc redit: (1) hæreticos tantum ob hæreſin non eſſe puniendos: (2) in eos tamen animadverti poſſe, ſi actus externos religionis contra mandatum Magiſtratus exerceant, eo quod hic imperio, non quidem in corda & conſcientias, in linguas tamen & manus gaudeat: (3) non tamen eo usque procedendum, ut ſanguis ſecus ſentientium profundatur, niſi hæreſi inſigne addiderint ſcelus. Primam & ultimam aſſertionem Saurinus admittit: ſed contra mediam pluribus argumentis inſurgit. Primum

mum hoc eſt: Deo imperium in conſcientiam, ſive illa vera ſit, ſive erronea, competere, cumque actibus externis, ſive lingua & manu, conſcientia non minus lædatur quam internis, ad illos ſubditos cogi non poſſe. Alterum argumentum ab iis, quæ hanc ſententiam conſequuntur, depromptum eſt: ſi enim, inquit, ſemel Magiſtratibus permittatur, hæreticos punire propter actus religionis, ſive tales, quos illæſa conſcientia ſe omittere non poſſe putant, facile ad extrema proſilient. Tertio denique per hancce doctrinam tyrannidem Eccleſiæ Romanenſis, ſi non defendi, ſaltem excuſari poſſe, autumat. Quæ omnia prolixius ediſſerit. Iis autem, quæ contra ſuam ſententiam afferri poſſunt, hunc in modum occurrit. Primo non negat, ſummum Imperantem obligatum eſſe ad gloriam Dei promovendam: ſed eam hoc modo promoveri poſſe, aut Imperantem, ut hac ratione eam promoveat, obſtrictum eſſe, abnuit. Πρῶτον ψεῦδος Jurii in eo poſitum eſſe, quod exiſtimet, Imperantem omni poteſtate, præſertim circa ſacra privari, niſi illi concedatur poteſtas hæreticos propter actus quosdam religionis puniendi. Deinde quæ a Jurio ad mentem Grotii recenſentur, jura Imperantium, in dubium non vocat; quæſtionem tamen, quo pacto Imperans poteſtate ſua in puniendis hæreticis uti debeat, remanere ait. Porro ad exempla Principum tum Iſraeliticorum, tum Chriſtianorum, tum denique Ethnicorum, quibus Jurius ſuam ſententiam communivit, reſpondet, non ex exemplis, ſed ex legibus & rationibus hac de re judicandum eſſe: deinde quousque hæc exempla pro Jurio faciant, inquirit. Fruſtra quoque ab Intolerantibus regeri contendit, hac ratione Principes ad ſcelera, quæ ut puniantur aut ipſorum, aut ſocietatis civilis intereſt, vindicanda acriter inflammari; contra ad ea, quibus ipſum Numen læditur, & homines æterna ſalute privantur, ulciſcenda languidiores reddi. Quædam enim crimina ita comparata eſſe, ut a Deo potius quam hominibus puniri debeant: latrones quoque, & qui ſimilibus ſceleribus ſe obſtringunt, phyſica ratione vim hominibus afferre, indeque & eodem modo illis obviam iri poſſe; cum hæretici contra morali ſolum ratione in alios homines graſſentur, libertatis autem uſum illis non adimant: accedere denique, quod Princeps latrociniis & cædibus obicem ponens in conſcientias non ſæviat, cujus tamen criminis non ſit immunis, ſi quid credendum ſentiendumve ſit, præſcribere in animum inducat.

Sect. V. Finem operi imponit contra illos, qui in tolerandis diſſentientibus nimii ſunt, nonnulla monendo. Diſcernit autem ab Indifferentibus, ut vocat, hoc eſt, illis qui omnes ſectas eodem loco habent, illos qui diſcrimen religionum agnoſcunt, ſed tamen diſſentientes deteriori loco, quam ipſi ſunt, in civitate eſſe nolunt. Hinc & actus, qui tamen e religione ipſa non fluunt, iis prohiberi, in commodis percipiendis eos aliis poſtponi, privilegiis aut privari, aut dum aliis impertiuntur, præteriri, & id genus alia, ægre ferunt. Quo jure hoc fiat, Auctor paucis diſquirit, & ad dubia reſpondet.

## *JOH. CHRISTOPHORI STURMII PHYSICA ELECTIVA SIVE Hypothetica. Tomus I. partem Phyſicæ generalem complexus &c.*

Norimbergæ apud W. M. Endterum, 1697. in 4. Alph. 5. pl. 14.

SCopus Authoris celeberrimi in hoc primo Phyſicæ Electivæ tomo, cæterisque, ſi vitam Deus viresque conceſſerit, ſecuturis hic eſt, ut rerum Naturalium cognitionem Lectoribus ſuis, pro ſua virili quidem, ingeneret, rebus magis quam verbis gravidam, ab altercandi ſtudio abducentem, diverſas diverſorum ſententias, quantum pote, conciliantem, quodque præcipuum eſt, ad *Sui*, *Mundi*, *Deique* notitiam, quantum ejus ex lumine rationis haberi poteſt, ſcientifice deducentem. Eſſe vero Mundum ſupponit, nemine qui vel obiter eum ſuis oculis luſtraverit contradicturo, opus & magnitudine, & rerum contentarum multitudine, & phænomenorum effectuumque varietate, pulchritudine & excellentia prorſus ſtupendum; adeoque ſimpliciter impoſſibile, ut unus aliquis Ariſtoteles aut Carteſius, vel ſolis phænomenis obſervandis ac enarrandis omnibus, nedum omnium ac ſingulorum cauſis rimandis & explicandis, par ſit; imo ſi homines omnes Naturæ periti & ſcrutatores, Ariſtoteli & Carteſio ingenio pares eſſent, Naturæque miraculis perveſtigandis nocte dieque incumberent, nunquam tamen eos, ne junctim quidem & collatis in unum ſymbolis, vel mille ſecula durante mundo, ejus mirabilia exhauſturos, verasque & indubias omnium rationes detecturos eſſe: ut ſumma inde neceſſitas imponatur de Natura quippiam cum fructu commentaturo, e celebriorum Naturæ-conſultorum, tum priſcorum tum recentiorum, obſervatis & experimentis optima ac certiora eligendi, cum ſuis conjungendi, & ex

eorum

eorum rationibus, quas diverſi diverſas excogitarunt, eas cum judicio ſeligendi, quæ videantur obſervatis & phænomenis quam maxime reſpondere, neque adeo aliam quam *Eclecticam* vel *Electivam Phyſicam* conſcribendi. Quod aſſertum cum a Sectariorum quorundam exceptionibus vindicaſſet, alterius quoque cognomenti ſuæ Phyſicæ rationem redditurus, non aſſentitur quidem ſimpliciter clariſſimo *Perraltio*, omnem certitudinem Phyſicæ denegare viſo, ſed præter innumera phænomena plane indubia in hiſtoria Naturæ obvia, etiam cauſas plurimorum phænomenorum indubias eam in promtu habere, exemplo eclipſium, tum in magnis luminaribus, tum in Jove ac ejus Satellitibus, & utrarumque variarum circumſtantiarum, incrementorum lucis in facie Lunæ, ♀ & ☿, virtutis item elaſticæ in aere, indeque dependentium innumerabilium Naturæ effectuum, nec non phænomenorum in viſione directa, reflexa & refracta, circa thermoſcopia, hygrometra &c. occurrentium, contendit; non negans tamen, in quamplurimis effectibus Naturæ, conjecturis adhuc agi & hypotheſibus, ut *Hypotheticam* adeo cognominare *Phyſicam* haut incongruum ſit, nec tamen deſperandum, quin temporis progreſſu una & item altera hypotheſis, ſubinde limata rectiusque exculta, in ipſiſſimam veritatem ſit abitura, aut veritati ſaltem futura proxima. Quod ut plenius intelligeretur, quid hypotheſes Phyſicæ ſint, quæque meliorum notæ & conditiones, uberius pertractat, tandemque quatuor hypotheſes Phyſicas generaliores ac celebriores, *Ariſtotelicam* puta *vulgarem* ſive Scholaſticorum, *Democriticam* ſive Gaſſendiſtarum, *Carteſianam*, & *Græco-Peripateticam*, fuſius enarrat. Poſteaquam vero Phyſicæ ſcientiæ, tametſi adhuc imperfectæ, & quantocunque etiam omnis poſteritatis cultu adhibito, imperfectæ ſemper futuræ, inſignem tamen utilitatem in cognitione Sui, Mundi, DEIque, ſive Microcoſmi, Macrocoſmi, & utriusque Conditoris, nec non in communi hominum vita, generatim tantum, at paulo pluribus deduxiſſet; duas præcipue hominum opiniones obiter perſtringit, erroriſque & falſitatis convincit: alteram aliquatenus injurioſam, qua Phyſicam, imo univerſam Philoſophiam, aut nullius uſus, aut exigui futuram, nonnulli inconſideratiores ſibi aliisque perſuadent, niſi ſuperiores Facultates aliquo ejus ſervitio hinc inde indigerent: alteram multum inſuper pernicioſam, qua nonnulli ſum-

mi Numinis exiſtentiam ex rectæ rationis lumine demonſtrabilem esſe, impudenter negant. Et hæc omnia quidem quatuor diſtinctis Præliminarium articulis ubertim & explicatius conſectatur.

In ipſo progreſſu operis, ordinem rerum in ſcholis receptum fere ubique ſervat, ſed methodo peculiari, Phyſicæ Electivæ ſeu Hypotheticæ accommodatiſſima utitur, quæ primum phænomena, tanquam rem facti enarrat, atque ita Naturæ hiſtoriam in unoquoque rerum genere contexit; deinde vero diverſas, ac celebriores quidem eas, Phyſicorum hypotheſes fideliter recenſet; tandemque aut conciliationem earum, quantum pote tentat, aut unam ſibi meliorem cæteris viſam ſeligit, vel propriam eis & probabiliorem omnibus ſubſtituit, rationibus ſingularum potiſſimis, qua par eſt modeſtia, excuſſis, & eadem libertate quamvis aliam, quæ ſibi veroſimilior videatur, eligendi, aut aliam novam ſurrogandi, cuilibet relicta. Sic in primo ſtatim capite liticulam Scholarum de principiorum internorum numero, tanti non eſſe exiſtimat, quin iſta miſſa penitus in ipſa rerum naturalium tractatione progredi feliciter liceat; de cætero vero, ſi qui materiam ſolam pro ſubſtantiali principio interno habere, formam autem & præcedaneam ejus abſentiam, ſed cum aptitudine illius recipiendæ conjunctam, pro materiæ modis tantum agnoſcere, alii vero formam ſaltem, alii denique privationem quoque dicto modo conſideratam, inter interna corporum generabilium principia recipere velint, facile inter eos convenire poſſe credit ac docet, dummodo ſeſe mutuo patienter ac citra affectum audire, recteque alteri alterorum mentem percipere dignentur. De materia deinde omnium prima, vel ſimplici, vel communi artificialibus æque ac naturalibus corporibus (qualem equidem neceſſario ſupponi, non ſolum argumento illo vulgari ab abſurdo proceſſu in infinitum deſumto probat, ſed & hoc alio minus vulgari ac diſputabili, quod ſi nulla eſſet prima materia, nulla poſſet in mundo fieri actuque abſolvi generatio, ſiquidem cujus nunquam factum eſt initium, illius finis & complementum fruſtra expectatur) acturus, multa præmittit experimenta materiæ diviſæ in minutias ſtupendæ exilitatis, naturali quadam analyſi facta; indeque, poſt enarratas varias ac multum pugnare viſas Phyſicorum de materia prima hypotheſes, concludit, Phyſico ut tali nequaquam opus eſſe, ut aliam quæ-

ram

rat materiam primam aut ſimplicem, præter ipſas illas minutias, per evidentem ejusmodi analyſin, aut reapſe factam, aut imaginando ſaltem ulterius exporrigendam, omnium ſeculorum conſenſu, evidentiſſime repertas aut reperiundas; quippe quibus ſuppoſitis, omnis corporum tam naturalium quam artificialium compoſitio, indeque fluentes affectiones, deduci poſſint, dummodo inter illas minutias aut punctula phyſica, divina manu facta varieque figurata &c. (quod in progreſſu probatur) etiam animatorum rudimenta organica, majori adhuc artificio parata, ſupponantur. Quod ſi vero, hac materiæ ſimplicitate phyſica non contentus, ulteriorem aliquis, metaphyſicam & omnis compoſitionis expertem, ſibi demonſtrari poſtulet (quod Phyſico quidem ut tali nequaquam incumbat) utique præter extenſionem iſtarum quantularumcunque minutiarum ſive atomorum, ab Ariſtotele non minus quam a Carteſio aliisque quovis ævo Philoſophis agnitam, nihil reperiri, quod ſimpliciſſimam materiæ naturam exprimat: ſed, quod inprimis tenendum putat, realem hic & cum impenetrabilitate conjunctam extenſionem intelligendam eſſe, non imaginariam & quomodocunque conceptibilem, qualem etiam in rerum defectibus non poſſumus non agnoſcere, & in ſpeciebus vultuum noſtrorum, quas intra vel pone ſpecula, ubi non ſunt, videmus tamen oculis ac dimetimur, imo in ipſo nihilo concipiendo excludere nullo modo poſſumus; in quo *Carteſii* Sectatores vel maxime a ſcopo aberraſſe, & in difficultates inſuperabiles ſemet induiſſe, *H. Morum* autem adhuc gravius lapſum docet, dum nihilum illud antemundanum, mundo huic materiali, a quo nunc actu occupatur, recipiendo æquale utique concipiendum, pro ipſo DEO mundi conditore venditat. Quæ omnia tamen acriter pro & contra diſputabilia Phyſicum qua talem nihil attinere cenſet, quippe qui muneri ſuo ſatisfacere abunde poſſit, ſive ſpatium aliquod inane vaſtum extra mundum, ſive parvula & exilia inania intra particularum materialium interſtitiola [quarum interim conſiderationem, ratione magnitudinis ac diverſiſſimarum figurarum, magni eſſe momenti in Phyſicis, Cap. I. Phæn. VIII. Cap. III. Phæn. IX. X. & XI, alibique docet] ſupponantur, aut minus admittantur. Interim ex reperta per analyſin materia prima phyſica, imo ex quacunque alia, in Epilogo cap. II. ſeqq. deducit confectaria: 1. Materiam-

teriam primam quomodocunque conſideratam, eſſe rem & ſubſtantiam vel actu diviſam, vel diviſibilem, & conſequenter figurabilem, mobilem, diſponibilem &c. verbo paſſivam, actionis non expertem ſolum, ſed omnino omnis activæ potentiæ incapacem. Ergo 2. ad ſui ipſius productionem, motionem, formationem &c. ineptam; alius adeo productoris, motoris, formatoris, ſibi contradiſtincti, adeoque immaterialis, indigam. Porroque 3. cum ex alia priore materia ipſam primam produci fuerit impoſſibile, nulla præexiſtente materia productam, h.e. ex nihilo, atque adeo omnipotenti virtute creatam, motam, formatam &c. 4. Quemadmodum autem nec ipſa ſeſe movere potuit, ita nec unam ejus partem alteram movere poſſe, quippe ipſam motoris indigam, a quo ſolo adeo partes materiæ unæ per alteras, ab eodem prius motas, moveri neceſſum habeant. Denique 5. cum mens noſtra actionum plurimarum ſibimet intime conſcia ſit, hanc a materia penitus diverſam & immaterialem eſſe.

Cum itaque materiæ ejusque partibus nullam vim motivam ac vere activam competere, neque competere poſſe, ex dictis evidenter conſtaret; inquirendum nunc porro erat, annon in formis ſaltem cum materia uniendis, & ſic in compoſita varia coalituris, aliqua vis motrix & vere-activa veniat agnoſcenda? Cui rei accuratius dijudicandæ illud inprimis fundamenti loco ſubſternit, quod formæ in ſtrictiſſimo & accuratiſſimo vocis ſignificatu relativum quippiam notent, quo exiſtente formatum etiam exiſtat, & ad functiones proprias obeundas habile ſit, quodque viciſſim, formato poſito, neceſſario & ipſum exiſtat, iſti adeo & eſſe dans & operari. Quo ſenſu certe non rationalis anima (quod unum exemplum totam hanc de formis doctrinam mire intricaverit) ſed hujus potius unio cum corpore organico, neceſſario præſupponendo, plenariam & adæquatam hominis formam conſtituat, quippe qua unione poſita homo ponatur, & viciſſim homine poſito illam unionem poni neceſſum ſit; cum econtra, homine poſito, ponatur etiam anima rationalis, non autem viciſſim anima rationali poſita exiſtente, ſtatim homo exiſtat, niſi hæc ipſa exiſtentia animæ ad poſitionem ejus in corpore organico, atque adeo ad ipſam illam unionem cum hoc reſtringatur, ipſis id fatentibus adverſariis, & hoc pacto in noſtram ſententiam non adverten-

do

do tranſeuntibus. Hoc vero ſenſu accepta formarum voce, unum & generalem formarum omnium conceptum haberi, qui ſubſtantiales quidem illas h. e. eſſentiales ſuo quamque compoſito, non ſubſtantias tamen abſolutas & per ſe exiſtentes exhibeat, ſed varios ſolum materiæ modos, aut plurium modorum in certos uſus deſtinatorum complexum & correſpondentiam dicat, prout ſane materia, quam informare & in qua recipi debent, non ullius alterius rei, quam talium modorum capax eſt. Huic igitur formarum conceptui in Epicriſi cap. III plurimis argumentis prolixe confirmato, in epilogo tandem huic capiti ſubjuncto ſequentes ſuperſtruit concluſiones: 1. Formas, tanquam materiæ inertis mereque paſſivæ modificationes tantum, multo minus quam earum ſubſtantiale ſubjectum, virtute quadam vere activa, motiva, & operativa eſſe præditas; ſed uti materia generatim corporibus ex iſta formatis mobilitatem ſimpliciter, ita formas talem vel talem ſpecificam mobilitatem conciliare, principium interim aliquod vere agens & movens etiamnum præſupponentes. 2. Hujus principii vere agentis omniaque moventis, nimirum inventi ſupra Creatoris materiæ, virtuti motrici, omnium quoque formarum, ſolo quippe motu & partium materialium variantiſſima diſpoſitione & compoſitione oriundarum, originem deberi, illumque adeo materiæ Creatorem, totius etiam hujus mundi aſpectabilis Factorem, Productorem & Conſervatorem eſſe; cujus adeo 3. immenſam potentiam, incomprehenſibilem ſapientiam, & inexhauſtam bonitatem, inenarrabilis illa formarum, omnibus retro ſeculis in omnibus immenſi mundi angulis exortarum, & hodienum exorientium, & in fines creaturis omnibus, præſertim homini, utiliſſimos directarum, varietas & multitudo plane evincat, amplius etiam idem evictura, ſi ad mentem Scholaſticorum formæ ponerentur ſubſtantiæ. Cum vero 4. nec materiæ vis activa competat, nec formis velut materiæ meris modificationibus; manifeſtum eſſe, quod neque compoſito ex utroque vis activa ineſſe queat, ſed uti materia ſimpliciter, ita forma & compoſitum taliter moveri a Motore ſummo & unico, neceſſum habeat.

Ita vero ex ipſa principiorum internorum natura deductis concluſionibus, quod neque materiæ, nec materiatis ullis, vis agendi aut active movendi, imo (quod p. 158 & ſeq. porro evincitur) ne

capacitas quidem talem agendi movendique potentiam divinitus recipiendi, aut, ſi per impoſſibile recepta ponatur, in actum, niſi DEO movente, deducendi tribui poſſit; eandem veritatem deinceps, e conſiderata & profundius eruta ipſius motus natura, in Epicriſi cap. IV. p. 159. & ſeqq. denuo corroborat, poſteaquam ex agnita dudum ab ipſo Ariſtotele aliisque quovis ævo Philoſophis difficultate, imo impoſſibilitate, quid rei motus eſſet explicandi, in eam tandem ſententiam neceſſitate quadam protractus eſſet, quam Lana & Hamelius quaſi per tranſennam obiterque proſpexerant: motum nempe localem eſſe rem mere arbitrariam, cujus adeo rationem dari aut explicari non poſſe mirum eſſe non debeat, (quam rem in Appendice Sect. I. Digreſſoria p. 229 & ſeqq. plurimis prolixe perſequitur) & quemadmodum materiæ & materiatorum exiſtentiam a mero DEI arbitrio dependere demonſtratum eſt, ita materiæ motum localem, h. e. ejusdem ſucceſſivam in pluribus locis exiſtentiam, (nec enim ulla alia mutatio corporibus motis obtingit) tanto magis a ſola Dei liberrima voluntate dependere, quanto plus eſt rem unam eandemque, uti per plura temporis momenta, ita in pluribus ſucceſſive locis exiſtere, quam ſemel & ſimpliciter unico momento in unico loco exiſtere. E qua veritate ſic eruta & ſtabilita, quod motus localis efficiens, aut, ſi mavis cum P. Lana, exigens cauſa alia eſſe non poſſit, quam voluntas DEI infinite-potens, intrepide porro infert, invitiſſimis licet omnibus præjudiciis; neque corpus ullum, ut quod voluntate prorſus deſtituatur, neque mentem finitam ullam, utpote voluntate quidem ſed finita præditam, active-movendi potentiæ capacem eſſe. Cui concluſo cum duo cumprimis præjudicia obſtent; alterum de corporibus unis ab alteris, ipſo ſenſu teſte, manifeſte motis, alterum de motibus artuum in humano corpore a mentis nutu evidentiſſime pendentibus; utrique prolixius atque ita reſpondet, ut corpus unum ab altero moveri non neget, ſed prius aliunde moto, atque adeo virtute non propria, ſed illius a quo motum fuerat; & a nutu mentis humanæ corporeos motus, non omnes, ſed aliquos tantum pendere fateatur, non efficienter tamen, ſed occaſionaliter tantum, & ex hypotheſi voluntatis divinæ lege univerſaliſſima ſemel pro ſemper expreſſæ & ubique efficaciter operantis; quod utrumque fuſius älleg. l. deductum videri, quam

hîc

hic enarrari poteſt, prout etiam Epilogi huic cap. IV. ſubjuncti monita propriæ Lectoris curæ & meditationi commendanda veniunt, & aliis quibusdam obviis facillime difficultatibus promte penitusque tollendis ea præprimis attendenda, quæ p. 174 & 177 ſimilitudine quadam illuſtrata reperiuntur.

*In cap. V.* enarratis primum, ex more receptæ methodi, præcipuis circa corporum naturalium eorumque effectuum naturalium uſus varios in cœlo terraque ubique obvios phænomenis, ac recenſitis deinceps diverſis diverſorum Authorum hypotheſibus circa cauſarum finalium in Philoſophia naturali vel admiſſionem neceſſariam, vel excluſionem tanquam inutilium, nec absque temeritate & arrogantia inquirendarum; in Epicriſi ſubſequente fatetur quidem, omnium actionum ac decretorum divinorum fines, motiva, & cauſas impulſivas perveſtigare velle, ſummæ non ſolum arrogantiæ ac temeritatis, ſed etiam dementiæ eſſe, neque cupiditate quadam gloriæ allectum DEUM opus tam glorioſum condendi mundi aggreſſum; nequaquam tamen ejus beneplacito repugnare, quod hoc ſuum opus occaſionem eſſe homini voluerit cognoſcendi & glorificandi Conditoris, idque hominis ipſius potius quam ſuo aliquo commodo. Operum vero ſingulorum & partialium formarum fines & uſus ſolicite inveſtigare, non ſolum licitum, ſed apprime neceſſarium judicat. Quod cum Carteſius ipſe, ſub uſuum ſaltem nomine, minime diffiteatur, inanem quandam λογομαχίαν inter ipſum & ejus adverſarios intercedere putat, non ſine utrorumque culpa, ex parte tamen Carteſii multo majori, qualem etiam in controverſia de brutorum ſenſu ejus ſaltem Sectatores admiſiſſe prolixe docet, & poſt alias vanitates in illa lite de cauſis finalibus, ex parte Carteſianorum maxime, demonſtratas, Epicuri tandem ineptias prorſus intolerabiles acriter convellit, & in totius cap. Epilogo, DEUM univerſi Rectorem providentisſimum, novo argumento a cauſis finalibus petito; exerto quaſi digito oſtendit, omnia in hoc mundo propter certos aliquos fines agere, ſed ignotos ſibi, & ſoli eorum Directori DEO cognitos; unde iſta fine ordinario nonnunquam excidere, nunquam autem Directoris voluntatem providentisſimam, contingat &c. Et hæc e Prima Libri Sectione excerpſiſſe ſufficiat.

In II. Sectione Corporum naturalium affectiones generales conſide-

ſiderare ac ſcientifice tractare aggreditur, eo nomine intelligens non ſola propria in quarto modo, qui ſcholarum rigor olim ad tantam paupertatem ac ſterilitatem rerum reduxerat Phyſicam generalem, ſed quicquid corporibus naturalibus competit, vel generatim omnibus, vel pleriſque aut pluribus, ſive eſſentiale id fuerit, ſive eſſentiam conſequens, ſive denique merum accidens, facultas aut *δύναμίς ἐνεργητικὴ* vel *παθητικὴ* &c. ipſas etiam *ἐνεργείας* & operationes, imo *ςερήσεις* quoque ſeu privationes, *διαθέσεις* ſive diſpoſitiones, qualitates inprimis multivarias, ſenſibiles & inſenſibiles, &c. quas omnes Græcæ ſcholæ multo rectius inter *γινόμενα*, *συμβαίνοντα* & *φαινόμενα* corporum naturalium connumeraverint, digna quippe quorum cauſæ ſciantur & inquirantur, quorumque adeo complexu ſcientifico generalis etiam Phyſica rerum dives ac locuples obtineatur. Qua in re quid præſtiterit, Lectoribus ſuis ex ipſo decurſu operis judicandum relinquit, & ſubjectos cap. IV. V. ac X. Epilogos haut perfunctorie penſitandos commendat. Plures adhuc res & veritates, cauſis ſuis vel indubiis ac evidentibus, vel veroſimilibus ſaltem firmatas, circa variantiſſimas ac tantum non innumerabiles corporum & affectionum naturalium mutationes, in Sect. III. repertum iri confidit; ut fruſtra fortaſſe futurum ſit, aut pro Collectorum ſcopo longius, unum aut alterum inde excerpere. Illud potius adhuc monendum erit, Authorem ſub finem operis Diatriben peculiarem ſubjeciſſe, in qua uſum Phyſicæ generalis Metaphyſicum aut Theoſophicum & Moralem, quem per ipſum operis progreſſum ſparſim & per occaſionem ſaltem, in Epilogis capp. & Sectionum indicaverat, continuo filo deducere, ac denuo pleniusque, & mutata ſubinde ſermonis facie, demonſtrare aggreſſus eſt; quod veritatis quodammodo paradoxæ & apparenter novæ dignitas ac momentum omnino depoſcere videbatur, ut iterata vel tertia etiam vice, mutato tamen tantiſper orationis ſchemate, ad evitandum faſtidium, inculcaretur. Quod ipſum etiam impellens ipſi cauſa extitit, ut Specimen Theoſophiæ ſive cognitionis de DEO naturalis, ante pluſculos annos in Academia Norica a (S. T.) GUELPHO L. B. de Metternich, nunc Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Status ac Regiminis Novæ Marchiæ, methodo mathematica

ca conceptum, & ſub ſuo præſidio ſummo cum applauſu defenſum, Operi huic Phyſico auctarii loco annecteret.

*ROMANO-CATHOLICUS DUBITANTIUS IN DISPUTATIONE de Conceptione B. V. M. per D. P. F. Petrum de Alva & Aſtorga in Labyrinthos inextricabiles conjectus, viam tamen exeundi comiter monſtrante ELIA VEIEL, Theol. D.*

Francofurti & Lipſiæ, apud Mart. Scherpentier, 1697. in 4. Alphab. 1.

MAxima præſentis operis pars aliena eſt, ſummam exhibens libri a celebri ex ordine Minorum ſcriptore, Petro de Alva & Aſtorga, ſub titulo *Funiculi nodi indiſſolubilis de conceptu mentis & conceptu ventris*, Bruxellis A. 1663 editi. Ejus mentionem primam ſe percepiſſe dicit maxime reverendus Veielius e Viro quodam Hiſpano illuſtri, quem peregrinantem Ulmæ obvium habuerit. Cum enim in cæſis cum ipſo ſermonibus ad conceptionis Beatæ Mariæ Virginis controverſiam delati fuiſſent, eam imprimis ab iſto P. de Alva adverſus Dominicanos feliciter defenſam fuiſſe, ex ejus ore ſe cognoviſſe. Rariſſimus autem quod ſit hic liber, ex impenſo in eum conquirendum labore diu ſatis fruſtraneo collegit: unde, cum illius tandem redditus fuiſſet particeps, haud præter rem facturum ſe eſt arbitratus, ſi palmaria ejus argumenta & notabilia alia exin decerpta exhiberet. Is autem, quem illius Auctor ſibi præfixit, ſcopus huc tendit, ut jactatam doctrinæ Thomæ Aquinatis ab omni errore defectuque immunitatem ex una parte, & ex altera parte animæ Mariæ ab omni culpa & macula præſervationem inter ſe conferat, ac Dominicanis oſtendat, ea quæ ab ipſis dicantur de S. Thoma, deque ejus doctrina, operibus & ſcriptis, mentis conceptu, ſcientia & ſapientia, quoad puritatem, gratiam, prærogativas, privilegia; eadem longe majori jure & infinite majori gradu de Beatæ Virginis Mariæ conceptione, ejuſdemque puritate ac immunitate a peccatis, dici concedique debere. Qua de cauſa primum enarrat, quicquid in laudem D. Thomæ a Dominicanis ſolet congeri, imprimis doctrinæ ipſius approbationes, confirmationes, itemque qualificationes canonicas, ut ipſi perhibeant, in cœlo a Chriſto Domino, B. Virgine Maria, Petro & Paulo Apoſtolis, & B. Seraphico S. N.

Franciſco, in terra vero a ſummis Eccleſiæ Pontificibus, Joanne XXII, Urbano V, Pio V, & aliis factas; poſtmodum paria in laudem immaculatæ conceptionis Mariæ prolata introducit, & ex hiſce veluti præmiſſis eam infert concluſionem: impugnata hac Mariæ prærogativa, neceſſario & iſtam Thomæ præcellentiam corruere, ac viciſſim hac juſtis argumentis roborata, illam pariter confirmari, cum ſane incongruum ſit, Mariæ negare velle id, quod de Thoma multum Maria inferiore admittatur, & ex iisdem rationibus, quibus Dominicani conentur demonſtrare, puritatem doctrinæ a D. Thoma adſtructæ approbatam eſſe ab Eccleſia, invicte conſequatur, conceptionem quoque Virginis Mariæ ab eadem fuiſſe approbatam. Hoc ergo inſtitutum ſigillatim proſequentem Præſul noſter celeberrimus heic introducit, & dum in ejus diſcurſu recenſendo occupatus eſt, de ſuo nihil penitus adjungit. Finitis autem excerptis, tres quæ reſiduæ ſunt, plagulas epicriſi ſua complet, ac poſteaquam in Eccleſia Romana diutiſſime quidem agitatam, ſed nunquam deciſam fuiſſe litem hanc oſtendit, e Lucæ imprimis Waddingi Hiſtoria legationis Philippi III & IV quædam huc facientia decerpens, in magnas utique difficultates Alvam ſuo hoc invento Dominicanos (cum Scriptura quidem & cum antiquitate hac in parte rectius ſentientes,) vi reliquarum, quas foveant, hypotheſium conjeciſſe, neutiquam diffitetur. Lutheranos dehinc varia in uſum ſuum exin convertere poſſe edocet. Nimirum cum paſſim conſtet ex Alvæ libro, miraculis, viſionibus & revelationibus a Dominicanis pro S. Thoma allatis, nullam fidem haberi a Franciſcanis, iterumque Franciſcanis talia pro Maria urgentibus nolle Dominicanos aſſentiri, non indignari poſſe nobis quemquam ait, ſi nullis omnino Scriptoribus Pontificiis miracula, viſiones, revelationes in medium adducentibus, fidem poſthac præbuerimus. Quam fluxa porro, dubiaque & ambigua ſint Pontificum edicta, bullæ, brevia, privilegia, ex iis magno numero in hac collatione utrinque citatis, affatim patere autumat. Tandem diſſidia, quæ inter noſtrates quandoque exorta ſint, præ hoc unico oppido exilia eſſe, longeque facilius auferri aut componi poſſe aſſerit, quam illam diſceptationem, quæ tanto tempore Eccleſiam Romanam exercuerit, nec tamen niſi vel cum manifeſta veritatis divinæ jactura, vel Judicis, qui credatur, infallibilis dedecore finienda ſit. Unde ſimul

ſimul manifeſtum eſſe exiſtimat, viam longe tutiorem eligi ab Eccleſia Evangelica, quæ uti ſanctiſſimam Dei genetricem eo omni honore, qui in Scriptura eidem adjudicetur, afficiat, ita terminos divinitus præſcriptos migrare vereatur, cultusque divinos multiplicare merito formidet.

## *NOVA LITERARIA.*

DUo ſunt, quæ Lectori Benevolo indicanda cenſuimus. Primũ enim diſſimulare non poſſumus luctum noſtrum, quem ex obitu Viri de univerſa Eccleſia orthodoxa longe meritiſſimi, *D. VALENTINI ALBERTI*, nuperrime percepimus. Is enim, poſtquam in hac Academia, cujus decus ac ornamentum inſigne fuit, publici tum Philoſophiæ tum Theologiæ Profeſſoris munere per annos triginta & quatuor dexterrime perfunctus eſſet, dudumque ſcriptis eruditiſſimis in lucem editis apud exteros etiam inclaruiſſet, die nupero 15 Septembris, anno ætatis ſexageſimo ſecundo, ad Superos diſceſſit. Alterum problemata concernit, quæ in Actis noſtris menſe hujus anni Majo p. 214. Vir clariſſimus *Jacobus Bernoullius* Mathematum in Academia Baſileenſi Profeſſor, clariſſimo itidem Viro *Johanni Bernoullio* in Groningenſi Academia Mathematum Profeſſori, Frater Fratri, ſolvenda propoſuit. Solutionum enim illico compotem fuiſſe factum *Johannem*, easdemque jamdudum ad Virum illuſtrem & Geometrarum noſtri ævi facile principem ac arbitrum, *Gothofredum Guilielmum Leibnitium*, transmiſiſſe, ac ſuo tempore demonſtrationes additurum, ex hujus ad nos humaniſſimis literis compertum habemus. Interim quo minus & Geometræ alii problemata iſta tentent, inque iis ſolvendis ingenii vires periclitentur, atque ita promovendæ magis magisque interiori Geometriæ animum intendant, nihil eſt quod prohibeat.

## LIBRI NOVI.

*Hiſtoire d' Angleterre, d' Ecoſſe & d' Irlande, par Mr. De Larrey. A Rotterdam chez Reinier Leers, 1697. fol.*

*Callimachi Hymni, Epigrammata & Fragmenta, ex recenſione Theodori J. G. F. Grævii, cum ejusdem ac variorum annotationibus, & commentario Ezechielis Spanhemii. Ultrajecti apud Fr. Halmam & W. Vande Water, 1697. in 8.*

Sculptura

*Sculptura Hiſtoriarum & Temporum memoratrix. i. e.* Gedächtnüß-Hülffliche Bilderluſt/der merckwürdigſten Weltgeſchichten/*&c.* Nürnberg bey Jo. Dan. Taubern/ 1697. *fol.*

*La Iſtoria Univerſale provata con monumenti e figurata con ſimboli de gli Antichi: da Franceſco Bianchini Veroneſe. In Roma, a ſpeſe dell' Autore, 1697. 4.*

*De Virtutibus & Vitiis Diſputationes Ethicæ, auctore Joſepho Saenz De Aguirre, nunc S. R. E. Presbytero Cardinale. Romæ ex typographia Antonii de Rubeis, 1697. fol.*

*De S. Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellario illiusque munere, autoritate & poteſtate Enarratio Joannis Ciampini. Romæ typis Bernabó, 1697. 4.*

*Pſalterium cum canticis verſibus priſco more diſtinctum, novaque literali explanatione breviſſima dilucidatum, ſtudio Joſephi Mariæ Thomaſii. Romæ typis Joſ. Vannaccii, 1697. 4.*

*Della Natura de' Fiumi Trattato Fiſico-Matematico del Dottore Domenico Guglielmini. In Bologna a ſpeſe di Lod. Maria Ruinetti, 1697. 4.*

*Reſponſio Danielis Papebrochii ad Exhibitionem errorum per P. Sebaſtianum a S. Paulo. Pars II. Antverpiæ apud Viduam Henr. Thieullier, 1697. 4.*

*Prænotiones Myſtagogicæ ex Jure Canonico. Sive Reſponſa ſex. Autore Nicolao Comneno Papadopoli Cretenſi. Patavii, ex typographia Seminarii, 1697. fol.*

*Jo. Petri Erici* Ανθρωπογλωττογονία, *ſive Humanæ Linguæ Geneſis. Venetiis, ſumptibus Autoris, 1697. 4.*

*Remarques ſur la Traduction du Nouveau Teſtament, faite par ordre du Clergé de France & par le miniſtere de Denys Amelot. Addreſſées au Roy de France, par Claude Bruſſon. A Delfft, chez Adrian Beemann, 1697. 12.*

*Le Saint Evangile de Jeſus-Chriſt ſelon S. Matthieu, traduit en François avec une Explication par Mr. Le Maiſtre de Sacy. A Paris chez Gu. Deſprets, 1697. 12.*

*Cours de Chymie, par Nicolas L'Emery. Neufieme edition. A Paris, chez Eſtienne Michallet, 1697. 8.*

*Antonii van Leeuwenhoek Continuatio Arcanorum Naturæ detectorum. Delphis Bat. apud Henr. a Krooneveld, 1697. 4.*

---

Tomi III Supplementorum Sectio III paucos ante dies prodiit.

* * *   * * *   * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Novembris, Anno M DC XCVII.*

## CALLIMACHI HYMNI, EPIGRAMMATA, ET FRAGMENTA, ex recenſione Theodori J. G. F. Græviī, cum ejuſdem & aliorum animadverſionibus, & annotationibus V. I. Ezechielis Spanhemii &c.

*Ultrajecti apud Fr. Halmam, & Gu. vande Water, 1697. in 8. Alph. 4. pl. 7. cum figuris æneis.*

SI quis antiquorum eſt, cui poſt renatas bonas literas excolendo atque illuſtrando plurimum operæ ſtudiique viri docti impenderunt, is certe Callimachus Cyrenæus eſt, Grammaticus & Poëta ſui ævi inſignis, ac celeberrimæ quondam Bibliothecæ Alexandrinæ ſub Ptolemæis Ægypti Regibus, Philadelpho & Evergete, præfectus. Et primus quidem poſt *Henricum Stephanum* de eo egregie meritus eſt *Nicodemus Friſchlinus*, Hymnis ejus in Jovem, Apollinem, Dianam, Delum, Lavacrum Palladis & Cererem, quibus antiquiſſimorum temporum hiſtoriam & gentilium mythologiæ origines complexus eſt, nec non Epigrammatibus, quæ cum paucis fragmentis aliis, ex octingentis, quos compoſuiſſe fertur, libris ſuperſunt, Latino carmine redditis, atque cum ſcholiis Græcis, ac luculentis annotationibus Tubingæ anno 1571 editis. Æmulatus eſt & ſuperavit forte Friſchlini induſtriam *Bonaventura Vulcanius*, qui novam operum Callimachi verſionem Latinam ligato itidem ſermone adornavit, Græceque adeo ea & Latine cum notis ſuis Lugduni Batavorum A. 1582 evulgavit. Aſt ſupremam iis manum impoſuiſſe videri potuit Fœmina ſupra ſexum ſuum docta, ac ornandis perficiendisque literis nata, *Anna Daceria*, Tanaquilli Fabri filia, quæ Lutetiæ Pariſiorum A. 1674 Callimachum in lucem denuo revocavit, cultisſimumque, & elegantisſimis illuſtratum annotationibus Orbi erudito

exhibuit. Neque ſic tamen doctorum virorum in ornando Hymnographo noſtro conquievit ſtudium. Novæ enim & multo auguſtioris editionis conſilium Vir Juvenis doctisſimus, *Theodorus Grævius*, Joh. Georgii Grævii, Viri illuſtris & Polyhiſtoris ſummi filius, noſtræ etiam quondam Academiæ aliquandiu ornamentum, cepit, paterna haud dubie & celeberrimorum aliorum Virorum exhortatione, proprioque in nitidiſſimum Poëtam ſtudio concitatus, egregiisque inſtructus ſubſidiis, magnoque cum apparatu rem aggreſſus. Qui licet labori huic, cum eo tantum non defunctus eſſet, magno ſummi Parentis cum luctu & literariæ rei detrimento fuerit immortuus; prodiit tamen poſt fata ejus nuper admodum nova hæc, quam molitus erat, Hymnorum, Epigrammatum & Fragmentorum Callimachi editio, non ipſius tantum Theodori, omniumque præterea, quæ lucem unquam adſpexerunt, annotationes complexa, ſed & ἀνεκδότοις hactenus tum *Pauli Voet*, Anteceſſoris dum viveret Ultrajectini graviſſimi, tum Viri celeberrimi & doctiſſimi *Richardi Bentleji*, qui Epigrammatibus imprimis & Fragmentis Poëtæ noſtri inſigne augmentum conciliavit, notis & locupletisſimis præterea indicibus ſuperbiens. Jamque non erat, quod circa Callimachum deſiderare ulterius aut pollicceri ſibi poſſet Reſpublica literaria: cujus tamen ſpem omnem & vota vicit Vir illuſtrisſimus, omnisque eruditæ antiquitatis promus condus, *Ezechiel Spanhemius*, qui ad ſymbolam novæ editioni conferendam invitatus, non ſtricturas, ſed juſtum commentarium dedit, peculiari eoque grandi ſatis volumine comprehenſum, inque eo non lucem tantum clariſſimam affudit Callimacho, difficillimis, quæq; maxime aliorum ingenia exercuerant, locis dexterrime expoſitis; ſed ea occaſione fabularis hiſtoriæ omnis genuinam originem, abſtruſiſſimosque gentilium ritus, ac interiores quasq; elegantis doctrinæ delicias, nummis etiam, aliisque antiquitatis monumentis in ſubſidium vocatis, explicare ſuſtinuit. Nobis ex tanta copia ſeligere, quæ huc tranſcribamus, cum omnia ſint egregia, difficile eſt. Itaque miſſis, quæ profundiorem in profana literatura eruditionem ſpirant, nonnulla nunc tantum ex iis, quæ id genus lucubrationum etiam in ſacris uſum commonſtrant, in tranſcurſu exaſciati operis hinc inde a nobis delibata, cum Lectore benevolo communicabimus.

Neminem latet miraculum a Moſe patratum, cum ex percuſſa pe-

petra aquam elicuit Exod. XVII, 6. Occaſionem hinc natam Span-
hemius arbitratur Callimacho, cui vel ex verſione Seniorum recenter Pag. 14.
in Bibliotheca Alexandrina, cui præerat, repoſita innoteſcere Moſaica
hiſtoria potuerit, ut in Hymno in Jovem v. 31, 32 Rheam fingeret per-
cusſiſſe montem ſceptro huncque ingentem aquæ copiam effudiſſe.
Cui ſimile miraculum, ab eadem Rhea in Cyziceno ſolo patratum,
coævus & Alexandrinus itidem Poeta Apollonius l. I. v. 1146. ſeqq.
memoret: & Strabo etiam l. III. p. 209. de venante Atalanta prædicet.
Sed & augurii ex volatu certarum avium diſciplinam, primamque au- 630.
ſpiciorum inter gentiles originem, cum Ludovico Capella, ex Noæ
corvum & columbam ex arca ad explorandum terræ ſtatum emitten-
tis hiſtoria arceſſit, confirmatque ſententiam ex eo, quod Deucalion
columbam ex arca eundem in finem emiſiſſe apud Plutarchum de So-
lert. Animal. p. 968 dicatur, & Argonautæ etiam, ut de felici per Sym-
plegadas tranſitu periculum facerent, auguralem columbam e navi
Argo emiſiſſe ab Apollonio Rhodio l. II. v. 328. memorentur. Uti-
que antiquiſſimā fuiſſe apud alias gentes, uſitatā & diu ante quā eadem
apud Græcos Romanoſve invaluiſſet, augurii diſciplinā, vel ex eo li-
quere monet, quod de Balaamo Madianitarum augure Num. XXIV.
v. 1. dicitur: *non ivit ſicut conſuetum illi erat* לקראת נחשים, (juxta
Septuaginta Seniores, *εἰς συνάντεσιν τοῖς οἰώνοις*) *in occurſum au-
ſpiciis*. Quin & ipſum interdictum divinum Levit. XIX. v. 26. *non
augurabimini nec auſpicabimini*, de more augurandi apud vicinas gen-
tes recepto teſtari. Qua occaſione Julianum notat, qui, ut refert
Cyrillus adverſus Julianum l. X. p. 356, 358 Abrahamum ipſum auguriis
impenſe fuiſſe deditum, cavillabatur, loco Geneſeos XV. v. 9, 10, 11
eum in ſenſum detorto. Non diſſimili ratione chorearum, quæ in
gentilium feſtis circa aram agi ſolebant, veſtigia in veteri Fœdere, tum 312.
alibi, tum imprimis Exod. XXXII, v. 19, ubi Iſraëlitæ circa vitulum au-
reum choreas duxiſſe memorantur, deprehendi Spanhemius obſer-
vat, variaque adducit veterum de *χοροῖς* illis *κυκλικοῖς*, (unde &
*κυκλιοδιδάσκαλος* apud Ariſtophanem alioſque, qui modum &
rationem eorum edocebat) loca. Porro juxta gentilium Theologi-
am piaculum cenſebatur, Deos coram vidiſſe, aut fana etiam, quibus 592. 603.
alioquin vetitum id erat, ingredi; adeo ut in graviſſimas pœnas &
omnis generis calamitates paſſim dicantur incidiſſe, quibus quocun-

que caſu etiam invitis aut inſciis id contigiſſet: nimirum quod Numi-
num ſuorum puritatem & ſanctitatem profanis oculis ſeu illicito aſpe-
ctu lædi ac temerari crederent. Et hoc ex ſacra veteris Fæderis hiſto-
ria hauſtum Vir doctiſſimus arbitratur, tum ex eo quod Deus per Mo-
ſen Exod. XIX. 21. 24. & XX. v. 19. prohibuiſſe dicitur, ne Sacerdotes
& Populus ad conſpectum Domini aſcenderent, niſi ab eo continuo
interfici velint; tum ex cladibus, quibus vel Philiſtæi 1. Sam. V. *6*, vel
Bethſemetes incolæ 1. Sam. VI. v. 19, vel Huzza 2. Sam. VI. v. *6*. *7*. ob
inſpectam intus ab iis aut attrectatam Arcam affecti fuerunt. Sacer-
dotia apud Hebræos hæreditaria ac gentilitia fuiſſe, ignorat nemo.
Sed & Argis inſignem tribum extitiſſe, e qua Argivæ illæ virgines, quæ
in annuo Palladis lavacro, ut ſtatæ ejus comites ac miniſtræ, ſolennia
567. ejusdem ſacra obirent, oriundæ fuerint, ex Græco Callimachi Inter-
prete notat Spanhemius; exemplisque pluribus adductis comprobat,
apud Athenienſes quoque & Græcos alios penes certas tribus vel fa-
milias ſacra patriorum Numinum rite procurandi munus fuiſſe. Si-
cut & in eo legi divinæ, qua inter Hebræos aliqua corporis parte mu-
621. tili a ſacerdotio arcebantur, conformes Athenienſium leges fuere,
quibus cautum itidem, ut nonniſi corpore integer ſacerdotium con-
ſequeretur. Et inter tot alia Græcorum θεολογούμενα, templorum
etiam penetralia apud gentiles & occulta ſacraria, in quibus Deorum
587. recondita erant ſimulacra, ſolis etiam quibus id licitum erat Sacerdo-
tibus & ſubinde ſemel tantum in anno conſpicua, e ſacris Hebræorum
ritibus, de ingreſſu nempe ſolius Pontificis, idque ſemel in anno, in
Sanctuarium, deque Arca & Cherubinis ibidem reconditis, petita, quis
inficietur? Nec aliunde, quam ex notiſſima Davidis & Bathſabæ hi-
ſtoria II. Sam. XI. hauſtum veroſimile eſt, quod de Jove ob viſam la-
589. vantem in fontanis aquis nudam Proſerpinam libidine accenſo, inde-
que clandeſtino ejus cum ea concubitu, ad veteris ea de re fabulæ fi-
dem Nonnus Dionyſ. l. V. p. 177. & l. VI. p. 187. narrat. Etiam illud,
253. quod Callimachus Hymno in Dianam v. 181. ſeq. fingit, Solem nimi-
rum voluptate captum diutius inſpiciendi Nympharum chorum, cur-
ſum ſtitiſſe, diesque inde protractos, ex veri utique & ſingularis mira-
culi, quo Sol & Luna ſtetiſſe dicuntur Joſuæ X. v. 13, aut alterius, quo
tempore Regis Ezechiæ retro ceſſiſſe Sol traditur 2. Reg. XX. v. 11. hi-
ſtoria hauſtum eſt. Sed ne his talibus immoremur diutius, unicum
adjice-

adjicere lubet de phraſi, *ſedere ad dextram*. Eam enim non honoris 62.
ſolum prærogativam aut manſionem auguſtam, ſed *poteſtatem* etiam denotare, aperte Callimachi locum Hymno in Apollinem v. 30. probare, cum Daceria Spanhemius obſervat. Cum enim Callimachus cœtum, ſi ex ſententia Apollinis cecinerit, honore ab eo affectum iri innuiſſet, ſtatim ſubdit: δύναται γὰρ, ἐπεὶ Διὶ δεξιὸς ἧσται, i. e. *poteſt enim, cum à Jovis dextra ſit collocatus*. Ut adeo in ſacro etiam Fœdere, ac inde in Apoſtolico Symbolo, ubi ad dextram Dei Patris ſedere Servator noſter dicitur, non honorem ſolum, ſed & poteſtatem innui, priſci jam Eccleſiæ Doctores, Auguſtinus, Hieronymus aliique recte agnoverint. Nec inelegans Spanhemii excellentiſſimi conjectura eſt, Callimachum in lectione veteris Fœderis in Græcam tum linguam a Senioribus converſi, ex Pſalmo CX. v. 1. phraſin hanc fuiſſe mutuatum. Sed ſpeciminis loco hæc ſufficiant.

## *NOVISSIMA SINICA, HISTORIAM NOSTRI TEMPORIS illuſtratura. Edente G. G. L.*

Anno 1697. in 8. plag. 14.

NIhil ab aliquo tempore Orbi Chriſtiano fructuoſum magis lætumque accidit, quam Religionis Divinæ libertas in ampliſſimo Sinarum Imperio ante hos quinque annos publico decreto ſtabilita. Primus, quãtum quidem nobis conſtat, rei gratiſſimæ nuncium ad Europæos miſit P. *Joſephus Suarius*, Luſitanus, Societatis Jeſu Miſſionarius Sinenſis, Pekinenſisque Collegii Aulici Rector, edito libello, quo & Miſſionariorum in annuncianda per Sinam Chriſtiana Fide ſtudium, & objectas iis arduo in negotio difficultates, & felicem tandem, impetrato anno 1692, d. 22 Martii ſolenni pro libertate Chriſtianiſmi edicto, conatuum eventum ſtudioſe enarravit: quem, ut fama tantæ felicitatis latius propagaretur, recudi non ita pridem, luculenta elegantiſſimaque præfatione ac opuſculis aliis auctum, ſub *Noviſſimorum Sinicorum* titulo curavit Vir illuſtris, *Gothofredus Guilielmus Leibnitius*. Equidem ſeculum jam, & quod excedit, lapſum eſt, ex quo poſt tentatum fruſtra tum a *Franciſco Xaverio* e primis Societatis Jeſu Patribus, tum ab aliorum religioſorum Ordinum Sociis nonnullis in Sinam ingreſſum, utpote quo exteri omnes lege publica prohibebantur, *P. Matthæo Riccio* ejusque commilitonibus tam felicibus eſſe licuit, ut

comparata ſibi Sinenſis linguæ peritia, & Proceribus nonnullis perinſignem Matheſeos & Aſtronomiæ inprimis, qua pollebant, ſcientiam conciliatis, clam ſenſimque, his conniventibus, in diverſas Sinici Imperii provincias ad ſpargendum Evangelii ſemen penetrarint, ſtationemque paſſim ac denique in ipſa Pekinenſi aula fixerint. Quorum progreſſuum hiſtoriam ex ipſis P. Riccii commentariis *P. Nicolaus Trigautius*, editis A. *1616* de Chriſtiana expeditione apud Sinas ſuſcepta ab Societate Jeſu libris V, curate deſcripſit. Aſt plurimum & augmenti & decoris naſcenti in Sinis Chriſtianiſmo *P. Joannes Adamus Schall* e Societate itidem Ieſu addidit, qui cum iam anno *1621*, rerum adhuc potiente familia Taiminga, in Sinam perveniſſet, poſt inſecutam rerum converſionem Sinamque a Tartaris ſubjugatam, eum gratiæ locum Aſtronomica ſcientia ſua apud novum Imperatorem *Xunchium* adeptus eſt, ut ſupremus Tribunalis Mathematicæ Præſes conſtitueretur, *præſtantis & arcanæ Legis Doctor* honorifico cognomento dictus: cui adeo in proclivi fuit, *Xunchio* ſuperſtite, & promovere Evangelii curſum, & ſi quæ hic illic ſe proderent, perſecutiones auctoritate ſua comprimere. Sed ea quidem felicitas cum ipſo Xunchio extincta eſt, adminiſtratione Imperii, dum filius illius *Khambius* ea tempeſtate minor adoleſceret, ad Quatuorviros e Proceribus, eosque Jeſuitis infenſiſſimos delata: quando paſſim in Chriſtianos ſævitum fuit, Schallio ipſo in præſentiſſimum vitæ periculum adducto, plurimis actis in exilium, fide Chriſtiana ex univerſo Imperio proſcripta; tribus tantum cum Schallio, qui non multo poſt obiit, Patribus Societatis Pekini remanere juſſis. Ex quibus tamen anguſtiis emergere res Chriſtiana cœpit, ſimul ac regno maturus *Khambius* anno *1667* imperii habenas capeſſivit. Nec enim difficile Jeſuitis fuit, Principis ſcientiarum omnium & Mathematicarum inprimis cupidiſſimi, probata ipſi Aſtronomicarum rerum inſigni, qua inſtructi erant, peritia, graphicis etiam ac artificioſis operibus oblatis, gratiam ſibi conciliare: ut non ſolum paulo poſt *P. Ferdinandus Verbieſt* Matheſeos Tribunali fuerit præfectus, ſed tandem omnibus, ſine diſcrimine, Chriſtiana ſacra amplectendi licentia impetrata. Id quo pacto & per quas ambages perfectum fuerit: ut nulli occaſioni, qua conſulere Chriſtianæ religionis libertati & incrementis poſſent, defuerint Patres; ut Imperator iis faventiſſimus, nec ſui tamen unius auſpiciis rem publice

blice inviſam promovere auſus, jam cum Tribunali Rituum, jam cum Imperii Comitiis, jam cum Tribunali operarum publicarum, de Chriſtianiſmo ſeu opprimendo, ſeu ſuſtentando firmandove egerit; ut promulgata iſthoc de negotio mandata publica fuerint, quorum aliis Chriſtiana fides prohibita plane, aliis permiſſa quidem, ſed licentia ad ſolos ex Europa advenas, indigenis excluſis, reſtricta; ut denique Imperator auctoritate ſua Tribunalium pervicaciam vicerit, cunctisque adeo, nemine excepto, ſolenni decreto permiſſum fuerit, inter Chriſtianos nomen profiteri: hæc ſunt, quæ eleganter ſatis a Suario in brevi hoc libello expoſita legi ab unoquoque merentur. Subjunguntur illi ab illuſtri Editore opuſcula alia (quæ inter & Epiſtola ad eum a viro celeberrimo P. Claudio Philippo Grimaldi S. J. perſcripta comparet) ad Sinenſem Hiſtoriam ſpectantia. Faxit modo Numen, ut ea felicitas rei Chriſtianæ ſit perpetua, nec unquam a Sinenſium Imperatoribus Edictum in eam ſatis benignum revocetur. Certe ab omni metu immunes nos non ſint, Imperatoris ipſius ad Jeſuitas apud Suarium noſtrum pag. 158. monitū: *ut ad beneficii* (non æternitatem ſed) *diuturnitatem caute eo uterentur, opus eſſe Chriſtianos, imprudenti agendi modo obnoxios in officio & quietos continere.* Sicut & alterum ejuſdem monitum ibidem expendi meretur: *ut Religio Chriſtiana ſe, quantum fieri poſſit, accommodaret Imperii conſuetudinibus.*

## *LATITUDINARIUS ORTHODOXUS.*

Londini, impenſis Samuelis Buckley, 1697. in 12. plag. 10 ½.

LAtitudinariorum aliquam delineationem, ad ductum Viri clariſſimi *Petri Jurii* conceptam, in Actis hujus anni p. 57. 58. dedimus, quæ utrum iſtorum faciem exacte ubivis referat, judicandum omnibus relinquitur ex hoc opuſculo, quod pro Syſtemate omnes ad religionem Latitudinariam ſpectantes articulos comprehendente poſtulat haberi ipſe Auctor, qui ſuum nomen reticere conſulto voluit. Paucis autem id abſolvitur, in duas partes, generalem alteram alteramque ſpecialem diviſum. Generalem auſpicatur ille a quibuſdam religionis naturalis axiomatibus, ſimpliciſſima, ut ait, illius elementa ſiſtentibus, quæ potiſſimum huc redeunt: id in quoque genere eſſe perfectiſſimum, cui cum propria ſua natura perfectiſſime conveniat; naturæ & feli-

felicitatis humanæ ſummum eſſe apicem, cum Deo communionem habere; eam optimam audire poſſe religionem, quæ perfectiſſimam cum Deo communionem doceat; communionem cum Patre habere omnes, qui Deum mundi creatorem agnoſcant, aſt cum Filio non habere, niſi Chriſtianos; cum Deus ſit abſolute perfectiſſimus, hinc optima quæque de eo credenda; eadem intentione Deum leges creatis dediſſe, qua vitam, & cuilibet mandato voluptatem propriam annexuiſſe; ſpiritum lumine naturali credenda & agenda cognoſcere. His poſitis ad religionem Chriſtianam procedit, quæ, cum nequaquam lumine naturali ſolum, ſed & revelato maxime nitatur, ex Evangelio cognoſci debeat. In hoc vero iſtam ad duo capita reductam deprehendi, ad fidem puta & ad reſipiſcentiam, quæ partes diſtinctæ quidem ſint, ſed inſeparabiles, ac explicatæ duæ appareant, ita tamen, ut in unam reducantur. Et fidem ſane etiam in religione naturali locum cardinalem obtinere ait, quippe quæ ſit ſumma erga Deum juſtitia, ejusque perfectionibus omnibus debitum honorem perſolvat; veritati, dum dicat, Deus abſolute verax eſt; omnipotentiæ, dum dicat, Deus omnipotens eſt, atque ſic deinceps. Eam in religione, quam vocat, Enochica, Abrahamitica, Moſaica locum fundamenti obtinuiſſe, unde & increduli puniti toties legantur. Sub Evangelio autem fidem eminere ait ſuper omnes virtutes, eamque, ſi lege non ſanciatur, præmiis certe ampliſſimis incitari, & legis operibus ita opponi, ut præponatur, obſervat. Ac illo quidem tempore, quo eam Chriſtus cum Apoſtolis flagitarit, egregia ejus merita fuiſſe, quæ regnante tamen jam religione Chriſtiana tanta non ſint. Maximam enim credendi difficultatem, quæ tunc emerſerit, allegat, ac profitendi periculum urget, & circa hoc non minus atque illam inevitabilem occurriſſe neceſſitatem ſuperaddit. Ceſſantibus interim hodie his partibus, fidei quidem meritis ſimpliciter ſumtis nonnihil detrahi, ſed ita tamen, ut ea perpetuum nihiloſecius ad promiſſam mercedem jus retineat, cum adhuc optimis virtutibus vel annumerari vel præferri mereatur. Quemlibet enim ea inſtructum cum omnibus Chriſti hoſtibus, ſine periculo forſan, at non ſine labore belligerare, & quicquid imperaverit obſequium Deo debitum, facere ac pati. Non carere porro eam queritur infelici illa virtutis proprietate, quod vitiis utrinque ſtipari ſoleat, hinc defectu, inde exceſſu peccantibus. De incredulitate rem cla-

claram eſſe autumat. Credulitatem vero dupliciter in vitium degenerare poſſe monet, ſemel reſpectu perſonæ, ſi quæ ſoli Deo debetur fides, homini præbeatur; iterumque ratione effati, ſi illud credamus a Deo dictum eſſe, quod revera dictum ab eo non ſit. Pro fidei igitur menſura, facti inter alia conſtituit evidentiam, qua appareat, illud, cui fides noſtra depoſcatur, verbum Dei revera eſſe. Reſpectu tamen effati Dei nomine credendi periculum peccandi iterum duplex imminere ait. Primo, ſi ea credamus neceſſario credenda, quæ reapſe (vera licet) neceſſaria non ſint; ubi dogmata fidei fundamentalia diſtinguit a ſimpliciter veris, & de iſtis affirmat, quod eſſe debeant ſimplicia, quod effato divino expreſſo conſtare, quod non aperte tantum revelari, ſed & promiſſo æternæ vitæ palam inſigniri debeant. Quibus præſuppoſitis, tria hæc corollaria exinde elicit: controverſiarum judice nil eſſe opus; Sacram Scripturam, utcunque librorum longævorum fato, ſcribarum negligentiæ, hæreticorum fraudibus, aliisque temporum injuriis obnoxia, forſan & mutilata fuerit, ſaluti tamen ſufficere; tandemque, fundamentalium catalogo nos optime carere poſſe. Secundum peccatum tunc committi in credulitate docet, ſi ea, quæ vera credamus, majore, quam oportet, zelo propugnemus. Quo loco in eos invehitur, qui diſſentientes quosvis crimine confeſtim hæreſcos notare parum dubitent, cum tamen hæreſis vix aliter reprehenſionem, Scriptura prævia, mereatur, quam ſi in vitilitigationem degeneret. Cæterum ut omnes norint, quænam ſint fidei Evangelicæ capita, præcipue hoc exigit, ut in Chriſtum credamus, ejusque non perſonæ ſolum, ſed promiſſis quoque fidem adhibeamus. Id enim qui præſtet, ei vitam promitti æternam Joh. III. 16. Rom. X, 9: unde colligit, eum, qui fide indubia hæc credat, utique nihil obſtantibus erroribus aliis ſalvandum; talem enim damnandum qui dixerit, hunc Chriſto & ejus Apoſtolo in os contradicere. Ac circa Chriſtum quidem quoad perſonam conſideratum requirit, ut credamus, Deum illum eſſe & hominem. Scripturæ vero ſacræ utraque pagina, lumen item rationis clarisſimum, omnium ubique gentium conſenſus unanimi voce cum clamitent, Deum non eſſe niſi unum, & tamen Apoſtoli Chriſtum non tantum hominem eſſe divinum, ſed ipſum etiam Deum enuncient, ideo de myſterio Trinitatis in unitate Auctor agit, & ab iſthoc capite ſecundam partem, quæ paulo ſpecialior eſt, auſpicatur.

Negat perſonarum in uno Deo trinitatem, rite explicatam, eſſe proprie ſic dictum myſterium, cum veritas potius ſit religioni univerſali, Moſaicæ & Chriſtianæ communis. Hinc quid de ea Gentiles tradiderint, quid Galenus, quid Platonici, quid in Scripturis iſtuc pertinens legatur, indicat, omniumque optime doctrinam hanc in ſuis Confeſſionibus expoſuiſſe cenſet Reformatos, quos docere ait, perſonæ vocabulum in hoc articulo frequentisſimum nihil aliud quam Proprietatem innuere; in quorum mente proin acquieſcere ſe dicit, ac parum curare rixas & contentiones, quas alii æque ſuper hoc ac reliquis vocabulis communiter agitent. Poſtmodum ad Chriſti divinitatem aſcendit, eamque velut religionis univerſalis partem nunquam non fuiſſe creditam exiſtimat, quam Johannes ſub adhibito τȣ̃ Λόγȣ nomine adſtruxerit, non aliud hoc pacto referens, niſi quod dudum ejusdem vocabuli ope Platonici propoſuerint. Incarnationis econtra doctrinam adeo proprie Chriſtianam vocat, ut ſine illa fide æque imposſibile ſit eſſe Chriſtianum, ac hominem ſine anima rationali. Hanc autem probari ſufficienter poſſe e verbis Johannis: ὁ Λόγος σάρξ ἐγένετο, contra Unitarios aſſerere ſatagit. Rationem inſuper, qua oſtendi queat commodisſime totum Incarnationis negotium, peculiarem atque novam abs ſe inventam gloriatur. Præſupponit nempe, ſapientiam Dei in Deo æternam eſſe, cumque Deus ſine ſapientia eſſe non posſit, æque illi neceſſariam eſſe ſapientiam ac Deitatem ſuam. Hinc, qui proprietates divinas a Deo & ab invicem inſeparabiles eſſe credat, eum tamen iſtas a ſeinvicem mente ita diſtinguere poſſe infert, ut unam ſine aliis contempletur, & nunc Patris bonitatem, nunc Filii ſapientiam, nunc Spiritus Sancti potentiam reſpiciat. Porro Deum eſſe ait ens perfectisſimum, ens perfectisſimum eſſe ſpiritum, ſpiritus primam actionem eſſe cogitationem, cogitationem formatam verbum eſſe, verbum ſive interne conceptum, ſive ad extra prolatum cogitationis eſſe imaginem, eoque verbum ſive ſapientiam Dei Patris primogenitum ſeu imaginem dici mereri. Deus porro cum per diverſas menſuras proprietates ſuas communicet, nonnullis puram ſubſtantiam, ut elementis, aliis ultra ſubſtantiam etiam vitam, ut plantis, aliis præter vitam etiam ſenſum, ut animalibus, aliis præter ſenſum etiam rationem, ut hominibus, ex his autem aliis majorem, aliis minorem rationis menſuram; hinc nemini licere potentiæ divinæ limites ita ponere, ut dicat, non po-

potuiſſe Deum eo modo & ea immenſitate ſapientiæ Chriſtum hominem perficere, ut ipſius etiam ſapientiæ charactere dignus fieret. Cæterum cum Paulus Col. II, 9. doceat, in Chriſto habitare plenitudinem Deitatis corporaliter, plenitudinem illam corpus, in quo habitet, ſic reſpicere, ut illud Deitate plenum ſit, non ipſa Deitas, quaſi ea tota in corpore contineretur; unde Chriſti natura humana, utcunque Deitate plena, totam tamen in ſe non continuerit, ſicut & non tota Deitas, ſed ſola Dei ſapientia incarnata fuerit. Has hypotheſes multis verbis celebrat, easque retundendis Unitariorum objectionibus, ſacrarum literarum dubiis ſolvendis, incarnationisque myſterio cum ratione conciliando plurimum prodeſſe, exemplo non uno declarare nititur. Juxta ea tamen, quæ de Chriſto credenda hactenus retulerit, credendam quoque ait ejus reſurrectionem, a qua cum noſtra reſurrectio dependeat, pari & hanc fide amplectendam eſſe colligit, & in hujus certitudine demonſtranda aliquantum occupatur, expreſſe de cætero negans, idem corpus, quod quisque in hac vita habeat, aliquando reſurrecturum. Duo igitur hæc fidei Chriſtianæ objecta neceſſaria & ſufficientia pronunciat, credere Chriſtum & credere reſurrectionem. Præter hæc vero, inter, imo ſupra alia fidei fundamentalia acerrime propugnari & acerbiſſime imperari notat Cœnæ Dominicæ myſterium, de quo tamen credendo nulla occurrat verbi divini ſyllaba. Quamobrem in eo totus eſt, ut ex hiſtoria temporum ſe mutuo excipientium oſtendat, mutatum eſſe in myſterium id, quod pro tali Chriſtus nunquam agnoſcendum voluerit: quippe qui in Cœnæ ſuæ inſtitutione hoc ſolum juſſerit, ut traditio illa, quæ alias convivia omnia pane & vino conſecranda, ad commemorationem benignitatis divinæ corpora donis ſuis foventis præceperit, perpetuo obſervaretur, ſed altius evecta in corporis & ſanguinis Chriſti animas ſpiritualibus beneficiis enutrientium commemorationem. Hoc innuere ipſa inſtitutionis verba, huc & reſpicere 1. Cor. XI Apoſtolum contendit, a quibus quod in alia omnia circa hoc negotium tam multi abierint, rem maxime dolendam aſſerit. Atque hoc eſt Auctoris noſtri, quod vocavit, Latitudinariorum Syſtema, cui quædam adhuc appendix ſubnectitur, contra Petrum Jurium compoſita, quem, ut ex omni parte Latitudiniſmo odium conflaret, ad impingendas ei terribiles valde conſequentias fatis quoque adverſis Arthuri Bury, Collegii

Exonienſis antehac in Univerſitate Oxonienſi Rectoris & S. Theologiæ Profeſſoris, (quæ latius deſignat Auctor,) abuſum fuiſſe innuit; iſtis tamen Latitudinarios minime gravari, evictum dare allaborat. Nobis ſummam operis exhibuiſſe pro inſtituti ratione ſufficit, accurato ſingulorum dogmatum examine Theologis relicto. A quibus quam primum quid profectum & ad nos delatum fuerit, quod ad cenſuram libri ſpectet, ejus in Actis hiſce epitomen juſto ſtudio daturi ſumus.

## *ELIÆ BENOIST IN PRIORES OCTODECIM PRIMI CAPITULI Evangelii ſecundum Johannem verſiculos Diſſertationes Epiſtolicæ tres.*

Roterodami, e typographia Leerſiana, 1697. in 8.
Conſtant plag. 16.

PEtit hoc opus celeberrimi Viri, Joannis Clerici, paraphraſin atque animadverſiones, quibus octodecim priora capitis, quod in Evangelio Johannis primum habetur, commata illuſtrare ſtuduit, ad eum modum, quem nos jam A. 1695, p. 345 in his Actis delineatum dedimus. Cum enim in quamplurimis cum iſto facere ſe non poſſe intelligeret hic Auctor doctiſſimus, verbi divini in Gallicana Delfenſi Eccleſia Miniſter, diſſenſum ſuum palam expoſuit, epiſtolica, eaque ad Virum ampliſſimum, Henricum a Bleyſwick, directa ſcriptione uſus, ac tribus Diſſertationibus negotium complexus.

*Prima* earum examinat, quæ de auctore Evangelii, Johanne, deque hujus in concinnanda nova hac Chriſti hiſtoria, poſt trium Evangeliſtarum jam editos commentarios, conſilio Clericus ibi adſtruxerat. Duos nempe ultimos capitis vigeſimi primi verſiculos pro Epheſinæ Eccleſiæ teſtimonio, quo illa hoc eſſe genuinum Johannis opus confirmarit, haberi poſſe equidem haud prorſus abnuit, aſt fere tamen inutilem de auctore diſceptationem pronunciat, cum eo potius annitendum ſit, ut ipſa libri divinitas cuivis manifeſte ponatur ob oculos; id quod ſane non argumentis fiat ejusmodi, quæ veri ſolum ſimilitudine delectent, errandi autem vel ſuſpicionem vel metum tollentem certitudinem haud pariant; quin talia potius adhibenda poſtulat, quæ interna omnique exceptione majora dici mereantur. Interea vero locum præcipuum heic obtinere monſtrat rerum traditarum con-

conſtantem analyſin, & ſummum Johannis cum reliquis ſcriptoribus θεοπνεύςοις in aſſerenda Chriſti gloria conſenſum, ſatis abundeque confirmantem, ab eodem Spiritu, qui afflatu ſuo cæteros novi Fœderis auctores ad ſcribendum impulerit, opus hoc ſimiliter profectum fuiſſe. Iſto interim argumento pertinaciam Alogorum haud ſatis fractum iri ſi quis exceperit, reſpondet, multo minus ſperandum, fore, ut eam ulla probabilis ex teſtimonio humano petita conjectura ſuperet. Hinc ad conſilium Scriptoris ſacri properans, in eo totus eſt, ut evincat, neutiquam, ceu Lectori perſuadere allaboret Clericus, in confutando Philone eum occupatum, & conſulto uſum fuiſſe ſub Evangelii ſui initium iis vocabulis, quæ hactenus forſan incautis fraudi eſſe potuerint. Parum namque Johanneæ dignitati congruum autumat, aſſerere, actum ſingulari Dei virtute Scriptorem hunc, ſolumque ex Apoſtolis eo ævo ſuperſtitem, Platonicas Philonis, vita inſuper tum temporis jam fortaſſis functi, argutias confutaſſe, bacchanteſque contra in Eccleſiam, ac præcipuum fidei caput ingenti mole oppugnantes hæreticos neglexiſſe. Exotericus certe cum fuerit Philo, (nam quod de propenſo ejus ad religionem Chriſtianam animo referre ſoleant alii, id omne dubium adhuc eſſe latius oſtendit,) nihil eum Apoſtolico more curatum a Johanne innuit. Imo tametſi Judæos aliquando Platonicis verbis locutos minime diffiteatur, hos ſenſus tamen ſuos ab iis accepiſſe negat, credendumque negat, aut Johannem aut Judæorum plurimos Platonica ſcripta unquam evolviſſe, nedum familiaria ſibi eadem tantopere reddidiſſe. Platonicæ etenim Philoſophiæ errores cum & Johanne in vivis adhuc agente infelici jam tum germine pullularint, haud difficulter poſſe colligi, eum, ſi aut Philoſophica dogmata perſpecta habuiſſet, aut externos Evangelii hoſtes ſcriptis refellere voluiſſet, multo digniorem curis ſuis integram Platonis Academiam fuiſſe delecturum, quam unum ejus diſcipulum Philonem, ſuis forte Alexandrinis notiſſimum, ſparſis vero per totum terrarum orbem Chriſtianis & Judæis aut ignotum aut inviſum. Quamobrem errores potius tunc frequentiſſimos examinat, ad duas haſce claſſes potiſſimum revocatos, quod nimirum plures Dei primæque omnium cauſæ attributa male fuerint interpretati, ac deinceps ſibi perſuaſerint, nihil poſſe fieri, niſi ex duplici principio, quorum unum tanquam agens, alterum tanquam patiens animo conceperint,

aut, ſi minus duplex principium admiſerint, ſaltem unicum illum rerum omnium fontem duplici virtute quaſi prægnantem, activa pariter & paſſiva, finxerint. Hæc principia latius deducit & illuſtrat, ac iisdem veluti fundamentis incubuiſſe cenſet illam maxime *αἰώνων* ſtructuram; qualis a Simonianis primum delineata, mox a prioribus Gnoſticis interpolata, & denique a Valentino & illius ſequacibus in ſuum characterem transformata doceatur. Horum errorum ſemina, tempore Apoſtoli Johannis, non ſolum per totum terrarum orbem, quocunque ſe vel Romanum Imperium, vel Græcorum Philoſophia, vel Ægyptiorum portentoſa Theologia extenderit, ſed & intra ipſa naſcentis Eccleſiæ pomœria, ſparſa paſſim fuiſſe tradit. Exinde vero cum duo hæc fidei Chriſtianæ fundamenta, primævæ puta rerum origines, ac parandæ ſalutis ratio, non potuerint non varie conquaſſari, hinc id egiſſe ait Johannem, ut utrumque hoc caput adverſus hæreticorum iſtis principiis innutritorum præſtigias vindicaret; unde primo, quæ ſint rerum initia & incunabula, dein quæ ſalutis veræ cauſæ ſint, luculenter ediſſeruerit, oſtenderitque, utrumque opus ab una & eadem cauſa pendere, unum eundemque ſummum omnium Deum & mundum feciſſe, & eum per peccatum hominis concuſſum ac labefactatum reſtituiſſe. Utrumque autem opus per *τὸν Λόγον* perfectum cum fuerit, inde quam convenientiſſimum exiſtimaſſe Johannem, ut æternam Filii Dei divinitatem ſub *τοῦ Λόγου* nomine (cujus loco Noſter ubivis *Sermonis* adhibet vocabulum,) aſſereret. Quod ut præſtaret, ſcripſiſſe ipſum quartum Evangelium, cumque priores Evangeliſtæ mediatoria Jeſu Chriſti opera originemque ſecundum carnem fuſius expoſuiſſent, divinum Chriſti Numen ac æternos egreſſus ipſum ſigillatim explanare voluiſſe; ideoque non eo conſilio Johannem ſcripſiſſe, ut hunc vel illum a recto veritatis tramite deviantem confutaret, neque magis Philonem aut quenquam alium ſibi ante oculos poſuiſſe, quem emiſſa ſua manu tela recta ferirent, quam Socinum, aut eos, qui repudiato mali ominis nomine ejus errores alia larva induant; neque illum vocabula ſua e Platonicis lacunis hauſiſſe, ex his omnibus affatim patere concludit.

Sed hactenus dicta viam tantum pararunt ad ea, quæ ſuperſunt, exponenda. Ipſum enim textum ſacrum Auctor nunc aggreditur, & ejus explicationem pariter ac vindicationem *ſecundæ tertiæque* epiſtolæ

ſtolæ materiam conſtituit. Ante omnia vero & commatum illorum fontem Græcum, & Latinam hujus verſionem, & textus denique paraphraſin apponit, notasque ac obſervationes ſuas poſtmodum ſubjungit. Summa totius, quam formavit, exegeſeos huc redit. Cum id ſit Evangeliſtæ conſilium, ut oſtendat, utriuſque creationis, veteris nempe, qua omnia ſint edita, & novæ, qua poſt violatum & vitiatum primi hominis peccato Dei opus in melius ſint reſtituta, eandem eſſe cauſam, & pleniſſimam analogiam, id exequi ipſum ait oratione in tres partes diviſa, quarum ſecunda tranſitionis a prima ad poſtremam locum ita obtineat, ut ſimul difficultatem aliquam, quæ mentes veritatis cognitione nondum illuſtratas haud leviter afficere potuiſſet, aperte diſcutiat ac removeat; prima vero ac tertia utriuſque creationis brevem quendam typum referat. Igitur communem utriuſque cauſam vocare eum *τὸν Λόγον*, de quo prioris operis reſpectu in prima orationis parte tria præcipue doceat, primum ſcilicet, quid ille in ſeipſo ſit, (vocari *Λόγον*, dicique de eo, quod ſit Deus, & aſſeri, quod in principio ſit apud Deum; quæ æternam Sermonis divinitatem ſic adſtruat, ut ejus etiam æternam ab eo, cujus Sermo ſit, diſtinctionem aperte demonſtrent;) mox quid ſit reſpectu omnium, (cauſa puta effectrix non minus atque conſervatrix;) ac tandem, quid ſit reſpectu hominum. Homo autem cum dupliciter conſiderari poſſit, ſemel, qualis ante peccatum fuerit, & dehinc, qualis per peccatum factus ſit, idcirco Johannem generis humani ſortem utramque ſpectare innuit. Ad priorem illam pertinere, quod, cum Sermo omnium vita eſſet ac cauſa conſervatrix, ſimiliter reſpectu hominis natura intelligente præditi talis ille fuerit, ita quidem, ut etiam lucis ſpiritualem animam perfundentis vim ac rationem haberet. Ad poſteriorem, quod amiſſo per peccatum vitæ, quæ homini ut ratione inſtructo congrueret, jure tenebris ille peccati merſus atque obrutus, veroque ſalutaris illius lucis uſu deſtitutus, eandem oculis ſe quaſi ingerentem perſpicere non potuerit. Data hac occaſione Johannem inquit altera orationis parte oſtendere, quod nequaquam agat de illa luce, quam homines quidam ſingulari Dei beneficio ad id vocati aliquando prætulerint, miniſtri quippe tantum veræ lucis, at non ipſa lux. Ubi diſerte Johannem Baptiſtam non fuiſſe lucem illam pronunciet, ac veram poſtea lucem illis verbis deſcribat, quibus eminentiſſima ejus ſupra omne hominum mini-

miniſterium dignitas immenſum in modum extollatur; quandoquidem omnis generis homines ab illa, quicquid habeant veræ ac ſalutaris cognitionis, accipere edoceat. Tandem quam diverſimode ac veluti per partes illa lux hominibus ſe patefecerit, poſtrema orationis parte Apoſtolum monet declarare, ejuſque totam diſpenſationem ad tres omnino gradus revocare, quorum duo priores hominum culpa ſcopum haud attigerint, aſt tertius victrici pollens efficacia tenebris diſcuſſis æternæ lucis gloria omnium oculos illuſtrarit. Primo igitur generalem quendam lucis uſum exponi, quæ toti ſe mundo ſtiterit, & hunc verſiculo decimo comprehendi: deinde ſtrictiorem & anguſtioribus limitibus concluſam lucis exhibitionem, qua ſingulari cuidam generis humani parti conſpiciendam ſeſe præbuerit, verſu undecimo commemorari: utque magis evaderet perſpicuum, quam malo conſilio plures illam non ſuſceperint, enarrari in duodecimo manifeſtationis illius beneficia, quorum inſigniores proprietates in verſu decimo tertio deſcribantur. Poſtremo ultimum revelationis gradum in verſu decimo quarto exponi. Dicta vero hactenus de luce iſta ratione manifeſtata confirmari atque illuſtrari teſtimonio Johannis Baptiſtæ, perfectione donorum ex illo fonte manantium, comparatione Moſis ac Sermonis in carne patefacti, & denique primo tam eminentis dignitatis tamque ſalutaris efficaciæ fundamento, quæ verſiculorum a decimo quinto ad ultimum uſque contenta ſint.

Et ſic excerpta breviter cum benevolo Lectore ea communicavimus, ad quæ ceu ſcopum principalem cuncta in epiſtolis poſterioribus duabus obvia collimant. Singulorum namque verborum prolixam expoſitionem Auctor eo dirigit, ut ubicunque interpretationi huic adverſa nonnulla in medium attulit Clericus, ibi vindicis partes cum cura in ſe ſuſcipiat. Imprimis vero hæc in eo notat, quod Λόγον verterit per Rationem; quod neque Johannem ad Moſen alludere, neque Moſen Dei Sermone mundum creatum docere aſſeruerit; quod verborum: ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, hunc tantum ſenſum eſſe dixerit, quod Sermo per carnē factus ſit conſpicuus; quod per τὴν δόξαν miraculorum ſolum gloriā intellexerit; quodque verba: χάριν ἀντὶ χάριτος, ſic fuerit interpretatus: χάρις, id eſt, Evangelium nobis a Deo confertur ἀντὶ χάριτος, id eſt, ut ei a nobis obedientia & fides quaſi quædam ἀντίχαρις & accepti beneficii fructus rependatur.

M. JO.

M. JO. FRID. KOEBERI, ILLUSTRIS QUONDAM *Ruthenei Rectoris, Diſſertatiunculæ de Sanguine Jeſu Chriſti, quas collegit indicibusque auxit M. Frid. Auguſtus Ferberus.*

Dresdæ, apud Editorem, 1697. in 8. Alphab. I.

QUi ſub auſpicia ſuperioris anni ſexagenario major placide obiit illuſtris, quod ſub Ruthenei nomine floret, Gymnaſii Gerani Rector optime meritus, clariſſimus Koeberus, præter alia ingenii ſui monumenta, plures quoque Diſſertatiunculas (Programmata vulgo nuncupant,) poſt ſe reliquit. Quoties enim inſtituendum a ſuis auditoribus ſcholaſticum quoddam exercitium publica ſcriptione indicavit, toties ſimul de argumento aliquo pio, eruditove aut curioſo nonnihil in medium præfationis loco attulit. Sicut autem plerumque materias ſingulas ſingulis abſolvit plagulis: ita nonnunquam de eodem themate repetitis dixit vicibus, ac imprimis ante annos plus quam viginti de ſanguine Chriſti Diſſertationes XXIV ſe invicem diverſis temporibus excipientes compoſuit, veſtigiis ita inſiſtens B. Mitternachti, quem inter ſuos anteceſſores numerare poterat, quemque olim parili ratione de Johanne Evangeliſta a nonnullis etiamnum ſuperſtite credito, Programmata fere totidem publicaſſe conſtat. Et in eo quidem occupata fuit B. Koeberi induſtria, ut poſt ἀφθαρσίαν ſanguinis Chriſti adverſus Minoritas ſive Franciſcanos latiſſime vindicatam, de ejus, quas paſſim exhibeant Pontificii, reliquiis potiſſimum diſſeruerit. Cumque has aut naturales illi faciant, aut prodigioſas, non prætermiſit ullam occaſionem Noſter, qua excurrere licuit ad variarum rerum, ſanguine iſto ex quorundam traditione notatarum deſcriptionem. Modo enim de ſudario Veronicæ, modo de aliis, & linteis quammaxime Chriſti ſepulcralibus, modo de corona ejus ſpinea, modo de cruce ſacro hoc cruore conſperſa commentatur. Jam de eo, qui ex hoſtia effluxiſſe aut in eadem apparuiſſe creditur; jam de αἱματοφανεία, quæ in vino euchariſtico contigiſſe perhibetur; jam de ſanguine ex Crucifixi imaginibus prorumpente; jam de aliis ſimilibus erudita quædam lemmata cum Lectore ſuo communicavit. Interdum quoque digreſſionibus haud ineptis uſus eſt, velut ubi de ſanguinis Chriſti cum lacte Mariano comparatione, a Pontificiis inſtitui ſolita, peculiarem Diſſertatiunculam inſeruit. Ubivis vero larga ſatis

manu exhibuit, quod prodeſſe non minus ac delectare queat. Non male proin meritum de beati Viri Manibus cenſemus doctiſſimum Virum, qui chartas has ſeparatim olim vulgatas ab interitu vindicare ſtuduit, utque perennarent eo felicius, in unum quaſi faſciculum colligavit. Quam quidem operam ubi in ſe ſuſcepit, additam olim cuivis Diſſertationi publicorum exercitiorum deſignationem, directamque ad Inſpectores & viros doctos Geræ commorantes alios, ut iis intereſſent, invitationem omittere, inque locum talium indices potius & allegatorum Scripturæ dictorum ac rerum præcipuarum, opuſculo abſoluto ſubjungere conſultum ratus eſt.

JUDICIUM ECCLESIÆ CATHOLICÆ *TRIUM primorum ſeculorum de neceſſitate credendi, quod* D. N. JESUS CHRISTUS *ſit verus Deus, aſſertum contra Sim. Epiſcopium alios-que: auctore* GEORGIO BULLO SS. *T. P. Presbytero Anglicano.*

Amſtelodami apud Georg. Gallet, 1697. in 8. Plag. 15.

EST hæc veluti coronis, ut ipſemet reverendus Auctor in Præfatione indicat, *Defenſionis Fidei Nicenæ*, exquiſiti illius operis, quo principem fidei Chriſtianæ articulum, de æterna Jeſu Domini ac Servatoris noſtri Divinitate inde a primo Eccleſiæ natali creditum fuiſſe, luculenter jam olim Bullus e Patrum ante-Nicænorum ſcriptis oſtenderat, fulſeratque adverſus Neo-Arianos Nicænam fidem: cujus anathematiſmos defendere præſenti opuſculo non minus erudito nititur, atque adeo neceſſitatem credendi ejusdem articuli, ex eadem trium primorum ſeculorum antiquitate demonſtrat. Nam ſicuti quamplurimos libellos Arianam & Samoſatenianam impietatem propugnantes hic illic per Angliam, cum notabili Eccleſiæ detrimento ſpargi, quam ægerrime fert: ita non minus indignatur novo hominum generi, qui ſe mediatores, paciſq; in hac controverſia ſequeſtros gerunt, externa quidem profeſſione Eccleſiæ orthodoxæ conſentientes, Chriſtumq; Deum credentes, ſed tamen neceſſitatem credendi ejus articuli minime admittentes, ſufficere ad ſalutem rati, ſi quis Jeſum Chriſtum Filium Dei mundi Salvatorem quoquo modo credat. Hos cum inprimis ex Epiſcopio ſua haurire animadvertiſſet Bullus, nihilque fere proferre, quod non illi jam dictum ſit, Viro cetera quidem erudito, ſed in lectione Pa-

trum

trum non minus hoſpiti, quam eorundem præcipiti contemptori: hinc & Epiſcopium præcipue ſibi confutandum ſumit, non omnia ejus argumenta diſcutiens, quibus neceſſitatem credendi tanti myſterii impugnat, (hoc nempe jam ab aliis factum, vel certe faciendum exiſtimat) ſed id ſolum aperte falſum demonſtraturus, quod ille ſtatuerat, primis tribus Chriſtianiſmi ſeculis nullam fuiſſe Chriſtianis impoſitam credendæ Divinitatis Filii Dei neceſſitatem. Hanc igitur temerariam, ut vocat, Epiſcopii aſſertionem non ſolum teſtimoniis ante-Nicænorum Patrum bene multis obruit, ſed & ex hiſtoria eccleſiaſtica oſtendit, neminem unquam Divinitatem Chriſti negaſſe, qui non hæreticis fuerit eo ipſo nomine accenſitus: quibus monſtratis, etiam ad objecta ab Epiſcopio argumenta reſpondet. Teſtimonia capite primo magna induſtria colligit ex Ignatio, Irenæo, Juſtino Martyre, Dionyſio Romano, Origene, Novatiano, atque Tertulliano, ut oſtendat, hanc de Divinitate Chriſti controverſiam præcipue ſemper tribus primis ſeculis inter Chriſtianos Judæosque agitatam fuiſſe, ut inde noſceres ſtatim Judæum aut Judaizantem hæreticum, ſi de æterna Divinitate Filii ſequius ſentientem audires. Atque ut id eo uberius patefaciat Auctor, cap. II. Cerinthianos & Ebionitas producit, quorum utrorumque hæreſis in eo conſpirarit, quod Jeſum non eſſe Deum dicerent; in eo tamen a ſe iterum diverſi, quod Cerinthus cum ſuis Jeſum a Chriſto ſepararet, illum Joſephi & Mariæ filium ſtatuens, cui deinde acceſſerit poſt baptiſmum deſcendens e cœlo Chriſtus, qui inſtante paſſione ab ipſo iterum receſſerit: Ebionitis contra unus atque idem ſimpliciter eſſet homo JEſus Chriſtus, peculiaribus a Deo dotibus inſtructus, isque vel ordinario generandi modo ex Maria & Joſepho, ut aliqui Ebionitarum docebant, vel ut alii, ex Maria Virgine miraculoſe prognatus. Præterea Cerinthiani non a primo Deo, ſeu, ut Irenæi vetus interpres loquitur, a ſumma Principalitate, quæ eſt ſuper univerſa, mundum conditum aſſeverabant, ſed a Virtute quadam ſeparata, & diſtante ab illa ſumma: cum contra Ebionitæ mundum a Deo factum non negarent. Hæc cum ita paulo uberius Auctor deduxiſſet, monſtrat, quam fuerint hæretici iſti perpetuo in ſcriptis Apoſtolorum ſtrenue uniceque propemodum confutati, quamque graviter Johannes in eos invectus fuerit, Antichriſti nomine illos velut proprio perſtringens. Affert & alia, tum ad illuſtrationem S.

Scripturæ facientia, tum ad refellendam Dan. Zwickeri temeritatem, qui ſueto Socinianis dogmate Ebionitas primos & antiquisſimos, adeoque omnium maxime orthodoxos fuiſſe Chriſtianos, tradere non veretur. Ebionem vero revera aliquando extitiſſe auctorem hæreſeos, nec Ebionitarum nomen ſolum eſſe ab orthodoxis contumeliæ cauſa excogitatum, auctoritate Tertulliani, Hieronymi, Philaſtrii, Epiphaniique contendit; ex etymologia nominis non magis valide contra eam opinionem pugnari ratus, quam ſi quis ſimili argumento nec Manetem, nec Arium unquam extitiſſe, ex nominum etymologia apud Euſebium & Nazianzenum obvia probaret. Ceterum ab Ebionitis probe diſtingui debere Nazaræos monet, quos male propterea in articulo de Divinitate Chriſti illis ὁμοψήφους eſſe judicatos animadvertit, quod in obſervatione legis Moſaicæ tanquam omnino neceſſaria plane idem ſenſerant: & quanquam vulgo pro ſententia iſta allegari Theodoritus ſoleat, longe tamen imparem eum judicat Auctor noſter Juſtino Martyri, Auctori Conſtitutionum Apoſtolicarum (e quorum utroque loca de Nazaræis agentia colligit) Hieronymo, Auguſtino aliisque, Nazaræos in Chriſtum Filium Dei crediidiſſe teſtantibus. Capite III ab Ebione ad Theodotum Coriarium, Artemonem, Beryllum Boſtrenſem, Paulumque Samoſatenum pergit, ob negatam Chriſti Divinitatem damnatos omnes: & in his non Socinianam ſolum hæreſin, quæ Filii præexiſtentiam ante Mariam negat, ſed & Arianam fuiſſe anathemate percuſſam notat. His ita prolixius comprobatis, Bullus ad Epiſcopii argumenta in contrarium adducta progreditur: & cum e Symbolis ante-Nicænis ille necesſitatem credendi articuli de Chriſto Deo præcipue impugnaſſet, Noſter contrarium oſtendit. Et primo ſtatim obſervat, haudquaquam ſequi, articulum hunc, ſi in primis Symbolis non ſatis expreſſe poſitus conſpiciatur, propterea neque neceſſarium ad ſalutem antiquis creditum fuiſſe: quandoquidem iis Patribus potuerit videri ſat claris verbis expreſſus, licet poſtmodum hæreticorum protervia Eccleſiæ ſpecialiores fidem ſuam declarandi loquendique modos extorſerit. Tum vero monet, in verbis, *Credo in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum* (quæ in primitiva Eccleſia ex Matth. XXVIII, 19 a baptizandis in vicem breviculæ confesſionis requirebantur) ſatis aperte SS. Trinitatis confesſionem expreſſam fuiſſe, idque Irenæi etiam atque Tertulliani teſtimoniis,

quæ

quæ falſo pro ſe Epiſcopius allegaverat, collatis pluribus eorundem locis, confirmat. Exinde cap. V fuſe de Symbolo, quod vocatur Apoſtolicum, agit, atque illud nequaquam totum, & quale hodie legitur, ab Apoſtolis ipſis conditum, ſed Romanæ Eccleſiæ a tot hæreſibus tum liberæ fuiſſe Symbolum privatum putat, quod demum poſt annum Chriſti quadringenteſimum in illa Eccleſia complementum ſuum acceperit: & illud tamen ſub vocibus, *Filium ejus unigenitum*, modi illius ſpecialis Filiationis profeſſionem revera continere, latius demōſtrat. Inſimul vero eodem capite Auctor quatuor Filiationis Divinæ modos alios ab Epiſcopio excogitatos examinat, eosque adeo non ſemper aut ſolum in allegatis ab illo Scripturæ locis fundari animadvertit, ut ſublimius quid haud raro, ipſaque adeo Servatoris Divinitas ibi innui deprehendatur. Ut autem Symbolum aliquod tandem etiam proferat, quod diſertam mentionem Divinitatis Filii Dei faciat, capite VI Eccleſiæ Hieroſolymitanæ antiquiſſimum Symbolum producit, quod in Cyrilli Hieroſol. Catecheſibus ſexta & ſequentibus explicatur. Cum vero ſibi plurimas animadverteret obſtare rationes eorum, qui vel a Cyrillo confectas Catecheſes omnino negant, easque potius Johanni cuidam tribuunt; vel Symbolum illud, quod in Catecheſibus reperitur, non ſolum poſt Nicænum, ſed demum e CPolitano Symbolo formatum perſuaſi ſunt: hinc omnes inſignis ſuæ eruditionis nervos intendit Noſter, ut contrariis rationibus diſcuſſis, & Cyrillo librum vindicet, & Symbolo Hieroſolymitano debitam antiquitatem. Non minus operoſus eſt in enodando difficili Juſtini Martyris loco cap VII Bullus, cum eum ab Epiſcopio inprimis pro ſua opinione prolatum e Dialogo cum Tryphone noſſet. Dicit ibi Juſtinus, non propterea falſum fore, quod Jeſus ſit Chriſtus ille Dei, etiamſi probare non poſſet, hunc Jeſum ante creaturas præextitiſſe Filium Creatoris, in tempore e virgine natū; cum potuiſſet etiam ſola Dei Patris electione Chriſtus fieri. Fatetur inſuper Juſtinus, eſſe quosdam e gente Chriſtianorum (ἀπὸ τȣ͂ ἡμετέρȣ γένȣς,) qui quidem fateantur, Jeſum eſſe Chriſtum, ſed hominem ex hominibus genitum affirment. Magnum argumentum, quod hinc in orthodoxos valide ſtringi poſſe Epiſcopius opinatur, Auctor noſter ita diſcutit, ut priore loci allati parte Juſtinum nequaquam e ſententia ſua, ſed tantummodo κατ᾽ ἄνθρωπον ad Judæum argumentari oſtendat: poſteriore ve-

ro iterum non de orthodoxis & in Catholicam receptis Eccleſiam S. Patrem loqui animadvertat, ſed de Ebionitis: quam ob rem emendat etiam Juſtini textum, & pro ἡμετέρȣ, ὑμετέρȣ reponit, hoc ſenſu, ut Juſtinus Tryphonem Judæum collocutorem habens, ex ejus gente dicat ſubintraſſe Eccleſiam pſeudo-Chriſtianos Ebionitas, qui non niſi nudum hominem Chriſtũ admittere voluerint: quibus tamen, ut in verbis immediate ſequentibus & ab Epiſcopio male omiſſis addit, neque ipſe aſſentiatur, neque ii omnes, quotquot Prophetarum & Chriſti dogmata humanis traditionibus præferenda ſciant. Atque ita tum explicandum, tum emendandum vindicandumque eſſe Juſtinum, Bullus toto capite, conquiſitis e Juſtino ipſomet locis plurimis demonſtrat. In ſubjecta vero Appendice, novas Epiſcopii exceptiones omnes diſſolvit, quas cum ſecundo ejus operum tomo demum, poſt abſolutum jam penitus tractatum hunc ſuum, nactus erat. Verbo adhuc, priusquam finiamus, monendum, jam ante triennium circiter primam doctiſſimi hujus opuſculi editionem Oxonii prodiiſſe, ſed quæ nobis ſeſe non obtulit.

*MARCELLI MALPIGHII*, PHILOSOPHI ET MEdici Bononienſis, e Regia Societate Londinenſi, *OPERA POSTHUMA*, Figuris æneis illuſtrata. Quibus præfixa eſt ejusdem Vita ab ipſomet ſcripta.

Londini, impenſis A. & J. Churchill, 1697. in Fol.

Alph. 3. plagul. 8. Fig. æn. Tab. 19.

QUanta incrementa ſeculo præſenti Anatome cum animalium, tum vegetabilium, ex aſſiduo celeberrimi *Malpighii* feliciter ceperit ſtudio, plura hujus opuſcula, conjunctim & Londini, & Lugduni Batavorum nitidiſſime edita, atque in *Actis A. 1687. p. 16.* a nobis recenſita, ſatis ſuperque teſtantur. Neque Adverſariorum conamina, vel in laude inventionis ipſi detrahenda, vel in ejus induſtria artificiis aliis extenuanda, quicquam hactenus valuiſſe, opera pariter ejusdem poſthuma, nunc commemoranda, perſpicue loquuntur. Horum namque potiorem partem Epiſtola conſtituit præfixa, in qua *Autor* noſter ingenioſiſſimus omnem ſtudiorum ſuorum rationem, coram Magna Societate Regia Anglicana, a principio ad terminum uſque

uſque vitæ, quem ante triennium, menſis Novembris die 29, ætatis 67 anno, ex apoplexia in Palatio Quirinali habuit Romæ, ſincere non minus exponere, atque ab Adverſariorum telis ſtrenue vindicare deprehenditur. Ut ſileamus autem Præceptores ejus, quos inter Franciſcum Natalem in Philoſophia Peripatetica, in Philoſophia libera Johannem Alphonſum Borellum, ac Bartholomæum Maſſariam & Andream Marianũ in Medicina laudat: ut taceamus itidem honores, prolixe qui ipſi obtigerunt, cum laurea Medicinæ & Philoſophiæ in patria, Bononiæ nempe, ornatus, primum Bononiæ, hinc Piſis, tum Meſſanæ, rurſus in patria, Profeſſoris Publici munere fungeretur, Societati Regiæ Anglicanæ A. 1669 per transmiſſum diploma adſcriberetur, ac ſummi deniq; Pontificis Innocentii XII Medicus ſecretior & Cubicularius A. 1691 deſignaretur: ex immenſo potius Obſervationum numero, quas diverſis quondam ſcriptis Autor divulgavit, ac in præſenti ab Adverſariorum objectionibus non modo liberavit, ſed & multum, v. g. circa ſtructuram Viſcerum, Oſſium & Dentium conformationem, Plantarum vegetationem, ortum Gallarum, ac Pilorum & Unguium generationem, dilucidavit, ſpeciminis ergo eas ſolum, quæ Anatomicam piſcis Xiphiæ ſectionem, demonſtrationem Succi nervei, Muſci ſemina, Aquilæ anatomen, Vaſis novi Uterini deſcriptionem, atque Glandularum ſtructuram concernunt, ipſiſmet Autoris verbis lubet exhibere.

Alia inſuper (præter complicatas videlicet nervi optici membranas) in *Xiphia* obſervavi, & amicis communicavi, circa oculi præcipue ſtructuram. Hic elegantiſſimis ſex muſculis movetur. Humores oſſe muniuntur cribroſo, quod depreſſam ſphæram æmulatur. Hoc anterius, ubi pupilla locatur, hiat, & in poſtica parte patens eſt pro nervi optici ingreſſu, ibique copioſa locatur pinguedo. Uvea exterius eleganti vaſorum reti irrigatur, & intus mucoſo humore coloris æruginei inficitur. Cryſtallinus humor ſphæricus eſt, & a lateribus gemina manubria a membrana cryſtallini exporrecta habet. Hæc in lepore pariter obſervavi, quibus vitreo humori continuatur. Humor cryſtallinus cepæ inſtar componitur, & interius globulus, quaſi gypſeus conditur. Vitreus humor totus in aquam igne vertitur, remanente ſola tunica. In branchiis obſervabilis eſt ipſarum ſtructura: hæc componitur tubulis, ſeu fiſtulis quadratis ſolida quadam ſubſtantia ſpeculari p. 26.


lari lapidi analoga conflatis; intus obducuntur cruſta quadam rubra, quæ fortaſſe inſervit pro ſeparatione. Perviæ ſunt uſque ad medietatem, unde admiſſa aqua iterum foras expellitur. (Uberior Xiphiæ deſcriptio Anatomico-Phyſica ſiſtitur ab Hartmanno M. A. N. C. Dec. 3. A. 2. App. p. 3.) In *Thunni* oculo exaratam cryſtallini figuram obſervavi, & a latere manubrii glandulam vidi ſubrubram, quæ vaſi continuabatur, quod hinc inde ramulos promebat; excurrebat autem latera vitrei humoris, & tandem erumpebat a centro expanſionis nervi optici in retinam, exterius eodem fuſco inficiebatur ichore, quo uvea cooperitur.

Pag. 27. Nervei ſucci exiſtentia apud plures controvertitur, vel ſaltem ejus natura diverſimode exponitur, ſicut & uſus, ita ut nil fere obſcurius occurrat apud Autores. Illud tamen mihi videtur in hac re maximum habere momentum, quod ſectis extremorum nervorum tubulis, ubi in ultimas ſolvuntur propagines, ſuccus erumpit. In cauda bovis & ſimilium, hinc inde nervus excurrit tribus vel quatuor fiſtulis coagmentatus: in his itaque facta extremi digiti ungue compreſſione, humoris motus intra exaratas fiſtulas contenti deprehenditur & ſucceſſiva turgentia, qui tandem per excitatum foramen exit, terebinthinæ inſtar; fluidus enim eſt & glutinoſus. In nervis immediate a ſpinali medulla erumpentibus, cum ob mollitiem compreſſi lacerentur, non ita facile ſuccus occurrit, ejuſque motus manifeſtatur, quare ſolidiores extremique nervi luſtrandi ſunt. Nec obſtat, nervum ligatura facta non turgere, cum lateraliter propagines habeat reticulariter propagatas, in quas idem ſuccus impedito ulteriori progreſſu derivari poteſt; languidus enim eſt impetus, quem a cerebro recipit nerveus ſuccus, unde ex quocunque impedimento comprimente, & vetante ulteriorem inſinuationem, retardari, ſiſti & ad latera derivari poteſt.

p. 81. In Anatome Plantarum dubitative propoſui, in muſco ſemina adeſſe. Ex novis tamen & reiteratis obſervationibus mihi conſtat, muſcorum quam plures ſpecies ſeminibus gaudere. Sæpius enim in muſco, qui fungi inſtar rotundo pollet capitulo, ſemina erumpentia vidi; eadem pariter in muſco, qui reticularibus ramis humi ſerpit, a quibus hinc inde veluti minima poma pendent, & tandem in pulmonaria arborea a limbo foliorum & a ſciſſuris eorundem delapſa ſemina

& pro-

TAB. VIII. ad A. 1697. pag. 511. M. Nov.



& proximis trunci arborei partibus excepta pedetentim vegetare vidi. Semina pariter in muſco marino, aliiſque analogis plantis ſagax ingenioſiſſimi *Ceſtonis* diligentia patefecit.

Cum mihi a Præclariſſimo Domino *Stephano Lorenzini* humaniſſime transmiſſa fuiſſet Aquila, quæ mihi una cum Amiciſſimo Domino *Silveſtro Bonfiliolo* ſingularia in hujus animalis ſectione obvia fuerint, hic exarabo. p. 82.

Hujus cerebrum amplum eſt, facta comparatione cum avibus & piſcibus. Dividitur in gemina globoſa corpora, quæ meningibus cooperiuntur, & ſanguinea vaſa ipſas excurrunt, & alte penetrant. In exaratis corporibus gemini ventriculi, anteriores ſcilicet excavati circumductis candidis fibris conſtituuntur, quæ corticis arborei fibrarum reticularem plexum æmulantur, & exterius apparent candidæ fibræ, & ſi totum coquatur, glandulæ corticales manifeſtantur. Cæterum cerebellum adeſt & pons *Varolii* cum appendicibus & cruribus, quibus principium ſpinalis medullæ conflatur.

Binos habet oculos, & quilibet propriis palpebris valde craſſis obvelatur, quæ limbo ſubnigro terminantur, piliſque ditantur. Interiori palpebræ parti nectitur placenta quædam A ovalis figuræ, nec multum craſſa. Hæc exterius candida eſt, & pellucida, ut difficulter ſolvatur, plicabilis tamen, & ea ſuperficie, qua oculum contingit, innumera habet orificia B diaphanum humorem fundentia. In eadem ſuperficie obſervantur rami vaſorum ſanguineorum C, qui a profundo emergentes hinc inde horizontaliter ſurculorum fines promunt, ut in ventriculo interius obſervatur, Exterius ſanguineum vas D circumducitur, a quo erumpentes rami E craſſitiem placentulæ ſubeunt. Hanc igitur placentulam glanduloſam cenſeo pro ſeparatione fluidi celebranda, quo cornea perpolita redditur, cum præcipue manifeſtas glandulas non viderim, ſed tantum minimos globulos extremis vaſorum finibus hærentes. Alia quoque membrana diaphana occurrit, quæ a cantho majori oblongo tendine retracta anteriorem oculi faciem tegit. In hac ſubnigra quaſi vaſa (ut in ranarum viſceribus obſervatur occurrunt. Conditus oculus cornea eminet, a qua hærentes mucoſitates unguibus facile abraduntur. Pupilla flava iride excitatur, & ligamentum ciliare carneis fibris contextum elegantem ſphincterem exhibet. Aqueus contentus humor diaphanus eſt, & Tab. VIII. Fig. 1.

ſubſalſus, igneque evaporat relictis minimis veſiculis, & ſubtiliſſima cruſta. Vitreus humor ignis calore totus exhalat. Amplus eſt mole & diaphanus. Contentus cryſtallinus humor ſecundum varias inſpectiones, & naturalem magnitudinem delineatus occurrit. Eſt autem in parte exteriori lenticularis A, in interiori B globoſior, & ſemiphæram fere æmulatur. Ejus craſſities eſt C, latitudo autem D. Retina ampla, craſſa, & mucoſa exiſtit ab expanſione fibrarum, quibus compaginatur opticus nervus, orta. Uvea copioſo, ſubnigroque inficitur ſucco. Inter corneam & uveam viſus ſum attingere aliam tunicam, quæ componitur, ut videre potui, tubulis ſeu fiſtulis horizontaliter ſituatis, eamque ſpeciem habent, quam in ſecundinis, ſeu corticibus ſeminum plantarum obſervavi & delineavi. Quapropter ſi integre conſtaret de hac fiſtuloſa membrana, dubitari poſſet, an hæc ſeparationi ſubnigri ſucci inſerviat. Poſtremo tunica cornea occurrit ſphæram referens, cui altera minor hæreat. Pars anterior proprie cornea dicta, licet denſa ſit, plicabilis tamen & diaphana exiſtit, exſiccataque perlucet. Altera pars, quæ adnata vocitatur, anterius oſſea zona ambitur, cujus ſtructura elegans eſt; hæc enim pluribus oſſeis lamellis E compaginatur, quæ multiplices ſunt, & quatuordecim in oculo numeravi. Uniuntur invicem quaſi per harmoniam, & æmulantur piſcium ſquamas, ita ſituatæ, ut circularem zonam efforment. Harum limbi graciles ſunt, & quaſi crenis ſolvuntur. Duplici conſtant lamina, & in medio attolluntur in tumorem, unde ut in reliquis oſſibus ſpatiola F inæqualis figuræ exhibent.

Tab. VIII. Fig. 2. N. 1. 2. 3. — N. 4. — N. 5.

In oris concavitate lingua locatur arcta, longa, & in apice ſubrotunda; depreſſa tamen & ſubnigri coloris. Frænum habet, & oblongis hyodes cornibus fulcitur & movetur, quæ poſt aures curvata oblongis muſculis exeruntur, & linguam foras emittunt, ut in pico alias obſervavi. Non longe a laryngis hiatu ſuborta lingua conicis papillis ſubnigris verſus laryngem inclinatis ornatur. Hic ingens glandularum cumulus occurrit, quæ excretorio vaſe pollentes mucoſum fundunt humorem. In linguæ lateribus locantur glandulæ, quæ continuatum corpus repræſentant ſubrotundum, carnis colorem æmulans; ſunt autem viginti quinque glandulæ miliares in recto poſitæ proprio hiatu gaudentes. Lentum evomunt ſuccum perſimilem ptiſanæ hordeaceæ. In oris plano hinc inde a lingua glandularum pariter

riter rubrarum ingens copia luxuriat. Gemina quoque congeries glandularum in eodem oris plano inter frænum linguæ et radicem roſtri occurrit. Pars quoque ſuperior palati glandularum ingenti numero mucum fundentium cooperitur, ut nihil diſtinctius conſpici poſſit.

Aperto thorace ſeptum transverſum, pellicula ſcilicet diaphana obvia fit, quæ pervia eſt, ut in reliquis avibus. Coſtulæ angulum valde obtuſum efformant, & pulmones membranoſi conſimiles ſunt reliquis volatilium. Hærent coſtis, & inſignes ductus habent. Aſpera arteria in geminos ramos dividitur, & ipſius annuli integrum circulum non conſtituunt, & tandem progreſſi obliterantur.

His detractis ventriculus apparet membranoſus, qualis in homine, & in rapacibus avibus obſervatur. Continuatur œſophago, qui ſectus copioſas exhibet glandulas lenticulares, & membranoſas patentibus oſculis in concavitatem hiantibus. Interius cooperitur reticulari quadam ſubſtantia, cujus areæ rotundæ & arctæ ſunt. Laxatur œſophagus in ventriculum, qui in ſuperiori ſui parte lata quadam horizontali zona ambitur, quæ conglobatarum glandularum congerie conflatur ſub nervea tunica locata. Hujusmodi copioſiſſimæ glandulæ contiguæ ſunt, ſubrubræ & fere rotundæ, proprio excretorio hiatu ditatæ. Earum compages perſimilis eſt glandulis obſervatis in extremo œſophago gallinæ, ventriculo carnoſo proximo. Supra hanc partem, & nerveam tunicam rete extenditur, cujus ſpatia inæqualis figuræ occupantur ab orificiis vaſorum hiantium glandularum. Subſequitur reliquum ventriculi, media ſcilicet portio & fundus, in quibus nullæ apparent glandulæ conglobatæ, ſed interior ſuperficies tota mirabili reti cooperitur, quod faſciculis quaſi nervoſis horizontaliter productis & invicem anaſtomizatis producitur. A nervea tunica pili quoque erumpunt. Exterius ventriculus ſanguineis vaſis, nervis, fibrisque carneis ambitur. Hiat ventriculus in duodenum inteſtinum & in ejusdem orificio copioſa luxuriat bilis. Inteſtina interius pilos veluti ſericum pannum promunt. Recipiunt bilem a jecore, & a veſica, hiatuſque pori biliarii diſtat a ventriculi fundo menſura brachii Bononienſis. Renes de more hinc inde extremo dorſo hærent, a quibus gemini ureteres in cloacam producuntur, cui

cæcum quoddam inteſtinum adnaſcitur. Hoc interius mucoſa ambitur ſubſtantia, & in hoc glandulas non vidi.

Conferri poterit Anatome Aquilæ a *Borrichio Act. Hafnienſ. Vol. 1. Obſ. 2.* & apud *Blaſium Anat. Anim. p. 136.* atque *Muralto M. A. N. C. Dec. 2. A. 1. Obſ. 50.* propoſita.

p. 86. In exercitatione epiſtolari (ad *Sponium*) peculiare vas, hocque geminum, & inſigne, hinc inde vaccæ uterum perreptans, indicavi, cujus figuram hic delineare placuit.

Tab. VIII. Fig. 3. Finibus igitur & minimis ramis A cornuum uteri graciléſcentibus portionibus hæret, & extremis ſurculis folliculi ſubrotundi B glanduloſi appenduntur. Ab his exporrigitur vas inſigne C percurrens latera cornuum ſeu tubarum uteri. Ab hoc manifeſtæ emanant protuberantiæ ſeu appendices D, ubi autem uteri ori approximatur, cartilaginea quadam vagina E ambitur. Protractum ultra os uteri modo tubuloſum F & anguſtum, modo laxatur in globulos, tandem amplius factum hinc inde ſupra uteri vaginam elongatur, & apertum valvulas, ſeu transverſales membranas G exhibet. In hujus dilatati vaſis portione orificia H patent, & tandem lato fine proprio foramine I non longe ab urethræ hiatu finem ſortitur.

Hujus vaſis exiſtentiam anno 1684 in vitula imperforata evidenter confirmavi. In hac itaque uterus monſtruoſa mole turgebat, turbato quodam ichore refertus; appenſa vagina in molem æqualem veſicæ urinariæ ſuillæ attollebatur. Uteri pariter cornua, & tubæ eodem ichore refertæ, tumida erant, & compreſſis extremis tubis nil extra per infundibulum prodibat. His de more appendebantur ovatia, in quibus ovum diaphano humore turgidum continebatur. Detractis involucris occurrebant exarata vaſa eodem turbato humore repleta, quæ exorta ab extremo vaginæ ſurſum exporrigebantur recta, & continuata, ita ut immiſſus ſtylus liberé totam ipſorum longitudinem feliciter pervaderet. Ichor, quo tumor excitabatur, urina erat; nam igni oppoſitus non concreſcebat, ſed tetrum urinæ halitum reddebat. Probabile igitur eſt, impedito per vulvam urinæ exitu, eandem regurgitando vaginam, uterum, cornua ejuſdem, & exarata vaſa diſtendiſſe, & patenter manifeſtaſſe.

p. 101. Exarata de Glandulis epiſtola, novis typis *Lugduni Batavorum* excuſa, Clariſſimum *Nuckium* excitavit, qui edito de glandulis & lym-

lymphaticis libro, (in *Actis A. 1692. p. 97.* exhibito) neglecta mea poſitione, novam indicare ſtructuram filiis artis adhuc ignotam, conatus eſt.

Habet itaque conglobatam glandulam membranis ambientibus integrari, interius autem reticulari opere excitari, quod muſcoſum appellat; ab hoc autem ſpatia multiplicia variarum figurarum emanare, geminis pariter lymphaticorum ſurculis ditari præter arteriarum, venarum, & nervorum ſurculos: quapropter injecto mercurio per ſuperingredientia lymphatica, repletis glandulæ ſpatiis, ipſam turgere, manifeſtatis in ſuperficie ſubrotundis tumoribus. Proſequitur autem exercitationem, & ſuppoſita diviſione glandularum in veſicales & vaſatas, cenſet, conglomeratas glandulas vaſatas eſſe, ita ut pancreas exempli gratia ſolis venis, & arteriis ita attenuatis & gracileſcentibus coagmentetur, a quibus excretorium ſuboritur vas, quod ſeparatum peculiarem ſuccum derivat.

Hæc & ſimilia Clariſſimus Vir exponit, quæ ſi leviter etiam examinentur, Naturæ non conſonare, & diminutam exponere ſtructuram abunde patebit. Negari igitur non poteſt, in glandula conglobata reticularis plexus, a quo areæ deſignantur diverſarum figurarum, quam poſitionem ego fuſe expoſui; cujus autem naturæ ſit, licet nomine muſci inſigniat, non tamen indicat Clariſſimus Vir, & ex ſubſtantiæ modo, & connexione cum ambiente membrana patet, propaginem eſſe inveſtientis tunicæ, & productarum carnearum fibrarum, ſupra quas vaſa propagantur. Quoniam autem exarata a me methodo in ſanis & morboſis glandulis manifeſtantur membranoſi loculi expoſita ſpatia muſcoſi corporis occupantes, quæ ab extremis ſanguineorum vaſculorum ſurculis irrigantur, & in quos hiant ſubintrantia lymphatica, & ab his elongantur exeuntia pariter lymphatica, ideo miror a Doctiſſimo Viro hæc omiſſa & neglecta fuiſſe, & ex experimento injectionis mercurii analogo tentamini a me atramento facto, quo exterius ſubrotundi tumores apparent, & interius ſpatia replentur injecto fluido, illationem deduxiſſe, glandulas ſolis ſpatiis integraliter componi, cum ultra ſenſum ratio etiam indicet, ſacculos neceſſarios eſſe, in quibus receptum fluidum exteriores protuberantes promat tumores, & interiora ſpatia repleat, & diſtendat. Et quia ſimplices glandulæ hoc folliculo, veluti parte principe integrantur, ideo in conglo-

globatis hæc non omittenda erat, & conſequenter deſcriptio hæc manca videtur, & ſolum nominis *Muſcoſi* novitatem continet. Folliculorum exiſtentia in morboſis conſtitutionibus patentior eluceſcit, in quibus intercepto & concreto ſucco turgent, & craſſeſcunt, ut in ſingulis glanduloſis folliculis abſceſſu tentatis, vel tartarea morboſaque contenta materia adauctis paſſim obſervamus. In ſanis pariter conglobatis glandulis longa aquæ maceratione præparatis reticularis plexus occurrit, cujus areas gemini, & interdum plures ſubalbi occupant folliculi, quibus ſectis concava membrana patenter apparet.

Conglobatarum (conglomeratarum) expoſita ſtructura a Clariſſimo Viro propoſita ſuis quoque premitur difficultatibus; ſenſus enim abunde indicat, in pancreate, hepate, & renibus miliares, vel ovales folliculos reperiri, quos arteriæ & venæ multiplicibus ramis, capreolorum inſtar, ambiunt; quod evidenter injecto per arteriam emulgentem atramento in miliaribus renum glandulis ope microſcopii manifeſtatur, a quibus renales tubuli ſub ſpecie fibrarum exorti ſeparatam urinam derivant, & in pelvim deducunt. Hoc manifeſtius eluceſcit in monſtroſis & morboſis renibus, in quibus, ut alias indicavi, interdum folliculi glanduloſi ita turgent, ut acinos uvæ magnitudine æquent, circa quos vaſorum extremi rami ludunt. Idem in morboſo hepate, & pancreate obſervatur. Quapropter cum ſenſibus conſtet, glanduloſum folliculum membranoſa veſicula integrari, ſupra quam multiplices fines vaſorum ſanguineorum propagantur, ut in ventriculo, pleura, pericardio ſuccedit, non licet aſſerere, arteriæ extremum tubulum anguſtatum in vas excretorium deſinere, ſed ſenſu comprobatur, glandulæ folliculum peculiare eſſe corpus membranoſum, circa quod extremi fines vaſorum propagantur, & a quo exortum excretorium vas ſeparatam materiam derivat.

Quemadmodum vero Epiſtola hactenus recenſita aliquot itidem literas idiomate Italico ultro citroque exaratas complectitur, ita verſio pariter harum in Latinum ſermonem ſub calcem adjicitur. Reliquam Operum poſthumorum molem quatuor vel quinque complent Opuſcula: primum namque *Joh. Alphonſi Borelli* occurrit Scriptum, compagem nervi optici membranoſam in piſcibus Xiphia, Thunna & Pagro a Malpighio primum obſervatam, adverſus nonnullorum oppoſitiones defendens. Reſponſio dein habetur, qua *Galeniſtarum Trium-*

*umphus*, in Recentiores Anatomicos a *Michaele Liparo Meſſanenſi* paratus, a *Malpighio* ſub nomine *D. Placidi Papadopoli Meſſanenſis*, Auditoris ſui, evertitur. Tum Diſſertatio Epiſtolaris ad Amicum de Recentiorum Medicorum Studio, ſubtiliorem cumprimis horum Anatomen, Dendranatomen, & Anatomen comparatam ſugillans, ſiſtitur una cum prolixa & ſolida *Malpighii* ad eandem Reſponſione. Autorem vero Diſſertationis dictæ ipſum eſſe *Joh. Hieronymum Sbaraleam*, Primarium Lycei Bononienſis Lectorem, cui Medica aliqua Hiſtoria, Reſponſo Malpighiano præmiſſa, a *Joh. Baptiſta Gyraldo* inſcribitur, aliunde nobis conſtat. Tandem additur *Malpighii* de Structura Glandularum conglobatarum conſimiliumque partium Epiſtola, Lugduni Batavorum jamjam A. 1690. typis exſcripta.

## *EUTROPII BREVIARIUM ROMANÆ HISTORIÆ, cum Metaphraſi Græca Pæanii, recenſente* CHRISTOPHORO CELLARIO.

Jenæ, ſumtu Jo. Bielkii, 1697. in 8. 1. Alph. Plag. 5.

HIſtoriam Romanam ab Urbe condita ad Flavium uſque Valentem compendioſe contexuit, iſtudque Breviarium Imperatori iſti, cujus juſſu fuerat conſcriptum, dicavit Eutropius; dignus qui reliquis epitomarum ſcriptoribus, Floro, Juſtino, Xiphilino, jungatur. Operæ igitur pretium ſe facturum credidit clariſſimus Editor, ſi poſt Vinetum, Schonhovium, Sylburgium, Merulam, Gruterum & alios, huic Breviario induſtriam adhiberet, qualem linguæ Latinæ ſcriptoribus aliis impenderat. In publicam proinde lucem, cum annotationibus & Pæanii metaphraſi Græca, iſtud anno 1678 emiſit: nunc vero emendatum denuo, locupletioribusque annotationibus, quas tum ſingulis pagellis ſubſtravit, tum Indicibus præmiſit, illuſtratum edidit, Pæanio non ut antea lateri adjecto, ſed Latinis verbis ſubtexto, accurate autem recenſito: unde non minus hæc metaphraſis, quam ipſe Eutropius, exactis & admodum utilibus gaudet indicibus, quos diligentiæ induſtrii Editoris grati debemus in auctoribus, quos publici juris facit. Geminos enim adjicere ſuevit, rerum unum, Latinitatis alterum: quibus in Eutropio acceſſit tertius, in quo Græci metaphraſtæ Pæanii verba, quæ in animadverſionibus p. 316. ſeqq. expenderat, melioriſque ordinis, in quem nonnulla redegit, aut propria virorum provin-

vinciarumque nomina correxit verioraque ſubſtituit, rationem reddiderat, fideliter annotata reperiuntur. Latinitatem quod attinet, cui ſecundus index deſtinatus eſt, etſi oratio non admodum Romana fluere Vineto & aliis cenſetur, augendæ tamen eruditioni idoneam exiſtimat Editor, neque aures vel doctiſſimas offendere; quum nihil oſtendi forte poſſit, quod non idem ex Trajani ævo meliori comprobetur.

*JOHANNIS MUNNICKS, MEDICINÆ DOCTOris & Profeſſoris Ultrajectini, de Re Anatomica Liber.*

Trajecti ad Rhenum, apud Antonium Schouten, 1697. in octavo.
Conſtat plagulis 17½.

Ut nobiliſſimus *Autor* Profeſſioni Anatomicæ, qua in celeberrima Academia Ultrajectina octodecim ultra annos hucuſque fuit functus, ſatisfaceret, haud contentus *Praxin Chirurgicam*, in Actis A. *1689*. p. 563. a nobis recenſitam, emiſiſſe in lucem, in præſenti *de Re Anatomica* libro integram corporis humani ſtructuram non modo ex Autorum commentariis, ſed autopſia quoque propria ſtrictim, plane tamen, voluit evolvere. Autoribus præcipuis ſiquidem, quorum ſedulitate utiliſſima artium Anatome ab Hippocratis & Galeni ad hæc uſque tempora mire increvit, prælibatis, conformationem ſolidarum corporis noſtri partium, juxta ductum *Veslingii*, quem præcipue in deliciis habet ac in pleriſque ſequitur, ab infimo ventre ſive abdomine uſque ad ſupremum ſive caput atque artus ſeu manus pedesque, compta declarat oratione, prout vel pauciores a nobis nunc memorandæ obſervationes ſatis comprobabunt. Cuticulæ videlicet, cute ipſa denſiori atque compactiori, duplex a *Noſtro* aſſignatur lamina: interior, cuticula proprie dicenda, membranoſum & fibrilloſum veræ cutis operimentum eſt, ipſo in utero ex ſemine parentum cum aliis corporis partibus generatum; exterior autem pars, ex vaporibus e corpore exhalantibus & in ſuperficie ipſius cuticulæ condenſatis extra uterum producta, ex tenuibus ſquamulis, piſcium ſquamis haud abſimilibus, compingitur. Nervi per perioſtium expandi dicuntur copioſiſſimi, qui, poſtquam oſſa prope illorum extremitates perforarunt, per membranam ea intus obducentem haud minus denſe ramificentur; id quod tam ex dolore, interius pariter atque exterius

*Præf.* p. 3. p. 10.

rius ſæpe affligente, quam ex inveterato topho colligitur Venereo, utpote qui non curetur, niſi trepano exfoliativo affectum os penitus exſcindatur, atque interna oſſis membrana, ſectione in ipſam medullam ducta, aperiatur; tunc demum, effuſis aliquot virulenti humoris guttis, ceſſare dolorem. Circulus pylori carneus hunc in pueris tam arcto ſigillo munire notatur, ut ſi inflетur ventriculus, ſiccari is poſſit, quamvis inferne non occludatur. Ab inteſtinis non ſolum vaſa lactea, ſed & lymphæductus per meſenterium ad hujus glandulas, & hinc in chyli receptaculum, perhibentur tendere. Quamvis ordinarie duo tantum, in quovis latere unus, ad veſicam abeant ureteres, *Autor* tamen in cadavere virili ureteres utrinque binos, in veſicam quatuor finibus inſertos, in amphitheatro publico ſemel demonſtravit. Albicantia vaſcula, e quibus teſticulorum compages reſultat, ex minutiſſimis albugineæ tunicæ derivantur glandulis. Urinaria fœtus membrana, tenuiſſima ſimul ac pellucida vaſorumque conſpicuorum expers, inter amnium & chorion locata, & in humano partu a multis hactenus negata, in xenodochio a Noſtro pluribus Medicinæ Doctoribus & Studioſis A. 1693 in cadavere mulieris, quæ quatuor præterpropter menſes uterum geſſerat, fuit oſtenſa. Muſculus ſubclavius, principium ducens a prima coſta, totique claviculæ inferius adhærens, in ſcapulæ acromium excurrere, adeoque muſculo pectorali & ſerrato antico minori opitulari traditur. Glandula pinealis, cum inſuper plexui choroidi velut capſulæ includatur, hujus ipſius plexus choroidis gratia imprimis conjicitur extructa. Quem in tympani membrana hiatum multis abhinc annis Clariſſimus noſter *Rivinus* in capitibus brutorum deprehendit, *Autor* ſuperiori anno in capite humano, poſt ſtyliformem proceſſum cum ea oſſis petroſi portione prudenter ablatum, demonſtravit, eumque nihil aliud eſſe, quam membranæ ejusdem duplicaturam, ſimul obſervavit.

p. 30. p. 42. p. 65. p. 69. p. 86. p. 93. p. 159. p. 195.

***EVANGELIUM INFANTIÆ, VEL LIBER APOCRYPHUS** de Infantia Servatoris. Ex manuſcripto edidit ac Latina verſione & notis illuſtravit Henricus Sike Bremenſis.*

Traj. ad Rhen. apud Franc. Halmam & Guil. vande Water. 1697. 8. plag. 18.

Quanquam omni ævo ac tempore extiterint, qui infidelium & hæ-

reticorum libros e tenebris in lucem protrahere, factum indecens & Chriſtianæ Reip. periculoſum eſſe exiſtimarunt, decretis etiam publicis, ut hujusmodi ſcripta per combuſtionem aut alia media ab hominum uſu removerentur, ſancitis: non tamen defuerunt alii viri docti piique, qui non legere tantum hæreticorum ſcripta, ſed & opiniones illorum manifeſtare, librorumque ab iis compoſitorum ſive fragmenta aut compendia, (quemadmodũ in T. IV operum Cyrilli Alex. ex Neſtorii libris aliqua blaſphema excerpta habentur,) ſive integrum contextum, additis quidem plerumque confutationibus, (uti T. VI operum S. Auguſtini integer nec uſquam interruptus ſermo Arianorũ eſt inſertus, ita ut mox addatur reſponſio,) aliquando tamen etiam ſine iis, publice edere, olim & nunc fas eſſe arbitrati ſunt. Quorum veſtigia ſequens præſentis libri Editor, etſi non dubitet, fore plerosque, qui hoc genus ſcriptionis, quo libellum apocryphum, & vel ab impiis hæreticis, vel ſaltem a nefariis & ſuperſtitioſis hominibus, revera Eccleſiæ Chriſti carcinomatibus, profectum in lucem protrahat, non leve tantum & contemnendum, ſed damnandum quoque & ſufflaminandum, neque ſatis dignum Chriſtiani Viri ſtudio judicent: remotis illis accuſationibus, ab antiquitatis eccleſiaſticæ ignaris, & verum harum ſcriptionum ſcopum non perſpicientibus, profectis, talia ſcripta edere, non modo Scripturæ S. & priſcorum ſcriptorum autoritate niti, ſed maximam inſuper Eccleſiæ Chriſti utilitatem afferre oſtendit. Et præprimis quidem ad agnoſcendam Scripturæ S. divinitatem & *αὐθεντίαν*, quæ primario ex inſitis notis & impreſſis quaſi Dei digito menti humanæ criteriis conſtat, ubi ab iſta Scripturæ divinitatem probandi ratione diſceſſeris, nihil prius, nihil antiquius ſe offerre, quodve magis agnitam veritatem in mente humana confirmare poſſit, quam collationem eorum ſcriptorum, quæ vel priſcis temporibus, vel noſtra etiamnum hac ætate pro divinis ac *θεοπνεύστοις* fuerunt venditata. Talia eſſe Judæorum Kabbalam & Talmud, Mohammedanorum Alcoranum & Sunnam, itemque priſcorum hæreticorum libros & fragmenta, quæ non eliminare, ſed fideliter poſteritati exponere conducat, ut perpetua Eccleſiæ certamina contra externos & inteſtinos hoſtes ex iis pateſcant. Hinc etiam Spiritum S. Nicolaitarum, Phileti & Hymenæi hæreſiarcharum inſana & abſurda dogmata nos latere noluiſſe, & SS. Patres Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Phi-

Philaſtrium, Auguſtinum, Theodoretum ac alios, hæreſium nefanda dogmata & opera ſui ævi hominibus propalaſſe, & ſcriptis ad ſeram poſteritatem transmiſiſſe. Speciatim vero alium maxime inſignem uſum talia ſcripta Proteſtantibus præſtare, nempe ut os obturare Pontificiis poſſint, qui perfricta fronte (uti v. gr. Dionyſius Petavius in Præfat. operibus Epiphanii præfixa fecerit,) mentiri & calumniari audeant, Sectam Calvinianam ſentinam eſſe, in quam veterum & recentium ſectarum errorumque colluvies confluxerit, ac quicquid hæreſeon hactenus extitit, de quo legi aliquid vel audiri potuerit, ex eo libatum aliquid eſſe & in eandem derivatum: cum econtra ex illis ſcriptis probatu ſit facillimum, plurimas antiquarum hæreſium particulam ſui veneni Eccleſiæ Pontificiæ afflaſſe, & aliquid ſaltem ſuarū ſordium eidem affricuiſſe; quemadmodum v. gr. *de Chriſto in ſpelunca nato, aſſervato ejusdem præputio, fonte & balſami horto in Matarea productis*, communium Eccleſiæ Pontificiæ traditionum, etiam in hoc Evangelio Infantiæ veſtigia compareant. Illius Evangelii mentionem jam in Gelaſii Papæ decreto, quod in Concilio Romæ ſub finem ſeculi V habito conditum fuit, itemque apud Irenæum, Epiphanium, Chryſoſtomum & Theophylactum occurrere, in præfatione ad Lectorem Auctor monet: atque ideo dubium non eſſe, quin longe ante Mohammedis tempora (ſiquidem & ipſum ex eodem plurima ſuo Alcorano inſeruiſſe, in notis paſſim demonſtrat) jam extiterit, vel Græca, vel Syriaca, vel alia lingua a quodam hæretico compilatum; quanquam textus Arabicus ab Auctore primum ex manuſcripto, quod inter Golianos codices Lugduni Batav. latuit, editus, longe minorem antiquitatem præ ſe ferat, & ejus ſtylus ei, quo Novum Teſtamentum Arabice verſum & ab Erpenio editum habemus, haud multum diſſimilis ſit. Evangelium ipſum Arabicum, cui ab altera parte Latina verſio ab Auctore adjuncta eſt, integrum ex nugaciſſimis narrationibus, variisque hæreticorum ejus temporis pravis opinionibus compoſitum ſequitur. In fine notas adjecit Auctor, in quibus aliorum autorum ſimilibus fabuloſis narrationibus Evangelium hoc illuſtrat: imprimis autem ex Alcorano ejusdemque Commentatoribus, maxime utroque Gialaloddino (quorum ſcholia cum textu Arabico Alcorani & verſione ſua propediem ſe editurum pollicetur,) & præterea ex Abu-Mohammed Abd-Alla, Keſſæi nomine eruditis noto (qui vitas Patriarcharum & Prophetarum

 ex ſen-

ex ſententia Mohammedanorum deſcripſit, hactenus ineditas,) interdum ex Prot-Evangelio Jacobi (quod ex Arabica lingua, ſaltem Orientalium aliqua, in Græcam fuiſſe translatum exiſtimat,) & Hier. Xaverii hiſtoria Chriſti Perſice ſcripta, nonnulla loca adducit, quæ cum Pſeudo-Evangelio ſuo convenientiam habent. Ex illis notis inſigni-
p. 1. ores quaſdam ſpeciminis loco Lectorum oculis ſubjiciemus. Et quidem in limine ſtatim Hinkelmannum reprehendit, qui in præfatione nuperæ Alcorani editioni præfixâ, ex eodem Evangelio (quod manuſcriptum penes ſe ſervavit, cujus editionem etiam cum aliis Pſeudo-Evangeliis, in Specimine Sapientiæ Indorum veterum promiſerat Starkius,) verba de Joſepho Pontifice citans, eadem de Joſepho Hiſtoriographo intellexit, cum neceſſario Joſephus Cajaphas, de quo ipſe Joſephus Antiqu. Jud. XVIII. 3. videndus eſt, ibi indigitetur; id quod ex proxime ſequentibus hujus Evangelii verbis etiam planum eſt. Quan-
p. 34. do etiam in Evangelio (p. 25.) de fictitio illo Apollinis oraculo Auguſti tempore collapſo, mentio injicitur, reliqua ſimul idola eo tempore interiiſſe, ex inſigni Euſebii (pro quo falſo ibi Epiphanii nomen legitur,)
p. 55. loco Dem. Ev. VI. 20. conſtare monet. Occaſione autem, quod in Evangelio (p. 115.) aſſeritur, *Chriſtũ tinctoriam officinam prateriſſe*, ex Angelide la Broſſe Lexico Perſico ad vocẽ, *Tinctoria ars*, obſervat, in apocrypho Perſarum libro *de Infantia Chriſti* referri, quod Salvator tinctoriam artem exercuerit, item quod unica tinctura pannos cujuslibet coloris exhibuerit; quapropter eum tinctores Perſæ pro patrono venerentur, & tinctoriam domum *officinam Chriſti* appellent. Denique cum in notis affirmaſſet, Muhammedem, Chriſtum crucifi-
p. 78. xum eſſe, aſſerere, in poſterioribus notis proprium errorem corrigit, ſiquidem in Alcorano, non tantum Chriſtum crucifixum eſſe negetur, ſed vehementer etiam Muhammed in Judæos invehatur, & nec interfeciſſe illum nec cruci affixiſſe Judæos, ſed ita illis viſum fuiſſe, ibi aſſeratur: quorum quidem verborum cum diverſum ſenſum tradant Alcorani Commentatores, aliis Chriſti loco alium quempiam ſubſtitutum eſſe exiſtimantibus, aliis vero Simonem Cyrenæum crucifixum eſſe ſomniantibus, ex Golianis ſcholiis Alcorani Mſtis, quæ inter cimelia ſua ſervat, in caput tertium Alcorani, aliam quorundam Theologorum Mohammedanorum ſententiam allegat, qui Chriſti animam e corpore exemptam & in cœlos ſublatam fuiſſe docent, deſcendiſſe

vero

vero deinceps Angelum in ejus corpus, atque ita crucifixum eſſe. Reliqua lectu non injucunda pro otio ſuo B. L. facile evolvet.

## *DE CANONIBUS APOSTOLORUM DISSERTATIO, Auctore P. ANTONIO CONSTANTINO a Caſtrovillare, Ord. Minimorum S. Franciſci de Paula Ex-Provinciali.*

Romæ, typis Jo. Jacobi Komarek, 1697. in 4. Alphab. 2. plag. 2.

NAtali imprimis Alexandro ejusdemque argumentis adverſus Canones, quos alii Apoſtolis auctoribus tribuere ſueverunt, oppoſita eſt hæc Diſſertatio, tametſi iſtud nomen nuſpiam in ea expreſſum reperiatur. Dum vero contrariam ſententiam tueri modis Auctor clariſſimus omnibus annititur, ſub ipſum ejus initium admodum in eo operoſus eſt, ut Apoſtolos conſulto tam pauca literis conſignaſſe evincat, quippe qui nonniſi ſumma ut plurimum neceſſitate adacti ſcribendum quid exiſtimarint; voce autem eos regulas plurimas, ad fidem moresque pertinentes tradidiſſe, iſtoque pacto monita ſua non membranis credere, ſed cordibus imprimere voluiſſe comprobet. C. I. Huc ergo referendos quoque eſſe ſtatuit quinquaginta illos Apoſtolorum Canones, quos e Dionyſii Exigui Latina verſione recenſet. Etſi vero iſtis etiam triginta quinque alios, quos Græci inſuper recipiant, & novem illos, quos Turrianus e Græco codice Pamphilii Martyris deſcripſiſſe ſe teſtetur, ſubjungat: hos tamen æque ac illos parum ſe hac vice curaturum ait, & ad quinquaginta potius priores ſtudium ſuum reſtringit. Hos vero a Clemente collectos, ac in poſterorum gratiam literis mandatos omnino exiſtimat, magnum huic aſſerto robur conciliari poſſe ratus ex Irenæi de Clemente teſtimonio, quo Apoſtolorum traditiones prope in conſpectu & ante oculos Clementem habuiſſe edoceamur; per iſtas enim traditiones ipſas haſce conſtitutiones ſeu Canones intelligit, nulloque ita fundamento negari poſſe cenſet, quod Clemens eos literis conſignaverit. Quid? quod Canones iſtos ab Apoſtolis conditos, & a Clemente ſcriptos fuiſſe, ex Eccleſiæ, quæ nec decipere queat, nec decipi, conſenſu, & Conciliorum, generalium æque ac particularium, plurimorumque Pontificum teſtimoniis abunde conſtet. Tradere quidem heic obſervat nonneminem e Criticis, (hoc nomine ſuum Adverſarium perpetuo deſignans,) citatos haberi a Conciliis & Pontificibus hos Canones ſub nomine A-

poſtolorum, citra definitionem expreſſam, an vere an falſo iis inſcribantur, ſolum quia, ut ſic citarentur, uſus inoleverit. Aſt nihilominus hinc conſecuturum ait, Eccleſiam deceptam fuiſſe, Canones illos pro
C. II. Apoſtolicis venditando. Occaſionem vero condendis his Canonibus dediſſe ait Cerinthum, populum adverſus Apoſtolos velut Moſaicarum legum contemtores concitantem: unde ad mulcendos Judæos, recens ad Chriſtum converſos, Moſenque aboleri penitus haudquaquam paſſuros, Apoſtoli in Synodum Hieroſolymis coierint, utque oſtenderent, Moſaicæ legis zelatores ſe, non deſtructores eſſe, Canones hos juxta præcepta Moſaica conſtruxerint. Inſignem enim illorum cum his convenientiam exemplis non unis probare, inſuperque paſſim in Epiſtolis ſuis Paulum ad eos reſpicere, e locis inter ſe collatis evictum dare nititur. Poſt ad Criticum ſuum iterum ſe confert, qui Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ circa Canonum horum numerum diſcrepantiam adverſus eos allegaverat. Sed hanc ipſorum auctoritati nihil poſſe officere reſpondet, cum & in variis, quorum nonnullos recenſet, ritibus Eccleſia illa ab hac impune abeat. Dehinc ante ſextum ſeculum receptos in Eccleſia Orientali Canones fuiſſe negarat ille; ſed nec probari ſatis poſſe hanc ſententiam reſpondet Noſter, nec, ſi probari poſſet, actum fore de Apoſtolorum Canonibus admittit: nam & libros quosdam Biblicos ſerius receptos fuiſſe ait, quorum tamen ideo auctoritatem impugnare nemo facile ſuſtineat.
C. III. Ut tamen & ante ſextum ſeculum obtinuiſſe eos probet, agitatam primo de Paſchatis celebrandi tempore controverſiam in ſubſidium vocat, ac non alia de cauſa Quartadecimanos tantopere impugnatos monet, quam quia Canonem, qui inter Apoſtolicos octavus ſit, manifeſte violarint. Equidem tametſi concedatur, Philippum quoque & Johannem aliquando cum Judæis Paſchatis myſterium celebraſſe, non eum tamen id in finem factum eſſe regerit, ut Canoni iſti adverſos ſeſe gererent, ſed ut ingeniis diverſorum ſe accommodantes, omnes lucrifacerent. Si quis inſtet, in controverſia illa a nemine tunc citatum reperiri hunc Apoſtolorum Canonem, reſpondet, litem hoc pacto moveri de ſolo nomine, cum traditio Apoſtolica, quam omnes in ore habuerint, ipſe utique hic Canon ſit. Similia fere repetit in altera de hæreticorum baptiſmo controverſia, ubi certe Romanus Pontifex ſola illa regula, quæ inter Apoſtolorum Canones quadrageſimum ſeptimum lo-

cum

cum obtinuerit, fretus tot Orientalium Africanorumque conatus quaſſarit, & in nihilum tandem redegerit. Imo & Africanis Canonem illum haud ignotum fuiſſe ſtatuit. Utut enim in aliam fortaſſis opinionem deduci poſſet quiſpiam, ex eo imprimis, quod Canone 46 hæreticorum baptiſma penitus damnetur, iſtum vero allegare omiſerint Orientales & Afri, etiamſi eorum cauſæ adverſus Romanum Pontificem haud parum profuiſſet; unde ignotos ea ætate Orientalibus & Africanis Apoſtolorum Canones fuiſſe conjicias: obſervat tamen, Apoſtolos damnaſſe iſtud ſolum hæreticorum baptiſma, quod non juxta formam a Chriſto traditā peractum fuerit; unde Orientales & Afri eos etiam rebaptizantes, qui forma integre ſervata olim baptiſmum acceperant, pro ſua illum ſententia allegare nequiverint. Patres Concilii Nicæni, dum Leontium, Eccleſiæ Antiochenæ Presbyterum, quod ſemetipſum caſtraſſet, ut abſque ſuſpicione cum Euſtolia dormire poſſet, presbyteratu privarint, ad vigeſimum tertium Canonem Apoſtolicum reſpexiſſe & provocaſſe, indubium exiſtimat; ſimilem enim Eunuchis ullam regulam in Conciliis ante habitis vulgatam extare negat, eamque in Synodis Nicænam antecedentibus, quas enumerat, oſtendi petit. Similem in modum & in ſanctionibus aliis, Synodum Nicænam Canones Apoſtolorum, non morem duntaxat in Eccleſia receptum, ceu opinentur quidam, præ oculis habuiſſe contendit. In Concilio præterea Gangrenſi adverſus Euſtathianos habito, in Antiocheno A. C. 341 celebrato, in Synodo Carthaginenſi A. 348 inſtituta, in Concilio Conſtantinopolitano primo, Synodoque Carthaginenſi ſecunda, Canones Apoſtolorum nunc repetitos, nunc confirmatos aſſerit. Synodi Nicænæ Canonem 13 & Ancyranæ Canonem 21 ad antiquas provocare regulas, nuſpiam quidem in vetuſtioribus monumentis, ſed nec in Canonibus quoq; Apoſtolicis reperiundas, innuerat Adverſarius, & exinde collegerat, traditiones a Synodis memoratas, at nuſpiam alibi extantes, haud neceſſario pro Apoſtolorum Canonibus habendas venire. At Noſter legem illam, quam citato loco Nicæni laudent Patres, in Concilii Romani, ſede vacante a Clero A. 250 aut 253 celebrati Epiſtola Synodica ad Cyprianum miſſa reperiri, confirmatamque eſſe in Synodo Carthaginenſi, & in alia Romana ſub Cornelio Pontifice: illam vero, ad quam Ancyrani Patres provocent, Canone ſexageſimo tertio Concilii Illiberitani extare regerit, C. IV.

C.V.VI. rit; eademq; methodo Patrum aliorumq; qui quarto & quinto ſeculo ſcripſerunt, ac Synodorum hoc poſteriori coactarum teſtimonia nonniſi ad Apoſtolorum Canones reſpicere, probatum dat. Non equidem
C.VII. inficiari ſe dicit, ſexto demum ineunte ſeculo Dionyſium Exiguum collectionem illam Canonum Apoſtolicorum ſuſcepiſſe: negat autem inde ſequi, quod ante illam collectionem haud extiterint; alias enim cæteros Canones, qui ante Dionyſianam collectionem in nullo codice ſimul collecti extabant, eandem paſſuros difficultatem. Dionyſium & Creſcónium aſſerere, quod Canones illi poſt collectionem non ſtatim recepti fuerint ab omnibus, expreſſe negat, eorumque loca ab Adverſario adducta de eo, quod ante collectionem fuerit actum, teſtimonium perhibere obſervat. Argumentum vero a Ferrandi Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconi, & Martini Bracarenſis Epiſcopi alto de his Canonibus ſilentio depromtum, nimis probare putat. Si enim exin liceret inferre, quod Canones iſti ſtatim poſt Dionyſianam collectionem ab omnibus Occidentis Eccleſiis inter regulas eccleſiaſticas admiſſi non fuerint, futurum, ut omnes etiam alii Canones ab his Scriptoribus omiſſi e regularum eccleſiaſticarum tunc ubique receptarum cenſu eliminandi venirent. A Gallicanis Epiſcopis poſt collectionem Dionyſianam Canones Apoſtolorum receptos non fuiſſe, tantum abeſt ut admittat, ut corruptis etiam depravatiſque & quaſiapoſtolicis Canonibus eos reverentiam exhibuiſſe teſtetur. Hincmaro in memoratis alicubi codicis Gallicani Canonibus, Apoſtolicos omittenti, Hincmarum eosdem alibi expreſſe allegantem opponit. Viciſſim plura
C.VIII. coacervat teſtimonia eorum, quos & ipſo ſexto ſeculo, & aliquot proxime ſecutis ad Canones Apoſtolorum provocaſſe, & pro genuinis eos agnoviſſe autumat. E Canone quidem ſexto de uxore ab Epiſcopo religionis prætextu non dimittenda, veluti virorum ſacrorum continentiam deſtruente, plurimos ait arguere, quod Apoſtolorum Canones ſuppoſititii ſint. At vero, ſi res ita haberet, multa quoque Concilia idem præcipientia rejici debere reſpondet, & Apoſtolos ſpeciali Spiritus S. inſtinctu Canonem illum condidiſſe monet, quippe qui matrimonii, quod vocat, Sacramentum a Saturnino aliiſque tanquam impium damnatum iri præviderint; unde iſtud adeo roborare decreverint, ut ne ſacris quidem Miniſtris ſub prætextu religionis licere uxores antea ductas dimittere edixerint. Fruſtraneum eſſe ait ſuum Adverſarium,

ſarium, ubi Canones hos ideo impugnet, quod veteres quatuor priorum ſeculorum Patres inter ſacras Novi Teſtamenti Scripturas eosdem haud retulerint: in ſeriem namque librorum Novi Teſtamenti ea tantum opera, quæ ſcriptis mandata fuerint, admitti debuiſſe notat. Euſebium & Hieronymum Apoſtolorum opera omnia ſumma cum diligentia recenſuiſſe admittit; ſed ad ſcripta ſolummodo reſpectum habuiſſe addit, unde eorum de his Canonibus ſilentium facere huc nihil poſſit. Stylum ab Apoſtolico loquendi more alias conſueto in Canonibus alienũ objecerat ille: verum & inde nullam fluere idoneam conſequentiam Noſter ſtatuit, cum & in ſcripta ad Hebræos epiſtola Paulus, & in ſecunda ſua Petrus, & in poſterioribus epiſtolis pariter ac in Apocalypſi Johannes, a ſemetipſis, ſi ſcribendi modum ſpectes, ſæpe abeant. E Canonibus 21, 22, 23, 24, qui de abſciſſis agunt, argumentatus contra auctoritatem eorundem omnium fuerat Adverſarius, cum veroſimile non ſit, Canones hos ab Apoſtolis fuiſſe promulgatos, quandoquidem illis vel proxime conſecutis temporibus nulla ſemet caſtrantium exempla obvia habeamus. Aſt enim vero non ad ſua, ſed ad futura tempora, Canones hos proferentes Apoſtolos oculum flectere voluiſſe, Noſter innuit. Juſtinum Martyrem exemplum alicujus adoleſcentuli, a Felice Alexandriæ Præſule permitti Medico, ut ipſum caſtraret, poſtulantis, Gentilibus Chriſtianos nocturnis conventiculis in omni libidinum genere debacchari divulgantibus opponere obſervat; unde haud mirum ait, quod Canonum Apoſtolicorum mentionem eo in loco omiſerit. Non igitur favere ipſum Adverſario, ſicut nec allegatum ab eo Origenis ſeipſum exſcindentis exemplum huc quadret: hunc etenim accuſat, quod nimia temeritate ductus, proprioque nimis ingenio fidens, & Apoſtolos idcirco parvi pendens, facinus illud aggreſſus fuerit, quod a graviſſimis Viris merito in ipſo notatum oſtendit. Athanaſium de Leontio, Epiſcopo Antiocheno, ſeipſum abſcindente agentem, nullum penitus commemorare Canonẽ: unde etiam inferri nequeat, ceu velit Adverſarius, quod Nicænum primũ canonem potius, quam Apoſtolicos, in mente habuerit. Epiphanium, ubi mentionem injiciat Valeſiorum, in iis confutandis & alia loca, quæ ipſi magno eſſe potuiſſent uſui, omittere: unde Canonibus Apoſtolorum nullum naſcatur ex hac præteritione detrimentum. Apoſtolos ipſosmet contra Canonem ſuum quadrageſimum nonum,

C. IX.

C. X.

aut quinquageſimum ex Dionyſiano ordine, egiſſe Criticus, qui Noſtro audit, aſſeruerat, cum trinam in adminiſtrando baptiſmo immerſionem non ſemper frequentarint, ut pote quæ in tanta hominum multitudine una aliquando die baptizata peragi haudquaquam potuerit. Aſt fieri iſtud haud difficulter potuiſſe, & reapſe quoque factum, Auctor contra affirmare nullus dubitat. Eodem Canone Apoſtolos in futurum proſpexiſſe, denuo obſervat; unde fruſtra ille urgeat, quod ipſorum tempore nulli adhucdum hæretici, quos redarguere effato ſuo potuiſſent, extiterint. Gelaſium Pontificem in Synodo Romana,
C. XI. cui A. 494 præfuerit, librum quidem Canonum Apoſtolicorum ab hæreticis confictum, non genuinos illos Apoſtolorum Canones, apocryphorum numero accenſuiſſe, nec opus fuiſſe, ut librum hunc expreſſe a genuinis Canonibus diſtingueret, probe gnarus, quod hi non circumferrentur in peculiari libro, ſed locum ſibi tanquam proprium in appendice ad Conſtitutiones Apoſtolicas vindicarent: quo potiſſimum ex fundamento Bellarminum quoque & Baronium defendit, quorum uterque quinquaginta Canones a Gelaſio damnatos itidem pernegaverit. Quid? quod plura etiam opera alia in Gelaſiana reprobatione habeantur, quæ tamen Eccleſia haud penitus rejiciat: unde patere putat, quod & ſpurios ſolum Canones in illo libro occurrentes, non legitimos, Gelaſius apocryphos declararit. Quæ ex Iſidoro apud Gratianum citato urgeat Criticus, non ex Hiſpalenſi illo, ſed alio, cui Mercatoris cognomentum, depromta, inſuperque verbis Auctoris genuinis, quæ ex Baronio recitat, penitus adverſa eſſe ſtatuit. Hincmarum Remenſem quidem aſſerere largitur, Canones Apoſtolorum non ab Apoſtolis conſcriptos credi; negat autem, eum aliud his verbis inſinuare, quam quod literis conſignati ab Apoſtolis haud credantur: quod ſicut omni deſtituatur dubio, ita Hincmarum alibi palam auctoritatem eorum ad Apoſtolos retuliſſe ſcribit. Tandem confictionem horum Canonum ad Firmilianum ubi referat Adverſarius, judicem ipſum ait & partem una evadere, utque ſententiam hanc novam tot teſtimoniis confirmet, quot ipſe ſuam corroborarit hactenus, efflagitat.

*THE-*

## *THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM. VOLUMEN primum, auctore JACOBO GRONOVIO.*

Lugduni Batavorum, apud Petrum & Balduinum vander Aa, cælatore Hildebrando vander Aa, 1697. in Fol.

Conſtat 52 plagulis, 47 figuris majoribus, 39 minoribus.

OMnia vicibus eſſe ſubjecta, nec ſtatum ſuum perpetuo tueri quicquam, tot urbes, tot templa, tot moles, quibus Græcia olim inclaruit, & in admirationem cunctos rapuit, nos commonefaciunt: quam ſi hodie perluſtramus, incultam, rudem, barbaram, deſertam, & degenerantem uſque adeo a priſca illa videmus, ut dubitandi relinquatur locus, an unquam talis extiterit, qualem deſcriptam ab auctoribus illius ævi legimus. Quo magis laudanda eſt eorum induſtria, qui in antiquitatibus Græciæ ſcrutandis, aut eorum qui perſcrutati iſtas fuerunt, operibus ſervandis, quæque reperta ab iiſdem, monumentis ab interitu vindicandis, præclaram operam ponunt. Theſaurum hujusmodi illuſtribus ex omni Græca antiquitate depromtis, & vel in cimeliarchiis Principum extantibus, vel in collectionibus doctorum hominum, qui ab hoc antiquorum monumentorũ colligendorũ ſtudio Antiquariorum nomen adepti fuerunt, aut in deſcribenda Græcia operam poſuerunt, ſuperſtitib⁹ monumentis refertum congerere, in ordines redigere, & poſteris ſpectandum relinquere ſatagit celeberrimi viri Jacobi Gronovii induſtria. Is ſiquidem poſtquam multum ſibi gloriæ, non magis ex paterni nominis extenſo decore, quam editis præclaris operibus, per univerſum orbem litterarium paravit, cujusvis ætatis Græcos & Latinos auctores veteres non modo familiares ſibi, verum etiam ex antiquitate intima intimoque eorum ſenſu & indole perſpectos habens; nunc potiores Græciæ antiquitates, & priſci ævi reliquias, inſtar diſſipatorum & paſſim ſparſorum virgultorum, ut ait, in faſcem connexas, & juſtis voluminibus incluſas, ſub Theſauri earum titulo evulgare inſtituit: exhibiturus effigies virorum ac fœminarum illuſtrium, quibus in Græcis aut Latinis ſcriptoribus aliqua memoriæ pars datur, & in quocunque orbis terrarum ſpatio ob hiſtoriam, vel res geſtas, vel inventa, vel locis nomina data, ac doctrinam, meruerunt cognoſci; item variarum regionum miranda, quæ celebrata apud antiquos ſaxiſque & ære expreſſa occurrunt, omnia ex veris ſinceriſque documentis petita, & pro ſerie temporum diſpoſita.

Primum Theſauri hujus volumen hoc anno publici juris fecit, in quo mythici temporis, quod Trojano bello terminari ait, memorabilia complexus, eadem nonaginta ſeptem tabulis æneis affabre deſignata exhibuit; adjecta cuivis imagini expoſitione, quæ veterem fabuloſam *Promethei, Parcarum, Muſarum, Nympharum, Endymionis, Beroes, Atyos, Ganymedis, Marſyæ, Tityi, Inus, Agaves, Zethi, Amphionis, Dircæ, Niobes, Perſei, Andromedæ, Minotauri, Ledæ, Cephali, Procridis, Oenei, Callirrhoes, Orphei, Hylæ, Herculis, Calaidis, Cyzici, Medeæ, Meleagri, Atalantæ, Alceſtidis, Admeti, Omphalæ, Jolæ, Oedipi, Heſperidum, Stymphalidum, Admetæ, Aventini, Eurypyli, Sardi, Atrei, Paridis, Laocoontis, Iphigeniæ*; & illuſtrium perſonarum, *Cyclopis, Cecropis, Hellenes, Cadmi, Semiramidis, Lacedæmonis, Danai, Midæ, Pergami, Bellerophontis, Minois, Dædali, Ariadnæ, Hyacinthi, Æeti, Jaſonis, Euphemi, Theſei, Phædræ, Amazonum, Hylli, Ajacis, Chironis, Machaonis, Hectoris, Andromachæ, Achillis, Diomedis, Æneæ*, cum *Anchiſe* & *Julo*; urbium item, regionum, montium, & fluviorum, *Acheloi, Damaſci, Europæ, Apolloniæ, Lacedæmonis, Beryti, Cydoneæ, Naxi, Teni, Scyllæ, Corcyræ, Tarenti, Abderæ, Tomorum, Smyrnæ, Myrleæ, Eubœæ, Alabandi, Athus, Rhodopes, Tmoli, Sipyli, &c.* hiſtoriam illuſtrat. Neque enim ſufficere ratus eſt, imagines nudas exhibuiſſe, & formarum a veteribus concinnatarum fictarumque dare conſpectus; ſed rerum ac hiſtoriarum explicationibus ſingulas quaſi veſtiendas & dilucidandas duxit, ut non viſus modo ſuam oblectationem, ſed ſtudia etiam trahant emolumentum: dum memorabilis cujusque rei complexus, ex antiquitatis cælatura oculis ſubjectus, brevi deſcriptione explicaretur, quæ ad certam claramque rerum priſcarum notitiam multum confert. Varia inde Auctorum loca, quæ ad iconis cujusque illuſtrationem pertinent, in his explanationibus explicata, quædam emendata, (ut Hygini in *Prometheo, Cadmo, Marſya*, Stephani in *Semiramide*, Ovidii in *Niobe)* nummos etiam cum imaginibus iſtis quodammodo cognatos, aut easdem exprimentes, paſſim cernimus appoſite admixtos, varios recentiores ſcriptores notatos, & criticum ſubinde adhibitum acumen. Quæ omnia nos deſiderio accendunt reliquorum Theſauri voluminum, qui viſibilem, ut doctiſſimus Auctor loquitur, Græciæ veterrimæ hiſtoriam complectetur, & in quo repoſitum, quidquid auri argentique priſci, vel æris, alteriusve orna-

ornamenti, ad antiquitates Græcas pertinens, reſtet, conſpiciendorum.

## *ORIGINES ET SUCCESSIONES COMITUM WETTINENSIUM, auctore CHRISTOPHORO Chriſtophori F. CELLARIO.*
Halæ Magd. ſumtu Jo. Frid. Gleditſch, 1697. in 4. plag. 8.

WEttinenſem agrum, in Ducatu Magdeburgenſi ſitum, ea nunc felicitate gaudere cernimus, ut a benigniſſimo Domino, Illuſtriſſimo *Dn. EBERHARDO BARONE DE DANCKELMAN*, ſupremo in Aula Electorali Brandenburgica Status Miniſtro, & Collegiorum omnium Præſide ac Rectore conſiliorum, cui tractus iſte Potentiſſimi Heri ipſius clementia & grati animi teſtificatione conceſſus eſt, feliciter excolatur, eidemque Gratioſisſimo Domino ubertatem ſuam, & in carbonibus foſſilibus largiter ſuppeditandis fertilitatem, abunde probet. Ditionem hanc quum poſſederint olim Comites Wettinenſes, ab hoc caſtro, quod *Wettin* dictum, nomen ſortiti, rerum geſtarum & antiquæ nobilitatis ac fortitudinis fama inclyti; non alienum a pietate & obſequio erga Gratioſiſſimum tractus iſtius Dominum, benignitatis ejus alumnus, doctiſſimi & eloquentiſſimi Chriſtophori Cellarii ὁμώνυμος Filius duxit, in primam Comitum horum originem inquirere, eorumque ſucceſſiones ad Sereniſſimos uſque Saxoniæ Duces, qui ex illis orti ſunt, ex antiquis monumentis inveſtigare. Quod quam difficile ſit & arduum, ob veterum Germanorum in annotandis rebus ſuis incuriam, dum a litterarum cultu prorſus eſſent alieni, §. 1. oſtendit. Ad Wittekindum Magnum caſtri hujus exortum minus ex vero referri §. 2. tradit, rectius (etſi nec hoc ſatis ſit explicatum) ad filium Wittekindum juniorem eum trahi exiſtimat §. 3; cujus ex Ditgremo filio, & Ditmaro nepote, pronepos Thiedericus I ejusque poſteri ad Ottonem uſque tertium, ultimum Brenenſem Comitem, juſta ſerie Wettinenſem Comitatum poſſederint, anno 1288 Archiepiſcopatui Magdeburgenſi conceſſum, cujus donationis diploma §. 26. exhibetur. Thiederici I ex Dedone filio nepos fuit Thiedericus II. (de quibus §. 5. 6. 7.) cujus filii plures, Fridericus, Dedo, Thiemo, Gero, Conradus, Rigdagus, §. 9. 10. 11. enarrantur. E quibus Thiemo Comitatum Wettinenſem ad Conradum Miſniæ & Luſatiæ Mar-

chionem transmiſit §. *12.* qui quum filios quinque haberet, ne litem iis in dividenda hæreditate relinqueret, unicuique ſuam regendam partem adſignavit, & Ottoni Marchiam Miſnenſem, Thiederico Luſatam, Henrico Comitatum Wettinenſem, Dedoni Rochlicenſem, Friderico Brenenſem tradidit §. *15.* Henricus ad filium Ulricum Wettinenſem Comitatũ propagavit §. *19*, & quum anno 1206 Ulricus deceſſiſſet, ac altero anno poſt filius ejus ætatis anno duodecimo vitam finiiſſet, Comitatus iſte in agnatum Fridericum Brenenſem Comitem devolutus eſt, cujus abnepos Otto, anno 1290 mortuus, caſtrum Wettinenſe, ut diximus, Archiepiſcopatui Magdeburgenſi donavit §. *20.* Hujus Præſul Guntherus arcem iſtam, cum agris quibusdam circumjacentibus, primum oppignoraſſe Ammendorfio Nobili, poſtea eidem & Caſpari Winkelio Fridericus Archiepiſcopus vendidiſſe anno 1446 feruntur; unde Nobili familiæ Winkeliæ jus, quod hodie diſceptatur, in has terras fuit datum §. *22.* Archiepiſcopis autem integrũ ſemper jus aperturæ & ſequelæ, nec non metallicarum fodinarum manſiſſe, e tabulis feudalibus Auctor *p. 22.* monſtrat: quarum fodinarum uberem proventum a Potentiſſimo Electore Brandenburgico, conſiliorum moderatori ſapientiſſimo, quem ſupra diximus, Eberhardo Dankelmanno eſſe conceſſum, in quem caſtrenſe etiam aut burgaticum feudum caſtelli hujus a familia Trottenorum derivatum ſit, §. *23.* affirmat. De cœnobio S. Petri in Monte Sereno ſeu Lauterberga, quod Comitibus Wettinenſibus ſepulcra præbuit, quæ adhuc ex cæſo lapide ſtructa ibi conſpiciuntur, a Dedone & Conrado fratribus, Thiemonis filiis, anno 1124 jactis fundamentis exſtructo §. *12. 13.* narrat, ſimulacris Comitum & eorum conjugum, quæ ibi ſuperſunt, §. *25.* recenſitis; quæ delineata cernere licet in Chronico Montis Sereni hujus, a Joachimo Johanne Madero A. 1665 edito. Tabula Genealogica, quam Auctor adjecit, a Wittekindo Juniore ad Fridericum uſque Bellicoſum primum Saxoniæ Electorem, & Ottonem III ultimum Wettinenſem Comitem deducta, perſpicue oſtendit, qua ſerie per Marchiones Miſniæ, a Comitum Wettinenſium ſtirpe propagati ſint Duces Saxoniæ & Electores.

FLO-

## FLORA MALABARICA, SIVE *HORTI MALABARICI Catalogus*, *auctore CASPARO COMMELINO.*

Lugduni Bat. apud Fred. Haaring, *1696.* in fol. & oct. Plag. 19.

INter opera Botanica, quæ hoc tempore celebrantur, vel maxime *Hortus Malabaricus* eminet, nobiliſſimi celeberrimique viri *Henrici van Reede tot Draakenſtein* auſpiciis in Hollandia editus, ac duodecim in folio, ut loqui ſolent, voluminibus comprehenſus. Et priores quidem quatuor illius partes in *Actis* hiſce *A. 1684, p. 195* ſqq. exhibuimus, totius ſimul inſtituti ratione uberius expoſita. De parte quinta *A. 1685, p. 401,* de ſexta, ſeptima & octava *A. 1688, p. 479* quædam nos dixiſſe meminimus. Reliquas quo minus ſpeciatim recenſeremus, vel ipſa librorum novorum, qui ſe undique offerunt, copia fuimus prohibiti: tametſi minime nos latuerit, partem nonam A. 1689, decimam A. 1690, undecimam A. 1692, & duodecimam eamque ultimam A. 1693, cunctas ab eodem Van Reede adornatas, ab *Abrahamo a Poot* in ordinem redactas & Latinitate donatas, a *Jo. Commelino* notis illuſtratas, typis Amſtelodamenſium in lucem publicam prodiiſſe.

Ad tam ſplendidum vero opus uti poſt Reedium *Jo. Commelinus* Reipublicæ Amſtelodamenſis, dum viveret, Senator & Horti Medici Præfectus plurimum contulit, ſingulis, præter primum, in quod *Arnoldi Syen* notæ extant, voluminibus commentario ornatis: ita ejusdem ex fratre nepos, qui hoc tempore Horti Medici Amſtelodamenſis curam gerit, vir clariſſimus, *Caſparus Commelinus*, id ſuarum eſſe partium duxit, ut pretioſum opus plurium uſibus accommodaret, & elegantiæ illius ac velut majeſtati utilitatem haud paulo majorem adjungeret. Nimirum cum in opere ipſo plantæ Malabaricis ut plurimum nominibus deſignentur, quas aliis & ſæpe convenientioribus tum veteres tum recentiores rei herbariæ ſcriptores inſignire conſueverunt, (quorũ quidem non pauca Jo. Commelinus jam indicaverat in notis,) præſentem accuratumque Horti illius Malabarici Catalogum componere voluit, plantarum nomina omnia in ordinem alphabeticum diſpoſita complexum, ut quisque plantam ſibi propoſitam, modo qualecunque ejus nomen noverit, ſine moleſtia invenire poſſet. Nos uti non dubitamus, quin grato animo agnituri ſint laborem iſtum Botanophi-

nophili: ita, ne ſpecimen ejus deſit, duo exempla producere non gravabimur. Tomo II p. 53 Reedius plantam ſiſtit *Ericu* Malabarenſibus, *Roey* Bramanibus dictam. Eandem *Jacobo Breynio in Prodromo ſecundo Faſciculi rariorum plantarum* Apocynum erectum majus latifolium Indicum, flore concavo, amplo, carneo, ſuavepurpuraſcente, *Paulo Hermanno in Catalogo Horti Academici Lugduno-Batavi* Apocynum latifolium Ægyptiacum, incanum, erectum, floribus ſpicatis maximis pallide violaceis, ſiliquis folliculatis rugoſis, *Caſparo Bauhino in Pinace* Apocynum Ægyptiacum lacteſcens ſiliqua Aſclepiadis, *Abrahamo Munting in Curioſa Deſcriptione Terræ Naſcentium* (*Naukeurige Beſchryvinge der Aardgewaſſen*) Apocynum Syriacum, *Pittoni Tournefort in Elementis Botanices* (*Elemens de Botanique*) Apocynum Ægyptiacum floribus umbellatis, *Joanni Parkinſonio in Theatro Botanico* Apocynum rectum Americanum majus ſive latifolium, *Jo. Veslingio in Obſervationibus de Plantis Ægyptiacis* Beidel Sſar, *Jo. Bauhino in Hiſtoria plantarum univerſali* Beidelſar Alpini, ſive Apocynum Syriacum, *Carolo Cluſio in Hiſtoria rariorum Plantarum* Apocynum ſive Syriacum, ſive Palæſtinum, & forte Ægyptiacum, *Zeylonenſibus* Waraghalam appellari, ex Catalogo noſtro Commeliniano diſces. Tomo III p. 59 Reedius arborem exhibet *Malabarenſibus* Panja, *Bramanibus* Sangori, *Luſitanis* Algodano, *Malaccis* Kapock, *Belgis* Dousboom, ut ipſe monet, dictam; quam ex Catalogo noſtro comperies eandem eſſe, quam *Hermannus l. c.* Goſſipium arboreum Orientale foliis ſalicis digitatis latioribus, *Jo. Rajus in Hiſtoria Plantarum* Goſſipium Indicum ſalicis folio, fructu quinquecapſulari, *Leonardus Plukenetius in Phytographia* Goſſipium ſeu Xylon, arborem Orientalem, ſeu digitatis foliis levibus, fructu quinquecapſulari alba & nitente lanugine farcto, *Caſpar Bauhinus in Pinace* Goſſipium Javanenſe, ſalicis folio, *Car. Cluſius in Hiſtoria Exoticorum* & *Jo. Bauhinus in Hiſt. Plant. Univ.* Lanigeram arborem peregrinam, *Jac. Bontius in Hiſtoria Naturali & Medica Indiæ Orientalis* arborem Lanigeram ſive Goſſampinum Plinii appellitant.

## ERRATA.

Pag. 489. l. 17. 18. lege: *antiquiſſimam fuiſſe, & diu ante, quam eadem apud Græcos Romanoſve invaluiſſet, apud alias gentes uſitatam.* Pag. 492. l. 1. lege: *per inſignem.* Pag. 493. l. 16. lege: *immunes nos non ſinit Imperatoris ipſius.*

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*
*Calendis Decembris, Anno* M DC XCVII.

*A NEW THEORIE OF THE EARTH, &c. HOC EST: NOVA TELLURIS THEORIA, AB EJUS ORIGINE USQUE ad conſummationem: in qua oſtenditur, creationem mundi hexaemero, diluvium univerſale, & generalem conflagrationem, prout in Scriptura proponuntur, perfecte congruere cum ratione & philoſophia. Auctore* GULIELMO WHISTON *M. A. & Reverendi Epiſcopi Norwicenſis Capellano &c.*

Londini apud Benjam. Tooke, 1696. 8. Plag. 31.

TEntaminis hujus Philoſophici, celeberrimoque viro *Iſaaco Newtono*, (cujus ſubſidiis, conſiliis, auſpiciis id potiſſimum acceptum refert doctiſſimus Auctor) nuncupati recenſionem, quamvis paulo ſerius factam, non ingratam fore ſperamus curioſis Lectoribus, cum multa nove, argute, eruditeque tradita comprehendat, quæ more noſtro cenſuram aliis relinquentes, ſummatim referemus. Tota Theoria quatuor traditur libris, quorum primus lemmata, ſecundus hypotheſes, tertius phænomena, quartus phænomenorum ſolutiones complectitur. Illis vero diſſertatio præmittitur, de natura, ſtylo & extenſione hiſtoriæ creationis a Moſe deſcriptæ: in qua id præcipue oſtendere ſatagit Whiſtonus, Moſen non reliquiſſe nobis ſubtilem & philoſophicam doctrinam de origine hujus univerſi, ſed hiſtoricam veramque repræſentationem formationis telluris noſtræ, ex rudis inordinatæque materiæ confuſa congerie, quam Chaos dicere ſolemus, & ſucceſſivarum viſibiliumq; mutationum, quales ſpectator in terræ ſuperficie conſtitutus fideliter annotaſſet diebus ſingulis, donec habitatio generis humani evaderet. Exiſtimat enim, hanc explicationem requirere ipſa Moſis verba, qui primis Geneſeos verbis omnium rerum productionem deſignet, deinde vero deſcendat ad enarrandam non illam terræ formationem, quæ

facta ex nihilo, cum ea præcedentibus jam verbis fuerit comprehenſa; ſed ad explicandam ordinationem ejus, diſpoſitionem, & in meliorem utilioremque ſtatum mutationem, a Deo immortali adhibitis mediis naturalibus factam, quæ actio frequenter in Scriptura creationis nomine venire ſoleat. Huic vero ſententiæ non obſtare putat, quod nonnunquam cœlum & terra, tanquam objectum hujus creationis allegantur, diſertisque verbis Gen. 1, v. 16. creatio Solis Lunæque recenſetur: quippe cum per cœlum & terram in Scripturis ſacris ſæpe mundus hic ſublunaris, ſeu globus terraqueus cum ſua atmoſphæra, intelligendus ſit, verbumque Moſis ויעש commode per plusquamperfectum, *& fecerat*, poſſit explicari. Quæ reſponſio cum ſatisfacere non poſſit objicienti, creationem cœleſtium corporum quartæ diei opus a Moſe perhiberi: alia ipſi in promtu eſt, qua affirmat, Scripturam ſe accommodare ad vulgarem hominum apprehenſionem, quoad illa philoſophiæ naturalis dogmata, quæ non capere ſatis ſunt idonei; ſpeciatim autem quoad ſitum, diſtantiam, magnitudinem, uſum & motum corporum cœleſtium; quæ nobis repræſentet tanquam luminaria ignea, in atmoſphæra noſtra collocata, & ad eam non ſecus pertinentia a terraque dependentia, quam nubes aut alia aerea meteora, ac proinde in hiſtoria creationis telluris eorum quoque mentionem faciat. Quam ſententiam tum variis Scripturæ locis, tum rationibus fulcire conatur. Neque enim Scripturam eum in finem literarum monumentis conſignatam eſſe, ut homines Philoſophiam doceat, ipſisque corpora cœleſtia contemplanda proponat, quatenus ſunt præcipuæ hujus univerſi partes, maxima nobilisſimaque corpora, variis & immenſis diſtantiis a terra remota, periodos motuum habentia regulares & harmonicas, aliasque hujusmodi affectiones, quas Aſtronomiæ ſcientia imbuti conſiderare ſolent: ac proinde mirum non eſſe, Scriptores ſacros corpora illa cœleſtia deſcribere quaſi appendices telluris noſtræ, cum apparere oculis noſtris non magis remota ſoleant quam nubes; præcipue cum alias etiam de aliis rebus ſoleant loqui, non uti revera ſunt, ſed ut conſtanter apparent. Unde putat Auctor, quando lumen factum dicitur, nihil aliud a Moſe innui, quam ſuperiorem chaos regionem tam claram defæcatamque fuiſſe redditam, ut Solis radios aliquo modo transmitteret, fieretque ſenſibilis diſtinctio inter noctem atque diem: Solem autem, Lunam & ſtellas tunc demum conditas aſſeri, cum

aer

aer ita pellucidus fuit redditus, ut luminaria hæc fierent conſpicua, & corpora eorum ab oculo in terra conſtituto ita videri poſſent, uti nobis jam ſudo cœlo interdiu aut noctu apparent. Multas enim res in Scriptura ſacra affirmari eſſe certa ratione, quando effectus tantum, quos ſentimus, tales ſunt, quales eſſent, ſi cauſæ revera ita ſe haberent, uti deſcribuntur. Huic tamen doctrinæ, ne in abuſum trahatur, hanc adjicit cautionem: ſacros Scriptores non promiſcue uſos hac libertate, ſed tum demum, cum ſublimitas argumenti, capacitas populi, & facilior inſtillatio utilium principiorum in animos hominum, aliaque gravis ratio, talem accommodationem expoſceret. Quodſi autem requiras, quam igitur ob cauſam commemoret hæc corpora cœleſtia Moſes, cum de terræ noſtræ origine exponit; id ideo factum affirmat, ut Judæos ab adoratione exercitus cœlorum avocaret, repræſentando illis ſidera ut igneos lucidosque globulos in aere pendulos, & intra aut prope nubes revolutiones ſuas peragentes. Cui accedit, quod Moſes, diarium quaſi hiſtoricum mutationum chaos & mundi viſibilis factarum diebus ſingulis conſignans, inſignem illam, quæ quarto die contigit, non potuerit omittere. Ulterius hiſtoriam creationis non porrigi ultra terram, & quæ ad eam pertinent, hinc etiam colligit, quod chaos non fuit materia corporum cœleſtium. Expreſſe enim terra vocatur Gen. 1 & 2, in oppoſitione ad cœlum, neque corpus illud tenebricoſum potuit includere materiam Solis & innumerarum fixarum: cum non adpareat, quomodo tenebris immerſa poſſit eſſe maſſa, cujus centeſima tantum pars obſcura, reliquæ omnes ſunt lucidæ. Addit, repugnare diſceſſionem velociſſimam particularum lucidarum ex chao in remotiſſima illa ſpatia ætherea proprietati certiſſimæ materiæ, gravitationi nempe univerſali, ſeu vi centripetæ, & inniti opinionem contrariam falſæ hypotheſi, tellurem eſſe centrum univerſi. Quam eo quoque refelli porro ſtatuit, quod, niſi concedatur, creationem Moſaicam ſolam reſpicere tellurem noſtram, tempus creationis ſingulorum corporum tam extreme diſproportionatum ſit ad opera ipſa, ut hæc aſymmetria plane conciliari nequeat cum ſapientia Creatoris, & recenſione operum a Moſe prodita literis: quoniam (quamvis neceſſe non ſit, ut omnibus in caſibus cognoſcamus rationes divinarum actionum aut providentiæ, antequam iis adhibeamus fidem, præſertim ubi revelatio eſt perſpicua, aut objecti ſublimitas captum no-

ſtrum excedit) noſtrum eſt, quotiescunque cognoſcimus, quod Deo aſcribi videtur, ſi ab hominibus fieret, in imperitiæ, imprudentiæ, indecorique reprehenſionem incurrere, id a Deo amoliri, a quo imperfectio omnis alieniſſima, & commodam quærere interpretationem. Hæc ne gratis dixiſſe videatur, pluribus urget, ſecundum vulgarem interpretationem, longitudinem diei 24 horarum nullam habere proportionem ad opera in eo peracta: tertio diei duo diſtincta, imo incompatibilia aſſignari opera, cum reliquis unum aut unius generis tribuatur: terræ, ſi ad reliqua reſpicias, tam exilis contemnendique corporis formationi & exornationi quatuor integros dies attribui, dum Sol, Luna & ſtellæ, vaſtiſſima illa & nobiliſſima corpora, in unius diei opus compinguntur. Præterea objicit, in vulgari Moſaicæ creationis ſchemate omnia ita confuſe & minus philoſophice repræſentari, ut plane illud non conveniat cum ſapientia & perfectione Dei, dum corporibus naturæ ſimilis origo diſſimilis, contra rebus diſſimilis naturæ ſimilis tribuitur origo; de corporum illuſtriſſimorum & maxime conſiderandorum origine vix ulla fit mentio; neque partium ullius corporis, niſi terreni, formatio ſpecialius deſcribitur; lumen apparuiſſe dicitur, antequam Sol, fons ejus & origo, creatus; excavatioque alvei oceani & elevatio montium talis Deo tribuitur, quæ non naturalis & plane indecens eſt. Porro cum manifeſtum ſit, quæ a Moſe commemorantur omnia ad utilitatem terricolarum referri, abſurdũ vero ſit ſtatuere, tot millia corporum glorioſorum, vaſtiſſimorũ & immenſis a nobis diſtantiis remotorum, ut ne quidem omnia in conſpectum noſtrum veniant, ſolius globuli terræ aut ejus incolarum in gratiam condita eſſe: vel hinc effici putat, Moſaicam creationis hiſtoriam non ultra terræ productionem eſſe extendendam; præſertim cum hoc neque intentio ſcriptoris requirat, nec populi Iſraelitici capacitas ferre potuerit ſtricte philoſophicam veramque enarrationem originis hujus univerſi. Idem conſequi ex eo cenſet, quod etiam diluvium & conflagratio, quæ eosdem habeant limites cum operibus hexaemeri, ad terram, quæque ad eam pertinent, tantum porriguntur: ut proinde ſatius ſit ſtatuere, uti hexaemeri ſpatio tellus propter hominem condita, ita reliqua etiam corpora cœleſtia aliis temporibus, propter alias creaturas formata: quarum multas poſſe eſſe myriades intellectu nobilitateque nobis præſtantiores, facile intelligamus, ſi infinitam naturam

turam & nullis coarctatas limitibus perfectiones divini Numinis rite perpendamus.

Quæ quidem prolixius explicare conſultum duximus, cum huic doctrinæ tanquam tibicini tota reliqua moles innitatur. Lemmatibus, quorum 83 primo libro exhibentur, Poſtulata præfiguntur ſequentia: (1) obvium literalemq; Scripturæ ſenſum verum eſſe genuinumque, ubi nulla evidens ratio in contrarium dari poteſt. (2) Quod perſpicue a naturali cauſa derivari poteſt, non arceſſendum eſſe a miraculoſa potentia. (3) Quicquid antiqua traditio de conſtitutione naturæ ejusque origine, & primitivo mundi ſtatu aſſerit, non eſſe rejiciendum, ſi plene cum Scriptura, ratione & philoſophia conſentiat. De ipſis autem lemmatibus ideo parcius nobis dicendum erit, quod pleraque ex acutiſſimi Mathematici *Iſaaci Newtoni* Principiis Philoſophiæ Naturalis Mechanicis, quæ paſſim eruditorum verſantur manibus, ſunt depromta, & corollariis ſcholiisque ad argumentum, de quo agitur, pertinentibus aucta. Non abs re tamen erit ſequentia huc transferre. *(Lem. 3)* omnia corpora in ſe mutuo gravitare, ſeu mutuo ſe attrahere. *(Lem. 11. 12. 13)* Motus corporum cœleſtium circa Solem oriri ex attractione Solis compoſita cum motu projectionis, fierique in orbita circulari, ſi projectio perpendicularis ſit ad lineam ex Sole eductam, ejusque celeritas in æquilibrio cum gravitatione corporis cœleſtis in Solem; elliptica autem, ſi vel gravitatio celeritatem vincat, vel attractio a celeritate vincatur. *(Lem. 30)* Ferri jam tellurem circa Solem, non ſecus ac reliquos Planetas, in ellipſibus ſuis, eo ordine, qui in Aſtronomia veriori definitur. *(Lem. 42)* Cometas eſſe Planetarum ſpecies, revolutorum circa Solem in orbibus ellipticis, ſed ita oblongis & eccentricis, ut quando ſub obſervationem noſtram cadunt, parum differant a parabolicis. *(Lem. 48)* Cometam, ſi vicinus fiat Planetæ moto in eodem plano, redditurum, accelerando aut retardando hujus motum, orbitam Planetæ ex circulari ellipticam. *(Lem. 54)* Cometam verſus Solem deſcendentem, ſi prope Planetam, quem circumit ſatelles, tranſeat, effecturum ut diſcedant a ſeinvicem, moveanturque ſeorſim, niſi ſitus eorum talis fuerit, ut Cometa æque vicinus fiat Planetæ tam primario quam ſecundario. *(Lem. 58)* Atmoſphæram Cometæ, ſeu fluidum quod corpus ejus ambit, eſſe confuſam & irregularem inæqualiter diſpoſitorum & incerto motu agitatorum

corpuſculorum maſſam, cujus diameter decies aut quindecies quandoque major ſit Cometæ nucleo, caudam vero eſſe atmoſphæræ partem rariorem. (*Lem. 59*) Cometas, propter acceſſum & receſſum nimium a Sole in orbitis ſuis valde eccentricis, non poſſe acquirere aut ſaltem non diu conſervare talem conſtitutionem, qualem habent Planetæ, & conſervatio plantarum animaliumque requirit, ac proinde inhabitabiles illos eſſe cenſendos. (*Lem. 60*) Si orbita Cometæ mutetur in circulum Soli concentricum, aut in ellipſin non multum ab eo differentem, in convenienti a Sole diſtantia, fore ut ſubſidant atmoſphæræ partes, ſecundum leges gravitatis ſpecificæ, & Cometa acquirat conſervetque talem ordinatam fixamque conſtitutionem, quæ Planetis eſt propria, aptaque ad vegetationem plantarum & habitationem animalium. (*Lem. 65*) Cometas nonnullos tam prope in Perihelio ſuo accedere ad Solem, ut prodigioſum acquirant caloris gradum, quem multis annorum millibus non plane amittant. (*Lem. 67*) Si congeries heterogeneorum corpuſculorum, ſeu chaos, in ſua formatione annuo tantum circa Solem feratur motu, absque rotatione diurna, figuram ejus abituram in perfecte ſphæricam, ſed ſi durante formatione circa ſuum axem gyretur, evaſurum ſphæroides latum. (*Lem. 68*) Planetam jam formatum, ſi magna ex parte conſtet ex denſo interno fluido ſeu abyſſo, & cruſta terrea ejus ſuperficiei inducta, inchoeturque rotatio diurna, degeneraturum, licet ab initio fuerit ſphæricus, in ſphæroides latum. (*Lem. 69*) Si cruſta illa concreta & ſolidata ſit ante initium diurnæ vertiginis, fore ut hac incipiente, Planetaque induente ſphæroidis figuram, cruſta illa extendatur, findatur, rumpatur, ejusque partes dividantur fiſſuris perpendicularibus. (*Lem. 70*) In Planetis annuum tantum motum circa Solem habentibus, diem ab anno non differre. (*Lem. 72*) Rationi maxime conſentaneum eſſe, tantam varietatem in fluidis alicujus Planetæ, ratione denſitatis aut ſpecificæ gravitatis reperiri, quanta in ſolidis deprehenditur. (*Lem. 74*) Si chaos aliquod componatur ex fluido ſpecifice graviori, quam partes ejus ſolidæ & terreæ, fluidum hoc in formatione ejus occupaturum proximum a centro locum, ſolidam autem terreamque maſſam illud circumdaturam. (*Lem. 78*) Si in digeſtione atmoſphæræ Cometicæ major adſit quantitas ſolidarum & terrearum particularum, quam fluidi ſpecie gravioris, fore, quoniam non omnes columnæ materiæ ſub-

ſubſidentis ejusdem ſunt gravitatis, ut una quoad majorem partem immergatur fluido, quam altera, fiatque hinc ſuperficies globi inæqualis, ſeu montibus vallibusque diſtincta. (*Lem.* 79) Cometam, ſi propinquus ſatis fiat Planetæ, concitaturum æſtum duplicem in ejus fluidis, ſive illa incluſa orbi terreo, ſive ſuperficiei ejus incumbant. (*Lem.* 83) Æſtum talem, ſi vehemens fuerit ſubitoque productus in abyſſo ſubterranea, cujus ſuperficiem orbis terreus contegat, conciliaturum Planetæ ſphæroidis longi figuram, adeoque rupturum orbem terreum, ut fiſſuras undique acquirat.

Succedunt ſecundo in libro Hypotheſes, quas Auctor multis non contemnendis rationibus probabiles reddere nititur. (1) Antiquum chaos, ſeu originem terræ noſtræ, fuiſſe atmoſphæram Cometæ. (2.) Montium columnas in terra tam denſas gravesque non eſſe, ac partium reliquarum. (3) Licet annuus motus telluris initio ſtatim creationis Moſaicæ locum habuerit, diurnam tamen ejus rotationem non cœpiſſe niſi poſt lapſum hominis, ac proinde per ſex creationis dies (*vid. Lem.* 70) ſex annos eſſe intelligendos. (4) Paradiſum ſeu hortum Eden fuiſſe circa confluentem Tigris & Euphratis; vel antequam devolvuntur in Sinum Perſicum, vel infra inſulam Ormuz, ubi Sinus Perſicus ſub Tropico Cancri incidit in Mare Perſicum. (5) Primitivam Eclipticam, ſeu circulum eidem in terra reſpondentem interſecaſſe præſentem Tropicum Cancri in Paradiſo, aut ejus ſaltem Meridiano. (6) Annum Patriarchalem, ſeu antiquiſſimum illum a Scriptura commemoratum, initium ab Æquinoctio ſumſiſſe auctumnali. (7) Originales Planetarum orbitas, ſpeciatim telluris, fuiſſe perfecte circulares. (8) Arcam Noachi non ſubſediſſe in Armenia, ſed monte Caucaſo, aut Paropamiſo, in confinio Tartariæ, Perſiæ & Indiæ. (9) Diluvium incepiſſe 17 die menſis ſecundi ab auctumnali Æquinoctio ſeu 27 Novembris; ſecundum Julianum ſtylum anno 2365 Periodi Julianæ, & 2349 ante æram Chriſtianam. (10) Cometam deſcendentem in plano Eclipticæ verſus ſuum Perihelium, primo diluvii die tranſiiſſe prope terram.

Reliqui libri Phænomena eorumque ſolutiones continent, in propoſitiones centum digeſtas, quas afferre cum inſtituti noſtri non patiatur ratio, ſummam rei tantum dare conabimur.

Nimirum cenſet doctiſſimus Whiſtonus, tellurem Cometam fuiſſe ante hexaemeron Moſaicum conditum, diurna revolutione carentem

tem *per hyp. 3*, conſtantem centrali corpore & atmoſphæra: atque illud quidem in Perihelio tantum concepiſſe calorem, *ſecund. lem. 65*, ut tellus noſtra eundem adhuc in interioribus partibus retineat; hanc vero fuiſſe chaos illud famoſum, *per hyp. 1.* Cum ergo inhabitabile hoc corpus, *per lem. 59*, plantarum animantiumque ſedem efficere decreviſſet Deus omnipotens, ipſum mutaſſe orbitam ejus valde eccentricam, in circularem circa Solem, in diſtantia convenienti, ut deinde partes in ejus atmoſphæra confuſe agitatæ ſubſidere potuerint, ſecundum leges gravitatis ſpecificæ, *juxta lem. 60.* Ac primum quidem nucleum Cometæ ambiiſſe denſum aliquod graviſſimumq; fluidum, ut fieret abyſſus, atque huic incubuiſſe particulas terreas ſolidasque mixtas aqueis & aereis, *ſec. lem. 72 & 74.* Sed primo creationis die, hoc eſt anno, *per hyp. 3*, maſſam hanc ſuperiorem in duas differentes quodammodo regiones ſeceſſiſſe, ut graviores ſolidioresque conſtituerent orbem terræ montibus vallibusque præditum *per lem. 78*, quique hinc ſuper abyſſum fundatus dicatur, ſubtiliores autem levioresque, aereæ & aqueæ, quas terræ pori non abſorpſerant, halitusque varii atmoſphæram formarent aliquo modo perviam Solis radiis, adeoque lux fieret, locumque habere inciperet diſtinctio inter diem & noctem. Hinc ſecundo die aërem magis magisque Solis calore rarefactum graviores dimiſiſſe particulas in terram ſtillantes; ſubtiliores vero vapores & halitus altius fuiſſe elevatos cum aere, & expanſum illud conſtituiſſe, quod aër vulgo dici ſolet, atque ita diſtinctionem factam inter aquas ſuperiores in aere hærentes, & inferiores, quæ vel in terræ poris & viſceribus latent, vel ejus ſuperficie continentur. Tertii porro diei nocte vapores in aerem elevatos, & ceſſante calore Solis concretos in terram deſcendiſſe, ex ejusque locis ſuperioribus in inferiora defluxiſſe, ut orirentur flumina, lacus, maria, longe tamen hodie apparentibus minora; quo factum, ut adpareret arida, aptiſſima reddita ad plantarum vegetationem, quæ proinde hoc anno Sole exorto productæ. Quarto demum die, aëre jam plane ſerenato, conſpicuum fuiſſe factum Solem cum Luna & ſtellis, iisque ſua officia aſſignata. Quinto die ſemina tum piſcium tum volucrium a Deo creata, & in aqua latentia, blandoque Solis calore fota, fœtus ſuos excluſiſſe. Sexto tandem die, cum jam orbis terreus ſatis compactus ſiccatusque eſſet, ex terra producta animalia terreſtria una cum Adamo & Eva, ita ut Dei Filius,

cum

cum reliquorum dierum opera pleraque mechanico quaſi proceſſu & via naturali abſolviſſet, in creatione hominis & inſpiratione animæ viventis, immediatam & miraculoſam potentiam exereret.

Terram ergo hoc modo formatam & exornatam, non multum a noſtra diverſam fuiſſe putat Cl. Auctor, quoad figuram, magnitudinem aliasque circumſtantias; cum habuerit montes & valles, ſalſa maria & fluvios dulces, æſtus marinos temperatos a præſentia Solis & Lunæ oriundos, eademque metalla & mineralia: niſi quod ejus figura perfecte fuerit ſphærica *per Lem. 67*, & ſtrata continua, aeris perfecte transparentis temperies blandior, & expers nimii caloris aut frigoris, nec non vehementium meteororum, item iridis, (vaporibus in rorem tantum & tenues nebulas reſolutis;) quod centralis calor undique æqualiter fuerit diffuſus, majorque adeo terræ fertilitas, illo præſertim in loco, quem Deus protoplaſtis incolendum dederat, quodque terra ſolo lata fuerit motu annuo circa Solem, in orbita circulari, *per Hyp. 7.* Poſt hominum lapſum enim demum exiſtimat Whiſtonus tellurem in motum vertiginis diurnæ actam *per Hyp. 3*, ita ut ſtatim axis hujus motus ad axem eclipticæ eſſet obliquus; quo factum, ut non ſolum ex ſphæra in ſphæroides latum degeneraret, ſed & multis fiſſuris ſcinderetur *per Lem. 69.* Deinde cum vindex ſcelerum Numen diluvio terram obruere decreviſſet, effeciſſe, ut Cometa prope tellurem tranſiret *per Hyp. 10*, ejusque non ſolum orbitam circularem in ellipticam mutaret, *per Lem. 48*, ſed quoque ſua atmoſphæra & cauda involveret, in quibus illa commorata decem aut duodecim horas immenſa vaporum nube fuerit obruta, quæ in guttas reſoluta abierit in pluviam 40 dierum noctiumque. Porro Cometam vicinia ſua duplicem excitaſſe æſtum, & in aquis terræ ſuperioribus & in fluido abyſſi, *per Lem. 79*, quod elevatione ſua orbem terræ dilatarit, in ſphæroides longum mutarit, fiſſurasque initio motus diurni factas, quæ ſenſim coaluerant, ruperit, ut hinc fontes abyſſi aperirentur, *per Lem. 83*: vaſtum autem pondus aquæ pluviæ terræ fragmentis incumbens altius illa in abyſſum immergendo effeciſſe, ut fluidum abyſſi hoc modo preſſum, qua data porta erumperet, ſecumque veheret tum aquam in viſceribus terræ contentam, tum partes terreas ſibi obvias. Has pluvias deinde ſecutas alias minus violentas, cum terra denuo poſt 50 dies non in denſiorem incurreret atmoſphæram Cometæ, ſed ejus caudam poſt

Perihelium ex rarioribus vaporibus conſtantem, quæ demum ceſſarint 150 die poſt diluvii initium: unde mirum non ſit, ex triplici hac cauſa ad tantam altitudinem aquas excreviſſe, quæ, quamdiu illis arca innatarit, ſatis fuerint tranquillæ, ſed tum demum ventis procellisque agitatæ, cum particulæ nitroſæ, ſulphureæ, minerales metallicæque, ex atmoſphæra caudaque Cometica in terram deſcendentes, fermentationem concepiſſent in inferiori aeris regione, & horrenda nobis meteora peperiſſent. Hinc autem Theoriæ hujus Auctor non ſolum facile demonſtrari poſſe judicat, diluvium illud univerſale fuiſſe, cum cauſæ fuerint univerſales, ſed etiam calculo ſubducto oſtendit, perpendiculum harum aquarum facile altitudinem trium milliarium ſuperare, adeoque montes altiſſimos 15 cubitos excedere potuiſſe. Ut autem, ceſſante pluvia & concluſis fontibus abyſſi, terra denuo ſiccaretur, docet, calorem Solis ventumque non contemnendam quantitatem vaporum elevaſſe in aerem; quod autem reliquum fuit, partim imbibiſſe terream cruſtam, partim ingreſſum terræ penetralia, cum aquæ ventis agitatæ fiſſuris perpendicularibus admotæ fuiſſent, partim ad loca decliviora defluxiſſe, quorum nonnulla ſenſim ſiccata diu ſatis aqua operta manſerint, quod multa loca hodieque teſtentur, nonnulla vero in lacus & maria evaſerint. Inprimis autem cum æſtu a Cometa excitato tellus in ſphæroides longum redacta fuiſſet, *per Lem. 83*, altioresque hinc redditæ duæ continentes oppoſitæ, quarum centra ſunt circa 16 aut 18 gradum latitud. borealis & auſtralis, intermediæ vero humiliores, in has maximam confluxiſſe aquarum vim, & formaſſe vaſtum illum Oceanum, qui Americam a reliquis orbis partibus ſejungit. Cæterum cum aquæ a Cometa profectæ non expertes eſſent terrearum particularum, & pluvia in terram deſcendens vi maxima procellisque agitata confunderetur cum partibus orbis terræ, præſertim illis, quæ ex montium jugis decerpebantur, facile intelligi, eluvionis aquas impuras lutoſasque fuiſſe, ceſſante autem pluvia & aquarum motu ſedato limum ſenſim ſubſediſſe, ſedimentumque hoc terram antediluvianam cruſta obduxiſſe $166\frac{2}{3}$ circiter pedes craſſa, quæ non ſtatim habitabilis fuerit, niſi in regionibus terræ altiſſimis, ſeu prope arcam, in Caucaſo omnium montium illo tempore editiſſimo, ubi ſtrata lutea, quippe tenuiora, citius potuerint exſiccari. Huic maſſæ limoſæ cum immiſtæ eſſent exuviæ oſſaque animalium tum terreſtri-

reſtrium tum aquatilium, nec non vegetabilia varia, illa quoque una ſubſediſſe ſecundum leges gravitatis ſpecificæ, atque hinc in terræ variis ſtratis jam nobis occurrere, ſolidis quandoque incluſa corporibus, quæ tum fluida fuerint, & ſenſim coaluerint induruerintque, eodem quippe modo ex eademque materia chaotica formata, ut orbis telluris antediluvianæ: ut adeo terra antediluviana, quoad uſum noſtrum, perdita plane & deſtructa dici poſſit. Strata porro illa ex ſubſidente vario ſedimento compoſita ſatis lævia initio, continua & parallela fuiſſe, ſed cum partes orbis terræ diffiſſi fractique ſenſim denuo, ceſſante æſtu, priſtinum recuperarent locum, priſtinamque figuram affectarent, ita ut nonnullæ elevarentur, deprimerenturq; aliæ, ſuperiorem quoque cruſtam easdem ſubiiſſe mutationes, adeoque & ſtrata illa fuiſſe fracta, niſi ubi in rupes ſolidata, ruente licet baſi inferiori, inſtar arcuum ſuſtinebantur, formabantque caveas ſpecusque ſubterraneos, & vaſta ſubterranearum aquarum receptacula. Cæterum quod Luna in hemiſphærio ad nos converſo non adquiſiverit atmoſphæram aeri noſtro ſimilem, ex eo factum cenſet Cl. Auctor, quod in primo tranſitu Cometæ lapſis tribus a Novilunio diebus latuerit poſt terram, in ſpatio ab atmoſphæra Cometica vacuo, in ſecundo autem tribus a Novilunio diebus hemiſphærium a nobis averſum a Cometæ cauda tantum affici potuerit, unde etiam terræ ſatelles manſerit, *per Lem. 55.*

Tandem ad conflagrationem terræ futuram quod attinet, Cl. Theoriæ Auctor ſatis ad exurendam terram virium habere cenſet ignem centralem, ſi removerentur aquæ terræ circumfuſæ & frigus aeris. Quæ omnia a Cometa quodam fieri poſſe conjicit, ſi quis poſt ſuum Perihelium in aſcenſu a Sole prope tellurem tranſiret, quum manifeſtum ſit, fore hoc in caſu, ut denuo horrendi æſtus in fluido abyſſi concitentur ob maximam Cometæ viciniam, ſummaque vi rumpatur terræ cruſta, *per Lem. 79 & 83*, ut a fiſſuris in alveo oceani factis aquæ illius abſorbeantur; atmoſphæra autem Cometica, intenſiſſimo calore pollens *per Lem. 65*, ita aeris regionem totamque adeo terram excalefaciat, ut præter æſtus terræque motus in aere exhalationibus jam repleto Cometicis, inuſitata appareant meteora, ita ut Sol Lunaque ſplendorem amittere antiquum, ſtellæque de cœlo cadere videantur, tellurisque tandem orbis ſuperior deſtruatur, (cum fluidum abyſſi tam grave denſumque ſit, ut maximo etiam calore diſſolvi & rarefieri

nequeat) ita tamen, ut ceſſante calore ex illo chao, in quod tellus reducta, nova terra ſit emerſura. Addit quoque, ſi Cometa in latere terræ orientali aſcendens in terram incurrat, tantumque retardet ejus motum diurnum, ut iſochronus fiat motui annuo, fore ut unum hemiſphærium ſemper Soli ſit expoſitum, alterum vero ſupernaturali fruatur lumine, nec egeat Sole aut Luna, totusque adeo globus careat viciſſitudine dierum & noctium: Lunæ quoque curſum forſan ita immutatum iri a Cometa, ut deſinat eſſe terræ comes, alioque plane curſu feratur, *per Lem. 54*. In fine denique millennii & conſummatione ſeculi, ſuſpicatur Whiſtonus Cometam quendam directe incurſurum in terram, ex ſua ſede illam exturbaturum, ejusque orbitam in ellipticam valde eccentricam mutaturum, ut non amplius inter Planetas reperiatur, ſed Cometa fiat pro futuris hujus univerſi ſeculis.

Sed hæc ὡς ἐν ἐπιτομῇ. Multa enim ſcitu non indigna, v. g. quæ contra Burnetium & Woodwardum diſputantur, quæ de vero Paradiſi loco, altitudine Caucaſi, terræ perihelio mutato, anni Solaris quantitate variata, decremento ætatis humanæ, multiplicationeque generis humani tanta, ut circiter ſpatio 360 annorum in duplum excreſcat numerum, docentur, brevitati conſulentes omittere cogimur.

*NAUWKEURIGE BESCHRYVING DER AARDGEWASSEN.*

Hoc eſt:

*CURIOSA DESCRIPTIO PLANTARUM, PER ABRAHAMUM MUNTING, Profeſſorem Medicinæ & Botanices, dum viveret, in Academia Groningenſi Publici.*

Lugduni & Ultrajecti apud P. vander Aa & F. Halma 1696, fol. Conſtat plag. 141, & 259 icon. Plantarum.

CElebre jam diu inter illos, qui de Plantis docte commentati ſunt, nomen fuit Muntingii, ejusque liber de Plantarum cultura anno 1672 editus, tanto cum applauſu exceptus fuit, ut A. 1682 recuderetur. Cum vero Muntingius horto gauderet plantis tum vernaculis, tum exoticis inſtructiſſimo, & in hoc excolendo totus eſſet, multa uſu aſſiduo & experientia didicerat, poſt editum librum commemoratum, nondum paſſim nota, eaque in literas relata, amicorum precibus publicique amore boni adductus, edere decreverat. Sed morte præventus aliis editionem operis relinquere coactus eſt, qui nullis pepercerunt ſumtibus, ut comtum ſatis nitidumque in lucem prodiret.

Com-

Complectitur id tres libros, quorum primus, (cui præmittitur Oratio in funere Muntingii a Cl. Viro, Ioh. Minſinga habita, & a P. Rabo ex Latino idiomate in Belgicum converſa,) agit de arboribus, ſecundus de fruticibus & ſubfruticibus, tertius de herbis & floribus. In ſingulis explicandis hac utitur methodo Auctor, ut primo plantæ recenſeat nomen Belgicum, Latinum, Germanicum, Gallicum & Italicum; deinde varias ejusdem generis ſpecies ſibi obſervatas enumeret, & ex his nonnullas rariores prolixius deſcribat, additis non paucis iconibus elegantisſimis; porro ſingularum ſpecierum culturam tradat, quomodo ſcil. terra illis conveniens vario fimo præparanda, quo riganda modo, quo tempore plantæ, quæ hyemem non ferunt, in hybernacula ſua transferendæ, & denuo proferendæ in apricum, quove caloris gradu fovendæ; ulterius propagationem earum accurate deſcribat, monendo quænam plantæ per ſemen, quæ per inſitionem, delibrationem &c. propagatæ citius lætiusque excreſcant; tandemque cujusvis plantæ vires ex celeberrimorum, quos citat, Auctorum ſententia enarret. Nos ſpecimen aliquod operis exhibituri, pauca excerpemus eaque generaliora horticulturæ præcepta. Arborum ex nucleis prognatarum, elapſo triennio, radicem recta deſcendentem (Hertzwurtzel) usque ad laterales amputare jubet, vulnereque cera obducto, Luna decreſcente eas denuo terræ committere, confirmans futurum, ut tales arbores longe præſtantiores fructus ferant, quam illæ, quæ inſitione procreatæ. Inſitionem ſurculorum præſtantium faciendam præcipit in arbores ejusdem ſpeciei, quibus radix demta media, uti jam jam commemoratum, & copioſum præſtantisſimorum fructuum proventum promittit. Plurimis quoque fructibus luxuriare arbores frigoris patientes, v. g. malos, aſſerit, ſi quotannis circa Novembris finem ab earum radicibus ſuperioribus & crasſioribus terra auferatur, ſpatio trium circiter quatuorve pedum, ipſæque nudæ & undique purgatæ aeri expoſitæ relinquantur, uſque ad Februarii medium, donec frigore corripiantur, ac tum demum ſtercore annali vaccino contectis ad digiti altitudinem terra comminuta interponatur. Si quis arbores, dum florent, a muſcis nigris & erucis defendere velit, hunc recipere jubet Rutæ, Abſynthii & Tabaci Virginiani ana manipulum unum, vel Tabaci ſolius duos manipulos, eosque dimidiam horam in cacabo duabus circiter amphoris aquæ pluviæ repleto coquere, & hac

aqua per colum trajecta arbores bis terve conſpergere. Aliud quoque remedium contra inſecta commendat, aquam nimirum pluviam, in qua, dum Soli exponitur, ſtercus columbinum vel ovillum, parumque nitri ſolutum fuit, qua perfundendæ arbores, conſpergendæque pulvere Tabaci. Eandem aquam ad ſemina duriora emollienda adhibet. Arboribus a rore frigidiori nocturno nullam inferri noxam dicit, ſi quovis veſpere illarum radices, quamdiu florent, aqua rigentur. Plantas, quæ morbo quaſi correptæ videntur, reſtitui affirmat, ſi perfundantur lacte, cui æqualis portio aquæ pluviæ addita. In locum, quem arbor emortua occupavit, prohibet inferre arborem aliam, niſi terra prior remota, & foſſa terra alia, probe cum ſtercore vaccino biennali mixta, repleta fuerit. In arboribus omnibus quotannis corticem bis a ligno ſecedere obſervavit, arboresque illis temporibus transplantatas interire. Cæterum & alia paſſim inſperſit Auctor ſcitu non injucunda, qualia v. g. ſunt, quæ refert p. 85, de libro tiliæ foliis inſcripto, qui Ciceronis de ordinanda Republica & inveniendis orationum exordiis ſcripta continebat, pro Imperatore a Comite de St. Amour, pretio 8000 florenorum emto; p. 149 de arboribus caryophyllis a Societate Indiæ Orientalis in inſulis Moluccis conſenſu Regis earundem, cui ſingulis annis 24000 florenos dono hanc ob cauſam mittat, exſtirpatis, & in inſulas Amboine, quas poſſidet, tranſplantatis, ut totam caryophyllorum mercaturam ſua habeat in poteſtate; p. 909 de inſano Tuliparum amore & commercio, per edictum Statuum A. 1637 coercito, & prægrandi Tuliparum pretio, dum v. g. tres bulbi Tulipæ, cui nomen *ſemper Auguſtus*, pro 30000 florenis fuere venditi.

M. JOH. ANDR. Gleichenß neu-verfertigter Redner.

Id eſt:

*M. JOHANNIS ANDREÆ GLEICHII, ELECTORALIS SAxonici Concionatoris Aulici, Orator recens adornatus.*

Lipſiæ apud J. Chr. Wohlfard, 1696, 8. Alph. 3. pl. 2.

PRincipis cujusdam juſſui, nec non amicorum monitis ſatisfacturus Reverendus Auctor, Orationes auditoribus ſuis in Academia Wittebergenſi olim propoſitas collegit, & cum aliis quibusdam uno volumine jam A. 1691 luci publicæ expoſuit, denuo nunc, quod prioris editionis exempla diſtracta dudum eſſent, typis exſcriptas. Conſtat autem

tem Oratoriæ Germanicæ ſtudioſis merito commendandus liber, tribus partibus. In *prima* diverſi generis & argumenti ſermones, quibus in ſolennitatibus publicis negotiisque aliis uti quis ex dignitate poſſit, Vir clariſſimus exhibet, notisque ſubjectis illuſtrat. In *altera* triginta orationes funebres eleganter elaboratas notisque itidem illuſtratas ſiſtit, & ſub finem ſcite oſtendit, quomodo Orator ſingulorum Evangeliorum Dominicalium & Feſtivalium occaſione lugubrem ſermonem habere poſſit. In *tertia* notabiliorum e quamplurimis ſcriptoribus magno ſtudio collectorum, quorum in habendis orationibus uſus eſſe poteſt, luculentam farraginem tradit. Univerſo vero operi quatuor utiliſſimi indices ſubjiciuntur.

*AN ACCOUNT OF THE NATURE, CAUSES, SYMPTOMS and Cure of the Diſtempers, that are incident to ſeafaring people.*

Hoc eſt:

*RECENSIO NATURÆ, CAUSARUM, SYMPTOMATUM ET Curationis morborum, qui navigantes ſolent corripere, cum obſervationibus circa diætam claſſiariorum Regiorum; quibus illuſtrationis gratia accedit hiſtoria quorundam morborum in claſſè regia, proxima æſtate, obſervatorum a W. COCKBURN Collegii Medici Londinenſis membro & medico turmæ in claſſe regia.*

Londini, apud Hugh Newmann, *1696*, 12. plag. 8.

CUm Medicorum hucusque pauci admodum accuratè in morbos inquiſiverint, quibuscum nautæ claſſiariique conflictari ſolent, utiliſſimam hanc operam in ſe ſuſcepit experientiſſimus Cockburnius, præſertim quia vel ipſum, quo fungitur, officium eum ad hoc invitabat, occaſionemque ſuppeditabat omnia exactius indagandi. Exhibet vero hoc libro particulam tantum futuri operis, continentem generaliora de morbis navigantium, & hiſtoriam morborum æſtatis proximæ 19 obſervationibus traditam, cui deinde quotannis addet hiſtoriam morborum ſingulorum annorum ſequentium, cum curationis modo & ſucceſſu, ut hinc de theoria, quam hoc libro propoſuit, legitimum ferri poſſit judicium. Ejus hæc ſumma eſt: morbos navigantium ex transpiratione inſenſibili impedita, & hinc orta plenitudine nimia, nec non ſalſis, quibus veſcuntur, cibis trahere originem. Id ut oſtendat, vivendi rationem & inprimis cibum potumque nautarum conſiderat, quem ſatis eſſe bonæ notæ cenſet ac utilem hominibus perpetuo labo-

re

re exercitis, quippe qui motu continuo efficiant, ut chylus attenuetur ſatis, perſpiratioque fiat continua & ſufficiens. Quoniam vero idem cibus ab hominibus quieti indulgentibus, (præſertim panis bis coctus carnesque ſale conditi,) nimia quantitate, ut fieri ſolet, ingeſtus, in viſcidum craſſumque chylum mutatur, ſanguisque hinc acredine inficitur, & ex infauſta hac radice ſcorbutus & febres variæ propullulant, mirum non eſſe exiſtimat, ſi & claſſiarii, quibus a laboribus ſatis eſt otii, præcipue cum ſolenne illis ſit, non ſatis a frigore corpus defendere, his morbis ſint obnoxii, in aere nebuloſo, humido & frigido. Hanc theoriam ut ſtabiliat, ſymptomata morborum commemoratorum accurate recenſet, & ex ſanguinis viſcidi acrisque nimia quantitate derivat, ſtatuitque totam curandi rationem in eo poſitam eſſe, ut minuatur ſanguinis maſſa & alteretur. Id vero cum optime fieri poſſit per evacuationem, qua ſanguis reliquus in majorem vindicatur libertatem, ut velocitatem acquirat naturalem, & ſecretiones debito peragantur modo; disquirit, quo illa facienda modo, cum & per purgantia & ſudorifera & ſanguinis miſſionem peragi posſit. Quæ ſingula media ſuo tempore adhibita quamvis præſtantisſima eſſe cenſeat, maxime tamen purgantia laudat, & venæ ſectionem rite adminiſtratam, cum ſudorifera non raro fruſtra exhibeantur, præſertim in juvenibus, quorum ſanguinem & ſpiritus in tantam abripiant velocitatem, ut ſecretiones vel plane ceſſent, vel parce fiant, ſudorque nullus provocetur. Hac ergo methodo, ut ex obſervationibus adjectis conſtat, feliciter in curandis morbis uſus eſt, ut primum ægroto aliquot uncias ſanguinis detraheret, ſequenti die emeticum propinaret, poſt aliquot dies perpurgaret alvum, atque interim pulverem teſtaceum, aliaque pro re nata remedia præſcriberet, quæ ex ipſo Auctore petenda. In febribus acutis poſt vomitum non dat paregorica, ut alias ſolet, cum obſervarit opiata exacerbare febrim, & ægrotum in delirium præcipitare. In abigendis intermittentibus febribus, quarum periodos ex viſcida lentaque materia ſtatis temporibus in ſanguinem delata deducit, Cortice Chinæ utitur in forma electuarii ab ægro aſſumendi poſt paroxyſmum, poſtquam ante illum vomitu fuit purgatus. Corticis hujus vim totam in eo ſitam eſſe cenſet, quod ſanguinem fluxiliorem reddat, omittendumque proinde illius uſum, ubi ſanguis fluidior ex motu nimio eſt redditus. Helvetii methodum forma clyſteris injici-

jiciendi corticem ſub cenſuram vocat, & modum per os aſſumendi defendit, longeque majoribus incommodis probat laborare Helvetii modum, quam uſitatam exhibendi rationem, quæ effectu optato non careat, ſi modo corticis illius detur quantitas debita, v. g. uncia, ſtomacho evacuato, nullaque præſente diarrhœa. Obſervatione 14 refert, curatam a ſe diarrhœam drachma pulveris cujusdam cum conſerva roſarum rubrarum veteri in pilulas redacti, quem tamen ſilentio involvit, cum præſtantiorem cenſeat ipſa Ipicochoana, ob virtutem ejus in plusquam 200 ægris exploratam, quod ſcilicet certo ſiſtat fluxum ventris, ſine vomitu aut aliis incommodis, quæ alterius uſum ſequuntur. Obſervat. 18 gonorrhœam ſanatam refert ſine aſſumtione vel grani Mercurii aut Mercurialium remediorum, terebinthinæ, decoctionis lignorum, ſine injectionibus aliisque vulgo uſitatis medicamentis. Sed & hoc remedium celat, judicans incertam curandi hujus morbi rationem ex non ſatis intellecta ejus natura duxiſſe originem: cauſam enim hujus mali non latere affirmat in proſtatis aut veſiculis ſeminalibus, ſed ipſa virga, ejusque anteriori parte exulcerata, & ex ulceribus illis ſaniem, ut alias, ſtillare, carnemque illam excreſcere ſpongioſam, quæ urethram occupat, perinde ut hyperſarcoſes, quæ in ulcerum aliorum vulnerumque curationibus obſervantur. Receptam autem opinionem vel hinc refelli putat, quod injectionibus fluxus ille ſiſti poteſt; quæ cum non poſſint pertingere ad proſtatas & veſiculas ſeminales, ob valvulam regurgitationem urinæ prohibentem, malum utique illud, quod tollunt, ipſa in virga, quam perluunt, eſſe oportet. Obſervat. 19 nullius dicit eſſe uſus in praxi diſtinctionem inter cynanchen & paracynanchen, cum muſculus laryngis externus & internus tam ſint propinqui, & tenui tantum membrana diviſi, ut uno inflammato alter quoque prematur & inflammetur, nulloque ſigno unius inflammatio ab alterius inflammatione diſcerni poſſit.

## *S. S. D. SUCCINCTÆ ANNOTATIONES AD W. A. LAUterbachii Compendium Digeſtorum.*

Proſtant Lipſiæ apud Joh. Ludovicum Gleditſch, 1697, in 4.
Conſtant 5. alph. & 7. plag.

NOn tam ex literis, quas nomen illuſtre Autoris initiales habet, quam ex ſtyli decora gravitate, ac rerum, quæ proponuntur, per-

ſpicuitate & ſtudio indefeſſo, ad Auditorum commoda unice directo, noſcibilem ſe ſatis reddit, qui annotationes haſce in Compendium Lauterbachianum exhibere ſuſtinuit. Animadvertit Autor illuſtris, famam ſingularem in plerisque per Germaniam Academiis Compendium modo dictum obtinuiſſe; animadvertit tamen & illud, libellum iſtum inſtituto Doctorum magis, quam Auditorum, qui poſt Inſtitutiones ſimplici forte vice prælectas ad hunc Autorem præpropere accedunt, eſſe accommodum. Sane dum pleraque breviſſimis verbis, & ſæpius per ſimplices remiſſiones ad textus ſingulares aut ad Commentatores propoſita ſunt, Interpres quidem promtam ſemper diſſerendi occaſionem habet; Auditor verò cum ea, quæ notatu digna, nec calamo accurate concipere, multo minus omnia memoria tenere poſſit; hinc vix aliter evenire poteſt, quam ut ſpes concepta & incrementum ſtudiorum retardetur ſæpiſſime. Iſtum proinde uſum præſtant Autoris celeberrimi annotationes, ut cupida LL. Juventus poſt prælectionem Compendii Lauterbachiani a Doctore factam, privata induſtria ea, quæ tradita ſunt, repetere facilius & animo imprimere poſſit. Theſes etenim nervoſe, ſed & ſæpe obſcure in Compendio Lauterbachiano conceptæ, in notis perſpicuæ ſunt redditæ. Adjectæ ſunt & rationes, quibus theſes innituntur, & ſimplices remiſſiones ad textus ſingulares & Commentatores ſupplementa neceſſaria impetrarunt.

*ALEXANDRI ARNOLDI PAGENSTECHERI JCTI ET ANtebac in Academia Duisburgenſi, jam in Groningenſi P. P. Sicilimentorum ad Compendium Juris Lauterbachianum Manipuli Tres*

Coloniæ Agrippinæ apud W. & Fr. Metternich, 1694. & *1696*. 8.
Conſtant 2. alph. & 4. plag.

NOtis anterioribus ab illuſtri Viro editis proxime adjicimus Sicilimenta a celeberrimo Pagenſtechero ad eundem Lauterbachii libellum ſparſim hactenus exhibita. Sunt autem iſtæ meditationes a prioribus & genere & ordine commentandi non minus, quam ſcopo diverſæ. Placuit videlicet conſultiſſimo Autori, occaſione Compendii Lauterbachiani Auditores ſuos, quos habuit frequentes, exercitiis diſputatoriis inſtruere; quem in finem ea præ cæteris ſelegit loca, quæ vel

vel controverſiam in ſe continent, vel ſpatioſum differendi campum aperiunt; unde factum, ut unius ſæpe theſeos explanatio per plures paginas decurrat. Cumque trium, qui oblati hactenus fuerunt, Tomorum ſeu Manipulorum quilibet ex toto Compendio Lauterbachiano per ſaturam quaſi, ſervato tamen pagellarum ordine, ſit collectus mutua ideo inter eos ſemper collatio eſt inſtituenda. Quemadmodum autem hac ratione de Lauterbachio, imo potius de ſtudioſa Juventute optime ſunt meriti Duum-Viri celeberrimi: ita optandum foret, ut unum, quod ſupereſt, incommodum, quodque uſum libelli haud leviter affligit, removeretur. Eſt illud incommodum ſphalmatum multitudo, quæ per iteratas editiones hac ſub proportione inducta videtur, ut, ſi in prima editione mille circiter ſphalmata circa Autorum allegationes & textus juris potiſſimum (obveniunt etenim ſubinde & theſes ſenſum a jure alienum referentes) irrepſiſſe non temere ſupponamus, in ſingulis recentioribus editionibus quingenta ad minimum nova ſphalmata non tantum prioribus circa ea, quæ notavimus, oca acceſſerint, ſed etiam integræ ſubinde lineæ omiſſæ ſint. Cui depravationi ſi non propediem ſedula adhibeatur cura, quid de Compendio Lauterbachiano ſperandum denique ſit, facili conjectura quilibet aſſequi pôterit. Ut autem querelæ huic ceu juſte motæ fidem aliquam conciliemus, ad has diverſas ſphalmatum ſectas demonſtrandas loca nonnulla ex Lauterbachio conferre juvabit. In Tit. de Stat. Hom. pro *licet ſint quodammodo imperfecti, & illico voce emiſſa decedant*, legendum, *illico voce non emiſſa decedant.* In Tit. de Adopt. pro *cauſa cognita adoptant major LX annis*, legendum *minor LX annis*. In Tit. de in jus voc. pro *qui contra edictum in jus vocatus eſt & hæredi*, legendum, *non hæredi.* In Tit. de Inoff. teſtam. pro *Nepotum repræſentantium ſtirpes, ſuccedentium capita numerantur*, legendum, *Nepotum repræſentantium ſtirpes Parentes numerantur; quando ſoli nepotes & ex unico filio adſunt, ſuccedentium capita numerantur.* In Tit. de Jurej. ubi de Juramento Purgatorio agitur, pro *Expenſæ autem ipſi non etiam adjudicantur*, legendum, *Expenſæ inter accuſatorem & accuſatum compenſantur, non vero uni adjudicantur.* In Tit. de Compenſ. pro *Compenſari poteſt quod debet hæres cum eo, quod debebatur defuncto, licet hæreditas cum beneficio inventarii &c.* legendum, *Compenſari poteſt quod debet hæres, cum eo quod debebatur defuncto, & viciſſim*

*ciſſim quod defunctus debet, cum eo quod debebatur hæredi &c.* In Tit. Depoſiti, ubi de directa actione agitur, pro *nec (admittitur) exceptio rei non traditæ contra depoſiti inſtrumentũ &c. quod tamen de jure civili non eſt certum*, legendũ, *nec (admittitur) exceptio rei non traditæ contra depoſiti inſtrumentum; ut nec libellus nec ſententia requiratur, ſed ſtatim ab executione incipiatur, quod (poſterius) tamen de Jure civili non eſt certũ.* In Tit. de Leg. & fideic. ſub finem, ubi de Jure accreſcendi agitur, pro *Et quidem hæreditas ac pars mixtim conjuncti cum onere; re vero tantum conjuncti abſque onere*, legendum, *Et quidem hæreditas ſemper cum onere; in legato autem pars verbis & mixtim conjuncti cum onere; re vero &c.* Simili modo ex pag. 498, in qua conjunctim tituli de Conditionibus inſtitutionum & de Jure deliberandi exhibentur, textus Juris corruptos ſpeciminis loco notamus. Lin. 4. pro §. *5. I. de H. I.* legendum, *l. 4. pr. &* §. *f. ff. de H. I.* lin. 9. pro *5. f. C. de Inſtit. lib.* legendũ §. 5. *Inſt. de exhæred. lib. f. C. de lib. præter.* lin. 12. pro *8.* legendum *16.* lin. 16. & 17. pro 15. 41. legendum *15.* §. *4. 41. de teſtam. milit.* lin. antep. pro *19.* §. *3. C.* legendum *22.* §. *13. C.* Quæ denique in editione quarta integræ deficiant lineæ, obiter notamus: pag. 150. lin. antepen. poſt verba *ſi ſunt indiviſibiles.* pag. 201. lin. 11 & 12. poſt verba *quod vero in diem.* pag. 216. lin. 6. poſt verba *ubi directa actione.* pag. 302 lin. 4. poſt verba *in perpetuum, Piſtor.* pag. 667. lin. antepen. poſt verba, *ante uſum cœnæ dominicæ.* pag. 712. a lit. E. lin. 15. poſt verba *tantum priori accuſationi.* Hæ lineæ, quæ uti modo dictum, in editione quarta deſunt, non tantum deſunt & in editione quinta, ſed in iſta adhuc aliæ lineæ noviter ſunt omiſſæ, pag. 237. a num. 3 lin. 3. poſt verba *hanc prætergreſſus.* pag. 705. a num. 3. lin. 4. poſt verba *non tamen publicam accuſationem.* Quæ ita deficiunt lineæ, ex collatione priorum editionum facile ſuppleri poſſunt. Et hæc ſpeciminis loco ſufficiant.

## *A PHYSICO-MEDICAL ESSAY CONCERNING ALKALY and Acid &c.*

Id eſt:

Tentamen Phyſico-Medicum de Alcalibus & Acidis, quatenus habent reſpectum ad morborum curationem &c. Auctore JOHANNE COLBATCH, Medico.

Londini apud Dan. Brown, 1696. 8 plag. 10.

Sa-

SAtis decantata eſt illa de acido & alcali hypotheſis, quæ ſenſim ad ipſam traducta Medicinam, opinionem peperit: Acidum omnium morborum eſſe cauſam, ſolaque ideo alcalia remedia in uſum vocanda. Quæ quamvis confutata a plurimis doctiſſimis viris jam fuerit, ſuas tamen Auctor vires experiri hoc in argumento etiam voluit, oſtendendo, plurimorum morborum cauſas eſſe alcalia, uſumque remediorum alcalinorum multum quandoque afferre damni. Quod ut probet, de variolis agit in cap. primo, putatque pulverum teſtaceorum, aliorumque diaphoreticorum uſum huic morbo non ſatis convenire, quoniam frangantur ita dividanturque globuli ſanguinis ab his remediis, ut non ſolum copioſæ expellantur puſtulæ, ſed ipſe quoque ſanguis per glandulas cutaneas tranſeat, purpureas pingens in cute maculas, certiſſimæ necis nuncias, & parvos cerebri mæandros ingreſſus animalium ſpirituum motum per nervos impediat, deliriaque producat. Cui accedat, quod ſanguis ita rapide a diaphoreticis moveatur, ut vaſis ſuis difficulter contineatur, profluviaque ſanguinis conſequantur; cumque ſerum per ſudores omne prodigatur, puſtulæ, quæ ad maturitatem pervenire non poſſunt, concidant, & acris corroſivaque materia in ſanguinem reſorbeatur. Alcalibus ergo & diaphoreticis repudiatis, ſuam profert methodum, quam non fefelliſſe expectationem in plus quam 500 ægris affirmat. Primum ergo, ſi ſtomachus viſcida materia repletus, lene propinat emeticum, hujusque operatione finita, ſyrupum e meconio, aut aliud opiatum. Ut vero inordinatum ſanguinis motum, ortum ab intromiſſis heterogeneis particulis, quas natura expellere conatur, ſedet, texturamque ſanguinis confirmet, julepum ex ſacharo, decocto hordei, aqua cinnamomi, ſuccoque aurantiorum vel limoniorum componit, ab ægro pro lubitu bibendum, cui etiam concedit potum cereviſiæ ſecundariæ acidulatæ. Si delirat jam æger, ſanguinem mittit, acidaque adhibet validiora, v. g. ſpiritum volatilem vitrioli, nitri, ſulphuris, decocto hordei & aquæ cinnamomi admiſtum, ſacharoque aut ſyrupo convenienti dulcoratum. Si ſpiritus ægri ſunt languidi, cordialia non omittit, & poſtquam puſtulæ evanuerunt, quinquies vel ſexies lenia præſcribit purgantia, hiſq; in uſum vocatis, tandem corroborantia. Capite ſecundo ſcorbuti ſymptomata non ab acidis, ſed acribus potius, lixivioſis, alcalibusque particulis deducenda eſſe contendit, quippe cum chymica analyſis

 oſten-

oſtendat, ſanguinem ſcorbuticorum majorem continere copiam particularum volatilium alcalium, quam ſanorum ſanguis habet, & præterea partem aliquam alcali fixi lixivioſi, quo ſanguis ſanorum hominum plane deſtituitur. Idem quoque hinc probat, quod ſcorbuto laborantes nautas eſu malorum aurantiorum & limoniorum hoc morbo levari, experientia teſtatur. In hoc autem affectu tincturam antimonii a Glaub. Part. I. Oper. Miner. traditam, & in decocto granorum juniperi propinatam, maxime commendat. In tertio capite, ubi de podagra agit, neque hanc ortum ſuum acidis debere concedit, cum materia ex nodis extracta manifeſte ſit alcalina. Nodos autem illos oriri exiſtimat, cum ſpiritus vinoſus, congreſſus cum volatili alcalico ſanguinis ſale, in offam coagulatur, quæ obſtructiones, doloresque acutiſſimos parit, tandemque accedentibus particulis terreis in cretaceam ſubſtantiam induratur. Unde infert, non ideo podagra laborantibus infeſtum eſſe vinum Rhenanum, quod ſit acidulum, ſed quod ſpirituoſis particulis plus quam alia vina abundet. Eodem modo cap. quarto & quinto, ubi de rheumatiſmo & phthiſi agitur, acida ad morborum horum curam commendantur. Rheumaticorum enim ſanguinem alcalibus magis particulis quam ſanguinem ſanorum eſſe refertum, nullumque continere acidum, & viſciditatem ejus a copia ſalis volatilis alcalici, ut in gelatina cornu cervi, ortam aſſerit Auctor. Unde huic morbo potius acida remedia, v. g. tincturam antimonii commemoratam, & chalybeata, quam alcalica convenire judicat. Chalybeata enim non alcalibus, ſed acidis annumerat, cum non agant, nec proſint, niſi in vitriolum redacta. Laudat autem inprimis chalybis præparationem Williſianam, (dum calcinatur cum ſale ammoniaco) contra rheumatiſmos pariter ac inveteratas menſium obſtructiones, nec non cinnabarim tum antimonii, tum vulgarem, mixtam cum gummi guajaci, & ſatis magna quantitate exhibitam. Si autem pulvis ille Williſianus vertatur in oleum Martis per deliquium, 50 aut 60 guttas ejus, bis de die exhibitas in forti corticis quercini decocto, ſeminalem fluxum feliciter ſedare affirmat. In phthiſi ſanguinis globulos nimium comminutos in glandulas pulmonum delatos exiſtimat, atque hinc obſtructiones, inflammationes & exulcerationes conſequi; quibus malis occurri poſſit, ſi principio ſtatim acida convenientia in uſum vocentur. Concluſio libri hiſtoriam continet tympanitidis in juvencula decen-

decennali curatæ per ſubmerſionem in aqua frigida maris, nec non de remediis ſpecificis nonnulla, quæ quandoque neque acida neque alcalia eſſe concedit. Sua enim confirmat experientia, quæ Boyleus memoriæ prodidit de virtute paronichiæ foliis rutaceis, in curandis ſcrophuloſis tumoribus; provocatque ad corticem Peruvianum, quem febres certo, ſine recidivæ metu, exſtirpaſſe obſervavit, ſequente in eo aſſumendo methodo adhibita. Duabus ante paroxyſmum horis lene detur ægro emeticum, ejusque operatione finita, opiatum, paroxyſmo autem ceſſante quantitas nucis moſchatæ de electuario, quod ex cortice febrifugo & ſyrupo limoniorum paratum, cum quarta parte ſextarii (pint) decocti corticis Chinæ, radicis gentianæ, & herbæ centaurii: eademque remedia quaternis ſemper horis repetantur, ſpatio quinque aut ſex dierum, ita tamen ut æger elapſa hora poſt ſingulas doſes aſſumat parum cibi digeſtionis facilis. Sex diebus elapſis, mane tantum & poſt meridiem hora quinta idem aſſumatur electuarium & decoctum, eodemque modo per hebdomadem integram. Hac methodo ſi aſſumatur cortex, ejus uncias tres aut quatuor quartanam ſine recidiva curaſſe aſſerit, fruſtra vel integra libra adhibita ſecundum morem vulgarem. Denique optat Auctor, ut diligentius obſerventur communicenturque cum publico ſpecifica remedia, inter quæ etiam refert recens inventum illud a Domino Pitt Pharmacopoeo Worceſtrienſi, folia nimirum *Aſſarabacca*, contra vehementisſimam cephalalgiam. Nempe tria, quatuor aut quinque grana pulveris foliorum arefactorum cubitum euntibus inſtar ſternutatorii exhibentur, quæ, non turbata ægri quiete, efficiunt, ut mane ſequenti per naſi glandulas materiæ ſeroſæ non parva quantitas exoneretur. Reſtat ut moneamus, promittere diligentisſimum Auctorem editionem completæ Hiſtoriæ humani ſanguinis, tam in naturali quam morbido ejus ſtatu, quam procul dubio non ſine applauſu eruditus Orbis excipiet: falli vero eundem, dum in Præfatione, ubi Pharmaceuticam commendat, beatum *Ettmullerum* noſtrum, quem inter eminentiſſimos Europæ Medicos merito numerat, *octo annis pharmacopœo cuidam ſerviviſſe* refert.

* * *

IN-

# INDEX AUCTORUM quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

## I. *Theologica & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantia.*

*ANonymi Anguis in herba latens, ſive Satanas in lucis Angelum transformatus: ſcriptum Quakeris oppoſitum.* 391
*Anonymi Felicitatis veræ indagatio.* 118
*Anonymi Latitudinarius Orthodoxus.* 493
*Anonymi Evangelium infantiæ, vel Liber apocryphus de infantia Servatoris.* 518
Benoiſt *(Eliæ) Diſſertationes in priores XVIII primi capituli Evangelii ſecundum Johannem verſiculos.* 498
Bonjour *(Guilielmi) Diſſertatio de Nomine Patriarchæ Joſephi a Pharaone impoſito.* 6
Bray *(Thomæ) Bibliotheca Parochialis.* 436
Bulli *(Georgii) Judicium Eccleſiæ Catholicæ trium primorum ſeculorum de neceſſitate credendi, quod D. N. Jeſus Chriſtus ſit verus Deus.* 504
Burneti *(Gilberti) Epiſcopi Salesburienſis Animadverſiones in libellum quendam &c.* 363
Bynæi *(Antonii) de Morte Jeſu Chriſti Liber II.* 68
Caroli *(Andreæ) Memorabilia Eccleſiaſtica ſeculi a N. C. decimi ſeptimi.* 353
Cene *(Caroli Le) Lineamenta novæ verſionis Gallicæ Sacrarum Literarum.* 227
Chryſoſtomi *(Joannis) Opera omnia.* 351
Conſtantini *(Antonii) de Canonibus Apoſtolorum Diſſertatio.* 523
Coulan *(Antonii) Examen Criticæ Novi Teſtamenti Simonianæ.* 33
Diefenbachii *(Martini) Judæus convertendus.* 162

Exne-

Exneri (*Caſpari*) *Harmonia Juris Humani & Divini in Pacto ultimarum voluntatum inter extraneos.* 319
Gonzalez (*Thyrſi*) *Veritas Religionis Catholicæ evidenter demonſtrata.* 272.
Hartmanni (*Joannis Ludovici*) *Paſtorale Evangelicum.* 389
Heeſer (*Joannis*) *Prodromus Criticus, Eduardi Leigh Criticæ Sacræ præmiſſus.* 191
Jaquelot (*Iſaaci*) *Diſſertationes de Exiſtentia Dei, quibus veritas illa demonſtratur.* 165
Jurii (*Petri*) *Religio Latitudinarii, cum Apologia pro Sancta Trinitate.* 54
Kahler (*Joannis*) *Auguſtanæ Confeſſionis Pars altera de Abuſibus mutatis, Diſſertationibus propoſita.* 47
Kettneri (*Friderici Erneſti*) *Loci I. Joh. V. 7. Divina auctoritas, ſenſus & uſus demonſtratus.* 192
Köberi (*Joh. Friderici*) *Diſſertatiunculæ de Sanguine JEſu Chriſti.* 503
Kortholti (*Chriſtiani*) *Hiſtoria Eccleſiaſtica Novi Teſtamenti.* 438
Leigh (*Eduardi*) *Critica Sacra.* 191
Martini (*Davidis*) *Novum Teſtamentum notis illuſtratum, præfationibusque exornatum.* 194
Mayeri (*Joh. Friderici*) *Ecloga de fide Baronii & Bellarmini ipſis Pontificiis ambigua.* 306
Menjoti *Opera poſthuma.* 322
Nicholls (*Gulielmi*) *Collationis cum Theiſta Pars ſecunda.* 367
Norris (*Joannis*) *Conſideratio Rationis & Fidei, prout ad Myſteria Chriſtianæ Religionis referuntur.* 442
Odhelii (*Erici*) *Conciliationis Religionum pericula.* 82
Patricii (*Simonis*) *Epiſcopi Elienſis Commentarius in Exodum.* 424
*La* Placete (*Joannis*) *De inſanabili Romanæ Eccleſiæ Scepticiſmo.* 264
Poirters (*Adriani*) *Aula ſancta Imperatoris Theodoſii.* 123
Rechenbergii (*Adami*) *Summarium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.* 352
Saurini (*Eliæ*) *Vindiciæ doctrinæ ſuæ contra duos Petri Jurii libros.* 332
—— —— *Defenſio veræ doctrinæ Eccleſiæ Reformatæ de Principio Fidei, adverſus Petrum Jurium* 354
—— —— *Conſiderationes jurium conſcientiæ.* 426. 466

Schelguigii (*Samuelis*) *Quakeriſmus confutatus.* 17
Schmidii (*Sebaſtiani*) *Compendium Theologiæ.* 435
Sfondrati (*Cæleſtini Cardinalis*) *Nodus Prædeſtinationis diſſolutus.* 281
*Van* Toll (*Theodori*) *Jura Regis & ratio adminiſtrandi ea ſub utroque Teſtamento, e Pſalmo LXXII. 1.* 111
Vaſſor (*Michaelis Le*) *Tractatus de ratione controverſias de Religione examinandi.* 195
Veiel (*Eliæ*) *Romano-Catholicus Dubitantius in Diſputatione de conceptione B. V. Mariæ.* 483
Winckleri (*Joannis*) *Defenſio Pædobaptiſmi adverſus objectiones Anabaptiſtarum.* 35
Whiſton (*Gulielmi*) *Nova Telluris Theoria, ab ejus origine uſque ad conſummationem.* 535

## II. Juridici.

Alteſerræ (*Antonii Dadini*) *de Origine & Statu Feudorum pro moribus Galliæ.* 147. 162
Baraterii (*Barthol.*) *Libellus Feudorum reformatus.* 147. 162
Exneri (*Caſpari*) *Tabula Teſtamentaria Humano-Divina, ſive Harmonia Juris Humani & Divini in pacto ultimarum voluntatum.* 319
Gilleti *Advocati Parlamenti Pariſienſis Actiones & Opera alia.* 64
Gravinæ (*Jani Vincentii*) *Opuſcula.* 74
Menckenii (*Luderi*) *Tractatio Synoptica Pandectarum Theoretico-Practica.* 23
Mincuccii (*Antonii*) *Libri ſex de Feudis.* 147. 161
Pagenſtecheri (*Alexandri Arnoldi*) *Sicilimentorum ad Compendium Juris Lauterbachianum Manipuli tres.* 552
Schilteri (*Joannis*) *Codex Juris Alemannici Feudalis, cum Commentario ad ſingula capitula & Diſſertationibus.* 147
S. S. D. *Succinctæ Annotationes ad W. A. Lauterbachii Compendium Digeſtorum.* 551
Wächtleri (*Chriſtfridi*) *Epiſtola ad Virum Illuſtrem Jac. Bornium.* 419

## III. Medici ac Phyſici.

Apini (*Jo. Ludovici*) *Febris Epidemicæ A. 1694 & 1695 graſſari deprehenſæ Hiſtorica Relatio.* 25

Bor-

Borrichii (*Olai*) *Conſpectus Scriptorum Chemicorum illuſtriorum.* 179
Cockburn (*Wilhelmi*) *Recenſio naturæ, cauſarum, ſymptomatum & curationis morborum, qui navigantes ſolent corripere.* 549
Colbatch (*Joannis*) *Tentamen Phyſico-Medicum de Alcalibus & Acidis, quatenus habent reſpectum ad morborum curationem.* 554
Commelini (*Caſpari*) *Flora Malabarica, ſive Horti Malabarici Catalogus.* 533
Floyer (*Joannis*) *de Præternaturali ſtatu animalium humorum.* 106
Hartſœcker (*Nicolai*) *Principia Phyſica.* 1
Liſteri (*Martini*) *Conchyliorum Bivalvium utriuſque aquæ Exercitatio Anatomica tertia. Accedit Diſſertatio de Calculo humano.* 327
Malpighii (*Marcelli*) *Opera poſthuma.* 508
Mandoſii (*Proſperi*) *Theatrum Maximorum Pontificum Archiatros exhibens.* 182
Marſiglii (*Ludovici Ferdinandi, Comitis*) *Epiſtola de Phoſphoro Bononienſi.* 400
Menjoti *Conſiliarii & Medici Regii Pariſienſis Opuſcula poſthuma.* 322
Munnicks (*Joannis*) *De Re Anatomica Liber.* 518
Munting (*Abrahami*) *Curioſa Deſcriptio Plantarum.* 546
Reyheri (*Samuelis*) *Experimentum novum, quo aquæ marinæ dulcedo examinata deſcribitur.* 397
Ruyſchii (*Frederici*) *Epiſtolæ Anatomicæ Problematicæ IV, V, VI.* 14
Sturmii (*Joh. Chriſtophori*) *Phyſica Electiva, ſive Hypothetica.* 474
Tenzelii (*Wilhelmi Ernesti*) *Epiſtola de Sceleto Elephantino.* 10
Verduin (*Petri*) *Diſſertatio de nova artuum decurtandorum ratione.* 119
Wedelii (*Georgii Wolfgangi*) *Exercitationes Pathologico-Therapeuticæ.* 83
Whiſton (*Gulielmi*) *Nova Telluris Theoria, ab ejus origine uſque ad conſummationem.* 535

## *IV. Mathematici.*

Bernoulli (*Jacobi*) *Solutio Problematum Fraternorum, una cum propoſitione reciproca aliorum.* 211
—— —— *Solutio Difficultatis cujusdam circa naturam Flexus contrarii.* 410
—— —— *Addenda ad conſtructionem Problematis Beauniani.* 412

Bernoullii (*Joannis*) *Problema pure geometricum Eruditis propoſitum*. 95
—— —— *De Conoidibus & Sphæroidibus Quædam &c.* 113
—— —— *Principia Calculi exponentialium ſeu percurrentium.* 125
—— —— *Curvatura Radii in Diaphanis non uniformibus: Solutio Problematis a ſe propoſiti de invenienda linea brachyſtochrona, &c.* 206
Bilebergii (*Joannis*) *Refractio Solis inoccidui, in ſeptentrionalibus oris aliquot obſervationibus Aſtronomicis detecta.* 91
Fontanæ (*Caroli*) *Tractatus de Aquis profluentibus.* 395
Goldmanni (*Nicolai*) *Introductio in Architecturam Civilem.* 49
Hoſpitalii *Marchionis Analyſis infinite parvorum.* 137
—— —— *Solutio problematis de Linea celerrimi Deſcenſus.* 217
*Solutio Problematis alterius a Jo. Bernoullio propoſiti.* 218
Leibnitii (*Godofredi Wilhelmi*) *Solutio problematum a Jo. Bernoullio Geometris publice propoſitorum.* 201
—— —— *Epiſtola ad Actorum horum Collectores.* 254
*R.* Moſis, *Filii R. Gerſom Chapetz*, *Explicatio figuræ ſtructuræque Templi ultimi deſtructi.* 449
Newton (*Iſaaci*) *Solutio duorum problematum Mathematicorum a Jo. Bernoullio propoſitorum.* 223
Nieuwentiit (*Bernhardi*) *Conſiderationes ſecundæ circa calculi differentialis principia.* 124. 256
Sturmii (*Leonhardi Chriſtophori*) *Notæ in Goldmanni Architecturam Civilem.* 49
*De* Tſchirnhaus (*Ehrenfried Waltheri*) *Quadratura univerſalis figurarum curvilinearum per ſeries infinitas.* 113
—— —— *De Methodo Univerſalia Theoremata eruendi, quæ curvarum naturas ſimpliciſſime exprimunt; de problemate item Bernoulliano &c.* 220
—— —— *Specimen Methodi, cujus ope datum ſpatium in ratione data dividitur, licet ejus quadratura ſit ignota.* 409
—— —— *De magnis lentibus ſeu vitris cauſticis, eorumque uſu & effectu.* 414

## *V. Hiſtorica & Geographica.*

*Anonymi Hiſtoria Antonii Regis Luſitaniæ.* 133
Antonii (*Nicolai*) *Bibliotheca Hiſpana vetus.* 241. 297

Be-

Begeri (*Laurentii*) *Theſauri Brandenburgici Pars altera.* 41
Borrichii (*Olai*) *Conſpectus Scriptorum Chemicorum illuſtriorum.* 179
Burridge (*Ezechielis*) *Hiſtoria nuperæ rerum revolutionis in Anglia.* 454
Cæſaris (*C. Julii*) *Opera.* 311
Cellarii (*Chriſtophori*) *Origines & Succeſſiones Comitum Wettinenſium.* 531
Celſus (*Julius*) *de Vita & Rebus geſtis C. Julii Cæſaris.* 311
Crenii (*Thomæ*) *Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum Pars II.* 224
Eutropii *Breviarium Romanæ Hiſtoriæ, recenſente Chriſtoph. Cellario.* 517
Fabricii (*Jo. Alberti*) *Bibliotheca Latina, ſive Notitia Autorum.* 108
Foſcarini (*Michaëlis*) *Hiſtoria Reipublicæ Venetæ.* 133
Jacobæi (*Oligeri*) *Muſeum Regium.* 381
Leibnitii (*Gothofredi Gulielmi*) *Noviſſima Sinica Hiſtoriam noſtri temporis illuſtratura.* 491
*De* Mailly *Equitis Hiſtoria Reipublicæ Genuenſis.* 388
Mandoſii (*Proſperi*) *Theatrum Maximorum Pontificum Archiatros exhibens.* 182
Nicolſoni (*Gulielmi*) *Bibliotheca Hiſtorica Anglicana.* 27
Palatii (*Joannis*) *Faſti Ducales ab Anafeſto I. ad Silveſtrum Valerium Venetorum Ducem.* 94
Pauſaniæ *Deſcriptio Græciæ, cum Xylandri, Sylburgii & Joach. Kuhnii notis.* 97
Pufendorfii (*Samuelis L. B.*) *Libri VII Commentariorum de rebus a Carolo Guſtavo Sueciæ Rege geſtis.* 184
*P.* Suarii (*Joſephi*) *Libertas Evangelium Chriſti annunciandi & propagandi in Regno Sinarum.* 491
*C.* Suetonius *Tranquillus ex recenſione J. G. Grævii.* 312
Teiſſerii (*Antonii*) *Elogia doctorum virorum.* 90
Tyrrel (*Jacobi*) *Hiſtoria Angliæ generalis.* 399
Vertotii *Abbatis Hiſtoria viciſſitudinum religionis & imperii in Regno Sueciæ.* 98
Victoris (*Sexti Aurelii*) *Hiſtoriæ Romanæ Breviarium cum notis integris variorum, edente Samuele Pitiſco.* 45
Voſſii (*Dionyſii*) *Notæ in C. Julium Cæſarem.* 311

Wagenſeilii (*Jo. Chriſtophori*) *De S. R. Imperii Libera Civitate Noribergenſi Commentatio.* 345

# *VI. Philologica, & Miſcellanea.*

Anonymi *Liber Ethico-Politicus pervetuſtus, cum verſione nova Latina Sebaſt. Gottofredi Starckii.* 379
Ariſtotelis *de Poëtica liber, ex verſione Theod. Goulſtoni.* 377
Arnoldi (*Simonis Joannis*) *Notæ in Jo. Seldeni Titulos honorum.* 48
Barlæi (*Caſpari*) *Epiſtolæ ad Joachimum Vicofortium.* 46
*De* Boria (*Joannis*) *Emblemata Moralia Latinitate donata.* 437
Buddei (*Jo. Franciſci*) *Elementa Philoſophiæ Practicæ.* 293
Burmanni (*Petri*) *Gudianæ & aliorum Epiſtolæ.* 139
Callimachi *Hymni, Epigrammata & Fragmenta, cum notis variorum.* 487
Chevræi (*Urbani*) *Opuſcula Miſcellanea.* 233
Crenii (*Thomæ*) *Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum Pars II.* 224
Francii (*Petri*) *Poëmata.* 350
—— —— *Specimen Eloquentiæ exterioris, ad Orationem Ciceronis pro Archia accommodatum.* 464
Frencelii (*Abrahami*) *De Originibus Linguæ Sorabicæ Tomus I.* 96
Gleichii (*Jo. Andreæ*) *Orator recens adornatus.* 548
Grævii (*Jo. Georgii*) *Theſaurus Antiquitatum Romanarum.* 439
Gravinæ (*Jani Vincentii*) *Opuſcula.* 74
Gronovii (*Jacobi*) *Theſaurus Græcarum Antiquitatum.* 529
Gudii (*Marquardi*) *& doctorum Virorum ad eum Epiſtolæ.* 139
Kühnii (*Joachimi*) *Notæ ad Pauſaniam.* 95
Lomeieri (*Johannis*) *Dierum Genialium, ſive Diſſertationum Philologicarum Decas ſecunda.* 84
Morhofii (*Danielis Georgii*) *Opera Poëtica, cum præfatione Henr. Muhlii.* 261
Newmanni (*Caſparis*) *Exodus Linguæ S. Vet. Teſt. ex captivitate Babylonica, tentatus in Lexico Etymologico.* 313
Nicolai (*Joannis*) *Tractatus de Græcorum luctu lugentiumque ritibus.* 52
Poirters (*Adriani*) *Aula Sancta Imperatoris Theodoſii.* 123
Sarravii (*Claudii*) *Epiſtolæ.* 139

Schurz-

Schurtzfleiſchii (*Conradi Samuelis*) *Orationes Panegyricæ & Allocutiones varii argumenti.* 365
Seldeni (*Joannis*) *Tituli Honorum.* 48
Spanhemii (*Ezechielis*) *Commentarius in Opera Callimachi.* 487
Starckii (*Sebaſtiani Gottofredi*) *Specimen Sapientiæ Indorum veterum* 379
Vicofortii (*Joachimi*) *Epiſtolæ ad Caſparum Barlæum.* 46

# INDEX RERUM NOTABILIORUM

## in hoc Volumine obviarum.

A. אב *characteris Hebraici valor, & derivata hinc ſimplicia, geminata, aucta, compoſita, mixta.* 316
Abyſſi *fontes quomodo aperti?* 543
Abyſſus *magna quid ſit?* 542
Acidorum *uſus in rheumatiſmo & phthiſi.* 556
Acidum *num omnium morborum cauſa?* 555
Actionis *Oratoriæ ſpecimen.* 464
Adami *primum peccatum quodnam?* 434
Adoptio *actibus legitimis accenſita.* 75
Adriani *Imperatoris libri Catacriani qui?* 246
Ægyptiorum *Serapis, Oſiris, Iſis Joſephum Patriarcham referunt.* 8. 9.
*Chronologia fabuloſa.* 172
Æquationis *differentialis a Jacobo Bernoullio propoſitæ ſolutio analytica.* 11
Æquatio *una eademque differentialis differentes numero graduque Curvas deſignat.* 414
Æquilibrium *corporum unde derivandum?* 1
Aër *cur levior tempore pluvio?* 2
Aëris *gravitas probata.* 2
Æſtus *maris cauſa.* 4. 541.
*effectus.* 541
Agrippa (*Henricus Cornelius*) *Magiæ falſo ſuſpectus.* 225
D' Aguirre *Cardinalis nova in Rempublicam Literariam merita, edita Nic. Antonii Bibliotheca Hiſpanica.* 242
Alberti (*Valentini*) *obitus.* 485
Alcalia *remedia ſæpe noxia.* 555

Alci-

Alciati *Icti Epiſtolæ, aliaque de eo notatu digna.* 143
Alcorani *verſio Latina Petri Abbatis Cluniacenſis auſpiciis facta* 299
Alemannici *Feudalis Juris Codex.* 147
Alemannicum *Jus Feudale Saxonico antiquius.* 148
Alexander (*Natalis*) *refutatus.* 523
Allantoides *tunica ſeu urinaria fœtui humano vindicatur.* 519
Alphonſi *X Regis Hiſpaniæ Tabulæ Aſtronomicæ, & ſcripta alia.* 302
*De* Alva *& Aſtorga* (*Petri*) *Funiculi Nodi indiſſolubilis de conceptu mentis & conceptu ventris.* 482
Amputandi *artus nova methodus.* 120
Analyſis *infinite parvorum.* 137.
Anatome *pectunculi ſtriati vulgaris.* 328
*Aquilæ.* 511
*Muſculorum fluviatilium.* 327
*Mytuli.* 328
*Oſtrearum.* 328
*Pholadis alte ſtriatæ.* 329
*In* Anglia *quæ origo Quakeriſmi fuerit?* 393
*quæ olim regiminis Anglo-Saxonici forma?* 400
*nuperæ rerum mutationis Hiſtoria.* 454
Angliæ *Hiſtoria generalis.* 399
*Theologi num ſententiam mutarint de non reſiſtendo Magiſtratui religionis cauſa?* 363
*Status num recte Jacobo II regnum abrogarint?* 363
Anglicanæ *Hiſtoriæ univerſalis ſcribendæ difficultas.* 27
Anglicana *Hiſtorica Bibliotheca.* 27
*Eccleſia num potuerit ſe ſubtrahere Romani Pontificis imperio?* 199
Angli *num olim triplici lege uſi?* 32
Anglo-Saxonici *in Anglia regiminis quæ olim forma?* 401
Animæ *humanæ ſpiritualitas aſſerta.* 175
Animalium *teſtaceorum exuviæ cur nobis in terra occurrant?* 545
Annæa *gens apud Romanos olim literarum cultu celebris.* 245
Anni *Patriarchalis initium.* 541
Anthologiæ *nova editio a Petro Francio promiſſa.* 351
Antiquitatis *monumenta varia.* 168
Antiquitatum *Romanarum Theſaurus J. G. Grævii.* 439
*Græcarum Theſaurus Gronovii.* 529
Antonii (*Nicolai*) *Scriptores Hiſpani ſeculorum XVI & XVII.* 241
Antonii *Luſitaniæ Regis Hiſtoria.* 134

Aphe-

Aphelii *planetæ cur tardius, perihelii velocius moveantur?* 4
Apocalyptica *ſigilla ſeptem illuſtrata.* 86
Apocyni *latifolii Indici varia nomina.* 534
Apoſtolici *Canones quinquaginta vindicati.* 523
*De* Aprigii *Commentariis in Apocalypſin quid ſtatuendum?* 249
Aquæ *marinæ dulcedo experimento comprobata.* 397
*ex percuſſa petra effuſæ exemplum in Hiſtoria Moſaica obvium.* 488
*exempla a Poetis conficta.* 489
*Ductuum vel emiſſariorum fiſtulæ quomodo diſponendæ?* 396
*Diluvii quomodo terram reliquerint?* 544
Aquarum *deductio.* 395
*menſuratio,* 396
*medicarum abuſus calculi occaſio.* 332
Aquilæ *Anatome.* 511
Arabico-*Hiſpana Bibliotheca Nicolai Antonii.* 305
Arbores *quomodo plantandæ & inſitione propagandæ?* 547
*quomodo ab inſectis defendendæ?* 547
*quomodo cuſtodiendæ a rore frigidiori nocturno?* 548
Arborum *cortex bis quotannis a ligno recedit.* 548
*fructus copioſi ut acquirendi?* 547
Arcadum *Romæ Societas.* 180
Arca *Noachi num in Armenia ſubſederit?* 541
Archiatri *Romanorum Pontificum.* 182
Architecturæ *ordinum diviſio & altitudo.* 51
*In* Architectura *ſymmetria.* 50
Argaizius (*Gregorius*) *notatus.* 247. 253
Arianorum *doctrinæ num faverint Patres Ante-Nicæni?* 61
Ariſtotelis *in tradenda Arte Poetica egregium ſtudium.* 377. 379
Arnaldi *Villanovani patria & obitus.* 303
Arteriæ *bronchialis in homine exortus atque cum arteria pulmonali anaſtomoſis.* 15. 17
Arteriæ *novæ tum hepatis tum diaphragmatis.* 387
Arteriarum *cyſticarum ramificatio.* 15
*per piam meningem diſtributio.* 386
Artus *amputandi nova methodus.* 120
Aſthma. 108
Aſtrologici *præſagii exemplum.* 184
Aſtronomiæ *profectus.* 173
Aſtronomicæ *Tabulæ Alphonſinæ a quibus concinnatæ?* 302

Atheiſmus *profligatus.* 165. 175
Atomorum *ex Epicuri mente motus exploſus.* 174
אוב *quam ſignificandi vim habeat?* 316
Averrois *vita.* 306
אויב *quid ſignificet?* 317
Auguriorum *apud Gentiles origo.* 489
Avicennæ *patria non Hiſpania ſed Perſia.* 298
*verum nomen.* 299
*S.* Aurelii *Victoris Opera doctorum virorum ſtudium experta.* 45
Axis *Eclipticæ num ſemper obliquus fuerit ad axem motus diurnus?* 543

B

Balaam *Madianitarum Augur.* 489
*incantator.* 370
Balbi (*Lucii Cornelii*) *duo non confundendi.* 244
Baptiſmus *infantum defenſus.* 35
Bardi *antiquiſſimi apud Britannos Hiſtorici.* 31
Barlæus *notatus.* 262
*De* Baronii *Cardinalis Annalibus judicia.* 307. 308. 309
*S.* Beati *Vita a Joanne Tamajo edita nullius autoritatis.* 251
Beauniani *Problematis ſolutio.* 413
Beda *Venerabilis num librum de ſitu & mirabilibus Britanniæ reliquerit?* 30
*De* Bellarmini *Cardinalis ſcriptis diverſa doctorum judicia.* 310
Beryti *urbis nummus explicatus* 45
Bibliotheca *Theologica.* 436
*Hiſpanica Nicolai Antonii.* 241
*Latina Fabricii.* 108
Bilis *ad veſiculam felleam via.* 15
Blondellus (*David*) *quomodo abſtractus fuerit a refutando Baronio?* 309
Bononienſis *phoſphori deſcriptio.* 404
*præparatio.* 406
*uſus.* 407
*Gypſi tres ſpecies.* 408
Borrax *Venetus quale ſal?* 331
Borrichii (*Olai*) *vita, ſcripta, mors.* 179. 180
Boſſuetus (*Jacobus Benignus*) *Epiſcopus Meldenſis refutatus.* 193. 325
Bourignonia (*Antonia*) *notata.* 391
Braccianenſis *lacus derivatio.* 396
Brachyſtochrona *linea.* 203. 207. 213. 217. 223.
Bradeus *Regnum Angliæ hereditarium tempore Anglo-Saxonũ fuiſſe docens refutatur.* 401. 402
Brandenburgicum *cimeliarchium.* 41
Bremenſis *Reipublicæ ſtatus & in eam prætenſiones Regis Succiæ.* 185

Bri-

Britannicæ *olim Eccleſiæ ab imperio Romanorum Pontificum immunes.* 199
Britannorum *veterum Hiſtoriographi.* 31
Bronchialis *arteriæ in homine exortus atque cum arteria pulmonali anaſtomoſis.* 15. 17
*venæ nulla neceſſitas.* 16
Buceri (*Martini*) *religio.* 165
Burggraviorum *Noribergenſium cum Civitate Noriberga controverſiæ.* 345
Burius (*Arthurus*) *Arrianiſmi poſtulatus.* 64

Calculi *Differentialis præſtantia.* 137
*Præcepta.* 138
*Utilitas.* 202
Calculi *geneſis.* 332
*occaſio, medicarum aquarum abuſus.* 332
Calculum *expellentia remedia.* 332
Calculus *differentialis defenſus.* 125. 213
Callimachi *editiones variæ.* 487
Caloris *febrilis cauſa.* 26
Calor *terræ internus unde?* 542
Camdenus (*Guilielmus*) *notatus.* 32
Candelabri *Templi Hieroſolymitani deſcriptio.* 454
Canones *Apoſtolici vindicati.* 523
Canonum *Apoſtolicorum cum præceptis Moſaicis convenientia unde?* 524
Capellus (*Ludovicus*) *notatus.* 69
Capitolinus *notatus.* 244
Carmina *Dan. Georgi Morhofii.* 261
Caroli Guſtavi *Sueciæ Regis res geſtæ.* 184. 190
Caroli *Magni Teſtamentum.* 420
*Regna & ditiones qua ratione & ab ipſo & a ſucceſſoribus fuerint diviſæ?* 420. 422
Carolo *M. vindicata corona Germanica, quæ Noribergæ ſervatur.* 346
Carteſianorum *principium, quod verum ſit, quicquid clare & diſtincte percipimus, explicatum.* 445. 448
Carteſius *refutatus.* 323
*notatus.* 477. 481
Caſaubonorum *Hiſtoria ab Almelovenio promiſſa.* 309
Caſaubonus (*Iſaacus*) *defenſus.* 308
Cauſtica *vitra, quorum diameter trium quatuorve pedum.* 414
Cauſticorum *vitrorum, quorum diameter trium quatuorve pedum, effectus.* 415
Centralis *ignis, terræ conflagrationis cauſa.* 545
Cephalalgiæ *remedium.* 557
Cerebri *meninx intermedia.* 386
Cerinthianos *inter & Ebionitas conſenſus ac diſſenſus.* 405

Chaldæorum *antiquitas falſo jactata.* 171
Chaldaicarum *in Daniele, Eſra & Jeremia vocum explicatio.* 192
Chalybeata *medicamenta in rheumatiſmo commendata.* 556
Chamæ *fuſca Anatome.* 328
Chaos *ex quo terra formata, quid ſit?* 541. 542.
Chemicorum *illuſtriorum Hiſtoria.* 179
Chevræi (*Urbani*) *Elogium.* 233
*In* China *quomodo paulatim Religio Chriſtiana incrementa ceperit?* 492
Chinæ *corticis uſus in febribus.* 550
*vis in quo poſita?* 550
*pulvis an clyſteris forma in alvum injiciendus?* 550
*aſſumendi methodus.* 557
Chinam Chinæ *per os aſſumendi modus optimus.* 551
Chinenſium *chronologia fabuloſa.* 172
Chorearum *in Feſtis antiquitas.* 489
Chriſtianæ *Religionis excellentia.* 178
*capita ex mente Latitudinariorum.* 495. 496
*libertas in China permiſſa.* 491
Chriſtiani II *Daniæ Regis in Suecos ſævitia.* 104
Chriſti *Divinitas creditu jam primis tribus Eccleſiæ ſeculis neceſſaria.* 504
*Jura Regia ex Pſalmo LXXXII. 1. deducta.* 111.
Chriſtina *Sueciæ Regina num ſponte Regno ceſſerit?* 235
*De* Chriſti *ſanguine diſſertatio J. F. Kœberi.* 503
Chriſtus *num Paſcha cum diſcipulis comederit ante paſſionem?* 88
Chyli *præparatio.* 107
Ciceronis *orationes a Gilleto in Gallicum ſermonem translatæ & illuſtratæ.* 64
*Liber de ordinanda Republica & inveniendis orationum exordiis.* 548
Circularium *ſegmentorum repræſentatrix Curva.* 205
Circuli *quadratura.* 410
*Oſculatoris radius qualis ſit in flexu contrario?* 411
*De* Claudiano *judicium Henr. Muhlii.* 262
Clericorum *Jura Feudalia.* 150
Clericus (*Joannes*) *refutatus.* 498. 502
Clypeus *militaris non unius generis.* 150
Codex *Juris Feudalis Alemannici.* 147
Cœleſtia *corpora cur commemoret Moſes in hiſtoria creationis?* 537
Cœleſtium *corporum motus cauſa.* 539
*S.* Cœnæ *myſterium a Latitudinariis labefactatum.* 497

Columnæ *ſcapi contractio.* 51
*In* Columnis *membrorum diviſio Goldmanniana.* 51
Cometæ *atmoſphæra quid ſit?* 539
Cometæ *quid ſint?* 536
*a Sole caleſiunt.* 540
*quam mutationem efficiant in orbibus Planetarum?* 539
*In* Cometam *Terra mutanda.* 564
Cometa *quomodo fieri poſſit Planeta?* 540
*Diluvii cauſa.* 541
*olim Tellus.* 541
*conflagrationis terræ cauſa.* 245
Comitum *Wettinenſium origines & ſucceſſiones.* 531
Commentarii *Philoſophici Autor impugnatus.* 430
Comœdiæ *num apud Judæos olim fuerint uſitatæ?* 317 318
Concharum *Anatiferarum Anatome.* 329
Conchyliorum *teſtarum fabrica & materia.* 330
*cum lapidibus convenientia.* 331
*In* Conciliis *num pluralitas ſuffragiorum attendatur?* 168
Conciliis *num Spiritus S. peculiari modo adſit?* 196
Conciliorum *auctoritas oppugnata.* 195. 267. 269
*propugnata* 276
Concilium *Oecumenicum num unquam fuerit celebratum?* 267
*Nicænum num immune fuerit a Tritheiſmo?* 334. 337. 341
*Epheſinum num immune fuerit ab Eutychianiſmo?* 343
*defenſum.* 63
Conflagratio *terræ quomodo futura?* 545
Conradus *quotus, cujus nomen Corona Germanica Noribergæ aſſervata refert?* 346
Conringius (*Hermannus*) *notatus.* 346
Conſcientiæ *erroneæ quæ obligatio?* 428. 430
*In* Conſcientias *ſubditorum quale jus competat ſummis Imperantibus?* 466
Conſequentiarum *in S. Theologia uſus.* 36
Contiguitas *corporum quænam detur?* 1
Corona *Germanica, quæ Noribergæ aſſervatur, Carolo M. vindicata.* 346
Corpora *cœleſtia cur commemoret Moſes in hiſtoria creationis?* 537
Corporis *animalis fluidorum præparatio.* 107
Corporum *contiguitas nulla.* 1
*Æquilibrium unde derivandum?* 1

Cortex *bis quotannis ab ligno recedit.* 548
Corticis *Chinæ uſus in febribus.* 550
*Vis in quo poſita?* 550
*Pulvis an clyſteris forma in alvum injiciendus?* 550
*in febribus epidemicis ac petechialibus quoque efficacia.* 27
*Virtus ex ſapore adſtringente haud dependet.* 27
Craigius (*Thomas*) *notatus.* 400
Creatio *Moſaïca ad tellurem ſolam pertinens.* 535
*Hominis miraculoſa.* 543
Creationis *hiſtoriæ natura, ſtylus & extenſio.* 535
Cryſtallini *humoris textura.* 509
Cujacius (*Jacobus*) *notatus.* 149
Curandi *morbos nautarum methodus.* 550
Curvæ *æqualem rectam quis primus invenerit?* 255
Curva, *in qua ſolidum ſub uno, & quadrato alterius ſegmentorum æquatur ſemper eidem.* 96
*in qua ſegmenta ad quamcunque potentiam elevata & ſimul ſumta faciunt ubique eandem ſummam.* 96. 205. 215. 219. 223.
*Logarithmica ejusque uſus.* 126. 128.
*Segmentorum circularium repræſentatrix.* 205
Curvam *inveniendi methodus ex ſola data relatione punctorum curvæ ad ſe invicem.* 215
Curvarum *ſuperficierum & ſolidorum quæ notatione gignuntur, dimenſiones.* 114
*Deſcriptio per focos.* 116
*Naturas ſimpliciſſime exprimentium theorematum inventio.* 220
Curvatura *undæ radiationibus formata.* 204. 210
Curvilinearum *figurarum quadratura per transpoſitionem.* 113
Cuticulæ *lamina duplex.* 518
Cycloidis *inventor primus.* 255
Cyclois *linea eſt & tautochrona & brachyſtochrona.* 207. 214
Cynanche & *Paracynanche non diſtinguendæ.* 551
Cyrillus *Eutychianiſmi accuſatus.* 338. 342
*num Eutychianus fuerit?* 63
Cyſticarum *Arteriarum ramificatio.* 15
Cyſtici *Ductus diſpoſitio valvuloſa & celluloſa.* 17

DAmaſi *Papæ patria & ſcripta.* 247
Dandulorum *apud Venetos familiæ unde cognomen Canis illatum?* 95
Daniæ *Regis Auguſtiſſimi Muſeum.* 381

Da-

Danica *Numiſmata.* 382. 383

Danos *inter & Suecos bellorum Hiſtoria.* 101

*De Jo.* Daviſii *Lexico Britannico judicia diverſa.* 30

Dei *Spiritualitas aſſerta.* 176

*Voluntas univerſalis omnes homines ſalvandi aſſerta.* 282. 284. 290

*Bonitas infinita.* 283. 289.

*Exiſtentia demonſtrata.* 165. 175. 478. 479. 481

Delrio *(Mart. Anton.) notatus.* 245

Democriti *ſcripta chemica.* 180

Deſcenſus *breviſſimi linea.* 203. 207. 217. 212. 223.

Deus *ad beatitudinem conſequendam gratias abundantes omnibus hominibus concedit.* 288.

*Ad* Dextram ſedere, *quid innuat?* 490

Dextri *(Lucii) Pſeudo-Chronicon.* 247. 248

Diaphoreticorum *uſus in variolis noxius.* 555

Diaphragmatis *arteria nova.* 387

Diarrhœam *curandi methodus.* 551

Dies *creationis num anni?* 542

Differentialis *Æquationis a D. Jac. Bernoullio propoſitæ ſolutio analytica.* 115

*Calculi præſtantia.* 137

*Utilitas.* 202

*Precepta.* 138

Differentialis *calculus defenſus.* 125. 213

Diluvii *univerſalis veſtigia hodieque obvia.* 14

*cauſa Cometa.* 541

*Univerſalitas probata.* 544

*Cauſæ.* 543. *ſqq.*

*Aquæ quomodo terram reliquerint?* 544

*De* Diluvio *aſſerta hiſtoria Moſaica.* 344

Diluvium *univerſale quomodo potuerit contingere?* 374

*quando inceperit?* 541

Dio *Gothicæ Hiſtoriæ ſcriptor.* 301

Divinitas *Chriſti jam primis tribus Eccleſiæ ſeculis creditu fuit neceſſaria.* 504

Divortium *num ob ſterilitatem locum habeat?* 364

Doctorum *Eccleſiæ conſenſus num ſufficiat gignendæ fidei?* 270. 333

Doctorum *virorum elogia.* 90

*Vitæ & ſcripta.* 225

*Epiſtolæ quædam.* 226

Dominicani *ex domeſticis principiis de immaculata conceptione B. V. Mariæ convicti.* 483

Domitellæ *plures.* 245

Ductus *cyſtici diſpoſitio valvuloſa & celluloſa.* 17

Ducum *Venetorum Hiſtoria.* 94

EBion *auctor hæreſeos revera extitit.* 506

Ebionitæ *unde dicti?* 35

Ebionitas *inter & Cerinthianos conſenſus ac diſſenſus.* 505

Eccleſiæ *teſtimonium quanta ſit auto-*

*auctoritatis in controverſiis Fidei?* 193
*infallibilitas nunquam a Chriſto & Apoſtolis adverſus adverſarios in ſubſidium vocata.* 194
*impugnata.* 195
*perpetuitas aſſerta.* 274
*viſibilitas adſtructa.* 278
*auctoritas quomodo ex Scriptura, & hujus viciſſim a teſtimonio Eccleſiæ, ut circulus evitetur, probanda?* 279. 280
*Miniſtros vocandi jus penes quos?* 324
Eccleſia *quo ſenſu dici poſſit ſuper Petrum fundata?* 197. 273
*Romana oppugnata.* 264
*propugnata.* 272
*ſitne infallibilis?* 269. 271. 274
Eclipticæ *axis num ſemper obliquus fuerit ad axem motus diurni?* 543
Edda *in Bibliotheca Guelferbytana exſtat manuſcripta, auctior quam edita.* 32
Elementa *rerum naturalium ex mente Hartſoeckeri.* 1
*duo rerum naturalium.* 1
Elephanti *oſſa in Thuringia effoſſa.* 10
Elogia *doctorum virorum.* 90
Eloquentiæ *exterioris ſpecimen a Petro Francio editum.* 465
Elyriorum *nummus explicatus.* 43
Emblemata *Moralia Joannis de Boria.* 437
Enthuſiaſmus *divinus & diabolicus quomodo differant?* 392. 394
Epheſinum *concilium defenſum.* 63
*Eutychianiſmi poſtulatum.* 343
Epicuri *de Mundi origine ſententia exploſa.* 174
Epiſcopius (*Simon*) *refutatus.* 505
Epiſcoporum *in Suecia nimia potentia Regibus damnoſa.* 99
Epiſtolæ *Vicofortii & Barlæi.* 46
*quædam doctorum virorum.* 226
*Urbani Chevræi.* 234
Error *ab ignorantia diſtinguendus.* 428. 434
*quatenus excuſet?* 420. 433
*omnis num ſit conſequens peccati?* 434
Eſſentia *& Perſona quomodo Patribus Nicænis diſtincta fuerint?* 334
Etymologici *Magni auctor Megalus.* 145
Evacuatio *quo facienda modo in morbis navigantium?* 550
Evangelica *lex quo ſenſu ſuavis?* 288
Evangeliſtarum *in Hiſtoria mortis Chriſti Harmonia aſſerta.* 68
Evangelium *Infantiæ Chriſti, ſcriptum*

*ptum, ineptum, antiquum tamen.* 521
Evidentia *rerum credendarum qualis?* 336, 337. 355. 356. 357. 445. 448.
*num fidem gignat?* 356
Euſtathii *inſigne Fragmentum publicatum.* 110
Eutychianiſmus *ſubtilior quis?* 342
Excentricitas *telluris an minuatur?* 4
Excerpta *ex Nieuwentyt Conſiderationibus ſecundis.* 256
Excommunicatio *Eccleſiaſtica a quibus exercenda?* 324
*In* Exodum *commentarius Simonis Epiſcopi Elienſis.* 424
Expectativarum *in Feudis qua ratio?* 153
Expeditionis *Romanæ origo.* 151
Exponentialis *calculi principia.* 125

FAbularis *apud Orientales aliasque gentes Philoſophia.* 378
Fabularum *in arte Poëtica uſus genuinus.* 80
Faſti *Ducales Veneti.* 94
*In* Febribus *epidemicis ac petechialibus quoque corticis Peruviani efficacia.* 27
Febrilis *horroris cauſa.* 26
*caloris cauſa.* 26
Febrim *opiata exacerbant.* 550
Febris *A. 1694 & 1695 in ditione Norica epidemice graſſantis deſcriptio.* 26
*epidemicæ occaſio pluviæ creberrima.* 26
Febris *quid ſit?* 108
*qua ratione per Chinam China optime curetur?* 557
Febrium *cauſa.* 550
*intermittentium periodus.* 550
Felicitas *vera in quo conſiſtat?* 118
Fermentatio *in fluidis animalium.* 107
*In* Feſto *reos dimittendi conſuetudo.* 89
Feudalia *judicia.* 152. 154. 159
Feudalis *Juris Alemannici Codex* 147
*In* Feudis *qualis ſucceſſio obtineat?* 157. 161
Feudorum *nomen, origo, diviſio.* 149
*acquiſitio alia originaria, alia derivativa.* 150
*refutatio quid?* 151
*inveſtituræ varia ratio.* 150. 152. 153.
Feudum *quibus modis amittatur?* 154. 156
Fidei *articulorum in eſſentiales & accidentales diſtinctio rejecta.* 276
*objectum ſunt res evidentes non evidentia objecti, ſed revelationis.* 336. 337. 355. 357. 445. 448.

*principium.* 354
*maximum in Religione omni momentum.* 494
Fides *infantum aſſerta.* 37. 40
*num gignatur per evidentiam rerum credendarum?* 356
359
*quo ſenſu a Spiritu S. immediate produci dici poſſit?* 357
*num habitus infuſus?* 361
*ſimplicium qualis?* 358. 359
*nihil aliud quam aſſenſus in evidens.* 443
*quo ſenſu actus rationalis dicatur?* 448
*quomodo in credulitatem degenerare queat?* 495
Finales *cauſæ num in Philoſophia Naturali locum habeant?* 481
Fixæ *ſtellæ cur non minuantur?* 3
Flamma *quomodo producatur?* 3
Fluidorum *particulæ quales?* 2
*corporis animalis præparatio.* 107
*varietas.* 540
*Per* Focos *deſcriptio Curvarum.* 116
Folliculi *fellei tunica glanduloſa.* 15. 17
Formæ *quæ Phyſicæ dicantur?* 479
Friderici Auguſti, *Electoratus Saxonici Heredis, hodie Potentiſſimi Regis Poloniæ, Natalis oratione panegyrica celebratus.* 366
Friderici III. *Daniæ Regis infelix adverſus Suecos bellum.* 187
*generoſitas.* 188
Friderici Wilhelmi *Electoris Brandenburgici geſta in bello Sueco-Polonico.* 186
*A* Frigidiore *rore nocturno quomodo cuſtodiendæ arbores?* 548
Frigoris *propagandi ratio.* 398
*A* Friſen (*Henr. L. B.*) *Elogium.* 366
Frontalium *ſinuum membranæ cum tunica ſpongioſorum oſſium narium communicatio.* 386
Fructus *arborum copioſi quomodo acquirendi?* 547
Fulgentii *Aſtigitenſis Expoſitionis in omnes Pſalmos editio promiſſa.* 250
Funerum *apud Græcos ritus.* 53
GAllion, *coram quo Paulus Apoſtolus accuſatus fuit, quis?* 245
Garimbertus *notatus.* 184
Geminus *quo tempore ſcripſerit Elementa Aſtronomica?* 9
Generales *ſacrorum Ordinum in Eccleſia Romana non ejusdem cum Papa auctoritatis.* 277
Generatio *inſectorum æquivoca negatur.* 330
Gentilibus *num ad ſalutem aditus pateat?* 369
*revelationes divinæ obtigerint?* 370
*rituum variorum & fabularum occaſiones ex Hiſtoria ſacra natæ.* 489. 490
Gen-

Gentilium *Theologia exploſa.* 368
Genuenſis *Reipublicæ Hiſtoria.* 388
Gerhardi *de Zutphania duo.* 85
Gildæ *num plures in Anglia fuerint?* 31
Glacies *ex aqua marina concreta ſalſedinis expers.* 397
Glandulæ *pinealis uſus.* 519
Glandularum *conglobatarũ ſtructura vindicatur a Malpighio adverſus Nuckium.* 515
Glandula *ſubrubra in Thunni oculo.* 510
Gonorrhœæ *ſedes genuina.* 551
Gonorrhœam *curandi methodus.* 551
Goſſipii *Orientalis varia nomina.* 534
Græcarum *literarum dignitas.* 75
*Antiquitatum Theſaurus Gronovii.* 529
Græcorum *luctus, lugentiumque ritus.* 52
Grævii (*Theodori*) *in expoliendo Callimacho ſtudium.* 488
Gratiæ *quas Deus hominibus omnibus dat, non neceſſariæ ſolum ſunt, ſed & abundantes.* 288. 290
Gratia, *per quam fides confertur, partim mediata, partim immediata.* 361
Gravitatis *ſpecificæ quæ ratio?* 374
Gravium *deſcenſus.* 2
Gregorii *Bætici Martyrologium ab impoſtoribus confictum.* 241
Grotius (*Hugo*) *num religioni Pontificiæ fuerit addictus?* 304
Gryphiander *notatus.* 346
Gudii (*Marquardi*) *in colligendis manuſcriptis induſtria.* 139. 141
Guſtavi *Erici in Sueciæ Regno ſibi aſſerendo ſolertia.* 104
Gypſi *Bononienſis tres ſpecies.* 408

HÆretici *quatenus in Republica tolerandi?* 426
Hæreticorum *baptiſma num validum?* 524. 525
*In* Hæreticos *quale jus Imperantibus competat?* 468. 470. 472
Hafniæ *obſidio a Carolo Guſtavo Sueciæ Rege ſuſcepta, cur fuerit irrita?* 188. 189
Halonis (*Auli*) *Carmen de Adventu Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam ſuppoſititium.* 300
Hauberti *Pſeudo-Chronicon.* 253
Hebraicæ *linguæ geneſis.* 313. 316
Hebraicarum *literarum valor & ſignificatio.* 314
— *comparatio cum Sinicis.* 314. 315
Helvetius *notatus.* 550
*Cum* Hepatis, *tum diaphragmatis Arteriæ novæ.* 387
Hermes *Triſmegiſtus Chemicorum princeps.* 180
Hermetis *ſecundi ſcripta chemica.* 180
Hiatus *in membrana tympani.* 519

Hieronymi *de providentia opinio.* 61
Hieronymus *vindicatus.* 6
*in deprædicanda vita ſolitaria nimius.* 67
Hieroſolymitani *Templi Deſcriptio.* 453
Higueræ (*Hieronymi Romani*) *fraus in Chronicis fictitiis Orbi Literato obtrudendis.* 243. 253
Higuera *notatus.* 301
Hilarius *excuſatus.* 61
Hiſpana *Bibliotheca vetus.* 241
Hiſtoria *Eccleſiaſtica N. T. Kortholti.* 438
*Romana Eutropii.* 517
*generalis Angliæ.* 399
Hiſtoriæ *Eccleſiaſticæ Summarium Ad. Rechenbergii.* 352
*Seculi XVII, autore Andrea Carolo, Pars I.* 353
Hiſtorica *Bibliotheca Anglicana.* 27
Homeri *elogium.* 81
Hominis *forma non eſt anima rationalis, ſed unio animæ illius cum corpore.* 478
Horroris *febrilis cauſa.* 26
Horti *Malabarici catalogus.* 533
Howelius *notatus.* 401
Hoyeri (*Franciſci Henrici*) *methodus convertendi Judæos.* 164
Huartus *notatus.* 283
Humoris *cryſtallini textura.* 509
Humorum *defluxus.* 108
Hypotheticæ *Phyſicæ quæ ratio?* 475

JAcobo *num recte Regnum Magnæ Britanniæ abrogatum?* 363
*non abrogatum Regnum ob religionem.* 455
*quæ cauſæ exitio fuerint?* 456
Jacobus, *cognomento Juſtus, non Jacobus Minor, Epiſtolæ Canonicæ auctor.* 35
Jeſuitarum *in propaganda per Chinam Religione Chriſtiana ſtudium.* 492
Ignis *ortus.* 3
*centralis, terræ conflagrationis cauſa.* 545
Ignorantia & *error quomodo differant?* 428
*omnis num ſit conſequens peccati?* 434
Ildefonſi *ſcripta ſuppoſititia.* 250
*Ex* Imaginatione *vehementi falſo derivatæ prophetiæ.* 372
Imagines *Græcorum veterum.* 530
Imperantium *circa Sacra poteſtas.* 200
Indifferentiſmus *Religionis exploſus.* 369. 430. 431. 432
Indorum *Sapientiæ ſpecimen, liber antiquiſſimus & in varias linguas translatus* 379
*De* Infantia *Servatoris liber ineptus.* 519

Infantum *ſine baptiſmo deceden-tium ſtatus ex mente Cardinalis Sfondrati.* 285. 287. 290
*baptiſmus defenſus.* 36
*fides aſſerta.* 37. 40
Infiniti *Scientia promiſſa.* 137
*Ab* Infectis *quomodo arbores defendendæ?* 547
Inſectorum *generatio æquivoca negatur.* 330
Intellectus *operatio ſolum perceptio eſt, non item judicium aut diſcurſus.* 44
*perceptio quotuplex?* 44[3]
Inveſtituræ *in Feudis ratio.* 150[3]
152. 153. 157. 158.
Joannes *Hiſpalenſis Epiſcopus unde Cacit Almitran dictus?* 251. 252
Johannes Georgius *II. & III. Electores Saxonici orationibus Panegyricis celebrati.* 366
*S.* Johannes *non Philonem, ſed Hæreticos ſui temporis confutare inſtituit.* 499. 500
*S.* Johannis *Evangelii capitis primi verſiculi priores octodecim explicati.* 498. 501
Jonas *num Gentilis fuerit?* 370
Joſephi *Patriarchæ nomen Zaphnath-Pahaneach quale?* 6
Joſepho *locus de Chriſto vindicatus.* 178
Joſephus *Patriarcha Ægyptiorum Serapis, & Oſiris.* 7
Iris *an fuerit ante lapſum?* 543
Iſidororum *Hiſpalenſis & Pacenſis hiſtoria.* 250
Iſidorus *Cordubenſis num unquam extiterit?* 249
Iſiorum *ſolennium apud Ægyptios tempus.* 9
Iſis *Ægyptiorum ad Joſephum Patriarcham relata.* 8
Iſoperimetrarum *figurarum quæ maximum comprehendant ſpatium?* 214
*In* Italia *quæ fuerint literarum fata?* 77. 78
Judæis *an non niſi in urbibus munitis Synagogas licuerit exſtruere?* 349
*A* Judæis *cur teſſeræ luſoriæ ſoleant exigi?* 348
Judæ *mors.* 73
Judæorum *mos reum in feſto Paſchatos dimittendi improbatus.* 89
*Ludi varii.* 347
Judæos *convertendi methodus.* 162
Judaicarum *legum & religionis Divinitas aſſerta.* 177
Judicia *Feudalia.* 152. 154. 159
Judicium *non intellectus, ſed voluntatis operatio.* 442
Juliani *Chronicon & ſcripta alia a Laurentio Ramirezio edita, ſuppoſititia.* 301
Julianus *notatus.* 489
Jupiter *cur citius circa axem revolvatur, quam tellus?* 4

Jureconſultorum *veterum ſcripta.* 110
Juris *Civilis Origines a J. V. Gravina promiſſæ.* 74
Jurisprudentiæ *fata.* 78
Jurium *inter & Saurinum controverſia.* 55
Jurius (*Petrus*) *refutatus.* 332. 354. 466
Juſtiniani (*Marci Antonii*) *Venetorum Ducis elogium.* 94
Juſtinus *Martyr emendatus.* 507. 508

KEithi (*Georgii*) *Quakeri cum Guilielmo Penn itidem Quakero lites.* 393

LAbbeus *notatus.* 251
Lactis *materia chylus, an ſangui?* 322
Laga *Anglis olim non legem, ſed regionem notavit.* 32
Lapidis *Bononienſis Deſcriptio.* 404
*Præparatio.* 406
*Uſus.* 407
Latinæ *Linguæ præſtantia aſſerta.* 75
Latinorum *auctorum veterum catalogus.* 109
Latitudinariæ *religionis ſumma capita ex mente Jurii.* 54
Latitudinarii *unde dicti?* 57
Latitudinariorum *dogmata defenſa.* 493
Laudemialia *bona.* 160
Lauterbachiani *Juris Compendii Supplementum.* 24
*Compendium illuſtratum.* 551. 552
*emendatum.* 553. 554
Legum *Civilium origines.* 74
*Moſaicarum ſanctitas vindicata.* 375
Lentes *opticæ, quarum diameter trium quatuorve pedum.* 414
*Ex* Lentibus *magnis teleſcopia conſtruenda.* 419
Lentium *opticarum, quarum diameter trium quatuorve pedum, effectus.* 415. *ſqq.*
Liberi *num invitis parentibus in monaſteria poſſint intrudi?* 66
Licetus *notatus.* 405
Lieni *humano nullæ glandulæ, nec cellulæ, nec fibræ.* 15
Lienis *humani ſubſtantia.* 14
Ligamenti *umbilicalis in homine adulto arteria & lymphaductus.* 15
Linden (*Jo. Anton. Van der*) *notatus.* 299
Linea *breviſſimi deſcenſus.* 203. 207. 212. 217. 223
Linguæ *Latinæ præſtantia aſſerta.* 75
Lingua *unica olim toto orbe.* 168
Lipſii (*Juſti*) *ultima verba.* 327
Lipſius *notatus.* 245
Literarum *fata.* 77
*Hebraicarum valor & ſignifictaio.* 314
Liturgia *nova Suecis obtruſa.* 82

Loga-

Logarithmica *Curva, ejusque uſus.* 126. 128
Λόγος *cur dicatur Dei Filius?* 339
Longobardicum *jus Feudale in ſubſidium Alemannici receptum.* 148
Lucis *radiorum curvatura in medio continue difformi.* 203. 208
Luctus *lugentiumque apud Græcos ritus.* 52
Ludi *Judæorum* 347
*ſcenici.* 348
Luitprandi *Chronicon ſpurium.* 253
Lullii (*Raymundi*) *ſcripta.* 304
Lullius (*Raymundus*) *Chemicus.* 181
Lumen, *quod Quakeri jactant, quale?* 19. 392
*quomodo generetur?* 3
*Lunæ per cauſtica vitra collectum non excitat calorem.* 419
Luminis *natura a Carteſio non recte explicata.* 323
Lunæ *lumen per cauſtica vitra collectum non excitat calorem.* 419
Luna *quomodo terræ comes facta?* 4
*cur idem hemiſphærium ſemper ad terram convertat?* 4
*cur non acquiſiverit atmoſphæram äeri noſtro ſimilem?* 545
Lutheranæ *Eccleſiæ recentior origo objecta.* 274. 276
MAgiſtratui *quatenus reſiſti poſſit?* 363
Magnetis *proprietates explicatæ.* 5
Mahomedani *negant Chriſtum fuiſſe crucifixum.* 522
Malabarici *horti catalogus.* 533
Malpighii *Præceptores, honores & obitus.* 509
*De* Marca (*Petrus*) *refutatus.* 197. 198
*S.* Marcus *Evangeliſta quo tempore paſſus?* 10
*quo ſenſu Petri interpres dici poſſit?* 35
Margareta, *Semiramis Septentrionis, quibus artibus in Suecia autoritatem ſtabiliverit?* 100
Margaritarum *fabrica & materia.* 330
*B.* Mariæ *Virginis immaculata conceptio adverſus Dominicanos aſſerta.* 483
Mariani *Scoti Chronicon in Bibliotheca Bodlejana.* 33
Maria *telluris primæva minora hodiernis.* 542
Marinæ *aquæ dulcedo experimento comprobata.* 393
Marinæus *Siculus notatus.* 299
Maris *æſtus cauſa.* 4
Materia *motum non niſi a Mente quadam ſuperiore recepit.* 174
*prima num detur?* 476
*num ſola ſit ſubſtantiale principium internum corporis naturalis?* 476
*qualis Phyſico ſit ſupponenda?* 477

Mathe-

Matheſeos *peritia quantum profuerit Jeſuitis in Religione Chriſtiana per Chinam diſſeminanda?* 492
Matthæus *num Evangelium ſuum lingua Hebraica ſcripſerit?* 35
Maxima & *minima determinandi ratio ſingularis.* 204. 206
Medicorum *ad magnas dignitates promotorum exempla.* 183
*De* Medicorum *recentium ſtudio Diſſertatio a Malpighio refutata.* 517
*A* Melancholia *falſo derivatæ prophetiæ.* 372
Melchiadis *Papæ patria & ſcripta ſpuria.* 249
*De* Meleagro *aprum confodiente fabula ad Joſephum Patriarcham relata.* 9
Membranæ *tympani arteriolæ.* 386
— *oſſiculorum auditus arteriolæ.* 386
— *ſinuum frontalium cum tunica ſpongioſorum oſſium narium communicatio.* 386
Membrana *tympani e tribus conſtat cancellis.* 386
Membrorum *in columnis diviſio Goldmanniana.* 51
*Per* Meningem *piam arteriarum diſtributio.* 386
Meningis *piæ in cerebrum ac cerebellum inſinuatio per modum proceſſuum.* 384
Meninx *cerebri intermedia.* 386
Menſæ *panum facierum in Templo Hieroſolymitano deſcriptio.* 454
Menti *cuidam intellectu prædita Mundi origo adſcribenda.* 174
Merlini *num plures in Anglia fuerint?* 31
Meteora *vehementia num in aëre primævo?* 543
Methodus *diſputandi alia contra Gentiles, alia contra Hæreticos.* 279. 280
— *datum ſpatium, cujus quadratura ignota, in data ratione ſecandi.* 410
Microſcopia *ex magnis lentibus componenda.* 419
Mincuccii *(Antonii) de Prato Veteri Opuſculi Feudalis fata.* 161
Minima & *maxima determinandi ratio.* 204. 206
Miniſtros *Eccleſiæ vocandi jus quibus competat?* 325
Miracula *Moſaica vindicata.* 375
Miraculorum *gloria num vera Eccleſiæ nota?* 277
Monaſteriis *num liberi invitis parentibus intrudi poſſint?* 66
Montanus *(Jo. Baptiſta) notatus.* 299
Montium *formatio.* 542
Monumenta *Antiquitatis varia.* 168
Moralis *Gentilium Philoſophiæ defectus.* 368
Morbi *navigantium.* 549
Morborum *periodi.* 108

*omnium*

*omnium cauſa num ex Acido?* 555
*cauſa tranſpiratio inſenſibilis impedita.* 549
*decem genera.* 84
Morhofii (*Danielis Georgii*) *elogium.* 261. 263
Morientibus *præſtita apud Græcos officia.* 53
Morus (*Henricus*) *notatus.* 477
Moſaica *de diluvio hiſtoria vindicata.* 373. 374
*miracula vindicata.* 375
Moſaicæ *creationis Mundi Hiſtoriæ veritas aſſerta.* 166. 174
*convenientia cum aliis antiquis monumentis.* 169
Moſaicæ *leges vindicatæ.* 375
Moſaicarum *Legum Divinitas aſſerta.* 177
*A* Moſe *an deſcripta creatio univerſi?* 535
Moſes *num* Θεȣ̃ *cognomine inter Judæos fuerit celebratus?* 425
Moſis *ſtylus in recenſenda creatione.* 536
Motus *localis non alia cauſa, quam voluntas Dei infinite potens.* 480
*quantitas quid ſit?* 1
*corporum cœleſtium cauſa.* 539
Motus *non materiæ ſolum, ſed & formæ & compoſiti, non niſi a ſummo Motore.* 478. 479. 480
*terræ explicatus.* 3
Mundi *æternitas exploſa.* 169. 170. 173
Mundus *Menti cuidam intellectu præditæ originem debet.* 174
Muſæum *Regium Danicum.* 381
Muſci *ſemina.* 510
Muſculi *ſubclavii ortus ac inſertio.* 519
Muſculorum *fluviatilium Anatome.* 327
Myſteria *religionis non contra, ſed ſupra fidem.* 445. 448
Mytuli *Anatome.* 328

N

NArium *ſepti membrana duplex.* 385
Naſi *cartilagines novem deſcribuntur.* 385
*depinguntur.* 387
*perichondrium.* 385
*figura deformis & plana unde?* 385
Naturalium *rerum Elementa duo.* 1
Nautarum & *claſſiariorum morbi.* 549
Nazaræi *num Divinitatem Chriſti agnoverint?* 506
Nervei *ſucci exiſtentia demonſtratur.* 510
Nervi *perioſtii.* 518
Neſtorius *num jure damnatus?* 63
*excuſatus.* 338. 343
Nicænum *concilium num immune fuerit a Tritheiſmo?* 334. 337. 341

Nicius (*Janus*) *Erythræus notatus.* 184
Nicolius *refutatus.* 194
*Ex* Nieuwentyt *Conſider. ſecundis Excerpta.* 256
Nitrum *veterum.* 331
Noachi *arca num in Armenia ſubſederit?* 541
Noa *columbam ex arca demittens occaſionem dedit auguriis.* 489
Noribergenſis *Civitatis Hiſtoria.* 345
*In* Nubibus *cæli venire, iram ac vindictam notat.* 72
Numiſmata *Danica.* 382.383
*illuſtrata.* 8.42.43.44.227.382
OBligatio *ad actus contrarios quomodo conſiſtat?* 429
Oceani *formatio.* 544
Officia *hominis erga Deum, ſe ipſum, & homines alios.* 294
Olei *terebinthinæ vis ſtiptica inſignis.* 119
ὁμοούσιον *quid Patribus nonnullis?* 341
Opiata *febrim exacerbant.* 550
Orationes *Schurzfleiſchii.* 365
Oratoriæ *Actionis ſpecimen.* 464
Ordinum *Architecturæ diviſio & altitudo.* 51
Orientalium *gentium genus philoſophandi myſticum.* 378
Origenes *unde errores quosdam ſuos hauſerit?* 230
*notatus.* 527
Oſiris *Ægyptiorum Joſephus Patriarcha.* 7
Oſſa *Elephanti in Thuringia effoſſa.* 10
Oſſiculorum *auditus membranæ arteriolæ.* 386
Oſtrearum *Anatome.* 328
PÆdobaptiſmus *defenſus.* 35
Pandectarum *Synoptica Tractatio.* 23
Paradiſi *locus.* 541
Parentibus *invitis num liberi in monaſteria recipi poſſint?* 66
Parliamenti *Anglicani antiquitas & autoritas aſſerta.* 402
Partium, *ex quibus ordines Architectorum componuntur, dimenſio.* 51
Paſcha *num Chriſtus ante ſuam paſſionem cum diſcipulis comederit?* 88
*In* Paſchatos *feſto reum dimittendi conſuetudo apud Judæos.* 89
Patres *Ante-Nicæni num Arianorum doctrinæ faverint?* 61
*Poſt-Nicæni num Tritheiſmo faverint?* 62
*Ante-Nicæni neceſſariam creditu ſtatuerunt Chriſti Divinitatem.* 505
Patriam *alii amore, alii odio proſequuntur.* 85
Patriarchalis *anni initium.* 541
Patrum *primitivæ Eccleſiæ defenſio.* 61
Pauſaniæ *editiones variæ.* 97

Pauſanias *notatus.* 42
Peccata *contra conſcientiam num ſemper graviora ſint peccatis per ignorantiam?* 428
Pectunculi *ſtriati vulgaris Anatome.* 328
Penn (*Gulielmi*) *Quakeri cum Quakero alio Georgio Keitho lites.* 393
Perichondrium *naſi.* 385
Perihelii *planetæ cur velocius, aphelii tardius moveantur?* 4
Perioſtii *vaſa ſanguifera.* 15
*nervi.* 518
Perronii *Cardinalis de Bellarmino judicium.* 310
Perſonæ *vox num in S. Trinitatis myſterio rite adhibeatur?* 60
*non proprie, ſed per analogiam, in myſterio S. Trinitatis accipitur.* 335
Perſonam *ab Eſſentia quomodo diſtinxerint Patres Nicæni?* 334.341
Peruviani *corticis aſſumendi methodus.* 557
*in febribus epidemicis ac petechialibus quoque efficacia.* 27
*virtus ex ſapore adſtringente haud dependet.* 27
Petavius(*Dionyſius*)*notatus.* 9.62
Petitus *notatus.* 372
Petri *abnegatio Chriſti quomodo contigerit?* 68.72
Petrificationis *ratio.* 331
Petronius *emendatus.* 238
*Super* Petrum *quo ſenſu fundata dicatur Eccleſia?* 273
Pitſeus (*Johannes*) *notatus.* 30.31
Pharao *num idem quod Rex?* 171
Philologica *Miſcellanea Chevræi.* 234.238
Philonem *refutare num propoſitum fuerit S. Johanni Evangeliſtæ?* 499
Philoſophiæ *Practicæ Elementa.* 293
Philoſophia *fabularis apud Orientales aliasque gentes.* 378
*Moralis Indorum, liber antiquisſimus.* 379.380
Pholadis *alte ſtriatæ Anatome.* 329
Phonaſci *Germanorum*, Meiſter-Sänger. 349
Phoſphori *Bononienſis Deſcriptio.* 404
*præparatio.* 406
*uſus.* 407
Phthiſeos *cauſa & remedium.* 556
Phyſicæ *principia ab Hartſoeckero tradita.* 1
*doctrinæ difficultas.* 474
*uſus Theoſophicus & Moralis.* 482
Pinealis *glandulæ uſus.* 519
Piſcis *Xiphiæ Anatome.* 509
Planetæ *cur in uno fere moveantur plano?* 4
*Aphelii cur tardius, Perihelii velocius moveantur?* 4
Planetæ *formatio ex Cometa.* 540

Planetarum *formatio.* 2
*motus cur non creſcant velocitate?* 4
*figura.* 540
Plantarum *languentium curatio.* 548
Platonis *commentatores vetuſti, ætas &c.* 141
Plenitudo *nimia unde?* 549
*morborum cauſa.* 549
Plinius *notatus.* 144
*emendatus.* 244.245
Pluviæ *creberrimæ febris epidemicæ occaſio.* 26
Podagræ *ortus num ab acidis?* 556
*nodi unde?* 556
Poëmata *Lomeieri.* 90
*Dan. Georgii Morhofii, & de iis Henr. Muhlii judicium.* 261
*Petri Francii.* 350
Poëſis *qua ratione fabulas in uſus ſuos convertat?* 81
Poëtæ *veteres cum recentioribus comparati.* 262
Poëtarum *veterum Fragmenta a quibus collecta?* 110
Poëtica *Ariſtotelis.* 377
Poirters (*Adriani*) *Poemata.* 124
Polonia *bello a Suecis petita.* 185
Politheismum *inter & Tritheiſmum Chriſtianorum nonnullorum quid interſit?* 342
Pontificatus *apud Judæos num fuerit annuus?* 70
Pontificum *Romanorum Archiatri.* 182
*quanta olim fuerit auctoritas?* 198
*infallibilitas oppugnata.* 265.269
*propugnata.* 276
Porticus *Portæ in Templo Hieroſolymitano Deſcriptio.* 453
Prædeſtinationis *ſeries ex mente Cardinalis Sfondrati.* 285
*nodus diſſolutus.* 281
*abſolutum decretum rejectum.* 284.286
Prætorium *quid?* 73
Precum *vis in impetranda gratia Divina.* 291
Principibus *num in conſcientias ſubditorum jus competat?* 466
Principum *Germaniæ inveſtiturarum ſimultanearum quæ ratio?* 160
*jura.* 156.157
Priſcilliani *hiſtoria expedita.* 247
Problematis *Beaunani ſolutio.* 413
Prophetæ *cur civibus ſuis inviſi?* 86
*vera revelatione Divina gaviſi.* 371
*num melancholici omnes fuerint?* 372
*num non niſi vehementi imaginatione occupati futura prædixerint?* 372


Pul-

Pulmonalium *vaſorum per tuſſim ejectio nulla.* 16
Pulverum *teſtaceorum uſus.* 331
Purgantium *laus.* 550
Pylori *circulus carneus accurate illum occludens.* 519
QUadratura *figurarum curvilinearum per transpoſitionem.* 113
*circuli.* 410
Quakeri *oppugnati.* 391
Quakeriſmi *in Anglia origo.* 393
Quakeriſmus *confutatus.* 17
*unde incrementa ceperit?* 18
Quakerorum, *quod jactant, lumen quale?* 19
*tremor unde?* 21. 23. 394
*infallibilitas exploſa.* 392
*diſſidia inteſtina.* 393
Quantitas *motus quid ſit?* 1
Quantum *num ſit diviſibile in infinitum?* 323
RAdiorum *lucis curvatura in medio continue difformi.* 203. 208
Radius *circuli oſculatoris qualis ſit in flexu contrario?* 411
Ragotſii *Tranſylvaniæ Principis infelices adverſus Polonos conatus.* 187
*Supra* Rationem & *contra rationem eſſe, quomodo differant?* 445. 447
Rationis *judicium in rebus Theologicis quanti?* 63
*uſus in rebus ad fidem pertinentibus.* 448
Ratio *num Scripturæ repugnet?* 343
*humana num menſura & canon veritatis?* 445. 446. 447
Refractio *inſolita Solis.* 92
Regnum *Chriſti quale?* 111
Regum *poteſtas circa ſacra.* 200
Religio *naturalis num olim obtinuerit?* 367
*num Gentilibus ſalvandis ſuffecerit?* 368
*De* Religione *controverſiæ quomodo examinandæ?* 195
Religionis *cauſa num Principi obſequium renunciare liceat?* 362
*Indifferentiſmus exploſus.* 369
*libertas quouſque extendenda?* 426. 430
*evidentia qualis?* 432
*cura quatenus ad ſummos Imperantes ſpectet?* 467
*libertas quomodo conſtringi ab Imperantibus poſſit?* 468
*Chriſtianæ libertas in China permiſſa.* 491
*capita ex mente Latitudinariorum.* 494. 495
*excellentia.* 78
Religionum *conciliatio periculoſa.* 82
Ren *monſtroſus.* 332

Revelationes *Divinæ num Gentilibus etiam obtigerint?* 370
Rheumatiſmo *acida remedia convenientiora.* 556
Romana *Eccleſia oppugnata.* 264
*propugnata.* 272
Romanæ *Eccleſiæ veritas propugnata.* 274. 279
*antiquitas.* 275
*apoſtaſia negata,* 275
Romanarum *Antiquitatum Theſaurus J. G. Grævii.* 439
Romani *civis character.* 79
Romanorum *Pontificum infallibilitas oppugnata.* 265
*propugnata.* 276
Sacerdotia *apud Gentes plures hæreditaria.* 490
*A* Sacerdotio *excluſi aliqua corporis parte mutili.* 490
Salis *coquendi ratio promota.* 398
Salmaſius *notatus.* 226
Sandius (*Chriſtophorus*) *notatus.* 300
*De* Sanguine *Chriſti Diſſertatiuncula J. F. Kœberi.* 503
Sanguinis *Chriſti reliquiæ ſub examen vocatæ.* 503. 504
*humani Hiſtoria promiſſa.* 557
Sanguis *materia lactis.* 322
Sari *Chaldæis quid?* 171
Saurinum *inter & Jurium controverſia.* 55
Scaliger (*Joſephus*) *notatus.* 9. 246
Scapi *columnæ contractio.* 51
Scepticismi *accuſata Eccleſia Romana.* 264
Scepticismus *impugnatus.* 430. 432
Schall (*Joannis Adami*) *in China fata.* 492
Schottus (*Andreas*) *notatus.* 245
Scientia *infiniti promiſſa.* 137
Scioppius (*Gaſpar*) *notatus.* 308
Scorbuti *origo.* 550
*ſymptomata unde?* 555
Scotiæ *Reges num homagium olim Angliæ Regibus præſtiterint?* 400
Scribæ *qui & quales apud diverſos populos fuerint?* 89
Scriptura *S. num Traditionum adminiculo indigeat?* 34
*num rationi repugnet?* 343
Scripturæ *S. Divinitas quomodo ex characteribus ejus internis probari queat?* 355. 359
*quomodo ex teſtimonio & operatione Spiritus S. innoteſcat?* 355. 357
*evidentia aſſerta.* 355. 359
*Ex* Scriptura *S. Veteris Teſtamenti multarum fabularum nata olim Gentilibus occaſio.* 489. 490
Scripturæ *S. verſiones Gallicæ, inprimis Genevenſis, reprehenſæ.* 228

ver-

*verſionis novæ Lineamenta.* 227
*auctoritas quomodo ex teſtimonio Eccleſiæ, Eccleſia viciſſim ex Scriptura probari poſſit?* 279. 281
Scripturæ *S. loca illuſtrata.*
*Gen. III.* 8. 376
*IV.* 7. 230
*XI.* 1. 229
*XLI.* 4. 6
*Exod.*
*III.* 2. 424
*IV.* 16. 425
*VI.* 3. 425
*VIII.* 26. 426
*IX.* 31. 317
*XVII.* 6. 489
*Num.*
*XI.* 15. 319
*XXIV.* 1. 489
*Deuter.*
*XXI.* 11. *ſqq.* 232
*Jud.*
*XV.* 19. 231
2. *Reg.*
*V.* 18. 232
*Pſalm.*
*LXXII.* 1. 111
*Eſai.*
*XIII.* 10. 228
*XXIV.* 17. 18. 348
*Ezech.*
*XX.* 25. 230
*Hoſ.*
*XIII.* 6. 318
*Malach.*
*I.* 10. 11. 370
*Matth.*
*XI.* 20. 288
*XVI.* 18. 197. 273
*XXII.* 19. 227
*XXIII.* 2. 3. 195
*XXVI.* 17. *ſqq.* 88
53. 70
75. 73
*XXVII.* 2. 73
9. 73
*XXVIII.* 19. 37. 195
*Marc.*
*X.* 14. 36
*XIV.* 12. *ſqq.* 80
41. 70
51. 71
62. 72
71. 72. 73
*XVI.* 15. 37
*Luc.*
*III.* 2. 70
*XIV.* 26. 67
*XXII.* 7. *ſqq.* 80
31. 68
39. 68
44. 70
*Job.*
*I.* 1. 339
*III.* 5. 41. 42
*XVII.* 9. 286
*XVIII.* 1. 69
13. 70
24. 71

*Act.*

*Act.*
*I.* *18.* 73
*IV.* *6.* 70
*XV.* *28.* 195
*XVIII.* 12. 245
XXIII. 5. 72
*Rom.*
*IX.* 13. 286
*X.* 14. 290
*1. Cor.*
*II.* 14. 358
*IV.* 7. 287
*Eph.*
*V.* 26. 40
*Gal.*
*V.* 24. 37
*1. Tim.*
*II.* 14. 228
*1. Joh.*
*V.* 7. 192
*Hebr.*
*XI.* 1. 60. 357
*Apoc.*
*VI.* 1. *ſqq.* 86
*VII.* 1. *ſqq.* 87
*VIII.* 1. *ſqq.* 87
*XXII.* 18. 228

Seeſtedii (*Hannibalis*) *in Cornificium Ulfeldium dolus.* 190
Semina *plantarum quænam in aqua emollienda?* 548
Seminis *maſculini vermiculi an fœtus materiam conſtituant, dubitatur.* 330
Seneca *emendatus.* 238
Senſus *quomodo falli poſſint?* 431
Septi *narium membrana duplex.* 385
Sepulturæ *apud Græcos ritus.* 54
Serapia *quo tempore apud Ægyptios celebrata?* 10
Serapis *non alius quam Joſephus Patriarcha.* 7
Sfondrati (*Cæleſtini Cardinalis*) *ſcripta edita & inedita.* 281
Simonis (*Richardi*) *Critica Novi Teſtamenti refutata.* 33
Sindon *Marci XIV. 51. quale veſtimenti genus?* 71
Sinenſium *Chronologia fabuloſa.* 172
Sinicæ *literæ cum Hebraicis comparatæ.* 314. 315
Smaragdina *Tabula Hermetis.* 180
Sociniani *ditione Norica pulſi.* 146
Socinianorum *cum Latitudinariis comparatio.* 58
*A* Sole *cometæ caleſiunt.* 540
Soliditatis *origo.* 2
Solidum *æquale ſphæroidi oblongo & depreſſo quomodo inveniendum?* 114
Sol *inocciduus.* 91
Solis *refractio inſolita.* 92
Sorabicæ *linguæ origines.* 96
Spanhemii (*Ezechielis*) *de Veſta & Prytanibus Græcorum Diatriba auctior edita.* 441
Spartianus *emendatus.* 246
Specus *ſubterranei quomodo orti?* 545

Spelmannus (*Henricus*) *notatus.* 32
Sphæroides *tellus unde?* 543
Spinoza *refutatus.* 175. 176
Spiritus *S. quomodo fidem in credentibus gignat?* 357
Sponſiones *quam vim habeant obligandi?* 65
*num citra conſcientiæ læſionem fieri posſint?* 65
Stellæ *fixæ cur non minuantur?* 3
*in hexaëmero creationis Moſaicæ ſactæ.* 536
Stigmatum *varia genera.* 89
Stylus *Moſis in recenſenda creatione.* 536
Succesſionis *Feudalis quæ ratio?* 157. 160
Succi *nervei exiſtentia demonſtrata.* 510
Sudor *Chriſti ſanguineus qualis?* 69
Sudorifera *quando non adhibenda?* 550
Sueciæ *Regibus Epiſcoporum nimia potentia damnoſa.* 99
Sueciam *ad Romanam Religionem reducendi conatus.* 82
Suecici *Regni vicisſitudines.* 98
Suecorum *in Polonos bellum.* 185
Suecos *inter ac Danos bellorum hiſtoria.* 101
Suidas *emendatus.* 238
Symboli *Apoſtolici ſuccesſiva incrementa.* 196
*Hieroſolymitani antiquitas aſſerta.* 507
Symbolum, *quod vocant, Apoſtolicum, privatum fuit Eccleſiæ Romanæ Symbolum.* 507
Synagogæ *etiam in vicis exſtructæ.* 349
Synedria *apud Judæos quando cœperint?* 177
Synodorum *in Fœderato Belgio multus uſus.* 55

TAmajus (*Joannes*) *fraudis poſtulatus.* 300
Tangentes *ducendi methodus.* 138
Tarnoviæ *latitudo.* 92
*longitudo.* 93
Tarſeorum *nummus explicatus.* 44
Teleſcopia *ex magnis lentibus conſtruenda.* 419
Tellinæ *faſciatæ Anatome.* 328
Telluris *excentricitas an minuatur?* 4
*theoria nova.* 535
*formatio.* 542
*primævæ maria minora hodiernis.* 542
*ſtatus.* 543
*orbita circularis ante lapſum.* 543
*vertigo diurna quando inceperit?* 543
*fisſuræ unde?* 543
Tellus *num diurno motu ſemper mota fuerit?* 541
*olim cometa.* 541
*ſphæroides unde?* 543

Templi *Hieroſolymitani ichnographia.* 449

Templorum *ſacraria apud Gentiles.* 490

Terebinthinæ *olei vis ſtiptica inſignis.* 319

Termini *Scholaſtici num e S. Theologia eliminandi?* 59

Terminorum *Scholaſticorum in Theologia uſus.* 335

Terræ *motus explicatus.* 3

*calor internus unde?* 542

*conflagrationis cauſa centralis ignis.* 545

*conflagratio quomodo futura?* 545

*ſtatus poſt conflagrationem.* 546

*motus ex fermentatione orti.* 5

Terra *primæva non multum diverſa a noſtra.* 543

*ante-diluviana quomodo perdita, quoad uſus noſtros?* 544

*in Cometam mutanda.* 546

Teſtaceorum *animalium exuviæ cur nobis in terra occurrant?* 545

*pulverum uſus.* 331

Teſtamentum *Caroli M. illuſtratum.* 420

Teſtarum *conchyliorum cum lapidibus convenientia.* 331

*fabrica & natura.* 330

*foſſilium quot dentur genera?* 331

*In* Teſticulis *vaſculorum ſeminalium exortus.* 519

האב *quid ſignificet?* 318

Theodoſii *Imperatoris Aula ſancta deſcripta.* 123

Theologiæ *ſyſtema ſub ſchemate doctrinæ JCtorum de Teſtamentis.* 319

*Compendium Sebaſtiani Schmidii.* 436

Theologia *Gentilium exploſa.* 368

Theologica *dogmata expreſſis verbis non tradita, recte per conſequentias ſtabiliuntur.* 36

Thuani (*Jac. Auguſti*) *Elogia doctorum hominum.* 90

*In* Thunni *oculo ſubrubra glandula.* 510

Tillotſon (*Joannes*) *defenſus.* 362

Tincal *quale ſal?* 331

Tinctoriam *artem Chriſtus exercuiſſe Perſis creditur.* 522

Tolandus (*Joannes*) *auctor libri de Chriſtianiſmo nihil myſterii habente refutatus.* 442

Toſtati (*Alphonſi*) *ingenium & ſcripta.* 305

Traditiones *Apoſtolorum vindicatæ.* 523

Traditionis *quæ auctoritas in controverſiis Fidei?* 193

Traditionum *incertitudo.* 265

Traditio *num Scripturam S. ſuppleat?* 34

Tranſpiratio *inſenſibilis impedita, morbo-*

*morborum cauſa.* 549
Tremor *Quakerorum unde?* 21. 23
Triglyphorum *diſtribuendorum ratio.* 51
*S.* Trinitas *num Patribus Nicænis recte intellecta?* 334. 335
*evidens eſt evidentia teſtimonii, non evidentia objecti.* 337
*S. S.* Trinitatis *in Deitate ratio ex mente Latitudinariorum.* 496
Tritheiſmo *num Patres Poſt-Nicæni fuerint addicti?* 62
*Nicæni & Poſt-Nicæni fuerint addicti?* 334
Tritheiſmus *a Polytheiſmo Gentilium diſtinctus.* 342
Tritheitarum *hæreſis unde orta?* 62
Trithemius *illuſtratus.* 248
Tuliparum *commercium & pretium enorme.* 548
Tunica *veſiculæ felleæ glanduloſa.* 15. 17
*allantoides ſeu urinaria fœtui humano vindicata.* 519
Turcæ *Chriſtum crucifixum fuiſſe negant.* 522
Tutelæ *Feudalis ratio.* 157. 158
Tympani *membranæ arteriolæ.* 386
*membrana ex tribus conſtat cancellis.* 386
*In* Tympani *membrana hiatus.* 519
Tympanitidis *curatio.* 556
Typographorum *errata librorum auctoribus ſæpe fraudi ſunt.* 144
Tzetzes *notatus.* 42
VAriolas *curandi methodus.* 555
*In* Variolis *num diaphoretica uſui ſint?* 555
Vaſallorum *ſervitia judicialia.* 152
Vaſallum *inter & Dominum obligatio qualis?* 151
Vaſconcellorum *de Figueredo (Antonii & Scipionis) geſta pro Antonio Luſitaniæ Rege.* 134
Vaſculorum *ſeminalium in teſticulis exortus.* 519
Vaſorum *pulmonalium per tusſim ejectio nulla.* 16
Vas *peculiare uterum vaccæ perreptans.* 514
Venæ *bronchialis nulla necesſitas.* 16
*umbilicalis in fœtu humano arteriæ & lymphæ-ductus.* 15
Venatio *Judæis recepta.* 348
Veneta *Bibliotheca expilata.* 145
Venetæ *Reipublicæ Hiſtoria.* 133
Venetorum *Ducum Hiſtoria.* 94
Ventorum *cauſa ordinaria.* 5
Veritas *num certo ab hominibus cognoſci posſit?* 430. 431
Veritatis *regula num humana ratio?* 445. 446. 447
*infinitas.* 446. 447
Vermiculi *ſeminis maſculini qualia animalcula?* 330
Verſiones *S. Scripturæ Gallicæ, imprimis Genevenſis, reprehenſæ.* 228

*litera nimis inhærentes ineptæ.* 229
Verſionis *novæ S. Scripturæ Lineamenta.* 227
Veſiculæ *felleæ tunica glanduloſa.* 15. 17
Vigilantius *Hiſpanusne an Gallus natione fuerit?* 249
Ulfeldi (*Cornificii*) *fata.* 190
Umbilicalis *ligamenti in homine adulto arteria & lymphæ-ductus.* 15
*venæ in fœtu humano arteria & lymphæ-ductus.* 15
Univerſi *creatio an a Moſe deſcripta?* 535
Vocatio *Miniſtrorum Eccleſiæ penes quos?* 324
Voluntatis *Divinæ in antecedentem & conſequentem diſtinctio explicata.* 282. 287
*universalis efficacia explicata.* 283 288
Voluntatis, *non intellectus, operatio eſt judicium.* 443
Voſſii (*Gerhardi Johannis*) *Hiſtoria Pelagiana ſuppleta.* 226
Voſſius (*Iſaacus*) *notatus.* 142
Ureteres *in cadavere virili aliquando quatuor.* 519
Urim & *Thumim quid?* 426
Uſurpatio *num actibus legitimis accenſenda?* 75
WEidenfeld (*Jo. Segeri*) *de Secretis Adeptorum liber.* 181
Wettinenſium *Comitum origines & ſucceſſiones.* 531
*De H.* Whartoni *Anglia Sacra judicium.* 28
Wilhelmi *Principis Auriaci in Angliæ ſolium evecti hiſtoria.* 460
XImenez (*Roderici*) *Chronicon autori vindicatum.* 302
Xiphiæ *piſcis Anatome.* 509
ZAbiorum *gens nulla.* 375
Zaphnath-Pahaneach *nomen Joſephi Patriarchæ.* 6
Zutphanienſes *viri clari.* 85

# ERRATA.

In Actis A. 1696. pag. 118. lin. 25. pro *Canonici Regularis* lege *ex Clericis Regularibus, vulgo Theatinis.* In Actis hujus anni pag. 49. lin. ult. lege *indignitatem.* Pag. 50. l. 1. pro *Gothofredus* lege *Georgius.* Pag. 366. l. 7. pro *fratribus Knauthiis*, lege *Fratri ipſius & Knauthio.* Pag. 391. l. 17. pro *quos* lege *quæ.*

# ACTA ERUDITORUM ANNO M DC XCVIII publicata.

*Cum S. Cæſareæ & Regiæ Polonicæ Majeſtatum privilegiis.*

---

*LIPSIÆ.*

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes & JOH. THOM. FRITSCHIUM.

---

Typis JOHANNIS GEORGII.
M DC XCVIII.

Digitized by Google

# ACTA ERUDITORUM

## Publicata Lipſiæ

*Calendis Januarii, Anno M DC XCVIII.*

---

### *PRÆNOTIONES MYSTAGOGICÆ EX JURE CANONICO, Auctore NICOLAO COMNENO PAPADOPOLI Cretenſi, Abbate S. Zenobii, S. Theol. Philoſ. ac J. U. D. & in Academia Patavina Canonum Sacrorum Interprete,*

Patavii, ex typographia Seminarij, 1697. in fol.
Conſtat Alphab. $5\frac{1}{2}$.

NAtione Græcus eſt, ſed inter Romanæ tamen Eccleſiæ addictos vitam agit Auctor hic clariſſimus, qui totus in eo occupatur, ut demonſtret, Eccleſiam orthodoxam Græcam a Latina nec in moribus abire, nec in fidei capitibus uſpiam recedere. Et Opere quidem immani, ceu ipſe vocat, typiſque jam parato, uberius ſe declaraſſe iſtud refert, cujus heic præludia velut exhibeat, nondum ad fidei dogmata perrecturus, ſed ritus ac jura, quæ ad ſacros ſpectent Ordines, inque Eccleſia Græca eodem, quo in Latina, modo obtineant, expoſiturus. Non negat, magnum Eccleſiæ Græcæ odium conflatum ab iis, quos paſſim ſub Photianorum nomine ſugillat; nec mores aliquos per Antiſtitum negligentiam hoc ſeculo corruptos fuiſſe inficiatur; & Maximum præ cæteris Margunium, Cythereum Epiſcopum, accuſat, quod edito Nomo-Canone ſuo noviſſimo omnia corruperit, ut Latinos, quos erga ſe munificos minime expertus odio habuerit, Græciæ ſuæ, Photianæ nimirum, deteſtabiles redderet; id quod mox Georgius Coresſius, Chius Medicus, magiſtro deterior, additis ad Synopſin Nili Rhodii abſurdiſſimis notulis fuerit proſecutus. Præcipua igitur Marguniani Nomo-Canonis capita palam inſectari Noſter ſtudet, ac quamvis de moribus agere primarius in opere hoc ſcopus ſit, non raro tamen ad quædam dogmata ſimul excurrit, & cum Margunio Coresſium quoque, imo & Photianos in uni-

univerſum omnes acriter impugnat. Neque tamen adhuc ipſos Ordines ſacros aggreditur, ſed in iis ſubſiſtit, quæ iſtis,& præcipue minoribus, præmittenda ſint, totumque opus in ſex, quæ vocat, Reſponſa, quorum ſingula Meletio Tipaldo Archi-Epiſcopo & Metropolitæ Philadelphiæ, ſicut univerſa Eminentiſſimo Cardinali Albano, & Protoſebaſto Conſtantino Contacuzeno, inſcribuntur, diſpeſcit.

In *primo* de præmittendis agendiſque neceſſario ante ordinationes ſacras diſſerit, & poſtquam ab Apoſtolis quatuor præmitti ſolita ordinationibus affirmaſſet, vaticinium puta, jejunium, preces, tandemque examen vitæ & morum ordinandi, tria tantum poſteriora ab Eccleſia retenta innuit. A precibus auſpicium ſumit, eaſque ut in Latina, ſic in Græca quoque Eccleſia ante ordinationes ſemper uſurpatas legi oſtendit. Nec jejunia a Græcis tunc omiſſa probat uſque ad A.C. 915; id quod teſtimonio Theodori Metochitæ confirmat, & hoc adverſus Margunii exceptiones vindicat. Mox ad jejunium ſabbati dilabitur, & cauſas, cur interdictum iſtud fuerit, indagat. Quinimo uti ex allegatis Margunii ſententiis contrariis frequentiſſimam ad alia excurrendi occaſionem arripit, ita non mirabitur Lector, ſi cognoverit, prolixam eum heic inſerere diſputationem de precibus, jejuniis, & ſacrificiis pro mortuis, circa quæ Eccleſiam Græcam cum Latina conſpirare ait, quicquid contra Photiani actitent. Negat tamen, omnibus ea defunctis prodeſſe, ſed in illorum tantum commodum cedere exiſtimat, qui ſine lethali noxa, ſive criminum leviorum rei, ſive pœnis expiatorum criminum levibus obligati, diem ſupremum obierint; unde, quod damnatos preces nullæ juvent, colligit, & eam ob rem jactatas a nonnullis Trajani, Falconillæ, & Ethnici cujuſdam anonymi ex inferno liberationes ridet, illam maxime de Trajano Magni Gregorii precibus ab inferis redemto fabulam refutans. Damaſcenum certe orationem illam, in qua reperiatur hæc narratio, compoſuiſſe negat. Ut tamen utilitas precum & oblationum pro defunctis eo adſtruatur melius, tertium animarũ, quæ nec beatæ ſint nec damnatæ, ſtatum defendit, ac Purgatorium omnino dari aſſerit, Græcorũ ſuffragia ubique Photianis opponere allaborans. Nec digreſſionũ adhuc dum ſatis eſt; prolixe enim indulgentias quoque propugnat, eaſque in Synchoreticis Græcorum concedi, horumque aphesima ejuſdem rationis eſſe cum indulgentiis affirmat, & exempli in vicem Nicolai Myſtici Synchorochartion indul-

dulgentiam manifeſte concedens producit. Equidem Græcorum indulgentias privatim & ſigillatim ſingulis dari largitur; inde tamen impugnari haud putat Eccleſiæ Latinæ morē, quo eædem & publice & omnibus dentur, iſtaque occaſione in Jubilæis vindicandis multus eſt. Redit poſtea ad rem propoſitam, tertiumque illud, quod ante ordinationem obſervandum ſit, examen puta candidati ordinis, deſcribit, & ſub hujus Reſponſi finem nonniſi de examinante diſpicit, quem Epiſcopum eſſe debere monet, ac ad Sacerdotes examinis jus haudquaquam pertinere obſervat.

Quæ autem in Examine ipſo diſcutienda veniant, Reſponſo *ſecundo* enumerat, eaque ſub generali primum Irregularitatis nomine comprehendit, ſed poſtea paulo diſtinctius eloquitur, a digamia exorſus, quam Latinis Græciſque conſentientibus ab Ordinibus valide repellere docet; interpretativam quoque digamiam quandam contra Margunium ſtabilit, eamque ejusdem eſſe ponderis in arcendo ab Ordinibus candidato, ac priorem illam, contendit. Dehinc nonniſi legitimo toro progenitis ad Ordines aſpirare licere, & filios naturales penitus hinc jure Græco excludi innuit, plurimumque laborat in detergenda a Latinis illa, quam exiſtimat, Margunii calumnia, quod inter eorum Pontifices multi Epiſcoporum ac Sacerdotum filii, adeoque ſpurii fuerint, monetq; ante ſuſceptum a patribus ſacrum munus fuiſſe natos. Poſtea conſiderari cupit ætatē, circa quam definitū olim eſſe apud Græcos memorat, ut Hypodiaconi dignitas non niſi vigeſimo anno peracto concederetur; Diaconi miniſterium ei, qui minorem ætatem ſuperaſſet; Sacerdotium trigeſimum annum agenti; Infula vero iis tantum, qui trigeſimum quintum ætatis annum abſolviſſent. Hæc & ante & poſt Trullanam Synodum ſancte cuſtodita refert, donec per Photianiſmum negligi cœperint. Maximam vero in Eccleſiæ Græcæ conſuetudines depravationem ex notis Margunii ad Nomo-Canonem irrepſiſſe queritur: ibi enim cum decernatur, nullam ætatis in ordinationibus habendam rationem, hinc Græciam imberbes Hypodiaconos & ſemiberbes Diaconos, imo aliquando & Presbyteros pati didiciſſe profitetur. Porro ad ſtatum ordinandorum in examine reſpiciendum, ſervoſque ſacris initiandos haud venire monet, ac Coreſſium refutat, qui contrarium aſſerturus, per Ordinem liberari dixerit ſervum, ſicuti per Baptiſmum idem contingat. Negat inſuper, Ordi-

nibus ſacris initiandos eſſe illos, quibus aut nullum eccleſiaſticum beneficium ſit, aut nullum patrimonium, quandoquidem cum Latina Eccleſia Græca quoque prudenter cavere ſoleat, ne ſacra miniſteria damni quid ex Clericorum egeſtate attrahant. Corpore vitiatos a ſacris repelli, unum omnium contra Græciam univerſam inficias iviſſe Margunium commonſtrat, & vitia hæc in examine exploranda recenſet, obiter ad hiſtoriam fœminæ aliquando in Papale ſolium evectæ excurrens, eamque Græcis, ac ipſismet Photianis ignotam, quin & ab his rejectam eſſe pronunciat. Prout amentes atque energumenos ab Ordinibus ſacris arceri debere, manifeſtum putat: ita Græcos cum Latinis illiteratos merito haud mitius tractare, contra Margunium his patrocinantem evincere conatur; quin & rei Chriſtianæ perperam gnaros eodem interdicto teneri ait, unde Græci neophytos quoque ab Ordinibus repellendos autument. Certa denique ſervanda eſſe Ordinum interſtitia probat, cauſasque allegat, cur minora hæc apud Latinos, quam apud Græcos ſtatuantur. Cum nimirum Latina ſacra facilius liceat addiſcere, Græca magis difficulter, hinc apud illos minus etiam ad notitiam ſacrorum ſpatium temporis ſufficere, Græcis contra infinitam prope rerum congeriem, modumque ſacrarum precum memoriter plerumque peragendarum, plus temporis impendendum indicere arbitratur.

Reſponſum *tertium* ea, in quæ tanquam culpæ rationem habentia Examinator ante ordinationem, Græcis conſtitutionibus ita jubentibus, inquirere teneatur, denominat. Antequam tamen iſtud agere incipiat, mores prius Græcorum aliquot defendit, & inter alios hunc quoque, quod nonnunquam frumentum leviter excoquant, ut pene vix intumeſcat, & iſtud lancibus acervatim impoſitum frugibus variis reſpergant, piſis puta itidem coctis, tuſis avellanis, cortice nudatis amygdalis, malogranatorum rubentibus gemmis, uvarum paſſis globulis, aliisque ejusmodi bellariis, quod edulium Colyba nuncupent, & ea vel divorum honori, cum annalia eorum feſta remeent, vel defunctorum memoriæ, cum inſtante magnæ quadrageſimæ jejunio pro piis parentum Manibus inferias agant preceſque ſolennes concipiant, aut pro fanis egenorum turbæ diſtributa, aut ſepulcris impoſita, in Sacerdotum uſus poſtmodum ceſſura offerant. Merito quoque Græcos abhorrere docet a liquoribus per immunda ani-

animantia contaminatis; unde tales haud præter rem expiare ſueverint. Morem abſtinendi a ſuffocato & ſanguine in Eccleſia Græca diu admodum obtinuiſſe, non equidem inficiatur, aſt neminem tamen, qui contra morem iſtum fortean egerit, ideo ab Ordinibus re upulſum fuiſſe oſtendit. Propius vero ad ea accedens, quæ a culpa neutiquam aliena ſint, de eunuchis diſpicit, ac eos, quibus non ſponte cæſa virilitas, ab irregularitatis vitio excipit, indeque fruſtra Græcis Patriarchas quosdam eunuchos objici colligit; eorum enim tres, quos ſolos pro talibus agnoſcit, Ignatium, Photium & Theophylactum ſine culpa propria fuiſſe eviratos reſpondet. Talem contra, cui volenti exſecta virilitas, utique inter irregulares habendum concedit, Coreſſiumque, dum Methodium Patriarcham eunuchis annumeret famam illius iniquiſſime lædere docet. Apellas ſive circumciſos, qui inviti probrum hoc paſſi fuerint, ab Ordinibus haud arcet, licet valde in eos invehatur Margunius. Id vero non alia de cauſa ab eo fieri monet, quam ut oſtenderet, nihil habendum eſſe Chriſtianis cum Judæis commune: unde ſtatim exin occaſionem apprehendat, Græcos in Euchariſtia panes azymos adhibentes cavillandi; quos tamen defendit Noſter, ac ab ipſo Chriſto Paſcha in azymo celebratum fuiſſe probat, variasque Photianorum, & Severi imprimis, adverſus Græcorum azyma objectiones diluit. Ut nullo veniali, ita nec omni mortali peccato, ſed ſola ſeu juris ſeu facti infamia Græcos quempiam ab Ordinibus rejicere, ob crimen autem capitale omne probatum legitime excludi eodem notatos contendit, ac ſigillatim de Simoniaco & fœneratore agit, quem recipi poſſe negat, utut fœnoris patronum agere Margunius haud erubeſcat. Sodomitas iisdem æquiparat, & inceſtuoſos jure Græco ab Ordinibus removeri, contra alios id inficiantes adſtruit. Concubinarios pœnitentes admitti poſſe ſtatuit, aſt pœnitentiam viciſſim publicam inter Ordinum impedimenta collocat.

Reſponſi *quarti* auſpicia in recenſendis iis occupantur, quæ tolerari poſſint in Ordinum candidatis, quale barbæ & comæ detonſio; ubi tonſuram Clericorum receptam eſſe Græcis moribus, demonſtrat, ac Latinorum tonſuram tuetur. Gulæ quoque peccatum huc refert, & ob id quemquam ab Ordinibus jure Græco arceri, contra Coreſſium negat, & ſimul Catumſyritum ex Nilo & Nectario contrarium docere ſatagentem redarguit. Non eo uſque autem lenitatem Græcæ Ec-

cleſiæ extendere ſe admittit, ut & homicidas in Ordines aſſumant, quod nec Latini facere deprehendantur, etſi Margunius iisdem id objiciat, & Papam remittere ſolere talia facinora aſſeveret. Cumque huc delatus in poteſtatem gladii, quam Papa ſibi arroget, idem invehatur, adverſarium denuo Noſtrum experitur, quippe qui Eccleſiæ utramque poteſtatem, & ſpiritualem & temporalem, tribuendam eſſe, modis omnibus probatum dare nititur. Suppeditata homicidii definitione, ac inſtitutis mediante hac pro more ſuo variis digreſſionibus, v. g. de Tympanitis, de miraculis, quæ jactent Photiani, deque aliis, pergit ad iſtius diſtinctionem, ac prout voluntarium aliud, aliud involuntarium & caſuale, rurſusque neceſſarium aliud conſtituit, ita voluntarium ab Ordine excludere pro certo habet, uſque adeo, ut & eum, qui conſilium auxiliumque homicidæ tulerit, excludi haud dubitet, nec minus eum, qui abortum fœtus animati promoveat, eodem loco habendum exiſtimet. Eum contra, qui agat, ut fœtus inanimatus ejiciatur, ab irregularitate abſolvit, & dum ad quæſtionem Philoſophorum, quandonam fœtus animetur in utero, excurrit, opinionem quorundam Græcorum circa plures in uno homine animas late refellit. Militem recipi ad Ordines poſſe ex more in Græcia recepto ſtatuit, & a Margunio abſolute hoc negante totus abit. Circa homicidium caſuale docet, eum qui det operam rei illicitæ, ſi caſu occidat, irregularem evadere, non item operantem rei licitæ. Judicem mortis ſententiam ferentem ex jure Græco & Latino irregularem pronunciat; tametſi largiatur, non eſſe irregularem Clericum, ſi reum foro ſeculari puniendum juxta Canones tradat, aut ſi ipſe laicam jurisdictionem habens judici laico judicium ſanguinis deleget. Teſtem etiam in cauſa ſanguinis, & accuſatorem, ſi accuſationem mors rei conſequatur, quin advocatos etiam in cauſa ſanguinis ad Ordines admitti non vult; quamvis hanc non minus ac antecedentes regulas limitibus quibusdam adhuc circumſcribat. Quoad homicidium neceſſarium definit, ſi fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, excuſare iſtud ab irregularitate; minus contra ab hac excuſari eum, qui occiderit, cum poſſet fugere; nec eum, qui ad tutelam patris vel propinquorum, ipſe interim in nullo periculo conſtitutus, alterum interfecerit; nec eum, qui ob ſolam bonorum tutelam ad homicidium progreſſus fuerit. Patrem, qui filiam, & maritum, qui uxorem in adul-

dulterio deprehenſas enecarit, ad Ordines admittendos Margunius cenſuerat; ſed neutri horum acceſſum ad iſtos patere, Noſter contra ſtatuit, inque hac controverſia res ante ordinationem ſub examen vocandas conſiderare deſinit.

In Reſponſo *quinto* de Probationibus agit, præmiſſaq; illius aſſerti defenſione, quod Judex non ex ſcientia privata, ſed ſecundum allegata & probata, licet hæc illi contrarientur, judicare debeat, Epiſcopũ quoque regulariter ſtare debere probatis innuit, cum conferat Ordines, aut ab iisdem rejiciat. Poſſe tamen contingere addit, ut aliquando Epiſcopus ex privata ſcientia aliquem rejiciat, modo ea repulſa famæ rejecti damnum aliquod haud afferat; imo ſi Eccleſiæ immineat ex ordinatione cujusdam hypocritæ periculum, non eſſe attendendum, utrum rejecti fama minuatur, an ſecus. Incidenter iſtam quæſtionem ventilat: an in pœnam quoque dari poſſint Ordines? & circa ejus deciſionẽ negativæ ſententiæ calculum ſuum addit. Præcipuum igitur examinis momentum cũ in probatione ſitum ſit, hinc varias ejus definitiones ſub incudem revocat, palmariamque putat eam, qua Baldus probationem dixerit fidem veri legitimis modis atque temporibus factam cognitori cauſæ. Eam rejici ait a Margunio & Coreſſio, ſolum ideo, quod Latinorum menti videatur conſona, & inde in Vatinianum iſtud, quo uterq; horum flagret in Latinos, odium invehitur. Coreſſium ait Latinos legitimum habere Baptiſmum negaſſe, & denuo baptizandos docuiſſe, veluti qui per trinam immerſionem haud baptizent, & receptis duobus Spiritus Sancti principiis, non in triade, ſed in tetrade baptizent. Verum econtra Latinorum baptiſmum æque ac eorum de Spiritu Sancto doctrinam late Auctor vindicat. Probationes, quales nonnulli vocitent canonicas, per ignem aut aquam olim factas, in examine ordinandorum adhiberi poſſe, Coreſſius putaverat; ſed contradicentem & hoc in loco habet Noſtrum, qui iſtiusmodi probationibus & falſum ſæpe ſtatuminari, & Deum impie tentari regerit. Omnium de cætero probationum, quas attendere heic deceat, modum optimum conſtituit evidentiam; poſt quam pro firmisſima haberi poſſe adverſus Margunium & Coreſſium docet rei confeſſionem, & hanc jurejurando inſuper firmatam evidentiæ æquiparari ſtatuit. Atque hic amplam ſatis per excurſum de Euchariſtiæ forma, & adverſus Cabaſilianos diſputationem inſertam videas, nobis quidem nimiæ prolixitatis vitandæ cauſa tranſiliendam.

*Sex-*

*Sextum*, idque ultimum Reſponſum cœptam in antecedenti tractationis telam pertexit, ubi probationibus ſuperius allegatis præſumtionem Auctor addit, non temerariam quidem aut qualemcunq; ſed quã juris & de jure vocant, eaq; Epiſcopo in examine candidati Ordinum utendum maxime venire innuit. Equidem Margunium cum Photianis eam rejicere ait, ideo quam maxime, quod & Romani Pontificis ſummam poteſtatem ex præſumtione probari perhibeant. Aſt enimvero non ex hac ſola, ſed argumentis quoq; pluribus aliis, iisque non minus validis, eandem probari poſſe, & a Latinis actu probari, reſpondet, & ex inſtituto auctoritates, quas facere huc opinatur, per ſectionem integram recenſet. Famam inter probationes idoneum aliquem efficientes, locum vix obtinere ait, niſi tunc, quando aliis ſtipetur adminiculis; verum ad repulſam a ſacris Ordinibus eandem jamtum ſufficere, nihiloſecius affirmat, ac de cætero in Margunium famã aulæ Romanæ multis modis lædere annitentẽ prolixius invehitur, crimenq; præ cæteris Simoniæ ab ea removere nititur, & accuſationem hanc in Photianos retorquet. Falſum quoq; vocat, quod Margunius dixerat, ex avaritia Romanorum Pontificum matrimonia ſæpe ſolvi, & ad exemplum Henrici VIII, Angliæ Regis, provocat, cujus cũm Catharina conjugium diſſolvere Pontifex noluerit, pluraque de inſolubilitate matrimonii diſſerit. Minor excurſionum numerus apparet in allato ab Auctore novo probationis genere, quod jure Græco a teſtibus proficiſci notat, & hic quidem unum haud ſufficere, ſed duos ad minimum requiri, nec teſtimonium pro ordinandis dicere poſſe infamia facti laborantes, fœminas, excommunicatos; agnatos etiam cognatosve, familiares, amicos, parentes aſſertione ſua prodeſſe iis non poſſe, etſi non inutiliter ex iis Epiſcopi de ordinandorum indole cognoſcant, obſervat. Teſtimonium Confeſſarii ad initium Ordinis requirere quidem Margunium & alios, e propriis illorum verbis probat, aſt pro corruptela Photiana & hoc agnoſcit, Sacerdotemque, qui ſit a confeſſionibus, neque pro ſpirituali ſuo filio, neque contra eum dicere teſtimonium valere arbitratur, inter alia hoc urgens, quod Sacerdos talis ſæpe ex ipſius ordinandi de ſe teſtimonio in ejus laudem quædam proferat, nemo autem ſeipſum commendare valeat. Equidem Margunium provocare ait ad quandam apparitionem

tionem monachi in monte Atho, qui nunciaverit poſt mortem rediens, ſe non potuiſſe ingredi ſinum ſanctorum Patrum, qui expectent ſine dolore in loco refrigerii beatitatem extra Paradiſum & conſpectum Dei, eam ſolum ab cauſam, quod ſacris initiatus citra confeſſarii teſtimonium fuerit. Sed fabuloſum hoc commentum facit Noſter, cumque ex eodem novum quoque conſectarium elicuerit Margunius, Sanctos demortuos nimirum haud videre Deum, & huic proin dogmati Latinos immerito refragari dixerit; hinc non Latinos ſolum, ſed univerſam quoque Græciam a Margunio diſſidere, & hanc conſtantem Latinorum Græcorumque, & plurimorum ex ipſismet Photianis fidem eſſe regerit, quod piorum animæ ab omni corporis contagione ſolutæ Beatorum adſcribantur ordinibus, choris Angelorum interſint, conſpectu adorandæ Divinitatis fruantur, totiusque beatitatis, cujus capax ſit animus a corpore ſeparatus, compotes reddantur.

Hæc ſumma eſt præſentis nec ineruditi operis, quod longe majus excipiet. Equidem de ipſis theſibus hucusque enarratis, inſtituti noſtri memores, judicium nobis nullum ſumimus, iſtud tamen aſſeverantes, nihil aut probari aut refutari ab Auctore, quod lectiſſimis ex hiſtoria eccleſiaſtica, & Græciæ imprimis ſuæ, lemmatibus haud illuſtrarit.

## Gedächtnüßhülfliche Bilder-Luſt der merckwürdigſten Welt-Geſchichten aller zeiten ꝛc.

Hoc eſt:

## *SCULPTURA HISTORIARUM ET TEMPORUM MEmoratrix.*

Norimbergæ, apud Joannem Danielem Tauberum, *1697*, in fol.
Conſtat Alphab. 5. plag. 3. & plagulis figurarum
ænearum *24*.

POſt tot Scriptores alios, qui memoriam ſtudioſorum hiſtoriæ diverſis juvare ſubſidiis allaborarunt, novam excogitavit methodum præſentis libri Auctor, *GREGORIUS ANDREAS SCHMIDIUS*, Juris utriusque Doctor, & Illuſtri Reipublicæ Norimbergenſi a conſiliis, qui ſuperiori anno, cum breve iter ſuſcepiſſet, ab equis ferocientibus rheda excuſſus, immaturo fato obiit. Quo minus tamen inventum hoc illius utiliſſimum intercideret, ſoliciti de publico bono Chriſtophorus Weigelius, ſculptor Ratisbonenſis, & Norimbergen-

ſis editor modo nominatus Tauberus curarunt, opusque hoc nitidiſſima facie indutum poſt inventoris mortem in lucem emiſerunt. Eo autem hic imprimis reſpexerat, ut hiſtoriæ univerſalis momenta præcipua, juxta ſeriem a mundo condito ad noſtra uſque tempora, figuris æneis expreſſa ita oculis exponeret, ut tanto facilius conſtantiusque memoriæ infigi poſſent. Habent itaque hic ſinguli annorum millenarii, & quatuor inſuper poſtremorum millenariorum ſingula ſecula ſingulas Tabulas, in duodecim areolas quaterna ſerie diſpoſitas. Harum ſupremæ ſiniſtimæ, millenarii; dextimæ, ſeculi illius millenarii numerus inſcriptus eſt: reliquas areolas ordine, a ſerie ſumma ad imam & a ſiniſtra ſerierum ad dextram obſervato, occupant hiſtoriæ, quæ ſingula ſecula, aut annorum decades, Autoris judicio, maxime inſigniverunt; ſubſcripta unicuique Latina epigraphe, hiſtoriæ depictæ indice. Præter has Tabulas, quatuor ultimis millenariis ſingulis præmiſſæ ſunt peculiares, quarum areolæ uno velut obtutu hiſtoriarum ſummaria exhibent, quæ per ſingula chiliadis cujusque ſecula, annorumque in his decades, contigere; ſequentium poſtea Tabularum picturis conſpicuæ. Utque tanto diſtinctiorem faceret temporum, ad quæ quarumque areolarum hiſtoriæ pertinent, cognitionem, harum perimetros angulorum ſuorum numero, ſeculi, ad quod referendæ ſunt, numerum referre voluit; circulari peripheria primi cujusque ſeculi areolis attributa. Sed & annum decadis, pro hiſtoriis, quarum momenta eousque prodita ſunt, peculiares characteres innuunt: primum quidem Solis aut ſceptri; ſecundum aviculæ; tertium tripodis, pyramidis aut inſecti volucris; quartum canis, lapidis octangularis, aut teſſeræ luſoriæ; quintum animalis caudæ prolixioris; ſextum ſtellæ aut leporis; ſeptimum teſtudinis; octavum ſerpentum, vermiumve; nonum florum; decimum globi, bullæ, pomorum aut fructuum ſimilis figuræ imagines, areolarum tincturis appoſitæ. Exempli cauſa, Eglonis Moabitarum Regis ab Ehude patrata cædes invenitur in tabula millenarii tertii titulum referente. Figura ejus eſt ſexangularis,&locum medium in ſerie ſecunda occupat,ac circa illam Soles quatuor comparent. Quæ indicio ſunt, contigiſſe facinus millenarii tertii ſeculo ſexto, hujusque anno primo, hoc eſt A. M. 2551. Sic areola quinquangularis tranſitum Xerxis in Europam, millenario quarto currente, ſiſtens, in infima ſerie locum ſiniſtimum tenens,

tenens, pomisque exornata, eidem Annum M. 3480 vindicat. Ne tamen ſolo picturarum adſpectu oculos paſcere voluiſſe Autor cenſeri poſſit, non ſolum hiſtoriarum iconismis repræſentatarum, ſed & ſynchronarum aliarum uberiorem enarrationem, quin univerſum hiſtoriæ a condito mundo ad noſtram usque ætatem contextæ recenſum, operis hujus partem non poſtremam eſſe voluit. Diſcurſus vero tres, Chronologiæ ordinationem, regnorum præcipuorum ac quatuor imprimis monarchiarum origines, idololatriæ item ortum, fabularumque Poeticarum ſenſum complexos, qui exordium ſunt libri, B. Auctor delineare tantummodo occœpit, perficiendorum provinciam, morte inopinata præventus, alteri reliquit.

## *JO. CLERICI ARS CRITICA.*

Amſtelodami, apud Georgium Gallet, 1697. in 8. Volumina duo. Conſtant 4. alph.

CRiticum formaturus Auctor clariſſimus, non pædagogico tumentem faſtu, nec farragine quadam jejunæ eruditionis onuſtum, ſed non minus judicio utentem quam memoria, probeque gnarum, quam multa in veterum monumentis lateant nobis incognita: paulo latius extendit fines artis criticæ ac vulgo ſolent conſtitui, nec judicandi modo de Poetis facultatem, ut Euſtathius in Homerum fecit, ſed quæcunque ad intelligendos emendandosque Auctores, & ad judicium de illorum ætate, dictione, ſcriptisque ferendum faciunt, hujus artis ambitu complectitur. Quare tres illi partes ſubjicit: primam, quæ monſtrat viam & rationem diſcendarum linguarum, præſertim Latinæ, Græcæ & Hebraicæ; alteram, quæ tradit regulas interpretandi voces & locutiones; tertiam, quæ inſtruit judicium, quod de libris veterum locisque, tam genuinis, quam ſpuriis, ferri oportet. Uſum vero Critices conſpici monet in cognoſcenda hiſtoria & omni politiori literatura: proprium autem ejus munus verſari cum in vi & poteſtate verborum expendenda, ſententiaque Scriptorum indaganda; tum in depravatis locis reſtituendis, & ſuppoſititiis ſcriptis, alienave fraude interpolatis, agnoſcendis & dijudicandis.

His in Præfatione expeditis, aggreditur primam Partem; & in eo, qui ad veterum lectionem cum fructu eſt acceſſurus, requirit poſt percepta Grammaticæ elementa, aliquam Geographiæ veteris, (cujus igno-

gnorationem in Eraſmo notat) Chronologiæ, veterumque rituum atque opinionum cognitionem. Latini vero ſermonis tria notat tempora, ἀρχὴν, ἀκμὴν & παρακμὴν. In legendis Scriptoribus incipiendum eſſe ab iis præcipit, qui & in ἀκμῇ vixere linguæ, & cum argumento tum dictione ſunt faciles: veluti Phædrus, Terentius, Plautus. Inde pergendum ad Hiſtoricos, primum faciliores, Nepotem, Cæſarem, Juſtinum; deinde contiores, Livium, Saluſtium, Curtium, quorum hunc tumidiorem, illum brevitate ſtili duriorem eſſe cenſet. Hiſce jungendas Ciceronis epiſtolas ad familiares, nec non quasdam ejusdem orationes reliquis faciliores, veluti pro Archia, pro Lege Manilia, Catilinarias &c. Hiſce perceptis, Poetas demum legendos eſſe monet; ac delibata prius ex Apollodoro vel Hygino hiſtoriæ mythicæ cognitione, primum Ovidii Metamorphoſeon & Faſtorum libros, Epiſtolasque Heroidum, deinde Virgilium, Horatium, Gratium, Statium, Lucanum, cæterosque pervolutandos. Porro in ſtudio Græcæ linguæ, ſine qua Latina recte intelligi non poſſit, memoriæ mandatis nominum declinationibus verborumque inflexionibus, ſtatim accedendum ſuadet ad Scriptores ipſos legendos, non quidem Poetas, multoque minus Homerum, quod doctis quibusdam ſuperiori ſeculo viſum, ſed orationis ſolutæ. Initium adeo faciendum eſſe a Polyæni ſtrategematis, Æliani varia hiſtoria, Luciani quibusdam dialogis, Ariſtophanis comœdiis minus obſcœnis, veluti Pluto, Nubibus, Ranis, tabula Cebetis, Theophraſti characteribus: hinc pergendum ad Xenophontis libros hiſtoricos, quædam ſcripta Philoſophorum argumenti facilioris, & Herodotum; de quibus ſic judicat, multum profeciſſe in Græcis, cui Xenophon & Herodotus valde placuerint. Thucydidem quoque, licet obſcuriorem, lectu eſſe digniſſimum. His lectis, non difficiles intellectu fore Oratores Atticos; nec Platonis prætermittendam eſſe lectionem. Rerum vero & antiquitatum Græcarum cognitionem ex Ubbonis Emmii Græcia, ſcriptisque Jo. Meurſii, ad illos ſcriptores afferendam. In Poetis legendis primas deberi Homero & Heſiodo, & facillimis, niſi dialectorum alicubi obſtet varietas, & antiquiſſimis, ut, quid ſequentes ex iis hauſerint, his lectis perſpiciatur. Hinc reliquos Epicos adeundos, inprimis Apollonium Rhodium; porro Bucolicos, Moſchum, Bionem, Theocritum; demum Tragicos, Euripidem, Sophoclem, Æſchylum; omniumque poſtremum

mum Pindarum. De quibus recte qui judicare velit, eum non expertem eſſe debere artis poeticæ, quæ a Voſſio in inſtitutionibus, & Renato Boſſu in tractatu de carmine epico, rectiſſime ſit tradita. Ad Hebrææ linguæ diſcendæ rationem accedens, ejus primo neceſſitatem & uſum oſtendit, præſertim in Novi Teſtamenti libris explicandis; deinde quoniam natu grandiores ad hanc linguam diſcendam ſe conferunt, in primis ejus elementis quomodo verſandum ſit, docet; punctorum recentius inventum, nec linguæ coævum, cum Capello ſtatuit; multa vero ad legendum comparata præcepta ſecure negligi poſſe monet, quum intelligendi cauſa, non loquendi aut ſcribendi, hujus linguæ cognitio expetatur, nec a Rabbinis ipſis veram linguæ pronunciationem teneri conſtet. Syntaxin e Buxtorfii Theſauro, vel Glasſii Philologia ſacra; antiquitates & res Judæorum e Seldeni, Spenceri, Bocharti, Druſii, Capelli, Buxtorfii, aliorumque ſcriptis perdiſcendas monet. Comparandum eſſe textum Hebræum cum priſcis verſionibus, quum recentiores præjudiciis theologicis corruptas eſſe pateat. Multa vero eſſe in Hebraico ſermone, librisque adeo Veteris Teſtamenti, quæ hodie prorſus intelligi nequeant, pluribus oſtendit. De Rabbinicis ſtudiis nihil hic ſibi tradendum ſtatuit, nec de iisdem magnifice ſentit. Nam quum vel in Scriptura interpretanda, vel in Talmudica doctrina explicanda, eorum occupentur libri; in illa multo inferiores eos eſſe Chriſtianis commentatoribus, & in hac parum ab iis afferri ad Veteris Teſtamenti illuſtrationem, exiſtimat. Denique conſilia varia iis ſuggerit, qui linguis perceptis rerum cauſa Scriptores legunt; & in Poetis ab antiquisſimis, in Hiſtoricis ab iis, qui antiquisſima perſcripſerunt, initium faciendum, atque ſic ordine temporis ſervato progrediendum eſſe ſuadet: nec interrumpendum eſſe unius rei ſtudium, aut inquiſitionem prius relinquendam, quam parta notitia quam quærimus. Quotidie ergo legendum, nec ullum diem ſine linea prætermittendum; nimium multis diverſisque ſtudiis qui eodem tempore dent operam, illos confuſam quandam doctrinam aſſequi, idque Seldeni exemplo (quod an hic locum habeat, ipſi Auctori tuendum relinquimus) patere putat. Uni ergo diſciplinæ incumbendum, reliquas delibandas, memoriæ ſubveniendum excerptis, quorum optimam methodum a ſe in Bibliotheca Univerſ. tom. 2. traditam affirmat. Denique notat Salmaſii rationem ſtudiorum, qui omnia

veterum monumenta ſecundum ætates diſtributa, ab antiquisſimis initio facto, evolverit; verum nec cuivis hanc imitandam eſſe, nec ipſi forte Salmaſio ſatis ſucceſſiſſe, exiſtimat.

Parti ſecundæ, quæ in vi & poteſtate vocum ac phraſium indaganda verſatur, præmittit notionum & vocum in ſeptem claſſes diſtincta genera: ita ut notiones ſint (1) vel ſimplices vel compoſitæ, (2) aliæ ſubſtantiarum, aliæ modorum, (3) aliæ relationum, (4) concretæ vel abſtractæ, (5) univerſales vel particulares vel ſingulares, (6) claræ vel obſcuræ, (7) adæquatæ vel inadæquatæ. De quibus ſingulis priusquam agit, generales interpretationis regulas tradit, quarum potiores hæ ſunt: (1) Linguas ſibi invicem exacte non reſpondere, nec vim & gratiam orationis in verſionibus ſervari poſſe; quod Gallica interpretatione Platonis & Terentii fuſe demonſtrat. (2) Voces diverſarum linguarum, quæ putantur eſſe ſynonymæ, ſæpe non prorſus idem ſignificare: quod exemplo nominum *Elohim*, θεός, *Deus*, oſtendit, quibus Hebræi, Græci & Romani non modo ſummum illud Numen, ſed naturas humana præſtantiores indicaverint; at vulgaribus linguis inter Chriſtianos non alium dici *Deum*, quam æternam, a qua omnia ſint condita, Naturam. (3) Fieri quoque obſervat, ut verſiones præferant emphaſim, quæ in fontibus nulla ſit; veluti *morte* vel *moriendo mori*, quod apud Hebræos ſine emphaſi eadem dicatur figura, qua apud Atticos *concionari concionem*, *conſulere conſilium*, & ſimilia. (4) Porro in omnibus linguis multa occurrere ambigua, quibus diverſa notione utantur Scriptores, ſeu linguæ coacti inopia, ſeu inſcitia proprii ſermonis. Ambiguorum ſenſum in translatis venandum eſſe ex ratione ſimilitudinis, quam in transferendo ſecutus eſt Scriptor, veluti in voce *foederis* & *teſtamenti*: nonnunquam ex vocibus adjectis innoteſcere ambiguæ vocis ſermonem; ſic vocem *ſpiritus* diverſis in locis varias induere ſignificationes, quarum ſedecim Auctor enumerat. (5) Quin & ejusdem vocis ſignificationes nunc ampliores eſſe, nunc reſtrictiores; id quod vocabulis *juſtitiæ* & *caritatis* declarat. (6) Nec propriam vocum ſignificationem cum translata eſſe confundendam: veluti quum in loco Paulino Gal. IV. 8. τοὺς μὴ φύσει θεοὺς Grotius interpretatur, *qui re ipſa non ſunt Dii*; at ex propria vocum vi, *natura* non eſſe *revera* vel *re ipſa*, ſed opponi ei quod eſt ex hominum inſtituto vel opinione. Similia in vocibus, *mortales*, *ſanctus*, obſervat. (7) Plurimis vocibus

cibus obſcuras admodum notiones eſſe ſubjectas, quarum videlicet clara & diſtincta notio ne ipſis quidem illarum auctoribus fuerit obverſata: veluti nomina quædam divinitatum a Gentibus cultarum, aut vocabula philoſophiæ Ariſtotelicæ, præſertim in phyſicis, nec non vocabulum *gratiæ* ab Auguſtino & Janſeniſtis crebro uſurpatum. (8) Nonnullas etiam voces nil niſi inanes ſonos eſſe, quibus homines putent ſe aliquid dicere, quum revera nihil dicant: veluti quum *fortunam* aut *caſum* nominent. (9) Eſſe præterea in omnibus linguis locutiones, quas vocant, anomalas; non tam quod a regulis grammaticis abeant, quam quod, ſi verbis inſiſtas, vel obſcurum vel non ſatis idoneum ſenſum pariant: ut cum Livius *vates avibus extisque conſultos* dicit, quum hi potius Deos per exta & aves conſulerent; & quum Græci dicunt *νικᾷν πόλεμον, δίκην φεύγειν*, & hujusmodi alia. (10) Hujusmodi autem *ἀκυρολογίας* nec tropis nec figurato ſermoni accenſendas, multo minus in exemplum trahendas eſſe monet, quod in ſimili genere ſequamur: neque enim arte & virtute quadam, ut tropi & ſchemata adhibentur, ſed ſcriptorum negligentia ejusmodi *ἄκυρα* in oratione naſci. (11) In multis autem verborum conſtructionem ita eſſe comparatam obſervat, ut varie exponi poſſint: quod ſæpius contingat in conjunctione duorum ſubſtantivorum, quorum alterum eſt in genitivo, ubi diverſæ relationes, quas enumerat, locum inveniunt. (12) Inprimis ad intelligendum ſcriptorem afferendam eſſe notitiam opinionum & conſuetudinum, quæ illo ævo inter populares ſcriptoris viguerunt; ut quum voce *τρέχειν currere* apud Apoſtolum Rom. IX, 16. aliosque ſcriptores, ad Græcorum ludos reſpicitur. Solere autem ſcriptores opiniones eorum, de quibus loquuntur, & res geſtas exprimere plerumque verbis & phraſibus ſuo ævo uſitatis, & apud gentem, cujus lingua utuntur, receptis, non habita ratione ſermonis eorum, de quibus ſcribunt: ut quum Philiſtæorum rex 1. Sam. XXIX, *6*. fertur juraſſe per *Jehovah*, Hebræo more; aut quum Tacitus Lib. V. Hiſt. cap. 13. narrat, Hieroſolymis auditam vocem humana majorem, *excedere Deos*, etſi apud Judæos *πολυθεότης* fuerit ignorata. (13) Inter ſectas porro diverſas non raro evenire, ut, qui verbis conveniant, ſententia diſcrepent, aut ut eadem ſecta retentis vocabulis a majorum doctrina diſceſſerit. Sic de Trinitate Platonicos eadem videri dicere, quæ Chriſtiani, at non eadem ſentire. (14) Inprimis oratorium figuratumque ſti-

ſtilum obſtare, & ornatum orationis prohibere, quo minus veritas liquido poſſit agnoſci, multaque figuris exornata perſuaderi poſſe, quæ proprio ſermone expoſita nunquam probarentur. Hinc ſubjicit Hiſtoriam Rhetoricæ, hoc eſt, ſtudiorum Rhetoricorum originem, progreſſum, genera, incrementum, & abuſum: qualem eſſe putat, quod his ſtudiis imbuti ſcriptores eccleſiaſtici nimium figurato ſtilo indulſerint, & Declamatores ferme ubique egerint, idcirco Hieronymi aliorumque Patrum notati cenſura.

Traditis interpretandi regulis generalibus, perſequitur vocum & notionum ſeptem diſcrimina antea propoſita; & *ſimplicium* notionum nomina appellat, quibus exprimere nitimur id, quod fit in nobis, quum ſenſus noſtri re quapiam, quæ illis objecta eſt, ſunt affecti: veluti nomina colorum, (cærulei, de quo multa exempla profert) boni, grati, jucundi, pulchri, in auditu, (ubi de numero oratorio) odoratu, guſtu; qualia definiri poſſe negat, quod non conſtet, an idem alter ſentiat, quod nos, eadem licet voce utamur. At *compoſitas* eſſe notiones, in quibus variæ partes diſtingui poſſint, veluti notiones corporum, quæ ſenſu ad animum deferuntur, aut rerum incorporearum, quæ ab animo meditando effinguntur. Nomina igitur harum notionum plene intelligi non poſſe, niſi partibus omnibus perſpectis, ex quibus notio eſt compoſita. Porro, *ſubſtantiam*, hoc eſt, naturam quæ per ſe eſt & cui inſunt qualitates ſeu modi, a modis ſejunctam non poſſe cognoſci, unde & nomina ſubſtantiarum ſint obſcuriſſima, e. g. vox *Deus*, *exercitus*, *claſſis*, *urbs*. Nomina *modorum* eſſe quidem ſatis perſpicua, quæ unum aliquem modum abſtracte ſignificent, uti figuræ geometricæ; at nomina qualitatum, quas ſenſiles dicimus, eſſe ambigua & ſignificare cum id, quod in nobis perſpicimus, tum quod eſt in corporibus ſenſus feriens. Nomina vero, quibus plures modi inter ſe complexi & conjuncti ſignificantur, eſſe valde obſcura, veluti affectuum, vitiorum & virtutum. *Relationum* nomina vocat, quibus modi ſignificantur, qui augeri minuique poſſunt, ut *longus*, *brevis*, *clarus*, *dives*, & infinita alia, in quibus haud facile definiri poteſt, quouſque procedat modus, quo ad alia referuntur hujusmodi voces. De *abſtractis* cum alia, tum hoc inprimis obſervat, iis ſæpe induci homines, ut ſeorſim exiſtere credant, quæ ſine alicujus ſubjecti notione dicuntur: hinc fieri, ut quum v. g. *ſynodum*, *patriam*, *ſenatum* abſtracte no-

nominari audimus, longe majori veneratione imbuamur, ac ſi homines, ex quibus illa conſtant, nominentur. Quæ de Synodis & Conciliis hic annotat p. 618. 619. aliis dijudicanda relinquimus. In *ſingularibus* notionibus, quum ſint compoſitæ, ſubeſſe difficultatem, num omni ex parte, an aliquatenus ſignificent: in *particularibus* pariter haud facile cognoſci, quot illi ſint, ad quos pertineat notio particularis: in *univerſalibus* quædam neceſſario interdum excipienda: quin & univerſalia particulariter, & particularia univerſaliter, aliquando ſignificare. *Obſcurarum* notionum nova hic affert exempla, & *mundus*, *immundus*, *purus*, *impurus*, *pollutus*, *profanus*, quo ſenſu dici potuerit, inquirit. Denique *adæquatas* voces dicit, quæ exacte reſpondent rei, & nec plus nec minus ſignificant: quales eſſe ſtatuit voces notionum ſimplicium abſtractas, aut rerum ab animo noſtro effictarum; contra *inadæquatas* eas, quibus indicantur ſubſtantiæ, eventa, ſermones, aliaque quæ narrantur.

Parte tertia emendandi rationem tradit, quæ pars eſt Criticæ præcipua. Originem mendorum a quatuor cauſis derivat, Librariis, Criticis, Impoſtoribus & Vetuſtate. Poſtquam autem oſtendit, non heri aut nudius tertius, ſed ex quo ſcribi cœpere libri, Ebraici æque ac Græci & Latini, in eos irrepſiſſe menda, nec ullum antiquitatis monumentum, ac ne ipſum quidem ſacrum Codicem, (quam recte id aſſeratur, judicent Theologi) ab omni corruptione & depravatione integrum ſervari potuiſſe: ſigillatim cauſas mendorum ſingulas exequitur, uti in ſuperioribus quoque fecit, exemplis cum ſacris ex veteri & novo Teſtamento, (de quibus tamen cenſuram iis relinquimus, qui theologica ſtudia tractant) tum profanis, ex utriuſque linguæ ſcriptoribus petitis, iisque vel ab aliis antea vel a ſe obſervatis, copioſe illuſtrat, criticamque ſuam εὐςοχίαν lectori approbat. Ex quibus pro inſtituti ratione unum alterumque exemplum afferre ſatis fuerit, quo ſingula mendorum genera declarentur. Et Librariorum quidem peccata vel dictanti vel ſcribenti imputanda eſſe tradit: (quamvis ſæpe unius mendi non una poſſit eſſe origo;) Dictanti quidem, (1) quod male legeret librum non optime ſcriptum; hinc apud Plinium *abjectis* pro *adjectis*, *his* pro *ſuis*, *ſancitur* pro *ſarritur*; apud Platonem ἀγροικῷ pro ἀγρευτικῇ; apud Theophraſtum ἄκοντα pro ἀκέοντα, θαυμάσας pro ἀσπάσας. (2) vel quod affines figura literas, ſimiléſque

ductus, non ſatis diſcerneret; unde in Gloſſis a Stephano, Vulcanio & Labbæo editis plurimæ mendæ: ubi obſervat, quæ literæ in MStis codd. facile miſceri & permutari ſoleant; quam partem etiam Scioppius in Arte critica, Dausquejus in libro de Orthographia, Paſſeratius in libello de literarum inter ſe cognatione & permutatione, & Canterus in Syntagmate de ratione emendandi Græcos auctores, diligenter ſunt executi. (3) vel quod omiſerit quædam, quæ erant inter eandem vocem repetitam interjecta: ſic in Theophraſti Charact. cap. 15. ſupplet voces omiſſas, & integrum locum ita conſtituit: ἡδύ γε τῶν ἄςρων φῶς, καὶ νύκτα ἄιθριαν νομίζειν, ἥντινα οἱ ἄλλοι λέγουσι μελαντέραν πίσσης. (4) vel quod male pronunciaret, permiſcens literas, quas Hebræi vocant, ejusdem organi, quod ſæpe factum in Gloſſis, & apud Arnobium *formas* pro *Phorbas*, *cumamum* pro *cubabo*, apud Juſtinum & Martialem *paludes* pro *baluces* &c. aut finem vocum non ſatis diſtincte pronuncians, ut in Gloſſis *herba ſinaria* pro *aſinaria*, in Cæſare *inferiorem partem fluminis* pro *flumini*, in Theophraſto εἰς κόπους pro εἰς σκοποὺς, in Terentio *in ſole ilignis pedibus* pro *illic ſalignis pedibus*, & *dinumeret illi Babylo* pro *dinumerent illis ab illo*; aut aſpirationem addens vel detrahens, ut in Terentio *ac nullus* pro *hac nullus*, in Plauto *ominis* pro *hominis*. (5) vel quod gloſſemata in margine ſcripta in ſeriem orationis receperit; quorum quædam veteri ſcriptioni adduntur, ut totus verſus 14. in Plauti Aulul. IV, 7; quædam ſcriptioni ejectæ ſubſtituuntur, ut in Corn. Nep. Miltiade cap. 8. pro *communitas* edidere *comitas*, quæ vox prioris eſt interpretatio. A Scribente peccari potuiſſe oſtendit, (1) dum ſcriberet quæ cogitabat, non, quæ audiebat. Indicio eſſe varias tot lectiones, in Novi Teſtamenti libris occurrentes, e quibus manifeſtum, quam ſæpe ſcribentes nonnulla omiſerint, verborum ordinem mutaverint, & ſynonyma miſcuerint, ſenſui magis quam verbis intenti: (2) dum perperam audiret parum attentus, clara licet voce legentem & recte pronunciantem; hinc apud Ciceronem *videris* pro *videtur*, *attamen* pro *ac tandem*, *judicio* pro *indicio*, *arationibus* pro *nationibus*, apud Lactantium *narinoſis* pro *araneoſis*, apud Theophraſtum ἀσπάζεσθαι pro ἱππάζεσθαι, καταισχύναι pro κατεαγέναι. (3) dum non aſſequeretur orthographiam, aut literas antiquiores; unde in Lactantio *oculis contrectari* pro *colluſtrari* legatur, quod monachi in clauſtris antiquam ſcribendi rationem

tionem ignorarint. Eſſe vero Critici munus, ut perſpectam habeat cujusque ſeculi orthographiam; & e re fore, ut characteres MStorum, e quibus eduntur veteres Scriptores, æri inciſi publicentur, quo ſagaciores Critici, quibus non eſt aditus ad MStos, perſpecta ſcribendi ratione in iis uſitata, veram lectionem his veſtigiis odorari poſſint. Porro diſtinctiones omiſſas, (quod in vetuſtiſſimis codicibus ſolenne eſt,) multa peperiſſe menda: neque tamen priſcis ſive Græcis ſive Latinis ignoratam fuiſſe interpungendi rationem, ex Ariſtotele potiſſimum & Cicerone probat. Nec minus e compendiaria ſcriptura multos in libros irrepſiſſe errores affirmat. Sic in Livio *navium virtus* pro *navalium* corrupte legi; in Stobæo ex Φιλ. quod ibi extat, a nonnullis *Philemonem*, ab aliis *Philiſtionem*, a quibusdam *Philetam* eſſe effictum; in Diogene Laertio compendii cauſa Μλιος ſcriptum Leucippum, modo Μήλιον, modo Μιλήσιον, appellatum; in Dionyſio Halicarnaſſæo Δῆμος ὁ Μάγνης vocatum legi *Demetrium Magnetem*, & *Socratem* pro *Soſicrate*. Ad compendia ſcripturæ etiam referendos numeros, non integris vocibus, ſed litteris aut notis deſcriptos, obſervat. Interdum ex mera incuria peccaſſe librarios affirmat, indeque profectas eſſe luxationes & transpoſitiones in ſcriptis veterum: quales in Hieronymi præfatione nuperi editores Benedictini, in Manilio & Virgilio Scaliger, in Horatii arte poetica Dan. Heinſius, ſibi deprehendiſſe ſint viſi. Alterum fontem mendorum ex Criticorum temeritate vel imperitia ſcaturire ait; qua Ariſtarchus, Plutarcho judice, quatuor ex Homero verſus perperam ſuſtulerit, Gellius etiam quædam in Cicerone & Virgilio corrupta annotarit, & Hieronymus in Novo Teſtamento quædam vitiata obſervarit. Ex Oroſii editione veteri Baſileenſi MSCto Genevenſi collata idem patere ait. Falſarorum quoque veſtigia in ſacris profaniſque libris deprehendi, nec Chriſtianos quosdam religioni ſibi duxiſſe pia, quam vocabant, fraude veritati ſubvenire, exemplis in Barnabæ epiſtola, & Joſepho, ipſa etiam ſacra Scriptura occurrentibus, oſtendit. Denique Vetuſtatem, quæ omnia abſumit, libris inducere lacunas, & multas voces mutilare, annotat. Apelliconem in corruptis ſitu Ariſtotelis & Theophraſti operibus reſtituendis & explendis operam ſic poſuiſſe, ex Strabone narrat: in Clementis epiſtola Patricium Junium ſimile ſtudium literarum vetuſtate exeſarum ſupplendarum adhibuiſſe notat: ipſe in Cice-

ronis quibusdam locis, & Pſalmorum verſiculis nonnullis, idem tentat. His mendorum generibus expoſitis, ſeptem ſubjicit emendandi leges, ſecundum quas loca quædam Ovidii, Virgilii, Plinii, Lucretii, Lactantii, Ciceronis, Plauti, Ariſtophanis, emendat; aut ab aliis immerito tentata reſtituit, eorundemque emendationes examinat, præſertim Tanaquilli Fabri audaciam improbans. Progreditur deinde ad aliud artis Criticæ munus, dignoſcendi nimirum loca & ſcripta ſpuria a genuinis; veterumque teſtimoniis confirmat, priſcis Scriptoribus, quorum libri avidius verſarentur, multa loca a librariis eſſe inſerta, & integros libros ſuppoſitos; quod contigiſſe Ignatii, Hieronymi, Tertulliani, Cypriani, Ambroſii, Chryſoſtomi, Origenis ſcriptis, Conſtitutionibus item Apoſtolicis, obſervat. Indicia quibus falſa a veris, mutila ab integris, interpolata a ſinceris, ſecerni queant, decem tradit, & totidem aphoriſmis doctrinam eorum includit; quibus interpretationem & exempla ſubjicit, quæ hic recenſere nimis longum foret, quum jam prolixe nimis ſumma libri hujus expoſuerimus capita. Et exempla ſi omnia recenſere vellemus, ea etiam quæ e Sacris Literis Veteris & Novi Teſtamenti depromta clariſſimus Autor attulit, dum ſacros quoque libros vim vetuſtatis ſenſiſſe, nec interceſſiſſe divinam providentiam quominus nonnulli longinquitate temporis vitiarentur, paſſim aſſerit, haud ſine offendiculo Lectorum plerorumq; id futurum veremur. Quod minus in cenſura Curtii formidandum, quam poſtremo loco prolixe inſtituit, iſtius inſigni exemplo monſtrans, quale de ſcriptorum charactere & ſtilo, ſecundum artis criticæ regulas, ferendum ſit judicium.

*MENSONIS ALTING DESCRIPTIO, SECUNDUM ANTIQUOS, Agri Batavi & Friſii, una cum conterminis. Sive Notitia Germaniæ inferioris cis & ultra Rhenum, qua hodie eſt in ditione VII Fœderatorum, repræſentata Tabulis Geographicis V. & Commentario, a C. Julio Cæſare ad Juſtinianum Auguſtum.*

Amſtelædami apud H. Wetſtenium, 1697. fol.

Conſtat 49 plagulis, & 10 tabulis æneis.

BEne de republica merentur, qui non illorum modo, quæ ſua cujuſque ætas fert, ſed antiquitatis etiam rationem habent. Vetera enim cognoviſſe, quis ſtatus rerum, quæ facies terrarum fuerit, non jucundum modo eſt, & mirifice delectat; ſed fructum etiam perpulchrum

chrum adfert ad rempublicam. Intereſt enim ejus mutationes noſſe, ut, quæ in pejus abierint, ad priſtinam dignitatem reducantur; aut quo ſe melius nunc habet poſteritas, majori cura cuſtodiat atque conſervet. Præclarum itaque opus MENSO ALTING, Vir ampliſſimus, ſuſcepit, quum, cui quiſque debet, patriæ vicem rependens, induſtria effecit, ut, quæ illius antiquitus fuerunt, ne ignorentur a poſteris. Opus quod animo complexus fuit, & nunc feliciter perfecit, ut diſtributum ornatumque eſt, quæ noſtræ partes ſunt, carptim breviterque enarramus. Germaniam Inferiorem, quæ in ditione VII Fœderatorum eſt Ordinum, ab Julii Cæſaris ætate ad Juſtiniani uſque tempora, ut ſibi repræſentaret, quæ legit obſervavitque in Batavis & Friſiis, eorumque ſociis & conterminis nationibus fuiſſe, Geographica Tabula nobiliſſimus Auctor conſignaverat, ut conſpectus rem diſtinctiorem daret, & memoriæ rerum etiam adjumento alicui eſſet. Præſtantius vero id opus erat, quam ut privatis teneri cancellis poſſet, nec undique ab amicis, qui audiverant, expeteretur. Quorum precibus etiam id contendebatur, ut, quæ Tabella in conſpectum edidiſſet, amplioribus commentariis illuſtraret. Fecit Vir doctiſſimus, ut monitus ab amicis erat, & univerſam Tabellam retexuit, auxit, & in Cimbros uſque atque Suevos produxit, ut complecteretur utramque Germaniæ Inferioris, Veterem & Novam, cis & ultra Rhenum provinciam, quia conſtitutum erat de Batavis Friſiiſque agere, quorum illi Citerioris, hi Ulterioris & Transrhenanæ portio fuerunt. Nec contentus fuit Vir induſtrius, Tabellam illam, quæ cum amicis communicata fuerat, ampliatam ita exornaſſe, niſi ſpecialiores alias adjunxiſſet, ut in univerſum quinq; Tabellis, quod propoſuerat, diſtributum explicatumq; exhiberet. Duabus ergo, quarum altera veterem limitem, altera ulteriora etiam, ad Albim uſque producta tradit, adjecit Tertiam, quæ Cisrhenanam ſeorſum, ad lævam medii alvei ſitam, oſtentat; addidit & Quartam Quintamque; illam, pro Batavo agro intra & extra inſulam explicando; hanc, ad Friſiorum patriam, Bructerorumque fines ordinatius proponendos. In quibus ut certiori pede tum ipſe iret, tum aliis una lumen in numeris & ſignis Ptolemaicis præferret; *Scalam* pro dimetiendis diſtantiis ad parallelos Ptolemæi ſubjecit, ejusque inſignem uſum in Commentario demonſtravit. Eſt hic ordine alphabetico ita diſpoſitus, ut ſingula, quæ in Tabulis intra conſtitutum

limitem conſpiciuntur, perſpicue illuſtrentur, & quæ controverſa ſunt, ita diſputentur dilucide, ut ſuam Auctor opinionem, ſi a communi ſententia diſcedit, ubique argumentis & rationibus ſtabiliat. Ut exemplis commendemus, quæ rara & ſingularia in Commentario habentur, ex eo quædam breviter enotamus. Amiſiam Taciti cis amnem ponit in littorali tractu; non, ut vulgo fit, in illo loco, quo hodie ejusdem nominis urbs exiſtit nobiliſſima: amni vero Amiſio duplex oſtium, Burchana inſula diviſum, & orientale, & occaſum verſus alterum, quod Wider (Weiter) id eſt laxius, appelletur, diſtinctum a Vechta fluvio, ex Ptolemæo vindicavit, ejusdemque portum *Marnamanem*, qui inter Amiſium & Flevum ſitus eſt, in Unſingis oſtio demonſtrat, quod flumen etiam Tacito reddit annali I. cap. LXX, ſeu Viſurgi, quaſi perperam ibidem ſcripto, ſubſtituit. Ad ripam vero ejus *Corbulonis Munimentum*, a Tacito non dubie ſignificatum, quærit, & in Gröninga ſua quæſitum inveniſſe certas ob rationes exiſtimat. *Arenacum*, quod veteres laudant, ab Arnhemii loco, ubi vulgo ponunt, reducit: & *Jubones* populum unquam fuiſſe negat, Taciti verbis, unde unice probabantur, in dubium ſuſpectæ lectionis devocatis. *Prætorium Agrippinæ* haud procul Lugduno oſtendit, tanquam prope cum Armamentario conjunctum: & *Vada* quoque Taciti ſecus locat, quam a Cluverio factum fuerat. Hæc excerpſiſſe ſpecimina ſive exempla ſufficiat, unde de ceteris judicare pronum erit. Adjungit tandem Germaniæ Magnæ Ptolemaicam Tabellam, eamque quadripartitam ſecundum quatuor climata, quibus hanc ſolam diſtinxit Peluſiota Geographus, eandemque ad veram ab Æquatore diſtantiam ita correctam revocavit, ut ſitum oppidorum, quæ Ptolemæus delineavit, jam rectiorem præ ſe ferat. Expoſitionem ſubjecit ejusdem Tabulæ, ac quatuor illorum Climatum conditionem planiſſime demonſtravit, parallelis locis oſtenſis, quæ Ptolemæi in Germania oppidis noſtra ætate reſpondeant. v. g. Koinoënum in Stralſundi fere, Aſtuiam in Stetini, Argeliam in Berolini locum, ad Sprevum amnem, incidere, ex parallelis & conjecturis exiſtimat. Quod ſi firma ſunt Ptolemæi nomina, recteque collocata; diligentiori meditatione excuſſioneque non indignum erit, quod de illa locorum convenientia tradidit. Promiſit & alteram partem hujus Operis, qua patriæ communis faciem, qualis a Francorum ab Romano Imperio emancipatione ad uſque Au-

guſtæ

guſtæ Suevicæ Domus excidium fuerit, expoſiturus eſt; quæ ut pro- pediem hanc editam ſubſequatur, & vitam & otium ampliſſimo Au- ctori apprecamur.

*LES MEMOIRES DE MESSIRE ROGER DE RABUTIN Comte de Buſſi &c.*

*Id eſt:*

Commentarii hiſtorici Rogerii de Rabutin, Comitis de Buſſi. Pariſiis apud Jo. Aniſſon, 1697, 12. Alph. 2.

RErum præclare fortiterque geſtarum gloria non minus, quam for- tunæ inconſtantis ludibrio, clarus eſt *Rogerius de Rabutin* Comes de Buſſi. In exemplum ergo cum abierit, in quod intuentes, quæ fu- gere & evitare, quæve contra conſectari debeant, condiſcere poſſint, dignus etiam eſt, cujus vita non ignoretur poſteris. Quod quidem cum aliorum ope facile effici potuiſſet, ipſe tamen nec ſibi nec aliis de- eſſe voluit, ſed accuratiſſime in hiſce Commentariis, quæ ſcitu de ea digna ſunt, expoſuit. Quo difficilius autem eſt de ſe ipſo verba face- re, eo majorem Vir illuſtris promeruit laudem, dum nec vituperanda tacuit, nec laudanda diſſimulavit; utraque autem ita narravit, ut nec modeſtiam, nec prudentiam in eo requirere quisquam poſſit, cando- rem autem quendam ubique ſe prodentem facile omnes ſint agnitu- ri. Accedit vis ingenii & eloquentia, & Gallici ſermonis nitor, quo ipſo obtinuit, ut communi conſenſu præſtantiſſimis ſcriptoribus annumeretur, decusque ſingulare Gallicanæ Academiæ, cujus mem- brum fuit, afferre cenſeatur, tantum abeſt ut illi ſit dedecori. Sed qui delicias ejusmodi ſectantur, eos opus ipſum adire oportet. Nos per ſumma rerum euntes capita, pauca delibabimus.

Natus eſt Rogerius anno decimo octavo ſupra milleſimum & ſex- centeſimum, & in Jeſuitarum diſciplinam traditus, humaniores quas vocant literas, quibus tenera ætas cumprimis erudiri ſolet, tanta avidi- tate hauſit, ut undecimo ætatis anno dignus judicaretur, qui Philoſo- phiæ ſacris initiaretur. Nondum compleverat decimum ſextum æta- tis annum, cum Patris juſſu, relicta Muſarum ſede, caſtra ſequi incipe- ret, obſidionique urbis Motheæ (De la Motte) in Lotharingia ſitæ in- tereſſet. Quo tirocinio poſito, Pater volebat, ut ad literarum ſtudia animum iterum adjiceret, cœptumque ſemel curſum feliciter conti-

nuaret.

nuaret. Sed ut magiſtrorum imperio ſe ſubmitteret, qui jam militibus imperaſſet, a ſe impetrare vix potuit. Octo itaque menſibus in ſcholaſtico pulvere tranſactis, militiæ iterum nomen dedit. Quid in ſingulis expeditionibus memoratu dignum geſtum ſit, diligenter exponit. Cumprimis obſidiones expugnationesque urbium, Landreceji, Capellæ, Atrebati, aliarumque accurate delineat. Anno 1641 ſuſpicionem, quod minus accurate ſuo munere functus eſſet, ſubiit: cumque ipſe Lutetiam purgatum ſe veniſſet, Deſnogerii, qui Regi a literis ſecretioribus erat, gratiaque Mazarini Cardinalis florebat, odium, quo erga Rogerii patrem flagrabat, tantum potuiſſe ait, ut non auditus, planeque innocens, in cuſtodiam daretur. Quinque jam elapſi erant menſes, cum tandem & libertati & dignitati ſuæ reſtitueretur, ſtatimque ex muneris ſui lege ad exercitum ſe conferret. Dum expeditionem hujus anni proſequitur, mentionem injicit Domini de S. Preuil præfecti Atrebatenſis; quem capite truncatum fuiſſe memorat, non quod facinus ſupplicio iſto dignum admiſiſſet, ſed quod Melleræus Franciæ Mareſchallus & Deſnogerius ipſi infenſi eſſent. Damnari quidem a plerisque Hiſtoricis iſtum non diſſimulat, ſed id ſe mirari negat, cum plerique qui ad ſcribendam Hiſtoriam animum applicant, ipſius judicio, ad mendacia literis prodenda, veritatemque obſcurandam, mercede ſint conducti. In viam ex hoc diverticulo reverſus, legionem ſuam ad quatuor revocatam fuiſſe cohortes, hasque alii legioni admixtas narrat, ita ut & ſibi ad privatam ſortem tantiſper fuerit redeundum. Ægre hoc ſe tuliſſe non diffitetur, quod ita unico velut ictu ſe gradu iſto fortunæ, in quo ſe collocatum putabat, iterum dejectum animadverteret. Interim non dubitans, aliam occaſionem virtutem ſuam demonſtrandi ſibi oblatum iri, ſuaſu & auctoritate Patris matrimonium cum Tulongeonia virgine, præfecti Pinarolenſis filia, init. Anno *1644* Legati munus in cohorte equitum levis armaturæ ab Henrico Borbonio Principe Condæo obtinet, 12000 Imperialium pretio: moxque Patri jam mortuo ſuccedit, Præfectusque Regius in provincia Nivernenſi conſtituitur, poſtquam præter munera offerri ſolita, certam pecuniæ ſummam Reginæ dediſſet. Mazarino videlicet Cardinali hoc in more poſitum fuiſſe ait, ut haud vili pretio cuncta officia venderet. Nova mox dignitate auctus eſt Rogerius, Conſiliariique Status nomen titulumque opera Principis Condæi

dæi impetravit. Volvebatur, dum hæc contingebant, jam annus 1646, quem etiam multarum urbium expugnationes memoratu dignum reddiderunt. In his fuere Cortracum, Mardicum, Dunquerca, & aliæ Belgii civitates, quarum obſidionem & expugnationem diligenter deſcriptam hic legere licet. Sed & quæ in obſidione urbis Ilerdæ geſta ſunt, ordine recenſentur. Interim ſimultates & inimicitiæ inter Condæum Principem, Mazarinumque Cardinalem, magis magisque gliſcebant, donec tandem in civile bellum A. 1650 erumperent. Condæi partes & Rogerius ſecutus eſt. Et ſane Condæum, quod ita ſe geſſerit, minime reprehendendum eſſe palam profitetur, illosque qui ſecus cenſent, aut ſuſpectæ fidei eſſe, aut rem iſtam, de qua ſuam ferre ſententiam audent, non ſatis eſſe edoctos. Licet autem magnam animo conceperat indignationem, quod Guitaltum ſibi prætuliſſet Condæus, rurſus tamen illi conciliatus, in caſtris ejus contra Regem militavit. Ad ſecunda quoque tum tranſiit vota, Rouvillamque virginem matrimoniali fœdere ſibi junxit, quod ex priori conjuge maſculam non ſuſcepiſſet prolem. Refert hic celebre iſtud prælium, in quo Turennium vicit Pleſſi-Pralinus. Huic victoriæ maximam partem, quod in libertatem reſtitutus ſit Condæus, eſſe tribuendam obſervat. Fundatores enim, cum metuerent, ne potentia & auctoritas Mazarini per eam non ferenda incrementa ſumeret, Aurelianenſem Ducem ad ſuas pertraxiſſe partes, & ita junctis viribus eo elaboraſſe, ut liberato Principe, regno excedere cogeretur Mazarinus. Revocato A. 1651 Cardinali, Rogerius in ejus ſe inſinuare gratiam inſtituit, & incredibili ab eo humanitate exceptus, ingentibus oneratur promiſſis. Sed quam ſolenne fuerit Mazarino promiſſis homines fallere, ſuo ſe addidiciſſe damno ait. Tandem intellexit, Mazarinum animum Regis inſuper a ſe abalienaſſe. Multus in eo eſt, ut oſtendat, iram Regis ſe non promeruiſſe; Regi tamen id ſe vitio vertere neutiquam, cum a Mazarino, cui plurimum fidebat, deceptus & odio contra innocentem inflammatus, ſecus ſe gerere non potuerit. Quæ A. 1652 geſta ſunt, more ſuo proſequitur. Hoc ipſo vero tempore equitatui levis armaturæ a Rege præfectus eſt, aliis fruſtra eandem dignitatem appetentibus. De ratione equitatus levis armaturæ hic nonnulla erudite diſſerit, & quæ ad annum uſque 1655 contigerunt, ordine enarrat.

Alterum Tomum orditur texendo hiſtoriam obſidionis urbis Landreceji, & quid in ea ſingulis diebus geſtum ſit, indicando. Hic expeditiones etiam alias eodem anno ſuſceptas ſiſtit, & ita porro ad annum 1659 hiſtoriam ſuam deducit. Namque in ſequentibus, infelicia quæ expertus eſt fata, variæque, quibuſcum illi colluctandum fuit, calamitates calamum ejus occupant. Auctorem ſuorum malorum Turennium prodit, quocum primo æmulatio, mox ſimultas, denique inimicitia illi interceſſerat. Sed occaſionem, ut in Regis iram denuo incurreret, ipſemet ſuppeditavit, componendo A. 1660 libellum, quo amores fœminarum quarundam illuſtrium, ut erat ingenio feſtivo, & ad jocos ſalesque nato, deſcripſerat. Obtrectationum & incuſationum hinc nec modus nec finis fuit, quæ quam non fuerint irritæ, affatim eſt expertus. Parum fuit, quod ex aula diſcedere juſſus, & velut in exilium miſſus eſt; in cuſtodiam quoque datus eſt, & videbatur ſævitia inimicorum ac vindictæ cupiditas ultra progreſſura, niſi innocentia contra quævis molimina invictum præſtitiſſet. Et hæc quidem ad ipſum Rogerium pertinent. Inſpergit & alia de Fouqueto, de Mazarino Cardinali, de Turennio, quem utut parum ſibi faventem habuerit, ſua tamen laude non privat, de receptione ſua in numerum Sociorum Academiæ Gallicanæ; ut taceam carmina & epiſtolas, quæ ut lectoribus non poſſunt non voluptatem afferre, ſuaque varietate eos delectare, ita a nobis per inſtituti leges paucis ſaltem velut in tranſitu indicanda fuerunt.

Additus eſt hiſce Commentariis libellus ejusdem Auctoris, de utilitate ex adverſitatibus capienda. Continet is ſermonem ad liberos ſuos, quo propoſitis in medium ex veteri pariter ac recentiori hiſtoria magnorum virorum exemplis, eos non tantum ad fortunam adverſam fortiter ferendam adhortatur, ſed oſtendit quoque, quo pacto non alium in finem, diſpenſante ita res mortalium ſapientiſſimo Numine, adverſa immittantur, quam ut iis excitati ad cœleſtia animum convertamus, deliciisque hujus ſeculi ultimum dicamus vale. Exempla autem non ut ſeſe obtulere arripuit, ſed ſtudioſe ſelegit, Jobumque, Tobiam, Danielem, Davidem ex hiſtoria ſacra, ex profana autem Boetium, Beliſarium, Ludovicum ſanctum, Marignyum, Johannem Galliæ Regem, Riverium, Gyæum, Philippum Cominæum, Franciſcum I, Samblancæum, Bellegardæum, Baſſom-petrum & Chatræum ſiſtit, idque

ea

ea ſtyli elegantia, ut licet maximam partem vulgata ſint & protrita, nova tamen & plane ſingularia eſſe videantur. Ultimo loco de ſe ipſo verba facit, vitæque ſuæ curriculum in compendio exhibet.

## Holländiſcher Kirch-und Schulen Staat.

Hoc eſt:

## *ECCLESIARUM ET SCHOLARUM BELGICARUM STATUS, deſcriptus ab HENRICO LUDOLFO BENTHEM.*

Francofurti & Lipſiæ, apud Nicolaum Förſterum, 1698. in 8. Conſtat Alphab. 4. plag. 15. & figurarum æ nearum plag. 2.

QUi hodie Paſtoris, Canonici & Superintendentis munere Bardovici ſumma cum laude fungitur, maxime reverendus libri hujus Auctor, duabus olim vicibus Belgium curioſis ipſe oculis perluſtravit. Fructus igitur peregrinationis iſtius & in alios transferre, ſuarum poſtquam duxit eſſe partium, præſens ipſi opus ſubnatum eſt, quod non eos modo, quibus domi Belgarum ſtatum cognoſcere volupe fuerit, delectare, ſed & peregre iſtuc abituros, & Theologiæ præſertim ſtudioſos, inſtruere poteſt, de quibus potiſſimum rebus ſolicitos ſe in iſtis regionibus gerere debeant. Nec primus hic Auctoris labor eſt in hoc ſcribendi genere, quandoquidem jam ante annos aliquot Angliæ ſtatum ſimilem in modum deſcriptum dedit; de qua tamen opera in præſens plura dicere non attinet, cum ſuum illa locum in Supplementorum nova ſectione propediem a nobis publicanda inventura ſit. Statum autem Belgicum prout ille in Eccleſiaſticum diviſit ac Scholaſticum: ita duas quoque partes liber hic ſortitus eſt, in quarum priori, poſt annotata quædam generaliora de his, quæ aut laudem mereantur in oris iſtis aut vituperium, ac poſt indicatam viam, qua omnium commodiſſime proficiſci eo ex Germania noſtra literatus valeat, de religione imprimis, cujus exercitium ibi florere deprehendatur, Auctor diſſerit. Atque heic in exaggeranda credendi ſentiendique libertate, qua fruantur iſtarum regionum incolæ, multus eſt. Reformatam tamen religionem altiores ibi radices præ cæteris egiſſe confitetur, cauſas, quæ Lutheranæ curſum olim retardarint, ea occaſione ſimul recenſens. Hinc libros Reformatorum Belgarum Symbolicos recenſet, ac Confeſſionis maxime Belgicæ & Catechiſmi Palatini hiſtoriam

pandit; prout & illam integram, hujus vero epitomen ad verbum deſcriptam inſerit. Mox publici cultus modos ritusque apud Belgas receptos contemplatur, dumque ab ipſorum ſtudio, quo in Sacra ferantur Biblia, tractationem iſthanc inchoat, plura inſpergit de horum verſione vernacula, juſſu Synodi Dordracenæ olim adornata. Ab hac ad conciones Belgarum progreditur, quibus exacte delineatis, ceremonias ipſorum in baptiſmatis & ſacræ cœnæ adminiſtratione, in precatione & cantatione publica, in neogamorum copulatione, ac mortuorum tandem ſepultura obſervari ſolitas, jucundo non minus ac utili commentario perſequitur. Maximum etiam incrementum Reformatæ in Belgio religioni Synodus Dordracena cum attulerit, hinc in peculiari capite iſtius acta recenſet, & his ita deductis conſtitutiones, perſonas, congregationes ſacras, diſciplinamque eccleſiaſticam eorum, qui religionem ſæpius nominatam inibi profiteantur, conſiderat. Sed nec Lutheranorum obliviſcitur, ac quo pacto Pontificii quoque, Armeni, Quackeri & Judæi in Belgio tolerentur, oſtendit. In Arminianorum porro ſive Remonſtrantium hiſtoria diu detinetur, confeſſionem ſive declarationem ipſorum ſuper præcipuis articulis religionis Chriſtianæ, decantatiſſimam illam quidem, ſed quam hactenus niſi in Actis Remonſtrantium Synodalibus haud unicuivis obviis legere vix conceſſum fuit, integram inſerere haud pigratus. Parili ratione ubi de Anabaptiſtis verba facit, fidei articulos, quos addicti ſectæ huic omnes atque ſinguli recipiant, in medium producit, ac in Socinianorum, ſua itidem latibula in Belgio quærentium, commemoratione parti priori finem imponit. Poſterior pars, quæ ſtatui conſecrata eſt Scholaſtico, Academiarum æque ac Gymnaſiorum per iſtas provincias florentium plenam Lectori notitiam pollicetur, utpote cum uniuscujusque & fundationem, & collegia, & auditoria, & faciem hodiernam ſolicite referat. Sedulam vero imprimis diligentiam Auctor maxime reverendus in Profeſſorum doctorumque apud Belgas Virorum aliorum mentionem impendit, & proin veteres æque ac recentiores magno numero allegat, & plerorumque vitas, munera, libros ſiſtit, eorum etiam, qui adhuc ſunt ſuperſtites, agendi rationem, quam notam ſibi ex familiari cum iisdem converſatione reddidit, aperiens. Nec deſunt literariarum diſceptationum ab annis aliquot proxime elapſis inter quosdam e doctis hiſce Viris agitatarum deſignationes. Quæ

enim v. g. Joannes Vander Wayen & Fridericus Spanhemius, quæ Marckius & Braunius, quæ Vitringa & Rhenferdius inter ſegeſſerint certamina, quæ lites motæ ſint Roellio, quæ nova dogmata proſeminarit Balthaſar Bekkerus, quæ paſſim ſub incudem revocarint alii, docte heic & bona cum fide relatum invenies. Joannis præterea Coccejı nomen frequentius in hoc libro apparet, & cui caput ejus tertium perlegere placuerit, is non hypotheſes modo, ſed fata etiam celeberrimi iſtius Viri diſtinctius perſpiciet. Inſcriptionum, quas hinc inde in urbibus præcipuis obvias habuit, abundantem Auctor ſupellectilem cum harum elegantiarum amatoribus communicat, & ne quicquam deſit, Bibliothecam inſtructiſſimam librorum, quos Belgæ concinnarunt, Theologicorum, Poſitivorum, Exegeticorum, Moralium, Hiſtoricorum & Polemicorum ſub calcem ſui hujus operis annectit. Æri inciſas exhibet effigies Rudolphi Agricolæ, Jac. Arminii, Jo. Coccejı, Mennonis Simonis. Nummos item ſiſtit in Synodum Dordracenam, in Coccejum, in Petrum Jurium, in Joannem & Cornelium, fratres de Wit, inque eventus quosdam notatu digniores excuſos; ut Synagogæ Judæorum Amſtelædamenſium conſpectum figurasque alias ſubinde repræſentatas taceamus.

## *JOH. PETRI ERICI* ΑΝΘΡΩΠΟΓΛΩΤΤΟΓΟΝΙΑ, *SIVE Humanæ Linguæ Geneſis. Partis primæ Tomus primus.*

Venetiis, ſumptibus Auctoris, typis Franc. Tramontini, 1697. in 4.
Conſtat Alph. 1. pl. 3.

PRodromum hujus operis a clariſſimo Autore nobis olim benevole transmiſſum, & ſub *Renati Principii Philologici* titulo in vulgus editum in *Actis* anni 1686, p. 327. ſeqq. recenſuimus. De ſcopo illius itaque pluſcula jam tum dicta ſunt, atque monitum cumprimis, in ſollicita linguarum inveſtigatione vere novum illum eſſe atque *παράδοξον*, quippe qui in deducendis vocum etymologiis Græcam inprimis linguam matrem ſtatuat, & ex ea potiſſimum ceterarum origines eat arceſſitum. Hoc ipſum vero multo prolixius nunc fuſiusque manifeſtum reddere conatur in opere præſenti, quod nuper itidem pro ſuo in nos affectu nobiſcum communicatum voluit. In præfatione certe diſertis verbis ſe non ambigere teſtatur, quin Græca lingua non Latinæ ſolum & antiquæ Celticæ, ſed etiam Hebraicæ ceterarumque orienta-

entalium linguarum mater haberi queat. Quod ut comprobet, a prima ſermonis humani origine orditur.

Nam, cum Adamus recens a Deo conditus terram cœlumque admirabundus contemplaretur, & ſe inſuper Divinæ auræ particulam ac imaginem Creatoris deprehendiſſet: tum vero ait mira delectatione repletum, ex intimo pectoris fonte eum hauſiſſe & ore protuliſſe optatum humanæ loquelæ omen ω, & hoc uno ſono ſufficienter animi ſui ſenſa expreſſiſſe exiſtimat, eodemque ad animalia, in quorum medio ſtabat, humano clamore ſuo ad laudes Creatoris excitanda uſum, nec incondito varioque animantium beſtiarum ſono ac cantu impediri potuiſſe, quominus ceu baſin totius chori, ſimpliciſſimum ſuum vocum literarumque chaos ω conſtanter ingeminaret. Poſtquam vero e coſta dormientis Adami Divina virtute eſſet mulier creata, & olfactu primum, velut ſenſu ſopitis ceteris vivaciore, ab eo percepta, expergefactum e ſomno virum, ſpiritum naribus attrahendo, olfacientis pariter & admirantis ſonum edidiſſe ῦ ῦ, hacque prima confabulationis vocula ſobolem hanc ſuam, coſtamque & conjugem ſalutaſſe, & ἐν τρόπῳ νυμφίȣ multis miriſque amplexibus excepiſſe, baſiis quoque εὐώδεος ſuæ Evæ os exoſculatum fuiſſe. E complexu horum natam dein non unam prolem, & hujus plorantis vocem ἒ ἒ ἒ ἒ;
p. 5. alterius, ceu junioris, aliquantisper exiliorem ἴ ἴ ἴ ἴ fuiſſe: quæ notabilis differentia non niſi a ſupremo linguarum Moderatore obſervata, Regique & Prophetæ Davidi tum inſpirata fuerit, quando Pſalmo VIII. 9. pſallens dixerit: *ex ore parvulorum & lactentium fundaſti Deus fortitudinem propter inimicos tuos.*

Prima vero iſthæc vocum ſemina αὐτοδιδάκτως & naturæ inſtinctu prolata, ceu poſtulata ſua prima, porro docet ex inſtituto aliter atque aliter pro re nata enunciari conſueviſſe, & paulatim incrementa accepiſſe. Ita poſt alia ad duas illas Græcorum particulas οὐ & εὖ, quarum illa negandi ac removendi, hæc approbandi & laudandi vim habet, devenit: quas fuſiſſime deinde ita pertractat, ut quam fuerint diverſis rationibus junctæ nominibus, verbis, adverbiis, quamque variam in linguis variis ſeu ſignificationem, ſeu formationem mutationemve faciant ſeu ſuſtineant, oſtendat; quod non potuit ſine immixtis quamplurimis vocum mille etymologiis fieri. Nos ſpeciminis ſolum
p. 9. gratia pauciſſimas ex his exhibebimus. E Græco *εὔκολος facilis*, &

εὐ-

ἐυκολία *facilitas*, Germanicum nomen eckel deducit, a contrario ſcilicet, ſi ſtomachus non facile cibos capit, ſed faſtidioſe reſpuit; ab ἐυλογεῖν *bene precari*, ironice Belgicum *vloeken* & Germanicum fluchen; a Græco ὖρος, *cuſtos*, *inſpector*, deducit Latinum *Vir*, Italum *Guardiano*, Hiſpanum *Guardo*, Anglicum *Warden* & *Ward*, Belgicum *Weerd*, & Germanicum Wirth; ab ejus autem compoſito οἰκουρὸς derivat Latinum *uxor*, quippe quæ domi cuſtos ſit, & res domeſticas curet. Sed & populorum, locorumque nomina hoc modo inveſtigata addit. Sic enim ab ἐυνέτης, *concubitor*, ſeu *maritus*, nomen traxiſſe illi videntur in Paphlagonia *Heneti*, in Italia *Veneti*, in ſeptentrionali Europæ parte *Vandali*; ab ἐυσεβὴς mons *Veſuvius*, qui & *Veſebius* aliquando ſcribitur; ab ἐύβουλος Hebraicum nomen proprium *Jubal*, & *Jubilius* Hermundurorum dux apud Tacitum: ab ἐυθὺς longa nominum derivatione primo *Biti* Celtarum populi, inde *Viti* Saxonum gens, tandem *Suiti* & *Suizzeri*.

p. 11.
p. 14.
p. 17.
p. 24.

Generum origines ſecundæ ſectioni ſervavit, easque Muſicæ in acceptis eſſe ferendas ait, & quidem rudiori illi fabrili, de qua Poëta: p. 42.

*Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt*
*In numerum.*

Ex hac enim ſonorum intonatione maſculam vim unius, alterius fœmininam a Jubale eſſe obſervatam, ſibi perſuadet. In eadem Vulcani ſeu Tubalcaini officina cuſos quoque caſus exiſtimat. Ubi inſimul obſervat, olim a recto accuſativum fuiſſe proximum in declinatione, hinc dativum & tum genitivum eſſe ſecutos: nam Adamum, qui nominaverit & convocarit familiam, fuiſſe primum; poſt hunc inceſſiſſe Cainum, *quem* accuſarit; exinde Abelum, *cui* dederit, & deniq; Evam *utriusque* genitricem. Hunc vero ordinem poſtmodum a Græcis eſſe neglectum, introducto novo caſuum ordine, qui hodieque in ſcholis ſupereſt, monet. Nos, qui ex his, quæ diximus, inſtitutum Auctoris, & modum ſuas aſſertiones illuſtrandi probandive abunde perſpici poſſe credimus, nihil amplius præter etymologias paucas adjiciemus, quarum judicium eſto penes lectorem. Cattos, bellicoſiſſimam Germanorum gentem (cum quibus eosdem nomine Quados, Cattuacos, Chaucos, Abcaſſios, Circaſſios Haſſosque, & neſcio quos alios facit) dictos putat velut τοὺς κάτω, *maritimos*, quod maritima olim incolerent; cum contra οἱ ἄνω Hunni fuerint, & Heunen, id eſt gigan-

p. 44.
p. 45.
p. 88.

gantes. Ea occaſione de Illuſtriſſimis Ruthenis Comitibus rem miram in notula ſubjecta narrat, quam ejus ipſiusmet verbis recenſebimus. *Heunen* (dicit ibi) *in Germania gigantum nomine veniunt, quique aliis* Rieſen / Reuſen / *Latinis* Rutheni, *Sarmatis* Ruſſi *audiunt. Unde factum, quod in Illuſtriſſima Comitum Ruthenorum (qui proceritate gigantea præ ceteris eminent) proſapia olim duo hæc nomina* Heune Reuſe / *fuerint conjuncta, uſque dum in Saxonici Imperatoris Henrici Aucupis, cujus cum ſorore Heros quidam hujus nominis & ſtemmatis matrimonio junctus fuit, memoriam nomen* Heune *in* Heinerich / *ſive Henericus, quo hodienum omnes & ſinguli appellantur, commutaverint.* Unde hauſerit Autor ſuam iſthanc ſive conjecturam ſive hiſtoriolam, non addit, adeoque dubitandi cauſam relinquit: quam etiam habebit, qui legerit
p. 160. invictiſſimæ Domus Habſpurgicæ etymologiam in Græco ὑψίπυργος, *altis turribus inſignis*, quæſitam: & Abſynthi Thraciæ urbis, nec non abſynthii herbæ nomen deductum ab ὑψάντυξ, *altos fornices habens*; cui mox additur, Abſynthum ſeu Abſynthium poſtea denuo fuiſſe corruptum in *Byzantium*. Sed hæc ſufficere poſſunt ad prægustum aliquem exhibendum libri, qui ipſemet totus nondum prodiit, ſed, ut Autor ſub finem ait, ad ſollicitandam magis ſitim, quam ad explendam nobis propinatus eſt. Multum utique laboris ad edolandum hujus generis librum requiri nemo negaverit, inprimis qui noſtrum videbit. Sed, ut fit in iſtiusmodi etymologiarum ſtudio, planum uni videtur maximeve probabile, quod alteri tale ſtatim non eſt. Hoc vidit etiam ipſe Autor, nec deprecatur, ſed ſub finem petit, quod eſt æquisſimum, ut æquanimitate lectorum ſua augeatur induſtria.

## *GODEFRIDI BIDLOO VINDICIÆ QUARUNDAM DELINEATIONUM Anatomicarum contra Animadverſiones FRED. RUYSCHII, Prælect. Anat. Chirurg. & Botan.*

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmans, 1697. in 4.
Conſtant plagulis 8, & Figur. tabul. 5.

NOvem hactenus in lucem prodierunt *Epiſtolæ* a *Cl. Ruyſchio* ad totidem Epiſtolas Problematicas tempore diverſo reſcriptæ, atque a nobis tum *anno ſuperiori, menſe Jan. p. 270*, tum *anno præſenti, menſe Januar. p. 14. & menſe Auguſt. p. 384. in Actis* exhibitæ. Verum cum nobilisſimus *Bidloo* multas in iisdem notari acerbius deprehenderet

earum

earum delineationum, quas ipſe tredecim abhinc annis in *Anatomia* dedit *Corporis Humani*, in *Actis A. 1685* commemorata, amicorum hortatu præſentes reponere voluit *Vindicias*. In his quemadmodum ſub examen *primum* vocando Epiſtolas Ruyſchii, ſexta tantummodo, ſeptima & octava ſepoſitis, errores ſibi ſuisque figuris imputatos confutat: ita ex adverſo delineationes nonnullas Ruyſchianas mendorum poſtulat, novamque Ruyſchii methodum condiendi & demonſtrandi cadavera humana pro mero fuco reputat. *Hinc* ſpecimen Ruyſchianæ artis, doctrinæ & induſtriæ ſiſtens, tam figuras a Ruyſchio in *Dilucidatione Valvularum &c.* quondam repræſentatas, quam eam demonſtrationem, qua hic pulmonum vaſa ſanguifera publice nuper exhibuit, itemque Obſervationes quasdam Medico-Chirurgicas ex ejusdem *Centuria*, in *Actis* A. *1691*, *p. 66* recenſita, acriter perſtringit. *Tandem*, ut Ruyſchium in verbis non minus, quam in rebus, hic illic delinquere palam faciat, exempla ſequioris ejusdem literaturæ annectit. Cæterum, præter figuras Ruyſchianas, portiuncula imprimis cuticulæ a manus dorſo avulſa, lien humanus flatu artificioque diſtentus, atque calculi ex bile in hujus folliculo concreti, aquæ innatantes, occurrunt delineata.

## *GEORGII BAGLIVI, DOCTORIS MEDICI ET IN ROMANO Archilyceo Anatomes Profeſſoris, de Praxi Medica ad priſcam obſervandi rationem revocanda libri duo. Accedunt diſſertationes novæ.*

Romæ, apud Cæſarettum, 1696. 8. plag. 25.

CUm ad Medicinam perficiendam nihil æque conducere manifeſtũ ſit, quam experientiam rationi conjunctam, parumque conferat ad ſalutem ægris reſtituendam effrenis opinandi licentia, quæ hodie paſſim graſſatur; doctiſſimus *Baglivus* philiatros ad priſcam obſervandi rationem, duobus hiſce libris, qui illuſtris Magliabechii cura ad nos pervenerunt, hortari conſtituit, communis utilitatis ſtudio impulſus. Unde primo & ſecundo ſtatim capite libri primi, de maxima in re medica obſervationum neceſſitate agit, quæ vel hinc pateat, quod origo, progreſſus, & quicquid ineſt certi in Medicina, obſervationibus maxima ex parte debeatur; quæ a ratione nunquam ſint ſejungendæ, ſi modo hoc nomine non illa vis animi intelligatur, quæ obſcura naturæ inveſtigat, & magis ad Phyſicam pertinet, ſed ea potius, per quam

morborum principia & cauſas conjicit Medicus, eorundem progreſſus eventusque auguratur, & ex rebus præſentibus proſpicit & aſſequitur futuras. Sequentibus capitibus impedimenta recenſet, quæ Medicorum in obſervando diligentiam hucusque retardarunt, quorum facile præcipua ſunt (1) Deriſio veterum Medicorum, a quibus tamen prima præſtantiſſimæ artis fundamenta jacta ſunt, magnisque acceſſionibus vera praxis locupletata, licet nonnulli Galenicorum in theorias non conſtantes nec ſatis certas nimium propenſi fuerint. (2) Falſa Medicorum idola, ſeu opiniones falſo præconceptæ; quorſum pertinent rejectio purgantium, veſicantium, & reliquorum Galenicæ praxis remediorum; hypotheſes univerſales ex paucis experimentis derivatæ; jactatio Dialectices, Critices, aliarumque ſcientiarum, ex quibus parum commodi ad praxin medicam redundat; inanis gloriæ deſiderium; accuſatio fictæ cujusdam in morbis malignitatis, & id genus alia. (3) Falſum genus analogiarum, quo incauti utuntur ad ipſam praxin dirigendam, v. g. cum ad ſanguinis miſſionem in febribus ardentibus diſſuadendam arguunt, ſicuti aqua in lebete ebulliens refrigerari non poteſt per imminutionem aquæ, ſed potius per ſubtractionem ignis ſuppoſiti, ita ebullientis in febribus ſanguinis evacuationem per phlebotomiam non poſſe calorem minuere; cum tamen ignis noſter febrilis ſanguini immixtus & alte immerſus ſit, non vero ſuppoſitus venis, ſanguinisque portione ſubtracta ipſe quoque minuatur. (4) Præpoſtera librorum lectio, dum alii tumultuarie legunt, alii contradicendi ſtudio, alii obliti ſuæ libertatis opinionibus auctorum, tanquam Sirenum ſcopulis adhæreſcunt, alii denique librorum lectioni fere immoriuntur, neglecta obſervandi induſtria. (5) Siniſtra librorum interpretatio, quæ plerumque fit ab illis, qui has ſibi partes ſumunt nulla inſtructi experientia, aut quos tenet ſcribendi & efficiendi ſyſtemata cacoëthes. (6) Intermiſſum ſtudium de morbis aphoriſtice tractandi, more Hippocratis & ſcholæ Coæ; cum omnis fere opera recentiorum in eo ponatur, ut Medicinam concludant methodis, & quibusdam ingenii commentationibus mere abſtractis digerant atque exornent. Ut ergo cognoſcant ſtudioſi, quomodo ſolidæ diutiusque repetitæ morborum obſervationes ſtylo brevi & aphoriſtico exponendæ ſint, ſpecimen aliquod affert experientiſſimus Auctor, in morbis nonnullis per ſedulam in xenodochiis Italiæ factam

ctam obſervationem examinatis, nimirum pleuritide, febribus, lumbricis puerorum, variolis & morbillis, colica, phrenetide, aſthmate, diarrhœa & dyſenteria, apoplexia, dolore & convulſione, tuſſi, calculo denique & podagra. Decimo capite variæ Medicinæ ætates enarrantur; ut ſcilicet a veteribus Græcis, præcipue ſchola Coa, ſtabilita, a Cælio Aureliano, Aretæo, aliisque Græcis per ſubſequentia ad Galenum tempora promota, paulo poſt autem pernicioſo Barbarorum impetu labefactata fuerit: ut devenerit porro ad Arabes, qui activam & maſculam Græcorum Medicinam in quandam ingenii agitationem diſputationumque exercitationem converterint, & hæc Arabica lues Europæ Academias invaſerit; donec tandem primi Itali, inter quos M. Fabius Calvus, Martianus Septalius, eosque ſecuti Galli, Duretus, Ballonius, Hollerius, Jacotius, poſt excuſſum Arabicæ ſervitutis jugum, ad reſtituendam priſcam Græcorum de re medica ſapientiam omni ſtudio contenderint: ut denique Paracelſus & Helmontius, quamvis novis remediorum inventis praxin locupletarint, novas dederint turbas, hosque ſecuti Philoſophi recentiores per novas ſuas hypotheſes praxin medicam in philoſophiam contentioſam converterint, ejusque præcepta ita turbarint, ut inter peritiſſimos hodie non facile conſtet, quid tenendum, cui credendũ, quaq; demum via progrediendum ſit, in abſolvendis morborum curationibus. Capite undecimo examinat doctisſimus Baglivus, quid quantumve tum recentiores tum antiqui in theoria & praxi profecerint, nec non quid quantumve unaquæque illarum conferat ad morbos recte curandos: ſtatuitque, theoriam recentiorum multo certiorem eſſe theoria Galenicorum; contra autem horum praxin maximis propemodum intervallis praxin recentiorum antecellere, ſive diagnoſeos, ſive prognoſeos, ſive curationum, theoriarum fecibus intermiſtarum, ſolertiam & pondus conſideremus. Porro quamvis theoria, philoſophiæ naturali & experimentali innixa, praxin dilucide explicari & confirmari concedat, eandem tamen illi ſuperſtruere vetat, cum minima componentia humorum, ſive naturalium ſive morboſorum, corporis humani viventis nulla arte nullisque ſpeculationibus inveniri, aut determinari unquam poſſint; contra vero, quamvis ignota nobis ſit humorum vera configuratio & textura, ad curationem tamen ſufficiat, per experientiam noſſe varios eorundem motuum progreſſus, exitus & declinationes,

quæ, utpote a natura excitata & directa, veros indicationum fontes nobis aperiunt, in exhibendis mutandisque remediis; tandemque concludit, artem curandorum hominum ſolo uſu & exercitatione comparari, adeoque praxin plus quam theoriam ad curationem morborum conferre. Capite duodecimo de morborum hypotheſibus recte conſtituendis exponit, inculcatque Aſtronomorum hac in re ſolertiam æmulari debere Medicos, qui ex accurate obſervatis motibus corporum cœleſtium, non autem ingenio proprio, hypotheſes condunt, quæ aliquando plane inter ſe pugnant, & nihilo ſecius tamen in prædicendis Eclipſibus probe conſentiunt. Unde exiſtimat, in re quoque medica, licet illa hypotheſis, quæ principiis mechanicis ſuperſtruitur, præſtantiſſima jure meritoque cenſenda ſit, nullum tamen damnum allaturam hypotheſeon varietatem, dummodo ſingulæ nitantur ſtabilibus & continuatis morborum obſervationibus, ſed futurum ut ſingularum ope æque feliciter morbi debellentur. Quamvis ergo non neget, theorias & hypotheſes neceſſarias eſſe in Medicina, cum ad inveſtigandas morborum cauſas & effectus, tum ad methodum recte dirigendam: quoniam tamen cum ægrorum adſtamus lectulis, ut de curatione aliquid decernamus, frequenter expectationem noſtram deludunt, & aliquando quæ circulationi ſanguinis (hypotheſi ſane omnium certiſſimæ) contraria ſunt aut videntur, ægrotis utilia deprehenduntur, idcirco in Capite decimo tertio nihil in arte medica magis opportunum eſſe judicat, quam nova quotidie inveſtigare præceptorum genera, ſive ſententias quasdam longo uſu & matura confirmatas experientia, diagnoſin, prognoſin, curationemque morborum complectentes, quæ non ſolum raro fallunt, ſed ſtatim & absque multis theoriarum ambagibus veras perpetuasque agendorum indicationes nobis manifeſtant: cujus generis nonnullas in ſequentibus exponit, quæ vel per optimorum librorum lectionem, vel per repetitam in variis Italiæ xenodochiis obſervationem, ipſi certo innotuerunt, ut ad illarum exemplar, tyrones nova indies præceptorum genera inveſtigare conentur. Quandoquidem autem adminicula, quæ a remediis petuntur, fruſtranea quandoque ſunt, imo noxia, in morbis ex animi paſſionibus dependentibus, Capite decimo quarto Medicos optat diligentes eſſe cautosque, in compellandis ægrotis de cauſa morbi occaſionali, præſertim de animi paſſionibus, neque absque ullo facto examine

mine, ſingulorum morborum originem a repletionis & cacochymiæ fabula indiſcriminatim deducere; monens inprimis curandum, ut animo ſua reddatur tranquillitas, deinde vero ſtomacho primisque coctionibus eſſe proſpiciendum, nec non exhilarandos excitandosque ſpiritus oppreſſos & fere conſopitos. Deſiderat quoque hiſtoriam morborum ab animi curis provenientium, in qua ſcilicet explicetur, qui potiſſimum morbi a quovis animi motu oriantur, quibus comitentur ſymptomatis, quomodo augeantur, & quomodo declinent, quamdiu durent, aut in qualis ſpeciei morbum mutari ſoleant, quibus remediis leniantur, quibus exacerbentur, quæ medendi methodus ſingulis directe opportuna & ſtabilis detecta ſit, &c. Concluditur liber primus paræneſi ad Medicos, de inveſtiganda & ſtabilienda methodo incolis certæ regionis aut urbis præ cæteris accommodata, nec non de ſcribenda hiſtoria morborum, quibus illi frequentius ſunt obnoxii, cujus præcipua capita ſint de aere, fluviis, lacubus, fontibus, planitie & montibus, eorumque ad certas cœli plagas poſitu, de plantis & animalibus in patrio ſolo præcipue provenientibus, nec non de mineralibus, aliisque foſſilibus: porro de moribus & temperamentis incolarum, de morbis illis familiaribus, & methodo qua eliminantur, de medicina indigena, ſive medicamentis in patrio ſolo naſcentibus, de variis & præcipuis tempeſtatum influentiis, aliisque ſexcentis, quibus morborum origines tum foventur, tum curantur. Utque res exemplo clarior fieret, Cl. Auctor breviter exponit, quæ ipſe Romæ circa aeris temperiem, & medendi methodum, quotidiano uſu expertus eſt.

Libro ſecundo ſpecialius argumentum, de quo præcedenti libro generalia allata ſunt, pertractat doctiſſimus Baglivus, urgens imprimis, ut certa & ſtabilis morborum hiſtoria conſcribatur, retenta antiqua eorum diviſione in acutos & chronicos. Inquirit deinde in cauſas, cur cum tot ingentia paſſim proſtent obſervationum volumina, parum admodum profecerimus in accurata morborum deſcriptione, easque varias recenſet; nimirum quod recentiores Philoſophi nimium abſtractionibus mentis tribuunt, quod antiquum odium ſectæ rationalis in empiricam nondum extinctum, quod plurimi Auctores in faciendis obſervationibus methodum ac ordinem non adhibuerunt, quod multæ obſervationes in paucis tantum ægris factæ, nonnullæ autem theo-

riarum commentis turbatæ & confuſæ; quod praxis, qua uſi nonnulli, ſpeculativa magis & hypothetica fuit, quam ad naturæ mentem comparata, quo factum, ut morbi periodos ſuas non abſolverint per leges ſibi inditas naturales & conſtantes, ſed progreſſus, exitus & ſymptomata magis debeantur perverſæ methodo, quam immutabili & individuæ morborum naturæ; quod tandem ob mentem à prædictis hypotheſibus occupatam, multa ſymptomata eisdem non recte quadrantia omiſſa ſunt, multa contra iisdem magis magisque confirmandis neceſſaria ad libitum conficta. Sed hæc prioribus traduntur capitibus, tertio vero adferuntur regulæ inſtituendi & promovendi hiſtoriam morborum, & ab illa derivandi aphoriſmos curativos. Opera nimirum danda eſt ſedula, ut infinitæ particulares acquirantur cujusvis morbi obſervationes, eæque deſcribantur ſtylo rudi & incomto, iisdemq; loquendi formulis, quibus ægrotantes ſuas exprimunt affectiones, annotenturque minima non ſolum accidentia de die in diem in morbo apparentia, eorumque vehementia, progreſſus & exitus in melius vel deterius, verum etiam minimæ circumſtantiæ temporis & loci, in quo fiunt obſervationes, conſtitutionis anni, cauſarum antecedentium & præſentium, methodi & remediorum; verbo, omnium quæ morbum antecedunt, concomitantur & conſequuntur, quamvis vilia & inutilia videantur; ita ut nihil obſervator addat de ſuo, quod illi vel ſubtilis diſputandi ratio, vel inanis eruditionis ſpecies poſſint ſuppeditare. Comparata ſufficiens particularium hiſtoria debite ſeparanda, ordinanda & digerenda eſt, factaque ſevera & exactiſſima particularium conſideratione, præcepta generalia conſtituenda ſunt, ſed neceſſariis circumſtantiis prudenter limitata. Quod opus cum ob ingentes labores multamque meditationem, quam ſibi vendicat, non unius aut paucorum hominum, ſed integri cœtus doctorum & in praxi exercitatorum virorum ſit negotium, neceſſarium putat Auctor noſter, ut Principes in urbibus ſuis, præſertim celebrioribus, & in quibus ingentia extant xenodochia, Medicorum Collegia praxeos per obſervationes promovendæ gratia inſtituant. Quæ in duas commode claſſes poſſint diſtingui, quarum altera legendis libris, morborum frequenter occurrentium obſervationes, non paradoxas nec raras, ſed fideliter traditas continentibus, incumbat, ita ut unicuique claſsis hujus ſodali unus duntaxat morbus tota ſua vita tractandus com-

committatur, qui inveſtiget naturam morbi in genere, ſigna diagnoſtica & prognoſtica, mónita & præcepta generalia, medendi methodos accuratiores, remedia ſelectiora ac ferme ſpecifica, ſymptomatum & morborum mutuas inter ſe transmutationes, diuturnitatem vel brevitatem eorundem, naturæ conatus, methodum & ordinem in expulſione materiæ morboſæ, & hujus generis alia, ſingulaque in ſua capita diſpertiat. Altera claſsis tota ſit in exquirendis de novo notandisque morborum obſervationibus, ita ut ſinguli hujus claſsis ſodales in ſingulis morbis indagandis verſentur, & (1) omnia ad vivum delineent ſymptomata, prout ab ægro referuntur: (2) inquirant, & poſt longas inquiſitiones determinent, quænam ſymptomata ſint conſtantia, ac velut diagnoſtica perpetua morbi tractandi, eaque diſtinguant a fortuitis, communibus, aliisque pendentibus potius a diverſa medendi methodo, & concurſu cauſarum pæne infinito, quam ab ipſa natura: (3) adnotent cum cura, quæ indoles, quæ vehementia, qui progreſſus & exitus ſymptomatum, quæ demum unius in aliud mutatio, ſingulis morbi temporibus appareat; quæ facies, quæ vehementia, qui progreſſus & exitus, quæ tandem mutatio in melius vel deterius in ipſo morbo ſuccedant, poſt cujuscunque ſymptomatis adventum aut receſſum; quæ ſymptomata recedant, quæ augeantur a quovis adhibito remedio, ſecundum methodum præſcriptam, ſingulis morbi temporibus, quæque mutatio ipſius morbi remedia conſequatur; quæ ſymptomata comitentur morbum uſque ad finem, & qua vehementia quovis illo tempore; quæ contra illum brevi deſerant, & quonam illius tempore, demum qui eventus obſerventur in morbo, dum illum relinquunt, vel iterum regrediuntur: (4) horum omnium inquiſitionem non ſolum ad centenos atque millenos ægrotantes perducat, non neglecta ſectione cadaverum morbis exſtinctorum, ut de rei veritate certi omnino fiant, & axiomata generalia facile poſſint extruere, ſed eodem quoque tempore cogitent de perficienda ſigillatim hiſtoria cauſarum, ſignorum diagnoſticorum, indicationum ſolidarum, ſive methodi curativæ, remediorum ſpecificorum, aliorumque ad eſſentiam morbi cognoſcendam ſpectantium. Inter leges Collegii hanc facit Auctor præcipuam, quæ ſtatuto tempore, & ſaltem ſemel in menſe, convenire jubet ſodales, cenſoribusque (qui ex ſodalibus creati ſeniores, doctiores, judicio maturi, & longa praxi exercitatiſſimi) propone-

re

re obſervationes peractas, ita ut penes hos jus ſit corrigendi, quidquid peccatum fuerit contra leges hiſtoriæ, & methodum eidem perficiendæ præ cæteris opportunam. Capite quinto ſolvuntur argumenta, quæ huic inſtituto poſſunt objici, oſtenditurque fruſtra jactari, morbos eſſe effectus quosdam confuſos, & inſtabiles, inordinatos, motusque naturæ deſtitutæ ac ſe defendere neſcientis: cum ipſa experientia conſtet, morbos æquabilem quandam, certam & individuam in motibus periodisque ſuis conſtantiam ſervare, & humorum in morbis nonnullis ſpecificationes ita eſſe conſtantes, ut qualemcunque demum partem morbus occupet, & qualemcunque perſonam induat, ſemper tamen manifeſtetur per characteres quosdam, ſpecificationis ſuæ indivulſos comites. Cæterum ut hæc eo planius intelligantur, non tantum capite ſexto proponitur ſpecimen hiſtoriæ in deſcribenda podagra, & aphoriſmorum practicorum hinc deductorum, nec non capite ſeptimo longa ſeries eorum, quæ in arte medica adhuc deſiderantur, quæque ex hiſtoria morborum fideliter conſignata poſſunt reſtitui; ſed ſpecialius paulo agitur capitibus ſequentibus, de morborum ſignis diagnoſticis, cauſis, indicationibus, & remediis ſpecificis. Nam capite octavo, quanti interſit rite noſſe morborum ſigna diagnoſtica, inculcat experientiſſimus Auctor, morborumque nonnullorum ſigna ſpecialius proſequitur. Capite nono cauſas morborum pertractat, monetque, male vulgo negligi cauſam procatarcticam, cum tamen illa non raro nos manu quaſi deducat ad penitiorem morbi cognitionem, cæterisque ſit manifeſtior. Quamvis autem doctiſſimi quidam Viri in eam deſcenderint ſententiam, dummodo conſtet, quibus indicationibus & remediis curandus ſit morbus, parum referre, ſi cauſam illius immediatam & a ſenſibus remotiſſimam ignoremus; nihilominus tamen vias quasdam patere oſtendit, quibus ſenſim ad hujus cauſæ cognitionem pervenire poſſimus, ſi ſcilicet pulſum, feces, urinam, ſputum, ſudores, vomitus, ſanguinem venæ ſectione extractum, colorem cutis, unguium, linguæ inprimis conſtitutionem, nec non juvantia & lædentia, item mutationem unius morbi in alium ſpeciei vel ſimilis vel diverſæ, læſionem partium & operationum principalium, ſymptomata item morbum comitantia vel antecedentia, eorumque naturam, vim & modum invaſionis, nec non remiſſionem aut exacerbationem ab aſſumtis remediis, probe conſideremus. Porro cum indicatio-

cationes curativæ conſtantes & a repetitis morborum obſervationibus depromptæ prima praxeos ſint fundamenta, has capite decimo maxima indigere correctione aſſerit, cum falſis hodie hypotheſibus innixæ nihil aliud nobis exhibeant, quam inania ſpeculationum ſomnia. Exiſtimat ergo, indicationes curativas aliunde certius deduci non poſſe, in morbis præcipue illis, in quibus mora omnis pernicioſa eſt, quam a ſymptomatis tunc temporis gravioribus & ſupra reliqua prædominantibus; quippe quæ morbi genium & gravitatem præ cæteris aperte nobis oſtendant. Verum cum in quolibet morbo quatuor ſint conſideranda, morbus ipſe, cauſa, ſymptomata & vires, Medicum ita horum omnium motus, originem, vim, aliasque circumſtantias callere debere, ut de indicationibus nihil audeat decernere, niſi quatuor illis attente conſideratis & relatis inter ſe, ut urgentiori primum poſſit proſpicere. In chronicis contra cum phænomena ſint diuturna & conſtantiora, indicationes a juvantibus & lædentibus præcipue deſumendas eſſe monet, & fideli earundem ætiologia, ex cadaverum morbis denatorum ſectione petenda. Capite undecimo arctiori paulo fœdere conjungendas cenſet indicationes cum remediis, ſed ita, ut non ſolum fideliter notentur remedia ſpecifica, ſed & præcepta ſtabilia circa uſum, quantitatem, tempus, aliasque adhibendorum remediorum cautiones; cum intempeſtive uſurpata plus noxæ, quam utilitatis, ægris afferant. Ultimo tandem capite illos impugnat, qui criſes, criticosque dies derident. Quamvis enim concedat, criſes olim felicius in Aſiæ puriori tenuiorique aere ſucceſſiſſe, non tamen hinc ſequi putat, nullas apud nos poſſe obſervari, ſi modo poſt præſcripta pauciſſima in principio morbi medicamenta, dum res ad ſtatum tendit, a remediis, quantum licet, abſtineamus, criſinque expectemus: cum conſtans adeo naturæ ſit ordo, in perficiendis ſtato tempore humorum peccantiũ coctionibus & depurationibus. Arbitratur enim, defectum criſium hinc frequenter oriri, quod Practici recentiores, ignari naturam eſſe morborum, præſertim acutorum, medicatricem, toto febrilis accenſionis tempore aſſiduis remediorum formulis turbant ita humorum motum, ut ad criticam deſpumationem venire nequeant.

Additæ ſunt Diſſertationes tres varii argumenti. Prima de Tarantula agit, quam Baglivus ideo conſcripſit, quod illi qui, ante ipſum de hoc animalculo commentati ſunt, vel ex alienis dictis ſcripſerunt,

vel plurima ad arbitrium finxerunt, nemoque illorum vidit Apuliam, in qua Tarantula venenoſam ſuam vim potiſſimum exerit, ſi unum excipias Epiphanium Ferdinandum Apulum. In eadem præ reliquis notatu digna occurrunt ſequentia: Tarantula, a Tarento nobiliſſima olim Apuliæ urbe nomen adepta, ex araneorum fila texentium eſt genere, frequens in Apulia, regione plana æſtivique Solis calore vehementer aduſta, hyeme ſub terra latens, nullisque veſcens alimentis. Hoſtem habet animalculum veſpæ non abſimile, in dorſo variegati coloris, in ventre vero nigricantis, quod tarantulas cæterosque araneos avide quærit, occidit, & depaſcitur. Si plures in uno vaſe concludantur tarantulæ, altera alteram interficit & comedit. Per initia æſtatis ex ſpecubus ſuis prodeunt, arva incolunt, & inſidias ſtruunt viatoribus. Ruricolæ, quando eas captare volunt, ad illarum latibula accedunt, tenuisque avenaceæ fiſtulæ ſonum, apum murmuri ſimilem, modulantur, quo audito foras exit tarantula muſcas venatura; vel tenui vibice motum, & gratum ſibilum efficiunt, deinde vibicis apicem ad oram latibuli apponunt, quo facto tarantula e nido prodiens ſuper vibicem aſcendit & capitur. Magnitudine æquat vel etiam ſuperat glandem, habetque octo pedes, quorum ſinguli terna agnoſcunt internodia, anterioresque duo reliquis ſunt minores. Corpus ejus dividitur in duas partes principaliores, thoracem & ventrem, quæ tenui ligamento ſeu nodulo uniuntur. Caput thoraci & humeris continuum eſt, ex ejusque ore duo tela prodeunt ſimilia forcipi hamato, quorum apex acutiſſimus eſt, ſuntque quaſi duo veneni emiſſaria. Subſtantia eorum cruſtacea eſt & friabilis, & in maribus tarantulis firmiora ſunt & acutiora, in fœminis contra obtuſiora & laxiora. Poſt forcipes occurrunt duæ antennæ, quæ prope illas oriuntur, duo habentes internodia; extremusque harum antennarum apex in maribus latior eſt & craſſior, in fœminis acutior & ſubtilior. Tarantula oculos habet octo læves & lucidos, nec monticulis ſive tuberculis exaſperatos, & ex his quidem quatuor majores hinc inde ad latera capitis ſitos, reliquos minores vix oculo nudo conſpicuos, linea parallela ſub primis diſpoſitos, colore quandoque nigro, quandoque ſubcœruleo. Eſt hoc animal piloſum, ejusque color externus eſt varius. Nonnullæ enim tarantulæ æmulantur colorem coturnicum, aliæ cineritium vel ſubalbum, aliæ ſubnigrum, ad inſtar coloris pulicum, ſuntque demum,

quæ

quæ maculis hinc inde ſtellatis conſperguntur. Cutis illarum mollis eſt, in maribus tamen durior, ſed ad cruſtaceam ſubſtantiam non accedit. Viſcera mollia & friabilia ſunt, ut vix poſſit minima eorundem ſtructura determinari. Fœmina ovario gaudet, mas autem organis prolificum ſemen generantibus, & pene, qui exurgit ex media commiſſura thoracis & ventris, eſtque nigricans, intortus, & forma referens muſcæ aculeum. Coëunt appetente Junio, & poſt elapſos aliquot dies fœmina folliculum parturit coloris cœleſtis, figura & magnitudine luxino ſimilem, ſeu congeriem ovulorum, tenuiſſimis & flaccidis filis, mucoque ſui generis unitorum, quam arcte complectitur, & per 12, 15, aut 20 dies continet, deinde in campo deſerit, ut ovula calore Solis excludantur, poſt 20 aut 30 a partu dies. Noxiæ tantum ſunt tarantulæ, quæ Apuliæ campos incolunt, æſtivo tempore, præſertim urente Canicula, quia tunc a flagrantiſſimis Solis radiis venenum illarum exaltatur, ipſæque aguntur in rabiem, ut irritatæ pariter & non irritatæ, quoſcunque ſibi obvios, vigilantes æque atque dormientes, impetant. Morſus tempore exiguam vixque perceptibilem liquorem eructant, qui utrum venenum ſit, an potius inflammatorum venenatorumque ſpirituum vehiculum, incertum eſt. Exitiales quoque ſunt liquores, in quibus tarantulæ ſuffocatæ. Hyeme ſi mordent tarantulæ, non offendunt, nec in alias translatæ regiones, imo quæ montes Apuliam terminantes inhabitant, quocunque tempore mordeant, ſunt innoxiæ. Qui punguntur a tarantula, ſentiunt ictum veluti a formica aut ape inflictum. Demorſa pars quandoq; dolore, quandoq; ſtupore inſigni afficitur, circulo livido, nigro, aut ſubflavo coloratur, & paulo poſt in tumorem, acerbiſſimum dolorem commoventem, attollitur. Paucis elapſis horis, patientes ingenti cordis angore corripiuntur, & generaliter loquendo, talia occurrunt in ipſis ſymptomata, qualia in maligna febri ex coagulatione laborantibus obſervari ſolent, ſpirandi ſcilicet difficultas, omnimoda fere pulſus oppreſſio, animalium vitaliumque actionum repentina ac pæne fatalis jactura. Quæ ſymptomata tamen graviora aut leviora ſunt, pro varietate tarantularum, & ægri temperie. Variis quoque delectantur ægri coloribus, præcipue rubro, viridi & cœruleo, raro autem nigricanti. Cum autem multiplicia ac fere incredibilia ſint tarantatorum ſymptomata, quorum multa a depravata imaginatione pendere videntur, non a veritate alie-

num cenſet doctisſimus Auctor, venenum tarantularũ, poſt exacerbationem vehementiorum ſymptomatum primis diebus apparentium, creare demum melancholiam ſui generis, præcipuamque ſedem figere in liquido nervorum ſeu ſpiritibus animalibus. Notatu quoque dignum putat, mulieres chloroſi laborantes eadem fere in Apulia pati ſymptomata, quæ tarantatas affligunt, eodemque modo curari, atque hinc mulieres non paucas tarantiſmum ſimulare, ut opportuna Muſices occaſione, ſolis tarantatis permiſſa, uti poſſint. Non autem ſolum, quamdiu tarantula vivit, venenum viget, ut falſo nonnulli ſcripſerunt, ſed in his etiam, qui remediis ab imminenti morte liberantur, adeo intime veneni ſeminia humoribus inſeruntur, ut vix exſtirpari poſſint, ſed quotannis repullulent, potisſimum circa illud tempus, quo quis demorſus fuit, & maxima quidem cum vehementia, niſi ſtatim ad conſueta remedia confugiatur. Indicationes curativæ in eo conſiſtunt, ut diſſolvantur attenuenturque humores virulento afflati contagio, per medicamenta alexipharmaca & bezoardica, & demorſus locus ſtatim ſcarificetur, ipſique applicetur cucurbitula, ad veneni extractionem, deinde theriaca & allio contuſo foveatur, donec venenum aliquantisper fuerit debilitatum. Primas autem inter remedia interna tenet aqua Reginæ Hungariæ, vel ipſa eſſentia roriſmarini per ſe deſtillata, & ſumta cum aqua theriacali, corticum citri, vel hyſſopi, meliſſæ, aut ſerpilli, vel etiam brodio herbis alexiteriis alterato. Quæ tamen remedia fruſtranea ſunt, niſi adhibeatur Muſica, præcipuum hujus mali antidotum, qua audita, quamvis adinſtar apoplecticorum jaceant ægri, ſenſim movere incipiunt manus, pedes, & reliqua denique membra, donec tandem in pedes erecti ululent, ſuſpirent, & choreas inchoent, quas frequenter duas tresve horas continuant. Poſtquam vero paululum quieverunt in lectulo, ad ſudores abſtergendos viresque reficiendas, eadem vehementia ad ſaltationes proruunt, & duodecim fere horas impendunt in choreis vicisſim inſtitutis, donec tandem ab omnibus ſe ſolutos ſymptomatibus perſentiunt, quod fit frequentisſime poſt tertium vel quartum diem, & deinde per totum illum annum a pravi morbi inſultibus vivunt immunes. Redeunte vero anni tempore, quo a tarantula admorſi fuerant, ſi per conſuetas choreas morbi vehementiæ non antevertunt, paroxyſmus derepente ingruens illos occupat, ut ubicunque reperiantur, concidant velut apople-

plectici, aphoni, cum denigratione faciei & extremorum, ſique nec tunc ſaltent, toto illo anno miſerrime diſcrucientur. Excitantur tarantati ad ſaltandum non ſolum diverſis ſonorum modis, prout a diverſa ſpecie tarantulæ fuerunt icti, ſed etiam peculiaribus delectantur inſtrumentis, alii fiſtula paſtorali, alii tympano parvo, alii cythara, alii lyra &c. omnes tamen velociſsima ſonorum modulamina deſiderant, quibus inſtar amentium concitantur & moventur. Quod vero & tarantulæ Muſica gaudeant, & ad ſaltandum impellantur, majori probatione egere putat Baglivus, quamvis hoc ipſi non improbabile videatur; neque ipſe vidit bruta a tarantula morſa, ut vulgo ferunt, ſaltare. Cæterum Muſicam hinc judicat vim habere ſolvendi ſpirituum humorumque venenoſum coagulum, quod ab inſtrumentis commotus aër vehementius ferit ſpirituum, humorum & membranarum ſyſtema, & ex valido illo impulſu vehementior pariter in humoribus exoritur fermentatio, exaltatio, & debita fluiditatis reſtitutio: quæ a remediis diaphoreticis intus ſumtis effici non poſſunt, quia antequam ad ſanguinem perveniant, vires ſuas magna ex parte amittunt, aguntque in fluida tantum, non æque in ſolida. Eidem diſſertationi inſerta eſt ſumma literarum P. Joh. Dominici Putignani S. J. quibus refert, in urbe Calabriæ Paula virtutem lapidis ſerpentis Cobras de Cabelo alexipharmacam, a celeberrimo Redo in dubium vocatam, a ſe comprobatam in ruſtico a Calabro ſcorpione icto, & in extremum vitæ periculum redacto.

Diſſertatione ſecunda de uſu & abuſu veſicantium agitur, & cap. 1. proponuntur nonnulla experimenta circa effectus cantharidum, ex quibus colligitur, cauſticum illarum ſal diſſolvere ſanguinem & colliquare. Cap. 2. incommoda ab uſu veſicantium oriunda recenſentur, quod ſcilicet ſitim vehementem producunt; quod ulcera a veſicantibus excitata deſinunt quandoque in gangrænam, præſertim in cachecticis, hydropicis, aut qui lue Gallica graviter laborarunt; quod graviter capite vulneratis, & delirantibus febri acuta, convulſiones mortemque inferunt; quod non ſolum gangrænam, verum etiam mictus ſanguineos & ardores urinæ, aliaque veſicæ mala frequenter gignunt, præſertim in macilentis & gracilibus, tempore anni æſtivo; quodque in ſalacibus viris fœdiſſimas ſatyriaſes excitant. Cap. 3. oſtenditur, quantum in conſtitutione ſanguinis acri & colliquativa obſunt veſicantia, tantum

illa conferre in diatheſi ejusdem craſſa, viſcida, & ad coagulationem ſtagnationesque ſe diſponente, v. g. in febribus, quæ exiliſſimo pulſu, extremitatibus frigidis, anxietate, ad morbos ſoporoſos propenſione, aliisque coagulationis indiciis ſtipantur; in pleuritide, quando circa quintum circiter vel ſeptimum diem magna ſpirandi & expectorandi difficultas ægrum in ſummum diſcrimen conjicit, ſi duo veſicantia tibiis vel cruribus admoveantur; nec non in oculorum & faciei morbis. Si areſcant ulcera a veſicantibus excitata cum colore ſubnigro aut liveſcente, & quaſi gangrænam minentur, conſulit Baglivus, ut bis vel ter quotidie melle roſaceo inungantur, ſed ſi difficulter cicatricem ducant, ut pulvis thuris ſubtiliſſime contriti bis in die vulneri aſpergatur. Qui graviſſima tuſſi cum ſputo craſſo & copioſo laborant, hos a nullo remediorum genere tantam utilitatem recipere, quantam a veſicatorio cervici appoſito, confirmat, hortaturque Medicos, ut in pertinacibus viſcerum obſtructionibus, cachexiis, ſuppreſſionibus menſium &c. uſum cantharidum experiantur. Tandem cum veſicantia ſtimulando agant, & inter ſtimulos principem obtineant locum, eorum naturam, ad mentem doctiſſimi Bellini, in capite ultimo exponit.

Diſſertatio tertia præter ſyllogen experimentorum, per infuſoriam in vivis animalibus factorum, continet hiſtoriam tum apoplexiarum epidemicarum, anno 1694 & 1695 in Urbe & per Italiam obſervatarum, tum morbi & ſectionis cadaveris ſagaciſſimi Medici, Marcelli Malpighii, qui d. 29 Novembr. a. 1694 apoplexia correptus diem obiit ſupremum. Aperto capite, in cavitate dextri ventriculi cerebri duæ libræ circiter ſanguinis nigri & grumoſi extravaſati, in ventriculo ſiniſtro aqua ſubflava ad pondus ſesquiunciæ, eique intermiſtæ minimæ arenulæ exigua quantitate, ipſaque vaſa ſanguifera cerebri undequaque varicoſa fuerunt inventa.

## *JOANNIS CIAMPINI EXPLICATIO DUORUM SARCOPHAGORUM, ſacrum Baptiſmatis ritum indicantium.*

Romæ, typis Bernabò, 1697. in 4. Plag. 4. cum Fig. æneis.

ANtiqua duo monumenta marmori olim inſculpta libello hoc illuſtrantur, quorum id, quod nobis non minus quam Editori celeberrimo momenti maximi viſum, hoc quoque loco contemplandum Lectori benevolo exhibemus. Tab. I. Compluſculi jam anni lapſi ſunt, ex quo


I. ad A. 1698. pag. 46. M. Ian.

quo ea apud Chiaiam, oppidum Neapoli ſuburbanum, in villa Excellentiſſimi Principis *Caramaniti*, in cujus palatio hodieque aſſervantur, fuerunt detecta, eorumque delineatio a Principis affine Reverendiſſimo *Andrea ab Aquino*, Tricarienſi olim Epiſcopo, Romam ad Illuſtriſſimum *Joannem Ciampinum*, quem in omni Antiquitate curioſiſſimum noverat, transmiſſa. Et hic quidem utriusque monumenti figuras jamdudum celeberrimo *Mabillonio*, cum hic Romæ commoraretur, donaverat: qui easdem in *Itinere Italico Litterario* Pariſiis A. 1687 edito, & a nobis in Actis hiſce ejusdem anni menſe Novembri pag. 503. recenſito, in quo paſſim Ciampini officioſitatem & erga ſe benevolentiam deprædicat, ad menſem Julium pag. 73. publicavit quidem, ſed ita ut nihil aliud, quam repræſentari in iis baptiſmum per immerſionem ſimul & ſuperfuſionem ab homine Laico collatum, Longobardos autem aut Græcos barba quorundam prolixiore indicari, monuerit. Tandem itaque Ciampinus ipſe explicationem imaginum, & ejus inprimis, quam ſiſtimus, in præſenti libello aggreſſus eſt, & Longobardos delineari agnoſcit, per eos vero, qui in uno eodemque baptiſterio ſacris undis abluuntur, non alios, quam *Agilulfum* Longobardorum quondam Regem ejusque conjugem *Theodelindam* repræſentari, perſuaſum cupit Lectoribus. Et celebris utique eſt in Annalibus Theodelinda illa, Garibaldi Bojorum Regis filia, quæ Authari Longobardorum Regi primum nupta, poſtquam hic deceſſiſſet, Agilulfum Taurinatium eo tempore Ducem ultro ſibi maritum aſcivit, deditque univerſæ genti Longobardicæ Regem, & antiqua traditione Longobardos ſeu a Gentiliſmo, ſeu ab Arianiſmo ad fidem Catholicam convertiſſe creditur. Eam ergo Maritum quoque ad religionem Chriſtianam perduxiſſe, ac una cum eo ſacrum baptiſmum ſuſcepiſſe, Ciampinus probabile exiſtimat, anno etiam baptiſmatis, ſupra quingenteſimum nempe poſt Chriſtum natum nonageſimo primo, conſtituto. Cum vero conjecturæ huic ſuæ tria obſtare deprehendiſſet, 1. quod Theodelinda jam diu ante Chriſtianæ fidei fuerit addicta; 2. quod Longobardi etiam jam ante fuerint Chriſtiani, licet Arii hæreſin ſectati; 3. quod Longobardi Neapolin uſque nunquam penetrarint: ad ſingulare ſpondere nititur. Ad primum: fuiſſe quidem jam antea Theodelindam Chriſtianæ religionis dogmatibus utcunque imbutam, at nondum baptizatam; cum in longius etiam tempus Baptiſmum differ-

re, infrequens inter Chriſtianos ea ætate non fuerit. Ad ſecundum: Longobardis Arianis immixtos etiam fuiſſe Gentiles, & ex horum numero fuiſſe Agilulfum. Ad tertium: Longobardos Beneventanam ſaltem regionem jam anno 571 occupaſſe, poſteaque & Neapolitanam ſubinde invaſiſſe; cumque ſub initium ſeptimi ſeculi Joannes Conſinus, Agilulfi forte conſanguineus, Neapolitanæ civitatis & provinciæ præfectus eſſet, probabile videri, quod Agilulfus ad eum profectus Neapoli obierit, ac in ejus ſuburbio Chiaia fuerit tumulatus. Duo ſuperſunt, de quibus disquiri poſſit: alterum baptizantis veſtitus, qui Laicum prodere videtur; alterum forma baptiſmi per immerſionem ſimul & aſperſionem. Et circa poſterius quidem facile ſe expedit Ciampinus, ritumque illum a temporum iſtorum conſuetudine non abhorrere, ex picturis ſimilibus aliis oſtendit: quemadmodum idem confirmat *Mabillonius* in laudato ſupra *Itinere Italico*, ubi ad diem X. Auguſti, pag. 81. in atrio Baſilicæ S. Laurentii depingi ita memorat S. Romanum a S. Laurentio baptizatum, ut Laurentius dextra Romanum nudum utpote aquis immerſum benedicens, ſiniſtra urceum aqua plenum ſuper ejusdem caput effundens repræſentetur; ſuperfuſione nimirum, quod caput in aquam mergi non poſſet, adhibita, ut nulla pars hominis expers eſſet ſacri lavacri. Circa prius vero fluctuare Ciampinum videas, ita tamen, ut poſtquam varia conjectaſſet, in ea denique ſententia acquieſcat, Presbyterum fuiſſe, qui baptizat, ſed metu Arianorum, qui inter Longobardos frequentes erant, Laici habitum indutum; prout olim hodieque Sacerdotes, in ditiones a Catholica religione alienas miſſi, Laicali habitu incedere conſueverint. Hæc ſumma eſt eorum, quæ in libello ipſo latius ab Illuſtriſſimo Ciampino explicantur, non prohibituro, ut opinamur, quin & alii hiſtoriarum & antiquorum ſacrorum rituum periti rem omnem ſub exactius examen revocent, & ſi in conjecturas forte alias magis probabiles inciderint, eas cum publico benevole communicent.

## *DOMINI MARCHIONIS HOSPITALII SOLUTIO PROBLEMATIS propoſiti in hiſce Actis menſe Majo, A. 1697. a D. Jac. Bernoullo, deſumpta ex Methodo* de maximis & minimis.

Addun-

TAB. II. ad. A. 1698. pag. 49.

Fig: 2.





Fig: 3





Fig. 1.





Fig: 4.






Fig. 5.



Adduntur & aliæ Solutiones quinque, ex eadem methodo collectæ, Problematum huic affinium, nuper etiam ab altero D. Joh. Bernoullo fratre propoſitorum, in hujus anni 1697 Ephemeridibus Gallicis num. 33, pag. 394 & ſeq.

VIxdum rure Pariſios redieram, cum attentius expendi Solutiones *menſe Majo* in *Actis* editas Problematum a doctisſimo Groningæ Profeſſore *Joh. Bernoullo* propoſitorum. Nec ſane diffitebor, mearum conſenſum cum illis magis eo placuiſſe mihi, quod illæ non eſſent niſi a Geometris inſignioribus exhibitæ. Hos autem inter legitur clarisſimus alter *Bernoullus* (Jac.) Baſileæ Profeſſor, qui una cum illorum problematum ſolutionibus duo nova proponit *ad promovendam* (inquit) *ſcientiam de maximis & minimis*, de quorum altero ſic loquitur pag. 213:

*Alterius generis nec minus elegans problema foret, ſi jam porro quæreretur, quænam ex infinitis Cycloidibus (aut ſaltem circulis, parabolis, aliisve curvis) per A tranſeuntibus, ac ſuper eadem baſi AH conſtitutis, illa ſit per quam deſcendens grave minimo tempore ad datum perpendiculum ZB appellat. Qui ſpeculationem de maximis & minimis promovere volet, tentabit; nobis ſufficiat propoſuiſſe.* Altero deinde problemate præmiſſo, ſic de ipſo *Fratre* loquens ait: *Huic ne detrectare poſſit, adjungimus alterum quod de infinitis cycloidibus ſupra motum fuit, majoremque cum ſuo affinitatem habet, &c.*

Porro Problema hoc adeo commendat doctisſimus hic idem Geometra, ut licet negotiis circumquaque preſſus, ab eo ſaltem tentando abſtinere non potuerim. Itaque tentavi, nec irrito conatu, cum mentem ſubierit ſtatim Methodus, qua ad vulgarem *de maximis & minimis* id reduci poſſit & ſolvi; quod, ni fallor, omnino eſt ad Authoris ſenſum: idque gratius eo fore geometris autumo, quod hac eadem arte ſolvi quæſtiones hujuſce generis quam plurimæ poſſint.

Sit igitur Cycloidis (cujus initium A, ſemi-circulus genitor AMC) pars aliqua AB ad verticalem ZB usque protenſa. Tum ducta BPM ad Horizontalem AZ parallela, fiat ſemi-circulus alter AND quavis ad libitum diametro AD, quæ conſtans maneat, dum interea mutatur continuo diameter AC circuli genitoris AMC, ut Tab. II. Fig. 1.

nempe hic omnes infinitarum cycloidum AB genitores exhibere poſſit.

Ponantur jam indeterminatæ AP $= x$, PM $= y$, & conſtantes AZ vel BP $= a$, AD $= b$; ac proinde AC $= \frac{xx + yy}{x}$. Hinc ſi fiat AC. AD :: AP. AQ, ducaturque ordinata QN, prodibit AQ $= \frac{bxx}{xx + yy}$. Adde quod ex natura cycloidis fiat arcus AM $= a + y$; adeoque etiam ſimilis AN, quem appello $s = \frac{abx + bxy}{xx + yy}$. Ergo differentiando, duplus habebitur valor ipſius $ds$; primus nempe ex $\frac{abx + bxy}{xx + yy}$, ſecundus ex ipſo circulo AND: ex quo duplici valore tandem conficitur æquatio differentialis $2x^3dy - axxdx - 2xxydx + ayydx - 2axydy = o$, quæ dat naturam curvæ transeuntis per puncta M, una cum tangentibus ejus; Quod jam Problema novum eſt & eximium.

Præterea Geometrarum nemo neſcit tempus deſcenſus ex A per AB menſuram habere ab arcu AM diviſo per radicem diametri AC, hoc eſt, a quantitate $\overline{a + y}\sqrt{\frac{x}{xx + yy}}$, cujus differentialis æquata zero, juxta methodum *de maximis & minimis*, dat $2x^3dy - axxdx - xxydx + ayydx + y^3dx - 2axydy = o$.

Jam quia æquatione ſuperiori definiuntur omnia puncta M reſpondentia punctis B, in quibus ſingulis ſingulæ cycloides, ex eodem initio A ſuper eadem baſi AH poſſibiles, occurrere poſſunt eidem verticali ZB; hac altera vero exprimitur, quodnam ex hiſce punctis pertineat ad cycloidem celerrimi deſcenſus: ſequitur hac utraque ſimul æquatione hanc adæquate cycloidem definiri. Quapropter ſecundam extraho a prima, reſiduamque $y^3dx + xxydx = o$ divido per $yydx + xxdx$; atque hinc prodit $y = o$, ſeu M cadere in C, vel eſſe AC $=$ ZB in cycloide quæſita celerrimi deſcenſus. Unde tandem patet ex infinitis cycloidibus AB ab initio communi A ad eandem verticalem ZB pertingentibus, quæ dimidia comprehen-

henditur inter A & ZB, vel (quod eodem recidit) cujus ſemi-circumferentia circularis genitrix AMC æquatur rectæ datæ AZ, eam ipſam eſſe per quam grave deſcendens ab A, minimo tempore ad datum perpendiculum ZB appellat. *Quod erat inveniendum.*

*ADDITIO.*

AD confirmationem ejus quod ſuperius dictum fuit: eadem arte, qua Problema præcedens, plurimas ejusdem generis quæſtiones ad methodum communem *de maximis & minimis* poſſe reduci & inde ſolvi; novas hic addere juvat ſolutiones Problematum illi affinium nuperrime propoſitorum ab altero pariter doctiſſimo fratre *Joh. Bernoullo* in *Ephemeridibus Gallicis hujus* (*1697*) *anni, pag. 394*. Sex ibi propoſuit, e quibus illico jam quinque ſolvi: ſcilicet

1.° Data Curva CC tali, ut deſcripta quavis Ellipſi BC dati axis, cum ordinata communi CD, ſegmentum BCD ſit ubique conſtans & æquale ſpatio dato: primum exquiritur ratio ducendi tangentes ejus. Tab. II. Fig. 2.

Data Ellipſium diametro deſcribatur circularis arcus BCF, cujus centrum A, quique occurrat in F ordinatæ DC; tum fiat DC. AG :: BCD. $\overline{DF}^2$ Dein aſſumpta DT tertia proportionali ad GD & DF, ducatur CT: Hæc tangens erit quæſita ad datum punctum C Curvæ datæ CC.

2.° Ex hac conſtructione ſequitur æquatio differentialis curvæ CC, & inde valor ipſius $= \frac{dx}{dy}$, qui ſi fiat $= \frac{y}{x}$, nova prodibit æquatio Curvæ geometricæ qua ſecabitur data CC, in eo e ſuis puncto quod omnium minime diſtat a puncto B.

3.° Data Curva CC indolis ejus, ut deſcripta quavis parabola BC, axe BA & vertice B, arcus BC ſit ubique conſtans & æqualis lineæ datæ: exigitur tangens ejus CT, ex quovis puncto in ea dato C.

Ducta parabolæ tangente CE, ſi fiat CE - BC. BC :: BD. BT, erit CT tangens ipſa quæſita.

4.° Eadem arte qua ſuperius (*art. 2*) hujus natura Curvæ invenietur una cum ejus puncto C, cui proximum eſt punctum datum B.

5.° Sit recta AC poſitione data, quæ Parabolas omnes iisdem axe BA & vertice B deſcriptas ſecet in C: Quæritur minimus arcuum BC. Fig. 3.

Ut generalius longe fiat hoc Problema, loco rectæ pono curvam quamvis, ſive geometricam, ſive tranſcendentem AC. Jam ſit ex infinitis Parabolis aliqua BEC, cujus ad libitum ſit parameter conſtans = a; ex quolibet puncto C lineæ datæ AC ducatur CD perpendicularis ad AB, quæ parabolæ conſtanti BEC occurrat in E; dein facto $\overline{CD}^2 . \overline{DE}^2 :: BD . BF$. ductaque ordinata FG, ſi in CD producta ſumatur DH æqualis arcui BG, fiet curva BHO pendens a rectificatione parabolæ. Tandem ordinatis DH curvæ PQ poſitis $= z$, $BD = x$, $CD = y$, ſi fiat æquatio $z = \frac{axydx - axxdy\sqrt{yy + 4xx}}{y^3dx - 2xyydy}$ in qua ſi ſubſtituatur valor $dy$ notus ex natura curvæ datæ AC, fluet inde valor ipſius $z$, ſolis $x, y$, & conſtantibus expreſſus, cujus ope deſcribetur curva PQ eo in puncto H ſecans alteram BH, quod ducta HDC perpendiculari ad AB, definiet arcum omnium minimum BC. *Quod erat inveniendum.*

Advertendum, curvam hanc ultimam fore geometricam aut tranſcendentem, prout AC geometrica fuerit aut tranſcendens.

His autem quinque articulis continentur ſolutiones Problematum 2, 3, 4, 5, 6, D. *Joh. Bernoulli*, quæ cum ex eadem arte pendeant e qua ſuperius D. *Jac. Bernoulli* fratris ejus de cycloïdibus infinitis, non eſt quod in earum Analyſi repetenda diutius immorer, præſertim ne quid ſuo Marte conficiendi voluptatem tyronibus adimam.

## *JOH. BERNOULLII, PROFESSORIS GRONINGENSIS, SOLUTIO Problematum, quæ Jacobus Bernoullius, Profeſſor Baſileenſis, in Act. Erud. 1697, menſe Majo p. 214 ſq. frater fratri propoſuit, excerpta ex Diario Eruditorum Gallico 12 Dec. 1697, pag. 458 ſqq.*

Cum *Pappus lib. V, Prop. 10, Collect. Mathem.* optime demonſtraverit, circulum inter omnes figuras iſoperimetras eſſe capaciſſimum, in hac probanda propoſitione non immorabor, ſed ad rem ipſam veniam. Prima quæſtio hæc eſt: *Ex omnibus curvis iſoperimetris, ſuper axe determinato BN conſtitutis, quæritur illa BFN, quæ non ipſa quidem maximum comprehendit ſpatium, ſed facit, ut aliud, curva BZN comprehenſum, ſit maximum, prolongata applicata FP ita, ut*

Tab. II. Fig. 4.

*ut PZ ſit in ratione quavis multiplicata, vel ſubmultiplicata, applicata PF, aut arcus BF; hoc eſt, quæ ſit quotacunque proportionalis ad datam A & applicatam PF, aut arcum BF.* Senſus hujus quæſtionis eſt, ut *determinetur curva BFN, inter infinitas alias ejusdem cum illa longitudinis, cujus applicatæ PF aut arcus BF ſi eleventur ad poteſtatem datam & expreſſam per alias applicatas PZ, efficiant maximum ſpatium.*

Quamvis plures mihi ſuppetant hujus problematis ſolutiones, hic tamen ſimpliciſſimam dabo, quæ ſufficit. Sit exponens poteſtatis $n$, recta arbitraria $a$; PF aut BG, $x$; BP aut GF, $y$; ſumatur GF aut $y = \int \frac{x^n dx}{\sqrt{a^{2n} - x^{2n}}}$, dico punctum F fore ad curvam quæſitam; ita ut faciendo PZ in ratione poteſtatis $n$ applicatæ PF, ſpatium BZN ſit maximum ex illis, quæ ita formari poſſent per alias curvas, conſtitutas ſuper BN, & ejusdem longitudinis cum BFN.

Hinc manifeſtum eſt, ſi $n$ ſit $= 1$, curvam BFN fore circuli ſemicircumferentiam: nam $y$ aut $\int \frac{x^n dx}{\sqrt{a^{2n} - x^{2n}}}$ evadit $= \int \frac{xdx}{\sqrt{aa - xx}} = a - \sqrt{aa - xx}$. Id quod ita plane evenire debet, cum curva BZN hoc in caſu eadem ſit cum BFN. Si fiat $n = 2$ hoc eſt, PZ ut quadrata PF, curva BFN illa eſt quam repræſentat linteum a liquore preſſum, & cujus curvaturam frater quoque tribuit ſuæ Elaſticæ. Si $n = \frac{1}{2}$, hoc eſt, ſi PZ ſunt in ratione ſubduplicata linearum PF, erit tunc BFN cyclois ordinaria, quæ nova eſt & pulcherrima hujus famoſæ Curvæ proprietas. Cæterum generaliter moneo, quotieſcunque $n$ eſt fractio, cujus numerator eſt unitas & denominator numerus par quicunque, Curvam BFN ſemper conſtrui poſſe per circuli quadraturam; & ſi denominator eſt numerus impar quicunque, Curvam BFN plane eſſe Algebraicam. E. g. ſi $n = \frac{1}{3}$, aut ſi PZ eſt in ratione ſubtriplicata lineæ PF, erit $y = 2a - 2a^{\frac{2}{3}} - x^{\frac{2}{3}} \sqrt{a^{\frac{2}{3}} - x^{\frac{2}{3}}}$, Æquatio Curvæ quæſitæ.

Antequam vero pergam ulterius, non præter rem erit, dare hic ſolutionem infinitis modis generaliorem quam id problema requirit, ſupponendo quod PZ, quæ antea tantum fuit ut potentia data PF, jam

ſit compoſita pro lubitu ex PF & datis: ut ſi quis deſcripta Curva data quacunque BH ſuper axe BG parallelo PF, applicataque PZ = GH velit, ut ſpatium BZN ſit maximum; dico ad conſtruendam curvam BFN, ſumendam eſſe GF aut $y = \int \frac{bdx}{\sqrt{aa-bb}}$. Voco autem $b$ integralem aut ſummam quantitatum $\frac{GHdx}{x}$. Unde evidens eſt, quod attinet ad arcum BF, qui alteram problematis partem conſtituit, ſi vel maxime PZ aut GH eſſet non ſolum ut poteſtas data arcus BF, ſed etiam compoſita pro lubitu ex illo arcu & datis, ſemper haberi Æquationem differentialem, ſi non primi, ſaltem altioris cujusdam gradus, determinantem naturam curvæ BFN. Non poſſum præterire ſilentio pulcherrimam proprietatem, quam inveni in noſtra Curva generaliter conſiderata; quod ſcilicet radius FS evolutæ aut circuli oſculantis, ſit ſemper ad partem FR comprehenſam inter curvam & ejus baſin, ut $b$ eſt ad PZ aut GH. Unde efficitur, in caſu ſimplici, qui mihi fuit propoſitus, quando PZ aut GH $= x^n$, ſemper fore FS & FR in ratione conſtanti, nimirum FS, FR :: 1, $n$. Notandum quoque eſt, in eadem Curva, ubi $\int x^m dy$ eſt aliquod maximum, fore $\int \frac{dt}{x^m}$ aliquod minimũ, ſumendo $dt$ pro Curvæ elemento. Unde conſequitur, quod Curva BFN, poſito $m = \frac{1}{2}$ neceſſario ſit, uti ſupra jam notavimus, eadem cum Curva celerrimi deſcenſus, quia in hac $\int \frac{dt}{\sqrt{x}}$ eſt aliquod minimum, per ejus naturam. Sed ſatis de hoc primo Problemate.

Alterum in eo conſiſtit, ut *determinetur Cyclois, quæ ex omnibus illis, quæ poſſunt deſcribi ex eadem origine, & ſuper eadem linea horizontali, hanc habeat proprietatem, ut ejus pars comprehenſa inter originem & verticalem datam percurratur a mobili minimo tempore poſſibili, hoc eſt, minori tempore, quam alia quævis aliarum Cycloidum, pariter comprehenſa inter originem & verticalem datam.* Ad quod tribus quaſi verbis reſponderi poteſt: *Cycloidem deſcriptam a circulo, cujus circumferentia eſt æqualis duplo diſtantiæ inter originem & verticalem datam, quæſtioni ſatisfacere.* Si loco verticalis ſupponatur linea recta quæcunque poſitione data, imo linea quædam curva, problema hinc non evadet difficilius, cum ex natura meæ ſynchronæ manifeſtum ſit, cycloidem

dem quæſitam ſemper illam eſſe, quæ concurrit ad angulum rectum cum linea poſitione data. Ut vero circulus ejus genitor jam repræſentetur, deſcribendus eſt circulus tangens horizontalem in puncto, ubi ſecatur a recta poſitione data, efficiendumque deinceps, ut ſicuti arcus circuli reſectus ex parte originis cycloidum per lineam poſitione datam eſt ad ſuam diametrum, ita pars horizontalis interceptæ inter originem & interſectionem, ſit ad quartam. Erit enim hæc quarta, diameter circuli genitoris Cycloidis quæſitæ.

Cæterum cum aliam quoque invenerim ſolutionem hujus poſterioris problematis, quæ porrigitur non ad Cycloides tantum, ſed alias quascunque Curvas ſimiles & ſimiliter poſitas, non invitus & hanc cum publico communicabo. Problema ipſum ita generaliter propono: *Sint AGB, AHD &c. Curvæ datæ ſimiles & ſimiliter poſitæ, GC recta poſitione data, quæritur per quamnam ex his curvis corpus grave incipiens deſcendere ab earum origine communi A, breviſſimo tempore perveniat ad rectam datam GC.*

Solut. Aſſumatur aliqua ex curvis ſimilibus ut conſtans, v. g. AGB, voceturque ordinata BL, $y$; curva AGB, $z$; deinde ducatur ad quodlibet punctum B tangens BR, quæ ſumatur Tab. II. Fig. 5.

$$= \tfrac{1}{2}\sqrt{y}\int\frac{dz}{\sqrt{y}}$$ ita ut extremitates R omnium illarum tangentium deſcribant Curvam novam AOR; qua deſcripta ducatur recta AR parallela GC; ex puncto autem R, ubi ſecat Curvam AOR, ducatur recta RB, quæ tangit Curvam AGB in puncto B, a quo ſi extendatur recta AB ſecans GC in D, & fiat ſuper AD curva AHD ſimilis Curvæ AGB, dico Curvam AHD fore illam, per quam corpus deſcendens veniet citiſſime ad rectam GC. Quibusdam in caſibus particularibus problema evadit valde facile, e. g. ſi Curvæ AGB, AHD &c. ſunt circuli, conſtructio facile abſolvitur per Curvam quam *Frater* meus alias comparabat complicatæ in nodum faſciæ (à un nœud de ruban) quaque uſi ſumus ad conſtructionem Iſochronæ paracentricæ Domini *Leibnitii*: ita ut hæc duo Problemata a ſe invicem dependeant; hoc eſt, unius conſtructione inventa, alterius quoque habeatur. Si AGB, AHD, &c. ſunt Parabolæ, Problema quoque reducitur ad rectificationem Curvæ. Suppoſui Curvas AGB, AHD &c. eſſe ſimiles, nihilominus tamen mihi ſuppetit methodus pro illis, quando

do tales non ſunt. Quandoquidem vero nondum mihi ſatis fuit otii ad eandem expoliendam, & conſtructio valde evadit implicata in exemplo ſimplici curvarum disſimilium, licet ſint tantum ellipſes conſtitutæ ſuper axe communi; eandem in aliam occaſionem reſervabo.

## *DIONYSII ORBIS DESCRIPTIO CUM VETERUM SCHOLIIS & Euſtathii Commentariis.*

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1697 in 8. Alph. 1, pl. 4.
Proſtat Londini apud S. Smith &
B. Walford.

NEmo eruditorum eſt, cui Dionyſii, auctoris Auguſto coævi, hæc Περιήγησις, ſeu Orbis Deſcriptio, cujus novam editionem hoc loco ſiſtimus, ignota eſſe queat; cujus quippe triginta & tres editiones, Græcas Latinasve, novæ hujus curator, Vir doctisſimus, Edv. Thwaites pag. 315, numeravit. Tametſi vero noviſſime Geographus hic Londini A. 1658, & iterum A. 1688, nitidisſimo habitu ornatus, cum Euſtathii hypomnematis, amplisſimoque Guilielmi Hill commentario, & tabulis quoque geographicis, prodierit, ut cultus quidem uberioris vix capax videri poſſet: haud parum tamen decoris illi in nova hac editione acceſſit, Hilli quidem commentario omiſſo, ſed inſertis aliis, quæ nunquam antea lucem adſpexerant. In ea textus Dionyſii Græcus ad exemplar Henrici Stephani Pariſienſe anni 1577 exhibetur, eique ejusdem interpretatio Latina ſubjungitur. Hanc excipiunt gloſſæ Græcæ interlineares nunquam adhuc editæ, imumque demum locum veteris Scholiaſtæ paraphraſis ex manuſcripto itidem codice nunc primum eruta occupat. Sequitur dehinc ſeparatim Euſtathii commentarius cum duobus manuſcriptis collatus ac emendatus, & poſt variantes Lectiones nonnullaque alia, Periegeſis Priſciani cum Andreæ Papii notis variisque lectionibus, & indices denique, alter vocabulorum omnium, quæ in Dionyſio reperiuntur, alter auctorum in commentario Euſtathii allegatorum. Quin & tabulæ geographicæ quinque de novo delineatæ, & Dionyſio ac Euſtathio accommodatæ adjiciuntur.

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

## *Publicata Lipſiæ*

*Calendis Februarii, Anno M DC XCVIII.*

*ANECDOTA, QVÆ EX AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ CODICIBUS nunc primum eruit, notis ac disquiſitionibus auget LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, in eadem Bibliotheca Ambroſiani Collegii Doctor. Tomus prior.*

Mediolani, typis Joſ. Pandulphi Malateſtæ, 1697, in 4. Alph. 1. pl. 12. Proſtant Auguſtæ Vindelicorum apud Laur. Kronigerum.

Quemadmodum vetera monumenta reſtituere utilitatis haud minoris eſt, quam nova condere: ita non poterit non Eruditorum applauſum ſibi polliceri clarisſimus Muratorius, poſtquam ſcripta quædam antiquiora, hactenus tantum non deperditis annumerata, e ſcriniis potisſimum Bibliothecæ, quæ Mediolani patet, Ambroſianæ eruere, ac notis ſuis illuſtrata cum viris doctis communicare inſtituit. Et hac quidem vice S. Paulini, Epiſcopi Nolani, Poëmata quatuor, a nemine adhuc, ut innuit, exhibita, Tomo hoc primo publicat, quorum priora tria Natali S. Felicis conſecrata ſunt, ultimum autem adverſus Judæos & Gentiles (ac hos quidem imprimis) directum, eorum Numina, variam Philoſophiam & plurimos errores ſolide non minus atque eleganter confodit. Singula ſe reperiſſe ait in codice vetuſtisſimo, Venantii Fortunati, Proſperi, Juvenci, Aratoris, aliorumque veterum Chriſtianorum carmina continente, quem nono jamtum ſeculo characteribus quadratis minutisſimis venuſte ſatis ſcriptum fuiſſe autumat. Tria igitur priora carminibus iſtis decem in S. Felicis Natalem a Paulino effuſis, quæ eruditis affatim innotuere, ſub undecimi, duodecimi & decimi tertii nomine aſſociat. Dolet autem, in laudato codice repertum non fuiſſe decimum quartum, quod ultimum facit inter poëmata hæc natalitia. Minime enim iis aſſentitur, qui eorum quindecim enumerant, Dungali forſan auctoritate adducti,

qui in ſuo adverſus Claudium Taurinenſem de cultu ſacrarum imaginum tractatu, verſus quosdam ex Natali cum decimo quarto tum decimo quinto citarit; ſiquidem aut ipſum hunc auctorem, aut librarios eum exſcribentes deceptos, & carmina ex Natali decimo quarto allegata in decimum tertium rejicienda, & quæ apud Dungalum ex decimo quinto citentur, ad decimum quartum referenda eſſe arbitratur, idque & codicem ſuum, & rerum ordinem ait evincere. Equidem non omni adeo ex parte ignota hactenus poëmata hæc fuerunt. Nam ex eodem Dungali libro excerpta ex Natali undecimo, decimo tertio, decimo quarto & decimo quinto Fragmenta, & a Frontone Ducæo atque Heriberto Rosweido in editione operum S. Paulini Antverpienſi A. 1622, & in Bibliothecis Patrum recentioribus, & in noviſſima Paulini editione Pariſienſi A. 1685, a Joh. Baptiſta Le Brun adornata, & a nobis in Actis iſtius anni p. 482. ſeqq. delineata, exhibentur. Interim optime nihilominus de Paulino meritus hic eſt Muratorius, dum, quod nemo ante ipſum præſtitit, poëmata illa integra, ultimo tantum, ſive decimum quartum id, ſive decimum quintum fuerit, excepto, una cum altero adverſus Gentiles, nunc divulgavit. Sed & hoc præterea ſuarum duxit eſſe partium, ut ne ſine notis ſuis eadem prodire pateretur, ac idcirco paginis quibusque hujusmodi ſubjunxit animadverſiones, quæ ad ſenſum Paulini hinc inde melius noſcendum quicquam conferre poſſe ipſi viſa ſunt. Poëmatibus quoque tribus poſterioribus peculiaria præmiſit monita, quæ de eorum tempore, materia, aliisque ad eadem attinentibus Lectorem informant. At ne in his quidem acquievit, ſed plures inſuper Diſſertationes breviores annexuit, in quibus, deſumpta ex his Paulini poëmatibus occaſione, capita nonnulla ad hiſtoriam eccleſiaſticam æque ac literariam ſpectantia illuſtrare ſtudet, velut ubi de Turcio Aproniano, de Aſterio Turcii iſtius filio, de Avita ac Eunomia, de Theraſia, & aliis a Paulino nominatis diſputat; prout & ipſiusmet Paulini dignitates ac res geſtas paulo diſtinctius enarrat. Jam de Sanctorum Protaſii & Gervaſii inventis ab Ambroſio corporibus; jam de templorum apud veteres Chriſtianos ornatu, & de diurno in iis cereorum uſu; de eorundem ſepulcris, votis & votivis oblationibus in Sanctorum venerationem factis; de ſanctorum Martyrum natalibus, deque ſimilibus aliis erudite commentatur. Recte etiam Paulinum in poëmate, quod inter quatuor hæc poſtremum locum obtinet, cœlum inter ele-

menta

menta retuliſſe, ac ignem omiſiſſe, in Diſſertatione integra contendit. Sub finem ex Mſto ſuo ſpicilegium ex operibus Paulini deperditis inſtituit, & pauca quædam verba hinc excerpit, nec minus decem poëmata natalitia, ut in editione Plantiniana A. 1622 impreſſa ſiſtuntur, cum iſto comparat, & quæ omiſſa in hac fuere, exinde ſupplet. Tomum tandem integrum obſignat Appendix, quæ prolixam Muratorii noſtri Diſſertationem de jure antiquo Metropolitæ Mediolanenſis in Epiſcopum Ticinenſem complectitur.

*GEOGRAPHICA ANTIQUA, HOC EST, SCYLACIS PERIPLUS Maris Mediterranei; Anonymi Periplus Mæotidis Paludis & Ponti Euxini; Agathemeri Hypotypoſis Geographiæ, omnia Græco-Latina: Anonymi Expoſitio totius Mundi Latina. Cum Notis Iſaaci Voſſii, Jac. Palmerii, Samuelis Tennulii; edente JACOBO GRONOVIO, cujus accedunt emendationes.*

Lugduni Batavorum apud J. Luchtmans, 1697 in 4. Alph. 1. plag. 16.

TErrarum Orbis notitiam habere non minus priſci mortales, quam noſtræ ætatis homines, in primis partibus prudentiæ humanæ poſuerunt. Quod vero difficile, tot terras peragrare; qui cupidi ejus rei ſunt, faciliorem operam navigationibus invenerunt. Hinc tot *Periplos* numeramus, ſive circumnavigati orbis deſcriptiones, quorum plures interciderunt temporum injuria, pauci ad noſtram ætatem conſervati pervenerunt. Inter quos carus eruditis Periplus ille adhuc fuit, qui *Scylacem Caryandenum* auctorem præfert, non minus antiquitatis, quam induſtriæ laude commendatum. Hunc Græce, & una alios minores Geographos David Hœſchelius, Vir Græcis litteris ornandis natus, Auguſtæ Vindelicorum CIↃ IↃC anno ediderat: cum Latina vero interpretatione ac ſuis animadverſionibus anno CIↃ IↃCXXXIX Iſaacus Voſſius, tum florente ingenio adoleſcens, donavit luce, adjecto Anonymi Periplo, quem ex Salmaſii, Viri ſummi, bibliotheca acceperat, cui itidem Latinam tralationem & nonnullas adnotationes liberaliter impendit. Gratum opus eruditis fuit, atque ita avide adreptum, ut ex longo tempore in librariis tabernis nullum ejus exemplum reliquum fuerit. Nec vero quantivis pretii liber in pari apud omnes exiſtimatione fuit. Magnus quippe Voſſius, Iſaaci pater, in Hiſtoricis Græcis aliter de eo judicavit. *Cenſeo*, inquit, *quod opus habemus, eſſe compendium antiqui illius Scylacis, qui Hyſta-*

*ſpidis ætate claruit ; ac Scylacem inſcribi, quia ex Scylace ſit excerptus.* Et paucis interjectis: *propius ad verum accedit, aliquem ante ſæcula non ita multa feciſſe hoc compendium, fortaſſe temporibus demum Cæſaris Conſtantini Porphyrogenneta.* Quum ergo Vir clarisſimus Jacobus Gronovius editionem novam meditaretur, utique pretium nonnullum duxit, a novitatis ſuſpicione hunc auctorem vindicare; quam operam in dedicatione, ſive ad amplisſimum Virum Henricum de Bleyswyck epiſtola inſumſit, & Scylacem hunc eundem eſſe, quem Herodotus, & Ariſtoteles, & Strabo laudaverunt, argumentis non pœnitendis probatum ivit. Primum petit ex Hiſpania, quam ita hic Scylax delineatam det, ut ante Carthaginienſe in ea imperium ſcripsiſſe appareat. Et quod nec Brunduſinum trajectum laudet, librum hunc prius conſcriptum putat, quam Romanorum res in transmarinas partes proferrentur. Addit, nullam ibi Lyſimachiam, nullamque Syriæ Antiochiam, nec inclytas poſtea urbes, Theſſalonicam atque Byzantium reperiri, & ipſas Thebas adhuc τεῖχος fuiſſe, non quales fuerunt Epaminondæ temporibus. Quo etiam illud referendum, quod nobilem Bithyniæ urbem non Pruſam vel Pruſiadem, ſed veteri appellatione Cium nominaverit; quod itidem argumento eſt, ante Pruſiam & Nicomedes reges hujus libri auctorem exſtitiſſe. Neque illo, quod Voſſius pater urget, de ſententia ſua movetur, vetuſtum Scylacem, Strabone teſtante, ex Abydo; noſtrum a Dardano initium regionis Troadis deduxiſſe. Nam ait, ἐντεῦθεν, *hinc Troadem incipere*, poſt memoratam Abydum, non quaſi illam in Troade conſtituat, ſed ut finem relinquat regionis ſuperioris, haud ſecus ac Apollonii Scholiaſtes ad lib. I. v. 1115. dicat, ἡ δὲ Τρωὰς ἀπὸ Μυσίας ἀρχομένη μεγάλης; *Troadem a majore Myſia initium habere*, non ut illam in ſe contineat, ſed ut poſt Myſiam demum, ſive extra illam, ſuum capiat exordium. Commentationes, quas ad finem libri conjunctas Voſſius reſervaverat, ita doctisſimus Editor diſpenſavit, ut quod pagellarum eſt ſingularium, ſingulis earum conveniente loco ſubjungat, etiam eruditisſimi viri Jacobi Palmerii animadverſiones, nec non ſuas caſtigationes intermiſceat, ſingulas tamen auctoris nomine, cujus ſunt, ne confundantur, diſtinctas.

Quod autem Scylaci Geographo, ut diximus, *Periplum Ponti & Mæotidis*, ab anonymo Græce conſcriptum, quem Salmaſio debebat,

bebat, Iſaacus Voſſius adjunxerat; ejus nec ſocietatem Gronovius dirupit, ſed adjuvit potius, ſuis non minus notis, quam in Scylace fecerat, ad Voſſianas, ubi viſum fuit, adjectis. Id vero dignum obſervatu eſt, quod in eadem dedicatione memoratur, auctorem hunc eſſe poeticum, ſeu ex poeta excerptum librum; quemadmodum ipſe Voſſius ſenarios verſus, ſæpe longa ſerie notavit, plures inde Holſtenius, Vir eminente doctrina, collegit, quos nuper Romani quidam, cum poſtumis ejus in Stephanum notis, ſub Scymni Chii titulo, & quidem *nunquam editi antea*, in Batavis vulgaverunt: quod ita factum ridet Editor noſter, qùum Scymnus & ante prodiiſſet, & ſub hoc anonymo ſcriptore lateat, quem in Palatina Salmaſius exſcripſerit, Romæ, quo translata illa bibliotheca fuit, Holſtenius in verſus non invita Minerva tentaverit revocare. Unde ineditus ille poſt Holſtenii fatum Scymnus Chius, cum Stephanianis ejusdem publicatus.

Hactenus, quæ Iſaacus Voſſius ediderat, præclare in publicum uſum, & auctius quidem, repetita. Nec vero id ſatis clariſſimo Editori fuit, ſed *Agathemeri* etiam *Compendiariam Geographiam* Græce & Latine adjunxit, ab avunculo ejus doctiſſimo, Samuele Tennulio, adnotamentis illuſtratam, quibus nec ſuas obſervationes abeſſe voluit. Hunc auctorem circa Severi, Romani Imperatoris, tempora floruiſſe, Gothofredus Wendelinus probavit, qui & ipſe editurus fuiſſet, niſi fata virum eruditisſimum præveniſſent. Duobus autem libris hæc Epitome continetur, nec vero generalem, quam dicunt, Geographiæ partem excedit, ſummas tantum dimenſiones & marium cum inſulis, & continentis terræ partium, cum potiorum gentium nominibus, exponens. Laudati Tennulii, & ſuas ipſius obſervationes eodem, quo in Scylace, modo, hoc eſt ſingulis paginis ſubjecit Gronovius. Tandem & *Expoſitionem totius Mundi & Gentium*, ſubruſtico Latinitatis ſtilo, ut noſter Barthius cenſebat, ab ignoto homine conſignatam, ſuperaddidit, quam Fr. Jureto, poſſeſſori hujusmodi antiquitatum, Jacobus Gothofredus, Vir elegantis æque litteraturæ, quam juris peritisſimus, acceptam referebat, qui ſuſpicatus ex Græco expreſſam eſſe, Græce eandem convertit, ut revocaret quaſi ad originem. Nec Salmaſius aliter, quam ex Græco translatam eſſe exiſtimavit. Contra Philippus Brietius ſub Conſtantio & Conſtante Latine tantum conſcriptam fuiſſe autumat. In

hoc quoque nonnulla emendavit Editor, notas autem non adjecit, quod exilis ſcriptor eſt, qui tantum regiones & gentes ruditer deſignat, urbium aut nullam aut raro habet rationem. Additi ſunt duo indices, Geographicus alter locorum & gentium, alter notarum Jacobi Gronovii, quatuor horum librorum meritisſimi Editoris.

*PSALTERIUM CUM CANTICIS, VERSIBUS PRISCO MORE diſtinctum, argumentis & orationibus vetuſtis novaque literali explanatione dilucidatum, ſtudio JOSEPHI MARIÆ THOMASII, Presbyteri ex Congregatione Clericorum Regularium.*

Romæ, typis Joſephi Vannaccii, 1697, in 8.
Conſtat plagulis dimidiatis 104.

PSalterium integrum jam A. 1683 edidit clarisſimus Auctor, tunc quidem ſub aſſumto *Joſephi Mariæ Cari* nomine; quam editionem, adhibitamque in iſta diligentiam latius nos Tomo primo Supplementorum noſtrorum p. 486. & ſeq. delineavimus. Divino tamen huic libro novam nunc, & eam a priori non parum in plerisque diſtinctam operam navare Noſter haud pigratus eſt. Textum videlicet Pſalmorum ipſum ex ſeptuaginta-virali verſione Latinum fecit, ut ſignificantius ex Græco Latinas locutiones exprimeret; ita tamen, ut ad aliam B. Hieronymi interpretationem ex Hebræo animum ſimul intenderit. Et huic ſane usque adeo adhæſit, ut & obelos atque aſteriſcos, quibus ille, quæ aut abundabant in LXX interpretibus, aut quæ ex Theodotione ipſe addiderat, notavit, ſuæ etiam translationi inſerendos exiſtimaverit. Singulos deinde Pſalmos in verſus ſuos diſpeſcuit, quos tamen non ad Jacobi Fabri Stapulenſis exemplum, ſed ad antiquisſimi codicis Græci Vaticani fidem numeravit. Inſuper cum plura eloquantur Pſalmi aliorum dicta, vel etiam ipſiusmet Pſaltis verba propria, quæ ſe hic dixiſſe aſſerit, aut dicere, hinc talia, ut evidentius a pſallentibus primo ſtatim conſpectu internoſcerentur, diverſo charactere curavit imprimi; ubi autem ex abrupto interlocutores in Pſalmo commutantur, novæ tunc periochæ exordium majoribus literis exprimitur, ac in margine perſonæ loquentis nomen additur. Pſalmi cujusque argumentum Bedæ primum, poſt etiam Euſebii Cæſarienſis ac Athanaſii verbis exponit, ſuamque tandem epigraphen ſuperaddit, qua, an meditationi inſerviat

ſerviat Pſalmus, an precationi, an laudibus vel gratiarum actioni, declarat. Continuam porro expoſitionem literalem poſt cujuslibet Pſalmi contextum adjicit, quæ verbis tamen brevisſimis concepta eſt. Poſt hanc ſequuntur precationes contentis Pſalmi reſpondentes, quas ex Breviario Mozarabum depromſit, non omiſſa tamen ubivis ea oratione, quam Georgius Caſſander in Collectione precum eccleſiaſticarum, Ludovicus item de Saxonia aliique jam vulgarunt, quamque ex manuſcriptis codicibus Vaticanis ſe emendatiorem monet reddere. Pſalterio abſoluto (addidit vero Pſalmum quoque centeſimum quinquageſimum primum, quamvis, cum is nec in Hebræis habeatur codicibus, nec a LXX Interpretibus ad reliquos adjectus fuerit, repudiandum eum eſſe haud diſſimulet,) ſimili fere modo procedit cum Canticis, quæ pſallit Eccleſia Romana. Auſpicatus enim a Biblicis, ea, quæ in veteri pariter ac novo Teſtamento occurrunt, inſertis etiam, quæ habentur in libris apocryphis, perſequitur. Poſt pergit ad Eccleſiaſtica, & hymnum matutinum, *Te Deum laudamus*, hymnum Angelorum, Seraphicum, glorificationis, aliosque ejus generis; Symbola item, Apoſtolicum, Nicænum, Athanaſianum, Conſtantinopolitanum, Symbolumque Miſſæ exhibet. In Canticis tamen hactenus recenſitis argumenta ex aliis auctoribus petita, imo & nonnunquam penitus omiſſa ſunt. Nec precationum ſubjunctarum eadem, quæ in Pſalmis, ratio habetur, & explicationis ibi ſuppeditatæ locum ſcholia Emanuelis Sa heic occupant.

## *GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI NATURA ſibi & Medicis vindicata.*

Kiliæ apud J. S. Richelium, 1697, in 4. Alph. 1. pl. 22.

OCcaſionem ſcribendi celeberrimo Auctori dedit recentiorum quorundam dogma, quo Naturæ vocabulum non tantum ſupervacaneum & inane, verum etiam perniciosum tam Philoſophiæ, quam Chriſtianæ fidei declararunt. Etiamſi enim Philoſophiam Naturalem profesſi ei nuncium mittere posſint ac velint, Medicos tamen, qui in præternaturali hominis conſtitutione ad naturalem reducenda unice occupati ſunt, quique artem ſuam nihil aliud eſſe quam adjutricem & auxiliatricem Naturæ omni tempore publicarunt, eadem carere haut poſſe, Auctor exiſtimat. Id igitur hic operam dedit, ut oſtenderet,

deret, non ſatis cauſæ fuiſſe clarisſimis viris, cur hoc totius Naturalis Philoſophiæ & Medicinæ fundamentum de ſolio dejicerent. Neque enim aliud eo nomine intelligi doctis Medicis ac Philoſophis, quam æternas motus leges, a Conditore ſapientisſimo in ipſa creatione ſancitas. Ut enim lex naturæ moralis, juſtitiæ omnis & virtutis principium, a teneris inſita ſit animis atque immerſa; ita corporibus creatis naturalem eſſe inſitam, ad quam moveant & moveantur. Hanc explorare, hanc addiſcere, hanc unicam, ut normam atque regulam ſuam ſequi Medicos; quorum totum munus & methodum medendi morbis illa inniti, etiam parte altera manifeſtum facit. Ut autem ſpecimen ejus doctrinæ habeatur, brevem delineationem totius operis dabimus.

In præfatione igitur, per dialogum quendam, more Platoni uſitato, præparare conatur animum lecturi, atque id evincit: eſſe aliquid Naturam, perinde atque artem, fortunam, caſum, etſi non tam corporis quam mentis oculis ea uſurpentur. Hoc evicto, ne videatur Andabatarum more aërem ferire, varias vocabuli acceptiones exponit, idque porro allaborat, ut perſpicue oſtendat, quomodo ſenſim in naturali ſcientia ex ignorantiæ tenebris ad cognitionem Naturæ perveniri cœperit, & qua tandem ratione iſtoc vocabulum, re cognita, fuerit in ſcholas introductum, & a quibus cœperit celebrari.

Cap. I.

Quo nomine omnium antiquorum circa hæc philoſophandi rationem recenſet, mox etiam recentiorum ſententias, & demum omnia iſta tam horum quam illorum dogmata excutit, & revocat ad examen. Ex quibus comparet: de Natura antiquisſimis quidem temporibus nondum fuiſſe cogitatum, plerisque autem agnita eſſe Deum & materiam, illumque hanc agitare exiſtimatum, & hinc procreata omnia: Deum vero eſſe ignem in ſupremis cœli terminis hærentem, quæ ſententia valuerit uſque ad Democritum, qui primus diſſenſiſſe videatur. Platonis vero demum tempore Naturæ nomen innotuiſſe, qui Animam mundo adfinxerit, eum dirigentem, in cujus locum deinde Stoici Deum ſuffecerint, mundoque illum illigarint: dum interim Ariſtoteles repudiata Anima Platonica, Principium motus & quietis introduxerit, quod omnibus rebus naturalibus proprium inſit, atque in aptitudine moveri varia conſiſtat. His expoſitis, unde Campanellæ amicitia & inimicitia rerum orta ſit, & Helmontii Archeus, nonnullorum porro Spiritus ab anima & corpore diſtinctus, & Hylarcha, ac

Cap. II.
Cap. III.
Cap. IV.

ſimilia

ſimilia principia moventia, diſſeritur. Quibus omnibus rejectis, tandem oſtendit, eſſe aliquod principium, ad cujus normam moveantur, oriantur & intereant cuncta, idq; eſſe Naturam; quod cum ex conſenſu philoſophantium & vulgi, tum aliis etiam argumentis ſtabilit. Cum autem iis etiam admiſsis, objici tamen queat, a Deo, tanquam perpetuo motore omnia iſta immediate agitari, deinceps ea depromit, quæ a Deo non moveri corpora ſingula perſuadeant, & eorum, qui id aſſerunt, argumenta refellit: quo facto demum Naturæ deſcriptionem dat, quam eſſe credit *æternam Conditoris legem, ipſo creationis tempore materiæ omni injunctam, ſecundum quam hoc univerſum & cuncta in eo moveri ab eo juſſa ſint*, donec ipſe eam abrogans, omnia diſſolvat in primum Chaos. Sequenti capite primum id agitur, ut ſummorum Virorum & excellentisſimorum Philoſophorum conſenſus clarius eluceſcat. In quibus cum perilluſtre ſit Boyleanum nomen, oſtenditur, eum nec ſatis idoneis rationibus eſſe uſum, ut Naturam deſtrueret, nec evitare potuiſſe, quin in media illa oppugnatione ea ipſi exciderent, quibus tacite eam potius firmet: optimeque hanc doctrinam & cum corpuſculari & cum Carteſiana Philoſophia cohærere, eſſeque utrique commodisſimam aſſeritur: denique Atheis convincendis nihil ea aptius, contra quos ſolidum hinc nectitur argumentum. His peractis, Natura quotuplex ſit, univerſalis ſcilicet, ſeu univerſi, & particularis, ſeu corporum cujuscunque generis, exponitur. Illam quidem in legibus motus univerſalibus: hanc vero in fabrica & particulis, ex quibus corpora ſint conflata, potisſimum conſtitui docetur, & hic tota quaſi facies Naturæ panditur. Tum porro, quid contra naturam & ſupra naturam ſit, diſputatur, eaque occaſione de monſtris agitur, & particulas illas, ex quibus morbi epidemici fiunt, eſſe monſtroſas ſui generis in aëre productas oſtenditur. Porro autem omnia, quæ præter naturæ particularis fiant inſtitutum, maxime tamen ſecundum naturam univerſam fieri, & hinc eſſe, quod Medici ex ſcientia rerum ſibi adverſantium morbos depellant, inque eo totius eſſe artis fundamentum. Multum autem differre exiſtimat Autor, contra & præter naturam agere: hoc enim, ut dictum, ad particularium naturam pertinere, nec eſſe a natura univerſali alienum; at contra naturam eſſe, quæ huic vim inferant. Sequens caput, quod primæ partis ultimum eſt, exponit potentiam Dei, Dæmonum & hominum in

Cap. V. Cap. VI. Cap. VII Cap. VIII. IX.

naturam. Multa hic leguntur, in quibus cum a Theologorum, tum aliorum ſententiis non parum clariſſimus Autor diſſentit. Nam & aliqua miracula Deum ſalvis naturæ legibus, & per iſtas edidiſſe aſſerit; & Dæmones contra naturam agere, & in corpora hæc inferiora magnum exercere imperium, contendit; ſpiritus vero corpora non poſſe movere, adeo non credit, ut experientiæ ac rationi potius id adverſari, firmiſſime ſit perſuaſus: ubi ſimul de vinculo animæ & corporis, & intercedente inter utrumque commercio ſingularis profertur ſententia. Concluditur hæc diſceptatio per ſolidam demonſtrationem artis medicæ, & hinc patefaciendo, quid empirico verus Medicus interſit.

In altera jam parte Medicum Naturæ miniſtrum inſtruit, docens quo pacto ei fidem atque operam ſuam præſtare poſſit; adeoque
1. primo oſtendit, in quo conſiſtat natura humana, cui unice ſtudium
2. ſuum addicat: tum in quonam ejus erga iſtam officium, quod multiplex eſſe aſſerit, ponatur. Et primo publicum id, vel privatum eſſe: illud, ut a morbis epidemiis atque endemiis, vel imminentibus vel præſentibus, tutas præſtet integras urbes & regiones: hoc, ut ſingulos,
3. idque eos præſervando 1. a malignis, graſſantibus & epidemicis, 2. ab iis, qui cauſarios affligere ſolent. Porro hoc privatum in abigendis et-
4. iam præſentibus occupari: eſſe vero triplicem in his Naturæ, cui opitulandum, conditionem; vel eam ſuccumbere, vel morbo dominari,
5. vel cum eo pugnare: quin & poſt victum morbum debilitatam erigendam eſſe. Neque ſolum premi aut deficere naturam, ſed etiam
6. aliquando vehementius & concitatius eam agere, quam par ſit, vel minus; item erronee & præter rem. Hæc omnia quo pacto intelligenda, atque ex legibus mechanicis interpretanda ſint, ob oculos ponit, & quomodo his occurrendum declarat, eaque occaſione medendi methodum prope omnem tradit, ut hæc pars tota ſit medica,
7. omnibusque Medicis cognitu perutilis: multa enim hic docentur, quæ
8. alibi fruſtra quæras, quin &, quo pacto ſcientia & prudentia medica acquiri poſſit ac debeat, poſtremo oſtenditur. Et in his finit Autor, ſpem faciens, ſe de Naturæ Miraculis in medicina ſupplementi loco aliquando eſſe acturum ſingulari libro, quem hoc multo prolixiorem, ſi Deus annuat cœptis, futurum intelligimus, nec injucundum, quippe quo reconditas operationum ejus rariorum cauſas indagare animus

nimus eſt, viasque occultas, quibus ea peragit, quæ in admirationem Medicos rapiunt. Eſt autem altera iſthæc pars libri de Natura variis obſervationibus practicis rem comprobantibus & curandi rationi, quam tradit, fidem facientibus referta.

## *ABBREVIATORIS DE CURIA COMPENDIARIA NOtitia JOANNIS CIAMPINI.*

Romæ, ex typographia Cameræ Apoſtolicæ, 1696, in 4. plag. 12.

PEculiare eſt in aula Pontificia *Abbreviatoris*, qui vulgo nuncupari ſolet, *de Curia* officium, cujus partes eo potiſſimum tendunt, ut, ſi quando Pontifex ſupplicis petito annuerit, aut motu proprio gratiam ſingularem aliis conceſſerit, Abbreviator id, quod in Bulla eapropter publicanda exarandum venit, verbis decentibus exprimat, ac ad debitam formam juxta canones regulasque Cancellariæ reducat. Iſtud officii genus paulo copioſius deſcribit illuſtriſſimus Ciampinus, qui ipſe eidem nunc præfectus eſt, diligentiam tamen præcipuam in id impendens, ut accuratum texat Catalogum eorum omnium, quotquot unquam functos iſthoc munere fuiſſe, e monumentis antiquis pariter & recentioribus colligere potuit.

## *DE S. ROMANÆ ECCLESIÆ VICECANCELLARIO PECULIAris Enarratio JOANNIS CIAMPINI.*

Romæ, typis Bernabo, 1697, in 4. Alph. 1. plag. 9.

CAncellarii Eccleſiæ Romanæ munus, quo fungitur hoc tempore Eminentiſſimus Cardinalis *OTTOBONUS*, antiquiſſimum & vel hinc ab ævo Damaſi derivandum eſſe, celeberrimus Auctor innuit, ac dum in eo deſcribendo verſatur, cur receptum temporibus priſcis nomen Cancellarii in Vice-Cancellarii appellationem hodieque uſitatam tranſierit, ſub ipſum initium diſquirit: ubi quidem, poſthabitis aliorum, quas recenſet, opinionibus, ideo id factum exiſtimat, quod officium iſtud a viris Cardinalitia dignitate haud illuſtribus quandoque fuerit adminiſtratum, qui Vice-Cancellariorum nomen ex modeſtia ſibi ſumſerint, quod a ſucceſſoribus, utut Cardinalium epomide ornatis, ex quadam incuria retentum poſtea in legem velut tranſierit. Ejus autem dignitatem eſſe ait maximam, ipſumque primum poſt Pontificem in curia Romana locum obtinere notat. Officia

ejusdem præcipua in eo innuit conſiſtere, quod literarum Apoſtolicarum in Cancellaria expeditionibus præſit, ac ab iis, quibus Epiſcopatus, Abbatiæ, Prioratus Regulares & Conventuales, itidemque dignitates aliæ collatæ fuerint, fidelitatis juramentum recipiat; prout complures quoque Officiales alii Cancellariæ Apoſtolicæ addicti coram ipſo jusjurandum præſtare teneantur. Auctoritatem vero ejus antiquatam & intermiſſam non minus, atque eam quæ hodienum vigeat, deſcribit; dubia item, quæ in Vice-Cancellarii munere indies oriantur, ad examen revocat, ſingulisque his expoſitis in peculiari capite ſolennia illa enarrat, quibus exequiæ Viri ad hoc dignitatis faſtigium evecti cohoneſtentur. Nondum tamen hæc dimidiam libri hujus partem conficiunt. Prolixum namque ſpatium occupat Officialium, qui a Vice-Cancellario dependent, hiſtoria, plenamque ſibi Lector notitiam hinc polliceri poterit de officio Regentis Cancellariæ, de Proto-Notariis Apoſtolicis, de Brevium, Archivi, deque minoris gratiæ Scriptoribus, Auditoribus rotæ, Abbreviatoribus, Advocatis Conſiſtorialibus, Secretariis Scriptoribusque Apoſtolicis, de Plumbatoribus Bullarum, de Seneſcalco ſive Cuſtode Cancellariæ, & de pluribus ejuscemodi aliis. Quorum delineationi nova inſuper appendix, eaque ſat prolixa ſubjungitur, auctoritatem celebrans, quam exerceat Vice-Cancellarius in omnes Eccleſias, quæ Collegiatæ S. Laurentii in Damaſo deſerviant, inque cæteros Miniſtros Eccleſiarum aliarum iſtam pro matrice agnoſcentium, quas ſigillatim recenſet, præcipua, quæ ad earundem ſtatum pertinent, ubique pro inſtituti ratione ſimul declarans. Denique ſub calcem libri de privilegio, quo gaudeant familiares Vice-Cancellarii, in literis Apoſtolicis citra ullius pretii ſolutionem impetrandis, nonnihil commentatur.

## NOUVELLE DECOUVERTE D' UN GRAND PAYS &c.

i. e.

***DETECTIO NOVA VASTISSIMÆ REGIONIS IN AMERICA** inter Mexicam Novam & Mare Glaciale ſitæ; auctore R. P. LUDOVICO HENNEPIN, Miſſionario Recollecto & Notario Apoſtolico.*

Ultrajecti apud Gu. Broedelet, 1697, 12. Alph. 1.

NOU-

# NOUVEAU VOYAGE, D' UN PAYS PLUS GRAND QUE L' EUROPE &c.

i. e.

## *ITER NOVUM PER REGIONEM EUROPA AMPLIOREM; auctore eodem.*

Ultrajecti apud Ant. Schouten, 1698, 12. Plag. 19. cum figuris æneis.

INgentem illum terrarum tractum inter Mexicam Novam & Mare Glaciale, a ſe primum perluſtratum, gentiumque eum inhabitantium mores, accuratius hiſce operibus deſcribere aggreſſus eſt Ludovicus Hennepinius. Delibavit quidem jam nonnulla in Deſcriptione Louiſianæ, (hoc nomine enim tractum iſtum olim inſigniverat,) nobis quoque A. 1683 menſe Sept. p. 374. commemorata: ſed multa hic adduntur, ibi data opera prætermiſſa: cujus quidem inſtituti ſui cauſas ipſe affert. Nos ne ſemel dicta repetamus, de fluvio Meſchaſipi nonnulla commemorabimus. Accuratiorem enim ejus deſcriptionem, præſertim qua in Sinum Mexicanum ſe exonerat, Louiſianæ non inſeruerat, quod invito Sallio Equite, a quo ad provincias ad Septentrionem vergentes perluſtrandas miſſus erat, neceſſitate tamen ſumma urgente, ſociis quoque ejus alterum iſtud iter plane declinantibus, fluvio hocce ad Sinum usque Mexicanum deſcendiſſet. Voluiſſe enim ait Sallium gloria detecti per fluvium hunc in Sinum Mexicanum itineris ſolum frui. Sed eo ſuorum ſcelere e medio ſublato, Hennepinius nihil ſibi, quo minus cuncta promulgaret, nunc obſtare arbitratus eſt.

Digreſſus autem Hennepinius fortalitio Crepicordii (Crevecoeur) d. 29. Febr. A. 1680, fluvio, qui Illinoſiorum terras rigat, ſeſe cum ſociis commiſit, ſecundoque flumine die 7. Martii ſubvectus nonnullos ex gente Tameroa ſeu Maroa obvios habuit; hinc cum glacie fluvium tegente per aliquot dies colluctatus, tandem die 12 ejusdem menſis celeberrimum iſtum fluvium Meſchaſipi ingreſſus eſt. Evolvit autem Illinoſiorum flumen undas ſuas in fluvium Meſchaſipi, intra 35 & 36 gradum latitudinis, ut Auctor conjicit, adeoque 120 circiter aut 130 milliaribus (ſi flexiones non attendas) ab iſto loco, quo Meſchaſipi poſtea in Sinum Mexicanum ſe exonerat. In ipſo angulo, quem Illinoſiorum illud flumen in Meſchaſipi cadens facit, rupes conſpicitur, 40 circiter pedes alta, ſatisque

ampla, ut fortalitium, ad commercia valde opportunum futurum, in ea exſtrui poſſit. Ceterum montibus utrinq; fluvius cingitur, qui interdum a ripis longius recedunt, & pratis amœnisſimis faciunt locum, mox arctiori ambitu eas includunt, eodem autem fere modo, quo fluvius ipſe, per varios circuitus ſerpunt. Ultra montes ſpatioſisſimi & longe patentes ſe aperiunt campi, omni frugum genere adeo affluentes, ut Americæ deliciæ vocandi videantur Auctori. Navigiorum quoque patiens, & alicubi ad dimidium milliare usque latus eſt fluvius, inſulisque ſubinde interſtinctus, in quibus arboribus innexæ vites denſi nemoris ſpeciem præbent. Inter gentes iſtum accolentes primo ſe obtulere Isſati, qui originem fluvii, quem ſex abhinc circiter milliaribus Meſchaſipi recipit, Auctorem edocuere. Oſagiorum ſcilicet & Meſſoritarum is fluvius eſt, qui ab occaſu venit, & ex quam plurimis rivulis per varias gentes transeuntibus componitur; hi autem omnes in montibus oriuntur, qui ad mare usque excurrunt. Sed in Meſchaſipi ſuſceptum iter proſequens, adhuc ſeptem fluvios, magnitudine & amœnitate illi non cedentes, cum eo aquas ſuas jungere vidit. Poſt Isſatos in ripa ejus meridionali viculum vidit, tum quidem incolis, utpote aut in bellum profectis, aut alia de cauſa abſentibus vacuum, quem tamen genti Tamaroa dictæ & antea memoratæ inhabitari exiſtimat. Hinc Ouadebachii ſequebantur, quos populi Chikacha ſeu Sikacha dicti excipiebant. Rurſus poſt aliquot dies magnam ferorum hominum turbam obviam habuerunt, ab eaque benevole excepti, & ad Akanſa gentem illis amicam perducti ſunt. Hæ gentes barbaræ quidem, longe tamen cultiores humanioresque ſunt, quam quæ ſeptentrionaliores Americæ partes incolunt. Liberali enim & ingenua alacrique ſunt indole; juniores mores ad omnem modeſtiam plane compoſitos præ ſe ferunt, ut præſentibus ſenibus, niſi interrogati, loqui non audeant. Varia quoque domeſticorum animalium genera apud eos conſpiciuntur, nihilque ad commode degendum, qua arborum fructus, qua ceteras res, natura illis negavit. Socii Hennepinii deliciis hiſce deliniti, iter libenter abrupisſent, niſi ipſe ad continuandum, quem cœperant, curſum illos auctoritate ſua permovisſet. Quas hinc ordine ad fluvii ripas offenderunt gentes, ingenti lætitia & acclamationibus eos exceperunt, una alteram de novorum hoſpitum adventu certiorem reddente. Fuit inter eas quoque gens Taenſa, per plures pagos habitans, circa haud adeo magnum lacum a flu-

a fluvio Meſchaſipi oriundum, quæ humanitate ceteras ſuperare ſtuduit. Ingenium docile & culturæ patiens, & quod facile ad omnem humanitatem traduci poſſit, illi Auctor tribuit. Regio quoque ipſa fertilitate ceteras ſuperare videbatur, arboresque & fructus Europæis plane incognitos ibi vidit. Et ne quid ad ſignificandum erga hoſpites animum benevolum deeſſe videretur, ad vicinos & ſocios ſuos, Koroa dictos, legatos miſerunt, animos eorum & benevolentiam illis conciliaturos. Ab his ergo non minori humanitate exceptis, juſſu Principis, qui genti præerat, comites, qui ad alias gentes eos deducerent, dati ſunt. Sex hinc milliaria emenſi, fluvium Meſchaſipi per duos alveos ſuas diſpenſare undas, inſula 60 milliaria longa in medio relicta, animadverterunt. A comitibus moniti alveum occidentalem ingreſſi ſunt, rurſusque multas gentes nemini hactenus cognitas detexerunt. In his Quinipiſſa & Tangibao gentes fuerunt; & hac quidem eo tempore bello, quod cum alia natione geſſerat, victa, vacuas poſſeſſoribus ædes, cadaveribus tamen hinc inde projectis victoris crudelitatem prodentibus, horroremque haud modicum Noſtro incutientibus, ingredi licuit. Tandem 60 fere milliaria in hocce alveo Meſchaſipi emenſi, aquam dulcem ſalſedine quadam infici animadvertere cœperunt, indeque haud procul mare abeſſe edocti ſunt. Hinc paulisper procedentes tandem voti ſui compotes facti, orique fluvii in mare aquas ſuas egerentis admoti, intellexerunt hoc intra 27 & 28 gradum latitudinis fieri, eo fere in loco, quo in tabulis Geographicis plerumque Fluvius Abſconditus (*Rio Eſcondido*) conſpicitur, quem inter & fodinas S. Barbæ fluvius Magdalenæ decurrit. Ceterum conficit fluvius Meſchaſipi, ex ſententia Auctoris noſtri, 800 fere milliaria, a prima origine, usque ad mare, in quod ſe effundit; a fluvio autem Illinoſiorum, 340: nimirum ſi comprehendere miros circuitus ac flexiones crebras, quas facit ſerpendo, velimus. Socii autem Hennepinii Hiſpanos, qui Mexicam Novam incolunt, metuentes, circa os fluvii diu commorari noluerunt, indeque factum, ut multa notitiæ Auctoris ſe ſubtraxerint, quæ ceteroquin inveſtigare potuiſſet. Die 1. itaque Aprilis relegere fluvium cœperunt, ſalutatis iterum gentibus, a quibus tanta humanitate excepti fuerant. Feliciter vero continuarunt iter, donec die 12. Aprilis a barbara gente ſeptentrionales Americæ partes incolente capti, & in ſervitutem redacti, non tantum maximum vitæ diſcrimen

adierunt

adierunt, ſed per aliquot menſes captivitatis incommoda inter homines feros, & ab omni cultu ac humanitate remotos, ferre coacti ſunt, ut ut Barbari adoptionis ſpecie tædia hæc utcunque mitigare conati ſint: quæ omnia in Louiſianæ deſcriptione prolixius etiam Auctor commemoravit. Jam quod ad iſtos terrarum tractus, qui ab utroque Meſchaſipi latere conſpiciuntur, attinet, eos hic paulo accuratius deſcribere Auctor pretium operæ duxit. Rivi & fluvii ibi omni piſcium genere abundant, ut & ipſe Meſchaſipi, in quo tamen crocodili hominibus maximum periculum creant. Taurorum ſilveſtrium, cervorum, aliorumque animalium tanta eſt copia, quanta infinitæ hominum multitudini alendæ ſufficit. Beſtiæ autem, quæ hominibus metuendæ ſint, ibi nullæ reperiuntur. Eſt quidem beſtiarum ſpecies (Michibici incolæ vocant) quæ & magnitudine & forma leonem fere referunt, capite tamen ad lupos propius accedunt, & alias beſtias quidem devorant, aſt hominibus non nocent. In illis provinciis, quæ occaſum ſpectant, nonnullæ reperiuntur, quæ equorum vicem ſubeunt. Non minor arborum & copia & varietas eſt. Cedri ſpecie formoſiſſima oculos intuentium alliciunt: ſunt & quæ gummi longe præſtantisſimum ſuavisſimique odoris fundunt. Nec deſunt ligna maximis navigiis exſtruendis apta. Terra adeo ferax, ut amplisſimas colonias, præſertim ſi cultura accedat, nutrire poſſit. Frumentum Indicum ter aut quater per annum matureſcit, colligiturque ab incolis. Carbones quoque ibi effodiuntur; cumprimis autem æris & plumbi fodinæ maximas divitias promittunt. Lapidum, præſertim marmoris nigri & albi, gemmarum quoque, cumprimis jaſpidis, adeſt copia. In tanta regionum ubertate & felicitate, miſerrima eſt incolarum conditio. Religionis nec ſenſus iis eſt, nec cura, cultuſque Divini vix veſtigium aut umbra apud eos extat. Videntur quidem Solem ut rerum omnium cauſam venerari, ſed hoc ipſum quoque ſatis frigide faciunt. Nadueſſani et Iſſati Solem ad fumum tabaci fiſtula trahendum, ſolenni formula, *Tchendiouba Louis*, invitant, eaque ratione ſe Deum ſuum poſſe placare putant. Americanis enim populis Solem nomine *Louis* venire, hic denuo repetit, ut appareat, id ideo, ut Regi Galliarum adularetur, ab ipſo confictum non fuiſſe. Lunam autem, adjecto alio nomine, Louis *Baſatſche*, h. e. Solem noctu fulgentem

gentem iis dici obſervat. Id vero merito miratur, quod cum hæc Americæ pars tot gentibus incolatur, ſingulis tamen ſua lingua ſit, quæ ab aliis intelligi nequeat. Quanta inde difficultas hæc loca luſtrantibus, præſertim ad Chriſtianorum ſacra eas gentes perducturis objiciatur, quilibet cogitatione ſua facile aſſequi poterit. Qui autem fluvium Meſchaſipi accolunt, & Auctori innotuerunt, ut moribus & indole, ita & corporis ſpecie habituque a Canadenſibus maximopere differunt. Regiminis, quod apud eos obtinet, ratio, ut manſuetiores paulisper mores arguit, ita a ceterorum Americæ populorum regimine quodammodo abit. Loca illis publica ſunt ſatis ſpatioſa, conciliis ac ludis deſtinata. Qui imperio potiuntur, non tantum ſuadendi auctoritate, uti apud ceteros, ſed & jubendi poteſtate pollent. Faſces illis alicubi, cum in publicum prodeunt, præferuntur, quos inter & Principem intercurrere nefas eſt. Sunt illis & ſervi & majoris dignitatis miniſtri, tum ad neceſſitatem, tum ad ſplendorem; dona pro lubitu diſtribuunt. Pulveris pyrii, & armorum ejus beneficio ignem evomentium, uſus hiſce populis ignotus eſt. Unde falli eos colligit, qui hoſce populos 30 ſolum aut 40 circiter milliaribus ab Hiſpanis Novam Mexicam tenentibus abeſſe, & ab his ejusmodi armorum uſum accepiſſe, & ſibi & aliis perperam perſuaſerunt.

In altero horum opuſculorum Tomo, infelices conatus Viri fortisſimi Roberti Sallii Equitis narrantur. Is jam A. 1669 iter ingresſus, ut ex Louiſianæ deſcriptione alibi indicavimus, ultra fines tamen lacus Ontanii ſeu Frontiniaci non pervenerat, ſed A. 1675 privilegiis quibusdam a Rege acceptis incitatus, denuo in animum induxit, regiones & populos hoſce perluſtrare. Adeoque Frontiniacum fortalitium communivit. Hinc A. 1678 cum Hennepinio noſtro & aliis nonnullis iter ingreſſus, ad Illinoſios uſque penetravit, ſed ibi amiſſo navigio pedes Frontiniacum remeare coactus eſt, Hennepinio ad Gentes, quas adire conſtituerat, perluſtrandas præmiſſo. Exſtruxerat etiam aliud fortalitium in Illinoſiorum finibus, Crepicordium dictum, cui Dominum de Tonti præfecit, ſed hic Barbarorum inſultus metuens, ex fortalitio cum ſuis diſceſſit, & Frontiniacum rediit. Succesſibus iſtis parum proſperis nondum fractus Sallius, in Galliam rediit, expoſitisque conſiliorum ſuorum

rationibus, & milite & pecunia a Rege adjutus, A. 1684 tribus navigiis inſtructus, denuo Americam petiit, & A. 1685 Sinum Mexicanum ingreſſus eſt. Exiſtimavit quidem, ſe ex Sinu hocce in fluvium Meſchaſipi navigaturum, ſed in ore hujus fluvii quærendo operam luſit, adeoque naves portum, cui Ludovici nomen ipſe dedit, ſubire, coloniamque quam ex Gallia ſecum abduxerat, ibi conſidere juſſit, extructo eo in loco fortalitio, cui itidem Ludovici nomen inditum eſt. Regiones, quæ circumjacent, a variis gentibus, Quoaquis, Bohamus & Quinets dictis inhabitantur, quæ novæ coloniæ multum negotii faceſſivere. Sallio autem unice conſtitutum fuit os Meſchaſipi inveſtigare; quem in finem campeſtri itinere, infinitis ſuperatis difficultatibus & periculis, id facere conſtituit, ſed rurſus irrito eventu. Interea aut incuria, aut malitia nautarum, omnes Sallii naves perierant, Sallinſque hoc ipſo in maximas conjectus erat anguſtias: nec alia ratio hinc eluctandi ſupererat, quam ut ipſe ad Illinuſios contenderet, indeque res ad novas naves conſtruendas neceſſarias afferri curaret; quod iter cum fere, incredibili licet cum labore ac moleſtia confecerat, ipſe a ſuis perfide occiſus eſt, morteque adeo tanta virtute profecto indigna periit. Hæc dum Auctor prolixius enarrat, de variis Americæ gentibus, quas Sallius, & qui illum ex Recollectorum ordine Sacerdotes comitati ſunt, adierunt, uberius exponit. Ceterum magni hujus tractus, præſertim fluvii Meſchaſipi a ſe detecti, hunc præcipue fructum ſe ſperare Auctor non diſſimulat, quod breviori & commodiori via China adiri nunc poſſit. Ex ſinu Mexicano enim in fluvium Meſchaſipi patere aditum; hinc per alios rurſus fluvios ſeptentrionalem Americam rigantes ad ea loca facili negotio perveniri poſſe, quæ regno Japan vicina ſunt. Hoc enim per fretum Anian ab America ſecerni plane negat, & iſtud commentum rejicit, ſuæque ſententiæ non tantum rationes haud contemnendas affert, sed eam Viris doctiſſimis jam probari teſtatur.

## Η ΠΑΛΑΙΑ ΔΙΑΘΗΚΗ ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ.

i. e.

*VETUS TESTAMENTUM GRÆCUM EX VERSIONE LXX Interpretum: cum LIBRIS APOCRYPHIS: juxta exemplar Vaticanum, Acceſſit NOVUM TESTAMENTUM juxta Oxonienſem editionem recuſum.*

Lipſiæ

Lipſiæ ſumptibus Joh. Georg. Kœnigii, 1697. in 8. ch. aug.
Conſtat Alph. 5.

Quæ inter antiquas S. Scripturæ verſiones primum univerſæ veteris Eccleſiæ calculo locum olim tenuit, & cui etiamnum hodie debitus, etſi moderatus, honor haudquaquam abrogari poteſt, Græcam LXXviralem Veteris Teſtamenti Interpretationem, poſtquam ab aliquo tempore deſiderari per Germaniam cœpit, nova eaq; emendatisſima editione recudi ſuis ſumptibus bibliopola, a doctisſimis paſſim viris inſtigatus, curavit. Atque id eo quidem facilius ſibi perſuaderi paſſus eſt, quo magis e re omnium videbatur, eſſe Græcis Bibliis inſtructos, & quo minore cum cura vulgo, etiam apud Batavos, ea imprimi conſueviſſe, non abſque dolore deprehendimus. Accedebat, quod, etſi multoties in Germania prodiiſſet verſio LXXviralis, nunquam tamen juxta Vaticanam editionem expreſſa eſſet, ſed vel ad Complutenſem, vel ad Aldinam, duos reliquarum editionum omnium fontes, priusquam Vaticana prodiret. Siquidem Complutenſe exemplar, auſpiciis magni illius Cardinalis Franc. Ximenii in Bibliis Complutenſibus A. 1515 excuſum, non ſolum Hiſpano Operi Regio Biblico Antwerpiæ A. 1571, & Pariſienſibus Bibliis Polyglottis, queis ſumptus Michael le Jay ſuos impendit, A. 1645 inſertum eſt; ſed & in Germania editum, a Commelinis Heidelbergæ A. 1599 in Bibliis Hebraice, Græce & Latine vulgatis: Latina vero verſio ſeparatim apud Andr. Cratandrum A. 1520 Baſileenſibus typis exſcripta prodiit. Aldinam editionem, quæ poſt obitum Aldi Venetiis A. 1518 apud Andr. Aſulanum publico expoſita eſt, (Complutenſi multo ad fidem codicum MStorum ſincerior, cum illa in plurimis longe locis eſſet ad Hebræum textum ab editoribus emendata) ſecutæ maximam partem per Germaniam ſunt Argentinenſis anni 1526, Baſileenſis Hervagiana A. 1545, & Brylingeriana A. 1550, cui Latina etiam verſio acceſſit: demum & elegantisſima Francofurtenſis Wecheliana A. 1596, quæ cum fragmentis veterum interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis & reliquorum, a Franciſco Junio, ut communi eruditorum conſenſu creditur, procurata eſt. Ita tamen hæ, quas commemoravimus, editiones Aldinam ſecutæ ſunt, ut non ſolum in ordine librorum, quem immutarunt, ſed & tranſſumptis hic illic ex editione Complutenſi ali-

aliquibus, quæ magis ad Hebræum textum accedere videbantur, ab eadem recedant. Vaticana vero, quæ tertius, puriorque duobus præcedentibus, fons Græcorum Bibliorum, qualia hodie habemus, eſt, auſpiciis Sixti V. Pontificis R. cura Antonii Caraffæ Cardinalis, Flaminii Nobilii, aliorumque eruditiſſimorum virorum aliquot, e vetuſtiſſimis codicibus ſplendidiſſime & emendatiſſime cum ſcholiis antiquis, & fragmentis veterum interpretum, Romæ anno 1587 in lucem emiſſa eſt, ſecutaque anno ſtatim ſequente 1588 Latina Flaminii Nobilii verſio, e ſcriptis Latinorum Patrum, quoadusque fieri poterat, congeſta, cum novis ſcholiis. Hanc igitur, etſi Joh. Morinus Pariſiis A. 1628 duobus tomis in folio exactisſime recuſam repræſentarit, Latinum Græco in ſingulis paginis apponens, & verſiculorum ſubnotationem ad marginem addens, cum præmiſſa luculenta præfatione: etſi præterea Londinenſes eandem quoque Græce recuderint A. 1655 in 4. & 8. ordine tantum, ubi rem ita poſcere exiſtimabant, pauculisque aliis ad textum Hebræum emendatis (quod tamen ægerrime Brianus Waltonus tulit, a quo Londinenſibus Polyglottis A. 1657 prorſus intemerata editio Vaticana inſerta eſt) & ſecuti Londinenſe inſtitutum Cantabrigienſes A. 1665 in 12. 2. volum. cum eximia præfatione τȣ̃ πάνυ Joh. Pearſonii; hoſque iterum ſecuti Batavi Lugdunenſes anno 1683. in 12: nondum tamen hactenus Germani e ſuis tabernis emiſerant. Adeoque illam imprimendi deſiderio, laudatisſimo ſane, tactus bibliopola, cum nec pretio neque prece, in tanta exemplarium raritate, Vaticanum ipſummet Romæ impreſſum exemplar nanciſci poſſet, Londinenſe apographum elegit quod ſequeretur; omiſſa editione recentiore Batava, quæ typographicis mendis ſcatet: a quibus vero ut perpurgata hæc editio in lucem prodiret, omni ſtudio curaque omni laboratum ſedulo eſt. Præterea non ſolum adjecta ſunt ſcholia Vaticanæ editionis, & fragmenta inſignia veterum interpretum; ſed &, ut de variantibus a Vaticana editione lectionibus Aldinis ſimul conſtaret, eædem magno ſtudio collectæ, ſuiſque inter ſcholia locis, præmiſſo crucis ſigno, inſertæ ſunt. Demum, ut integer quoque Sacer Codex prodiret, annexum eſt Novum Teſtamentum, juxta poſtremam elegantem illam Oxonienſem editionem, quæ varias lectiones undique collectas complectitur.

Ne

Ne vero videretur prooemium operi utiliſſimo deeſſe, operoſa illi præfatio, velut iſagogica, præfixa eſt, de Græcis S. Scripturæ verſionibus & editionibus paulo latius diſſertans. Autor illius clariſſimus *Joh. Frickius*, noſter in colligendis Actis ſedulus Collega, id ſibi inprimis negotii dari credidit, ut ſuccinctam Græcarum omnium S. Scripturæ verſionum, quas quidem novimus, hiſtoriam e genuinis veterum ſcriptorum monumentis erutam exhiberet: tum recentiorum quoque Philologorum præſtantiſſimorum diſſidia & obſervationes, quæ ad rem facere viderentur, excuteret immiſceretve: tandem ſua quoque hic illic animadverſa inſpergeret. Ordinem chronologicum ſervat, adeoque ab initio ſtatim de antiquiſſima illa verſione Græca Bibliorum, quæ Perſarum quoque imperium antegreſſa a nonnullis, Ariſtobuli Judæi Peripatetici autoritate inductis, creditur, ita agit, ut eam explodat; Simonio tamen non aſſenſus, qui Ariſtobuli librum, & libros Hecatæi atque Clearchi gentilium ſcriptorum (Judæis paulo æquiores) pro ſuppoſititiis habet; cui Noſter ad allatas rationes reſpondet. Inde de Samaritica verſione Græca loquitur, quæ num fuerit olim, inter viros doctos ex frequenti apud Patres Græcos, Euſebium, Theodoritum aliosque τȣ̃ Σαμαρειτικȣ̃ allegatione disquiri ſolet. Eam non penitus eſſe in dubium vocandam judicat præfationis autor; ſed tamen illos refutat, qui verſione τῶν LXX antiquiorem exiſtimant, cum Juſtino Martyre haud dubie junior illa ſit. Monitus inde poſt publicatam iſthanc præfationem a quodam amico eſt, forte Symmachi Samaritæ verſionem Græcam ipſum illud eſſe τὸ Σαμαρειτικὸν, quod apud veteres toties allegatum legitur, nec alia ratione nomen Samaritici textus illi impoſitum fuiſſe, quam verſioni Aquilæ nomen textus Hebræi apud Juſtinum alioſque Patres. De qua conjectura alii judicent.

Noſter poſthæc de ipſa verſione LXXvirali agit, ejuſque hiſtoriam, prout a variis veterum relata eſt, enumeratis una circumſtantiarum varietatibus recenſet: tum & recentiorum conjecturas refert, Joh. Lightfooti, Rich. Simonii, Joh. Croji, Joſ. Scaligeri, Dan Heinſii, quas omnes, additis rationibus, rejicit: ut & Jac. Uſſerii de triplici verſione LXX virali ſyntagma: nec non errores aliquot B. Mich. Waltheri; & alios anonymi alicujus, contra

quem Ludov. Cappellus ſtilum ſtrinxit. Fruſtra ab his omnibus rei geſtæ, & tot veterum teſtimoniis confirmatæ, fidem meris conjecturis impugnari perſuaſus eſt: etſi nonnunquam fabuloſa veris immiſceri non dubitet. Totam S. Scripturam a LXX interpretibus ita verſam cenſet, ut non ſimul & ſemel, unave omnium opera, illud factum exiſtimet; ſed vel iterata editione, vel a ſingulis, poſt verſionem Pentateuchi manum reliquis libris ſenſim admoventibus. Autoritatem illius verſionis in Judæorum ſynagogis adeo magnam fuiſſe credit, ut non ſolum ſubnexa in publicis conventibus prælecto ante omnia textui Hebræo fuerit illa, quod Rich. Simonio videtur, ſed & ſola quibusdam in locis lecta. Obſervat inſuper e loco quodam Maimonidis, Judæos Græcis characteribus Hebræos codices Bibliorum aliquando ſcripſiſſe: plane, ut ſucceſſu temporis in Hexaplis ſuis fecit, Judæis id forſitan in acceptis ferens, Origenes.

De Aquilæ ætate, verſione duplicis editionis, quarum poſterior dicta *καὶ ἀκρίβειαν*, verſionis hujus autoritate apud Judæos atque Chriſtianos, & inprimis apud diſſentientem toties a ſe Hieronymum, deque aliis hujus generis quæſtionibus inde paulo fuſius diſſerit: inter alia paradoxam Jſ. Voſſii opinionem recenſens, qui e poſteriore editione verſionis Aquilæ Talmudica Judæorum Miſnajoth originem accepiſſe, aliis perſuaſum ibat. De Theodotionis Symmachique ætate nonnulla contra Petavium affert, qui Symmachum illo majorem ſtatuit, ab Epiphanio deceptus, quem excuſari non poſſe nec emendatione corrigi, Noſter credit. De his omnibus, ut & de quinta, ſextaque & ſeptima *ἀνωνύμων* verſionibus cum præter fragmenta nihil ſuperſit, de his quoque agit, & quam multa ſuperſint in MSS. codicibus Bibliorum Græcis, Nobilio, Druſio & Waltono non animadverſa, monet; noſtræ quoque Bibliothecæ Paulinæ codicem unum laudans, membranaceum bonæ notæ, qui partem Pentateuchi continet, & ad marginem variis veterum ineditis fragmentis ornatus eſt. Poſtmodum de *κοινῇ* veterum agit, & in quantum illa ſit ab editionibus Origenianis diverſa. Hac igitur occaſione Tetrapla Hexaplaque Origenis ſollicite explicat: nec non Octapla, quæ cum Hexaplis plane eadem eſſe poſt Huetium obſervat: Heptapla & Enneapla explodit. Editionem

vero

vero obelis & aſteriſcis munitam (quæ & notavit, quæ apud LXX eſſent ſuperflua, nec in Hebræo textu, & viciſſim e Theodotione, Symmachove transſumſit, quæ juxta Hebræum fuerant τοῖς LXX addenda) omnino a Tetraplis fuiſſe peculiarem diverſamque, modeſte contra Huetium tuetur, & varia ſimul ad illam editionem explicandam in medium profert. Origenis laborem hunc per aſteriſcos & obelos rem agendi, adverſus Hieronymum & recentiorum aliquot criminationes defendit, reliquiasque obelorum paucas recenſet. Pamphili & Euſebii editiones Bibliorum Græcorum, olim in Oriente celebres, ab Origenianis nulla in re fuiſſe diverſas, quam quod ſcribarum menda ſuſtulerint, ex aliis animadvertit, & diſtingui debere addit editiones iſtas ab ea, quam diu poſt mortem Pamphili ſolus Euſebius auſpiciis Conſtantini M. in uſum Conſtantinopolitanorum procuravit. Exinde de Luciani & Heſychii claris per orbem Chriſtianum τῶν LXX editionibus agit: & poſt alia illud inprimis annotat, errare, quotquot, Hieronymi quodam loco inducti, Euſebianeam, Lucianeam & Heſychianeam Græcorum Bibliorum editiones magno per orbem Chriſtianum diſſidio occaſionem dediſſe putant; cum eo loco Hieronymus cauſæ potius inſerviiſſe, quam vera locutus animadvertatur: quod cum Benedictini Pariſienſes ad Hieronymum annotaſſent, Noſter novis rationibus confirmat. Rejicit quoque opinionem Henr. Valeſii, obelos & aſteriſcos a Luciano etiam & Heſychio adhibitos exiſtimantis. Annotat, Maſium & Conringium autumaſſe, Vaticanum codicem eſſe ad editionem Luciani expreſſum, & Iſ. Voſſium commemorare, reperiri in bibliotheca Chriſtinæ Sueciæ Reginæ quendam ejusdem editionis codicem. Juxta Heſychii editionem eſſe ſcriptum codicem Alexandrinum, plurimos viros doctos ſecutus, non improbabile credit. Refert poſtmodum infelices Apollinarii in edenda verſione Græca conatus ex Hieronymo, & ignotos Joh. Joſephi cujusdam, nec non S. Baſilii alios, quorum e veteribus libris Uſſerius mentionem facit.

Paulo prolixior eſt de Sophronii verſione Græca verſionis Latinæ Hyeronymi ad Hebræum factæ, quam univerſam S. Scripturam comprehendiſſe non quidem affirmat temere, ſed nec improbabile tamen ducit. Notat porro haud levem Salmaſii errorem, qui

qui in Commentario de Helleniſtica, ex male intellecto quodam Photii loco, affingit Theodoro Antiocheno novas novæ cujusdam, poſt reliquas omnes, verſionis Græcæ molitiones: cum potius eo loco Theodorus Mopſveſtiæ Epiſcopus ( quem vel a patria, vel, quod presbyter eo loci eſſet, Antiochenum cognominatum conſtat) Aramum ( i. e. Hieronymum) ob tentatam novam verſionem Latinam atro lapillo notet. Ceterum non inficiatur Autor præfationis, præter eas verſiones Græcas, quarum diſtinctam notitiam habemus, alias quoque fuiſſe plures ἀνονύμων, de quibus nil niſi allegata ſubinde apud Chryſoſtomum aliosve veterum loca quædam exigua ſuperſunt, quarumq; auctores ii, qui fragmenta ejusmodi colligunt, communi termino τὲς λοιπὲς vocant, quo nomine & in MSS. codicibus notati inveniuntur. Addi vero tot verſionibus Chriſtianorum Græcis poſſet quoque Judaica Karræorum verſio, quam in deliciis hi mire habent, & quam Conſtantinopoli Hebraicis literis impreſſam prodiiſſe, Rich. Simonius in Hiſtoria Critica Veteris Teſtamenti lib. II. c. 1. auctor eſt. Exciderat ea Noſtro, cum præfationem ſcriberet, ſed paulo poſt, cum relegeret abſolutam, omiſſio eſt animadverſa.

Hunc in modum cum de antiquis verſionibus & editionibus S. Scripturæ Græcis ubertim Autor προλεγομένων egiſſet, ad recentiores editiones progreditur. Sed de quibus cum ſub initium jam ſatis dixerimus, non eſt cur hic verbum addamus: niſi de iis editionibus, quæ ultra molitiones virorum doctorum aut promiſſa progreſſæ non ſunt. Talis erat editio Frontonis Ducæi, Jeſuitæ, qui multas illi vigilias inſumſit: ſed haudquaquam tamen, ut vulgo e Sarravii atque Colomeſii relatione creditur, Sixtinæ tantum Vaticanæ editionis aliquam recenſionem moliebatur; ſed plane aliam τῆς κοινῆς, apud antiquos, Hieronymum præſertim, adeo celebratæ, Græco-Latinam obelis & aſteriſcis diſtinctam editionem: prout ex ipſiuſmet Ducæi epiſtola apud Lambecium ſuperſtite Noſter obſervat. Inſpergit ea occaſione aliqua de Cottoniano Geneſeos codice vetuſtiſſimo lectu non injucunda, quem ſcilicet adhibuerat Ducæus, & qui poſt ejus mortem in Angliam remiſſus diu latuit, donec a Viro clar. Thoma Gale ſuo domino reſtitueretur. Codicem Alexandrinum, qui in Regia Londinenſi bibliotheca aſſervatur, Patri-

Patricius Junius edere ſibi aliquando propoſuit, ſed, etiamſi edidiſſet, parum dediſſet ſincerum, quod e Waltono monetur, eo ipſo ſcilicet, qui ſinceriorem codicis illius lectionem per epitomen in Polyglottis ſuis exhibuit. De promiſſa toties, ſed nunquam data, & forte ne ſerio apparata quidem Jſ. Voſſii editione τῶν LXX, nec non de ſimilibus Pauli Colomeſii promiſſis, dicere ex præfatione ſuperſedemus, cum alias ſat abunde nota ſint. Sed illud non prætereundum, quod alicubi monetur de Colomeſio a ſe ipſomet non obſcure diſſentiente, dum in notis ad Scaligerana, Vaticanam editionem non dubitet codici Alexandrino longe cum Jſaaco Voſſio poſtponere, & tamen in epiſtola ad Juſtellum, ut ſe in quibusdam a Voſſio diſſentire Simonio oſtendat, Vaticanum producat τῶν LXX codicem, eumque ſe pro omnium præſtantiſſimo reliquiſque haud dubie præferendo, ſecus ac Jſ. Voſſius judicet, habere referat. Unum adhuc, priusquam finiamus, monendum ab Autore præfationis rogati duximus: illum ſcilicet, errore calami feſtinantis, ultima pagina male Orationem Manaſſis ex Aldina editione in hanc, quam præ manibus habemus, translatam dicere, cum potius ex Complutenſi manarit in Francofurtenſem Wechelianam, & ex hac in Lipſienſem noſtram: quam de cetero non diſplicituram publico putamus.

*RESPONSIO DANIELIS PAPEBROCHII EX SOC. JESU Theologi ad Exhibitionem errorum per Adm. R. P. Sebaſtianum a S. Paulo Coloniæ A. 1693 evulgatam.*

Antverpiæ, ex typographia H. Thieullier, 1696. 4. Alph. 1. pl. 20.

*RESPONSIONIS EJUSDEM PARS II.*

Antverpiæ apud viduam H. Thieullier, 1697. 4. Alph. 3. pl. 4.

PArum abfuit, ut in tanta novorum, qui undique confluunt, librorum copia, præſentis operis nos cepiſſit oblivio, (cujus quidem particulam in his Actis jam A. 1696 pag 500 ſeqq. recenſueramus) niſi commodum ad nos pars ejus altera ab ipſo Auctore celeberrimo transmiſſa perveniſſet. Reſumimus itaque in manus librum, & tanto libentius, quanto plura notatu digna in eo ſe offerunt. Et nunc quidem ex iis, quæ in parte prima reliqua ſunt, quædam delibabimus, alteram in aliud tempus dilaturi.

Ad *Articulum III*, quo Adm. R. P. *Sebaſtianus a S. Paulo*, Ordinis Carmelitani in Belgio bis Provincialis, Papebrochium irreverentiæ erga Summorum Pontificum Bullas aliaſque Literas Apoſtolicas accuſaverat, reſpondet Papebrochius, Decretales Epiſtolas omnes, quæ in Eccleſia receptæ ſint tanquam doctrinam ſanam continentes, a ſe quoque recipi; aſt quod eæ, quæ Siricium Papam præcedunt, ſuppoſitæ aut interpolatæ ſint, tantum abeſt ut inficias ire cupiat, ut, dum ad Baronii, Bellarmini, Perronii, Sirmondi, Petavii aliorumque conſenſum provocat, *Philippi Labbe* non dubitet ſua velut facere verba: epiſtolas illas *adeo deformes viris perſpicacibus videri, hoc ſaltem tempore, ut nulla arte, nulla ceruſſa aut purpuriſſo fucari poſſint.* Infallibilitatem Romanorum Pontificum in rebus fidei & morum agnoſcit, non item in rebus facti: unde fieri poſſe ait, ut in eorum Bullis ſubinde narrentur quædam ac referantur a veritate aliena, & a ſupplicantibus fraudulenter ſuggeſta. Utique cum alia occaſione controverſiæ meminiſſet, quæ de S. Benedicti corpore inter Italos Galloſque intercedit, utriſque poſſeſſionem ejus jactantibus, negari non poſſe monet, & Italos & Gallos Pontificum niti Bullis, quæ proinde, velut contradictoriæ, ſimul veræ eſſe non poſſint. Etſi Papebrochius ipſe profiteatur, *paratum ſe eſſe, S. Benedictum venerari, tam in eo quod in Italia, quam quod in Gallia eſt, corpore, nihilque ſe dubitare, quin id gratum Deo ſit, non nimium ſcrupuloſos nos volenti eſſe in hac parte, ne, dum locus deligitur, religio minuatur.* Porro & id objectum Papebrochio fuerat, quod contra diverſa Pontificum diplomata, Eccleſiæ S. Aphræ Brixienſis Reliquias explodere fuerit auſus. Qua de re *Tomo I. Supplementorum Sectione III. p. 134. ſeq.* nos dixiſſe meminimus, cum Rev. Abbatis S. Aphræ *Onuphrii* (Honorium errore graphico tum vocavimus, quod mendum & in indicem irrepſit, facile a quovis corrigendum) *Stellæ* librum Henſchenio & Papebrochio oppoſitum recenſeremus. Sed perſtat in ſententia Noſter; tum quod arbitretur, Stellam nonniſi *Guerrini Cerreti* Chronico, quod fabuloſum tamen agnoverit ipſe, dictas Reliquias & Brixienſis Eccleſiæ Martyrologium tueri; tum quod perſuaderi ſibi non patiatur, cognomina hodierni uſus, ut ſunt Lombardica, Teutonica, & illis recentiora Italica, tam antiquis, quorum Reliquiæ jactantur, Sanctis

ctis convenire. Poſtrema Articuli III Accuſatione reprehenſus Papebrochius fuerat, quod Joannis XXII Bullam, Sabbatinam vulgo dictam, qua Beata Virgo Maria Carmelitæ habitum induta Pontifici apparuiſſe, & ſanctum ſuum ac devotum Carmelitarum Ordinem, per Eliam & Eliſeum in monte Carmeli inchoatum, commendaſſe ac Indulgentiis muniviſſe fingitur, cum *Joanne Launoyo* velut ſpuriam ac ſuppoſitam rejecerit. Aſt Noſter intrepide neque Joannis XXII Bullam illam, neque aliam Alexandri V, qua iſtam confirmatam Carmelitæ credunt, ullius eſſe fidei contendit: ſub finem licet profeſſus, ſe *earum Indulgentias, utpote a ſucceſſoribus Pontificibus confirmatas, non impugnare, eo quod ſubſequentium Pontificum Bullæ factis quidem particularibus veritatem non tribuant, Indulgentiis tamen etiam ſuppoſititiis valorem indere poſſint.*

*Articulo IV* violatorum Decretorum Pontificalium reus Noſter, negat denuo Miſſalium, Breviariorum, atque Conciliorum extra materiam fidei tantam eſſe auctoritatem, ut factis etiam particularibus fidem quiſque ideo ſolum, quia in Breviario, vel in Miſſali, aut Concilio quodam referuntur, tribuere teneatur, de falſitate licet eorum aliunde convictus. Negat denuo crimen eſſe, hæreticum ab ingenio, eruditione, diligentia laudare, aliiſq; id genus elogiis, a quibus ſanæ doctrinæ nihil immineat periculi, ornare: cum nec Ethnicis negari talia ſoleant, & in Tertulliano, etſi in Montani hæreſin fœde prolapſo, atq; Origene, anathemate licet a quinta Synodo generali Conſtantinopolitana percuſſo, quæ in iis ſublimia fuerunt laudare, religioni nemo ducat. Negat a ſe peccatum, dum ſeculo poſt Chriſtum natum undecimo morum eam fuiſſe corruptelam aſſeruerit, ut etiam qui Dei famulatum erant profeſſi, non magno crimini ſibi duxerint, pro tuendis poſſeſſionibus ſuis diplomata fingere aut interpolare: cum communem eam iſtius ævi infelicitatem Mabillonius etiam, Baronius aliique agnoverint.

Sacrorum Conciliorum auctoritatis labefactatæ *Articulo V* accuſatus, initio ſtatim monet, non poſtulandos illico hæreſeos, qui Concilium aliquod erroris arguerint, niſi Bellarminum etiam, Joannem a Turrecremata, & Jo. Malderum ſuſpectos de hæreſi dixeris, quod ſcripſerint, Concilium generale ſextum erraſſe, dum Honorium Pontificem tanquam Monothelitam damnarit. Ipſa

dein Acta ſeu Capitula Concilii Romani ſub Zacharia celebrati ad ineptias a ſe relegata inficiatur, etſi Appendiculam ſubſcriptionum Epiſcopalium inepti cujusdam hominis eſſe ſcripſerit. Libros de Hierarchia, qui S. *Dionyſio Areopagitæ* tribui ſolent, ſuſpicere ſe & venerari dicit ut Divino Spiritu ſcriptos, ſed eorum auctorem Areopagitam fuiſſe, quamvis pro eo ſtet plurium ſeculorum poſſeſſio, & ſub ejus nomine a quibusdam Patribus & Conciliis citentur, id vero eſt, quod a ſe negatum, & adhuc dum negari fatetur. Negat Concilio Florentino a ſe contradictum, dum Pontifices Romanos non Petri ſolum, ſed & Pauli ſucceſſores affirmaverit; idem etiam ab Irenæo, Bernardo aliisque factum oſtendens. Plura ad *Articulum VII* ipſorum etiam Pontificum Romanorum aliorumque teſtimonia adducit, quibus comprobetur, Paulum recte Epiſcopum Romanum dici poſſe: etſi viciſſim concedat, Paulum in Eccleſiæ Romanæ regimine Petro fuiſſe ſubjectum, Eccleſiæ vero univerſalis caput ſolum Petrum fuiſſe, adeoque ſummos Pontifices in Romano quidem Epiſcopatu Petri & Pauli; in Epiſcopatu autem univerſali & primatu Eccleſiæ ſolius Petri ſucceſſores dicendos. Ad eundem Articulum repetit Papebrochius, ampliusque confirmat, quod olim ſtatuerat, ante Nicæni Concilii tempora unius Eccleſiæ plures ſubinde Epiſcopos videri fuiſſe: imo aſſerere non dubitat, etiam nunc Romæ, præter Summum Pontificem, duos alios eſſe Epiſcopos, quorum alter *Vicarii*, alter *Vices-gerentis* titulo inſigniatur.

*Articulo VIII* violatæ Eminentiſſimorum Cardinalium dignitatis accuſatus, agnoſcit, ex Hiſtoriis Conclavium Pontificiorum, etiam Clemente VII poſterioribus, deprompta a ſe & Sanctorum Actis illata nonnulla fuiſſe, electis quidem Pontificibus non indecora, eligentium tamen & candidatorum quibusdam haud æque honorifica; nec ſine fructu id a ſe factum confidit, quod ex his talibus appareat, quomodo Divina ſapientia quandoque humanam ad ſtuporem omnium confundat, & maxime ſecretas callidasque negotiationes ad effectum ab intento diverſiſſimum dirigat. Aſt postquam cognoviſſet, inſtitutum hoc ſuum minus probari aliis, ac iſtas Conclaviſtarum relationes nullius Romæ auctoritatis cenſeri, non mutaſſe tantum ſe ait ſententiam, ſed ſolenni etiam Proteſtatione,

tione, Tomo II Sanctorum menſis Junii præfigenda, Acta iſta Conclavium, veluti Pontificiæ Hiſtoriæ gravitate parum digna, in omnibus jam editis exemplaribus aboleri cupit. In eadem Proteſtatione elogium, quod aliquando Innocentio VIII, ex verbis Iohannis Stellæ ſcriptoris coævi dederat, natum *Cyborum familia, mediocri, ſed honorata*, non de mediocritate natalium, ſed fortunarum intellectum ſe velle monet. Benedictum porro IX, duodecim circiter annorum puerum, per patris Alberici Comitis Tuſculani largitiones & coempta ſuffragia, ad Pontificatum evectum fuiſſe, ita denuo confirmat, ut calamitate temporum excuſare videatur. Diſſenſum in quibusdam ſuum a Baronio & Bellarmino Cardinalibus, aliorum magni inter Romano-Catholicos nominis exemplo tuetur. Non negat ſe docuiſſe, quod Epiſcopi olim in ſublimiori dignitatis gradu, quam Cardinales, fuerint collocati: verum hoc non de Epiſcopis omnibus, ſed ſolum de ſeptem illis, qui jam tum Romani Pontificis ſuffraganei fuerint, qui & nunc primi ſint inter Cardinales, & olim, cum ipſi Cardinales nondum eſſent, Cardinalibus fuerint prælati, aſſertum a ſe monet.

*Articulis X, XI & XII* criminum in ipſos Sanctos reus peractus erat Papebrochius, tametſi omnium ſtudiorum laborumque ſuorum ſcopum fructumque ſtatuiſſet, bene de Sanctis mereri. Sed tanto animoſius iſtam accuſationem depellit. Ut pauciſſima attingamus, pernegat, ſuſpectam a ſe redditam hiſtoriam de Aſſumptione B. Virginis Mariæ: Tamaji *Martyrologium Hiſpanicum*, & Cardoſi *Hagiologium Luſitanicum*, ex Dexteri, Luitprandi & Juliani Pſeudo-Chronicis, de quibus & nos alibi, auctum fuiſſe ignotis ante hoc ſeculum Sanctis, auctoritate Nicolai Antonii & Eminentiſſimi Cardinalis d'Aguirre confirmat: Acta SS. Catharinæ & Barbaræ in dubium a ſe vocata non abnuit, dubitationiſque ſuæ cauſas prolixe exponit: Vitam S. Suitberti, S. Marcellino focio ejus vulgo adſcriptam, cum P. Joanne Bollando denuo reprobat, laudatque conſentientem ſecum Mabillonium: perſtat in ſententia, martyrium S. Felicis Papæ (cruentum nempe) a Luciferianis eſſe confictum: quod S. Athanaſius Treviris in ciſterna ſicca per annos ſeptem delituerit, fabulam eſſe denuo aſſerit, ab ipſo Chriſtophoro Browero, Trevirenſium traditionibus plus æquo cæteroquin indulgere

ſolito, in Annalibus Trevirenſibus ad A. 338 n. 40 exploſam: nec minus fabuloſa adhucdum agnoſcit, quæ de B. Angela, Raymundi Bohemiæ Regis filia, a Carmelitis jactantur; quæ dudum Bohuslao etiam Balbino, in Epitome Hiſtorica rerum Bohemicarum, ſuſpecta fuerint, quod Bohemia nullum ejus nominis Regem habuiſſet, nec patriis Scriptoribus Angela illa unquam fuiſſet cognita: Vitam S. Mauri, a quo Congregatio ordinis S. Benedicti inſtituta eſt, literarum hoc tempore cultu in Gallia florentiſſima, quæ S. Fauſtum ſocium ejus auctorem præfert, confictam eſſe ſtatuit, certe mire depravatam demonſtrat, idque ingenue agnoſcentes ex ipſo ordine S. Benedicti Congregationis S. Mauri Duumviros clarisſimos, *Lucam Acheryum* & *Johannem Mabillonium*, in Actis Sanctorum ſuæ profesſionis, producit: Acta S. Canionis, ejus qui ſub Diocletiano & Maximiano paſſus creditur, ſuſpecta ſibi eſſe non diffitetur, huncque Canionem conjicit cum altero S. Canione, quem ſeculo V ex Africa in Campaniam veniſſe conſtat, confundi: Translationem Romanam S. Stephani Protomartyris, quam Eruditis quibusdam fabuloſam videri olim dixerat, nunc confictam omnino eſſe, erudite oſtendit. Sed hæc ſpeciminis loco ſuffecerint.

## *OBSERVATIO MERCURII SUB SOLE*,

Noribergæ, anno 1697, d. 24. Oct. St. vet. inſtituta a Dno JOHANNE PHILIPPO WURZELBAUR.

Excerpta ex Ejusdem Epiſtola ad - -

HOra oſcillatorii VII. 15′. 30″ limbus Solis ſuperior ab horizonte noſtro prorupit, Sole trans vapores ſpiſſiuſculos tanta luminis hebetudine conſpicuo, ut umbella Mercurii diſcerni inde prius nequiret, quam ſuperatis poſt horæ trientem vaporibus. Tunc enim hora oſcillatorii VII, 36′, diſcus Solis trans tubos, quibus ante ſeptennium in conſimili obſervatione uſus fui (unum $5\frac{1}{2}$, alterum 4 pedum; hunc tribus, illum duabus lentibus armatum, utrumque non ultimæ notæ) affluens Mercurium primum prodidit. Erat hic puſillo globulo uno fere gradu ultra diametrum horizontalem ad lævam elevatus, diſtabatque ſesquidigito fere a limbo meridionali; quem primitus apparentem ſitum tamen, ductu poſte-

riorum

TAB. III. ad A. 1698. pag. 87. M. Febr.

Fig: 1.





Fig: 2.






Fig: 4.




Fig: 3.



riorum ad limbum uſque Solis deſignatorum ſituum, in ſimili a limbo diſtantia infra diametrum horizontalem referendum cenſuimus. Comparebat autem plus quam dimidia parte exilior ac ante ſeptennium, paulo tamen ſolidior, nec tum omnino rotundus: inferne nigricantior; circa medium umbra lumini ſenſim commixta, ſuperne autem lumine, lumen diſci Solaris ſi non ſuperante, diverſo tamen imbutus. Inde obliquo & incurvato aliquantulum tramite paulatim aſcendens, horæ unius & $11\frac{1}{2}$ minutorum ſpatio, ad limbum Solis meridionalem, & ejusdem ab horizontali diametro numeratos gradus $16\frac{1}{2}$ (quod punctum limbi, diligenter attento Verticali, accurate notavimus) appulit, ibidemque contraria ac ante ſeptennium ratione, figuram genuinam protinus amittens, inſtar fili attenuatus, hinc inde nutando, H. 8. 47'. 36''. diſcum Solarem omnino deſeruit. Reliqua obſervationis momenta, præter figuram prototypo conformem, adjecta tabella uberius exhibet. TAB. III. Fig. 1.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 23. Oct. p. m. | | | | | | |
| H. | ' | '' | | ° | ' | '' |
| 2. | 59. | 0 | altitudo Solis verſus occaſum - - | 14. | 30. | 0 |
| 3. | 17. | 30 | altitudo Solis - - - | 12. | 26. | 0 |
| 5. | 46. | 0 | culminat Saturnus - - - | 20. | 17. | 10 |
| 24. Oct. a. m. | | | | | | |
| 5. | 47. | 30 | altitudo Procyonis verſus occaſum | 44. | 57. | 0 |
| 6. | 4. | 35 | altitudo ejusdem - - - | 43. | 51. | 0 |
| | 15. | 15 | altitudo hum. ſeq. Orionis verſ. occ. | 32. | 5. | 0 |
| | 23. | 30 | altitudo ejusdem - - - | 31. | 3. | 0 |
| | 29. | 15 | altitudo ejusdem - - - | 30. | 8. | 0 |
| | 36. | 40 | altitudo ejusdem - - - | 29. | 5. | 0 |
| 7. | 15. | 30 | limbus Solis ſuperior oritur horizonti noſtro circa Azimuth 65° a meridie. | | | |
| | 19. | 30 | limbus Solis inferior nobis oritur. | | | |
| | 39. | 0 | Mercurius in Sole primum apparet circa num. 5. | | | |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | 39. | 0 | Idem ad n. 2. | |
| | 41. | 30 | - - - - 3. | |
| | 45. | 25 | - - - - 4. | |
| | 53. | 0 | - - - - 5. | |
| | 56. | 0 | - - - - 6. | |
| | 59. | 0 | - - - - 7. | |
| 8. | 1. | 20 | - - - - 8. | |
| | 5. | 43 | - - - - 9. | |
| | 18. | 30 | - - - - 10. | |
| | 28. | 15 | - - - - 11. | |
| | 34. | 30 | - - - - 12. | |
| | 42. | 7 | - - - - 13. | |
| | 45. | 34 | - tangit limbum Solis meridionalem. | |
| | 47. | 36 | - inſtar fili attenuatus egreditur & diſparet. | |
| | 57. | 44 | altitudo Solis verſus ortum - - | 13. 35. 0 |
| 9. | 7. | 0 | - - - - | 14. 37. 0 |
| | 14. | 0 | - - - - - | 15. 28. 0 |
| | 20. | 56 | - - - - - | 16. 10. 0 |
| | 28. | 50 | - - - - - | 17. 0. 0 |
| | 33. | 50 | - - - - | 17. 30. 0 |
| | 45. | 38 | - - - - - | 18. 40. 0 |
| | 55. | 0 | - - - - | 9. 28. 0 |
| 10. | 1. | 15 | - - - - - - | 20. 0. 0 |
| 12. | 2. | 0 | altitudo meridiana Solis Quad. M. | 25. 10. 50 |

Ex Solis & ſtellarum altitudinibus iſtis, circa annotata momenta Quadrante duorum pedum orichalceo azimuthali, nova regula inſtructo, captis colligo, horologia mea oſcillatoria a meridie præcedentis diei 23 Octobris ad meridiem diei 24ti, cum revolutione ac motu Solis diurno æqualitate exacta proceſſiſſe; ſed die præcedenti, ob interruptam adventu amici obſervationem meridianam, 2 tempore vero promotius directa fuiſſe. Singulis proinde conſignatis oſcillatorii momentis, minuta prima duo pro correctione demenda erunt. Atque inde pro inſtituto noſtro tanquam potiſſima eligimus, apparitionis primæ & diſparitionis egredientis e Sole

Sole Mercurii momenta, iiſdemque ex Tabulis noſtris & deductione trigonometrica conveniunt:

| | H. | ′ | ″ | H. | ′ | ″ |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | 7. | 34. | 0 | 8. | 45. | 36 |
| Locus ☉ M. | 11. | 35. | 24 | 11. | 38. | 24 |
| Aſc. Recta | 219. | 8. | 36 | 219. | 11. | 33 |
| Gr. Æqu. culm. | 152. | 38. | 26 | 170. | 35. | 33 |
| Gr. Æqu. oriens | 242. | 38. | 36 | 260. | 35. | 33 |
| Gr. Ecl. oriens | 15. | 0. | 48 | 28. | 0. | 36 |
| Angulus orient. | 54. | 41. | 37 | 49. | 6. | 20 |

Radius porro diſci Solaris, intra quem, ad tabellam orbiculatam, pedes 6 a tubo diſtantem, Mercurium excepimus, erat partium decies milleſimarum pedis Noribergenſis 3180. In prima apparitione diſtabat Mercurius a centro Solis part. 2425, uno gradu infra diametrum horizontalem: portiuncula autem orbitæ obſervata erat part. 1130. Semidiametrum Solis ex tabula *Picardi* huic diei competentem aſſumimus 16′. 16″.

His datis ad bina iſta momenta ope trigonometriæ eruuntur tempore apparitionis primæ

| | ° | ′ | ″ |
|---|---|---|---|
| Latitudo auſtralis part. 2003, in part. circuli | 0. | 10. | 15 |
| Longitudinis a centro diſt. in Ecliptica p. 1367, in p. circ. | 0. | 7. | 0 |
| Locus Solis tunc erat - - - | ♏. 11. | 35. | 24 |
| Ergo locus Mercurii retrogradi in Ecliptica numer. | ♏. 11. | 28. | 24 |

At ſi primitus notatum apparitionis punctum uno gradu ultra horizontalem Solis diametrum a centro p. 2310 diſtans applicemus, erit

| | ° | ′ | ″ |
|---|---|---|---|
| Latitudo auſtralis p. 1870, in part. circuli | 0. | 9. | 34. |
| Longit. a centro diſtantia in Eclipt. p. 1374, in p. circ. | 0. | 7. | 2. |
| Locus Solis tunc erat - - - - | ♏. 11. | 35. | 24. |
| Ergo locus Mercurii retrogradi in Ecliptica | ♏. 11. | 28. | 22. |

Conſultum autem erit, ut utriuſque hujus puncti deducta eousque, donec rationem diverſitatis (ſi qua ſubſit) partium diametri Solaris veræ & per tubum projectæ rite exploravero, pro certioribus haud aſſumamus.

Tempore egreſſus Mercurii e Sole, qui rurſum ad 16½ ab horizontali diametro gradum contigit, invenitur

| | | | |
|---|---|---|---|
| | $^{o.}$ | $^{\prime}$ | $^{\prime\prime}$ |
| Latitudo auſtralis part. 1714, in partibus circuli | o. | 8. | 46. |
| Longit. a centro diſtantia in Ecl. p. 2679, in p. circ. | o. | 13. | 42. |
| Locus Solis tunc fuit - - - | ♏. 11. | 38. | 24. |
| Ergo longitudo Mercurii retrogr. in Eclipt. numerati | ♏. 11. | 24. | 42. |

Ex obſervatis his, indeque deductis, nunc non tantum conjunctio Mercurii cum Sole proxima, & momentum, quo limbum Solis aggreſſus eſt, ſed & integra ejusdem ſub diſco orbita, ejusque angulus ad Eclipticam, & plura huc ſpectantia calculo ſubducenda forent: at quia exigua orbitæ obſervatæ, ad 6' haud excurrens portiuncula his determinandis haud ſufficit; calculus etiam tabularum aſtronomicarum valde ab obſervatione diſſentit (dum latitudo obſervata decreſcens nodum & locum ejus inde deducendum retroagit, Mercuriumque ad eundem acceſſiſſe, non receſſiſſe arguit) in disſidii iſtius cauſas, ex ſupradicta apparentiæ diverſitate forſan oriundas, inquirendum, & induciæ, intra quas repugnantia ſibi conciliari posſint, ineundæ erunt.

Addimus tandem obſervatam Mercurii diametrum, quam ex tantilla, quæ intra diſcum obſervatorium, granum papaveris aliquantulum ſuperante apparuit, umbella deducere haud voluimus; ſed ex ea, quam in ampliore & 16 pedes a tubo diſtante diſco Solis lucido, cujus diameter $1\frac{3}{4}$ pedes, vel accuratius partes ſupra memoratas 37420 continebat, ea magnitudine, quam Schema prope ſignum ☿ majuſculum exhibet, excepimus, partium ejusmodi 98, quæ in partibus circuli, aſſumta ſemidiametro Solis 16′. 16″, diametrum Mercurii 11″, conſtituunt.

Atque hac vice viſa fideliter retuliſſe ſufficiat: quæ vero longe lateque (ita ſperamus) patente ſerena cœli facie, circa rariſſimum iſtud phænomenon obſervata fuerunt, pro exoptatis rerum Uranicarum & Geographicarum uſibus & incrementis, vicisſim noibs communicatum iri, etiam etiamque confidimus.

## *MERCURII OBSERVATIO IN SOLE, HERVELSINGÆ, PAGO ab Ulma milliari Germanico Septentrionem verſus diſtante, habita D. 24. Oct. St. vet. mane, A. Chriſti 1679.*

a M. Jacob. Honold. Paſtor. Hervels. & Michaele Scheffelt, Ulmenſibus.

TAB. III. Fig. 2.

*Conferatur TAB. III. Fig. 2.*

OR-

| ORDO obſervationum, | Temporaſecund. Horolog. | | Altitudines | | Tempora ex altitud. | | | Differentiæ. | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | Hor. | Min. | Gr. | I. | Hor. | I. | II. | I. | II. |
| | | | Arcturi | | | | | | |
| I. | 6. | 37. | 26. | 58. | 6. | 36. | 6. | –. | 54. |
| II. | 6. | 40. | 27. | 2. | 6. | 36. | 29. | 3. | 31. |
| | | | Solis | | | | | | |
| III. a | 7. | 18. | — | | — | | | — | |
| IV. b. | 7. | 49. | — | | — | | | — | |
| V. c. | 8. | 20. | 7. | 56. | 8. | 6. | 4. | 13. | 56. |
| VI. d. | 8. | 50. | 11. | 50. | 8. | 35. | 51. | 14. | 9. |

## LA ISTORIA UNIVERSALE &c.

i. e.

*HISTORIA UNIVERSALIS ANTIQUIS MONUMENTIS CONfirmata, Veterumque Symbolis repræſentata a*

FRANCISCO BLANCHINO, VERONENSI.

Romæ, ſumtibus Autoris, 1697 in 4. alph. 3, plag. 8.

MUlta a variis diverſa methodo, noſtro æque ac antiquioribus temporibus, edita extant opera, quibus id efficere conati ſunt eorum Autores, ut magis expedita ad Chronologica & Hiſtorica ſtudia via redderetur. Cum enim Sapientem non unis circumdatum mœnibus, aut popularem unius loci, ſed civem totius mundi, veluti unius urbis, ſeſe agnoſcere deceat; idque ipſum ut conſequatur, per omnia retro ſecula animo oporteat vagari; mirum non eſt, certatim doctorum virorum excitata ſtudia eſſe, quæ ad facilius reddendum iſtud iter conferrent: neque nos meminiſſe non poſſumus ſimilis in Germania noſtra induſtriorum Virorum inſtituti, de quo ipſius hujus anni menſe Januario p. 9 ſeq. diximus. Sed noſtrum non eſt, quas illi laboribus ſuis in literatorum Republica meruerunt adoreas, oratione fuſius nunc perſequi; aut comparatis inter ſe invicem eorum ſtudiis, cui primæ debeantur partes, noſtra ſententia decernere. Omnibus fere, clariſſimi Blanchini judicio, id defuit hactenus, quod claram, integram, omnibusque partibus ſuis cohærentem

rerum a condito usque mundo geſtarum notitiam, non niſi ægre admodum ex illis haurire licuerit. Ipſe igitur rem nova plane ratione aggreſſus, ſymbolicis figuris, ex antiquisſimis, quæ nobis reſtant, monumentis ingenioſe combinatis, ſimul & argumenta, quibus rerum eventus temporumque ratio confirmantur, complexus eſt, & phantaſiæ atque memoriæ inſervivit; ut altius impreſſa hujusmodi imagine, omniumque ſymbolorum inter ſe invicem nexu probe percepto, facilius tantam varietatem retinere valeat. Et omne quidem tempus in duas periodos diviſit, quarum prior a condito mundo ad Auguſti uſque & primæ Romanæ Monarchiæ tempora protendetur; altera illud, quod ab ea ætate ad noſtri usque ſeculi initium elapſum eſt, tempus ambitu ſuo amplectetur. Hinc in duos tomos univerſum opus abibit, quorum compendium, ſymbolicas nimirum figuras, duæ tabulæ comprehenſuræ ſunt, quibus tertiam ſe forſan ait additurum, cum noſtri ſeculi hiſtoria, indicibuſque toti operi inſervituris. Primam ex iſtis tabulis quadraginta figurarum ſymbolicarum combinationes repræſentaturam eſſe ait, numero nimirum ſuo totidem ſeculis, quibus prior temporis periodus abſolvitur, reſponſuras. Alteram vero, licet ſedecim tantum ſecula ob oculos ponat, duplum tamen hujusmodi imaginum numerum complexuram eſſe dicit. Tempus enim illa repræſentatum in duas ſubdiviſit periodos, ab Auguſto nempe ad Carolum M. & ab hoc ad initium ſeculi XVII: quarum utraq; octo ſeculis integris abſoluta, quadraginta combinationibus hujuſmodi ob oculos ponetur. Cæterum prolixum nimis foret, ſi iſtam methodum, variumque imaginum, quibus abſolvetur, ordinem fuſius exponere nunc aggrederemur. Omiſſis itaque iis, quæ de ordine earum, numeri accurata proportione inter ſingularum periodorum imagines, juvandæ memoriæ cauſa, obſervata, variiſque characteribus, quibus diſtinguuntur, afferenda nunc eſſent; ex omnibus imaginibus, in hoc prolixioris operis ſpecimine, hiſtoriam profanam a condito orbe usque ad Homeri tempora continente, obviis unicam exhibere placuit. Ejus enim repræſentatione, quantum fieri poteſt, Lectori id, quod in hac methodo præcipuum eſt, evidens fore exiſtimamus. Seligimus autem eam, quæ ſextum millenarii tertii ſeculum repræſentat, ideo potiſſimum, quod litterarum

TAB. III. Fig. 3.

rum in Græcia incunabula, Feſtorumque maxime ſolennium inſtitutio in illa tempora incidat. Ad tertium millenarium eam pertinere, primo ſtatim obtutu patet ex aſteriſmo, qui in ea obvius eſt; quales nempe omnes tertii millenarii imagines habent: quemadmodum ſecundi millenarii imagines, inter alias, ex quibus componuntur, figuras, aquam ſemper, ob diluvii tempora in eum incidentia, & ita porro aliæ periodi alios ſibi proprios characteres repræſentant. Aurigam autem ſive Erichthonium ille aſteriſmus exhibet, utpote quem, ob exercitas illo ævo Circenſes agitatorum artes, inter ſidera, hominum, qui admirati eum fuere, ſtudia collocaverunt. Quicquid itaque in iſta imagine conſpicitur, ad Erichthonium fere pertinet, cujus gloria ſeculum, de quo agimus, potiſſimum illuſtravit. Paulo altius itaque repetitis antiquiſſimis Græciæ ſub Pelaſgi poſteris, Deucalione itidem, Hellene, atque Græco fatis; variiſque enarratis, qui eam diverſis temporibus iſtis tenuerunt, populis; atque ea occaſione de quinque Græciæ dialectorum origine nonnullis obſervatis: de litterarum, quas ſeculo præcedenti in Græciam attulerat Cadmus, origine Noſter nonnulla minime vulgaria affert, ita tamen, ut longe potiſſimam eorum, quæ habet dicenda de iſto argumento, partem peculiari, quam liberaliter pollicetur, diſſertationi reſervaverit. Contentus interea oſtendiſſe, quod eandem cum doctiſſimo Bocharto viam, in derivandis reliquorum populorum ex alphabeto Phœnicum literis, jam ſuperiori ſeculo Petrus Franciſcus Giambullarus, Academicus Florentinus, iniverit; ex cujus libro de Originibus linguæ Hetruſcæ, Florentiæ anno 1549 impreſſo, prolixum in eam rem fragmentum adduxit. Jam litterarum inventarum potiſſimum uſum ſub initium fuiſſe monet, ut in Amphictyoniis, (quorum originem & progreſſum ex Virorum doctorum ad Marmora Oxonienſia notis fuſius perſequitur,) geſta, legeſque & pacta Græcorum, in tabulas æneas inciderentur, hæque in locis ſacris ſuſpenderentur. Ad Amphictyoniorum autem imitationem, ab Erichthonio, rerum Athenis potito, Panathenæa inſtituta eſſe, additis reliquorum ludorum in ſolennibus hujuſmodi conventibus frequentatorum turbæ, tum aliis quibusdam, tum curru imprimis, ex Epochis veterum Græcorum in Marmore Oxonienſi deſcriptis docet. Atque ad hoc Erichthonii inventum deſignandum,

in imagine a nobis exhibita, non cœleſte tantum ſidus pertinet, ſed altera etiam figura numeris 3 & 4 notata. Etenim cum omne ludorum ſolennium, ſequioribus temporibus inſtitutorum genus, Amphictyoniis, imo magis adhuc Panathenæis originem debeat, utpote in quibus, exemplo eorum, agitatorum ſemper fuerint inſtituta certamina, merito monumenta ad quoſcunque ludos ſolennes ſpectantia, Erichthonii inſervire memoriæ opinatur. Indeque jure huc ex Imperatoris Commodi nummo translatam a ſe eſſe credit eam, de qua agimus, figuram, licet ad Eleuſinia repræſentanda ea primario ex mente ejus faciat: namque horum quoque Sacrorum ludos ſolennes, una cum aliis, originem Panathenæis debere contendit. Præter rem autem nos facturos putamus, ſi prolixius ea, quæ occaſione iſta de Eleuſiniis ſacris attulit, vellemus repetere. Quin potius Commodi nummum, eo quod ab Angelono olim parum exacte fuerit repræſentatus, hic quoque exhibebimus, prout a clariſſimo Autore ex integerrimo prototypo, quod hodie apud Lugdunenſes in Gallia in cimeliarchio ſuo aſſervat Petrus de S. Germano, fuit delineatus. Ejus partem averſam ita doctiſſimus Blanchinus explicat, ut illum, qui capite radiato quadrigas agitat, ipſum Commodum eſſe dicat, Solis figura repræſentatum; ita tamen, ut ſimul ad ejus Circenſes ludos exercendi libidinem, a Lampridio notatam, reſpiciatur. Zodiaci ſigna, capiti ejus imminentia, explicare difficile non eſt, cum in iſto circulo iter ſuum Solem peragere, notum ſit: ejus tamen repræſentatio eo minus hic videtur eſſe otioſa, quod nominibus ſuis ſingulos anni menſes Commodus, Lampridio & Dione Caſſio teſtibus, appellari voluerit, ac ſi ipſe eſſet, qui Solis inſtar menſibus annum diſtingueret. Jam porro non in nubibus, ut Angelono viſum fuerat, ſed in monte, quadrigas agere nobilis ille agitator Blanchino videtur. Virum autem facem præferentem ad Eleuſinia ſacra pertinere credit, atque huc tum Lactantii locum Divin. Inſt. L. I. c. 21, tum alia complura refert. Denique per fœminam, cum cornu copiæ ſub monte collocatam, Cererem eum intelligere, dubium non eſt, licet expreſſe id non edoceat. Cæterum adhiberi in Panathenæis ſacras ciſtas ſive caniſtra, unde virginum *κανηφόρων* natum eſt nomen, Erichthonius voluit: talem itaque virginem ſub num. 5 repræſentavit. Ciſtam vero Bacchi, quæ num. 7 conſpicitur, cum ſerpente

TAB. III. Fig. 4.

te ex ea proſiliente, ad natales & educationem Erichthonii refert, prout deſcribitur quoque ab Hygino Poet. Aſtronom. l. 2. c. 13, atque Baccho ab Erichthonio eam tributam eſſe cenſet. Cumq; Iſthmiorum, Pythiorumque & cæterorum apud Græcos ludorum origines ab Erichthonio & inſtitutis ab eo ludis repetat, vaſa quoque ſive ciſtas cum inſerto lauri ramo, quibus nummi antiqui ludos iſtos deſignant, exhibuit. Denique nummus ſub numero 6 repræſentatus, & ex Golzii Magna Græcia deſumtus, Argivorum eſt, id quod litera A notat. Eo autem clariſſimus Auctor miſſas ab Argivis in Italiam hoc ſeculo colonias ob oculos ponere ſategit, cum nimirum temo ſive gubernaculum, & delphinus, navis qua iter fecerunt ſignum, trajectum ab iis ad quærendas in Italia ſedes mare, luculente indicare videantur.

## מזבח עולה
i. e.
## *DE ARA EXTERIORE TEMPLI SECUNDI EXERCITATIONES Philologicæ, Auctore JOH. JACOBO CRAMERO, Tigurino.*

Lugduni Bat. apud Jord. Luchtmans, 1697. 4. Alph. 1. pl. 7.

Ritibus ſacris Ebræorum ex tenebris, quibus obruti atque ſepulti fuerunt, eruendis, licet multi, iique doctiſſimi Viri gnaviter operam dederint: nunquam tamen, quantamcunque etiam doctrinam ad hocce negotium attulerint, eo uſque profecerunt, ut non aliquid caliginis diſcutiendæ relinqueretur. Comprobari hoc poteſt præſenti Viri doctisſimi, Jo. Jacobi Crameri, opuſculo. Extant enim non contemnendæ de hocce argumento doctisſimorum Virorum commentationes: ſed eæ Noſtrum impedire non potuerunt, quo minus iter hocce ingrederetur, ſimulque magnorum Virorum errores detegeret. Sed hoc quoque nomine hæc tractatio ſe commendat, quod Ebræorum ritus cum Gentium aliarum inſtitutis ſubinde conferat. Ne ſpecimen deſit, pauca afferemus.

De loco altaris verba faciens, prolixe de altari ab Elia in monte Carmelo exſtructo diſſerit. Videri poterat Vir ſanctiſſimus

mus Divinas leges, templum Hieroſolymitanum, ceu locum publicum & ſolennem, cultui Numinis conſecrantes, de induſtria migrare. Sed tamen nihil eum, quod reprehendi debeat, admiſiſſe, vel inde Noſter probat, quod illi ſolum conſtitutum fuerit, uno ſacrificio aram iſtam imbuere. Ut autem prava admodum mortalium eſt indoles, ita poſteriorum ſuperſtitioni hæc ara occaſionem præbuit. Hinc &, obſervante Auctore, profanis Scriptoribus templum Jovis in monte Carmelo laudatur. Veſpaſiano quoque Sacerdos ejus imperium prædixit, teſte Suetonio. Sed vero tamen Deo ara hæc ſacra manſit, utut invito & nolenti, quippe qui non alibi quam in Templo ſibi ſacra fieri volebat. Carmeli enim voce, qua Suetonius, Tacitusque montem, Deumque qui in eo colebatur, deſignant, non alium quam verum ſummumque Deum indigitari, vel ex Torrentio Auctori comprobatur, qui a Suetonio Carmelum vocari Deum docet, *qui ſine nomine eſt & regnat in æternum.* Docet porro, aram exteriorem ἐν ὑπαίθρῳ, ut Philo loquitur, h. e. ſub dio, & quidem prope templi veſtibulum, poſitam fuiſſe. Idem de Gentilium aris conſtat. Varronis & Virgilii teſtimoniis non tantum probat, aras prope delubra fuiſſe, ſed inſuper ex Macrobio obſervat, ante aras apud Gentiles aream fuiſſe, quæ atrio, quod in templo Hieroſolymitano ante aram hancce fuit, reſpondeat. Sub dio vero haud raro Gentilium aras fuiſſe, Lucianus, Homerus, Pauſanias, apud Auctorem evincunt. Extat Exod. XX. 24, 25. lex Numinis de ara ex terra conficienda. Hanc & Moſes ipſe, & Salomon parum curaſſe videntur: quorum ille altare ex lignis conſtruxit & ære obduxit Exod. XXVII. 1. & XXXVIII. 1. hic מזבח נחשת altare æneum in templo conſtruxit, II. Par. IV. 1. Iſta res largum diſceptandi & altercandi argumentum Eruditis præbuit. Noſter autem hæc ita componit, ut Moſis aram omnino terream, Salomonis autem lapideam fuiſſe aſſerat. Dicitur quidem, Moſen feciſſe aram ex lignis Sittim, eamque obduxiſſe ære, ſed nihilo ſecius fecit aram terream, quia corpus ipſum terra fuit, quam lignum primum & deinde æs ambierunt. Sic & Salomon conſtruxit altare æneum, h. e. quod laminis æneis undique muniebatur, cætera ſaxeum fuit. Id quod pluribus firmat.

Vetuit

Vetuit quoque Deus lapides גזית *ſectos* aut *politos* in altaris conſtructione adhibere, Exod. XX. 24. Quanta Judæorum hic fuerit ἀκρίβεια, ut Divinæ legi fieret ſatis, affatim Noſter hic exponit. Sed & apud Gentiles ſimile quid deprehendere licebat. Meminit, inquit Auctor noſter, Pauſanias aræ ex crudo laterculo. Sed luculentius eſt teſtimonium Arriani, quod itidem adducit. Rationem legis non eandem omnes afferunt. Plerique putant, Deum ut omnem imagines conficiendi, adeoque idololatriæ occaſionem Iſraelitis eriperet, hoc vetuiſſe. Qui ita ſentiunt, illis exemplum præivit Maimonides. Sed Noſter hanc quoque refert, eamque non contemnendam putat, Deum ornamenta ejusmodi abeſſe ab ara voluiſſe, ut eo clarius Meſſiam referret, cui *neque forma, neque decor* &c. Jes. LIII. 2. De conſtructione aræ verba cum facit Auctor, oſtendit duas tantum in ea prominentias fuiſſe, nempe in fundamento & cingulo, ita ut fundamentum præ cingulo unum cubitum eminuerit, & ſimili ratione cingulum præ reliqua altaris parte, quæ מקום המערכה *locus foci* audit. Quibus rite explicatis & confirmatis, tum Capellum, tum Lightfootum, Viros celeberrimos, erroris hic poſtulat, quippe qui plures prominentias admiſerint, nec focum altaris rite deſcripſerint. In altitudine autem altaris definienda, Joſepho cum cæteris Ebræis parum convenire, monet, nec infrequens Rabbinis eſſe dicit, menſuras, quas Joſephus habet, tertia fere parte minuere.

Gentiles conſtat Diis cœleſtibus in ara ſupra terram elata ſacra feciſſe. Terreſtribus enim ſacrificia ſuper terram, Inferis ſub terra in foſſis offerebant. Non male Judæorum quoque Sacra cum hiſce componi, Noſter contendit, quippe qui Deo cœlorum in altari ſupra terram elato ſacra ferebant. Sic & aram quadratam Deus poſtulavit, Exodi XXVII. 1. Gentilibus itidem hæc figura placuit. Teſtem Strabonem advocat Auctor, qui Arabum aras ad normam quadratas fuiſſe ait. Idem nummi comprobant, qui quadratas non minus quam rotundas aras exhibent. Præ cæteris Criſpinæ uxoris Commodi nummum laudat Diis genitalibus ſacrum, quem ex Vaillantio affert, & in quo aram quadratam conſpicere licet.

De fundamento altaris obſervat, in quantum ultra cingulum



promi-

prominere debuit, ad orientem & meridiem penitus illud abfuiſſe, niſi quod latus orientale ad cornu, quod inter aquilonem & occidentem; & latus meridionale ad cornu, quod inter occidentem & meridiem ſitum fuit, cubitum habuerunt. Prætermittere hoc ideo noluimus, quod hinc Auctori occaſio enaſcatur, clariſſimos viros Capellum, L' Empereur, Ligthfootum redarguendi, qui ad minutias iſtas, ut videri poſſunt, non attendentes, alios deinceps admiſerint errores. Rationem autem hujus rei ex Ebræis adfert, quod ara pertinuerit tota ad tribum Benjamin, quorſum iſtud Jacobi vaticinium referunt: *Benjamin lupus, qui diſcerpit, mane comedit prædam. Gen. LI. 27.* Etenim ſi ad meridiem & orientem fundamentum prominuiſſet, jam pars altaris ſpectaſſet ad poſſesſionem tribus Jehuda, cum tamen totam aram tribui Benjamin vindicet Divinum Jacobi oraculum.

Cingulum altaris poſtquam ex Ebræorum commentationibus erudite explicavit, addit etiam, illud circumdatum fuiſſe a חוט של סיקרא *filo ſericeo.* Signavit illud dimidiam altaris altitudinem, maximumque uſum præbuit, cum quorundam ſacrificiorum ſanguis ſupra illud, aliorum autem infra illud ſpargendus eſſet. Videntur Auctori cum hocce filo cognationem habuiſſe Gentilium vittæ, quibus aras ſuas ornare ſolebant. Sane in nummis quibusdam mediam aræ partem a vitta circumdari, illi eſt obſervatum. Quin & rubras vittas ab iis uſurpatas, quibus ut Ebræi filo rubro aram cinxerint, ex Theocriti & Virgilii quibusdam locis colligit. Variis interpretum commentis vexatus eſt locus Ezech. XLIII, 15. *Harel quatuor cubitorum eſt, ab ipſo denique Ariele ſurſum verſus cornua ſunt quatuor.* Quidam duo iſta nomina Harel & Ariel confundunt, alii, judice Cramero, recte diſcernunt. Præterea miratur, quid Abarbaneli in mentem venerit, ut a cæteris gentis ſuæ doctoribus hic plane in diverſum abierit, per הר אל h. e. *mons Dei* intelligendo locum altaris & ſpatium ejus, quod infra in terra occupat, quatuor cubitos amplum altumque, cui deinceps ſtructuram altaris ipſius, nomine Ariel inſignitam, imponat. Non diſſimulat, ſibi potius cæterorum Ebræorum ſententiam arridere, nomineque Harel ſeu הר אל ἐσχάραν ſeu locum foci deſignari; τὸ Ariel autem ſive אריאל Leonem Dei ſignificare, eaque ipſum focum altaris h. e.

h. e. ſupremam ejus ſuperficiem, quæ cornua & pyras ſacras habuit, indicari: Leonis autem nomine recte inſigniri ignem ſacrum, quippe qui victimas omnes igne alio avidius ocyuſque abſumſerit.

Quæ de cornibus altaris prolixe commentatur, non referemus. Saltem de loco celebri Pſalm. CXVIII. 27. quæ ejus ſententia ſit, non poſſumus non indicare. Per cornua, latera altaris ibi intelligit, ſenſumque eſſe putat: *vincite ſacrificia feſti usque ad cornua altaris*, h. e. adferte tantam pecudum vim multitudinemque, ut ad aræ latera eas admoveri oporteat. Cæterum Gentilium quoque aras cornua habuiſſe, tantum abeſt ut diffiteatur, ut potius ex nummis id adſtruat. Neutiquam tamen in ſententiam Viri cujusdam eruditiſſimi, (Spenceri, ni fallimur,) ire poteſt, exiſtimantis, Deum altare ſuum ideo cornibus inſtructum voluiſſe, quod cornua diu ante Moſis ætatem, tanquam religionis & excellentiæ ſingularis indices, altaribus addita fuiſſent. Namque hoc vel inde refelli poſſe putat quod cornua altaris Ebræorum plane aliam figuram habuerint, quam cornua altarium Gentilium. Porro num ante Moſen, & diu quidem, ut Vir ille eruditus aſſerat, cornua apud Gentiles excellentiæ & potentiæ fuerint ſymbola, valde adhuc dubium incertumque eſſe dicit.

Ignem perpetuum, quem lex Divina jugiter ali præcipiebat, conſiderans, pleriſque gentibus ſimile quid in moribus poſitum fuiſſe docet. Sed addit, duplicem fuiſſe ignem conſervandi rationem. Vel enim in vaſculis conditum tenebant, inquit, per modum lucernæ, ea fere ratione, qua Diodorus Siculus, ſed minus recte, Judæis λύχνον ἀθάνατον tribuit: vel ignem perpetuum in aris focisque colebant. Atque huc potiſſimum Veſtam refert, cujus præcipuum ſymbolum in ara cum igne fuiſſe, plane contendit. Nimirum in memoriam ignis cœlitus delapſi, & Patriarcharum ſacrificia conſumentis, Gentiles Veſtam veneratos fuiſſe, ſibi perſuadet. Cujus quidem rei documentum ex ipſo nomine capit, cum vox Ἑστίας ſeu Veſtæ Ebraicam redoleat originem, & ex אש יה *ignis Dei* ſeu *ignis Deus*, commode derivari poſſe videatur. Tacemus quæ ex nummis, ut idem confirmet, affert.

Rationem conſcendendi altare explicaturo ſe offert Lex Di-

vina, per gradus in altare aſcendere vetans, Exod. XX, 26. Plane hic ſe Auctori non probant, qui legis hanc cauſam afferunt, quod Deus hac ratione Iſraelitas ab obſcœno cultu Baal-Peoris avertere voluerit. Namque quod alii de iſto cultu tradiderunt, fabulis atque commentis annumerat. Iſtam nimirum Deum colendi rationem adeo abſonam atque turpem eſſe, ut eam veteribus olim frequentatam fuiſſe, ſibi nullo modo perſuadere poſſit. Inductos autem fuiſſe viros doctos, ut ita exiſtimarent, prava interpretatione vocis פער, quæ equidem in lingua Chaldaica *egerere* ſignificet, ſed longe rectius ad locum referatur, in quo apud Moabitas Baal colebatur. Tractum quippe montanum *Pehor* aut *Pegor* vocari Num. XXIII, 28. Deut. XXXIV, 5. Hac ergo opinione profligata, legis non aliam rationem eſſe probat, quam reverentiam, quæ ſacris Diviniſque rebus debetur. Quod cum facile ab omnibus intelligi poſſit, miratur, viros eruditos in ratione hujus legis inveſtiganda tantopere fluctuaſſe. Cumprimis autem illi diſplicet Viri iſtius eruditi, quo cum ſupra etiam congreſſus eſt (Spencerum ſine dubio innuit) ſententia, aſſerentis, Deum eo animo hanc legem tradidiſſe, non ut gradus omnes, ſed ut gradus multos, altos, pompæ potius quam uſui deſervientes, in altaris ſui ſtructura prohiberet: noluiſſe enim Deum, ut Iſraelitæ Gentilium ritu ſacrificarent in excelſis, h. e. altaribus, ad quorum verticem non niſi gradibus altis ſcandebatur; quorſum & pyramides Ægyptiacas referendas eſſe contendit. Enimvero & verba legis omnem cavillationem excludentia, & mores Judæis receptos, palam huic ſententiæ refragari monſtrat. Fruſtra quoque & contra optimorum Hiſtoricorum fidem pyramides Ægyptiacas pro altaribus, ſive excelſis, in quibus Deo ſacrificia oblata fuerint, venditari oſtendit.

Ebræorum effatum eſt: *omnes qui montem domus ingrediuntur, ad dextram ingrediuntur & circumeunt, exeuntque ad ſiniſtram.* Simile quid, obſervante Noſtro, in Gentilium ſacris deprehendebatur. Plura quidem hujus rei adducit documenta, ſed illuſtre cumprimis eſt Pythagoræ præceptum: *per dextram templa ingreditor, per ſiniſtram exito;* quod rem omnem plane conficit. Hæc & ſimilia ὡς ἐν παρόδῳ obſervat, dum de clivo altaris ponticuliſque ex Ebræorum monumentis accuratiſſime præcipit.

Magno-

Magno quoque conſenſu ab Ebræis doctoribus traditur, nefas plane fuiſſe victimam ligare. Columnæ iſtæ & annuli, qui in latere ſeptentrionali atrii fuerunt, quosque accurate delineat, ut hac de re verba faceret, Auctori occaſionem præbuere. Vocem vero עקידה qua Ebræi interdum utuntur, non de ligatione, ſed de detentione, quæ manibus fit, capiendam eſſe monet. Quod ad Gentilium ſacra attinet, diſſentiunt quidem inter ſe Eruditi, faſne apud illos fuerit victimas ligare, an non; ſed Auctor illis accedit, qui & apud eos nefas fuiſſe docent, ligare victimas. Idque poſtquam Servii aliorumque teſtimoniis comprobavit, nummisque idem evinci poſſe indicavit, quæ in contrariam partem afferri ſolent teſtimonia ita cum ſua ſententia conciliat, ut ante tempus ſacrificii offerendi victimas ligatas fuiſſe, præeunte Servio largiatur.

Juſſit quidem Deus Levit. I, 11. victimas ſanctiores ad latus aræ aquilonare mactare, minus vero ſanctas ubique in atrio jugulari permiſit. Nihilo ſecius utriusque generis hoſtias ſuper ara ipſa cædi, obſervante Auctore noſtro, fas fuit. Documenta, quibus hoc evincit, non afferemus: id ſaltem addimus, & hic in Gentilium ſacris eum ſimile quid deprehendiſſe. Namque & illis ſolenne erat, beſtias ad vel prope aras ferire. An autem aliquando hoſtias aris ante impoſuerint, quam mactarent, difficilioris indaginis eſſe pronuntiat. Nummi tamen nonnulli ſe illi obtulerunt, animantes adhuc viventes & a popis mox adoriendas in aris exhibentes, qui rem omnem illi conficere videntur. Sic & holocauſta in ſacris Gentilium, Ebræorum holocauſtis plane ſimilia, obſervat. Cum Ebræi in quibusdam ſacrificiis אימורים h. e. *ablegmina*, ut Auctor vertit, ſacrarent, Græci quoque *μηρὸς* ſacros eſſe voluerunt, ipſa voce ritus iſtius natales ab Ebræis repetendos quodammodo prodente. Tacemus quæ de מנחות ſu*fertis libaminibusque*, ut & ſalis thurisque in ſacris uſu, Gentilibus non minus quam Ebræis frequentato, ex Ebræorum pariter ac Græcorum Romanorumque monumentis commentatur.

Porro notum eſt, quod altare aliquando aſylum criminis cujusdam reis, & hinc pœnam metuentibus, præbuerit. Legem hac de re ſancivit ipſe Deus Exod. XXI. 14. Sed non quibusvis hoc aſylum patuiſſe, ex Ebræis Doctoribus Noſter monet. Primo quidem huc con-

confugere poterant מחויבי גלות *rei exilii* h. e. quibus ceteroquin urbes in aſyla inſtitutæ ſecuritatem immunitatemque a pœna præſtabant. De ſolis tamen Sacerdotibus hoc capiebant Ebræi, ſi Auctori credimus. Nec ſemper tamen his quoque altare præſidio erat. Niſi enim rem Divinam facerent, & ipſum ſupremum verticem altaris occupaſſent, non proderat illis aut ad altare ſe recepiſſe, aut cornua ejus tenuiſſe. Unde quod Joabus jure ab altari abſtrahi potuerit, colligunt. Deinde & illi præſidium in altari inveniebant, qui cum ſe reos noſſent, metuebant, ne Reges ipſos ex jure Regio aut Synedrium ex ſingulari cauſa vita mulctarent. Exemplum hic illis Adonias præbet. Hæc Auctor ita ediſſerit, ut & hic Ebræorum rituum in Gentilium, præſertim Græcorum ſacris, veſtigia & diligenter quærat, & feliciter inveniat. Namque hi quoque non niſi in magno vitæ diſcrimine conſtitutis, & quidem inſontibus altaria perfugium præbere voluerunt, ita quidem ut ſontes quandoque inde abſtrahere non eſſet nefas: ſed & ut tum demum miſeris ſaluti eſſet hocce aſylum, ſi verticem altaris occupaſſent; id quod formulæ, quæ in ara eos conſediſſe teſtantur, comprobant.

Tandem & de altaribus Chriſtianorum nonnulla commentatur, finemque operi imponit myſtica applicatione altaris Ebræorum ad Chriſtum Servatorem.

## *GEORGII ENGELBRECHT JCTI COMPENDIUM JURISPRUdentiæ ſecundum ordinem Digeſtorum concinnatum.*

Helmſtadii apud G. W. Hammium, 1697. in 4. Alph. 5. plag. 9.

EUndem ſcopum Autor Conſultiſſimus, Sereniſſimorum Ducum Brunſvic. & Luneburgenſium Conſiliarius, in Academia Julia Codicis Profeſſor, & Facultatis Juridicæ Senior celeberrimus, in hoc compendio concinnando ſibi præfixit, quem hoc noſtro tempore in tali commentandi genere Eckoldus, Lauterbachius, Struvius aliique obſervarunt; dum videlicet ea, quæ notatu digna & uſui forenſi accommoda in libris ſyſtematicis Juris Romani occurrunt, per poſitiones, ſecundum cauſarum ſeriem diſpoſitas, animis lectorum compendioſa facilitate inſtillare allaborarunt. Et licet hoc noſtro non minus, quam anteriore ſeculo complura Digeſtorum compendia conſcripta fuerunt; forte tamen ad decus illuſtris Juliæ ſuæ aliquo modo pertinere arbi-

arbitratus eſt Autor Excellentisſimus, ſi & ipſa, ut aliæ complures Academiæ, ſyſtema tale a ſuo Doctore compoſitum poſſet oſtendere. Id omnino certum, quod ut ipſemet Autor fatetur, auditorum ſuorum animos egregie ſibi devinxerit, quippe qui ea, quæ calamo ab ipſis avide primum excepta fuerant, typis nitide impreſſa obtinere enixe deſiderarunt. Iſtud interea ſingulare in hoc compendio advertere par eſt, quod ea, quæ Jure provinciali per Ducatus Brunſuigo-Luneburgenſes ſpecialiter ſancita ſunt, ſedula cura ſub tabulis congruis notata reperiantur.

*LYCOPHRONIS CHALCIDENSIS ALEXANDRA, CUM GRÆcis Iſaacii Tzetzis Commentariis &c. Cura JO. POTTERI.*

Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1697. in fol. Alph. 4. pl. 13.

INter Poetas ſeptem, qui Ptolemæi Philadelphi tempore floruerunt, celebremq; illam Poetarum πλειάδα conſtituunt, omnium conſenſu Lycophron Chalcidenſis numeratur. Fuit itaque Poeta minime ignobilis, ſed ſimul omnium obſcurisſimus, & data quidem opera, ut Sphingis etiam æmulum ſemet profiteri non dubitaverit. Ex ingenii vero, quæ reliquit, monumentis, non niſi *Alexandra* ſeu *Caſſandra* ſupereſt, Poema, quod ſi non plane Tragœdiam, recte tamen Monodiam quandam Tragicam, Gulielmi Canteri in Prolegomenis ad Lycophronem judicio, dixeris. Quemadmodum autem in eo Alexandræ ſeu Caſſandræ (quæ Priami Trojanorum Regis ac Hecubæ filia fuit, vaticinandi arte illuſtris; unde & a priſcis quibusque Poetis velut vaticinans induci conſuevit) oracula inprimis repræſentare conſtituit: ita vel eo nomine veniam affectatæ obſcuritatis, quæ venerationem aliquam vaticiniis vel maxime conciliare creditur, videri poterat meruiſſe. Quicquid ejus ſit, quanto ſe obſcuriorem in Alexandra ſua Lycophron noſter præbuit, tanto magis Criticorum ingenia, qui illuſtrare eam & planiorem reddere allaborarunt, exercuit. Et primi quidem lucem aliquam Alexandræ Dection, Orus & Theon, Grammatici veteres, affudiſſe memorantur, ex quorum ſcholiis dudum deperditis Commentarios ſuos *Iſaacius Tzetzes*, (Joannis illius Tzetzæ, cujus Chiliades in vulgus notæ ſunt, frater) ſeculo poſt Chriſtum natum duodecimo compilavit, Baſileæ primum, quantum nobis quidem conſtat, A. 1546 typis deſcriptos. Latinam Alexandræ verſionem primus,

mus, quod ſciamus, *Bertrandus* quidam dedit, ediditque Baſileæ A. 1558; quæ cum non æque omnibus probaretur, novam *Gulielmus Canterus* Ultrajectinus aggreſſus eſt, & feliciori abſolvit ſucceſſu, cum luculento ejusdem commentario Baſileæ A. 1566. & iterum Pariſiis A. 1601 typis vulgatam. *Joſephus* etiam *Scaliger* eo in Caſſandram affectu fuit, ut Latine eam, & carmine quidem Jambico redderet: de qua verſione tamen diſſimulare non poſſumus quorundam cenſuram, a Bailleto in Judiciis Eruditorum de Poetis Græcis tomo IV. parte I. pag. 258 repetitam, Scaligerum id videri egiſſe, ut oſtenderet, æque obſcurum exhibere quempiam ſe poſſe in Latinis, atque Lycophron in Græcis fecerat. Denique & *Johannes Meurſius* Lycophroni manum admovit, denuoque Caſſandram cum Scaligeri verſione, ſed centum a ſe in locis emendata, novo commentario illuſtratam, Lugduni Batavorum A. 1599 edidit. Sed vicit haud dubie omnium induſtriam, cui noviſſimam hanc editionem debemus, clarisſimus *Joannes Potterus*, Collegii Lincolnienſis in illuſtri Academia Oxonienſi Socius, quippe qui in eam non ſolum transtulit, quæ in prioribus quantivis pretii invenerat, ſed & novo juſtoque nunc commentario eam Lycophroni vel invito lucem attulit, ut in Præfatione confidat, ſi cæterorum explicationibus adjungere commentarium ſuum Lector dignetur, adeo plana, perſpicua & dilucida, paucis exceptis, fore omnia, ut nunquam poſthac τȣ̃ Σκοτεινȣ̃ titulo ſe Lycophron efferre poſſit. Ejus rei experimentum quisque facile capiet. Nobis non niſi de diſpoſitione recentis editionis paucisſima erunt addenda. Præmittuntur univerſo operi, poſt breve Potteri præfamen & veterum nonnullorum de Lycophrone judicia, Iſaacii Tzetzæ de variis Poetarum generibus, nec non de vita & ſcriptis Lycophronis prolegomena. Hæc Alexandra ipſa excipit cum verſione Latina Canteri, ſubjectis, poſt variantes Lectiones, Tzetzæ ſcholiis Græcis, quæ ex manuſcriptis codicibus correctiora nunc & auctiora exhibentur, nec non emendationum ſpecimine. Sequitur Poematis verſio Latina, a Scaligero, ut diximus, adornata. Inde poſt triplices interjectos indices, Gulielmi Canteri primum, poſteaque & Joannis Meurſii commentarii in Caſſandram ſiſtuntur. Poſtremum locum novi Potteri noſtri commentarii occupant, quibus triplicis itidem generis indices ſubjiciuntur.

---

*In Actis hujus anni pag. 10. lin. 3. a fine, poſt vocem* hujusque, *addatur*: decennio ſexto & ejus.

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Martii, Anno M DC XCVIII.*


## BIBLIOTHEQUE ORIENTALE &c. h. e.

*BIBLIOTHECA ORIENTALIS, SIVE LEXICON UNIVERSALE, omnia ea, quæ ad notitiam orientalium populorum pertinent, complexum: Autore*

BARTHOLOMÆO DHERBELOT.

Pariſiis, ſumtibus Societatis Bibliopolarum A. 1697. fol. Alph. 12.

SI omnium expectationi non ſatisfacit, quod nunc producimus, diu a nemine non inter eruditos deſideratum opus, eam unice ſubeſſe exiſtimamus cauſam, quod tanta omnium animos de Autore ejus & ſingulari illius in litteris hiſce eruditione occupaverit opinio, ut mera miracula, quæ attoniti nimirum ipſi contemplarentur, ab eo ſibi polliciti fuerint. Imo cum, ut ſumus homines, ſemper ignota amare atque admirari magis ſoleamus, facile nobis perſuaderi patimur, eſſe haud paucos, qui neſcio quæ recondita atque ſtupenda in Arabum ceterorumque Orientalium libris deliteſcere antea opinati, jam, ubi reſerato limine facilior ad iſtorum myſteriorum cognitionem patet acceſſus, vix operæ ſuæ pretium ſe relaturos putent, ſi iſtis, ſupercilio ſuo parum reſpondentibus, paulo diutius immorentur. Verum ut ita ſentientes iniquiores eſſe in fœtum, quem tot annorum nixu nobis peperit Viri doctisſimi Muſa, non dubitamus: ita id quidem potiſſimum nunc cavendum eſſe exiſtimavimus, ne noſtra hac opera quiſpiam inducatur, quo minus juſtum utiliſſimo, variaque eruditione refertiſſimo operi pretium ſtatuat.

Vix autem felicius alia via id conſecuturos nos eſſe cenſemus,

quam ſi doctiſſimo Galandio manus quaſi noſtras ducente, paulo accuratius præſtantisſimum opus delineare inſtituamus. Ejus enim ſive deſcriptionem hujus libri, ſive de eo judicium tanto magis ſecure ſequi licebit, quanto majorem in hoc eruditionis genere famam dudum ſibi paravit, ipſe quoque ſimile quondam, cum Conſtantinopoli adhuc verſaretur, molitus opus; quod tamen in patriam reverſus, & a Dherbeloto noſtro jam occupatum eſſe audiens, abjiciendum eſſe exiſtimavit. Ille itaque aptiſſimus dubio procul in hoc negotio judex, Dherbelotum poſt factos ſingulares prorſus in lingua Hebraica, Chaldaica, Arabica, Perſica Turcicaque profectus, totum ſe libris iſtarum linguarum, quos vel Regia Pariſienſis, vel Medicea apud Florentinos, vel privata ſua, vel aliæ celebriores bibliothecæ ipſi ſuppeditabant, legendis dediſſe ait. In eis pervolvendis primo id operam eum narrat dediſſe, ut Lexicon Turco-Perſicum concinnaret, atque eam in rem præſtantiſſima lexica, Turcicis Perſicisque vocabulis Arabica, vel Perſica Arabicis explicantia, adhibuiſſe. Unde etiam ſubnatum ei eſſe dicit, quod pace tamen doctiſſimi Meninskii dictum cupit, Lexicon Turco-Perſicum omnium perfectiſſimum, tribus voluminibus abſolutum, quod hodie poſt fata Autoris, in fratris ejus muſeo aſſervari nos docet. Deinde in perluſtrandis iſtarum gentium monumentis, ita eum verſatum eſſe ait, ut quicquid notatu dignum ſeſe offerebat, in Gallicam linguam converſum excerperet. Iſtæ poſtmodum ἐκλογαί, decenti ordine diſpoſitæ, geminum opus conſtituerunt, quorum alteri Anthologiæ nomen fecit, (de cujus editione non deſperare nos ſinit, in cujus manibus eſt, præſtantisſimus frater ejus,) alterum Bibliothecæ titulo jam tenemus. Hujus vero, ut ad id, quod facere inſtituimus, propius accedamus, illa eſt facies, ut quicquid ad hiſtoriam populorum Orientalium pertinet, alphabetico ordine exhibeat. Cumq; iſta methodus ſeriem & nexum ſuccedentium ſibi invicem eventuum repræſentare non permittat, duplici ratione morbo iſti mederi voluit. Primo enim ſemper Dynaſtiæ cujusvis nomen, quo inſignita fuit, loco ſuo exhibet, dumque in eo explicando verſatur, omnium ſimul Principum, qui rerum ſumma in ea potiti ſunt, nomina, eo quo ſibi invicem ſucceſſere ordine recenſet, ut adeo facile continua ſerie cujusvis Dynaſtiæ hiſtoria ex hac Bibliotheca hauriri poſſit. Deinde cujusvis etiam Principis, de quo, loco quem litterarum ordo ei aſſignavit, diſſeruit,

ruit, & anteceſſorem & ſucceſſorem indicat, ut proinde hac quoque ratione nexus hiſtoriæ non ægre inveniri queat. Hiſtoriam autem Orientalium omnem a primis uſque, quas jactant, originibus tradere non dubitavit, ne ipſis quidem omiſſis iis, quæ de rebus ante Adamum geſtis fabulantur. Quod ejus tanto magis probandum conſilium eſt, quo difficilior ſine accurata eorum notitia Poëtarum Arabum aliorumque redditur lectio. Hiſtoriam quoque Patriarcharum aliorumque Sanctorum, prout ab Orientalibus traditur, non prætermittendam duxit; quin & poſt Chriſti ortum, quotquot extiterunt celebres, ſive ſanctitate ſive eruditione, Viri, fidem ejus amplexi, quorum in Orientalium ſcriptis eſt mentio, ſummo ſtudio annotantur. Maximam tamen & potiorem partem profana tum antiquisſimarum gentium, Perſarum inquam, Sinenſium, Scytharum & Tartarorum, tum recens exortorum Mahomedanorum, regnorumque omnium, fidem eorum amplexorum, abſolvit hiſtoria. Quæ tanto majoris eſt facienda, quod de illuſtribus regnorum iſtorum converſionibus ne fando quidem antea ab Europæorum plerisq; aliquid fuerit inauditum. Nec hic tantum Principum ceterorumque in republica gerenda illuſtrium virorum res geſtæ exponuntur: ſed ſi quem ſanctitas, ſi quem eruditio fecit conſpicuum, de eo fuſa pro re nata narratio inſtituitur. Et ut eo major rebus hic expoſitis conſtet fides, optimo conſilio Orientales ſemper allegantur hiſtorici, a quibus accepit Dherbelotus quæ liberali manu nobiſcum deinceps communicavit. Inter eos tres potiſſimum eminent, quorum integra fere opera in hoc volumine ille vertit & exhibuit: Kondemihir nimirum, Benſchahnah, & Nighiariſtan. Reliquorum, qui paſſim citantur, nec nomina recenſere, nec numerum inire facile eſt. Jamque ſufficere iſta poſſent ad operis hujus commendationem; verum non ſufficere videbantur doctiſſimo Dherbeloto, niſi Geographiam quoque Orientalium cum eorum hiſtoria jungeret. Præter ea itaque, quæ ex Abulfeda & Edriſſi hauſit, quorum opera integra, ab eruditis ſummo deſiderio dudum expectata, huic Lexico ſuo per partes in locis ſuis inſeruit, alia quoque huc ſpectantia undiquaque congeſſit. Et, quod imprimis mireris, non obiter nomina & ſitum locorum deſcripſiſſe contentus, ubi fieri id potuit, longitudines quoque & latitudines eorum indicavit. Qua in re tum aliæ complures variorum obſervationes, tum illæ imprimis, quæ Maragæ, Holagou, Mogolici in Perſia Imperatoris, auſpiciis, a Naſſireddino, &

Ulugbegi, qui magnum Tamerlanem avum habuit, autoritate, ab excellentiſſimis Aſtronomis in Samarcandenſi obſervatorio factæ ſunt, egregie ei profuerunt. Verum de librorum Orientalium quoque notitia, quam Dherbelotus noſter in hoc opere præſtat, pauca adhuc ſunt dicenda. Sane ſi cum iis, quæ hac ex parte illi debemus, Hottingeri comparetur Bibliotheca, pauperis hanc dicas pecus, quod numerare liceat, illa regios greges, quibus multorum paſtorum vix ſufficiat cura. Sane enim non eorum tantum, quos ipſe vidit Dherbelotus in Regia Pariſienſi, Medicea, aliiſque quas luſtravit bibliothecis, librorum Orientalium recenſio inſtituitur: ſed integra Bibliotheca librorum Orientalium, quam celebris Mohamedanus Philoſophus & Hiſtoricus Hagi Khalfa concinnavit, Gallice verſa in hocce opere paſſim inſerta legitur. Jam quid de plantis, animalibus, aliiſque rebus Orientalium naturalibus dicemus, de quibus multa hinc inde Bibliotheca iſta nos docet quid? de innumeris Alcorani locis, ex optimis interpretibus ejus, occaſione data, ſæpius explicatis, ubi opus eſt etiam confutatis? Quid de multis Virorum doctorum obſervatis erroribus, aliiſque, quæ ipſe facilius deprehendet Lector hujusmodi rerum curioſus, quam a nobis poterunt commemorari?

Procul dubio autem ſitim iſta relatione ſibi excitatam, ſi non reſtingui, ſedari ſaltem volent, quibus in deliciis ſtudia iſtiusmodi eſſe ſolent. Ut & iis itaque aliqua ex parte ſatisfaciamus, & paucis exemplis edoceamus, quanta hic rerum novarum meſſis ſit expectanda, duo potiſſimum delegimus capita, de quibus Dherbeloto ad noſtros Lectores ediſſerendi copiam quaſi faceremus. Nimirum quæ de Zabiis, vel Sabiis, uti nonnulli vocant, itemque ea quæ de Zoroaſtre nos edocuit, paucis perſequemur. Cum enim de iſtis, de quibus aliqua tamen adhuc inter Europæos increbuit fama, tam multa nova attulerit, facile conjectura fieri poterit, quanti facienda ſint ea, quæ de inauditis plane rebus ex doctisſima penu nobis depromſit. Zabiorum itaque, quos Sabiah, & Sabioun, & Sabah apud Arabes, Sabian vero apud Perſas appellari ait, quæ ſit religio, inter ipſos Orientales ſcriptores non ſatis convenire dicit. Id interea certum eſſe, a Magis, cum quibus a nonnullis confunduntur, eſſe diverſos; cum Zabiis ſuo more Deum colere, ſacroſque ritus ſuos obire, non minus ac Judæis Chriſtianiſque in Corano ſuo Mahommedes permittat, qui Magos contra ob

ob idololatricum ignis cultum, una cum aliis idolorum aſſeclis, omnino tolerari prohibeat. Inde ex Houſſain Vaez Perſica Corani interpretatione (c. 2.) Zabiorum religionem ita deſcribit, ut ex Judaiſmo, Chriſtianiſmo, & Mah omediſmo eam coaluiſſe dicat; imprimis vero in Angelorum cultu, pſalmis Davidicis legendis, precibusque, modo verſus Meridiem, modo ad Septentrionem converſa facie, fundendis aſſiduos eſſe Zabios tradat, quibus omnibus ex eodem autore addit, errorum, quibus Sadducei quondam infecti fuere, circa alterius vitæ expectationem, ſuſpectos eos nonnullis eſſe. Hinc porro obſervat, omnino habere eos ritus quosdam, quos a Chriſtianis videantur accepiſſe, inter quos eminere dicit baptiſmum. Imo & Joannem Baptiſtam apud eos in veneratione fuiſſe ait, a quo *Mendai Jabia*, h. e. uti Dherbelotus exponit, diſcipulos Joannis ſeſe appellari volunt; quæ appellatio, ut obiter id notemus, a doctiſſimo Simonio (Crit. V. T. L. I. c. 7.) & Autore Judiciorum quorundam in Belgio Theologorum de Critica Simoniana (p. 133) non ſatis intellecta, conjecturis parum certis occaſionem dedit. Quod autem iſto ipſo baptiſmi ſimulacro inducti nonnulli Europæorum, qui Orientales provincias peragrarunt, Chriſtianos illos eſſe crediderint, in eo erroris eos revincit. Jam non inhærebimus iis, quæ de libris Adami, a Zabiis jactatis, affert, aliis quoque obſervata, ſed ad ea properabimus, quæ ex Ben Schuhna de iis excerpſit. Illum *Sirian* eos etiam appellare notat, eosque antiquiſſimæ mundi nationis propaginem facere, linguam Adami inter eos vigere nimis credulum exiſtimare, religionem vero eorum a Scheith & Edris (h. e. Setho & Enocho) derivare. Ejusdem autoritate refert, ſepties eos quotidie in ardentiſſimas preces effundi, atque integros menſes jejuniis accuratisſime obſervatis tranſigere. Templum porro iis Mechanum in honore eſſe, quemadmodum & Pyramides Ægyptias, in quarum tertia Sabi filium Enoch ſepultum eſſe opinentur. Locum tamen, quem præcipue religioſis peregrinationibus frequentent, prope Harran in Meſopotamia eſſe, quem Charras, Abrahami patriam, eſſe quidam credant. Hunc autem locum propterea majori religione eos venerari, nonnullos exiſtimare, quod ibi vixerit Abrahami ætate Sabi Ben Mari, a quo illi potius quam a Sabi Ben Edris (h. e. filio Enochi) religionem ſuam derivandam eſſe ſibi perſuadeant. Poſt Ben Schuhnah producit Ben Hazem, qui Zabiorum religionem

antiquisſimam, & ad Abrahami usq; tempora catholicam fuiſſe docet, & Schehereſtanum, qui Muſulmannicæ & Zabiæ religionis diſcrimen in eo verſari teſtatur, quod illa inter creaturas ſpiritibus, hæc materiæ potiorem locum deberi ſtatuat. Ex Ebn Khalecan vero nonnulla obſervat, quæ ſupra poſitum inter Magos & Zabios diſcrimen confirmant, & fundamentum erroris confundentium eos luculente demonſtrant. Scilicet dicit ille Autor, non eſſe Zabios Zoroaſtris diſcipulos, qui Magi vulgo vocantur, ſed antiquitate hiſce non cedere, utroſque vero, ut ab Ibrahim, qui Zerdaſcht (h. e. Zoroaſter) fuerit cognominatus, & quem cum Abrahamo confundant, orti videantur, omnibus viribus eniti. Denique etiam æquivocationes vocis *Sabi* annotat, atque non tantum appellativo ſenſu pro apoſtata id quandoque uſurpari, ſed tam latæ ſignificationis etiam eſſe obſervat, ut Perſæ, Chaldæi, Aſſyrii, Græci, verbo, omnium religionum gentes, quæ antequam Judaiſmus, Mohamevdaniſmus & Chriſtianiſmus invecti fuere, exſtiterunt, Zabiorum nomine deſignentur. Imo Chriſtianos Hiſtoricos de Conſtantini M. converſione loquentes, a Sabiis ad Chriſti caſtra eum tranſiiſſe, eodem ſenſu dicere obſervat. Sane ſi iſta omnia & cum iſtis, quæ modo allegavimus, locis, & iis quæ R. Majemonides, Stanlejus, Huetius & alii de Zabiis tradidere contendas, facile deprehendes, quam multa, antea parum explorata, optimorum autorum fide accurate nos edocuerit Dherbelotus, quem nunc de Zoroaſtre diſſerentem paulisper etiam audiemus. Ejus nomen varie apud Orientales proferri, dum Zerdaſcht alii, alii Zaradaſcht, imo & Zerdouſt nonnulli eum appellant, monet. Ex libro autem Philoſophi cujusdam Giamasb, (quem Ketab alkeranat inſcripſit) qui proxime poſt Zoroaſtris tempora floruit, refert, 1300 anno poſt diluvium, quo magna Planetarum contigerit conjunctio, natum Zoroaſtrem eſſe. Poſt eum autem, nova Planetarum facta conjunctione, ex montibus tertii climatis prodiiſſe hominem, qui *Saheb alaſſa*, h. e. *Magiſter virga*, cognominatus ſit, novæ religionis autorem, per quem Moſem intelligi Dherbelotus nos docet. Deinde autem oſtendit, non Moſe tantum antiquiorem facere, ſed cum ipſo etiam Abrahamo eundem eſſe exiſtimare Zoroaſtrem Perſarum Magos, atque hujus confuſionis originem ab ipſis Judæis eorumque doctoribus repetit. Illi enim locum Geneſeos interpretantes, quo ex Ur Chaldæorum exiviſſe

ſe Abrahamus dicitur, non urbem aliquam voce Ur, ſed ignem denotari cenſent, ex quo ereptus Abraham, cum a Nemrodo in eum conjectus eſſet, divina virtute fuerit. Magos vero huic fabulæ addidiſſe docet, fieri non potuiſſe, ut ignis læderet Abrahamum, qui devotisſimus ejus cultor fuerit; cujus religionem poſt tantum miraculum aliis quoque gentibus haud ægre eum perſuaſiſſe, ſuæque adeo religionis autorem eſſe exiſtimant. Sed videamus porro, quæ ex Mahommedano ſcriptore Khondemiro de eo referat. Ille quoque de ætate Zoroaſtris cum Giamasbo conſentire videtur; eum autem Aſtrologicis imprimis ſtudiis operam navaſſe ait, quæ cum de imminente magno aliquo Propheta eum edocerent, de ſeipſo iſtam ſiderum prædictionem temere interpretatum fuiſſe dicit. Factum deinde eſſe ait, ut variis apparitionibus a malo Genio in hac credulitate ſua confirmatus fuerit, qui ignis ſemper ſpecie ei apparens, igneum quoque characterem ei impreſſerit; cujus poſtmodum oracula omnia, pro Propheta ſe jamjam, poſt exactum aliquod in ſolitudine tempus, venditans, in librum quendam, Zend appellatum, congeſſerit. Refert tamen ex eodem Khondemirio aliorum traditionem, qui multo juniorem Zoroaſtrem eſſe contendentes, ex Hebræorum libris Bileami prophetiam de ſtella in Jacob exoritura eum didiciſſe, atque inde de magni prophetæ perſona induenda animum ſumſiſſe dicunt. Cui forſan traditioni favet nominis Zoroaſtris interpretatio, quam autor Recognitionum Apoſtolicarum & Gregorius Turonenſis ſecuti ſunt, dum per vivum aſtrum, (quaſi ζωρόπυρον ἄςρον dicas) nomen iſtud explicant; attamen illius etymologiæ exiguam eſſe fidem, ipſi facile agnoſcimus, cum Græcæ originis nomen illud eſſe nulla ratio permittere videatur. Verum non prætermittenda eſt alterius libri Orientalis, quem Tarikh Montekeb titulo allegat, traditio: qui præterquam quod Eliæ & Eliſæi, ut & Rechabitarum diſcipulum, quorum prophetiis corruptis, librum Vitæ compoſuerit, Zoroaſtrem dicat; primum eum doctrinæ de bono & malo principio autorem fuiſſe teſtatur, a qua ſectatoribus ejus *Magorum* nomen impoſitum eſſe cenſet, quod corruptum eſſe ex Perſica voce Meikhouſch, quæ dulce & amarum notet, manifeſta ad duplex Magorum principium facta alluſione, exiſtimat. Jam prolixi non erimus in repetendis iis, quæ ex variis autoribus Orientalibus de ætate ejus diſſentientibus Autor noſter affert, quorum nonnulli

nulli Esdræ quoque diſcipulum eum fuiſſe putant. Forſan illi ex parte conciliari inter ſe poterunt, ſi cum Græcis Latiniſque Scriptoribus plures Zoroâſtres admittamus. Id notatu dignum videtur, quod Zoroaſtrem eundem cum Smerdi, qui poſt Cambyſem Perſicum thronum occupavit, fuiſſe, Dherbeloto dicere videatur Autor Tarik Montekheb, qui Mikhgouſch eum vocat, voce auribus mulctatum ſignificante: quodq; primum eum non fuiſſe, qui ignis religionem in Perſiam invexerit, ex aliis Autoribus erudite obſervaverit.

Certe ſi eorum, quæ notatu digna ubiq; in hoc libro ſeſe offerunt, rationem liceret habere, vix impetrare a nobis poſſemus, ut miſſum eum, paucis adeo ex eo decerptis, faceremus. Vel ſic enim ægre admodum præterimus, quæ de Angelo Mortis ex Mahomedanorum doctrina affert, cujus non nomen tantum idem quod Mahomedani, (Asraëlis nimirum,) ſed alia quoq; eorum doctrinæ de illo conſentientia, Chriſtianorum veterum prodidiſſe traditiones, opportune nos monet memoriæ noſtræ ſeſe modo offerens locus Auctoris operis imperfecti ad Mat. XXIV, 43. Non minus inviti omittimus, quæ de Abrahami genealogia obſervat, cujus parentem Azar, avum vero Tareh, ex Orientalium opinione eſſe docet. Ubi ſimul obſervat, eo quod Sacræ litteræ Tharam Abrahami parentem fuiſſe teſtentur, pleroſque exiſtimare, alium a Tharah Arabum Azarum non eſſe. Ipſe vero cenſet, Chronologos noſtros, ſi de Arabum Genealogia aliquid iis innotuiſſet, non opus habituros fuiſſe, ut conciliandæ cum ætate Abrahami & tempore mortis Tharæ epochæ tranſmigrationis Abrahami gratia, ad ſecundam ejus tranſmigrationem, cujus nulla in ſacris litteris extat mentio, recurrerent. Multo magis enim credit ad expediendos nodos ſi conveniens eſſe, ſi duos admittamus Tharas, patrem alterum Azaris cognomine inſignem, alterum avum Abrahæ; quam ſententiam cum ſacra Scriptura haud ægre conciliari poſſe ſibi perſuadet. Imo & de Platone quæ Arabes tradant quo minus referamus, vix continere nos poſſumus. Liceat ſaltem quandam ejus ad Philoſophum aliquem de miſeriis vitæ humanæ commemorare epiſtolam, quæ Arabica lingua in Bibliotheca Pariſienſi extat, nobis hactenus incognita. At quis æquo animo a nobis prætermitti patiatur inſigne ejus effatum, quod morti proximum eum edidiſſe Arabes tradunt? Cum enim interrogatus ab amicis, quænam ejus de hoc mundo noſtro ſententia ſit, eſſet; *Neceſſitate*, reſpondit

ſpondit, *adactus in eum perveni, cum admiratione conjunctam in eo vitam duxi, jamque ubi linquendus mihi eſt, cum contemtu eum deſpicio.* Illa etiam attentionem forſan mererentur, quæ de Mahomedis miraculis affert, de quibus diviſæ eſſe videntur Chriſtianorum in Europa ſententiæ; dum alii cum Grotio (de Verit. Rel. Chr. l. 6. p. m. 202) & Pfeiffero (Theol. Jud. & Mahommed.) nulla vel ab ipſo ſibi, vel ab aſſeclis Mahemmedo tribui miracula dicunt; alii cum Simonio (in Hiſt. Crit. Fidei nationum Oriental. c. 15.) & Chevræo (Hiſt. Mundi lib. 5. to. 3. p. 8.) multa de fama miraculorum ejus apud Mahomedanos tradunt. Varia ab Autore noſtro Mahommedanorum Scriptorum loca afferuntur, quæ utriusque partis ſtabilire ſententiam queant, ita tamen ut paulo accuratiore inſtituto examine, plus ſoliditatis in priore eſſe videatur. Imprimis obſervandus locus, quem ex Alcorani interpretibus ad caput Raad produxit: ubi cum incredulitatis eorum, quos infideles Mahommedes, eo quod miracula ab eo flagitarent, appellat, facta mentio eſſet; iſta ex iis nonnemo fuit commentatus: Solere Deum miraculoſa ea potiſſimum patrandi poteſtate inſtruere Prophetas, quæ maxime iis in locis, in quibus munere ſuo illis fungendum eſt, in pretio habeantur. Cumque adeo in Ægypto magia, in Judæa vero medendi ars Moſis & Chriſti temporibus magni apud omnes facta fuerit, iis quoque miracula conceſſa fuiſſe huic ſeculi genio maxime convenientia. Contra, eloquentiam linguæque Arabicæ puritatem Mahomedis ævo omnes potiſſimum cepiſſe, indeque maximum ejus miraculum ipſum Alcoranum eſſe, tanto nitore ab eo, idiota & plebejo homine, conſcriptum.

At enimvero charta nos deficeret, ſi iſtiuſmodi omnia annotare vellemus. Hoc forſan malam Lectorum noſtrorum gratiam non inibimus, ſi quis qualiſve fuerit Dherbelotus, cujus diligentiæ præclarum hocce opus debemus, paucis indicaverimus. Cum enim ille, antequam prælis abſolutum, luce frui hunc fœtum ſuum cernere poſſet, præproperis fatis deceſſerit, merito juſta, quæ Dn. Couſin brevi vitæ hiſtoria perſolvere illi voluit, hic quoque breviori illius repetitione ei reddenda ducimus. Natus itaque eſt anno hujus ſeculi XXV, parentibus inſigni inter cives Pariſienſes loco poſitis. Juvenis ſtatim, poſt alia hauſta potius quam deguſtata ſtudia, linguis orientalibus addiſcendis totum ſeſe mancipavit. Quarum amor in Italiam mox eum

pertraxit, ubi ob crebriora cum iſtis populis commercia, majores in iſto ſtudio progreſſus ſibi pollicebatur. Romæ itaque potisſimum commoratus, familiarem Lucæ Holſtenii & Leonis Allatii amicitiam meruit. Quin & Cardinalis Barberini atque Grimaldi ita ſibi concilíavit animos, ut dignus a Grimaldo judicatus fuerit, qui Reginæ Sueciæ Masſiliam honoris cauſa obviam mitteretur, quam eruditione ſua jam tum in admirationem rapuit. In patriam reverſus in Fouqueti, redituum Regiorum tum Præfecti, familiam, magnifico ſtipendio ſolicitatus, pervenit. Cujus ſequior fortuna adeo ei non obſtitit, ut illo licet lapſu graviore jam præcipitato, Secretarii tamen & Interpretis linguarum Orientalium Regii munere fuerit ornatus. Verum Italiam denuo appetebat animus, inſatiabili diſcendi cupiditate accenſus. In quam anno 1666 delatus, Florentiæ a Sereniſſimo Magno Duce Ferdinando illis honoribus fuit cumulatus, qui privati Viri ſortem fere excederent. Magnifice enim inſtructa ſumtibus ejus non tantum fuit, quæ Dherbelotum exciperet domus, rhedaque & equi ex ſtabulis Magni Ducis deſignati, qui uſibus ejus inſervirent; ſed locupletiſſima etiam Bibliotheca orientalium codicum, ei, antea ut pretium illi ſtatuere vellet rogato, (Duce nimirum illam ſibi vendicare velle ſimulante) emta atque dono data eſt munificentisſime. Auxit illa res ejus in Gallia famam. Quamobrem ab illuſtri Colberto magnis pollicitationibus revocatus, non antea a Coſmo, Sereniſſimo hodie Magno Hetruriæ Duce, ut dimitteretur impetrare potuit, quam Colberti litteras ei oſtendiſſet. In patriam itaque redux a Potentiſſimo Rege ſuo ad familiare ſæpius gratioſiſſime admiſſus colloquium, annuo 15000 librarum ſtipendio auctus fuit, atque in id incubuit totus, ut Orientalem, quam in Italia concinnare cœperat, Bibliothecam abſolveret. Arabica lingua eam ſcribere primum ipſum ceperat impetus: jamque typos illi excudendæ neceſſarios fundi juſſerat Colbertus. Neſcio tamen quid conſilium iſtud interverterit, adeo, ut in Gallicam linguam convertere, quæ Arabica commentatus fuerat, atque hac, qua nunc tenemus, forma edere coactus fuerit. Interea eruditione ſua meruit, ut Regia Syriacæ linguæ Profeſſio poſt Auvergnii mortem ei demandaretur. Quæ quantacunque fuerit, pietatem ceteraſque virtutes ejus non ſuperavit; quibus id indeptus eſt, ut ſexto Id. Decemb. A. M DC XCV fatis ſuis concedens, neminem funeri ſuo non illacrymantem reliquerit.

DES

## DES POINTS FONDAMENTAUX DE LA RELIGION CHRETIENNE &c.

i. e.

## *DE ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS RELIGIONIS CHRIſtianæ: auctore JOANNE GRAVEROL.*

Amſtelod. apud Georg. Gallet, 1697. in 8. Plag. 8.

Nihil ſolennius eſt in Theologorum ſcholis, quam doctrinæ cœleſtis capita, vel ut vocari ſolent, articulos fidei in fundamentales & non-fundamentales diſpeſcere. Nec tamen dum id faciunt, omnibus ita ſe probant, ut deſint, qui palam hic diſſentiant, eoſque impugnent. Quin alii totum hocce inſtitutum damnant, omnia doctrinæ cœleſtis capita æque creditu neceſſaria eſſe clamantes; alii recte quidem hæc ita diſcerni autumant, ſed fundamentalium capitum ſive articulorum exiguum adeo numerum conſtituunt, ut ex illorum ſententia vel turpiſſimos Mahomedis aſſeclas in Chriſtianæ Eccleſiæ conſortium admittere non ſit nefas. Utriſque ſua commentatione obviam ire voluit Johannes Graverolius: illis tamen præcipue certamen indicit, cum his in tranſitu velut pugnans, & Johannem Clericum, ut ipſe profitetur, ſubinde feriens. Demonſtrato itaque vario multiplicique, quem iſta articulorum Chriſtianæ doctrinæ diſtinctio præbet, uſu, Romanenſes, ut parum ei æquos, atro notat lapillo. Ut autem rite, quid articuli fundamentalis nomine veniat, demonſtret, in tres claſſes ordineſque omnia ea, ex quibus Chriſtiana religio, ceu corpus ex ſuis partibus, componitur atque conflatur, diſtribui poſſe obſervat. Quædam, inquit, plane neceſſaria ſunt, utilia alia, alia ἀδιάφορα ſeu indifferentia. Indifferentia ea vocat, quibus Eccleſia carere poteſt, quæque prout temporis, loci & perſonarum ratio poſtulat, immutare non eſt nefas. Utilia autem ea dicit, quæ ad fidei, ut loquitur, perfectionem quidem faciunt, ita tamen comparata ſunt, ut Eccleſia & ſine iis ſubſiſtere, ſingulique credentes æternæ felicitatis compotes fieri poſſint. Neceſſaria denique vocat, ſine quibus nec Eccleſia ſalva eſt, nec ſinguli credentes ad æternam pertingere ſalutem poſſunt. Et hæc ad fundamentum fidei pertinere judicat, ut quod tale quid continet Theologiæ caput, pro fidei articulo funda-

cap. I. & II.

cap. III.

cap. IV. mentali debeat reputari. Cumque porro in ſcholis, ut Auctor docet, ab articulis Catholicis, quos a nemine, qui inter Chriſtianos nomen ſuum profitetur, ignorari fas eſt, diſcerni ſoleant Theologici, quorum accuratior cognitio a docentibus ſolum exigitur, hoc pluribus confirmat, & ipſorum Romanenſium teſtimoniis comprobat. Et licet omnia, quæ Deus revelavit, ab omnibus ceu divina effata ſumma animi ſubmiſſione ſint amplectenda, quantum ad auditores tamen, ſufficere putat, ſi fide generali & implicita hoc faciant, ſi diſceſſeris ab iis capitibus, quæ ad fundamentum pertinent. Ne autem alicui dubium ſuboriatur, quo pacto dogmata hæc Chriſtianæ religionis capitalia neceſſaria dici poſſint, more in ſcholis recepto aliud ad eſſe, aliud ad bene eſſe neceſſarium eſſe docet; præterea a neceſſitate medii diſtinguit necesſitatem præcepti, & hæc omnia rite ad inſtitutum

cap. VI. ſuum accommodat. Quibus ita præmisſis, articulos quosdam fundamentales dari, & rationibus, & conſenſu doctorum hominum ex præcipuis orbis ſectis, comprobare annititur. Nimirum a ratione, inquit, prorſus abhorret, Deum impoſuiſſe hominibus necesſitatem diſtincte & explicite ea credendi, quæ ut cognoſcere posſint, in illorum viribus poſitum non eſt, quantamcunque etiam curam & diligentiam ſecum afferant. Jam, ita pergit, ſi res omnes divinis literarum monumentis proditæ æque creditu neceſſariæ eſſent, ſequeretur ſane, Deum tale quid, quod a paucisſimis præſtari poteſt, hominibus impoſuiſſe. Quod cum nemo admittere posſit, invictum inde robur ſe ſententiæ ſuæ conciliaſſe, ſibi perſuadet. Conſenſu omnium fere ſectarum idem confirmaturus, ad Judæos, Mahumedanos, Anabaptiſtas, Arminianos, Socinianos, Lutheranos, quin ipſos Romanenſes, vel invitos veritati teſtimonium perhibentes, provocat, prolatisque teſtimoniis

cap. VII. ſuam ſententiam comprobat. Hinc caliginem, quæ veritati hic a quibusdam offunditur, diſpulſurus, cum Richelio Cardinali, cui inter novæ methodi inventores haud ultimus debetur locus, congreditur, oſtenditque quam parum firmo nitantur talo, quæ pro adſtruenda omnium articulorum fidei æqualitate Cardinalis attulerat. Hoc labore defunctus, & ipſa Scripturæ S. teſtimonia, & exempla conqui-

cap. VIII. rit. Refert huc ipſa Servatoris effata, ſummam Legis & Divinorum Vatum in eo poſitam dicentis, ut quæ ab aliis nobis fieri volumus, nos ipſis quoque præſtemus, Matth. VII, 12, itemque maximum Numi-

nis

nis mandatum hoc eſſe, quod de eo diligendo præcipit, alterumque illi æquale de diligendis aliis, prædicantis, & ſimilia. Idem colligit ex Matth. XXII, 36. ſq. I. Cor. III, 11. 12. 13. Eph. II. 20. Et ita rem omnem plane ſe confeciſſe putans, ad alia digreditur, & quo pacto fundamentales articuli a non-fundamentalibus diſcerni poſſint, diſquirit, deque characteribus fundamentalium articulorum exponit. cap. IX. Primo itaque ad ipſum lumen naturale, ſive ut cum Claudio loquitur, *guſtum conſcientiæ* provocat, non certiorem evidentioremque characterem reperiri poſſe autumans, quam quem illud ſuppeditat. Addit alterum, quod ſcilicet Scriptura ſacra ea, quæ præcipue neceſſaria ſunt, ſubinde repetere & ita diligentius inculcare ſoleat, ſecundum cap. X. regulam ipſi Chryſoſtomo quoque laudatam: *Sacra Scriptura non eſt multiloqua in his, quæ non ſunt multum neceſſaria.* Tertium petit ab ipſa evidentia & claritate. Nimirum quæ creditu factuque ad ſalutem æternam conſequendam ſunt neceſſaria, tam clare tamque perſpicue in divinis literis tradita eſſe, ut omnibus diligentiam ſtudiumque in veritatem inquirendi ſincerum adhibentibus ſua ſponte ſeſe offerant. Nec contemnendum inde quoque characterem capi ait, quando ipſa Scriptura S. dogmatis aut articuli cujusdam neceſſitatem commendat, ut cum Paulus Ebr. XI. 6. dicit: *Credendum eſt* (ſeu oportet credere) *ei qui ad Deum accedat, Deum eſſe & ſui ſtudioſis præmia rependere.* Porro quando Deus certis dogmatibus aut virtutibus promiſſiones vitæ æternæ addit, de illorum præſtantia & neceſſitate, judice Auctore, dubitari nequit. Sic Paulus 1. Tim. IV. 8. de pietate dicit, *quod promiſſiones habeat & præſentis & futuræ vitæ.* Non aliter quoq; judicandum, quando aliquid in Scriptura ſacra ut finis & ſcopus Evangelii ac gratiæ Divinæ proponitur, ut cum Joh. XX. 31. dicitur: *hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei, & ut credentes vitam per ejus nomen adipiſcamini.* Sed iſtud quoque pondus ac momentum cenſente Auctore habet, quando ipſe Chriſtus & Apoſtoli Chriſtianam religionem velut ad ſumma quædam capita contrahunt, ut cum Chriſtus dicit: *hæc eſt vita æterna, ſi te ſolum cognoſcant verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* Joh. XVII. 3. Hæc omnia poſtquam prolixius deduxit, haud difficile eſſe pronuntiat, cognitis veritatibus fundamentalibus errores dijudicare, & quinam fundamentum ullo modo labefactent, quinam vero illud non attingant,

cognoſcere. Simul tamen obſervat, articulos fundamentales inter ſe connexos & velut arctiſſimo quodam vinculo colligatos eſſe, ut uno labefactato ceteros quoque corruere neceſſe ſit. Poſſe itaque eos duplici ratione conſiderari, primo quidem in ſe, non attendendo ad veritates quæ inde pendeant & legitime derivari queant, aut ad errores per quos deſtruantur: deinde ita, ut ad hæc omnia ſimul reſpiciatur. Priori modo ſi ſpectentur, pauciores articulos fidei conſtitui
cap. XII. poſſe; aſt longe plures eſſe, ſi poſteriori modo conſiderentur. Quæ cum ita ſint, mirandum non eſſe concludit, quod Theologi in numero articulorum fundamentalium definiendo non conſentiant, cum alio alioque modo eos intueantur. Sed quod Latitudinarii cum Socinianis autumant, nullum articulum pro fundamentali habendum, niſi diſertis verbis a Scriptura S. proferatur, id falſum eſſe ex ſuis principiis colligit, nec minus eos errare, dum numerum horum articulorum adeo coarctant, ex hactenus allatis comprobari poſſe confidit. Ultimo loco cum Romanenſibus denuo congreditur, jureque Proteſtantes ab eorum communione diſceſſiſſe docet.

## *PINDARI OLYMPIA, NEMEA, PYTHIA, ISTHMIA. UNA cum Latina omnium verſione carmine Lyrico, per Nicolaum Sudorium.*

Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1697, fol. Alph. 7. pl. 15.

De Pindaro, Lyricorum Poetarum principe, quid olim nuperque Viri docti ſenſerint, late *Bailletus* in Judiciis Eruditorum de Poetis parte I. pag. 134. ſqq. expoſuit. Itaque de eo plura hoc loco dicere, ſupervacaneum foret. Odæ etiam ejus, quæ ſuperſunt, toties ſeu una cum Scholiis antiquis Græcis, ſeu ſine illis, typorum adminiculo deſcriptæ, & per orbem literatum diſperſæ fuerunt, ut nullius facile ſubterfugere poſſint notitiam. Præ reliquis tamen editionibus ea hactenus eminuit, quam *Eraſmus Schmidius*, Græcarum eo tempore & Mathematices in vicina Wittebergenſi Academia Profeſſor, ſummo adornavit ſtudio, cumque luculentis Commentariis ſuis Wittebergæ A. 1616 evulgavit. Neque contemnenda altera eſt, quæ hanc excepit, & a *Johanne Benedicto*, Græcæ linguæ in Salmurienſi Galliæ Academia Profeſſore curata, A. 1620 Salmurii cum notis novaque Lati-

na

na Paraphraſi lucem adſpexit. Iſtæ vero cum in officinis librariis dudum diſparuiſſent, novæ, quam nunc ſiſtimus, Pindari editioni ex Collegio Magdalenenſi Oxonienſis Academiæ Duumviri doctisſimi, *Ric. Weſt* & *Rob. Welſted* manus admoverunt, ab ejusdem Collegii Præſide eodemque Admodum Reverendo hoc tempore *Oxonienſi Epiſcopo*, ornatisſimo item Viro D. *Aldrich* Ædis Chriſti Decano, nec non eruditisſimo Viro D. *Mill* Aulæ S. Edmundi Principali, quod ipſimet in Præfatione grati deprædicant, excitati adjutique. In qua quid præſtitum fuerit, id vero eſt, quod paucis a nobis erit indicandum. Exhibetur textus Pindari Græcus cum verſione Latina Eraſmi Schmidii, quem in mentem Poetæ altius, quam Criticorum cæteros penetraſſe, candide clarisſimi Editores profitentur. Subjiciuntur textui primum quidem Johannis Benedicti Paraphraſis, inde Editorum notæ ex Schmidianis magnam partem excerptæ, quibus & variæ Lectiones ex duobus manuſcriptis Bibliothecæ Bodlejanæ collectæ immiſcentur. Denique Scholia antiqua Græca (quæ nec in Schmidiana, nec in Benedictina editione comparent) ſubjunguntur integra, & multo quidem, quam olim prodierant, emendatiora. Aſt maximum novæ huic editioni ornamentum præfixa Operi Chronologica Series conciliat, Olympionicarum cum annis Mundi, ante Nativitatem Chriſti, ab Urbe & ab Epocha Chriſtianorum collationem oſtendens, a Reverendo Admodum Epiſcopo Lichfieldenſi *Guilielmo Lloyd*, cujus magnum opus Chronologicum dudum avidisſime Eruditus Orbis expectat, adornata. Nec Index Vocum & Locutionum Operi ſuffixus, quem Editores ipſi confecerunt, tacendus eſt, prioribus omnibus multo locupletior, ut Lexici Pindariani loco haberi posſit. Denique cum ad finem jam perducta editione, *Nicolai Sudorii Pariſienſis* elegantisſima Pindaricorum omnium verſio Latina carmine Lyrico juxta numeros Horatianos ſub finem ſuperioris ſeculi compoſita, beneficio clarisſimi *D. Hannes* ad manus Editorum perveniſſet, operæ pretium ſe facturos exiſtimarunt, ſi & eam univerſo operi annexerent.

***DE VIRTUTIBUS ET VITIIS DISPUTATIONES ETHICÆ, in quibus accurate diſſeritur quicquid fere ſpectat ad Philoſophiam Moralem, ab Ariſtotele traditam decem libris Ethicorum ad Nicomachum: Auctore JOSEPHO SAENZ DE AGUIRRE.***

Romæ ex typographia Antonii de Rubeis, 1697. in fol. Alph. 7.

Quem

Quem Maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ & Novi Orbis Collectione, nec non edita in lucem Nicolai Antonii Bibliotheca Hiſpanica Veteri, egregie nuper de Orbe Erudito meritum alibi laudavimus, Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre, jam olim, cum in Salmanticenſi Academia Doctoris adhuc Philoſophiæ munere fungeretur, Philoſophicis etiam ſcriptis inclaruit. Nam & Contemplatricem Philoſophiam tribus comprehenſam voluminibus, & Ethicam ſeu Moralem duobus tomis abſolutam, tertio etiam de Virtutibus & vitiis adjecto, Salmanticæ luci publicæ expoſuit. Eorum vero operum pleraque reviſa & emendata cum in devexa nunc ætate Romæ recudere conſtituiſſet (quemadmodum jam antea Theologiam S. Anſelmi Commentariis & Diſputationibus tum dogmaticis tum ſcholaſticis illuſtratam, & Salmanticæ primum tribus voluminibus editam, Romanis etiam typis deſcribi curaverat) nunc quidem Opus illud de Virtutibus & Vitiis, quod poſtremo inter Philoſophica loco commemoravimus, nitidiori charta & charactere exhibuit. De quo plura hoc loco dici, cum jamdudum Eruditorum manibus fuerit verſatum, nec ſine applauſu ab iis exceptum, noſque non niſi libros recens elaboratos recenſere conſueverimus, non attinet. De Virtutibus & Vitiis, non Theologicis, ſed quatenus intra terminos rationis naturalis & moralis continentur, agi, vel ex eo intelligitur, quod Philoſophicis Eminentiſſimi Auctoris ſcriptis Opus hoc annumeravimus. Methodum vero ſervatam in illo eam, quam in decem libris Ethicorum ad Nicomachum Ariſtoteles tenuit, ipſum libri frontiſpicium teſtatur.

## *JOH. MOLLERI HOMONYMOSCOPIA HISTORICO-PHILOlogico-Critica, ſive Schediasma παρεργικὸν de Scriptoribus Homonymis.*

Hamburgi, ſumptibus Goth. Libezeitii, 1697. in 8.
Alph. 2. plag. 15.

Qum difficultatibus multis involuta ſit antiquitatis cognitio & inveſtigatio, haud exiguæ ſunt iſtæ cenſendæ, quæ in veterum auctorum hiſtoria explicanda obveniunt. Quo magis hi enim a memoria noſtra ſunt remoti, eo denſioribus involuti ſunt tenebris, ut pro-

proclivis ſit circa eosdem & facilis etiam circa eorum nomina lapſus. Nam ut taceamus, quoties mutata auctorum nomina lectoribus impoſuerint, cognomina item ignorata, & vel a parentum vel patriæ nominibus impoſita, quot confuſiones pepererint; plurimas nebulas eadem nomina diverſis auctoribus communia ſtudioſis antiquitatis offundunt. Reperiuntur in antiqua hiſtoria, obſervante Jonſio lib. I. cap. 2. de Script. Hiſt. Phil. viginti octo Pythagoræ, viginti circiter Hippocrates, totidemque Socrates, ſedecim Platones, quinquaginta quaſi Dionyſii, triginta fere Ariſtoteles, totidemque Heraclides: qui ſi minus diſtincte cognoſcantur, & quæ huic tribuenda ſunt ſcripta alteri aſſignentur, horrida neceſſe eſt naſcatur confuſio. Quocirca utilem ſe præſtiturum credidit diligentiſſimus in omni literatura Auctor operam, ſi errores ab ὁμωνυμία Scriptorum exortos inveſtigaret, & exempla non magis quam cauſas confuſionis inde exortæ ob oculos poneret. Nata hinc ipſi Homonymorum hæc διάσκεψις ſtudioſe collecta, cauſas & ſpecies homonymiæ hujus inquirens, confuſiones erroneas inde ortas detegens, rationes diſcernendi Scriptores eodem nomine gaudentes enumerans, & jucundis digreſſionibus de nominibus eruditorum, eorumque vitis & ætate, lectorem inſtruens. Claſſes homonymorum Scriptorum conſtituit undecim, cap. 2. ſect. I. enumeratas, quarum decimam implent ψευδώνυμοι, de quibus p. 29. ſeq. Prima autem quum eos complectatur, qui κατ᾽ ἐξοχὴν ὁμώνυμοι nuncupantur, eodemque & nomine & prænomine vel cognomine gaudent, haud paulo prolixius de iiſdem commentandum duxit cap. 3. Multos ex veteribus Philoſophis obſervatos a Diogene Laertio, Meurſio, & Jonſio, ex Rabbinis a Buxtorfio, ex ævi priſci & medii Scriptoribus Chriſtianis a Caveo, affirmat; eandem confuſionem in Scriptoribus ætati noſtræ proximioribus peperiſſe nomina Pauli Æmilii, Rudolphi Agricolæ, Hier. Aleandri, Wilh Ameſii, Jo. Andreæ, Jo. Aurifabri, Jo. Benedicti, Jo. Boiſii, Jo. Brochmanni, Eraſmi Brochmanni, Jo. Breidenbachii, Jo. Calvini, Jo. Capellani, Petri Caſtellani, Alphonſi a Caſtro, Chr. Coleri, Nic. Cuſani, Jo. Deckheri, Em. Diazii, Jo. Druſii, Jo. Duræi, Jo. Eckii, Jac. Fabri, Octav. Ferrarii, Jo. Fiſcheri, Matthiæ Flacii, Ant. Fernandezii, Æg. Gonzalezii, Jac. Gordoni, Ant. Goveani, Jo. Gravii, Jo. de la Haye, Jo. Himmelii, Franc. Hottomanni, Thomæ Jameſii, Aug. Juſtiniani,

Jo. Langii, Jo. Laſci, Andr. Laurentii, Jobi Ludolfi, Aldi Manutii, Jo. Marquarti, Mart. Martinii, Jac. Martini, Jo. Matthæi, Ant. Matthæi, Phil. Matthæi, Julii Mazarini, Jac. Meieri, Jo. Merceri, Jo. Michaelis, Henr. Mori, Thomæ Mori, Ant. Muſæ, And. Oſiandri, Hier. Oſorii, Jo. Oweni, Franc. Patricii, Ben. Pererii, Theodori Petræi, Franc. Piccolominei, Jo. Polyandri, Ant. Poſſevini, Henr. Regii, Jo. Regii, Franc. Rodriquezii, Franc. Romani, Guerneri Rolfincii, Caſp. Sanctii, Jo. Schroderi, Caſp. Schwenkfeldii, Jac. Sylvii, Jo. Sylvii, Franciſci Sylvii, Eman. Vegæ, Andr. Velleii, Petri Pauli Vergerii, Jo. Viguerii, Franc. Xaverii, Franc. Zabarellæ, Theod. Zwingeri, obſervat. Jo. Molleri nomen, quod ipſe gerit, cum multis ſibi eſſe commune annotat, & peculiari commentatiuncula ſub *Molæ Muſarum Caſtaliæ* titulo, recenſum Scriptorum vel eodem ſecum gaviſorum cognomine, vel alia huic affinia a molendinis ac re molitoria adeptorum, ſe editurum eſſe p. 82. promittit, & quot Molleros, Molitores, Mylios, Malderos, Monerios, Meulenios, Molanos, Molinæos, Molinas, Molinos, Muhlios, Mulenios, Mulmannos, Muhlpfortios, inter eruditos obſervaverit, enarrat; in Appendice p. 932. quinquaginta ſcriptores & libros eorum recenſens, qui *Jo. Mulleri* ſeu *Molleri* nomen gerant. Homonymia iſtæc quum in multis ſit fortuita, nec ratio evidens, cur idem plures geſſerint nomen, dari poſſit; (p. 84.) plurimos tamen ob certas cauſas idem cum aliis nomen habere commune, vel a parentibus impoſitum vel certo conſilio acceptum, cap. 4. oſtendit. Nam ex veneratione Deorum ethnicos ab iisdem nomina mutuatos eſſe, ex Diodori, Diomedis, Diophanis, Herodoti, Herophili, Poſidonii, Hermetis, Hermogenis, Hephæſtionis, Apollonii, Dionyſii, Heracliti, Athenæi, Epaphroditi & ſimilibus nominibus conſtare, & Judæos veteres, ac Chriſtianos poſtea, idem conſilium eſſe ſecutos, ex Johannis, Danielis, Ezechielis, Samuelis, Joſiæ, Jeremiæ, Eſaiæ, Eliæ, Theodori, Theodoſii, Theophili, Timothei, Adeodati, Godofredi, Godeſchalci, & aliis hujusmodi appellationibus eſſe manifeſtum: Angelorum autem, Gabrielis, Urielis, Raphaëlis, & ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum ac Eccleſiæ Doctorum nomina ob eorundem cultum liberis eſſe impoſita, non dubitandum. Affectum & amorem in parentes, majores, aut neceſſitudine junctos, etiam cauſam eſſe impoſitorum liberis nominum iſtorum quos iſti geſſerunt, jam Ariſtote-

lis

lis interpreti Ammonio obſervatum p. 90. annotat; indeque profe-ctum docet, plurimiſque exemplis illuſtrat, quod paſſim in Academiis, & claris urbibus aliis, eruditionis non minus quam nominis reperiantur hæredes multi. Cultui Principum obſequioſo vel adulatorio ſæpe deberi ὁμωνυμίαν, & ſubditos imperantium nominibus delectari, p. 113 oſtendit. Vana perſuaſione etiam de quorundam nominum felicitate induci plurimos, ut idem multi expetant nomen, cap. 5. docet, ubi de infelicitate fatali quorundam nominum p. 118. agit, & quæ nomina quibus gentibus familiaria & uſitata magis ſint, p. 130. annotat; caput hoc denique elencho eorum inter eruditos claudit, qui cognomen prænominis loco ſimul adhibuerunt, v. g. *Alexander ab Alexandro*, *Benedictus de Benedictis*, *Galilæus de Galilæis*, *Oddus de Oddis* &c. p. 140. ſeq. In Sectione *ſecunda* erroris ex homonymia ſæpius orti exempla tam priſca quam recentiora enarrat & prolixo recenſu exhibet, ordine juxta literarum ſeriem inſtituto, Scriptoribus autem in ſeptem claſſes redactis, & totidem capitibus incluſis. Inter cæteros notabilis eſt error Cornelii a Lapide, Danielem prophetam ab Attico capite plexum fingentis; cum martyr Chriſtianus eo nomine fuerit, cum tribus ſociis, ſeculo quarto ſupplicio capitis affectus, obſervante Reineſio, p. 160. Elias duos, & Eſras duos, nec non Hoſeas & Jacobos geminos, errorum anſam præbuiſſe, p. 162. 163. 164. demonſtrat. De Jobo, & Johannis capite, pluribus in locis, apud Ambianenſes & Angeliacenſes & Romanos, ſuperſtite, p. 169. de Johanne Evangeliſta, Apocalypſeos ſcriptore p. 173. de Juda epiſtolæ auctore, p. 181. de Nicolao, Nicolaitarum patriarcha, p. 189. de tribus Obadiis p. 191. de duobus Philippis, altero Apoſtolo altero Evangeliſta, p. 196. de Simeone p. 199. de Simone Mago p. 205. de Thoma Indorum Apoſtolo p. 210. de Zacharia, filio Barachiæ, inter templum & altare occiſo p. 212. de Philone Judæo p. 224. de variis ſcriptoribus Ebræis & Rabbinis ob παρονομασίαν inter ſe confuſis, Gedalia, Jonathane, Joſepho Gorionide, Onkeloſio, Benſira p. 229. de Syris, Jacobo Niſibenſi p. 248. Iſaaco monacho p. 249. Moſe Barcepha p. 249. de Arabum Abunzare Alpharabio p. 251. Locmanno p. 252. Jo. Meſua p. 253. de Ægyptiorum Thaauto vel Hermete Triſmegiſto p. 255. de Perſarum Zoroaſtre p. 260. Oſthane p. 267. de Septentrionalibus Oſhinis p. 269. de Sibyllis p. 271. copioſe diſſerit, Græcos Scriptores ob homonymiam

 con-

confuſos cap. III. recenſet, inter quos eminent Æneæ p. 279. Alexandri Aphrodiſæi p. 280. Antipatri p. 283. Ariſtæneti p. 284. Ariſtoteles p. 287. Aſclepiadæ p. 291. Chœrili p. 295. Demetrii Phalerei p. 298. Euclidæ p. 305. Harpocrationes p. 307. Heraclidæ p. 308. Hierocles p. 313. Homeri p. 316. Iſocrates p. 318. Muſæi p. 321. Orphei p. 323. Palæphati p. 327. Philoſtrati p. 330. Plutarchi p. 332. Porphyrii p. 334. Pythagoræ p. 335. Timæi p. 344 Vettii Valentes p. 345. Xyſti p. 347. Zoſimi p. 349. Inter Latinos veteres auctores cap. IV. enumeratos præ cæteris eminent ob homonymiam confuſi Æthici p. 352. 378. Apuleii p. 354. Arriani p. 356. Polliones p. 358. Attilii p. 359. Caſſii p. 362. Catones p. 364. Eutropii p. 369. Fab. Pictores p. 371. Hygini p. 373. Juliani p. 374. Julii Cæſares p. 379. Juſtini p. 387. Livii p. 383. Macri p. 386. Petronii p. 394. Plinii p. 396. Quintiliani p. 401. Rufini p. 403. Senecæ p. 405. Severi p. 408. Suetonii p. 409. Varrones p. 411. Victores p. 412. Inter Græcos Scriptores Chriſtianos, cap. V. recenſitos, homonymia locum dedit confuſioni, præ reliquis, in Anaſtaſiis p. 414. Apollinaribus p. 417. Aſteriis p. 418. Athanaſiis p. 419. Athenagoris p. 426. Barlaamis p. 428. Baſiliis p. 429. Chryſoloris p. 430. Clementibus p. 432. (quo loco de Clemente II. P. R. latius differit, & an gente Holſatus an Brandenburgicus fuerit, cum Cl. Tenzelio diſquirit) Conſtantinis p. 443. Cyrillis p. 444. Dionyſiis p. 447. Dorotheis p. 452. Egeſippis p. 454. Euſebiis p. 459. Euſtathiis, Euſtratiis p. 464. Germanis p. 465. Georgiis p. 466. Gennadiis p. 468. Gregoriis p. 472. Heliodoris p. 474. Hermis p. 475. Chryſoſtomis p. 484. (ubi de Epiſtola ad Cæſarium contra Apollinariſtas, publicæ luci nunc expoſita, fuſe narrat) Juliis Africanis p. 492. Juſtinis p. 497. Macariis p. 499. Methodiis p. 502. Pſellis p. 504. Nicephoris p. 505. Olympiodoris p. 507. Origenibus p. 511. Palladiis p. 512. Procopiis p. 514. Simeonibus p. 516. Sophroniis p. 517. Theodoris p. 521. Themiſtiis p. 522. Theophanis p. 523 Theophilis, Titis p. 525. Xiphilinis p. 527. E Scriptoribus Chriſtianis Latinis vetuſtioribus, capite VI. recenſitis, confuſionem præ reliquis ob nominum paritatem dederunt Adones p. 530. Aimoini p. 531. Alani p. 533. Ambroſii p. 537. Anaſtaſii p. 539. Arnobii p. 541. Berengarii p. 544. Bernhardi p 546. Brunones p. 549. Cypriani p. 562. Durandi p. 557. Eucherii p. 559. Fulgentii p. 562. Gelaſii p. 564. Gregorii p. 569. Haymones p. 574. Hieronymi p. 577. Hilarii p. 479. Udalrici p. 582. Idacii, p. 585. Iſidori p. 587. Paulini p. 601.

601. Proſperi p. 608. Raymundi p. 612. Remigii p. 616. Scoti p. 620. Tertulliani p. 627. Thomæ p. 628. Victorini p. 633. Vigilii, p. 635. Vincentii p. 640. Inter recentiores Scriptores, cap. VII. expoſitos, præcipui videntur qui ὁμωνυμίᾳ errori anſam præbuere, Aretini p. 647. Bacmeiſteri p. 648. Brownii p. 656. Cæſii p. 658 Camerarii p. 659. Fabri p. 668. Fabricii p. 672. Gerhardi p. 676. Grynæi p. 679. Janſenii p. 685. Lauremberg-gii p. 689. Lindenbrogii p. 691. Magiri p. 695. Majores p. 696. Martyres p. 699. Meibomii p. 700. Molinei p. 702. Molleri p. 703. Neandri p. 795. Oldenburgeri p. 706. Oſiandri p. 709. Porti p. 712. Reuſneri p. 716. Socini p. 723. Voſſii p. 729. Ortelii p. 730. Wolfii p. 731. Wowerii p. 733. Zwingeri p. 737. Sectione *tertia* modi oſtenduntur, quibus confuſioni iſti, quæ ab homonymia poſſit oriri, eatur obviam: nempe diſtinctionis cauſa ſi certæ nominibus addantur notationes patronymicæ, p. 748. aut nominibus adjiciantur numeri p. 749. aut nomina prorſus mutentur p. 751. Quo loco quæſtionem, an licita ſit nominis mutatio? copioſe pertractat p. 753. ſq. & Majoragii p. 755. Biblica etiam p. 759. Romanorum item veterum p. 761. Judæorum p. 762. veterum Chriſtianorum p. 763. Eccleſiæ orientalis p. 765. & Pontificum Rom. p. 766. ac monachorum monialiumque p. 769. exempla adducit; arbitrariis nominum mutationibus, ab eruditis diverſas ob rationes inſtitutis, aliisque nominibus adſcitis, in cap. III. expoſitis. Huc refert Homeri, Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti, Catonis nomina, a Meleſigene, Ariſtocle, Batto, Tyrtamo uſurpata, p. 773. 774. Ex recentioribus inſignia μετονομασίας documenta dediſſe ait Jul. Pomponium Lætum, antea Petrum Calabrum vel Bernhardinum dictum p. 775. Domitium Calderinum, Jo. Bapt. Egnatium, M. Ant. Flaminium, p. 780. M. Ant. Majoragium, Janum Parrhaſium, Fabium Vigilem, Phædrum Volaterranum, Phil. Coſmium p. 781. Juſtum Jonam, Ph. Aur. Theophraſtum Paracelſum, Ad. Paſtoris, p. 782. Publ. Vigilantium, Alex. Aleſium, Amatum Luſitanum p. 783. Gabr. Acoſtam, Act. Syncerum Sannazarium p. 784. Jo. Pierium Valerianum p. 785. & alios, qui vel a patria p. 791. vel a parentibus p. 792. vel a die natali p. 744. vel ob εὐφημίαν p. 796. vel εὐφωνίαν p. 798. nomen immutarunt. De his qui vernacula ſua nomina in linguas peregrinas transformarunt, ſignificatione retenta, caput IV. agit; copioſumque eorum indicem exhibuit Adr. Baillet in tractatu Gallico *Des Auteurs deguiſez ſous des noms etrangers*,

 *em-*

*empruntez, ſuppoſez* &c. a nobis in Tom II. Supplement. ſect. 4. &. 5. recenſito, ut cæteros taceamus, qui de Pſeudonymis fuerunt commentati. Doctiſſimus autem Auctor noſter plures hujusmodi Scriptores detegit ex ſchedis Joach. Peuſchelii & Jo. Vogelii p. 801, ſed qui nominibus iſtis non perpetuo, verum in uno alterove libro ſolum, aut ſecretiori epiſtolari commercio, crypticis nominibus ſunt uſi. Per omnem vitam qui adoptata in aliam linguam converſa nomina retinuerunt, p. 806. ſeq. recenſet, ex antiquis Cepham & Petrum, Porphyrium, Pelagium p. 807. ætati autem noſtræ propiores Armandum de de Bello viſu, Hugonem de Prato Florido, Petrum de Vineis p. 808. Felicem Fabri, Matthiam Farinatorem, Johannem de Indagine, Johannem a Lapide, Felicem Malleolum, Thomam Malleolum, Conr. Molitorem p. 809. Jacobum de Paradiſo, Radulphum de Rivo, Ægidium Aurifabrum, Henricum Eutrachelum, Petrum a Rivo, p. 810. & alios longe plurimos. Quo etiam refert barbari ævi Scriptores, non minus abſonis nominibus inſignitos, in clauſtris pleroſque deliteſcentes; quorum nonnulli in Epiſtolis & Lamentationibus obſcurorum virorum exagitantur p. 814, alii p. 816. indicantur. Seculo noſtro plurimos extitiſſe cognominum ſuorum metaphraſtas inter eruditos, (etſi Camerario, Lud. Vive. p. 819. & Friſchlino p. 821. minus probantibus iſtum morem) exemplis multis p. 821. 825. ſeq. oſtendit, quæ recenſere nimis foret prolixum. Nec abludit Thuani ratio, qui in opere hiſtorico nomina pleraque Gallica Latinum in habitum efformavit, quorum copioſum Indicem nomina veſte Latina donata patrio idiomati reddentem Genevæ 1634 excuſum contexuit Petr. Beſſinus, ſecundum Bailletum tom. IV. p. 203, vel potius Puteanus, ſecundum Menagium in Antibailleto cap. 33. p. 109. tom. I. Acceſſiones nominum, ſeu agnomina, homonymis diſtinguendis idonea, cap. V, exequitur, & tam apud Hebræos p. 866. quam Romanos p. 867. uſitata ea fuiſſe tradit Auctor. Omnia corporis atque animi morumque vitia vel virtutes, omnes fortunæ caſus, iſta ſuppeditare, & a locis nativitatis, officiis, vitæ genere, honoribus, ea derivari p. 869. docet, exemplisque Græcorum p. 870. Romanorum p. 873. Eccleſiæ Patrum p. 875. Scholaſticorum p. 878. Juriſconſultorum p. 882. Medicorum & Philoſophorum p. 883. Societatum item integrarum & Collegiorum, nomina ſuis ſociis tribuentium p. 884. illuſtrat. Qualis eſt Societas frugifera

ra anno 1617 fundata p. 885. Cæſianæ poeticæ Societates p. 886. Riſtianus ordo Cycneus p. 887. Birckeni ſeu Betulii Societas Pegnicenſis p. 888. Academia Naturæ Curioſorum Leopoldina p. 888. Italicæ eruditorum Academiæ p. 890. Sectio *quarta* conſilia ſuggerit Bibliothecæ Scriptorum homonymorum concinnandæ, & ſimul varias rationes exponit, quibus inſtrui ea & apparari poſſit. Deſiderari eam monuit jam Adr. Bailletus, quem præ cæteris idoneum iſti conſcribendæ Auctor exiſtimat p. 893. & ſummopere utilem & neceſſariam eſſe cenſet p. 894. Verum ingentem eruditionis apparatum, & exactam omnium Scriptorum notitiam requiri obſervat; qua gaviſos eſſe nonnullos, quorum in hoc argumento verſata eſt induſtria, cap. II. & III. indicat. Exempli loco eos, quorum induſtria circa prænomina v. g. Adrianos, Antonios, Apollonios, Bernhardos, Simeones &c. cap. IV. & cognomina, v. g. Capellos, Pſellos &c. cap. V. fuit occupata, profert; tandemq; appendicis loco p. 932. quinquaginta auctores enumerat, qui *Molleri* ſive *Mulleri* & *Mylii* nomen, commune cum auctore, geſſerunt. Plures proferri potuiſſe ait, ſed eos, ut ſupra jam innuimus, peculiari operi, cognomina vel a molis & re molari vel eidem affinia adeptos Scriptores exhibituro, reſervari, quod prolaturus ſit cum titulo *Mola Muſarum Caſtaliæ* ſeu *Schola Eruditorum Panepiſtemonica*. Hæc *Mola*, æque ac *Cimbria literata*, cujus ἀποσπασμάτιον ſeptem abhinc annis vidimus, nec non *Notitia Reipublicæ Eccleſiaſtico-literariæ Geographica*, aliquoties in libro jam recenſito allegata, ut quamprimum lucem publicam adſpiciant, optamus; certi monumenta haud proletariæ eruditionis ea futura, quum in hoc *de Homonymis* commentario longe plura, quam titulus præfert, invenerimus, & de eruditorum vita ac ætate haud obvia cognoverimus; qualia in iſtis, quæ promiſit doctiſſimus Auctor, operibus plura exhibitum iri non dubitamus.

## *CHRONICON COENOBII MONTIS FRANCORUM GOSLARIÆ,*

Francofurti, 1698. in 4. Plag. 15.

NOn incelebre olim Monialium in Monte-Francorum (Franckenberg) Goslariæ cœnobium fuit, cujus Annales præſenti opuſculo complecti Auctor anonymus ſuſtinuit. Et primordia quidem illius ad annum ſeculi decimi tertii vigeſimum quintum aut ſextum referenda is exiſtimat; fundamenta vero a Conrado II Hildeſienſium E-

piſcopo jacta; etſi Leznerus in Chron. monaſt. manuſcripto Agnetis, quæ Henrici Ducis Saxoniæ & Comitis Palatini ad Rhenum conjux fuit, auſpiciis id factum tradiderit. Exſtructum vero cœnobium Goslariæ fuit in Monte-Francorum, a Francis olim ita dicto, qui ad prædivites prope Goslariam metalli fodinas, ab Ottone M. primum, ut vulgo creditur, detectas, advolarant, ſedemque ibi collocaverant. Dicatum Sororibus Pœnitentibus S. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Auguſtini, illis nimirum, quæ poſt vitam in luxu ac libidinibus actam, inſignis illius peccatricis Mariæ Magdalenæ exemplo, ſeriam pœnitentiam præferebant, &, ut in tabulis nonnullis dicitur, *mundi vanitatibus abnegatis ſemetipſas Domino laudis ſacrificium offerebant.* Atque hæc indicaſſe obiter, pro inſtituti noſtri ratione, ſuffecerit. In Opere autem ipſo Lectores, præter ea quæ ad Cœnobii Hiſtoriam pertinent, tum de civitatis Goslariæ, vicinarumque ditionum, nec non illuſtriorum in iis Familiarum fatis plurima notatu non indigna, tum inprimis Epiſcoporum Hildeſienſium, ad quorum diœceſin Francobergenſe noſtrum monaſterium ſpectabat, ſeriem integram ad Erneſtum uſque Bavarum, qui A. 1573 Burchardo ab Oberge ſucceſſit, deprehendent.

## *RARIORUM PLANTARUM HORTI MEDICI AMSTELODAmenſis Deſcriptio & Icones. Auctore JOANNE COMMELINO. Opus poſthumum.*

Amſtelodami apud P. & J. Blaeu & Abr. a Sommern, 1697. in fol. Alph. 4. Plag. 20.

SI quo in toto terrarum Orbe loco Botanices hoc tempore ſtudium floret, in Hollandia certe floret quam maxime. Uti enim celeberrimæ huic provinciæ nunquam excellentia defuerunt ingenia, quibus omne literarum genus excultum promotumque fuit: ita Plantarum imprimis amore accendi in ea plurimos videas, & amœniſſimæ Arti magis magisque exornandæ incumbere. Accedit negata aliis gentibus commoditas exoticis quibusque plantis potiundi, per commercia ab Inclytis Indiæ Orientalis & Occidentalis Societatibus per univerſum fere Orbem propagata. Neque ſumptibus eam in rem impendendis parcunt, qui ad clavum Reipublicæ ſedent. Nam & Academiæ Lugduno-Batavæ Curatores Ampliſſimi Hortum Lugduni Medicum

dicum publico uſui inſtruxerunt, de quo noſtris temporibus imprimis *Paulus Hermannus*, Vir in hoc ſtudiorum genere exercitatiſſimus, dum viveret, egregie meritus eſt, cujus & nos *Plantarum Horti Medici Lugduno-Batavi Catalogum* in his Actis A. 1687, pag. 245, & *Floræ Lugduno-Batavæ Flores* A. 1690, pag. 217. recenſuimus: & Amſtelodamenſis Reipublicæ Proceres graviſſimi hortum ſimilem commodo in nova urbis regione loco adornandum cenſuerunt, cura ejusdem tum D. *Joanni Huydecoper*, Equiti, Toparchæ in Marſoveen &c. Conſuli ac Senatori urbis ampliſſimo, nec non Societatis Indiæ Præfecto, tum *Joanni Commelino* Senatorii itidem ordinis Viro, dum in vivis eſſet, ſpectatiſſimo, demandata. Quorum inſigni induſtria, brevi temporis ſpatio, novus hortus tanta exoticarum inprimis rariſſimarumque, nec ante in Europa ſpectatarum plantarum copia fuit inſtructus, ut hoc tempore non ſine admiratione perluſtrari a Botanophilis queat. Cui rei vel præſens hic, quem ſiſtimus, Catalogus ſelectiorum centum & duodecim Plantarum documento eſſe poteſt, isq; Belgico-Latinus, a *Joanne Commelino* nimirum patrio ſermone compoſitus, inque Latinum a *Frederico Ruyſchio* Botanices Profeſſore clariſſimo & *Franciſco Kiggelario* converſus, notisque illuſtratus. In quo non ſolum plantæ ſingulæ accurate deſcribuntur, cujusq; fere natali ſolo, radice, pediculis, foliis, caule, floribus, ſeminibus, tempore quo floret, viribus, ſapore, uſu, cultura & propagatione deſignatis, ſed & nitidisſimis iconibus ad vivum ita delineantur, ut, qui in lectionem libri inciderit harum rerum cupidus, in horto ipſo ſpatiari, rariſſimasque, nec niſi e regionibus alio ſub Sole calentibus in Hollandiam advectas plantas, maxima cum oculorum animique delectatione, coram intueri ſibi videri queat.

## *RESPONSIO DANIELIS PAPEBROCHII AD EXHIBITIONEM Errorum per Adm. Rev. P. Sebaſtianum a S. Paulo Coloniæ A. 1693 evulgatam. Pars ſecunda.*

Antverpiæ, apud viduam H. Thieullier, 1697, 4. Alphab. 3. plag. 4.

DElationibus Hiſpanicis coram Inquiſitionis tribunali A. 1693 factis peculiarem reſponſionem ſe oppoſiturum pollicetur celeberrimus Papebrochius, quem interim cum Adm. Rev. P. Sebaſtiano

a S. Paulo decertantem binis jam tum vicibus in Actis noſtris introductum benevoli Lectores meminerunt. Quemadmodum autem primam modo Apologiæ Adverſario ab ipſo oppoſitæ partem hactenus recenſuimus: ita nunc ſecundam exhibemus, quæ reſponſionem ad reſiduos P. Sebaſtiani Articulos tredecim complectitur.

Et Articulo quidem XIII in Patrum ſcripta injurius ab Adverſario ſuo vocatur Papebrochius, eo quod horum aliqua iſtis abjudicaſſet. Sed merito id ab ſe factum regerit, ac idcirco Dionyſium Areopagitam librorum de Hierarchia auctorem eſſe denuo inficiatur, pluresque ſecum ita ſentientes allegat; Dionyſii autem cæteroquin opera hæreſeos ſuſpecta ſe unquam reddidiſſe pernegat. Librum Joſephi Antiocheni de primitivæ Eccleſiæ perfecta militia ſpurium ſe vitulamen nuncupaſſe ait ideo, quod nulla ejus tanquam adeo antiqui mentio idonea proferri queat: Brocardi enim, quæ audiant, Conſtitutiones, in quibus ille allegetur, nequaquam ſeculo XII, ſed XIV demum ſcriptas, adeoque iſti manifeſte eſſe ſuppoſitas. In ſententia de Symbolo Athanaſiano ad recentiorem longe Athanaſio ſcriptorem relato perſiſtit, ac ad Cardinalis Urſini auctoritatem rationeſque ab Oudino congeſtas Lectorem remittit; in canone vero Synodi Auguſtodunenſis ab Adverſario allegato, per fidem S. Athanaſii Nicænum intelligi Symbolum contendit. Tractatum de virginitate Athanaſium compoſuiſſe non abſolute negat, ſed ob ſtyli diverſitatem ſuſpectum eum ſibi reddi aſſerit. Joanni, Hieroſolymitano Patriarchæ, librum de inſtitutione monachorum, ſuffragiis Auctorum plurimorum in ſubſidium vocatis, iterum abjudicat, & quod a Carmelita quodam, ortu Hieroſolymitano, ſeculo XIII exeunte fuerit conſarcinatus, pro veriſimillimo agnoſcit. Ut S. Auguſtini regulam viris eſſe præſcriptam neget fortius, totam ejus hiſtoriam repetit; eidem vero Auguſtino librum de fide ſeu de unitate Trinitatis contra Manichæos aut Henſchenium aut ſe negare, prorſus abnuit, nec tamen, ſi negaſſet, temeritatis notam ſe meriturum fuiſſe admittit, cum & Bellarminus, Sirmondus, Labbeus, Benedictini S. Mauri, aliique idem fecerint. Quamvis Damaſcenum in ſermone de aſſumtione B. Virginis Mariæ Euthymianam hiſtoriam incertam citaſſe affirmarit, inde tamen ſequi haud vult, quod illum librum tanquam ſuſpectum fictumque impudenter traduxerit. Viſionem & plura ejus generis de Elia in Epiphanii

nii de vitis Prophetarum libro enarrata, fabulis utique accenſenda eſſe affirmat, eumque in finem ex hoc ipſo libro fabuloſiſſima nonnulla alia excerpit. S. Bertham Benedictinis vindicari non poſſe, melioribus, quam exiſtimet quidem Adverſarius, argumentis ſe probaſſe innuit. Datam a S. Alberto Carmelitis regulam nuſpiam ſe nimis brevem & diminutam appellaſſe, aut ex argumento quoquam alio vituperaſſe teſtatur. Epiſtolam de proceſſu & variis regulis Carmelitarum, genuinum fœtum S. Cyrilli Conſtantinopolitani eſſe, non ſe ſolum negaſſe oſtendit, atque ſimilem in modum declarat, quod & alia ejusmodi ſcripta haud præter rem in dubium vocaverit.

Antiquitatis indulgentiarum impugnatæ reus factus eſt articulo XIV Papebrochius, ſed nonniſi fictas ac omnino falſas a ſe proſcribi reſpondet, qualium nimis multas reperiri, ex quodam S. Congregationis A. 1678 habitæ decreto uberius demonſtrat. Ac in horum numero recte haberi cenſet indulgentias, quas Leo IV Carmelitarum Eccleſias viſitantibus perhibeatur conceſſiſſe, aliasque, quas quidem Adverſarius falſo pro fictitiis venditari cauſetur, ſed ſuam hanc aſſertionem idoneis firmare rationibus omittat. Indulgentias trium, quinque, ſeptem vel plurium annorum ante XI vel XII ſeculum in uſu non fuiſſe, Morini quoque argumentis confirmat, & hunc, ſi Commentarium ſuum de diſciplina in adminiſtratione pœnitentiæ ultra decimumtertium ſeculum produxiſſet, indicaturum fuiſſe nullus dubitat, quam velocia indulgentiæ ſeculo decimo quinto & ſequenti incrementa ſumſerint.

Dum objecta ſibi Articulo XV placita hiſtorias ſacras impugnantia amoliri a ſe ſtudet, multa affert de repetenda ab Eliæ temporibus origine Ordinis Carmelitici, de qua & Janningum in Papebrochii defenſionem latius egiſſe, in Actis his A. 1696. p. 133. indicavimus. Eliam Monachum dici poſſe haud negat, negat tamen eum vocandum Religioſum, & duo hæc vocabula, minimum quoad ſtatum Veteris Teſtamenti, nequaquam coincidere opinatur, cum Religioſi titulus inſinuet tria vota, perpetuæ paupertatis, caſtitatis & obedientiæ, quibus certe in Veteri Teſtamento nemo ſe obſtrinxerit; ſigillatim vero Eliam eorum obſervatorem fuiſſe negat. De Eſſenis non omnibus locutum ſe fuiſſe annotat, ubi eorum religionem Græcanicis ſuperſtitionibus permixtam dixerit, neque hoc judicio hæreticos hos pronun-

 ciatos,

ciatos,cum ſuperſtitionis aliquid oriri poſſit etiam ſimplicioribꝰ ſubinde Catholicis, qui tamen cum pertinacia errorem contra fidem non tueantur. In explodenda fabula de primo ſacello in honorem B. Virginis Mariæ in monte Carmelo tempore Apoſtolorum ædificato, Taciti auctoritate, utut ethnica, ſe nixum impune fuiſſe innuit, cum in rebus hiſtoricis non tam quæratur, cujusnam religionis fuerit ſcriptor aliquis, ſed potius, quam verax ſit, quamque certo ſcire potuerit ac reipſa ſciverit rem illam, de qua teſtimonium ſuppeditet. Ante Conſtantini tempora in memoriam Deiparæ aut quorumvis aliorum Sanctorum extructa fuiſſe templa, multis quidem rationum momentis probatum dare Papebrochii noſtri Adverſarius conatus eſt; verum ille modo auctores adductos nullius in hiſtoria fidei, modo eorum teſtimonia aliis de cauſis parum huic probationi idonea eſſe regerit. Fratrum B. Mariæ nomen Carmelitis non invidet; modo ut ad Apoſtolica fere tempora iſtius nominis principium, occaſione ſacelli jam tunc ſub eo nomine extructi in Carmelo, attollatur, minime admittit. De barratis Carmelitarum palliis prolixam commentationem inerit, qua finita oſtendit, quod nec primus nec ſolus Carmelitarum Florentinorum monumenta impugnaverit. Quod Carmelitas ex Terra Sancta in Europam tranſmigraſſe ante ſeculum XIV negarit, id errori aut ſcribentis aut excudentis tribuit, & in iſtius locum ſeculum XIII ſubſtitui poſtulat. Quæ alias pro defendenda impugnatione antiquitatis Carmelitani Ordinis urget, referre ſingula ob inſtitutum noſtrum minime valemus; quemadmodum nec iis prolixius licet inhærere, quæ affert circa exploſam narrationem de quatuordecim millibꝰ infantium Bethlehemiticorũ martyrum; circa repudiatam hiſtoriam S. Brunonis, quoad damnationem Doctoris Pariſienſis; circa S. Theodori miraculoſam draconis debellationem fabulis accenſitam, & circa argumenta alia, ad quæ ſtylus Accuſatoris parum, ut Noſter heic conqueritur, intra juſtæ methodi cancellos ſeſe continens, ipſum ſubin deduxit.

Articulo XVI Chronologiam Carmelitarum P. Sebaſtianus texuit, & ex Sacra Scriptura, Pontificum Bullis, Breviariis, Miſſalibus, Martyrologiis, Hiſtoriis ac Revelationibus oſtendere allaboravit, quod Carmelitarum Ordo inde ab Eliæ ævo, citra ullam interruptionem, ad hæc uſque tempora continuatus fuerit. At enimvero præter crambem recoctam nihil heic apponi cenſet Papebrochius, eamque ob rem

paſſim

paſſim ad antea jam abs ſe diſputata provocat. Interim preſſo ubivis pede Adverſarium inſequi, & quam lubrica ſint ejus fundamenta, denuo oſtendere nequaquam pigratur. De Miſſalibus etiam & Breviariis non ſatis reverenter habitis, etſi jam ad Articulum IV ſatis ſuam mentem expoſuerat, reſpondere tamen, Articulo XVII ſic requirente, rurſus cogitur; ubi inter alia Breviariorum minime vetuſtam originem urget, ac ſingulas Eccleſias ſua ſibi Breviaria arbitratu ſuo formaſſe & reformaſſe, nullum autem, nec etiam Romanum, ante Pium V, Pontificis auctoritate munitum reperiri objicit.

In Articuli XIIX titulo læſæ Martyrologiorum & Kalendariorum auctoritatis inſimulatur Papebrochius, qui tamen circa Kalendaria hoc accuſationis caput ne verbo quidem unico probari miratur. Sub Martyrologiorum vero nomine non illa, quorum vel olim fuerit vel nunc ſit publicus inter divina Officia uſus, adeoq; & aliqua auctoritas eccleſiaſtica, intelligi, ſed in ſenſu valde improprio ac alieno ab eo, quem Fideles Martyrologiorum ſacrorum tabulas citari audientes ſibi concipiant, ſermonem annotat inſtitui de Martyrologio Gallicano Sauſſayi, Brixienſi Fayni, & Franciſcano Arturi, quæ certe ſingula paſſim erroribus obnoxia haud levibus deprehendantur, ob quos proin per omnia iiſdem adhærere religioni ſibi duxerit. Aſt Martyrologium Romanum undiquaque ſe dilacerare & ſuſpectum reddere, diſerte negat; quædam vero, ubi res ita exigere videatur, ſe emendare non diſſimulat: id quod jure optimo fieri exinde colligit, quoniam Uſuardi Martyrologium, cujus non minor per tot ſecula, ac Romani illius, obtinuerit auctoritas, a Maurolyco, Galeſinio, Molano corrigi tulerit, quin & totum abrogarit Eccleſia, ſubſtituto alio a Baronio & cæteris Romanæ Curiæ miniſtris quibusdam eruditis, juſſu Gregorii XIII curato editoque A. 1584, quod ipſum etiam A. 1591 non minus viſum fuerit variæ correctionis egere, quam porro ſub Urbano VIII adhibitam conſtet; neque ſic tamen plurima, quæ adhuc poſſint corrigi, deeſſe, ex Luca Holſtenio obſervat, cujus hac de re epiſtolam ſub Articuli hujus calcem producit.

Ad accuſationem novam, quæ Articulo XIX continetur, quaſi traditiones omnes a ſynchronis non ſcriptas rejiceret, reſpondet Papebrochius, traditiones neque nullas neque omnes recipiendas eſſe aut rejiciendas, & argumentum a coævorum ſilentio petitum quandoque

que

que nullam,quandoque mediocrem,ſæpe maximam vim habere,quam diſcernere Critici eruditi ſit officium,ubi ex inſtituto cuncta ſedulo expenderit. Se interim in Sanctorum Actis rigidum adeo traditionum cenſorem ubivis minime egiſſe addit,quippe qui ſolum diſtinxerit varios veriſimilitudinis, adeoque & fidei illis tribuendæ gradus; quemadmodum traditiones quoque,licet nudas,ubicunque potuerit, per conjecturas veroſimiles ſtabilire, multasque prima etiam fronte abſonas, dilucidare modis omnibus anniſus ſit. Ut vero promiſcue omnes atque ſingulas paſſim occurrentes recipiat,injungi ſibi poſſe nequaquam admittit, exemplisque non unis probat, traditiones ſæpe receptisſimas ſucceſſu temporis, ad curioſorum veritatis ſcrutatorum indicium, ſuo merito exploſas fuiſſe & rejectas. Similiter revelationes, ob quarum neglectum Articulo XX accuſatur, non ubivis hiſtorici teſtimonii vices probe ſuſtinere affirmat,& talium aliquot in medium adducit, quæ veritati alias receptæ in nonnullis contradixerint. Non enim ſemper impedire Deum ait naturalem hominis phantaſiam e ſpeciebus ante ecſtaſin impresſis oriundam; unde fieri nequeat, quin aliqui ſubinde errores iſtis revelationibus ex conditione hominum naturali accedant. Iſtas vero, quas ſigillatim rejectas P. Sebaſtianus conqueratur, non præterrem rejectas a ſe innuit, cum teſtibus idoneis deſtituantur.

Quod in regna civitatesque injurius non fuerit, (quæ quidem in Articulo XXI occurrit accuſatio,) dum monumenta quædam, hiſtorias & traditiones in iis frequentatas,pro veris aſſumere detrectarit, evictum dare hinc allaborat, quod ſolum ſuppoſititia repudiare ſuſtinuerit; qua quidem in re nihil abs ſe peccatum exiſtimat, cum certe & Eminentisſimus Cardinalis D' Aguirre plurima Hiſpanorum Pſeudo-Chronica rejecerit, ac prudentiorum ſecum in hoc negotio lubenter facientium ſuffragia pasſim cumularit. Non ergo ſibi idem attentanti ſuccenſere poſſe Hiſpanos, non Mediolanenſes, aut alios, quos concitare nitatur Adverſarius; quandoquidem illorum monumenta, quæ in Sanctorum Actis venerari noluerit, ſuppoſititiorum nomine inſigniri omnino mereantur. Quid? quod ipſi regnorum aliquot & civitatum nominatarum Eruditi id agnoſcant; prout hoc teſtimoniis aliquib9 Brugenſium, Henſchenianam de nece Caroli Boni, Comitis Flandriæ, narrationem, quamvis receptæ Brugis traditioni contrariam, per

omnia

omnia probantium illuſtrare imprimis ſatagit. Ita quoque omnium fere Ordinum hiſtorias,traditiones,monumenta,Sanctos & Scriptores Papebrochium lædere, Articulus XXII contenderat; verum Noſter & paucos tantum Ordines Accuſatorem allegare,& de his paucis id ſolum reapſe probare aſſerit, quod eorum paucula quædam vel pro ſuſpectis habita, vel ut manifeſte erronea propoſita,nec tamen ſine ratione,fuerint. Infinita vicisſim alia ſe innuit laudare,probare atq; illuſtrare, ultra quam ipſimet Ordinum eorundem Scriptores unquam fecerint, aut facere unquam tentaverint. Hinc neque in Ordinem Carmelitarum, neque Franciſcanum, neque alios ſe injurium fuiſſe,neque D.Thomæ auctoritati quicquam proterve detraxiſſe,ex hoc ipſo capite confirmat. A magiſtris vero ſuis, Bollando & Henſchenio, ubi interdum ſecedat,impune id abs ſe ſuſcipi exiſtimat, cum in facti quæſtionibus in magiſtri verba jurare nemo prorſus teneatur.

Quibus modis liberet ſe Papebrochius ab argutiis, conjecturis, fallacibus proteſtationibus, contradictionibus, injurioſisque ſatyris, (de quibus ſingulis accuſatur Articulo XXIII) ad unguem heic referre nimis longum foret. Tacta quoque jam ſunt in primæ partis delineatione, quæ ad Articulum XXIV denuo repetit, ubi ob allegatos laudatosque Ethnicos, Saracenos, Judæos, Hæreticoſque ſe defendit.

Cæterum in Articulum ſuum XXV promiſcuas quasdam accuſationes conjecit P. Sebaſtianus, quibus qua ratione ſatisfecerit Papebrochius, adductis hinc exemplis nonnullis demonſtrabimus. Negat, ſe uſpiam aſſeruiſſe, aut ullo modo ſtatuere, quod Maria & Joſephus contraxerint matrimonium cum animo illud conſummandi: ſententiam de Joſepho, Deiparæ patruo, denuo tuetur, eamque non novam, ſed ab aliis jam olim defenſam eſſe ſcribit, peculiaribusque argumentis corroborat; neque tamen ideo inceſtus inſimulari ſanctum hoc par largitur; conjugia enim inter patruos & fratrum filias Judæis uſitata fuiſſe,prævio Poſſino oſtendit: Chriſtum anno ætatis trigeſimo completo baptiſmum ſuſcepiſſe,nondum ſibi a vero alienum videri profitetur: Joſephum & Mariam extreme pauperes fuiſſe,ne nunc quidem admittit: ſicut olim a fabulis minime abeſſe dixerat narrationem de Joſephi virga præ virgis cæterorum cognatorum omnium, inſtar Aaronicæ illius, frondente, unde Sacerdotes templi Virginis bea-

beatiſſimæ conjugio ipſum divinitus deſtinatum eſſe cognoverint, ita mentem eandem ſe conſtanter retinere innuit. Chriſtum vero d. 3. Aprilis eſſe mortuum nunquam ſe ſtatuiſſe, ſed Natalem modo Alexandrum ita ſentientem citaſſe, palam cuivis apparere monet.


*FREDERICI RUYSCHII RESPONSIO AD GODEFRIDI BIDloi Libellum, cui nomen Vindiciarum inſcripſit.*

Amſtelædami, apud Joannem Wolters, 1697. in 4. plagul. 6.

QUos *Nobiliſſ. Bidloo* adverſus *Clariſſimum Ruyſchium* anno ſuperiore paravit *Vindicias*, *menſe Januar. præſentis anni p. 32.* paucis indigitavimus. Siſtitur nunc ipſius *Experientiſſimi Ruyſchii* ad eundem Bidloi libellum *Reſponſio*, qua hunc promiſſis ſuis plane excidiſſe, & nec accuſatoris nec defenſoris partes rite ſuſtinuiſſe, prolixe oſtendere nititur. Nec uberiorem poſthac reſponſionem detrectat, modo Bidloo in ſubjecto prius humano publice ſibi demonſtraverit:

1. Glandulas cutaneas pyramidales eſſe, uti eas pronunciavit & delineavit.
2. Quæ de membrana cerebri media ſive arachnoide, ejusq; vaſis ſanguiferis in Figuris ſuis repræſentari curavit;
3. Aortæ diſtributionem & diviſionem Figuris ſuis convenientem;
4. In liene humano cellulas, fibras tranſverſales, glandulas, aut medium illud inter venam & arteriam;
5. Radices veſiculæ felleæ e fundo emergentes, ſicuti eos delineavit, ſcilicet ea organa, quæ pro radicibus delineavit, revera eſſe radices veſiculæ felleæ, e fundo emergentes, & contentam bilem in veſiculæ cavitatem effundentes;
6. Vaſa ſanguinea talem obtinere reptatum ſub papillis pyramidalibus, glandulisque cutaneis, qualem iis affinxit; glandulasq; inter papillas ſibi invicem ita conſitas, uti eas delineari curavit, una & capillamenta vaſculorum aquoſorum glandulis interpoſita;
7. Mercurium fluere per ipſa papillarum pyramidalium foramina;
8. Arterias per cerebrum diſperſas, ſemotis membranis, cerebri ſubſtantia, cæteraque cum figuris ſuis convenientia, &c.

TAB. IV. ad A. 1698. pag. 137. M. Mart.



BREVE INSTRUZIONE MEDICA &c.

i. e.

*BREVIS INSTRUCTIO MEDICA DE GLUTINE IN CORPOribus humanis producto, ejusq; effectibus, Calculo & Arthritide &c.*
*Autore JOHANNE BAPTISTA CONTOLI, Iatrophyſico Bononienſi.*

Romæ, apud Bernabò, 1697. in 4. plag. 3. cum fig. æn.

CL. Autor, quo Excell. Bontii deſiderio ſatisfaceret, ſua circa calculi & arthritidis non minus generationem ac curationem paucis hic communicat cogitata, Illuſtris Ciampini, cujus favore ad nos pervenerunt, inſcripta nomini. Utriusque affectus, alias frequentiſſimi, geneſin a glutine cum Hippocrate derivaturus, ante omnia hujus tum formationem ex alimentorum particulis, ſolidioribus æque minusq; gravibus, ac fluidioribus & gravioribus; tum differentiam, qua gluten aliud in corpore noſtro naturale, & fibris partim ſanguinis colligandis, partim carnibus, oſſib9, aliisq; partibus ſolidis lamellarum interventu concinnandis neceſſarium: aliud præternaturale & excrementitium, in rugis ventriculi, vel acidi fermenti, vel aſſumtorum alimentorum culpa enatum, nunc tenuius, nunc craſſius perhibetur, ſiſtit enodatam. Hinc in arthritide gluten, modo naturale, occaſione ſolum tranſpirationis, in ſedentaria v. g. vita, impeditæ coacervatum, modo præternaturale, tenuius tamen, pro cauſa venditat. Calculorum autem productionem excrementitio potius glutini craſſiori, per renum caruncula, vel ſub filamentorum, vel globulorum etiam, intus concavorum & ad ſpeculi uſtorii calorem concrepantium ſchemate, eum ad modum, quem Figuræ appoſitæ illuſtrant, tranſcolato, TAB. IV. atque in veſica cum urinæ amurca lapideas cruſtas, tunicis cepæ analogas, acidi medio compaginanti, fert acceptam. Tandem præter alia medicamina diverſis temporibus adhibenda, pro comminuendo calculo liquorem ex foliis parietariæ, eruca ſylveſtri, floribus papaveris erratici, alkekengi, limonibus parvis in particulas diſſectis, atq; aqua fontana, in debita proportione commixtis, poſt præviam digeſtionem deſtillatum; in arthritide vero curanda ſuccum parietariæ interne, ac externe folia urticæ, imprimis commendat.

S JOHAN-

## JOHANNIS PHILIPPI WURZELBAUR, URANIES NORICES BASIS.

Hoc eſt:

*INCLYTÆ CIVITATIS NORIBERGÆ SITUS GEOGRAPHIcus, ſecundum latitudinem & longitudinem.*

Noribergæ, ſumtibus Autoris, anno 1697, fol. Alph. 1, pl. 4, cum fig. æneis 4.

PRæcipuum Obſervationum Aſtronomicarum, quarum ope, tanquam principii infallibilis, ſcientia hæc nobiliſſima humano generi divinitus indulta eſt, fulcrum, baſinque unicam eſſe Latitudinis locorum, ex quibus phænomena ætherea contuemur, exactam notitiam, rerum cœleſtium conſultis adeo extra aleam poſitum eſt, ut citra hanc omnem in tam disſita jactum inanem merito pronuncient. Quo magis commendandus nobis eſt publice clariſſimus tractatus hujus *Autor*, quod ſolertiæ ſuæ, vigiliarumque Aſtronomicarum, non paucis abhinc annis Aſtronomiæ incremento præclare ſuſceptarum toleratarumq;, primum potiſſimumq; momentum eſſe voluerit, exactam ſitus civitatis Noribergæ, obſervatorii ſui ſplendidiſſimi, indaginem: quam non ſine expreſſis doctrinæ Aſtronomicæ reconditioris documentis, pro ulteriori operationum Uranicarum & Geographicarum promotione, publico nunc impertivit. Et cauſam quidem ſatis prægnantem tum exantlandi, tum evulgandi laboris hujus *Autor* habuit, diverſas diverſorum Aſtronomorum circa Latitudinem urbis memoratæ determinationes; quarum incertitudo juſtum obſervationibus Noribergæ olim habitis pretium imminuit, ipſas etiam Atlantis Urani-
pag. 8. burgici *Tychonis* circa reſtitutionem motus Solaris conſtitutiones, minus alicubi accuratas effecit.

Ut ergo & anteceſſorum & ſuæ aliorumque deinceps obſervationes Noricæ ſibi conſtarent, hoc eſt, cœlum & Aſtronomiam propitiam haberent, aliisque rerum cœleſtium ſcrutatoribus fide minus ancipiti probare ſe poſſent, inquiſitioni huic qua oportuit cura incubuit, & negotio iſthoc dexterrime defunctus eſt. Quanquam autem diverſitas ſententiarum, circa locorum complurium latitudines hinc inde obvia, ſcrupulum *Autori* primitus injiceret, diſſenſusne hic libra-

librationi alicui axis mundani tranſcribendus eſſet: eodem tamen a celeberrimo Mathematicorum pari, *Hevelio* & *Sturmio* exemto, nihil porro cunctatus, manus operi cum ſumtibus & idoneis inſtrumentis ea ratione commodavit, quam in limine tractatus expoſuit. Obſervandæ autem latitudinis probatiſſimas Recentiorum rationes tenuit, obſervationes, meridianas Solis tropici, & circumpolarium ſtellarum minimæ maximæque altitudinis; quam ad leges refractionum (etiam ultra 45 altitudinis gradum, & ad uſque verticem fere, ſenſibilium) *Caſſinianas*, utut *Ricciolo* improbatas, inſuper etiam habitis *Maignani* circa incertitudinem refractionum objectionibus, exegit: ex propriis tamen experimentis, pro atmoſphæræ Noribergenſis conditione, aliquando ampliores ſtatuere adactus. Cæterum, ob certas, quas exponit rationes, lentium teleſcopicarum uſum, Anglis Gallisque Aſtronomis tantopere hodie commendatum, miſſum fecit. Aſſumſit autem, ductu quamplurium tentaminum animadverſionumque, refractionem Solis tropici brumalis meridianam Noribergæ, paulo majorem 5′ (adeoque majorem *Caſſiniana* 3′. 11″; minorem vero *Tychoniana* 6′. 30″, in pari utrobique altitudine) horizontalem vero 30′. 28″; & his ſuppoſitis deinde auræ refractivæ, ſive atmoſphæræ altitudinem praxi trigonometrica deduxit unius milliaris Germanici, eamque in calculo refractionum, pro reliquis altitudinum gradibus determinandarum, adhibuit, quas peculiari hic Tabula expreſſit. Parallaxin Solis ho- pag. 18. rizontalem elegit *Caſſinianam* 10″.

His præſtitutis, Quadrante primum bipedali altitudines ſtellæ polaris probatiſſimarum obſervationum cepit, minimam 47°. 12′; ma- pag. 21. ximam 51°. 48′; unde neglecta refractione, ſuffragantibus præterea altitudinibus meridianis Solaribus annorum 1682, 83, 84, latitudinem Noribergæ 49°. 30′ indeptus eſt. Quia tamen diverſis aliis obſervationibus per diverſa alia organa inſtitutis, altitudines ſtellæ polaris, illam pag. 23. (minorem) majorem; hanc (majorem) minorem reperit: conſilio Cel. *Hevelii*, majoribus inſtrumentis orichalceis rem aggreſſus, impedimentis etiam loci obſervationis remotis, maximam demum con- p. 24. ſeqq. ſecutus eſt 50°. 47′. 23″; minimam 47°. 8′. 40″; & inde latitudinem No-

pag. 29. ribergæ $49^{\circ}. 28'. 7''$: quam inſuper ex obſervationibus aliarum circumpolarium (humeri & pectoris Urſæ minoris) nec minorem $5''$, nec majorem $2''$, differentia utique nullis inſtrumentis certo aſſignabili; ex Solis vero altitudinibus tropicis ipſiſſimam eandem exactiſſime pag. 31 conſecutus eſt: *Autore* noſtro fidem ſuam interponente, nullo fuco temeratum obſervationum ſuarum recenſum, earumque conſenſum non caſui, ſed certæ & indubitatæ explorationi attribuendum.

Viſum etiam eſt *Autori* operæ pretium, ulterius in latitudinem pag. 34. Noribergæ a Veteribus traditam inquirere. Quo loco non tantum diſceptat, utrum Segoduno (quod *Conrado Celti* viſum) an vero Logorito, utrique inter loca Norici a *Ptolemæo* relato, cum Noribergæ ſitu conveniat: ſed & ex *Bernhardi Waltheri*, concivis olim ſui & *Regiomontani* diſcipuli, ac ſolertiſſimi ſuæ ætatis Aſtronomi, obſervati- pag. 44. onibus correctis latitudinem Noribergæ deducit $49^{\circ}. 28'$; ſolis $7''$ a ſua pag. 46. differentem. Coronidis porro loco ſubjungit ſtellas Noribergæ, Horizontem Boreum ſtringentes; prope verticem culminantes; & aſteriſmos circulo ſemper apparentium concluſos; longitudines demum dierum, ad ſingulos Eclipticæ gradus.

Circa longitudinem, non alia hactenus via conſultius quam per phænomena cœleſtia, Eclipſes Lunæ & præcipue Satellitum Jovialium indagandam, *Autor* juxta cum aliis conqueritur de difficultate, ab adverſis Geographorum circa primum Meridianum ſententiis oborta; nimiaque, & nulla probabili cauſa ſubnixa quorundam licen- pag. 52. tia, qui eundem jam Heſperidum, jam Azoridum ſeu Flandricarum inſularum alicui, vario inter ſe diſſenſu, affixerunt: ſpreta temere *Ptolemæi* autoritate, cui locus Fortunatarum occidentaliſſimus delectus eſt. Hunc eundem *Autor* noſter, juxta placitum Domini *La Hire*, Inſulæ Ferri, cum diſtantia a Pariſiis $20^{\circ}. 25'$, ex obſervationibus emerſionis primi Satellitis Jovialis, in Inſula Promontorii viridis Goe- pag. 54. rée, & Pariſiis, a mathematicis Gallis A. 1682 menſibus Aprilis & Maji peractis, collecta attribuit; Pariſios vero inter & Noribergam, ex collatis momentis Eclipſeos Lunaris, 30 Nov. ſt. vet. anno 1685 a Dno *Caſſino* & *La Hire* ibi; hic vero ab *Autore* obſervatæ, differentiam

ſtatuit

ſtatuit 8°. 5'. His porro adjungit differentias meridianorum Noribergenſis, aliorumque plus minus quadraginta locorum totius Orbis, nuperrimis famigeratiſſimorum Aſtronomorum obſervationibus celebratorum, ex dictis obſervationibus accurato calculo ſubductas. Promittit vero *Autor* clariſſimus Rationes motus Solaris, eorumque quæ inde pendent, aut eo ſpectant, ex ſuis & *Waltheri* obſervationibus Noribergicis, obſervatis aliorum antiquis & recentibus amice reſpondentibus, Tabulis propriis concinnatas: quas ut auxiliante Deo propediem publicæ luci indulgeat, e re Aſtronomiæ fore oppido confidimus.

*DANIELIS SEVERINI SCULTETI ITERATA ECCLESIÆ Reformatæ Invitatio ad pium in doctrina fidei conſenſum, occaſione Jurianæ Conſultationis facta.*

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1697. in 8. Alphab. 2.

UNdecimus jam annus agitur, ex quo celeberrimus Jurius inter Irenicos noſtri temporis comparuit, edito Roterodami libello: *Jugement ſur les Methodes rigides & relaſchées d' expliquer la Providence & la Grace, pour trouver un moyen de reconciliation entre les Proteſtans, qui ſuivent la Confeſſion d' Augsbourg & les Reformés*, in Actis hiſce A. 1687. pag. 148. ſeqq. a nobis prolixe recenſito, in quo commendata multis nominibus ſententia Dordracena, mutuam inter Proteſtantes tolerantiam enixe ſuadet. In hoc cum doctiſſimo Viro placuerit, Libri, quem nunc recenſituri ſumus, Auctorem nominatim compellare, motus is humaniſsima iſthac invitatione, haud detrectandum ſibi duxit officium publico ſcripto exponendi, quid ſibi in Juriano iſthoc libello probetur, quid minus; publicatis Hamburgi A. 1687 Animadverſionibus ſuis in librum Jurianum modo indicatum oſtendens, non Dordracenæ, ſed Auguſtanæ Confesſionis doctrinæ competere, quod Antagoniſta ſuus de illa prædicaverat. Quod tamen uti charitatis Chriſtianæ atque officiorum vinculo illæſo protulerat, ita ipſemet pauculas piæ unionis conditiones articulis quibusdam tum dogmaticis tum practicis comprehenſas ſubjunxerat, quarum ope univerſas Eccleſias Proteſtantes quam citisſime ad amœnisſimam animorum conjunctionem pervenire poſſe pollicebatur, ſi ſingulæ ſuarum

ſategerint partium. Nec diu ad hæc ſiluit celeberrimus Jurius. Anno enim mox ſecuto 1688 Conſultationem ejus vidimus Ultrajecti excuſam de Pace inter Proteſtantes ineunda; in cujus parte prima cum multis argumentis doctrinam Dordracenam de Gratia vindicaſſet, in ſecunda quatuor vias conciliandi Proteſtantes proponit. Primam, qua una pars propriis hypotheſibus valere juſſis, in alterius caſtra tranſeat; ſecundam, qua conciliatione dogmatum controverſorum; tertiam, qua tolerantia dogmatum ac rituum; & quartam, qua ſilentio dogmatum controverſorum pax ſanciatur. Inter quas cum prima, quam Scultetus commendaverat, ad palatum non fuiſſet, in tertia præ cæteris commendanda prolixus eſt D. Jurius, non improbata etiam ſecunda & quarta. Et licet nova Confesſione haudquaquam opus eſſe judicet, Auguſtanam ſufficere ratus, ſubjungit tamen ſub finem Confesſionem, aut potius ideam confesſionis communis, quæ futuræ conciliationi inſervire posſit, expoſitis etiam modis ac mediis, quibus reconciliationis hoc opus promovendum ac conſummandum eſſe exiſtimet. In hanc Conſultationem directa eſt hæc doctisſimi Sculteti invitatio, ſero quidem nunc, ſed nulla tamen Auctoris culpa aut cunctatione (quippe quæ jam ante novem annos ad umbilicum deducta fuit,) lucem aſpiciens. Quandoquidem vero Auctor in priſtina ſua ſententia ac via in Animadverſionibus commendata perſiſtit, facile quivis e dictis argumentum tractationis præſagire poterit. Scilicet, ut ipſemet in præfatione ad Reformatæ Eccleſiæ Theologos diſerte indicat, univerſæ pacis conditiones generatim eo tendunt, ut Proteſtantes Eccleſiæ ad unam omnes Deo dare, quæ ſunt Dei, haud renuant. Ut tamen paulo procedat diſtinctius, in Præfatione modo indicata quinque præcipue aſſertiones deligit, quas cum porismatibus ſuis admiſſas præcipuos de rebus fidei conflictus feliciter ſublaturas ſperat. Prima amorem Dei erga homines commendat. Secunda miſeriam relapſorum exaggerat. Tertia unionem duarum in Chriſto naturarum perſonalem vindicat. Quarta Chriſti hominis præſentiam ſtatuminat, & quinta denique doctrinam Lutheranorum de corpore & ſanguine Chriſti in S. cœna realiter præſentibus declarat. In his vero ſicuti præcipua controverſorum capitum momenta latent, ita haud difficulter conjicias, qualia ſint conſectaria, quæ Auctor e ſingulis iſtis aſſertionibus elicit. Ut circa primam modo exempli in vicem hæreamus,

mus, colligit hinc non ea ſolum, quæ ad decreti abſoluti & particulariſmi deſtructionem, verum etiam, quæ ad univerſalismi, & decreti, quod fidem reſpicit, confirmationem faciunt; quibus etiam tum regenerationis infantum in baptiſmo univerſalitatem, tum quæſtiones connexas jungit. Singula vero hæc aliaque plura ex planis Scripturæ aſſertis breviter excerpta eum in finem Eccleſiæ Reformatæ ab Auctore proponuntur, ut planisſimis his teſtimoniis convicti veritati cedant; imprimis autem contra D. Jurium in ipſo tractatu fuſius deducuntur; & ea quidem methodo, ut de ſingulis capitibus inter Lutheranos atq; Reformatos controverſis, veritatem primo cœleſtem e perſpicuis Scripturæ dictis proponat Auctor, ſenſumque ad normam Hermeneuticæ legitimam eruat, quam dehinc contortæ ſint adverſariorum interpretationes, ſubinde oſtendat, & exceptionibus tandem Jurianæ Conſultationis ſatisfaciat. De cætero cum Particulariſmus palladium ſit, in quo ſervando Jurius maximopere ſolicitum ſe geſſit, ideo haud præter rem in iſtum aciem ſuam Scultetus undique dirigit, & univerſaliſmi econtra cauſam ſtrenue defendit, non ſolum in omnibus fere capitibus latus illius petens, verum etiam in peculiari capite iſtius fœditatem, inque alio vicisſim univerſalismi innocentiam probans & evincens. Id omne autem hunc potisſimum in finem agit, ut oſtendat, retento hoc particularitatis dogmate tres iſtas vias Jurianas, conciliationis, tolerantiæ & ſilentii dogmatum controverſorum haudquaquam tutas fore, nec ingredi eas licere his, qui piam atque firmam pacem requirant; unde viam ſupereſſe conſequatur vix aliam, præter eam, quam in ſuis Animadverſionibus commendaverit, dogmatum videlicet emendationem, quam neceſſariam pariter ac facilem eſſe multis ſolidisque argumentis poſteaquam probavit, ſuum tandem pacis conſilium uberius exponit. Hoc ſummatim eo inclinat, ut Theologi Reformati ad ſinceram amicitiam propendentes, ab Auguſtanæ Confeſſionis Theologis aſſerta citra partium ſtudium ponderent, nec ad colloquium irenicum generale prius accedant, quam ubi ore animoque profesſi fuerint, ſe Jeſum Dominum pro redemtore humani generis ſerio agnoſcere, & ad ea omnia, quæ cum hac aſſertione neceſſariam connexionem habeant, credenda eſſe paratisſimos; quibus præmisſis de dogmatibus controverſis accurate ut diſpiciatur, ac pie tandem tranſigatur, exoptat.

BENE-

*BENEDICTI PICTETI, THEOLOGI GENEVENSIS, DE CONſenſu ac diſſenſu inter Reformatos & Auguſtanæ Confeſſionis Fratres Diſſertatio.*

Amſtelodami, apud Georgium Gallet, 1697. in 12. plag. 8.

DUm in recenſenda doctisſimi Sculteti iterata ad pacem in religione ſanciendam Invitatione occupamur, commode in manus noſtras incidit novum clarisſimi Picteti conſilium, quod priori illi non incongrue a nobis ſubjicietur. Motum autem ſe imprimis ad iſtud propalandum ait Auctor opere illuſtris Puſendorfii, quod de conſenſu & diſſenſu Proteſtantium compoſuit. In eo namque uti plurima ſibi probari confitetur, quæ ſubinde hinc excerpit & commendat, ita vicisſim nonnulla dolet occurrere, quæ de Reformatis judicium non ſatis æquum exhibeant. Ut igitur demonſtret, quam nihil penitus impediat, quominus Lutherani atque Reformati in amicisſima conſpirent fœdera, in eo maxime totus eſt, ut diſſenſum, qui utrinque obſervetur, fundamentalem eſſe neget. Ante tamen, quam ipſas, quæ agitantur, controverſias enumerat, manifeſtum illum aſſenſum urget, quem circa pleroſq; Auguſtanæ Confesſionis articulos Reformati Lutheranis præbeant. Diſſenſum autem ſigillatim poſt excutiens, ante omnia de quæſtione agit: num Chriſti corpus ſit in, cum & ſub pane Euchariſtiæ? quam a Reformatis negari ait, ſed ita tamen, ut de ſola verborum, *hoc eſt corpus meum*, explicatione diſceptetur. Placere Reformatis figuratam, quam Lutherani improbare tantopere haud valeant, cum ipſimet a litera recedant, & verbum *eſt* pro *ineſt*, *ſubeſt*, *continetur*, invita prorſus litera, exponant. Corpus Chriſti una cum pane ore corporis a ſingulis tum credentibus tum incredulis revera manducari, Reformatos impune autumat abnuere, cum & Sancti Patres olim ita ſenſerint, & ex Auguſtanæ Confesſioni addictis multi aſſerant, quod Chriſti corpus per fidem tantum manducetur; ubi præcipue ad Syngramma Suevorum, cujus auctor habeatur Brentius, Lectorem remittit, atque teſtimonia Lutheri addit, qui partes de ea quæſtione diſſentientes poſſe & debere dilectionem inter ſe colere aſſeruerit, prout & ille Melanchthonem, quamvis in hoc negotio diſſentientem, pro charisſimo nihiloſecius Collega habuerit. In voluntate Dei circa hominum ſalutem deſcribenda, fundamentalem diſſenſum deprehen-

prehendi negat, cum utrinque pro certiſſimo conſtituatur, ſolos credentes ſervatum iri; redemtionis Chriſti pretium eſſe infiniti valoris, ita, ut ad ſervandos plures etiam mundos ſufficeret; Chriſtum redemiſſe homines ex omni tribu, gente, ordine; Deum amore quodam generali ferri in homines tanquam creaturas ſuas, & varia iisdem beneficia largiri; ſerio ipſum mortalibus injungere, ut credant & reſipiſcant, ſi ſervari velint; delectari eum potius converſione & vita peccatoris, quam ejusdem morte, ita, ut ipſi gratum foret, ſi omnes crederent. Sicubi interim heic duriores quædam in Reformatorum ſcriptis obveniant locutiones, mirum id non eſſe ait, nec Lutherum a talibus abſtinuiſſe contendit. Electionem ex mero Dei beneplacito pendere Reformatos quidem affirmare concedit, verum & iſtud ipſos monet addere, eodem decreto, quo ſalutem aliquibus deſtinarit, decreviſſe quoque Deum mittere Filium, qui ſalutem electis compararet, ac pro iis ſatisfaceret, Spiritumque Sanctum, qui fidem ipſis ingeneraret, ac proinde neminem adultum ſervatum iri, niſi credentem ac bonis operibus incumbentem, quamvis non propter fidem ac bona opera. Auguſtanos viciſſim, quos vocat, Fratres exiſtimare, electionem fieri ex prævisione fidei, quæ tamen fides præviſa in ſolidum ex gratia & Dei donum ſit. Talem vero diſſenſum a nemine fundamentalem appellari poſſe autumat. Quoad decretum reprobationis, & ſigillatim quoad præteritionis actum, duas formari poſſe quæſtiones innuit. Unam: cur Deus hunc vel illum prætereat? ad quam reſpondendum ſit: quia peccator eſt. Alteram: cur Deus Paulum potius prætereat, quam Antonium, cum tamen uterque ſit peccator? & hic reſpondet, cauſam eſſe Dei beneplacitum, qui miſereatur, cujus velit, & quem velit, induret. Nullam igitur eſſe admittit controverſiam, an damnet Deus homines ob impœnitentiam præviſam? nec, an Deus prætereat quosdam homines ob peccatum? ſed, an ideo Deus hunc elegerit, & illum præterierit, quia iſtum crediturum, hunc minus, præviderit; an vero tantum, quia Deo ſic placuerit, cum uterque meruerit rejici? Prius defendi ab Auguſtanis, ſed a Reformatis poſterius; quos tamen ab iſtis ideo in fundamento diſſentire nequaquam largitur. Circa gratiam convertentem utrinque concedi monet, eam non agere in truncos ac lapides, hominibusve ſuum liberum arbitrium adimere; nos reſiſtere gratiæ externe vocanti per Evangelium, & quidem quotidie; peccatores initio gratiæ internæ reluctari; electos tamen gra-

tiæ efficaci nunquam finaliter reſiſtere, & ſuperari tandem naturam a gratia, carnem a Spiritu, ac proinde electos infallibiliter converti. Diſſenſum igitur in hoc articulo fundamentalem demonſtrari ſibi petit. Ad quæſtionem: num veri fideles juſtificati poſſint gratia Dei excidere? nihil reſpondere Reformatos aſſerit, quod a Patribus itidem affirmatum non fuerit, nec ullam unquam litem ſuper ſanctorum perſeverantia moviſſe Lutherum ac Melanchthonem monet. Equidem in Auguſtana Confeſſione damnari Anabaptiſtas, docentes, juſtificatos Spiritum Sanctum non poſſe amittere; verum iſtos exiſtimaſſe, dari quosdam ita perfectos, ut non quidem immunes ſint a peccatis ignorantiæ, incogitantiæ, involuntariis, ſed tamen a peccati coram Deo damnantis macula; qualia certe Reformatis in mentem nunquam venerint. Ubiquitatem Chriſti multis quoque Lutheranis diſplicuiſſe contendit; circa reliquas vero proprietates divinas humanæ Chriſti naturæ communicatas obſervat, fore tunc diſſenſum fundamentalem, ſi conſequentiæ admitterentur, quas ex doctrina Reformatorum nonnulli elicuerint. Similem deinceps in modum circa baptismi efficaciam, neceſſitatem, aliaque ad hunc locum attinentia, in fundamento diſcrepare ſe a Lutheranis, nulla ratione concedit. Reliquas de imaginibus, de cereis, de placentis orbicularibus, de detegendo ad Jeſu nomen capite, de confeſſione, & aliis ejuscemodi, diſceptationes levisſimas pronunciat. Labefactatam autem Dei cum omnipotentiam tum ſanctitatem, propugnatam fati ſtricti coactionem, hæreſin item Manichæam aut Neſtorianam, nonniſi per calumniam Reformatis imputari ſuperaddit. Talis ergo cum ſit horum a Lutheranis diſſenſus, manifeſtum eſſe credit, quod mutuam ille tolerantiam minime impediat; cumque tot votis ab utraque parte expetita ſemper fuerit concordia, (id quod ex hiſtoria late probat,) facile eam iniri poſſe confidit; atque ſuum de ea ſtatuminanda conſilium ſuppeditat. Colloquia nempe utriuſque partis Theologorum minus ſibi utilia videri profitetur, uti nec nova ſcripta promulgare conſultum autumat. Novam quoque confeſſionem condi non vult, cum alia, quam Auguſtana, ſed ea paucis immutata, opus non ſit. Suadet vero, ut negotium per Politicos potius quam Theologos tractetur, aut ſeligantur mitioris ingenii Theologi. Suadet, ut Principes Proteſtantes omnes, Electoresque ac Reges, ad hoc opus ſummo cum ſtudio ſe accingant, &

& ſibi hiſtoriam diſſenſus Proteſtantium prælegi curent; ut Confeſſionem Auguſtanam cum Reformatorum Confeſſionibus conferri faciant; ut doctores ſuos ab omnibus conviciis & contumeliis abſtinere jubeant, eosque hortentur, velint expendere, annon charitati Chriſtianæ repugnet, nullam velle pacem colere cum iis, qui in quibusdam tantum, ſed iis minime fundamentalibus, articulis diſſentiant. Lutheranos vero Theologos, quorum moderatiora ſint ingenia, excitat, ut aliis rigidioribus eandem moderationem inſinuent. Ab omnibus denique cogitari vult, quod de mutua tantum concordia agatur atque tolerantia, minimeque ulli parti ſententia mutanda injungatur.

## REMARQUES SUR LA TRADUCTION DU NOUVEAU TESTAMENT &c.

i. e.

*ANIMADVERSIONES IN VERSIONEM NOVI TESTAMENTI Gallicam, juſſu Cleri Gallicani a Dionyſio Ameloto Oratorii Presbytero concinnatam: auctore CLAUDIO BRUSSONO, Evangelii Miniſtro.*

Delphis Batavorum, apud Adr. Beeman, 1697. 12. Alph. 1. pl. 3.

UT ſubditos ſuos Reformatæ, quæ vocari ſolet, religioni addictos ad Eccleſiæ Romanæ ſacra amplectenda adduceret, nihil fecit reliqui Galliarum Rex Potentiſſimus, Ludovicus XIV. Sed & Clerus Gallicanus, ut idem inſtitutum promoveret, omnem gnaviter dedit operam: cumque Rex vi & terrore adverſus diſſentientes uteretur, Clerus alias quoque rationes inivit, quibus aut perſuaderet iis, ut Romanæ Eccleſiæ nomina darent, aut ejus jam ſacris initiatos magis magisque confirmaret. Inter alia vero, quæ hunc in finem inventa & excogitata fuerunt, præſentis libri auctor Claudius Bruſſonus (is, cujus *Manna Myſtica in Deſerto*, ſeu Conciones in Gallia in locis deſertis ad populum ſub perſecutione gementem habitæ, Amſtelodami A. 1695 in lucem publicam prodierunt) referendam etiam cenſet librorum Novi Teſtamenti in Gallicam linguam translationem, auſpiciis Cleri Gallicani a Dionyſio Ameloto adornatam. Hanc enim non eo com-

paratam contendit, ut textui Græco aut Vulgatæ ſaltem Verſioni exacte reſponderet, ſed ut veritati potius caligo objiceretur, hominesque Divinas literas ſcrutari ſueti, ſed Græcæ aut Latinæ etiam linguæ minus periti, in errorem inducerentur; locis quamplurimis eum in ſenſum inflexis aut detortis, ut dogmatibus, qualia Eccleſia Romana profitetur, Reformata autem improbat ac rejicit, palam favere deprehenderentur. Id evincere, præcipuus Bruſſoni in hoc opere ſcopus eſt, quem quo ſucceſſu ubique attigerit, penes Lectorem eſto judicium. Nam ut paſſim cauſæ religionis ſuæ ſerviviſſe Amelotum, nemo facile negaverit, (ut cum e. g. verba Actorum XIII. 2. λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ, καὶ νηστευόντων, ut Miſſæ ſacrificium ſtabilire viderentur, ita tranſtulit, *pendant qu' ils offroient le ſacrifice au Seigneur, & qu' ils jeûnoient*, id eſt, *dum illi Domino ſacrificium offerrent, & jejunarent*; cum in ipſa tamen Vulgata ſimpliciter tantum & recte quidem vertantur, *miniſtrantibus illis Domino & jejunantibus*:) ita defutura forte Ameloto non ſunt, quibus in multis locis verſionem ſuam tueatur. Verum id diſſimulare non poſſumus, dum Bruſſonus verſioni Ameloti caſtigandæ incumbit, magno eum ſimul ſtudio & contentione dogmata ipſa per ſingulos Fidei Chriſtianæ articulos excutere; ut juſtum adeo Reformatæ religionis adverſus Romano-Catholicos aſſertæ ac propugnatæ Syſtema in hoc opere exhibuerit.

## DISSERTAZIONE EPISTOLARE DEL FOSFORO MINERALE &c.

i. e.

*DISSERTATIO EPISTOLICA DE PHOSPHORO MINERALI, ſeu Lapide Bononienſi illuminabili, ad Actorum Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur, Collectores perſcripta a Dn. LUDOVICO FERDINANDO Comite MARSILIO, S. S. Cæſ. & Reg. Maj. Cubiculario & Legionis peditum Tribuno.*

Lipſiæ, apud viduam & hæredes Groſſianos, 1698. 4.
Conſtat plagulis 4, & tabulis 19 æri inciſis.

CUm Diſſertatio hæc Epiſtolica ad nos manuſcripta primum perveniſſet,

niſſet, ab Illuſtriſſimo Auctore, quo eſt in nos affectu plane ſingulari ac benigniſſimo, ſubmiſſa, committere non potuimus, quin ejus ſummam ſine mora cum Orbe Erudito communicaremus. Itaque anno jam ſuperiore, menſe Septembri, pag. 404 ſqq. compendio exhibuimus, quæ de loco natali Lapidis Bononienſis, deque partibus eum componentibus, ac modo denique eum, ut Phoſphori munus ſuſtinere poſſit, rite præparandi, uberius in Diſſertatione ipſa ab Excellentiſſimo Auctore exponuntur. Poſtquam vero typis deſcripta Diſſertatio elegantiſſima eſt, ſumtibus ab Auctore ipſo liberaliter ſuppeditatis, de eo nunc certiores reddendos harum rerum Curioſos exiſtimavimus, quibus nempe integram nunc perlegere, & ſingula accuratius, adhibitis inprimis in auxilium figuris æneis, comprehendere licebit. Gaudebunt vero iidem non immerito, adhuc rerum etiam naturalium ſtudiis decus ſuum conſtare, cum Viri non natalium minus ſplendore, quam aulicis perinde ac militaribus muniis illuſtres ea minime dedignentur.

*GODEFRIDI GUILIELMI LEIBNITII ACCESSIONES HISTORICÆ, quibus utilia ſuperiorum temporum Hiſtoriis illuſtrandis ſcripta, monumentaque nondum hactenus edita, inque iis Scriptores diu deſiderati, continentur.*

Lipſiæ, apud Nicolaum Forſterum Bibliopolam Hannoveranum, A. 1698. in 4. Alph. 3. pl. 5.

NOn infrequens in his Eruditorum Actis eſt Illuſtris Viri Godefridi Guilielmi Leibnitii nomen, cujus ingenioſiſſima inprimis meletemata Mathematica large in iis cum Orbe Erudito communicavimus. Nec contentus tamen Vir celeberrimus Mathematicarum ſcientiarum pomœria latiſſime protuliſſe, in omni liberalioris doctrinæ genere de Republica Literaria nunquam non anniſus eſt præclare mereri. Triginta jam, & quod excurrit, lapſi ſunt anni, ex quo Francofurti ad Mœnum Novam Methodum diſcendæ docendæque Jurisprudentiæ ex artis didacticæ principiis & experientiæ luce, magno Eruditorum cum applauſu publicavit; utque plura alia ingenii, quæ vulgavit, monumenta taceamus, quotusquiſque eſt, cui non in deliciis ſit Codex ille Juris Gentium Diplomaticus, quem laudabili exemplo

A. 1693 Hannoveræ edidit & nos in Actis illius anni menſe Auguſto pag. 370 ſqq. prolixe recenſuimus? Quemadmodum vero in iſto tabulas authenticas Actorum publicorum maximam antea partem ineditas in lucem protraxit: ita nunc, inſtituto non minus commendando, Scriptores antiquos ad Germanicam cumprimis Hiſtoriam illuſtrandam ſpectantes, nec adhucdum typis exſcriptos, ut omnium uſui paterent, in certa volumina diſtributos edere ſuſcepit. Tametſi enim jam ante eum Viri docti ac diligentes, Marquardus Freherus, Juſtus Reuberus, Simon Schardius, Chriſtianus Urſtiſius, Melchior Goldaſtus, Henrici Meibomii, Erpoldus Lindenbrogius, Henricus Caniſius aliique, ſimili labore defuncti, quamplurimos rerum Germanicarum Scriptores, in juſta ſpiſſaque ſatis volumina collectos, typorum beneficio publici juris fecerunt; exiſtimandum tamen minime eſt, ita exhauſta jam eſſe bibliothecarum omnium ſcrinia, quin bene multi ſuperſint Scriptores alii, quos eripi e tenebris ac in lucem produci, publice interſit. Quod ſtudium a Leibnitio nunc occupatum tanto magis nobis gratulamur, quanto rectius Viri induſtriam, ac in diſcernendis, qui luce publica donari mereantur, qui minus, Auctoribus exactum judicium habemus exploratum. Et nunc quidem primo hoc, quod prodiit, volumine, quatuor exhibentur Auctores, tales quidem omnes, qui & a viris doctis jam lecti memoratiq; ſunt, & prælo dudum deſtinati, multumque expetiti, quos paucis indicabimus.

Primus Anonymus eſt, *Chronographus Saxo* Illuſtri Editori dictus, quod per annorum ſeriem a nato Chriſto usque ad annum æræ vulgaris MCLXXXVIII decurrat, ac Saxonica præ cæteris diligentius tradat. Codicem ipſum olim Chriſtophori Broweri e S. J. cujus Annales Fuldenſes & Trevirenſes nemini ignorantur, fuiſſe, & ab eo ſubinde citari, Clariſſimi vero Papebrochii beneficio ad Editorem perveniſſe, ex Præfatione univerſo operi præmiſſa diſcimus. Alter, Anonymus itidem (etſi Goldaſtus in Apologia pro Henrico IV *Golſcherum* fuiſſe dictum, perſuaſiſſimum habuit) *Geſta Trevirorum* compoſuit; quæ cum jam olim & Caſpar Bruſchius, & Marquardus Freherus, & Petrus etiam Lambecius edere conſtituiſſent, nec ſtetiſſent tamen promiſſis, Noſter tandem tribus codicibus manuſcriptis inſtructus, publici juris fecit. Tertius eſt *Johannes Vito Duranus*, Chronici auctor, quo ſuorum ac paulo ſuperiorum temporum res geſtas deſcripſit. Refert vero Editor, a Voſſio quidem tradi,

Dura-

Duranum hunc Ludovici Bavari ac Caroli IV ætate vixiſſe, & Hiſtoriam, quæ manuſcripta extet in monaſterio S. Galli, ad annum usque 1348 produxiſſe: ſed codicem ſuum eo usque non produci, (quippe qui ultra obitum Rudolphi Habsburgici, de quo varia narrantur, non porrigitur) & cum apud Sangallenſes inquiſiviſſet, reſponſum eſſe non reperiri. Memorat quoque obiter, inſignem apud Bremenſes Theologum Gerhardum Mejerum, a quo ſibi manuſcriptum exemplar Chronici hujus fuerit ſuppeditatum, hortatu ſuo præclarum opus aggreſſum eſſe *Gloſſarii Saxonici* titulo, quod eruditis gratiſſimum fore, neque nos dubitamus. Ultimus iterum Anonymus eſt, cujus *Chronicon Vetus Holſatiæ*, quod jam ante Joh. Adamus Cypræus, deinde & Petrus Lambecius edere decreverant, ſeu (ut in codice Lambecii, beneficio celeberrimi Viri Danielis a Neſſel, Conſiliarii & Bibliothecarii Cæſarei, ad Noſtrum delato inſcribitur) *Continuatio Chronici Slavorum Helmoldi*, hic exhibetur. Etſi enim incultum Scriptorem Editor Illuſtris agnoſcat, odioque in Danos abreptum multa contumelioſa in eos effutiiſſe non diſſimulet; perire tamen librum non voluit, quod notatu non indigna alia contineret, nec inclytæ Danorum gentis virtuti hominis, ut appareat, ſimplicis & affectibus indulgentis judicio quicquam poſſit deteri.

## LIBRI NOVI

*Orcades ſeu Rerum Orcadenſium Hiſtoriæ Libri tres, auctore Thormodo Torffæo, Hiſtoriographo rerum Norwegicarum Regio. Hafniæ, literis Juſtini Hög, 1697. fol.*

*Lexicon Philologicum Matthiæ Martinii. Acceſſerunt nonnulla alia. Trajecti ad Rhenum apud Ant. Schouten, 1697. fol. Tomi II.*

*Jacobi Lydii Syntagma Sacrum de Re Militari, nec non de Jurejurando Diſſertatio Philologica; cum notis Salomonis Van Til. Dordraci apud Corn. Willegardum, 1698. 4.*

*Jo. Schefferi, Profeſſoris quondam & Bibliothecarii Upſalienſis, Miſcellanea. Amſtelod. apud Janſonio-Waesbergios.*

*Gloſſarium Univerſale Hebraicum, quo ad Hebraicæ Linguæ fontes Linguæ & Dialecti pene omnes revocantur. Auctore Ludovico Thomaſſino Oratorii D. J. Presbytero. Pariſiis ex typographia Regia, 1697. fol.*

Veræ

*Veræ Theologiæ Myſticæ Compendium, ſive Amoris Divini occultæ ſemitæ &c. Auctore R. P. F. Conſtantino de Barbanſon, Prædicatore Capucino & Conventus Colonienſis Guardiano. Coloniæ, apud B. Gualterum, & Amſtelodami apud H. Wetſtenium, 1698. 12.*

*Catti Aborigines Batavorum. Dat is: De Katten de Voorouders der Batavieren, ofte de twee Katwyken aan Zee en aan den Ryn; door Adrianus Pars. Tot Leyden by Jo. du Vivie, 1697. 4.*

*Letres du Cardinal d'Oſſat. Nouvelle edition. Avec des Notes Hiſtoriques & Politiques de Mr. Amelot de la Houſſaie. A Paris, chez Jean Boudot, 1698. 4.*

*Hiſtoria trium Gordianorum. Daventriæ apud Albertum Fronten, 1697.*

*Thomæ Crenii Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum Pars III. Lugd. Bat. apud Fred. Haaring, 1698. 8.*

*Veteris ævi Analecta, ſeu Vetera aliquot Monumenta &c. Collegit primus & edidit, & obſervationes ſuas paſſim adjecit Antonius Matthæus. Lugd. Bat. apud Fr. Haaring, 1698. 8.*

*Cornelii Van Bynkerhoek ad L. Lecta 40 Dig. de Reb. Cred. Si cert. pet. Liber ſingularis. Et Diſſertatio de Pactis juris ſtricti Contractibus in continenti adjectis. Hagæ Comitis, apud Abrah. De Hondt, 1697. 8.*

*La Rhetorique d'Ariſtote, traduite en François par feu Mr. Caſſandre. A Amſterdam chez J. Louis de Lorme, 1698. 12.*

*Joachimi Targiri Medicina Compendiaria. Lugd. Bat. apud Fred. Haaring, 1698. 8.*

*Jo. Conradi Barckhuſen Pyroſophia, ſuccincte atque breviter Iatrochymiam, Rem Metallicam & Chryſopœiam perveſtigans. Lugd. Bat. apud Corn. Boutenſtein, 1698. 4.*

*Jugement du Public, & particulierement de Mr. L'Abbé Renaudot, ſur le Dictionaire Critique du Sr. Bayle. A Rotterdam chez Abraham Acher, 1697. 4.*

*Reflexions ſur un imprimé qui a pour titre* Jugement du Public *&c. A Rotterdam, 1697. 4.*

---

## ERRATA.

In Actis hujus anni pag. 32. lin. antepenult. pro *anno ſuperiori* lege *anno* 1696, & pro *anno præſenti* lege *anno ſuperiori*. Pag. 108. lin. 15. ſic lege: *nos docet? Quid de.*

* * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*
*Calendis Aprilis, Anno M DC XCVIII.*

## HISTOIRE DE FRANCE.
i. e.

*HISTORIA FRANCIÆ, A PRIMA MONARCHIÆ FRANCICæ in Galliis conſtitutione. Auctore P. GABRIELE DANIELE. Tomus I.*

Pariſiis apud Simonem Benard, 1697. 12. plag. 22.

NUnquam equidem Gallicanæ genti defuerunt decora ingenia, quæ in patria hiſtoria ornanda excolendaque, operam atque induſtriam ſuam collocarunt. Sed ſi quis forte exiſtimet, per illorum curas vigiliasque hiſtoriam Gallicam ad iſtud jam faſtigium perveniſſe, ut nihil illi omnino aut cultus, aut ornamenti, addi poſſit, is lecta luculenta admodum, quam tomo primo Hiſtoriæ ſuæ Francicæ præmiſit Vir eruditiſſimus Gabriel Daniel, præfatione, ſecus ſentiet. Sunt qui contendunt, ſaltem natales, originemque ultimam gentis hujus, plus quam Cimmeriis involutam eſſe tenebris, ut qui eam in lucem protrahere inſtituant, operam, quod ajunt, oleumque non poſſint non perdere: ſi quæ autem forte literarum monumentis prodita ad nos pervenerint, ea jejuna admodum & ſicca eſſe, & ita comparata, ut tædio potius repletura ſint lectorem, tantum abeſt, ut ſuavitate quadam & jucunditate eum ſint allectura. Hi ſi de ipſius gentis Francicæ origine, ejusque fatis, priusquam in Gallia conſedit, regnique, quod hodie floret, fundamenta jecit, loquantur, plane conſentientem ſibi habent Noſtrum: ſin de regni Francici in Gallia origine initioque verba faciant, adeo illis non ſuffragatur, ut regni hujus primordia, nec varietate eventuum, nec Regum fortiſſimorum celebritate, nec ulla alia re, Romanæ reipublicæ primordiis cedere, fidenter aſſerat. Quod autem jejuna & ſicca, parumque ad delectandum

comparata videantur, quæ de primis Galliæ Regibus traduntur, id inſcitiæ Hiſtoricorum, tum veterum, tum recentiorum, unice imputandum eſſe affirmat. Pauciſſimos enim linguæ, qua ſcripſerunt, indolem accurate perſpectam habuiſſe: alios autem ſtyli, quo Hiſtoricum uti decet, rationem ignoraſſe: pleroſque legum, ad quas hiſtoriam ſuis numeris abſolutam exigere fas eſt, fuiſſe rudes. Quod ne temere aſſeruiſſe videatur, leges iſtas, ad quas Hiſtoricus ſe componere debeat, uberius ediſſerit, & quam iis non fecerint ſatis, qui in Francica Hiſtoria ad poſteros transmittenda elaborarunt, demonſtrat, ſimulque ſcopulos, ad quos ceteri fere omnes naufragium fecerint, ſummo ſtudio ſe evitaturum pollicetur. Hoc autem num præſtiterit, ii quam rectiſſime judicabunt, qui librum ipſum evolvere inſtituerint. Nobis hic indicaſſe ſufficit, Auctorem doctisſimum non tantum notas, difficultatibus quibusdam enodandis deſtinatas, vitis ſingulorum Regum ſubjeciſſe, ſed & diſſertationes octo addidiſſe, in quibus cum multa ſcitu haudquaquam indigna afferat, eas paucis delibaſſe nos non pigebit, nec ab inſtituto noſtro alienum erit.

Diſſertat. I. De Francici regni in Gallia conditore, anceps inter eruditos eſt diſceptatio. Sunt qui Pharamundum pro eo venditant: alii Clodioni filio ejus honorem huncce deberi non ambigunt: ſaltem Merovæum & Childericum rerum in Gallia potitos eſſe, nemini non perſuaſum eſt. Ab hisce vero omnibus quo minus longe abiret Auctor, & Clodovæum demum primum Francorum in Gallia Regem aſſereret, graviſſimis documentis adductus, temperare ſibi non potuit. Primo itaque ad veterum ſcriptorum, Proſperi ſcilicet, Idatii, Apollinaris, Procopii, Gregoriique Turonenſis & ceterorum, qui ea ætate ſcripſerunt, ſilentium provocat. A vero plane abhorrere ait, eos rem tanti momenti ſilentio præterituros fuiſſe, ſiquidem ante Clodovæum Franci fixam rerum ſuarum ſedem in Gallia poſuiſſent. Ipſumque Proſperum rem omnem prorſus conficere, autumat. Hunc enim de Pharamundo, Clodione, Merovæoq; aperte teſtari, quod *regnarint in Francia*. Franciæ autem nomine ea ætate neutiquam veniſſe Galliam, ſed eum terrarum tractum, quem olim incoluere Franci in Germania. Nondum hic argumentorum finis eſt. Deſcendit ad ſingulos Reges, qui ante Clodovæum ſummam rerum tenuere, probaturus eos non regnaſſe in Gallia. De Clodione Gregorius Turonenſis refert, eum Came-

Cameracum urbem tractumque circumjacentem occupaſſe. Conſentiunt Proſper, Caſſiodorus aliique. Colligunt hinc plerique, huncce Regem ſedem ſuam fixiſſe in Gallia. Id vero inde ſequi, negat Auctor. Nimirum huncce Regem ceteroſque ſæpius excurſiones in Galliam feciſſe, fudiſſe Romanorum copias, urbes expugnaſſe, fatetur: ſed eos ibi ſtabile regnum condidiſſe ſuarumque rerum fixiſſe ſedem, id vero eſt, quod abnuit. Atque id eo manifeſtius eſſe putat, quod Hiſtorici, Merovæi cum Romanis bella litterarum monumentis conſignantes, eum non ex Gallia, ſed ex propria priſcaque Francorum ſede copias contra Romanos educentem nobis ſiſtant. Quæ autem de Childerico traduntur, fabulæ Romanenſis ſpeciem, judice Noſtro, palam præ ſe ferunt. Gregorius inſuper Turonenſis, aliique veterum, Childericum, vaſtata Gallia, iterum trajeciſſe Rhenum & cum Odoacro Alemannis bellum intuliſſe commemorantes, illi rem omnem extra dubium ponere videntur. Ultimo loco luculenta Procopii Cæſarienſis, Gregorii Turonenſis, & Jonæ, qui fuit diſcipulus S. Columbani, teſtimonia profert, probatque, quæ Auctores iſti de epocha conditi in Gallia Francorum regni tradunt, non in alium quadrare, quam in Clodovæum. Objici poſſe ſibi dicit ſepulchrum Childerici A. 1653 Tornaci detectum. Inde autem ut non diffitetur probari poſſe, huncce Regem in Gallicana quadam expeditione occubuiſſe: ita eum in Gallia fixum ſtabileque regnum obtinuiſſe, hinc demonſtrari poſſe inficiatur. Majoris ponderis eſſe dicit, quod alii objiciunt, in exercitu Clodovæi, cum Syagrio Romanorum duce rem habentis, fuiſſe Galliæ quoſdam Regulos, Clodovæi cognatos, interque alios Ranacarium Regem Cameracenſem. Obſervat itaque, Francorum gentem in plures Dynaſtias olim diſtributam fuiſſe, quarum quælibet Regulum ſuum, vel ut Sulpicius vocat, Subregulum habuerit, qui tamen totius gentis Regi paruerint. Hiſce Regulis Clodovæus certas provincias in Gallia adminiſtrandas, ut porro cenſet, attribuit, a quibus deinceps nomen titulumque ſortiti ſint. Ex his itaque Ranacarium fuiſſe, Francorum, qui poſt converſionem Clodovæi Chriſtianorum ſacris imbui noluerunt, caput & propugnatorem: qui adeo cum ceteris, poſt Clodovæi demum in Galliam tranſitum, Regis Cameracenſis titulo uti cœperit. Reliqua dubia non minori diligentia & ingenii acumine diſſolvit.

Diſſert. II. Childericum Regem Merovæi filium, regia dignitate a Francis exutum, quod in libidines ſine modo & fine ſe daret, fœminarumque primi ordinis pudicitia ab eo minime tuta eſſet, ſunt qui tradunt. Addunt, tum a Francis Romani exercitus ducem, cui Ægidii nomen fuit, in Regem electum, donec novi Regis pertæſi Childericum a Thuringis, ad quos confugerat, accerſitum, denuo Regem conſtituerent. Hoſce in ſecunda diſſertatione ex inſtituto ſibi confutandos ſumpſit Auctor. Tale quid enim unquam contigiſſe, plane negat. Nec contemnenda ſententiæ ſuæ affert argumenta; cumprimis tamen temporum rationes huic commento plane repugnare obſervat. Affirmat quippe Idacius, Ægidium mortuum eſſe anno tertio Imperatoris Severi, h. e. quinto poſt mortem Merovæi. Qui itaque, infert Auctor, octo annos, poſtquam Childericus regno exutus eſt, Francorum genti præeſſe potuit? Totidem enim annos eum rerum ſumma apud Francos potitum fuiſſe, qui ſecus ſentiunt, autumant.

Diſſert. III. Tertia diſſertatio de antiquitate & conditore Legis Salicæ exponit. Illis qui hanc legem a Philippo Longo demum latam aut inventam fuiſſe autumant, plane ſuffragari nequit. Non tantum enim Conradum de Lichtenau Abbatem Urſpergenſem, Sigebertum Gemblacenſem, aliosque Scriptores Philippo Longo multum antiquiores, legis hujus meminiſſe: ſed Vendelinum, Pithœum, Lindenbrogiumque affatim dediſſe probatum, jam tempore Caroli M. legem hancce notam fuiſſe. Agathiam quoque legis hujus injicere mentionem: & Childericum Auſtraſiæ Regem, in edicto A. 595 Coloniæ promulgato, quoddam Salicæ legis caput antiquaſſe. Stilum inſuper, ſermonisque genus antiquitatem hujus legis tam manifeſte prodere, ut omnis antiquitatis rudem eſſe pronuntiet, qui eam in lege iſta non veneretur. Id ſaltem ſupereſſe, ut inquiratur, num Pharamundus, aut Clodovæus pro legis iſtius auctore ſit reputandus. Pro Clodovæo Auctor pronuntiat, hisce potiſſimum rationibus inductus. Primo quidem, quod monetæ ex argento confectæ in hac lege injiciatur mentio, quæ Francis, priusquam in Gallia conſederunt, non fuerit uſitata. Deinde quod hæcce lex ſubinde de Romanis h. e. Gallis inter Francos degentibus verba faciat. Gallos autem Francis permixtos, priusquam hi in Galliam tranſierint, quis, inquit, dixerit? Ceteras, quas affert, rationes inſtituti memores prætermittimus.

Circum-

Circumferuntur quidem varii antiquiſſimorum Franciæ Regum nummi, quos tamen Noſter partim genuinos eſſe negat, partim indignos, qui commemorentur, judicat. Equidem Childeberti I & Clotarii I quoſdam nummos mereri, qui diligentius revocentur ſub examen: ſed cumprimis tamen in nonnullis Theodeberti I Auſtraſiæ Regis nummis exponendis, ingenii ſui vires, in quarta diſſertatione, periclitari voluit. Ex pluribus autem, quos *Le Blanc* in Tractatu Hiſtorico de Nummis Franciæ ſiſtit, duos hic accuratius explicandos ſibi ſumpſit. Et is quidem, quem primo loco affert, ſiſtit Principem, cujus caput mitra tegit, duobus margaritarum aut gemmarum ordinibus ornata, & in cujus apice criſta aut ſimile ejusmodi ornamentum conſpicitur: dextra haſtam tenet is humero innixam: ſiniſtram clypeus tegit, in quo eques pictus eſt. Inſcriptio hæc eſt: D. N. THEODEBERTUS VICTOR. In altera nummi facie Victoria conſpicitur, manu dextra crucem oblongam, ſiniſtra globum cruce minori ſignatum tenens, addita inſcriptione: VICTOR AAVCCCI; ad latus Victoriæ ſiniſtrum leguntur litteræ: RE; ſub pedibus: C. N. B. Non referemus hic eas rationes, quibus aliorum explicationes impugnat Auctor, ſed ſolum quæ ipſiusmet de hoc nummo mens ſit, paucis indicabimus. Primo itaque evincit, non Juſtinianum, aut alium quempiam, ſed ipſum Theodebertum in prima nummi facie exhiberi. Id indicare ipſam inſcriptionem: D. N. THEODEBERTUS, i. e. *Dominus Noſter Theodebertus*. Cum vero Theodebertus hic Victor audiat, isque non unam ab hoſtibus ſuis reportarit victoriam, quænam hic indigitetur, disquirit, eamque quam victis fuſisque in Italia ad Padum fluvium Gothis retulit, deſignari demonſtrat. De inſcriptione autem in altera nummi facie ita cenſet: VICTOR AAVCCCI RE idem eſſe, ac *Victoria Auguſtorum Inluſtrium Regum*, aut *Victoria Auguſtiſſimi Regis*, aut denique *Victoria Auſtraſiorum Captis Cæſis Gothis Intercepto Romanorum Exercitu*, vel quod eodem fere recidit, *Victoria Auſtraſiorum Captis Cæſis Gothis Italiæ*. De litteris C. N. B. deinceps ex inſtituto agit. Ceterum quod leges antiquas inſcriptiones exponendi hanc interpretationem admittant, inſignia quoque & tituli Imperatoribus ceteroquin proprii a Francorum etiam Regibus olim fuerint uſurpati, id quidem eſt quod pluribus demonſtrat. Alter nummus, de quo Sirmondus, Harduinus, aliique diſceptarunt, in prima facie effigiem Theodeberti ſiſtit, addita inſcriptione: D. N. Diſſert. IV.

THEODEBERTUS. C. in altera Victoria conſpicitur, dextra coronam tenens, cum inſcriptione: VICTORIA A. C. C. C. N. & ad pedes victoriæ: RE; item: CONOB. In priori inſcriptione littera C Harduino aliisque negotium faceſſit, illo quidem vocem Comitis ea deſignari exiſtimante. Sed Noſter C pro G more in nummis recepto poni, Regemque Theodebertum, exemplo Imperatorum, Sarmaticorum, Parthicorum &c. titulo, ob gentes haſce devictas ſuperbientium, ſe Gothicum ob fuſos fugatosque Gothos, appellitaſſe autumat. Alteram autem inſcriptionem: VICTORIA A. CCC. N. RE. citra ambages ita interpretatur: *Victoria Auguſtorum Dominorum Noſtrorum Regum*; aut: *Victoria Auguſtiſſimi Domini Noſtri Regis*; aut denique: *Victoria Auſtraſiorum Captis Cæſis Gothis Domino Noſtro Rege*. De litteris C. N. B. ſive quod perinde eſt CONOB, quæ in nummis variis non tantum Imperatorum, ſed aliorum quoque Regum, non tamen ante Conſtantini M. ætatem, nec poſt Leonem Iſauricum, conſpiciuntur, ita cenſet, neutiquam eas ita interpretandas: *Conſtantinopoli Obſignata*, ut nonnulli ſibi perſuadent; ſed hoc ſibi eas velle: ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Uſum quidem iis in nummis primum fuiſſe ipſum Conſtantinum ait, ſequentes autem Imperatores eas retinuiſſe, ut ſignificarent, ſe Magni illius Conſtantini legitimos eſſe ſucceſſores; hinc ad aliarum quoque gentium Reges morem litteras iſtas nummis imprimendi profluxiſſe, qui hoc ipſo, cenſente Auctore, demonſtrare voluerunt, ſe nec Conſtantino, nec ejus ſucceſſoribus inferiores deterioresque eſſe.

Diſſert. V. Quæ in quinta diſſertatione de Childeberti I & Clotharii I quibusdam nummis obſervat, cum momentum non trahant, prætermittimus.

Diſſert. VI. In ſexta autem de nomine Britanniæ diſceptat. Dederitne enim Britannia magna minori, Galliæ ſcilicet provinciæ, nomen: an vice verſa, illa ab hac acceperit, diſquiri inter eruditos ſolet. Auctori noſtro talis hac de re ſedet ſententia. Britanniam magnam a Britonibus, Gallica gente, in iſta inſula conſidente, nomen accepiſſe, pro explorato habet: ſed Britones iſtos non ex Britannia minori, ſed ex ea Galliæ Belgicæ parte, ubi hodie Monaſteriolum (Montreüil) & Hedinum (Hesdin) eſt, ſi ad Somonam fluvium procedas, in Angliam tranſiiſſe; licet hic ipſe tractus Armoricæ vel Aremoricæ nomine olim quoque

que fuerit inſignitus. Unde excuſari poſſe Bedam, dum ex tractu Armorico Britones in Britanniam veniſſe ſcripſit: licet Auctori veroſimilius videatur, eum cenſuiſſe, quod ex Britannia minori advenerint. Interim Britonum quosdam ex Britannia ab Anglis rurſus pulſos, in Britanniam minorem ſe recepiſſe, & ita provinciæ huic Britanniæ nomen feciſſe, arbitratur.

Sed quæ de antiquis Britanniæ minoris Regibus traduntur, ea paulo accuratius revocare ſub examen, operæ pretium duxit. Paucis: quicquid de iis vulgo traditur, id commentis inanibusque annumerat fabulis. Hiſtoriam enim Chronologicam Britanniæ, unde ſeries & genealogia horum Regum plerumque petitur, ex fabulis commentisq; ineptiſſimis plane compoſitam conſarcinatamque eſſe. Fruſtra quoque citari Gildam, cum antiquus ille genuinusq; Gildas, cujus nonnulla opuſcula in Bibliotheca Patrum extent, ne verbo quidem horum Regum injiciat mentionem. Gregorium inſuper Turonenſem de Britanniæ minoris Principibus diſerte & citra ambages dicere: *Comites, non Reges appellati ſunt*. Ceterum Bitanniæ minoris fata hac occaſione ediſſerens, obſervat, paruiſſe eam cum Gallia reliqua Romanis, donec accifis inclinatisque undique Romanorum in Occidente rebus, & ceteri Galli, & hujus quoque provinciæ incolæ, in libertatem ſe aſſerturi arma caperent. Sed reductos eos ad fidem obſequiumque fuiſſe ab Aetio. Deinde Britones ex Britannia magna pulſos, Romanis volentibus conſentientibusque, in hacce Galliæ parte, quæ nomen ab illis accepit, conſediſſe, & in amicitia Romanorum ſemper permanſiſſe. Sed Romanos Viſigothorum impetum non amplius ſuſtinentes, ſpemque retinendæ Britanniæ minoris abjicientes, ut gentem nihilo ſecius in fide utcunque retinerent, principem Britonum nomine tituloque Comitis, ut tum moris erat, honeſtaſſe: Riothimumque Comitem, vel ſucceſſorem ejus, non alio honoris titulo fulgentem, Britanniam tenuiſſe, cum Clodovæus Francici regni fundamentum in Gallia collocaret. Geſſiſſe quidem Clodovæum cum Britonum Comite bellum, ſed huncce victum, Clodovæoque imparem, pacem tandem ea lege impetraſſe, ut urbes occupatas, ſaltem præcipuas, retinerent Franci, Britonumque domini Comitum titulo contenti, Francorum Regi ita parerent, ut Romanorum Imperatoribus hactenus paruiſſent. Atque hæc ita ſe habere, ex quodam Dissert. VII.

Gre-

Gregorii Turonenſis loco elicit. Non ignorare ſe ait, Riothimum, a Jornande vocari Regem: ſed obſervat, tum hoc titulo eum inſigniri, cum Romanis contra Viſigothos auxilium tulerit, adeoque id ſaltem inde confici poſſe negat, Francis in Gallia rerum potientibus, Britonum Principes Reges dictos, quod præcipue ſibi impugnandum ſumſit: addit tamen, Jornandem hominem Gothicum, & ex ſuæ gentis conſuetudine ceterorum mores metientem, facile adduci potuiſſe, ut cuilibet gentis cujusdam Principi Regis nomen titulumque daret. Hunc ipſum quoque Riothimum ne quidem in fictitia iſta Regum Britannicorum ſerie comparere. Childeberti I autem epitaphium, nullum plane negotium ſibi faceſſere ait. Licet enim in eo Britonum Rex memoretur, nondum tamen liquere, an non Britanniæ Magnæ Rex intelligatur. Ab homine inſuper illepido, & quaslibet voces, ut verſus Leoninos componeret, conquirente, magnam ἀκρίβειαν expectari aut exigi non poſſe, contendit.

Diſſert. VIII. Ultimo tandem loco de conditore templi cathedralis, quod Lutetiæ Pariſiorum eſt, disquirit. A Childeberto I illud exſtructum multi ſibi perſuadent, verſibus quibusdam Fortunati Epiſcopi Pictavienſis inducti; ſed eos hoc ſibi non velle, uberius monſtrat. Nihil aliud quippe iis indicari, quam templum cathedrale feneſtris vitreis ab hocce Rege ornatum, ejusque reditus nova acceſſione bonorum quorundam auctos fuiſſe.

## NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS ECCLESIASTIQUES.

Hoc eſt:

## *NOVÆ BIBLIOTHECÆ AUTORUM ECCLESIASTICORUM Tomus VIII. Autore L. E. DUPINIO.*

Pariſiis, apud Andream Pralardum, 1697. in 4. Alphab. 2.

EAdem methodo, qua ſeptimum Bibliothecæ ſuæ Eccleſiaſticæ tomum Clariſſimus Dupinius conſcripſit, (de qua in Actis anni 1696, p. 31, 32. abunde diximus) octavum non ita pridem etiam compoſuit, ediditque in lucem. Qui cum in duas partes diviſus, decimum pariter ac undecimum ſeculum complectatur, ex iis, quæ ad deci-

decimum ſeculum pertinent, quædam pro inſtituti noſtri ratione delibabimus.

In præfatione ad hiſtoriam ſeculi decimi, Ant. Arnaldum commemorat ab omnibus, qui hujus ſeculi res memoriæ prodiderunt, mire diſcrepare, ut qui in libro de Perpetuitate Fidei ſeculum decimum inter Eccleſiæ feliciſſima reponi velit; quod ſcilicet, cum præter conſuetos corruptæ diſciplinæ nævos, nihil novarum hæreſium aut turbarum habuerit, prioribus omnino præferendum cenſeat: cum contra ceteri ad unum omnes conſpirent, obſcuriſſimum ſeculum fuiſſe, ignorantiæ tenebris late obſitum, & vitiorum mole oppreſſum. Quæ inter duo extrema Dupinius medium ita tenet, ut poſteriori tamen ſententiæ longe magis adhæreat, Arnaldumque inſtituta morum, librorum, Pontificum & Virorum doctorum cum anterioribus ſeculis comparatione, confutet.

Atque his ita generatim in præfatione monitis, ipſam hiſtoriam controverſiarum aggreditur, capiteque I Eccleſiæ Græcæ res exponit. pag. 1.
Has inter primum locum obtinent quartæ Leonis Philoſophi Imperatoris nuptiæ, a Nicolao Patriarcha Cplitano, quod eſſent contra leges Eccleſiæ Græcæ, ab ipſomet Imperatore paulo ante id tempus confirmatas initæ, cum anathemate improbatæ: quod etiam retractare noluit Nicolaus, etſi Sergius Papa, cujus opem imploraverat Imperator, miſſis legatis, & ipſe Leo, enixis precibus hominem placare tentaſſent: quapropter in exilium tandem A. 901 miſſus eſt, ſuffectusque Euthymius, qui cum magna Cleri Conſtantinopolitani parte quartas nuptias illas defenderat. Verum decennio poſt revocatus iterum eſt Nicolaus & in honore magno habitus, pulſo Euthymio, cum quo tamen pag. 2.
paulo poſt in ſynodo quadam unionem iis legibus ſanxit, ut non equidem damnarentur amplius quartæ nuptiæ Leonis, quod olim factum, ſed ut tamen, ne poſthac a quoquā ſimiles inirentur, ſub anathematis pœna caveretur; irrogata inſuper quinquennali pœnitentia iis, qui poſt annum ætatis quadrageſimum tertias nuptias contraherent, & triennali his, qui poſt triceſimum annum ſecundas inirent, ſi e primo matrimonio liberos ſuſcepiſſent. Quas leges inſecuto tempore tertius ſucceſſorum Nicolai, Polyeuctes, Patriarcha rigidioris diſciplinæ ſeverus cuſtos, inprimis urſit, adeo ut Nicephoro Phocæ, Imperatori ſuo, qui Romanum, Conſtantini Porphyrogenneti filium & Leo-

nis Philoſophi nepotem, in Imperio excepit, ægre parceret, quum is ſpretis canonibus Theophanen Romani viduam ſecundis nuptiis duxiſ-
pag. 3. ſet. Inter viros doctos, quos hoc ſeculo Oriens habuit, illuſtriſſimum haud dubie nomen ipſemet Conſtantinus Porphyrogenneta Imperator eſt, cujus ſcripta etiam recenſentur. Clari præterea Simeon Me-
pag. 4. taphraſtes, & Hippolytus Thebanus, cui eſſe tribuendum Indiculum XII Apoſtolorum a Combefiſio editum, poſt alios Autor noſter quoq; monet. Floruit & Eutychius Alexandrinus Patriarcha, natione Ægyptius, patriaque lingua Said Ibn Batrik dictus, ſcriptor Arabs, cujus Annales non adeo magni æſtimat Dupinius, ſed fabulis & vulgaribus hiſtoriis plenos cenſet. Dum vero non ſolum partem Annalium, quæ de Epiſcopis Alexandrinis agit, ſub Originum Alexandrinarum titulo, cum Latina verſione & notis Londini A. 1642, ſed & ipſoſmet integros Annales ibidem A. 1658 edidiſſe Seldenum ait, fallitur Vir doctiſſimus: ſiquidem non Seldenus, ſed Edwardus Pocockius editor integrorum Annalium Eutychii Latine a ſe verſorum eſt, tametſi præfationem Seldeni repetiit, imaginemque æri inciſam præfixit: quo ipſo deceptus Noſter videtur.

Caput ſecundum hiſtoriam Romanæ, ceterarumque Italiæ Eccleſiarum complectitur: in qua cum Autor ſe ad plurima referenda coactum cerneret turpia Pontificum Romanorum geſta, & infanda ſcelera ſeculi; ne in invidiam raperentur dicta, non ſolum in præfixa libro eam in rem admonitione, ſe nonniſi invitum & hiſtorici legibus, *ne quid falſi audeat, ne quid veri non audeat*, coactum hæc talia ſcribere teſtatur, qui de cetero omnem reverentiam S. Petri, quam vocat, Sedi in perverſis etiam illis Pontificibus deferendam agnoſcat: ſed & in ipſo aditu capitis verba profert Baronii, quem de neglecta Roma-
pag. 5. næ Curiæ autoritate ſuſpectum eſſe non poſſe monet, & qui tamen ad A. 912. n. 14 ab acerrima longe invectiva ſibi temperare non potuerit. Huic teſtimonio Arnulphi quoque Aurelianenſis Epiſcopi, teſtis oculati, querelas addit, Romam e luce, quam aliis olim ſuggerebat, in caliginem portentoſam, futuriſque ſeculis memorabilem incidiſſe conqueſti. Atque ſic auſpicatur hiſtoriam ab ordinatione Formoſi Papæ, cui ſcilicet inſecutam omnem calamitatem originem debuiſſe judicat. Ejus vero poſt fata e ſepulchro effoſſi & truncati trib9 digitis damnationem, præcipitationemque in Tiberim a Stephano VI Papa factam

ctam, ut horrendum barbarumque facinus abominatur. Sergium Papam, qui poſt alios (neq; enim nunc integram Pontificum ſeriem exhibemus) Stephano ſucceſſit, & Formoſi damnationem iteravit, monſtrum hominis vocat, ambitioſum, ſævum, ſpurcæ libidini immerſum: qui ex Marozia meretrice filium genuerit, patri ſimillimum, & qui ſecuto tempore nefariis matris artibus ipſe quoque ad Pontificiam ſedem evectus eſt A. 931, cum paulo antea illam tenuiſſet Johannes X haud abſimilis farinæ homo, quem Maroziæ mater, æque meretrix, Theodora cum deperiret, pro ſua, qua tum pollebat, autoritate ex Diacono Ravennate Epiſcopum Bononienſem, mox Ravennatenſem Archiepiſcopum, & denique Papam fecerat, dum interea Italia perpetuis inteſtinis diſſidiis ſemet attereret, & Romam ſub ſpecie quadam libertatis teneret Albericus. Poſt mortem Alberici filius illius Octavianus, urbis regiæ dominus, ut omnem poteſtatem ſolus Romæ teneret, poſt Agapetum II, melioris commatis Papam, ſed cui una cum tribus qui eum anteceſſerant, non tam vires ad bonum, quam voluntatem attuliſſe Noſter ait, Pontificem quoque eligi ſeſe fecit, primusque mutato nomine Johannes XII vocari voluit. Atque hic ille eſt nulla virtutum præditus, quæ Epiſcopum decerent, ſed portentum luxuriæ & libidini mancipatum, ut Noſter prolixe ſatis expoſuit: qui, cum Othonem M. tum Germaniæ Regem, & Italiæ jure belli acquiſitæ dominum, Romanum Imperatorem coronaſſet, mox fracta fide, quam ſacramento dederat, adverſus Cæſarem cum ejus hoſtibus præter jus fasque conſpiravit, &, cum ab Othone corrigi ſe non pateretur, ſed in apertam ſeditionem prorumperet, in Concilio Romano, poſt patefacta plura etiam ſcelera, dignitate ſua exutus eſt, electo in ejus locum Leone VIII, quem tamen mox per factionem Roma expulit, & poſt atroces vindictas, quas de adverſariis ſuis ſumſit, priusquam a reduce Imperatore puniri poſſet, horrenda morte in ipſa libidine extinctus eſt: quæ omnia fuſe ſatis candideque Dupinius enarrat, nec Othonem ob motum ſede ſua Johannem peccati arguens, nec Leonem VIII Antipapis accenſens, quem potius *Venerandum Leonem* vocat: imo Benedictum, quem in Johannis locum Romani contra Leonem ſurrogaverant, & qui, Cæſare adventante, paulo poſt dejectus a ſede, quam occupaverat, & Hamburgum in exilium miſſus

pag. 6. pag. 7. pag. 10. pag. 11. pag. 12, 13.

 eſt,

eſt, diſerte Antipapam vocat, dignumque cetera Romano Epiſcopatu, ſi modo canonice ad eam dignitatem evectus fuiſſet. Neque etiam improbat jus eligendi Papam, & inveſtiendi Archiepiſcopos Epiſcoposque, quod Othoni & ſucceſſoribus ſolenni Synodi Romanæ decreto ita conceſſum eſt, ut nec poſſet poſthac ſine conſenſu Imperatoris eligi Pontifex, nec ordinari Epiſcopus, quem non ipſe prius inveſtiiſſet.

Præterimus alia, quæ de Pontificibus Romanis, tum & de Epiſcopis Italiæ aliis dicuntur, ut ad Scriptores pergamus, quorum hoc capite, poſt recenſitas epiſtolas Pontificum, & quæ ad ipſos ab aliis ſcriptæ ſunt, mentio fit. Inter eos inprimis clarus eſt Ratherius, ex Lo-
pag. 19. bienſi monacho Veronenſis, deinde Leodienſis, iterumque Veronenſis Epiſcopus, terque ob morum ſeveritatem exul, Vir non minus probitate, quam eruditione, pro illorum temporum ratione plane inſignis.
pag. 20. Hujus ſcripta a Dacherio Spicilegii Tomo II & XII edita Noſter ſedulo recenſet, & ſubinde excerpit, quæ indicant, longe plus aliis hominem ſuo ſeculo vidiſſe, & imprimis acrem fuiſſe vitiorum ubivis fere regnantium reprehenſorem. Graviter enim in vitia Cleri ſui, & in univerſum omnis invehitur, luxum, avaritiam, pauperum neglectum, ſuperbiam, contemptum Canonum, laſciviam, indignos Procerum ſacris muneribus inhiantium conatus, & cognata his alia; nullumque adeo in tanta corruptione hominem reperiri credit dignum Epiſcopali munere, nullum qui rite electo & ordinando puras manus imponat. Pontificem Romanum, cum ad illum de Clero ſuo humiliter conque-
pag. 22. ſtum ſcriberet, *Summum primæ, hoc eſt, Romanæ ſedis Pontificem, Archipræſulum Archiepiſcopum, &, ſi de ullo mortalium jure dici poſſit, univerſalem Papam nominandum* vocat. Et, quod mireris, Cleri incompoſitos mores aliquando, cum jam de anathemate cogitaret, non ad Pontificem, ſed ad Imperatorem detulit, ejus voluntatem expectaturus, quam ſequeretur. Poſt Ratherium Dupinius Attonis Epiſcopi Vercellenſis libros recenſet, moderatioris, ut ait, neque adeo obſcuri. Inde agit de Luitprando, cujus uti Chronicon & Paparum Vitas haud cunctanter cum aliis proſcribit: ita ſex poſtrema Hiſtoriæ Luitprandi capita, quæ longe alterius eſſe communiter exiſtimantur, non indigna eodem autore judicat, etſi fragmentum alterius libri eſſe, Hiſtoriæ imperite aſſutum, non neget.

Tertio

Tertio capite ad Hiſtoriam Eccleſiarum Gallicarum progreditur, præmiſſaque ſtricta narratione rerum civilium, quarum ſumma, poſt varios expirantis Carolini ſtemmatis motus, hoc ſeculo ad Hugonem Capetum circa annum 987 devoluta eſt, ſollicite omnes Eccleſiarum viciſſitudines, & Epiſcoporum, aliorumque clarorum virorum merita, fata atque libros commemorat: de quibus omnibus pauca nunc adducemus. Celebre eſt imprimis Concilium Rhemenſe, quod in cauſa Arnulphi, Rhemenſis Archiepiſcopi, ab Hugone Capeto Rege A. 992 convocatum eſt, ut ille, qui Carolo Lotharingiæ Duci, fratri ſuo & poſtremo e ſtirpe Carolina Principi, per ſeditionem noctu portas urbis Rhemorum aperuerat, cognita in Synodo cauſa, læſæ majeſtatis condemnaretur, & e ſede ſua ejiceretur. Huic vero damnationi cum & ſilentium Romani Pontificis Johannis XV, ad quem cauſa prius delata fuerat, judicium ſuſpendentis, obſtaret, & antiquum Damaſi decretum, quo non poſſe, niſi Romæ, judicari Epiſcopum cautum eſt: non obſtantibus tamen his, de Arnulphi cauſa Synodus cognovit, eumq; Archiepiſcopatu indignum cenſuit, & Gerbertum ſurrogavit; cauſam pro Synodo in ejusdem congregatione imprimis animoſe adverſus Pontificem perorante Arnulpho Aurelianenſi Epiſcopo, cujus ſane memorabilis oratio eſt, & prolixe a Noſtro recenſetur. Aſt vero, quum ægerrime ferret iſtam damnationem Johannes Pontifex, nec prius minitando deſiſteret, quam de congregando novo quodam ad cauſam cognoſcendam Concilio conſentiretur: tum prævidens tempeſtatem Gerbertus, Arnulphi creatus in Synodo ſucceſſor, ad Siguinum intrepidam epiſtolam ſcripſit. Nec minores ſpiritus in Concilio Moſomenſi A. 995 adverſum ſe congregato præ ſe tulit, ut & in literis ad Adelheidem Reginam: quæ omnia apud Autorem videri poſſunt. Nobis incidit hac occaſione in mentem, quod de Synodo Rhemenſi & Gerberti epiſtola ad Siguinum, una cum oratione in Synodo Moſemenſi habita ſibi propoſuerat aliquando Vir Clariſſimus, Steph. Baluzius. Novam ſcilicet eorum editionem moliebatur, cum Conringii ope e codice MS. Helmæſtadienſi caput LVI illius Synodi obtinuiſſet, quod deeſt in editis codicibus, & quo continentur Canones Africani, qui de judicandis intra provinciam Epiſcopis agunt, quos in Gallia usque

p. 39.
p. 42.
p. 43.

ad Gerberti tempora vim legum obtinuiſſe credit Baluzius in epiſtola ad Conringium, quæ habetur Syntagm. II. Epiſtol. Conringii ep. 3. Ceterum quam diverſum adhibuerit ſtylum Gerbertus, poſtquam excidit quidem Rhemenſi ſede (paulo enim poſt in alia Synodo Rhemenſi motus iterum loco eſt, reſtituto Arnulpho) ſed
p. 44. Othonis Imp. favore, primo Ravennatenſem Archiepiſcopatum, & mox Pontificatum Romanum, dictus Sylveſter, impetraſſet, Noſter ſedulo annotat, & deinde ſcripta ejus commemorat, ac eruditio-
p. 45. nem collaudat, Mathematicam imprimis, e qua necromantiæ crimen male exſculptum non dubitat. Hinc ad alios Scriptores pergit.
p. 46. Flodoardi Chronicon perperam eſſe pro dubio habitum a Pet. Pithoeo, cenſet. Contra pro ſuppoſititiis habet Gauterii Senonenſis Conſtitutiones. Aimoinum Hiſtoriæ Franciæ conditorem recte qui-
p. 50, 51. dem Floriacenſem fuiſſe monachum obſervat, quem male aliqui pro San-Germanenſi habent, & poſtrema libri IV capita inde a 42, una cum toto libro quinto non eſſe Aimoini, ſed continuatoris monet: ſed tamen in eo labitur Vir doctus, quum apud Jodocum Badium A. 1514 primo autorem illum Aimonium fuiſſe dictum refert; ut & cum ait, quinquaginta poſt primam editionem annis Pet. Pithœum verum autoris nomen reſtituiſſe, edidiſſeque librum Pariſ. A. 1567; cumq; Marq. Freherum in Corpore Hiſtoriæ Franciæ A. 1613 Hanoveræ Aimoinum repetiiſſe ſcribit. Siquidem Ioh. Parvus, qui editionem Badianam curaſſe creditur, Annonium vocat autorem illum, quod nomen longe etiam pejus in Ammonium detorquet in Catalogo ſuo Trithemius, & ſecutus illum Geſnerus in Bibliotheca: Aimonium vero vocat Sigebertus Gemblacenſis in libro de Scriptoribus Eccleſ. c. 101. ex editione Aub. Miræi, cum in eodem libro editionis Suffridi Petri ſcribatur Aumonius, cui ſcriptioni Voſſius de Hiſtor. Lat. p. 355. inſiſtit, ubi perperam Aumonium ab Aimonio diverſum credit. Deinde Pet. Pithœus nunquam edidit Aimonium; ſed eo anno, quem ponit Dupinius, Joh. Nicotius reſtituit autori verum nomen, & librum illius ad MS. codicem recenſitum edidit. Hujus vero editionis exemplari Pithœus poſtmodum in ſuum uſum varias adſcripſit notas, & quæ ex collatione membranarum veterum obſervaverat, egregia profecto, ſed nunquam edita; niſi quod libro Pithœi, Emer. Bigotii beneficio uſus per aliquot menſes eſt Phil. Labbeus, prout ipſemet indicat in

in Diſſertatione de Aimoino, quæ ſecundo tomo illius de Scriptoribus eccleſiaſticis loco Appendicis adjecta eſt, & in quam varia Pithœi obſervata fluxerunt. Vid. p. 835. 837. ſeqq. Quod editionem Freheri attinet, nemo non videt, vicinitate nominum Hanoveram pro Hanovia eſſe captam. De Gallis nunc non plura: niſi quod unicam ſolum Autoris obſervationem de Hilduino adhuc adjicimus, cui ſcilicet a Trithemio falſo tribui Hiſtoriam Lobienſium Abbatum contendit, capto per errorem Hilduini nomine pro Fulcuino. p. 51.

De Germanicis Eccleſiis caput quartum agit. Harum Præſules ob ſanctitatem vitæ, ſacrarumque rerum peritiam vehementer extollit Noſter: Ulricum ſcilicet Auguſtanum Epiſcopum, de quo pluribus agit; Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum, Regis Henrici Aucupis filium & Othonis M. Imp. fratrem, quem, cum alias inter Scriptores eccleſiaſticos relatum non videas, ſcripſiſſe tamen commentarium in Pentateuchum, qui Bononiæ in bibliotheca Dominicanorum aſſervetur, ut & Vitas Sanctorum aliquot, Autor e Sixto Senenſi obſervat. Notgerum ſive Notkerum Balbulum (hunc enim unum e veteribus Scriptoribus eligemus) monachum Sangallenſem, quem alii Othonis M. Imperatoris nepotem vocant, Noſter ex Carolino ſtemmate ortum ait, & maximam vitæ ſuæ partem nono ſeculo tranſegiſſe, anno 912 defunctum. Conjicit quoque cum Goldaſto, hunc ipſum Notgerum eſſe autorem librorum duorum, quos de vita & geſtis Caroli M. anonymus monachus Sangallenſis ad Carolum Calvum ejus juſſu ſcripſit, utpote qui ſe *ſenem & edentulum* ſcripſiſſe ait, quod ad balbum hominem egregie applicari poſſe cenſet: attribuitque illi inſuper cum eodem Goldaſto Vitam S. Galli, in dialogi forma ſcriptam. p. 56.

In hiſtoria Eccleſiæ Anglicanæ, quæ caput quintum implet, imprimis Regum in inſtauranda diſciplina eccleſiaſtica ſtudium commendatur: tum laudatur Dunſtanus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, & referuntur illius geſta. Inde concilia quædam referuntur, Scriptoresque pauci, qui hoc ſeculo in Anglia floruerunt. p. 58. p. 60.

Poſtremum caput varias obſervationes continet, quæ vel ad fidem vel ad ritus hujus ſeculi ſpectant. Quod fidem attinet, inter alia obſervatur, etſi communis fuerit opinio, corpus Chriſti vere, non figurate in S. Cœna offerri: non defuiſſe tamen apud Anglos & alibi, qui Ratramni opinionem tuerentur: non obſtante, quod panis conſecratus p. 62.

ali-

aliquando per miraculum, cum frangeretur, ſanguinis guttas emiſiſſe
dicitur. Obſervatur præterea, Romano Pontifici non fuiſſe conceſ-
ſum, quicquam antiquis canonibus novis ſuis decretis derogare:
p. 63. fuiſſe tamen in ejus poteſtate, novos erigere Archiepiſcopatus & Epi-
ſcopatus, quales hoc ſeculo in Germania Magdeburgenſis, Mersbur-
genſis, Paſſavienſis, in Italia Placentinus conſtituti. Quod ritus attinet
collapſamq; diſciplinam, notatur, Romæ omnia fuiſſe argento vendita:
p. 64. indulgentias cœpiſſe: cœpiſſe plures Epiſcopatus uni viro tradi, ordina-
rique juvenes octodecennes: eſſe productos gradus conſanguinita-
tis usque in ſeptimum, & affinitatem ſpiritualem proximis conſangui-
nitatibus annumeratam, adeo, ut pro inceſtu tales nuptias haberent;
quod præter alios Robertus Galliæ Rex, Hugonis Capeti filius, cum
p. 47. Bertha uxore eſt expertus: cœpiſſe baptizari campanas, quod contra
Menardum Noſter nunquam prius fuiſſe factum tuetur: cœpiſſe pri-
p. 65. mum ſacri cultus loco haberi & recitari Officium B. Mariæ: cœpiſſe
canonizari ſolenni ritu a Pontifice Sanctos, quorum omnium primus
Ulricus Epiſcopus Auguſtanus a Papa Johanne XV Divis adſcriptus eſt;
nondum tamen adhibita voce canonizationis, quam demum in Bulla
Alexandri III, cum is Eduardum Angliæ Regem Sancti titulo hono-
raret, A. 1161 deprehenſam obſervat, vindicatque adverſus diſſentien-
tes Autor; priores Ulrico canonizationes ſpuriis tantum libris niti faſ-
ſus, & elegantiſſimam de Sanctis veteris Eccleſiæ obſervationem anne-
ctens, lectu digniſſimam. A qua ad canonizationem reverſus, illam ſe-
culo XI & XII mire invaluiſſe annotat, ita tamen, ut Calixtus II &
Eugenius III Pontifices nonniſi in Concilio generali talem canonizatio-
p. 66. nem ſuſcipi poſſe exiſtimarint, quod hodie ſecus fit, nec abrogaretur
Metropolitanis atque Epiſcopis jus Sanctos vocandi, quos eo titulo di-
gnos exiſtimarent, & exponendi fidelium cultui; donec Alexander
III & Innocentius III ſibi ſolis hanc etiam poteſtatem adſcripſerint. Sub
finem libri ſolide illos refutat Noſter, qui Sereniſſimum ſeptem Im-
p. 67, 65. perii Electorum Collegium a Gregorio V Papa inſtitutum ferunt.

*AD PERILLUSTREM ATQUE EXCELLENTISS. DN. CHRISTOPHORUM DITERICUM BOSIUM, Potentiſſ. Poloniarum Regis & Elect. Saxoniæ Conſiliarium Intimum, ac nuper ad Conventus Tractatus Pacis Legatum Extraordinarium & Plenipotentiarium &c. Epiſtola CHRISTFR. WÆCHTLERI, D.*

Dresdæ

Dresdæ apud Jo. Conrad. Rüger, 1698. in fol. plag. 3.

AVidisſimam pacis Europam in contemplationem Inſtrumentorum Pacis modernorum rapere ingenia, vix mirum eſt. Neque alium in finem, quæ nunc recenſenda venit, ſcripta eſt Epiſtola. Ubi enim commemoravit Autor Conſultiſſimus obitum Caroli, Electoris Palatini, & Maximiliani Henrici Electoris Colonienſis, unde lites bello aptæ videbantur enatæ, felix auſpicium Gulielmi III Anglorum Regis, librandis juribus armorum ſuccurriſſe animadvertit, ut pax, qua nunc gaudemus, eo celerius fieret. Et hinc orſus ab Inſtrumento Pacis Gallo-Hiſpanicæ, Pacem Pyreneam, Aquisgranenſem ac Neomagenſem cum Ryſvicenſi moderna ita componit, ut articulum ex articulo illuſtret, quidq; de controverſia limitum, aliisq; capitibus nondum confectis metuendum ſperandumve ſit, indicet. Deinde ad Pacem Gallo-Britannicam progreſſus, inſtituendo comparationem Pacis modernæ cum Pace Bredana anni 1667 obſervat, cum Guilielmo III paulo honoratius quam cum Carolo II Rege Magnæ Britanniæ Gallos nunc egiſſe. Ad impetrandam tamen plenariam reſtitutionem in Principatum Arauſionenſem, & circa reliquas innovationes & immutationes, tum reditus, jura & commoda cum intereſſe debito, vix ſuffecturam Commiſſariorum induſtriam. Neque enim cum jure Arbitrii eos conſtitui, atque adeo officium illorum ad exercendos actus juridicos in invitum non porrigi. Eodem pertinere controverſias ſuper executione Capitulationis V Sept. 1696, itemque ſuper limitibus & commutatione locorum quorundam ortas. Ex Inſtrumento Pacis Gallo-Belgicæ, duo tantum annotantur hic capita inſigniora. Articulus enim quintus accedere innuitur ad iſtud genus fœderum, quale in omnibus tabulis Ryſvicenſibus non occurrat. Articulo autem undecimo contineri renunciationem prætenſionum, non tantum præſente bello natarum, ſed & de temporibus præteritis: atque id propter artic. VI & VIII tenendum eſſe. Jam ad Pacem Gallo-Cæſaream deſcendens, non potuit non tenorem art. IV ex Tabulis Pacis Weſtphalicæ & Neomagenſis illuſtriorem reddere, & Dn. Legato Plenipotentiario Verjio in memoriam revocare ea, quæ ipſo præſente de jure Statuum Proteſtantium Ratisbonæ & Francofurti acta ſint anno 1682 ac ſequentibus. Tum vero laudat Excuſationem Legatorum Gallicorum, ab ipſis eo tempo-

ré, quum infecta re Francofurto diſcederent, publicæ luci expoſitam. Digreſſusque ad formulam primordialem, *præſentibus*, *ſuffragantibus & conſentientibus* &c. monendum cenſuit, hic opus quodammodo cultura quadam eſſe, & non niſi ex Protocollo Mediatoris judicium ferendum. Viciſſim quoad reſtitutionem eorum, quæ extra Alſatiam ſita, laudatur Recenſio Dominorum Legatorum Cæſareorum, poſt Tractatus Neomagenſes ad Auguſtiſſimum Imperatorem d. 29 Januar. 1681 ſcripta, cum Reſponſione ad Literas Regis Chriſtianiſſimi, Verſaliis d. 10 Octobr. 1680 ad Comitia datas. Dein controverſia Palatina, ejusque initium, & quousque ante belli incendia perventum in ea fuerit, quidque Romæ jam tunc actum, & quomodo ſuper Mediatoris Arbitriq; charactere diſceptatum; quid iterum Ratisbonæ 12 Martii, 1686 allegatum ſit a Dn. Verjio; quomodo ſuper poſſeſſorio, quod vocant, ſummariſſimo ultro citroque in Curia Viennenſi quæſitum; quid ſperandum denique a Super-Arbitro Romano videatur, recenſetur, innuiturque magis, quam disquiritur. Similiter controverſiæ Bipontinæ cum Epiſcopo Metenſi tanguntur, & num is recte allegaverit pro ſe Grotium, expenditur. Commendatur deinde moderatio circa cauſam Lotharingicam, ac illuſtrantur iterum plures articuli. Quid hodie ante Ratificationem Statuum Imperii Proteſtantium actum, & qua quidque cautione monitum fuerit, non perſequendum hic judicavit Autor, ad Illuſtriſſimum utpote Dn. Boſium, arcanorum illorum omnium conſcium & prorſus gnarum, ſe ſcribere recordatus. Transgreſſus autem ad Jura Statuum circa pacem faciendam cum exteris, ſingula hæc ſeculo demum inſtanti liquido elaboranda autumavit. Repetitis etiam initiis Pacis Weſtphalicæ & ad moderna tempora transductis, quærit, an compareant tunc Status ut Partes paciſcentes, an ut Ordines & per modum Comitiorum? an concurrat ſubinde character uterque? Hoc enim eſſe caput illud nobiliſſimum, quod neque diſtinxerit, neque animo complexus ſit Autor nuperus Templi Pacis. Certe ex Tractatu præliminari Hamburgenſi nil allegari poſſe contra Jura Statuum: favere autem iis diſerte Tabulas Weſtphalicas. Et non debuiſſe excidere nupero Suprematus Autori illa, quæ hic animadvertuntur. Plenipotentiam etiam Ordinum Imperii modernam multum lucis inferre huic negotio, ipſumq; articulum Pacis LIX, LX & L cauſæ tantæ non parum prodeſſe; factaq; comparatione inter ſtylum

lum Neomagenſem & Ryſvicenſem facile dicit intelligi, recte habere ſe, quæ ab Illuſtri Kulpiſio in hanc rem jam ante ſint obſervata; neq; pugnare cum iis, quæ ab Illuſtri Lynckero in eandem diſputentur, ſi bonum cautumq; nanciſcantur interpretem. Similiter rem non conficere eos, qui ſub harmoniæ titulo & civilitatis cum humanitate inter Imperatorem & Status compenſandæ, rem tantam tentent exhaurire. Et Reſervatorum titulum non abjiciendum, ſed cautius ſecuriusque, quam olim ſit factum, purgandum. In quam rem proferuntur argumenta uno plura, & plurimi moderniorum Scriptorum vel excuſantur, vel laudantur, vel caſtigantur. Ex Pace Gallo-Sabaudica illuſtrantur inprimis articulus I, IV, V, & XIII, monenturq; nonnulla, quæ huc tranſſcribere ſingula operoſius foret inſtituto noſtro. Concludit deniq; Autor, nihil ſupereſſe ad ſummam rei, niſi ut tota Hiſtoria conventuum, qui hujus ſeculi finem inſignivere, decore prudenterque conſignetur: ſive ad exemplum Operis Conringiani de Finibus Imperii, cui nunc plurima ſupplementa parata ſint, ſive quis Wicquefortii ductui, libro II, capite XIV egregie repræſentato malit inhærere, & non tam jurium, quam rerum tranſactarum Hiſtoriam, pragmaticam ſcilicet & civilem, condere.

*HISTORIA VITÆ ET OBITUS JOHANNIS LUDOVICI FABRICII, ſcripta auctore JO. HEINRICO HEIDEGGERO.*

Tiguri, typis Davidis Geſneri, 1697, in 4. Conſtat plag. 20.

MAgnorum virorum meritisq; vel in Eccleſiam vel in Rempublicam eminentium vitas literis conſignare, laudabile ſemper in orbe eruditorum inſtitutum fuit. Nam & æquiſſimum eſt, non pati eorum famam cum corporibus interire, ſed eandem, quantum licet, cum ſeculorum perpetuitate exæquare: magnumque excitatioribus ingeniis addit ſtimulum, intueri in alios, in quibus virtutum decora tam pulchre exſplendeſcunt. Hoc enim dum faciunt, conantur quoque ſubinde, quæ tam pulchra atque honeſta ſunt, laudumque præconiis poſt ſuprema etiam fata feruntur, ſtudioſa imitatione adſequi. Ut taceamus nunc, multa in relationibus hujus generis contineri, quæ ad rerum memoriam conſervandam, temporumque illorum hiſtoriam penitius cognoſcendam, egregie faciunt. Quapropter magnam celeber-

leberrimus in Helvetiis Theologus *JO. HEINRICUS HEIDEGGERUS* iniit a rerum curioſis gratiam, cum *JOHANNIS LUDOVICI FABRICII*, ſummi inter Reformatos Theologi, haud ita pridem placide defuncti, vitam atque obitum eleganti utique commendatione delineavit. Nam ut ipſe *Fabricius* ad ſublimem eruditionis apicem feliciter erat enixus, ſummisque muneribus in eccleſia atque academia Heidelbergenſi adhibitus, ita non poſſunt non eximiæ virtutes resque geſtæ tanti Viri mereri, ut in publicum orbis eruditi theatrum productæ, ſeculorum memoriæ diligenter commendentur. Quod cum ſingulari dexteritate, qua polluit, præſtiterit *Heideggerus*, & Rempublicam ſibi obſtrinxit, & ſpecimen amicitiæ honeſtiſſimæ edidit erga amicum ſtudiorum conſiliorumque omnium ſocium, quod æmulatione alios accendere perquam idoneum fuerit. Sequemur enimvero ejus veſtigia, Fabriciumque Lectoribus noſtris, qualis erat, cum tantus fuiſſe dicatur, conſpiciendum ſiſtemus.

Natus eſt *Jo. Ludovicus Fabricius* Scaphuſii, Helvetiorum Pago
1632. primario, die 29 Julii anni ſeculi hujus trigeſimi ſecundi, patre Jo. Fabricio anno 1630 vi externa e Palatinatu in exilium ejecto, & a Scaphuſanis promtiſſime recepto. Fuit vir ille litteris ſic ſatis excultus, quique, ut Fabricius noſter familiari in ſermone retulit, adverſus *Roſeæ Crucis Fratres* calami quoque telum ſtrinxit, cujus quidem Sectæ auctorem fuiſſe *Jungium*, Mathematicum Hamburgi profeſſum, eumque librum, cui titulus eſt *Fama Fratrum Roſeæ Crucis* cudiſſe, pariter ex ore Secretarii Heidelbergenſis, rei illius conſcii, confirmavit. Matrem habuit *Evam*, Georgii *Fiſcheri*, civis Wisloçenſis filiam. Sexto ætatis anno domeſticos intra parietes litteras Germanicas atque Lati-
1638 nas addidicit. Quamvis vero A. 1638 patrem amiſerit, non deſtitit tamen ſolicita admodum pro filio mater fidis eundem magiſtris committere, qui virtutis & eruditionis omnigenæ ſemina tenerrimo concrederent animo, quæ in ampliſſimas olim fruges adoleſcerent. Cum vero eas doctrinas, quibus ingenua juventus impertiri ſolet, feliciter
1646 hauſiſſet, Coloniam Agrippinam petiit, ubi & meditationi mature adſuevit, a corporis quippe atque oculorum imprimis viribus deſertus; & lectioni auctorum claſſicorum, Poëtarum præſertim Græcorum & Latinorum, ſtrenue incubuit, Philoſophiamque pene totam delibavit, ubique memoriæ localis ſubſidia hinc inde conquiſita cum judicio ad-

adhibens. Redux deinde Scaphuſium, Hoferi opera in Philoſophia ulterius profecit, Alſtediique Cyclopædiam in uſum ſuum convertit. Geſtiens autem Coloniam repetere, in viam ſe dedit, cumque haud diu ibi ſediſſet, fratrem Heidelbergam abeuntem comitatus eſt, quorſum & matrem atque ſororem abduxit. Poſtea Ultrajectum abiit, & Gisberto Voëtio diligentiſſime operam dedit, qui eum viciſſim, ingenio juvenis impenſe delectatus, diu ſumma fovit benevolentia. Hic cum docendi licentiam impetraviſſet, Chronologicas Tabulas, Hiſtoriam usque ad Conſtantini ætatem continentes edidit; Ordines quoque Ultrajectinos comtiſſimo ſermone compellans. Ea in oratione artificialem memoriam, quam ſingulariter æſtimabat, ſummopere commendat, eamque a Simone Ceo inventam, poſtea a multis maxima eruditione viris uſurpatam atque excultam, a Schenkelio Lovanienſi in ſyſtema redactam, ab Alſtedio interpolatam, a Torrentio denique Lipſienſi perfectam fuiſſe, memorat. Quanquam judicium Fabricii, quod ſenior hac de arte tulit, memoratu dignum ſit: artificioſam memoriam uſui eſſe poſſe, ſi ex veris rerum naturæ & humano ingenio conſentaneis principiis, non ex impoſtorum, quorum in numerum Schenkelium & Cæcilium Frey reponit, præceptionibus petatur; ſed vix eam ex ſcriptis addiſci poſſe, ſed vivæ vocis doctrina & exemplis, præeunte præceptore, opus eſſe. Ipſe interim huic arti junxerat & artem notatoriam, qua uſus exiguo tempore plurima ſcripſit ipſe, excerpſit atque excepit. Cum ergo ſtudia ejus fierent jam magis magisque conſpicua, *Antonius de la Lane* præſidii Reeſani gubernator adſcivit hominem, filiique ſui ætati & ſtudiis præfecit, & utrumque Pariſios miſit. Hæſit in urbe hac regni principe quatuor integros 1652.
cum dimidio annos, ſummis Viris, Dallæo, Drelincurtio, Falcario, Metrezatio & Albertino familiariter uſus, Dallæo imprimis, cui multum ſe debere confeſſus eſt ſemper. Heidelbergam reverſus, *de Theologiæ principio* conſcriptam accurate diſputationem, ipſo Carolo Ludovico Electore præſente, ſub umbone Friderici Spanhemii ſuſtinuit. Hoc 1656
tempore cum Jo. Henrico Heideggero, recenſionis hujus auctore, amicitiam contraxit arctiſſimam, quæ in ſumma animorum ſtudiorumque conſenſione ad finem usque vitæ utriusque perduravit; quæ ſumma voluntatum conſpiratio effecit quoque, ut eodem anno ad ſupremos in Philoſophia honores capeſſendos animum uterque appelleret.

Paulo poſt vero Fabricius ad ſacram functionem ordinatus fuit, licet
1657 ipſe nondum eſſet certus, cui Eccleſiæ præponendus foret; interea vero Græcam linguam extra ordinem profiteri juſſus. Hanc ſpartam nactus, de omni re Philoſophica diſputantes ſuo frequenter præſidio moderabatur. Præfectus deinde eſt *Ludovico de Rothenſchild* Baroni Saletionenſi, quem Elector ex ſanguine ſuo genitum impenſe diligebat. Sic factum eſt, ut ſub anni finem in Galliam iterum proficiſceretur, Salmurii pedem fixurus, & ex mandato Principis, cum *Amyraldo*, de concordia Eccleſiæ procuranda conſilia initurus; a quo licet magno ipſe honore affectus eſſet, non tamen temperare ſibi potuit, quin ſubinde, quam parum utiles eſſent ejusmodi in diſputando argutiæ, Studioſos ſubmoneret. Salmurio Cadomum conceſſit, in qua urbe tum temporis converſationes litterariæ, ut dicebantur, a viris doctisſimis ſtatis diebus celebrabantur, quibus & Fabricium intereſſe
1659 ſæpe contingebat. Qui tamen, cum Heidelbergam vix redux factus eſſet, ſtatim cum Saletionenſi Hagam Comitis Electoris juſſu abiit; ubi
1660 cum ſubſtitiſſet per tempus, in Angliam trajecit, nec ibi diu moratus Caletum transfretavit, ubi in diverſum diſcedentes Baro & Fabricius, ille Lutetiam, hic Lugdunum Batavorum petiit. Hic litteræ eidem a Senatu Academico adferuntur, quibus ad docendam Theologiam Heidelbergam vocabatur. Statim vero ipſe parere conſtituit, & ad ſuſcipiendam functionem oblatam ſe comparare cœpit, petitis quoque ac obtentis, *Coccejo* brabeuta, ſummis in Theologia honoribus. Et Coccejum quidem ſemper fecit maximi, ita tamen, ut vilia nonnulla a pretioſis ſeparare conſueverit. Profeſſionem Theologicam oratione de *immortalitate animorum* auſpicatus eſt, cui mors alumni in Gallia defuncti occaſionem dederat. Cum ita eo in munere latera cingeret doctiſſimorum Virorum, Hottingeri puta atque Spanhemii, ſumma fide, ſtudio atque dexteritate muneri ſuo ſatisfacere conatus eſt. Interea commiſſa ipſi quoque fuit tum directio ſtudiorum Principis hæredis Electoralis, & ephoria Collegii Sapientiæ, nec non & profeſſio Philoſophiæ. Hoc incluſus ſpatio diligenter ſe exercuit, & mox meditationes varias luci expoſuit publicæ, quas inter illa imprimis excellit, quæ de *meditatione* in genere agit. Edidit deinde *Typum diſciplinarum omnium*, & meditationem geminam, qua ſubtiliter, contra Hobbeſium imprimis, Deum infinitum a finito intellectu concipi non poſſe aſſe-

aſſeverantem, diſputat. Quo labore defunctus *Apologiam pro humano genere contra Atheiſmi calumniam* texuit, quam in Actis hiſce A. 1683 pag. 176. a nobis recenſitam meminimus. Scripſit & *de ſymbolica viſione Dei* diſquiſitionem elegantem. Inſtituit porro *de ludis ſcenicis* 1663
diſquiſitionem, quos agere juventuti politiori & licitum eſſe, et ad mores formandos, et ad hominum animos dignoſcendos, & ad rerum cognitionem animique præſentiam conciliandam aliaque multa neceſſarium quodammodo eſſe, idoneis argumentis confirmat, & contra ad- 1665
verſarios obſtrepentes defendit. Secuta deinde alia diſquiſitio eſt *de controverſia de perſona Chriſti* Evangelicos inter agitata, in qua id oſtendendum ſibi ſumſerat, litem omnem tantis ſtudiis diſceptatam in ſolis loquendi formulis conſiſtere; quanquam varie ipſa a parte adverſa accepta eſt. Eodem fere tempore de *Baptiſmo infantibus heterodoxorum* conferendo commentatus eſt, quos non ex libera parentum voluntate, ſed vi & coactione legis civilis, Miniſtro oblatos ſacro fonte non abluendos eſſe ſciſcit. Porro *Euclidem* illum *Catholicum*, ſeptem epiſtolis diſtinctum, & genere ſcribendi mire feſtivo & ſarcaſtico 1666
conſcriptum, publici juris fecit, fratribusque Walenburgiis inſcripſit. A *Comenio* de *viſionibus & revelationibus novis*, quales ille evulgaverat, conſultus, reſpondit, quamvis bonos & afflictos ſuſpicionibus onerare ſubvereatur merito, ſibi tamen videri, viſionibus iſtis atque prædictionibus nil ſupra naturam et imaginationis morbum ineſſe. Cum vero *Jo. Duraus* pacem inter Proteſtantes vellet conſtituere, Fabricio quo- 1668
que id negotii commendabat ſedulo, cui tamen ipſe, intercedente Principe, quod dolebat, immiſcere ſe auſus non eſt. Cogitavit interim 1669
de ineundo matrimonio, virginemq; nobiliſſimam *Agnetem Sibyllam de Bildebeck* duxit. Circa hoc tempus exercebant Mittelburgenſem Eccleſiam contentiones *Johannem* inter *de Labadie* & *Ludovicum Wolzogium*, prævalidis utriusque partibus. Fabricius de hac cauſa conſultus pacem ſerio ſuaſit, & ne novo ſchiſmati majoribuſque turbis occaſionem ſubminiſtrarent, rogavit; partibus autem, quibus involvere eum nonnulli volebant, prudenter abſtinuit. Qualem etiam moderationem circa doctrinas vulgo non receptas, qualis illa eſt *de regno Eccleſiæ florentioreque ejus ſtatu*, imprimis commendavit. Cum de- 1671
inde *Spinozæ Tractatum Theologico-Politicum* primum oculis ſuis uſurpaſſet, horribile ſcriptum, effuſamque licentiam & blaſphemandi furorem

1673 rem ſummopere deteſtatus eſt; magna quoque circumſpectione uſus, cum ex mandato Electoris Mathematum profeſſionem offerre homini juſſus eſſet, ut religioni conſuleret, Spinoſamque ab accipienda conditione averteret. 1674 Ipſe vero a Franekeranis ad profeſſionem Theologicam invitatus, accedere noluit, altercationes atque lites, quibus tum temporis collidebantur in Belgio Theologi, reformidans. Incidebant annis inſequentibus ea tempora, quibus per Gallorum arma in Palatinatum ingens invehebatur vaſtitas, & miſera quoque Heidelbergæ erat facies; in quo tamen rerum ſtatu, Fabricii prudentia, Academia iſta ab interitu feliciter eſt vindicata. Ea tempeſtate *Tinenſis Epiſcopus*, ortu Belga, Regis Hiſpaniæ Conſiliarius, quem Patris *Rocka* nomine veniſſe meminimus, concordiam inter diſſidentes in religione conciliaturus, aulas Principum obibat, cumque de Palatini Electoris fa-
1676 vore multum ſibi pollicitus eſſet, Cæſareis literis inſtructus Heidelbergam venit, Baronis Keinenſis nomine aſſumto. Diſceptandæ hujus cauſæ negotium Fabricio demandatum fuit, ea dicta lege, ut cum Tinenſi quæſtionem præcipue de imperii civilis politia circa Eccleſiæ regimen inſtitueret. Verſatus in eo negotio eſt Fabricius integra fide & ſumma conſcientia, ut cum Hierarchiam Romanam cum Eccleſia conciliari non poſſe, jam dudum eſſet perſuaſiſſimus, hominem intempeſtive ſolertem protelaret. Præſertim cum ſatis paterent ejus conſilia, non ut pacem ſanciret, ſed ut per amicitiæ redintegrandæ ſpeciem Proteſtantium colla Papæ dominationi ſubjiceret. Libentius in ſe ſuscepit negotium, quod Elector concordiæ ſtudioſiſſimus ipſi impoſuerat, ut nempe diſſenſiones inter Proteſtantes, ſi qua fieri poſſet, ſopirentur, inſtituto eam in rem cum Menzero & Gerlachio, imprimis vero cum Conringio & Calixto commercio litterario, cui tamen quod eventus minus reſponderit, mors Electoris & Conringii impedivit. Interea tamen, cum Elector templum Concordiæ Manheimii fundaſſet, Fabricio ſermonis primi officium, licet invito, impoſitum eſt, qui & Liturgiæ communis in Eccleſias Palatinas Evangelicas introducendæ auctor extitit, quæ quidē cum ad Darmſtadinos & Helmſtadienſes miſſa eſſet, ut judicium ſubiret, ab illis quidem rejecta, ab his vero utroque
1680 pollice probata fuit. Carolo vero Ludovico die 20 Auguſti demortuo, dici non poteſt, quam pernicioſæ inſidiæ Fabricii famæ atque fortunis a ſycophantis ſtructæ fuerint, quas ille recte agendo potius

quam

quam ſcriptis defenſionibus refutavit; nec, iterum a Franekeranis vo- 1683
catus, venire voluit. Non deſinebat interim Palatinos tentare Tinen-
ſis Epiſcopus, quantumvis fruſtra ſemper. Succeſſit mors Electo- 1685
ris Caroli ſine prole decedentis, quæ in luctus infinitos conjecit Fabrici-
um. Edidit vero hoc anno triplicem diſſertationem, unam, qua
oſtendebat, controverſiam *de fide infantum* inter Evangelicos nullam
eſſe; & aliam, *de baptiſmo per laicum vel mulierem* adminiſtrato,
quam quæſtionem non ad capita fidei, ſed ad ea, quæ boni ordinis ſunt,
ſpectare adfirmabat. Hic ſingularis ejus animi moderatio clariſſime
eluxit, cum hoſtem, quem ſenſerat capitalem, grave Dei judicium
perculit; hunc enim, cum ſententia ſua mirum quantum adfligere
poſſet, benefaciendo potius ulciſci voluit. Cæterum liberum Ro-
mani cultus exercitium per univerſum Palatinatum introducebat no-
vus Elector; cui conatui licet interceſſerit fruſtra Fabricius, hoc ta-
men ab Electore impetravit, ne exercitium ſimultaneum in templis
Evangelicorum introduceretur. Et quia *Quæſtio octogeſima Heidel-
bergenſis Cathechiſmi* valde impetebatur, evulgavit Fabricius diſſerta-
tionem Hiſtoricam aliasque obſervationes perutiles. Ingruebat 1688
haud ita multo poſt funeſtiſſimum bellum, quo totus Palatinatus, at-
que Heidelberga crudeliter a Gallis devaſtata fuit. Hic cum complu- 1689
res Paſtores Palatini Gallis obſides darentur, Fabricio ea gratia facta
eſt, ut cum familia in Helvetiam proficiſci potuerit. Subſtitit parum-
per Tiguri, Tiguro vero Badam conceſſit, & inde per Neoburgum
& Ratisbonam, Heidelbergam a Gallis deſertam rediit. Hic Leidam
vocabatur ad profeſſionem Theologicam, obſequium tamen ſuum
pro more negavit. Intervenerunt tamen nova Ordinum Fœderati
Belgii conſilia, quibus Fabricium Angliæ Regis ſuoque nomine in Hel-
vetiam ablegare res ſuas curaturum ſtatuerunt. Ceſſit petitioni in- 1690
ſtanti, & Tigurum feliciter appellens injunctas ſibi curas prudenter exe-
cutus eſt. Valdenſibus reſtituendis præclaram operam hac occaſio-
ne navavit, quam ob cauſam Genevam quoque excurrit, & paulo poſt
cum Duce Sabaudiæ Ordinum juſſu pactum & fœdus iniit; quo con-
fecto Heidelbergam remigravit, & pene collapſum Eccleſiæ Palatinæ
ſtatum deprehendit, unde ingraveſcentibus malis ad exterorum, 1692
Helvetiorum imprimis, auxiliaria ſubſidia ſe convertit. Turbatus
tamen mediis iſtis in curis a Tinenſi eſt, qui & litteris eum urgebat, &

ut a Cæſare Viennam evocaretur, perfecerat, quorſum tamen concedere noluit; cumque Tinenſis ipſe Heidelbergam rediiſſet, ipſum re infecta diſcedere oportuit. Sed jam noviſſima Heidelbergæ fata imminebant, quæ horrendo excidio ab exercitu Gallio deformabatur. Fabricius autem illa tempeſtate prævifa, Eberbachum atque inde Francofurtum ſecedens, Archivum Palatinum Eccleſiaſticum & Academicum in loca tutiora tranſtulerat. Francofurti cum eſſet, Eccleſiæ ſemper Palatinæ in tanto diſcrimine ſtudioſe invigilabat, præcipue cum Cleri Romani molitionibus in magnum periculum adduceretur.
1696 Sic cum variis curis infeſtaretur Fabricii animus, inſtabat ei ſuprema neceſſitas, cum lethalis morbus die 4. Januarii anni ſuperi-
1697 oris ipſum invaderet; in quo cum verſaretur, ut varia animi ad mortem ſubeundam imperterriti, & fidei devotionisque ſingularis edidit ſpecimina, deque rebus variis prudentiſſime doctiſſimeque diſſeruit, ita placide demum die 1. Februarii expiravit.

Hæc de vita & morte eruditiſſimi Fabricii eleganter commentatus eſt celeberrimus Heideggerus: quo opere ut erexit ſane amicitiæ monumentum ære perennius; ita ipſe quoque ob rara in Rempublicam litterariam merita digniſſimus eſt, cui ſimilis nunc opera ab alio præſtetur. Hoc ipſo enim tempore, quo hæc conſignata a nobis literis ſunt, fama nunciat, rebus humanis eximium Virum valedixiſſe.

## *CONCILII TRIDENTINI ADEOQUE ET PONTIFICIORUM Doctrina publica, exhibita a PAULO ANTONIO, S.S. Th. L. P. P. & Conſiſt. Magd. Aſſeſ.*

Halæ, apud Jo. Frid. Zeitlerum, 1697. 8. plag. 12.

PEculiari equidem edicto cavendum olim Pius IV Papa cenſuit, ne cui, prout liberet, Concilii Tridentini decreta liceret exponere, privataque auctoritate interpretari, ſed ut, ſi cui dubium aliquod oriretur, ad Sedem ille Apoſtolicam accederet, quæ per delegatos eam in rem Cardinales id reſolveret atque enodaret. Prohibitionem tamen iſtam ad eas ſolum difficultates ſequentibus temporibus reſtrictam fuiſſe conſtat, quæ peculiari ipſiusmet conſtituentis declaratione egeant, exceptis omnino iis, quas e regulis Juris Doctorumque reſolutionibus decidere haud grave ſit. Natæ hinc fuerunt plures iſtius

Concilii

Concilii editiones, quæ decreta ejusdem canonesque diverſis illuſtratos annotationibus exhibuerunt. Quemadmodum enim Cardinalium declarationes collegit Joannes Gallemartius, ſic citationes Johannes Soteallus & Horatius Lucius, Theologus ille, hic Jureconſultus, ac remisſiones, quas vocat, Auguſtinus Barboſa addidere. Sed & novas præterea additiones Jureconſultus Cæſarauguſtanus, Balthaſar Andreæ, ſubmiſit, prout varias Rotæ Romanæ deciſiones eodem ſpectantes Proſperi Farinacii muſeum ſuppeditavit. Quæ ſingula in unam Concilii Tridentini editionem, anno 1664 Coloniæ Agrippinæ vulgatam, conſtipata proſtant. Et harum quidem annotationum auctores mentem Concilii non explicare ſolum, ſed & defendere imprimis, poſtulante id, qua eidem ſe obſtrictos norant, fide ſtuduerunt. Neq; tamen eſt; cur ab Eccleſia Pontificia alieni conquerantur de defectu iſtiusmodi annotationum, unde ea haurire concedatur, quæ Tridentinis placitis opponere quis valeat. Nota eſt in vulgus opera, quam (ut alios nunc omittamus,) e Lutheranis Martinus præcipue Chemnitius, atque e Reformatis Jo. Henricus Heideggerus huc pridem contulit. Nec talibus carere notis patitur novam hanc Concilii Tridentini editionem in ſtudioſæ Juventutis uſum abs ſe adornatam publicus in Academia Fridericiana, quæ Halis floret, Theologiæ Doctor, Maxime Reverendus Antonius, qui inſuper enotanda ſibi ſedulo ſumit inſigniora illa loca ex Auguſtana Confeſſione aliisque ſcriptis noſtratium publicis, quibus Concilii hujus verba aut aperte aut tectius oppoſita deprehendit; quorum allegationem textui quandoque ipſi inſpergit, quandoque ad marginem apponit, totus adeo in id incumbens, ut ſub uno conſpectu theſin æque ac antitheſin exhibeat, Lectoresque ſuos ad verum controverſiæ ſtatum cognoſcendum manuducat. Uti autem brevitati modis omnibus ſtudere nititur, ita bonos non raro Auctores in ſupplementum abs ſe dictorum conſulendos allegat. De cætero Concilii Tridentini verba, quæ ad doctrinam faciunt, integra plerumque apponit, utque rerum ac rationum nervi ubique eo melius percipiantur, indicia eorum diverſo typorum genere impreſſa ſiſtit. Sed cum in Seſſionibus Concilii hujus non dogmatica modo, verum & plurima canonica, ſive decreta ad Jus Pontificiorum Canonicum ſpectantia occurrant, ea penitus hinc ſemovet, neque niſi obiter & in compendio inſinuat, quæ ad Seſſiones ab ipſismet Tri-

dentinis ſæpe interruptas, ſæpe prorogatas, ſæpe rebus aliis impenſas faciunt, & ex decretis de reformatione ea ſolum adducit, quæ ad ſcopum ſuum quid conferre arbitratur.

## *SAMUELIS STRYKII ICTI TRACTATUS DE ACTIONIBUS Forenſibus inveſtigandis & caute eligendis, ut & de Actionum Præſcriptione.*

Halæ Magdeburgicæ, apud Henr. Joh. Meyeri hær. & Godofr. Zimmerman, 1698 in 4. Conſtat plag. 67.

REm non minus neceſſariam, quam gratam judicibus patroniſque cauſarum facturus Illuſtris Auctor, utiliſſimam de Actionibus inveſtigandis & eligendis materiam aggreſſus publiciſque XI Diſputationibus complexus eſt. Quoniam enim fori uſus nomen actionis in libello exprimi haud deſiderat, cœco nonnulli impetu in eum prolapſi ſunt errorem, quod ſupervacua ſit hodie actionis indagatio; cujus ſatis acerbas ſentiunt pœnas, vel imperite judicando, vel actionem non competentem aut non ſalutarem eligendo. Itaque ante omnia ſupra laudatus Auctor actionem accurate inveſtigari, & ex pluribus concurrentibus eam, qua vel facilius vel brevius vel plenius ſuum quis conſequi poſſit, eligi jubet: totam vero hanc doctrinam quatuor perſequitur ſectionibus, quarum prima Actiones perſonales, ſecunda reales, tertia Actionum præſcriptionem, & quarta appendicis vice, diverſas temporum præſcriptiones recenſet; fruſtra enim contenditur actione mota, quæ exceptione præſcriptionis eliditur. In ſingulis partibus ita verſatus eſt, ut theoriæ praxeoſque curam gereret, inſtitutum vero ſuum ſedulo oculis præfigeret, ne, de inveſtigandis eligendiſque actionibus tractaturus, ad ſpecialem conſiderationem actionum, cui, adverſus quem, & ad quid darentur, attentius, quam materia poſtulabat, tranſiret. Hinc, ut ex multis pauca referantur, obligationem ad alimenta ex facto generationis deduxit, oſtenditque quam bene ea ſententia conſpiret cum moribus, etiam ex damnato
Sect. I. m. 2. coitu natis alimenta decernentibus. In remedio *l. 32. ff. d. reb. cred.* ob
§. 9. generalitatem rationis, extenſionem ad caſus alios, ſecus atque non-
d. m. §. 46. nulli ſentiunt, permiſit: & actione communi dividundo præ actione pro ſocio electa, quantum ſit in ſpe adjudicationis commodi declaravit.

ravit. Ad Cambiorum materiam delatus, diverſitatem ex perſonis intervenientibus & circumſtantiis enaſcentem circa producendas actiones diligenter excusſit; præterea Actionem de recepto contra præfectum poſtarum veredariumque ordinarium locum invenire, rationibus & præjudiciis adverſus diſſentientes confirmavit. Actionem Furti in duplum vel quadruplum perperam abrogatis accenſeri monuit, atque in concurſu interdicti *unde vi*, remediique *c. ſæpe 18. X. d. reſt. ſpol.* & *can. redintegranda. III. q. 1.* poſtremum reliquis juxta uſum fori præferendum eſſe duxit. Immiſſionem ex *l. f. C. d. edict. D. Hadr. toll.* non produci poſſe ad codicillos contendit. Quam late pateat uſus utilis confeſſoriæ & negatoriæ actionis manifeſte expoſuit, normamq; alterutrius eligendæ in eo conſtituit, quod in libertate naturali fundamentum quærentes negatoriam, in privilegio aut jure ſingulari autem confeſſoriam actionem eligere teneantur. Poſtea præſcriptionem Actionum ope axiomatum inculcavit explicavitque; unde præſcriptionem accuſationis hodie ad inquiſitionem produci oſtendit, recteque feudum eccleſiaſticum 30 annis præſcribi, contra Pagenſtecherum defendit. Denique diverſa tempora præſcriptionum e. g. momentorum, horarum, dierum, menſium, annorum, petitis ex vario jure exemplis, commemoravit. Ad calcem tractationis acceſſit, ob affinitatem materiæ, Diſſertatio de Juribus & Actionibus non ceſſibilibus, a Chriſtophoro Schucharto quondam ſub Excell. Auctoris præſidio habita.

m. 6. §. 22.
m. 7. §. 18.
m. 9. §. 36. ſqq.
m. 10. §. 6.
Sect. II. m. 2. §. 22.
m. 3. §. 11.
m. 4. §. 5.
Sect. III. m. 1.
ax. 5. n. 7.
d. Sect. m. 3.
ax. 5. n. 9.
Sect. IV.

*D. LUDERI MENCKENII, SUPREMÆ CURIÆ PROVINC. Lipſ. Aſſeſſoris, Tractatio Synoptica Inſtitutionum Juris Juſtinianearum Theoretico-Practica uſui moderno Imperii, & præcipue Saxonico, accommodata.*

Lipſiæ apud Martin. Theodor. Heybey, A. 1698, in fol. plag. 49.

QUam in ſublevando Juris ſtudio circa Pandectas ſuſcepit curam præterito, eam præſenti anno ad Inſtitutiones produxit Auctor Conſultiſſimus, ratus ex paritate methodi iis, qui Juri operam dant, viam ad Digeſta multo fore expeditiorē. Ac proinde id egit ſolicite, ut commentatio hæc ad Inſtitutiones, in formam tabularum redacta, ſingulorum titulorum paragraphorumque ordinem ac ſummam, cum

neceſſario definitionum, diviſionum, declarationum & materiarum ſupplemento complecteretur; ita enim ſtudioſæ Juventuti novum credidit adminiculum in apprehendendo & repetendo Jure iri comparatum. Experientia docet, nihil magis cupidas Studioſorum mentes remorari, quam deficientem facultatem præparandi animum ad cognitu neceſſaria Juris fundamenta in ipſo collegio Inſtitutionum proponenda & confirmanda; præterea diſcendi cupiditate ardentes, principiis theoreticis practicisque recte intellectis, difficultate repetitionis angi: itaque ut utrique, pro virili ſua, obviam iret impedimento, nucleum eorum, quæ ſolidam Inſtitutionum peritiam ſectanti prætermittenda non ſunt, in tabulas conjecit, incenditque diligentiam illorum, qui indagaturi ſunt §§. ſententiam, per numerum majuſculis literis impreſſum, nec non axiomata caſuum deciſioni applicata ſub finem titulorum, ut in promtu eſſent, collocavit; iſta tamen cum circumſpectione, ne eadem regula ſæpius prelo repetita chartam oneraret. Præmiſit autem tabulam nexum titulorum in Inſtitutis ſiſtentem, &, præter potiſſimas diviſiones, ſub literarum diverſitate, titulos uſitatiſſimos referentem, quo ſingula perluſtrare aut repetere impeditus titulos, qui maximi ſunt uſus, reliquis præferret memoriæque fideli committeret. Deinde, quoad fieri potuit, eandem, quam in Pandectis obſervavit, proponendi, dividendi, definiendique rationem ſecutus eſt, ut iter per ampliſſimam Pandectarum tractationem æqualitate methodi inſtrueretur. Sed quia ante undecim ſecula conſcriptæ Inſtitutiones haut exiguum exigunt definitionum, diviſionum, declarationum uſusque moderni ſupplementum, curam adhibuit, ne quid neceſſarii in his deſiderari poſſet. Quo inſtituto computationem graduum miniſterio ſchematis, Latinum Germanumque idioma ſimul exhibentis, adjuvit, ſucceſſionemque veterem paucis, noviſſimam ſtudioſius, eſt executus. Pariter ordinis facilitate uſusque hodierni haud perfunctoria tractatione inprimis ſubvenit titulis intricatis, e. g. de fidei commiſſariis hæreditatibus & ad SCtum Trebellianum, de ſatisdationibus &c. nec non a prolixitate notiſſimis, v. g. de rerum diviſione & acquirendo ipſarum dominio, de legatis, actionibus &c. Jus controverſum, quod circa Inſtitutionum interpretationem variis ſe ingerit locis, haud neglexit, neque tamen amplius, quam res inſtitutumque deſiderabat, tractavit, ad probatiſſimos JCtos remit-

mittendo & obſervantiam Imperii Saxoniæque fideliter recenſendo. Specialiora ex ſingulis titulis addi poſſent, verum ea brevitatis ſtudio L. B. in perluſtrando induſtriæ relinquimus conſideranda.

## *DE LAPIDE ANTIATI EPISTOLA AD ILL. AC REV. DOM. FRANCISCUM AQUAVIVAM &c. Auctore FRANCISCO BLANCHINO.*

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1698 in 4. Plag. 3. cum fig. æn.

ANtium, Campaniæ Romanæ ignobile hactenus oppidum, celebrari ſermonibus hominum cœpit, ex quo tempore hodiernus Pontifex Maximus navale ibidem non ſine ingenti ſumptu reſtituere conſtituit. Huic fini dum foſſores antiqua rudera verſarent, inciderunt forte exeunte anno ſuperiore in fragmentum marmoris, pavimento ſplendidi operis olim adhibitum, cujus ſuperficies ſuperior diligenter lævigata, ima vero & quæ ſolo adhærebat, impolita quidem ac rudis, duplici tamen ſignaculo inſignita deprehendebatur. In horum ſignaculorum, quæ plumbo lapidis lacunis olim infuſo, & altius quidem, ne ex attritu ſoli vitium caperent, impreſſa erant, altero imago Hadriani Imperatoris exhibetur, ſimillima omnino ei, quæ frequens in ejusdem numiſmatibus occurrit, cum inſcriptione, HADRIANVS AVGVSTVS: in altero ſolæ litteræ L. COC. nomen L. Cocceii prodentes comparent. Eorum interpretationem cum Vir Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Franciſcus Aquaviva Aragonius, ex Atriæ Ducibus Archiepiſcopus Lariſſenſis, & Pontificis Cubiculo hoc tempore Præfectus, a Viro Clariſſimo ſæpiusq; a nobis in Actis hiſce laudato, Franciſco Blanchino Caſparis F. Veronenſi, S. Th. D. S. M. ad Martyr. de Urbe Canonico & Bibliothecæ Otthobonianæ Præfecto requiſiviſſet, eam hic prompto obſequio aggreſſus eſt, atque ita præſens ipſi ſubnata commentatio, ex qua pauca delibaſſe quid prohibet?

Primum vero monet, Hadrianum Principem duos præſertim ſeceſſus frequentaviſſe, Antiatem & Tiburtinum. Et de Tiburtino quidem nihil porro memorandum duxit, quod ab Athanaſio Kirchero æneis tabulis graphice delineatus jam eſſet, & a Pyrrho Ligorio luculento, ſed luci publicæ nondum expoſito, commentario illuſtratus.

tus. Antium vero oppidum jam olim Principum otio & vacation a civilibus curis dicatum, magnificisque ac ſplendidis ædificiis exornatum fuiſſe, comprobat. Nero utique, quod Antii natus eſſet, magno ſtudio villam, Suetonio teſte, proſecutus eſt, colonia iterum deducta, portuque operis ſumptuoſiſſimi facto. Hadrianum vero in Antiati agro regiam ſuam ſtatuiſſe, qua præ cæteris Auguſtorum ſeceſſibus delectaretur, teſtem advocat Blanchinus certiſſimum, proximum nempe ab Hadriano ſcriptorem Philoſtratum, qui in Vita Apollonii Tyanei l. 8. c. 8. p. 421, cum de Apollonii libello Pythagoræ ſententias ab Oraculo Trophonii comprobatas complexo dixiſſet, libellum iſtum narrat una cum Apollonii epiſtolis quibusdam, poſt mortem Apollonii ad Imperatorem Hadrianum fuiſſe delatum, & ab hoc iſta omnia in regia, quam Antii habebat, fuiſſe collocata, *quod præter cæteras Italiæ civitates Antio maxime delectaretur.* Ex quo factum etiam, ut illuc ex Ionia familiares omnes Apollonii confluxerint, & incolis oræ Antiatis permixti florentisſimam juventutem præceptis Philoſophiæ, quæ ab Apollonio nomen conſecuta eſt, imbuerint. Hinc vero manifeſtum eſſe colligit, fragmentum hoc lapidis apud Antium nuper effosſi pavimentum indicare ſplendidisſimi ædificii ab Hadriano in villa iſta, quam adeo in deliciis habebat, regio cultu exſtructi. Neque minus villæ magnificentiam comprobari cenſet ex monumentis aliis longe nobilioribus, ibidem jam patrum memoria repertis & in Urbem transvectis. Nam & Apollinis ſignum, quod inter elegantisſimas Urbis ſtatuas referri conſuevit, & in hortis Vaticanis viſitur; & celeberrimam iſtam gladiatoris ſtatuam, quæ in hortis Burgheſianis cuſtoditur, aliaque illius villæ ornamenta; quin & complures elegantis ſculpturæ ſtatuas, quæ hodie in ſuburbana Pamphiliorum villa ad Janiculum ſpectantur, imprimis Cybelem ſive Junonem Tyriam aut Deam Syriam leoni inſidentem, & Berenicem ſtolatam ac ſtantem, quas æneis tabulis Deſcriptio Villæ Pamphilianæ typis vulgata exhibet, e ruinis Antii egeſta fuiſſe, idoneis teſtibus confirmat. Nec ſilentio prætermittendum, quod noviſſe omnes Blanchinus aſſeverat, in fundo hortorum ſuburbanorum Pamphiliorum in Antiate colonia ſito, dum recentisſimum opus navale a Summo Pontifice reſtitutum inchoaretur, duo ſigna paſtorum, unius lac expreſſum e vaſe porrigentis, alterius cum hœdo ludentis, fuiſſe reperta. Cæterum inter cauſas alias

alias, cur Antiatem oram Hadrianus frequentaret, & eam Auctor doctiſſimus cenſet, quod Princeps abditarum artium, divinatoriæ inprimis, aſtrologicæ & magicæ ſtudio impenſe deditus, Templum Fortunæ, quod apud Antium erat oraculis reddendis celebre, inviſendum crebro duxerit. Quibus ita expoſitis, ad alterum ex ſignaculis plumbeis, quod literas L. COC. exhibere ſupra innuimus, progreditur. Compendium nominis *Lucii Cocceii* id eſſe cum nullus dubitaret, & ex Clariſſimo Raphaele Fabretto cognoviſſet, in epigraphe templi Puteolani quendam L. Cocceium Architectum memorari, diſquirit primum, idemne forte ſit cum hoc Cocceio noſter. Id quod negat tamen, cum templum Puteolanum ejusque nuncupationem ad Octavianum Auguſtum referri debere, cum omnibus fere auctoribus perſuaſiſſimum habeat, eoque palam ſit L. Cocceium templi illius architectum, cujus nomen in epigraphe ejus legi raro exemplo meruit, vitam ad Hadriani uſque tempora producere non potuiſſe. Noſtrum itaque in plumbeo ſaxi Antiatis ſignaculo adnotatum, alium putat fuiſſe, Cocceiæ tamen gentis hominem. Si vero quæratur, cur Cocceius hic, cum Principis ac ſuum nomen ad poſteros transmittere decreviſſet, utrumque tamen ita occuluerit, ut nemini niſi opere ſubverſo pateret: (ſignacula enim ſuperficiei lapidis imæ, quæ ſolum ſpectabat, impreſſa jam ſupra diximus) ejus rei non deſunt Blanchino ingenioſiſſimo conjecturæ. Primum enim Hadrianum ipſum ædificiorum plurimorum auctorem, ut decretum etiam ei in nummis elogium fuerit *Reſtitutoris Orbis Terrarum*, in appoſitione tamen ſui nominis temperantem & moderatum haberi voluiſſe obſervat; quod vel ex his Spartiani in Hadriano n. 19. verbis elucescat: *cum opera ubique infinita* (Hadrianus) *feciſſet, nunquam ipſe, niſi in Trajani patris templo, nomen ſuum ſcripſit.* Deinde tanto minus monet auſum eſſe architectum proprium exponere nomen ſuum, quod Principem a ſuo temperare noſſet; maxime quod apud antiquos parcius ille honor inſcribendi nominis artificibus etiam præſtantibus tribueretur, & Hadriano, teſte Dione, inſolitum non eſſet, excellentes artifices ex invidia tollere ac ſubvertere. Itaque Cocceium putat maluiſſe nomen ſuum ſub pavimento furtim ſaxo inſerere, Principis tamen imagine, ne, ſi forte ſaxum erueretur, fraudi id ſibi foret, adjuncta, eaque ex nummo publica Senatꝰ auctoritate decreto petita. Atq; hæc ex Epiſtola præſen-

ti decerpta ſuffecerint. Reditura enim ſæpius eſt occaſio Blanchini mentionem faciendi, cui non ingenii tantum felicitas & doctrina haud vulgaris, ſed cumprimis inſignis Eminentiſſimi Cardinalis *OTTHOBONI* Bibliotheca, cui præfectus eſt, lucubrationibus id genus pluribus Literatum Orbem ditandi facultatem abunde ſubminiſtrant.

## *VETERIS ÆVI ANALECTA, SEU VETERA ALIQUA MONUMENTA, quæ hactenus nondum viſa. Collegit primus, & edidit, & obſervationes ſuas paſſim adjecit ANTONIUS MATTHÆUS.*

Lugduni Batavorum, apud Fred. Haaring, 1698 in 8.
Conſtat 1 alph. 16. plag.

ANalecta hæc ævi veteris, notis atque animadverſionibus ſuis inſtructa atque ornata, in lucem protulit, cui plura hujus generis monumenta debemus, in Actis noſtris ſuo quæque loco laudata, celeberrimus Antonius Matthæus, de Hiſtoria non minus quam Jurisprudentia præclare meritus. In iis primum locum occupat *Antonii Ponti*
p. 1. *Hariadenus Barbaroſſa*, ſeu Bellum Tunetanum, quod Carolus V Cæſar cum famoſo illo pirata Turcico anno 1535 geſſit, Halahaſan Mahumeti filium, quem alii Muleaſſem vocant, in Tunetanum regnum feliciter & glorioſe reſtituens. Idem argumentum perſecutus eſt Jovius Hiſt. lib. 34, cujus fidem alioquin ſubleſtam in hac parte hiſtoriæ minime laborare cenſet Editor, Pontum cum Jovio paſſim conferens, illumque ex hoc ſubinde illuſtrans. Pontus vero, qui huic ipſe expeditioni interfuit, Hariadeni ejusque fratris natu majoris Horuccii ortum, progreſſus & fata breviter exponit, & quibus artibus poſt Algerios, Tenenſes (pro quibus *Teleſinos* ſubſtituendos conjicit Editor) Trimeſenſes, ab utroque fratre ſubactos, Hariadenus cæſo ab Hiſpanis fratre Horuccio, Tunetanum quoque regnum, Muleaſſe pulſo, in ditionem redegerit, commemorat. Hinc bellum ipſum pro Muleaſſe reducendo a Cæſare ſuſceptum aggreditur: & in hoc primum Guletam arcem, in intimo Byrſæ vel Carthaginis ſinu a Barbaroſſa egregie munitam, poſt menſis unius oppugnationem a Cæſare expugnatam, nec multo poſt, copiis Barbaroſſæ profligatis, Tunetum ipſam ab hoſte relictam in deditionem X. Cal. Aug. veniſſe narrat; atque ſic Halahaſane reſtituto finem huic expeditioni impoſitum fuiſſe, in qua Cæ-

ſaris

ſaris humanitas, conſtantia, invictusque animus eluxerit, multisque documentis ſit comprobata. Succedit *Ant. Schonhovii Commentatio epiſtolica ad Corn. Gualterum de origine & ſedibus Francorum*, quam licet Bon. Vulcanius ut magni pretii theſaurum ſibi ſervaverit, nec cum quoquam communicare voluerit, Matthæus tamen publico non amplius cenſuit invidendam. Schonhovii vero ſententia de Francis, quam Hadr. Junius quoque, eodem Vulcanio teſte, in Batavia eſt ſecutus, huc redit: Francos a Trojanis minime oriundos, verum origine eſſe Germanos, & inter eos Cattis potius quam Chaucis adſcribendos; ab ultimis vero Germaniæ oris in mediterranea evaſiſſe, atque Gallias ſuis incurſionibus terra marique, inde usque a Probi imperio, & maxime ſub Conſtantio vexaſſe, easque nonnunquam diutius inſediſſe, ab obitu vero Aetii regnum in iis condidiſſe. Nomen Francos traxiſſe vel a libertate, vel a ferocia; plures autem eorum fuiſſe gentes, ex quibus duarum nomina celebrentur, Saliorum & Anſuariorum. Salios non a fluvio Sala dictos, ſed nomen illud domo ſecum extuliſſe, & ex veteri gentis conſuetudine, ut ait Ammianus Marcellinus lib. 17. cap. 8. ſic fuiſſe appellatos, licet poſtea inter Mœnum Salamque conſederint. Immigraſſe vero illos antea in ſedes Chamavorum, qui hodie Campenſes; Bructerorum, quos dicas paludum incolas, ubi hodie Zwolla; Tencterorum, ubi hodie Daventria, & quorum regio præcipua hodienum Drenta, in qua columnæ Herculis ſpectentur; Tubantum, quorum regio hodie Tuwente vel Twente. Ab his ergo Francis Saliis adhuc in Bructeris ſupereſſe nomen *Saland*, eorumque fuiſſe legem Salicam, a Pharamundo Rege latam; cujus caput, quo fœminæ a regni ſucceſſione removentur, Franci in controverſia cum Burgundis proferre nequiverint, extet tamen loco aliquo ſibi non temere prodendo, ejusque veſtigia in Procopio quoque inveniri. Aliam fuiſſe legem Francorum Gombetam, quæ forte ad Anſuarios ſpectaverit. Strabonis ævo nomen Francorum fuiſſe ignoratum, & in alterius gentis Germanicæ nomine delituiſſe. Sapientes Francorum dictos fuiſſe *Gaſtos*, Germanica voce die Weiſeſte *Sapientiſſimi* a Gallis corrupta. Sub finem docet, quod genus fuerit Gonildæ Auguſtæ quæ Henrico III Imp. nupſit. Altera ad eundem Gualterum epiſtola in etymon Germanorum inquirit, eosque dictos putat primum *Wermannos*, viros bellicoſos, & inde a Gallis *Germanos*, mutatione W in G adeo ipſis

p. 57.
p. 69.

familiari, ut ſe *Gallos* appellarint, quos Germani *Walos* dixerant. Has
p. 73. Schonhovii epiſtolas excipit incerti Auctoris *Chronicon Belgicum*, idiomate Belgico perſcriptum, quod incipit in anno 1285, & deſinit in anno 1479, quo nata eſt Margaretha Auſtriaca, Maximiliani & Mariæ Burgundicæ filia. Perſequitur vero res præcipue Belgicas, & in his Naſſoviæ gentis illam familiam, quæ Engelberti matrimonio cum Joanna dominio Leccæ & Bredæ anno 1400 eſt potita. Alicubi & externa annotat, veluti Ptolemaïdem urbem, quæ & *Acon*, atque adeo ab auctore Belgice *Aken* appellatur, a Gentilibus, hoc eſt Saracenis, anno 1291 fuiſſe deſtructam; Comitem autem Nivernenſem aliosque magnates a Turcis fuiſſe captos prœlio anno 1396 d. 28. Aug. quod aliud eſſe non poteſt, niſi famoſum illud ad Nicopolim inter Sigismundum Regem Hungariæ & Baiazethem Turcarum Imp. depugnatum; quo res Chriſtiana temeritate Gallorum, inter quos præcipuus Johannes Burgundus Comes Nivernenſis, ſummum in discrimen fuit adducta. Editor vero in notis ſubjectis exiſtimat ſubeſſe mendum, & aliud prœlium innui inter Ludovicum (forte Vladiſlaum) & Amurathem com-
p. 92. miſſum. Annexum eſt huic Chronico *fragmentum alterius Chronici*, quo Johannis primi, Hannoniæ, Hollandiæ Selandiæq; Comitis, anno 1305 defuncti, ejusque filii Wilhelmi Boni anno 1337 extincti, res geſtæ exponuntur. Quando vero & qua occaſione Hannonia Flandris ſubdita acceperit Comites, in notis docet Editor; qui & aliud
p. 97. *fragmentum Chronici rhythmici* adjecit, de Margarethæ Imperatricis, Ludovici Bavari viduæ, prœlio cum filio Wilhelmo, & Delfenſium rebellione contra Albertum Ducem anno 1358, quibus cohærent alii
p. 102. rhythmi gnomici. Deinde comparet *Joannis de Lemmege Chronicon Groninganum*, in quo, præmiſſa diviſione Friſiæ primum in ſeptem, poſtea in tres partes, Groningam anno 1110 primum muro circumdatam memorat. Editor vero in notis obſervat, ab Epiſcopo Ultrajectino Harberto anno 1138 iterum fuiſſe nudatam muris, iisque adhuc anno 1222 caruiſſe. Auctor Chronici vetuſtiora illa ſicco pede præterit, ad annum vero 1345 notat, Wilhelmum Com. Holl. Ultrajectum occupaſſe exercitu centum & octoginta millium armatorum, in quo fuerint ſexcenti proceres auro geſtato dignitatis ſuæ indicium præferentes. Quem numerum alii quidem ab Editore laudati minuunt, at qui minimum ponunt, centum millia & octingentos nominant. Hinc

Auctor

Auctor attingit Alberti Bavari Comitis Hollandiæ in Friſios bella, ejus filii Johannis in Groningarios ſtudium, horum fœdus cum Ommelandis, certamina cum vicinis, motusque civiles, Senatu urbis anno 1413 trucidato, & deſinit in Friderico a Blanckenheim Epiſcopo Ultrajectino, qui Groningam a ſe obſeſſam tandem in fidem accepit, & anno 1419 in ſua verba adegit. Sequuntur vernaculi rurſus *Annales Henricæ ab Erp*, Abbatiſſæ cœnobii in ſuburbanis Trajectenſibus, quod vulgo *Vrouwen-clooſter* dicitur. Præmiſit Editor doctiſſimus obſervationem de fundatione & dotatione cœnobii monachorum Oeſtbroken S. Laurentio dicati, ex quo cœnobium illud monialium anno 1131 propagatum ſit, in eamque rem nonnulla affert diplomata. Annales vero ipſi ab anno 1421 initium capiunt, inque rebus ſuæ ætatis & maxime monaſterii ſui commemoratur Abbatiſſa, quæ ab anno 1505 ad annum 1548 cœnobio præfuerit. Continuatio Annalium iſtorum ad annum 1583 alterius ſtudio debetur, cujus in fine exponitur, quæ monaſterio inferenda ſint ab ea, quæ monialis recipi deſiderat. Hinc exhibetur inſtrumentum Notarii confectum anno 1322 de electione Jacobi de Outshorne Decani Ultrajectenſis in Epiſcopum Eccleſiæ illius, ex quo cognoſcere licet ritus & ceremonias in hujusmodi electione tum temporis receptas: unde ab Editore *Conclave Ultrajectinum* inſcribitur. Profertur porro *Vita Philippi Burgundi* a Gerardo Noviomago, viro aliis quoque ingenii monumentis claro, eleganter perſcripta. Philippus vero ille filius fuit Philippi Boni Ducis Burgundiæ e Margaretha Poſthia naturalis, qui Maximiliano Imp. ejusq; filio Philippo & nepoti Carolo operam ſuam domi militiæque probavit, legationem Maximiliani Imp. ad Papam obiit, in qua corruptiſſimos aulæ Pontificiæ totiusque Cleri Romani mores deprehendit, Caroli ſororem ad Regem Daniæ Chriſtiernum deduxit, tandem Præfectus mari cum eſſet, auctoritate Caroli Regis Hiſpaniarum adduci ſe paſſus eſt, ut anno 1517 Epiſcopatum Ultrajectinum ſuſciperet, quo Fridericus Badenſis ſe abdicaverat. In qua ſtatione, flagrante cum Geldris bello, quod Campenſium Zwollenſiumque diſcordia conflaverat, anno 1524 deceſſit; Princeps literarum amans nec imperitus, qui omnes fere Hiſtorias veterum Gallice legerat, Latinos vero Hiſtoricos omnes prælectore hoc Gerardo audiverat, quin & ſacros utriusque Inſtrumenti libros ita excuſſerat, ut Eraſmi verſionem cum Vulgata acri judicio

p. 130.
p. 142.
p. 188.
p. 216.

p. 238. conferret. Subjectum eſt huic Vitæ *Stemma Burgundicum*, ab Emondo de Dynter contextum, per Merovingicos, Carolingicos, Lovanienſes Brabantiæ Duces, ad Burgundos, & hinc ad Auſtriacos deductum. In hanc Vitam uberiores notas Editor compoſuit, quibus
p. 242. partim acta & monumenta inſeruit integra, veluti *Legationem Caroli ad Trajectenſes*, ut illos adduceret ad Epiſcopatum Phillppo conferendum, *Leonis X Papæ privilegium* de non evocandis civibus Trajectinis, *Philippi Epiſcopi inthroniſationem*, *conſtitutiones de annona*, *de modo procedendi coram curia Epiſcopali*, *inventarium bonorum ab eo relictorum*, & alia hujusmodi; partim quædam Auctoris capita & dicta illu-
p. 246. ſtravit, ut cum de voce *curtiſani*, *curtus*, *curiæ* agens, obſervat morbum Gallicum in paralipomenis Urſpergenſi adjectis vocari *morbum*
p. 268. *curialem*. Aulæ etiam Pontificiæ avaritiam pluribus perſtringit, quæ novos Epiſcopos exhauriat ſumptibus. Quodnam fuerit munus *De-*
p. 294. *canorum* & *Proviſorum*, & cur iidem provincialibus fuerint graves & odioſi, allata de his tranſactione inter Ducem Burgundiæ & Rudolphum a Diepholt, exponit. Porro in his Analectis locum dedit Edi-
p. 356. tor *Rationario aulæ & imperii Caroli Audacis* Ducis Burgundiæ, quod *Olivarius Marcanus*, Aulæ iſtius præfectus, in caſtris ad Nuſſiam anno 1474 Gallice conſcripſerat, ſed cujus verſio Belgica ab æquali Olivarii, ut Editor ſuſpicatur, confecta nunc primum prodit, cum Gallica editio vix habeatur. Ac in aulicis officiis & miniſteriis hæ claſſes conſtituuntur: *prima* eorum, qui ſacra cultumque divinum curabant, quorum præter Eleemoſynarium fuere quadraginta. 2. Conſilii ſtatus & juſtitiæ, cujus caput Cancellarius: Principem vero ipſum bis in quaque hebdomade, diebus Lunæ & Veneris, cuicunque etiam tenuiori aditum ad ſe præbuiſſe, & deſideria libelloſque ſupplices excepiſſe: quod qua pompa & ceremonia factum ſit, Auctor deſcribit. 3. Conſilii bellici, quod ex quatuor viris equeſtris ordinis conſtitutum fuit. 4. Præfectorum ærarii & redituum; ipſumque Principem non dubitaſſe ſubinde ſedere ad calculos & rationes ſubducere, hoc tantum diſcrimine, quod ipſe calculis aureis fuerit uſus, miniſter argenteis. 5. Eorum, qui in comitatu Principis non tam miniſterii quam ſplendoris cauſa alebantur: in quibus ſex Duces fuere, duodecim Principes, Marchiones, Comites, & in univerſum præter plures equeſtris ordinis, quadraginta quatuor eminentioris Nobilitatis. 6. Palatinorum &

eorum

eorum maxime, qui in cubiculo Principis miniſtrabant. Inter officia vero Palatina primum locum tenuiſſe Cubicularium ſeu Camerlingum primum; ab eo proximum fuiſſe Aulæ Præfectum ſeu Magiſtrum; hinc quatuor Summularios, qui circa lectum & cubiculum Principis occupantur, ſedecim Nobiles, ſex Archiatros, quatuor Chirurgos, quadraginta Pueros nobiles &c. 7. Dapiferi & aliorum qui cibos in menſam inferrent; menſæ autem cum cibis ſemper impoſitum fuiſſe vaſculum inſtar navis habens, in quod conjiciebantur fruſta in pauperes diſtribuenda. 8. Pincernæ & eorum qui potum curabant: ubi inquiritur in etymologiam vocis *echanſon*, quæ Gallis pincernam ſignificat, & quis prior digniorque in accumbendo habeatur locus, definitur. 9. Carptoris præcipui, qui cibos ſecat, cui alii quinquaginta ſubſerviunt. 10. Eorum, qui in culina parandis cibis occupantur. 11. Stabuli & equitii curatorum, quorum Magiſter, in quinquaginta equeſtris ordinis habens imperium, Principi gladium præfert, & in prœlio labarum ſeu vexillum primarium geſtat. 12. Fecialium, in quibus ſunt ſex Reges armorum & octo Heroldi. 13. Tubicinum & tibicinum. 14. Cuſtodum corporis & ſtipatorum. 15. Metatorum, qui aſſignant hoſpitia, quorum primicerius Mareſchalcus. 16. Janitorum. Expoſitis Aulæ officiis progreditur ad ſtatum militarem, Principemque aluiſſe refert octo equitum, octodecim peditum millia, cum omni inſtrumento bellico, annuaſque duas myriades vel milliones, ut loquimur, inſumſiſſe. Notis etiam hoc Rationarium inſtruxit Editor, qui- p. 455.
bus varia officiorum genera explicat, & ſubinde ex Jure publico Ro- p. 456.
mano illuſtrat: veluti quam varie accipiatur vox *capella* & *capellani*; p. 463.
*Cancellarii* olim qui ſint dicti, & qui hodie intelligantur; de *Mare-* p. 469.
*ſchalci* nomine & munere; quatuor Feſta majora appellari *de vier* p. 473.
*hoochtyden*; & plura alia quæ enumerare non fert inſtituti noſtri ratio.
Agmen in his Analectis claudit *Hermanni Goudani hiſtoria belli* anno p. 495.
1507 inter Hollandos Geldrosque geſti, ex duobus MS. inter ſe collatis cum variantibus lectionibus edita. Belli eventa ſolum perſcripſit in ea auctor, cauſas & conſilia de induſtria omittens, ne quem offenderet. Narrat vero, in hoc bello oppugnatam eſſe arcem puerorum, p. 505.
vulgo *Puderoyen*; eamque ſic appellatam putat in memoriam partus illius, quo Hollandiæ Comitis uxor, mendicæ geminos trahenti impudicitiam exprobrans, ex hujus imprecatione tot partus enixa fer-

tur,

tur, quot annus habet dies, totidemque feneſtras in rei geſtæ argumentum arci fuiſſe inſertas. Inter cætera Waterlandiæ, quæ pars eſt Inſulæ Batavorum, & ex qua anno 1421 ſeptuaginta pagi aquis fuere merſi,
p. 529. ſitum & incolarum mores deſcribit, quos a fide, robore & laboris ſtudio commendat; negat vero in illa regione ali equos, unumque eo delatum ab Aſſendelphis pro prodigio fuiſſe occiſum, & in memoriam
p. 541. hujus facinoris inſignibus publicis eſſe inſertum. Subjecta denique eſt appendix quindecim epiſtolarum, quas Petrus Scriverius ad Jo. Iſacium Pontanum dedit. Verſantur eæ in rei literariæ argumentis, variamque doctrinam continent: veluti Chriſtophorum Butkenium inſignem eſſe impoſtorem, qui diplomata confingat, & vera falſaque juxta habeat. Fluvium, qui Amſtelodamum alluit, perperam ſcribi *Tyam*, rectius *Yam*, Belgis *het Ye*, ut in priſcis monumentis legitur. Marquardum Freherum in animo habuiſſe edere Ottfridum cum commentariis linguæ Germanicæ & Gloſſario Alemannico; quod utrumque jam animo volvit celeberrimus Argentoratenſis Anteceſſor Jo. Schilterus, a cujus induſtria & conſummata doctrina *Gloſſarium Teutonicum*, & novam *Otfridi Evangeliorum* a Matthia Flacio Illyrico Baſileæ 1571 editorum exſpectare juſſi ſumus editionem. A Florentio V Comite Hollandiæ anno 1290 ordinem equeſtrem D. Jacobi eſſe inſtitutum. Hæc ſpeciminis loco ſufficiant: neque enim omnia vel vacat vel decet excerpere.

## *D. VITI RIEDLINI MEDICI AUGUSTANI LINEARUM Medicarum Annus II ſeu MDCXCVI.*

Auguſtæ Vindel. apud Kronigerum & Hæredes Gœbelii, 1697, in 8. Alph. 2. pl. 4.

## *EJUSDEM LINEARUM MEDICARUM ANNUS III, ſeu MDCXCVII.*

Auguſtæ Vind. apud eosdem, 1698. in 8. Alph. 2. pl. 16.

PRomiſſis ſtetit Auctor Clariſſimus, ut more apum vitioſum otium ſe fugere ipſo opere teſtaretur, & non ita pridem ſecundum Linearum Medicarum Annum, ut & nuperrime tertium exhibuit, quorum uterque tot, quot annus dies, continet obſervationes; quarum, pari methodo, qua Annum primum in Actis A. 1696, p. 474 recenſuimus,

ex ſingulis menſibus unam producere lubet. Sic ex I Menſis Obſerv. XXV intelligitur, & mortuis baſia non ſemper impune infigi; cum quædam mulier Turcica, ſic amorem ſuum verſus quendam febri maligna extinctum ſervum teſtatiorem reddere volens, ipſam hanc febrem inde contraxerit. Secundi Obſervatio XXIII teſtatur, quandam, licet aliquoties gravida venæſectionem in pede inſtituerit, nunquam tamen inde abortum eſſe paſſam; unde, neceſſitate urgente, ut hæ venæ in prægnantibus interdum ſecentur, haud adeo difficulter concedi poſſe, facile colligitur. Inter varia alia, quæ ſternutationem concitant, aliquando & lac oculis ophthalmiæ ergo inſperſum ut numeretur, meruiſſe, tertii Menſis prima Linea indicat: quam ipſam ſternutationem ebrietatis imminentis ſignum cuidam tam certum extitiſſe, ut illam ſemper inde ſibi certo prædixerit, nec eventus eum unquam, niſi quando tum pocula ſepoſuerit, fefellerit, Aprilis Linea XXIII teſtis eſt. Dari morbos, qui, niſi rite tractentur, ſi vel maxime curentur, graviora poſt ſe trahant mala, exemplum ſcabioſæ, quod ipſis Maji Kalendis narratur, quæ ſic curata in epilepſiam tam gravem incidit, ut hæc & mortem poſt ſe traxerit, non parum confirmat. Ex Obſervatione XXVII ſexti Menſis patet, quod, ſi opus fuerit, acidularum potus per bene longum temporis ſpatium ſat tuto continuari poſſit; cum quædam ibi deſcribatur, quæ per integrum biennium, non ſine inſigni ſuo fructu, in melancholia in maniam degenerante uſa fuit. Catarrhum, qui ſuffocare ſolet, non ſolum illis eſſe infeſtum, qui aqualiculum alunt, ſed & eos necare, quorum cutis vix oſſibus hæret, binis huc ſpectantibus hiſtoriis Julii Linea XXVIII probat. Apoplecticum Germanum, qui olim Italico quoque & Gallico ſermone animi ſui ſenſa promere didicerat, linguæ uſu a morbo aliquandiu privatum, hujus redeuntis indicia non tam vernacula, quam illis linguis exſeruiſſe, ultima Menſis Auguſti linea narratur: quem ſequentis XXII Medicos excitat, ne deſperent, ſi vel maxime morbis graviſſimis laborantes ægroti, in devexa jam ætate conſtituti, curandi iisdem obveniant; & his enim ſæpius medicamenta non omnino fruſtra adhiberi, exemplo hydropicæ feliciter curatæ evincitur. Utut Anatomia, ob egregios, quos in detegendis etiam plurium morborum cauſis præſtat uſus, ſufficienter laudari non poſſit, interdum tamen & illa mediante nos exoptatum ſcopum non obtinere, Menſis Octobris Linea antepenultima exemplo

puellæ, quæ pus ante mortem cum urina excreverat, cujus tamen veſtigia in cadavere aperto nullo modo inveniri potuere, demonſtrat. Ex tertia undecimi Menſis Linea innoteſcit cauſa, cur cuidam clyſter applicari non potuerit, haud ita communis, turgens nempe urina veſica; cujus ſi memores in ſimilibus caſibus praxin medicam exercentes fuerint, eadem merito accuſanda, in alias fruſtra non inquirent. Decoctum denique herbæ Thee uti paſſim in his Lineis laudatur, ita ultimi Menſis Linea XXVIII patefit, quod quandam hypochondriacam, pluribus aliis remediis fruſtra omnino in uſum ductis, ſic juverit, ut omnino antihypochondriacorum medicamentorum claſſi inſeri mereatur.

Ut ad annum III progrediamur, Menſe Jan. Lin. XVIII innuitur, aurium dolorem graviſſimum facili levique remedio, hydromeli nempe auri inſtillato, feliciter fuiſſe ſublatum, rupto inde abſceſſu quodam, qui in aure latuerat. Vulgo jam conſtat, icterum omne, quod in corpore humano reperitur, ſerum flavo colore tingere. Confirmatur id M. Febr. Lin. VII exemplo matronæ, quæ dum ictero vehementibus ſtipato ſymptomatibus laboraret, quoties capillum evulſit, guttulam flavo colore tinctam ex eodem extillaſſe deprehendit. M. Martio Lin. XXVI bellidis uſus egregius adverſus tuſſim domeſtico Auctoris Experientiſſimi exemplo comprobatur. Inter remedia antidyſenterica M. Apr. Obſ. XIII commendantur myrtilli baccæ inſtar pultis cum pane & ſaccharo coctæ, & eo quidem magis laudantur, quod nec iis, qui a medicamentis abhorrent, faſtidiantur. M. Majo, Lin. XV aquæ pluviæ inſtar acidularum, primo paulatim aſcendendo, hinc in ſummo gradu per aliquot dies pergendo, & tandem iterum deſcendendo, potæ uſus in cachecticis & tabe afflictis, exemplo Paſtoris cujusdam, qui hoc remedio, aliis fruſtra adhibitis, convaluerit, oſtenditur; nec inimitabile remedium Auctor Clariſſimus cenſet, ſi & aliæ admittant aut requirant circumſtantiæ, quod pluvia, adulto præſertim vere & ipſa æſtate, particulis variis, etiam medicatis, ſit imprægnata. M. Jun. Lin. XXI uti generatim monetur, in arthriticis morbis haud raro ſcorbutici quid latere, adeoque antiſcorbutica medicamenta arthriticis exhibenda: ita ſpeciatim eſſentia antiſcorbutica ex conis abietis cum ſpiritu cochleariæ laudatur. M. Jul. Lin. IX docetur, opium in parva doſi nonnunquam plus præſtare, quam in magna. Cum febris alba originem ſuam plerumque aut a menſibus jamjam inſtan-

ſtantibus, at impeditis, aut ab iisdem non rite fluentibus aut denuo obſtructis trahat, morbus ille puellis creditur proprius, quæ decimum tertium ad minimum ætatis annum attigerunt. Auctor vero M. Aug. Lin. XVI octennem ſiſtit puellam febre iſta divexatam. M. Sept. Lin. XI icterum memorat a motu corporis nimio obortum. Uti lac quorundam morborum ſalutare remedium a pluribus celebratur: ita lac calidum vaccinum ſpeciatim & in hypercatharſi conducere, M. Oct. Lin. X. comprobatur. Dentium dolorem capillis reſciſſis ceſſare, docetur M. Nov. Lin. IV exemplo puerperæ, quæ acerbiſſimis dentium doloribus adeo afflicta, ut totas noctes inſomnes trahere cogeretur, remediis laudatiſſimis & opiatis etiam fruſtra adhibitis, dolore omni, ſimul ac capillorum ſat magnam quantitatem abſcindi ſibi curaſſet, fuerit liberata. M. Dec. Obſ. XXIV exemplum adducitur tum maris, tum fœminæ, qui a pupis, quibus delectari puellæ conſueverunt, a prima infantia per totum vitæ tempus ſic abhorruerunt, ut earum conſpectum ſuſtinere plane non potuerint.

## *ADAMI RECHENBERGII VOLUMEN DISSERTATIONUM Hiſtorico-politicarum varii & curioſi argumenti, in Academia Lipſienſi publice propoſitarum.*

Lipſiæ, apud Gotf. Enoch. Groſsium, 1698, in 8. alph. 4.

QUid Autor celeberrimus hoc diſſertationum conjunctim editarum volumine promittat, ex ejusdem adpoſita inſcriptione apparet. Moris nempe in Academiis eſt, ut adoleſcentes vires ingenii periclitaturi, ex conſilio præceptorum ſuorum, varia argumenta ventilare inſtituant. Rechenbergius vero hic ſuis quondam diſcipulis, ex hiſtoria & civili doctrina, non protrita nimis aut ignobilia argumenta ſuggeſſit elaboranda, aut ipſe elaboravit. Quorum indicem cum nominibus eorum, qui in conflictu reſpondentium partes ſuſtinuerunt, volumini huic præmiſit, idque in duas partes diſpeſcuit. In *Prima* diſſertatio prima eſt de quæſtione, *an mundus exigua ſapientia regatur?* ſecunda, de *caſibus miniſtrorum in republ. eminentium* &c. In *parte ſecunda* prima eſt *de inconſultis clericorum conſiliis*; ſecunda, *de ſtratagematibus politicis ex S. hiſtoria*; tertia, *de vitiis, quibus civitas impar eſt*, ex *C. Tacit. Annal. III. 53*; quarta *de eo, quod licet pro amico*

ex *Gellii N. A. I. 3.* &c. Omnes nempe illæ diſſertationes numero XLIV argumenti non injucundi ſunt: quarum excerpta dare hic ſuperſedemus, cum rerum variarum indices adjecti ſint.

## Des Herrn DE LA CROIX algemeine Welt-Beſchreibung &c. i. e.

*A. PHER. DE LA CROIX GEOGRAPHIA UNIVERSALIS ex Gallico idiomate in Germanicum traducta, & hic illic aucta, nec non indicibus accuratis inſtructa ab HIERONYMO DICELIO.*

Lipſiæ apud Joh. Ludov. Gleditſch, 1697, 4. Conſtat Alph. 9. pl. 8. & figurar. æn. plag. 24.

JAm dudum de ſtudioſa Geographiæ juventute, aliisque nobilisſimæ hujus ſcientiæ cultoribus optime meruit Vir Clariſſimus, Hieronymus Dicelius. Inprimis vero proximis abhinc duobus annis ſuam in hoc genere induſtriam publico comprobavit, editis vernaculo noſtro ſermone ſcriptis, e quibus in Geographiæ ſtudio proficere haud parum & illi poſſunt, qui Latinæ aut exoticarum linguarum periti non ſunt. Cum enim Dictionarium Geographicum, non magnum quidem illud, at iis, quibus vaſta in hoc genere opera evolvere non licet, utiliſſimum, Bruxellis A. 1694 Gallico ſermone prodiiſſet, dignum id cenſuit, quod in Germanicum noſtrum transferret, paſſimque a ſe auctum ac ſuppletum Lipſiæ A. 1696 publici juris faceret. Eodem anno Martini Zeileri Germanicum de Decem Germaniæ Circulis librum, quem non contemnendis acceſſionibus auctum jam A. 1688 publicaverat, denuo edidit, Genealogia Principum & Hiſtoria rerum notabilium ad annum usque 1696 producta. His abſolutis, majus Opus, quod hic exhibemus, aggreſſus eſt. Cum enim A. Pher. De la Croix Geographi Regii Geographiam univerſalem tabulis æneis illuſtratam, quam is Pariſiis A. 1693 Gallico idiomate edidit, publico cum applauſu exceptam intellexiſſet, ob facilem inprimis commodamque, quam is adhibuit, methodum; eam quoque Germanice vertendam, ut omnium uſui pateret, cenſuit, tandemque anno ſuperiori publicæ luci expoſuit, multis in locis, præcipue ubi Germanica tractantur, emendatam. Quatuor vero Geographia iſta partibus abſolvitur, quarum

quarum prima Sphæricam & Coſmographiam, nec non Geographiæ generalia, partemque Europæ; altera Europæ reliqua præter Galliam, tertia Galliam, quarta Aſiam, Africam & Americam complectitur. Specialiora excerpere ſupervacaneum ducimus ex opere, quod ſeu ut editum Gallice eſt, ſeu ut hic Germanice exhibetur, dudum omnium manibus verſatur.

## LIBRI NOVI.

*Joh. Philippi Datt Volumen Rerum Germanicarum novum, ſive de Pace Imperii Publica Libri V. Ulmæ apud Georg. Guil. Kühn. 1698. fol.*

*Franciſci Mariæ Pechii Tractatus de Servitutibus in genere. Genevæ apud Fratres de Tournes, 1698. fol.*

*Ferdin. Chriſtoph. Harprecht Conſiliorum Tubingenſium Volumen III & IV. Tubingæ apud Joh. Georg. Cottam, 1698. fol.*

*Joh. Chriſtiani Itteri de Honoribus ſive Gradibus Academicis Liber. Francof. ad Mœnum apud Frid. Knochium, 1698. 4.*

*Arcana Pacis Weſtphalicæ, ſive Relatio Hiſtorica de S. R. Imperii Pacificatione Osnabrugo-Monaſterienſi. Francof. ad Mœnum, apud eundem, 1698. 4.*

*Anſaldi de Anſaldis Diſcurſus Legales de Commercio & Mercatura. Genevæ apud Fratres de Tournes, 1698. fol.*

*Jacobi Wenckeri Diſſertatio de Pfalburgeris. Acceſſerunt Diſquiſitiones duæ de Usburgeris & Glevenburgeris. Argentorati apud I. Reinh. Dulſſeckerum, 1698. 4.*

*Gothofredi Chriſtiani Leiſeri Jus Georgicum ſive Tractatus de Prædiis. Lipſiæ & Francof. apud Hæredes Friderici Lanckiſii, 1698. fol.*

*Traité de la Preuve par Temoins en matiere civile. Par Mr. Danty. A Paris chez Charles Oſmont, 1697. 4.*

*Ottonis Philippi Zaunſchliffer Opera Juridica. Francof. ad Mœnum apud Viduam Hermanni a Sande, 1698. 4.*

*Jo. Schilteri Jurisprudentiæ totius tam Romanæ quam Germanicæ privatæ Legitima Elementa. Argentorati apud J. R. Dulſſeckerum, 1698. 8.*

*Mich. Bernardi Valentini Medicina Nov-Antiqua. Francof. ad Mœnum, apud Jo. Dav. Zunnerum, 1698. 4.*

*Pharmacopée Univerſelle, contenant toutes les compoſitions de Pharma-*

*cie, leurs vertus, leurs doſes &c. Par Nic. Lemery. A Paris, chez Laurent d' Houry, 1697. 4.*

*Le Threſor de la Medecine, contenant l' Anatomie des parties du Corps humain, les maladies auſquelles elles ſont ſujetes, les remedes ſpecifiques &c. A Paris chez Barth. Girin, 1697. 12.*

*Traité de Phyſique & de Chirurgie, par Jean Fontrailles, A Paris, chez la Veuve de Claude Thibouſt, 1697. 12.*

*Les Oeuvres d' Hipocrate traduites en Francois avec des remarques, & conferées ſur les manuſcrits de la Bibliotheque du Roy. A Paris, par la Compagnie des Marchands, 1697.*

*Roſini Lentulii Miſcellanea Medico-Practica tripartita. Ulmæ apud G. W. Kühn, 1698. 4.*

*Petri Poterii Opera omnia Practica & Chymica, cum Additamentis Friderici Hofmanni. Francof. ad Mœnum, apud Frid. Knochium, 1698. 4.*

*Caroli Muſitani Chirurgia Theoretico-Practica, ſeu Trutina Chirurgico-Phyſica. Coloniæ Allobrogum apud Cramerum & Perachon, 1698. 4.*

*Philoſophia Eclectica, h. e. Exercitationum Academicarum Tomus II. Auctore Jo. Chriſtoph. Sturmio. Altorfii apud Jo. Wilhelmum Kohleſium, 1698. 8.*

*Jo. Jac. Franciſci Baſis univerſa Medicina. Conſtantiæ apud F. X. Straub, 1698. 8.*

*Les Anciens Liturgies, ou la Maniere dont on a dit la Sainte Meſſe dans chaque Siecle, dans les Egliſes d' Orient & dans celles d' Occident. A Paris, chez Jean de Nully, 1697. 8.*

*La Vie en abregê de Madame de Chantal, Mere & Fondatrice de l' Ordre de la Viſitation de S. Marie. A Paris, chez Simon Benard, 1697. 12.*

*Apparatus ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum &c. Opera Domni Nicolai le Nourry. Tomus II. Pariſiis apud Jo. Aniſſon, 1697. 8.*

*Rituale Pariſienſe autoritate Illuſtriſſimi D. Ludovici Antonii de Noailles, Archiepiſcopi Pariſienſis &c. editum. Pariſiis apud Ludovicum Jeſſe, 1697. 4.*

*Explication des Maximes des Saints ſur la Vie interiere, par Meſſire Fr. de Salignac Fenelon, Archeveque Duc de Cambray &c. Editi-*

*dition nouvelle, où on ajoute diverſes pieces, qui concernent ce livre. A Amſterd. chez Henri Wetſtein, 1698. 12.*

*De Canonicorum Ordine Diſquiſitiones, quibus ejus origo, propagatio varia & natura dilucide tractantur. Pariſiis apud. Edm. Couterot, 1697. 4*

*Memoire & pieces concernant l' exemption de l' Egliſe Catedrale & Metropolitaine de Tours. A Paris, chez F. H. Muguet, 1697. fol.*

*Synopſis Theologiæ Judaicæ, veteris & novæ, auctore Jo. Henrico Majo. Giſſæ Haſſorum, 1698. 4.*

*Davidis Pſalmi XII, & totidem S. Scripturæ veteris Teſtamenti integra capita, quæ novi ſpeciminis loco Biblicarum ſuarum Emendationum & Interpretationum, priſco Hebræo metro reſtituit Marcus Meibomius. Amſtelodami apud Henr. Wetſtenium, 1698. fol.*

*Jo. Ludovici Fabricii Theologi Palatini Opera omnia. Tiguri apud Dav. Geſnerum, 1698. 4.*

*Chriſt. Franciſci Paulini Rerum & Antiquitatum Germanicarum Syntagma. Francof. ad Mœnum apud Frid. Knochium, 1698. 4.*

*Joannis Clerici Opera Philoſophica in quatuor volumina digeſta. Amſtelod. apud Georg. Gallet, 1698. 8.*

*Dernieres Decouvertes dans l' Amerique Septentrionale de Monſieur de la Sale, miſes au jour par Mr. le Chevalier Tonti. A Paris chez Jean Guignard, 1697. 12.*

*Relation Hiſtorique de la Pologne, contenant le pouvoir de ſes Rois, leur election & couronnement. A Paris chez Nic. Le Gras, 1697. 12.*

*Hiſtoire des Dietes de Pologne pour les elections des Rois, par Mr. de la Biſardiere. A Paris, chez J. Jombert, 1697. 12.*

*De l' Art de la Verriere &c. La maniere de faire les Perles &c. par Mr. Haudicquer de Blancourt. A Paris chez J. Jombert, 1697. 12*

*Nouveau Voyage autour du Monde, par Guillaume Dampier. Traduit de l' Anglois. A Amſterdam chez Paul Marret, 1698. 12.*

*De Nederlandſche Herbarius, ofte Kruidboek der voornaamſte Kruiden &c. met kopere platen verciert door Steph. Blankaart. T' Amſterdam by Jan Ten Hoorn, 1698.*

*S. S. Patrum qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, Barnabæ, Clementis, Hermæ, Ignatii, Polycarpi Opera. J. B. Cotelerius Soc. Sorbon. Theologus, ex MSS. codicibus eruit, ac correxit, verſionibusque & notis illuſtravit. Acceſſerunt notæ integræ aliorum &c. Antverpiæ, Huguetanorum ſumptibus, 1698. fol.*

*M. Fabii Quintiliani Declamationes innumeris locis emendatæ, ex recenſione Ulrici Obrechti. Argentor. apud J. R. Dulſſeckerum, 1698. 4.*

*Chronicon Univerſale & Alſaticum Jacobi de Konigshoven Presbyteri ad D. Thomæ Argentorati A. 1383. Nunc primum editum ex MS. & obſervationibus illuſtratum a Jo. Schiltero. Argentorati apud Joſiam Stadel, 1698. 4.*

*Ferd. Chriſtoph. Harprechti Tractatus Academici de Succeſſionibus. Ulmæ apud Georg. Wilh. Kuhn, 1698. 4.*

*Jo. Wolffgang Textoris Diſputationes Academicæ duabus partibus diſtinctæ. Francof. ad Mœnum 1698. 4.*

*Marcelli Malpighii Opera poſthuma. Supplementa neceſſaria addidit, innumeriſque in locis emendavit Petrus Regis. Amſtelod. apud Georg. Gallet, 1698. 4.*

*Nouvelle Fortification Françoiſe, Eſpagnole, Italienne & Hollandoiſe. A Amſterd. chez George Gallet, 1698. 8.*

*Martini Liſter octo Exercitationes Medicinales &c. de quibusdam Morbis Chronicis. Editio ultima. Amſtel. apud eundem, 1698. 8.*

*Jo. Clerici Compendium Hiſtoriæ Univerſalis ab initio Mundi uſque ad Carolum Magnum. Amſtelodami apud eundem, 1698. 8.*

*Joannis Balthaſari Braun Hiſtoria Auguſta, ſeu Vitæ Romanorum Cæſarum a C. Julio Cæſare usque ad modernum glorioſiſſime Imperantem Leopoldum. Auguſtæ Vindel. apud Jo. Caſparum Bencard, 1698. 4.*

*D. Juſtiniani Inſtitutionum Libri IV. notis maxime neceſſariis explanata a Jo. Samuele Stryckio. Halæ Magdeb. apud J. F. Zeitlerum, 1698. 4.*

*Veſperæ Groninganæ, ſive Amica de rebus ſacris Colloquia. Amſtelod. apud Henr. Desbordes, 1698. 12.*

*Iconologia, ou la Science des Emblemes, Deviſes &c. Par J. B. de l'Académie Françoiſe. A Amſterdam chez Adriam Braackman, 1698. 12.*

* * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*
*Calendis Maji, Anno M DC XCVIII.*

*GLI ANTICHI SEPOLCRI, OVERO MAUSOLEI ROMANI ET Etruſchi, trovati in Roma & in altri luoghi celebri; nelli quali ſi contengono molte erudite memorie; raccolti &c.*

h. e.

*SEPULCRA ANTIQUA SEU MAUSOLEA ROMANA ET Etruſca, Romæ aliisque celebribus in locis inventa, in quibus multæ eruditæ antiquitates continentur; collecta, depicta atque inciſa a PETRO SANCTI BARTOLI.*

Romæ ex typographia Antonii de Roſſi, 1697, fol. plag. 4. & Tab. 110.

QUi anno 1680 Sepulcrum Naſonianum, & 1691 Lucernas antiquas ſepulcrales, notis Johannis Petri Bellorii illuſtratas, aliisq; temporibus alia in lucem produxit publicam Vir ſolertiſſimus, jam inſignem aliquem veterum ſepulcralium monumentorum numerum ſimul perluſtrandum Lectoris antiquarum rerum ſtudioſi exponit oculis. Orſus enim ab illo, quod Curiatiorum eſſe creditur in Albano, Tab. I & II, in quinque quaſi claſſes reliqua dividit, quarum *prima* comprehendit ſepulcra antiquiſſima familiarum Romanarum, quæ detecta ſimul fuerunt in illa parte viæ Aureliæ, in qua villa Corſina ſita eſt; *ſecunda*, ſepulcra familiarum, quarum nomen ad nos pervenit, quæq; tempore Reipublicæ Romanæ floruerunt; *tertia*, ſepulcra ejusdem ætatis, ſed familiarum, quarum nomen tempus delevit; *quarta*, ſepulcra tempore Imperatorum Romanorum conſtructa; *quinta*, ſepulcra peregrina lingua, inprimis Etruſca, inſcripta. *Primæ* ergo claſſi tribuuntur Tab. III - - - XXIV, in quibus non ædificia tantum ſepulcrorum, ſed inſcriptiones quoque, picturæ, ſigilla, ſculpturæ, opera plaſtica, muſiva, urnæ, lacrymatoria, aliaq; vaſa ad ſacrificia pro mortuis facienda ſpectantia repræſentantur. Quod

ad *ſecundam* attinet claſſem, in ea reperiuntur delineata (1) ſepulcrum familiæ Furiæ in eremo Camaldolitana A. 1665, ubi Tuſculum olim erat, detectum, Tab. XXV & XXVI. (2) Caji Poblicii Ædilis plebis, cui honoris virtutisque cauſa ſenatus conſulto populiq; juſſu locus monumento, quo ipſe poſterique ejus inferrentur, publice in Urbe datus eſt, Tab. XXVII. (3) Familiæ Scipionum in via Appia vulgo tributum, Tab. XXVIII, XXIX. (4) Familiæ Serviliæ in via Appia prope caſtrum prætorium & circum Caracallæ, Tab. XXX & XXXI. (5) Plautii ultra pontem in via, qua Tybur itur, Tab. XXXII, XXXIII, XXXIV. (6) Ceciliæ Metellæ, quod vulgo caput Bovis dicitur, in via Appia, Tab. XXXV, - - XXXIIX. (7) Familiæ Pompejorum in via Appia intra Romæ mœnia, Tab. XXXIX. (8) Sexti Lartidii Eraſmi, aliorumque diverſis nominibus gaudentium, vicinum portæ Capenæ, Tab. XL & XLI. (9) Q. Verannii in via Appia, Tab. XLII. (10) M. Antonii Antii Lupi in via Oſtienſi, Tab. XLIII (11) P. Vibii, in via Caſſia, quod falſo Neronis eſſe dicitur, Tab. XLIV. *Tertio* in ordine comparent (1) ſepulcrum antiquum detectum in vinea Cavalleriorum, inter S. Sabam & mœnia Romæ, depictum Tab. XLV & XLVI, cernunturque in eo canales teſtacei, urnæ defuncti reſpondentes, ut illam vino lacteque perfundere poſſent in ſacris anniverſariis. (2) Repertum in vinea Dominici Gentilis, Tab. XLVII. (3) Aliud in eadem vinea inventum, Tab. XLIIX. (4) Tyburi vicinum, Tab. XLIX. (5) Ex vivo ſaxo exciſum in radicibus montis Apennini detectum A. 1692, Tab. L. (6) In via Portuenſi, cujus marmora Romam translata tempore Alexandri VII, Tab. LI, LII. (7) Ex lateribus totum conſtructum, in via Aſinaria, diſtinctumque in cameram ſepulcralem, ambitum qui hanc cingit, & veſtibulum, cum arca ſepulcrali, Tab. LIII - - - LVII. (8) Extra portam Næviam, in via Præneſtina, Tab. LVIII. (9) Muſivum opus repertum in tumulo antiquo, quod erat in via Aſinaria, eleganter referens effigiem ſacerdotis Cereris currentis, unaque manu facem, altera tria papavera tenentis, ut ſymbolum eſſet curſus velociſſimi Solis, cujus calorem, humidum terræ (per papavera deſignatum,) fœcundantem fax repræſentat, Tab. LIX. Ad *quartam* claſſem pertinent (1) Pyramis Caji Ceſtii Septemviri epulonum, quæ Romæ extat, Tab. LX - - - LXX. (2) Mauſoleum Auguſti in Campo Martio, Tab. LXXI, LXXII. (3) Sepulcrum quod Virgilii eſſe creditur, in Pauſilyppo prope Neapolim, Tab. LXXIII.

(4) Columna Trajana, Tab. LXXIV. (5) Moles Imperatoris Ælii Adriani, Tab. LXXV - - LXXIIX. (6) Columna Antonina, Tab. LXXIX. (7) Sepulcrum Alexandri Severi Imperatoris & Juliæ Mammeæ, Tab. LXXX - - LXXXVI. (8) Munatii Planci, quod Cajetæ viſitur, Tab. LXXXVII, LXXXIIX. (9) Juliæ Saturninæ & Caji Sulpitii Clyti, Tab. LXXX. Inter ſepulcra *peregrino idiomate* inſcripta primum illud eſt, Tab. XC, cujus inſcriptionem Herrichius noſter reſtitutam explicatamque dedit in Actis Erud. 1696, menſe Octobr. p. 482. Quam reſtitutionem genuinam eſſe quoq; cenſuit doctiſſimus Johannes Paſtritius, dum a Bellorio celeberrimo rogatus Græcos verſus ita convertit:

Tantiſper ſiſtens hic urnam cerne puelli
Erepti ſubito matris ab uberibus.
Perpetuum patri luctum hoc in funere linquens,
Bis quinque expletis menſibus interiit.
Indole talis erat, fuit olim qualis Iacchus,
Acer & Alcides, pulcher & Endymion.

Huic ſuccedunt monumenta Etruſca, Peruſiæ fere omnia reperta, expreſſaq; Tab. IXC. - - - IIC. Totum opus clauditur repræſentatione *vaſorum cinerariorum* ſeu urnarum, Tab. IC - - - CVII, in quibus tamen non comparent foramina illa, quibus inſtructæ urnæ in villa Corſina repertæ, per quæ lac vinumque infundebant inferias Manibus defuncti mittentes. Appendicis tandem loco accedunt (1) ſculptura aliqua reperta in ſepulcro Viæ Appiæ, tres fœminas capite turres geſtantes referens. (2) Duo ſigna, quorum unum in cryptis martyrum extra viam Aureliam A. 1661 repertum fuit, & Bacchi Cererisq; triumphum exhibet, alterum aquilam, ex cratere a Ganymede porrecto bibentem. Manifeſtum autem eſt ex diligenti inſpectione horum ſepulcrorum, (inprimis Tab. LXXX) veteres ſepulcra ſua data opera terra contexiſſe, neq; caſu factũ eſſe, ut ipſa ſepulcra ſepulta quaſi deprehendantur. Horum enim monumentorum reconditæ, internæ, & anguſtæ viæ, inſtar canalium & Labyrinthorum factæ, non caſui, ſed conſilio artificum, ſuam ſe debere originem clare ſatis loquuntur. Urnarũ autem receptacula olim *Columbaria* dicta fuiſſe, patet ex Inſcriptione veteri, quæ in camera ſepulcrali XXVII (triginta enim quatuor Auctor perluſtravit) villæ Corſinæ extitit:

Q. CAECILIVS. Q. L.
PRIMVS. EMIT. IN

MONVMENTO. PALANGARIORVM
IN. AGRO. FONTEIANO. QVOD. EST
VIA. AVRELIA. IN. CLIVO. RVTARIO
PARTE. SINISTERIORE. COL
VMBARIA. N. X. OLLARVM
N. XXXX. SIBI. ET

CAECILIAE. Q. Q. L. ATTICE
CONIVGI SVAE. ET
Q. CAECILIO. FRVCTO. L. SVO
ET. LIBERTIS. LIBERTABVS
SVIS. POSTERISQVE. EORVM
HAEC. COLVMBARIA. ET. OLLAE.

## *NVMISMATA SVMMORVM PONTIFICVM, TEMPLI VATICAni fabricam indicantia, Chronologica ejusdem fabricæ narratione ac multiplici eruditione explicata atque uberiori numiſmatum omnium Pontificiorum lucubrationi veluti prodromus præmiſſa, a Patre PHILIPPO BONANNI, Societatis Jeſu.*

Romæ ſumtibus Felicis Cæſaretti & Paribeni 1696, in fol. Conſtat plag. 64 & tabulis ære expreſſis 86.

Quamvis multi doctiſſimi viri in deſcribenda Vaticana Baſilica eximia cum laude fuerunt verſati, & ante paucos annos nobiliſſimus Eques Carolus Fontana copioſe, in libro, quem in Actis Eruditorum Anni 1694 menſe Novembr. laudavimus, illorum ſatisfecit deſiderio, qui Architecturæ ſtudio tenentur; non contemnendam tamen publico præſtitiſſe operam cenſendus eſt doctiſſimus Bonanni, aliis jam editis ſcriptis celeberrimus, quod illius templi hiſtoriam conſcribere aggreſſus eſt. Cum enim illuſtriſſimi Præſulis Johannis Ciampini, ad quem libri hujus præfatio dirigitur, juſſu accurate numiſmata Pontificum indagaret, in multisq; deprehenderet Vaticanæ Baſilicæ molem diverſis temporibus expreſſam, ejuſdemq; fabricæ ætatem chronologicis quaſi tabulis conſignatam,

cupido

cupido ipſum inceſſit, ſingula ad ipſam ſpectantia intime perluſtrandi, & accurate deſignatas ſingulas hujus Baſilicæ partes, ſervata ubiq; juſta temporum ſerie, uno volumine comprehendendi ac deſcribendi, ut non ipſe tantum ædificii hujus ſplendidiſſimi apparatus, ſed & magni nominis viri, qui operam ſuam in eo exſtruendo collocarunt, nec non maxima opum vis, quæ in eodem exornando a Pontificibus erogatæ fuerunt, hinc poſſint cognoſci. Itaq; numiſmata Pontificum ad hoc argumentum ſpectantia, quæq; in majori opere ſparſa & ſeparata proferenda erant, conjunctim hic exhibet & declarat, orſus *capite primo* a Vaticano colle & Baſilica a Conſtantino Imperatore primum in eo excitata, quam deſcribit *capite ſecundo*, ejusque menſuras affert ex Severano *capite tertio*, ita ut non diſſimulet, eas neq; cum tabulis ichnographicis Oldoini, Ferraboſci, Alpharani, Fontanæ, convenire, neque etiam has tabulas inter ſe conſentire. *Capite quarto* de atrio ejusq; menſuris, januis & ſcalis agit, denuo conqueſtus de varietate menſurarum, quam in diverſis auctoribus deprehenderit; *quinto* autem partes Baſilicæ interiores delineat, erroresque notat, quos inciſoris fortaſſe incuria in orthographiam ejus templi, quam Eques Carolus Fontana lib. II cap. 10. de templo Vaticano exhibet, irrepſiſſe putat. De circo autem Neroniano ſub Baſilica latente *ſexto* diſputat capite, verumque ejus ſitum & longitudinem ex Grimaldi autographo, quod in Archivo Vaticanæ Baſilicæ adſervatur, tradit, vindicatque a Fontanæ objectionibus, Pyrrhi Ligorii rejiciens auctoritatem, quem, cum Pompejo Ugonio, antiquitatum quidem curioſiſſimum indagatorem, ſed literarum plane rudem fuiſſe affirmat. *Septimo capite* fabricas exteriores Baſilicæ additas, oratoria, ſacraria, cœmiterium, *octavo* altaria Baſilicæ recenſet, quorum cum magnꝯ ſit numerꝯ, illa eodem tempore ſimul extitiſſe haut credendum cenſet, ſed diverſo; cum poſt fundatam a Conſtantino Baſilicam, varii Pontifices ac Romanæ Eccleſiæ proceres eadem diverſis temporibus excitarint, ipſaque vario ætatum intervallo vel diruta, vel refecta, nomen mutarint & ſitum. *Capite nono*, in quo apſidem, feneſtras, tectum, picturasque deſcribit doctiſſimus Auctor, illas etiam commemorat, quas fieri curavit Formoſus Pontifex, quasque ſalutaſſe ferunt ejusdem cadaver, cum ad ſepulcrum deferretur, narratque fabrum quendam lignarium, Nicola delli Agnelleti da Vetralla vulgo dictum,

 cum

cum elaborandæ tecti a Benedicto *X*II reſtituti trabi inſiſteret, illaque commota ipſe caſui eſſet proximus, hoc periculo ita fuiſſe exterritum, ut dimidia ejus barba ſtatim caneſceret. *Decimo capite* de fronte & porticu Baſilicæ exponit, non omittens inter ſculpturas & picturas, quibus exornata fuere ſenſim a Pontificibus, illam, quæ coloribus repræſentavit inventionem corporum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quam accidiſſe perhibent A. C. 251 ſub Cornelio, cui dubitanti, quænam eſſent Petri, quænam Pauli oſſa, vox cœlo emiſſa dubitationē ademerit dicens, majora oſſa ſunt prædicatoris, minora piſcatoris. Eodem in capite monet, binas feneſtras, per quas lumen naves majores irradiabat, non expreſſas eſſe in tabula Equitis Fontanæ, crucemq; ex albo marmore, quæ in apice frontis collocata a Sylveſtro, formam Græcæ habuiſſe crucis, neq; fuiſſe radiatam aut eo modo exſculptam, ut a Fontana repræſentatur. *Sequentibus duobus capitibus* agit de novæ Baſilicæ exſtructione, a Nicolao V ope Bernardi (non Antonii aut Hieronymi) Roſſelini & Leonis Bapſtæ Alberti inchoata, & a Julio II continuata, qui uſus architecto primum Juliano (non Julio) a Sancto Gallo, eoque non ex Rhætia ſed Etruria potius oriundo, deinde vero Bramante, cujus juſſu veteris Baſilicæ dimidium disjectum ſtatim fuit, quam ruinam ægerrime tulit Michael Angelus Bonarota, qui Bramantis audaciam incuſavit, quod pretioſas columnas a Conſtantino magno erectas temere proſterneret, cum eas novis ædibus ſervare potuiſſet incolumes. *Capite decimo tertio & quarto* refert Cl. Autor, ut Leo *X*, demortuo Bramante, Romam revocaverit Julianum a S. Gallo, eique adjunxerit fratrem Jucundum Veronenſem Dominicanum & Raphaëlem Sanctium Urbinatem, qui nova & profundiora fundamenta ad paraſtates Bramantis ſuffulciendos jecerint, utque prioribus quidem Roma discedentibus, ultimo autem in ætatis flore mortuo, cura hujus fabricæ demandata fuerit Balthaſari Peruzio Senenſi, novam ideam Pontifici offerenti, Juliano vero ſuffectus fuerit patruus, Antonius a S. Gallo, qui Paulo III (parum enim ſub Adriano VI & Clemente VII promotum fuerat opus) novam rurſus ideam, eamque longe ampliorem Peruziana, obtulerit, cujus exemplar ex ligno a Labacco compactum & publicæ cenſuræ expoſitum, longitudinemque habens palm. 35, latitud. palm. 26, altitud. vero $20\frac{1}{2}$ palm. conſtiterit 4084 ſcutat. artifici munere 1500 ſcutatorum addicto: deniq; ut demortuo Laurentio Floren-

Florentino, vulgo Lorenzetto, qui fundamenta primum jacta novis ſaxorum molibus obfirmavit,& arcuatis circumquaq; operibus admovit fulcimenta, & anno ſequenti Antonio a S.Gallo morte abrepto, in MichaelemAngelumBonarotam,quamvis invitum,illorum partes translatæ fuerint,qui reprobarit ideam Antonii tanquamGothici quid olentem,nimis ſpatioſam,tenebricoſam & vix 50 annorum intervallo abſolvendam; quindecim autem diebus aliam compoſuerit,25 nummis tantum expenſis, qua novam Baſilicam repræſentarit minorē quidem mole, ſed auguſtiorem forma, & pulcherrimo ornatu ſplendidiorem, quæ mirifice placuerit Pontifici. Quousque ergo opus produxerit Bonarota, qui ſeipſum in epiſtola quadam Italica ad amicum Michel Agniolo appellat, in hoc quoque capite exponitur, ſed quæ geſta ſub Julio III, in *ſequenti*, ubi Cl. Auctor fuſius explicat, quantis cum difficultatibus conflictandum fuerit illuſtri huic Architecto, quanta ille ſedulitate & dexteritate, quamq; excelſo cumprimis animo fuerit prææditus, ut nec illum voces ſiniſtræ vulgi, nec artificum æmulatio, nec calumniæ obtrectantium, nec Principum contumeliæ adeo perculerint, ut de firma ſtatione mentis conſiliique ſui depelleretur. Quamvis enim honeſte diſcedere Roma potuiſſet, evocatus Florentiam a Magno Duce Etruriæ, omnia tamen perpeti maluit, quam ædificium, cui tot annos gratis operam ſuam impenderat,tali relinquere in ſtatu, quo liceret adhuc architectis diſcedere a præſcripta norma, ejusque recte facta aut conſulta ſuo errore corrumpere. Cum autem inter Bonarotæ inventa præ cæteris emineat tholus Baſilicæ impoſitus, cujus exemplar primum ex argilla,deinde ligno,a Gallo quodam fieri curaverat Michaël, qui id unius anni ſpatio perfecit; totum *caput decimum ſextum* tribuitur hujus tholi delineationi, cujus conſtructio ad Sixtum usque dilata fuit.Quamvis enim Pius IV Bonarotam novis æmulatorum moleſtiis afflictum in patrocinium ſuum recepiſſet, ipſe tamen, ut *capite decimo ſeptimo* traditur, Bonarota poſt aliquot annos die 17 Februarii A. C.1564 e vivis exceſſit,Florentiamque translatus tumulo,quem collegium pictorum,ſtatuariorum & architectorum ſuis manibus exſtruxerat, cohoneſtatus fuit. Pyrrho ergo Ligorio, quem jam Paulus IV fabricæ præfecerat,Pius IV ſocium addidit Jacobum Barozium, cui deinde ſoli Bonarotæ opus abſolvendum commiſſum eſt, cum Pontifex Ligorium a Bonarotæ veſtigiis diſcedere animadvertiſſet. Barozio defuncto, ejus diſcipulo Jacobo a Porta,

Romano

Romano, eadem provincia demandata fuit a Gregorio XIII, qui hujus directione & Thomæ de Cevaleriis conſiliis multa magnifica molitus eſt. Idem quoque Architectus, ut porro narratur *capite decimo octavo*, auſpiciis Sixti V, cum Equite Dominico Fontana, veſtigia legens Bonarotæ, tholum illum magnum viginti duorũ menſium ſpatio, adhibitis ſexcentis operariis dies noctesque collaborantibus, & centum aureorum millibus quovis anno conſumtis, exceptis laminis plumbeis, quibus tholus contegitur, & bracteis aureis, quibus coſtæ mirifice exornantur, nec non laterna, pila & cruce: quæ omnia deinde ſeptem menſibus confecta ſunt ab eodem architecto, præcipue auſpiciis Clementis VIII, quoniam, ut ex *capite decimo nono* conſtat, Urbano VII, Gregorius XIV, & Innocentius IX, qui biennii ſpatio Pontificiam occuparunt ſedem, temporum anguſtia prohibiti Sixti opus abſolvere non potuerunt. Hujus ergo juſſu eriſmata quoque æneis bracteis inauratis texit Horatius Cenſor, Romanus, artis fuſoriæ peritiſſimus, quibus poſtmodum ad alios templi uſus adhibitis ſimilia plumbea ſuffecta fuerunt; pilam autem æneam & crucem deauratam, cujus altitudo 25 palmis comprehenditur, ex ære conflavit Sebaſtianus Torriſanus, patria Bononienſis. Qui Gregorio ſucceſſit Leo XI nihil memoria dignum in Vaticanæ Baſilicæ fabrica peregit, ſed Paulus V, cujus acta prolixius referuntur *capite vigeſimo*, omnes ipſum præcedentes Papas tantum non poſt ſe reliquit, dum diruta reliqua parte Baſilicæ Conſtantinianæ, ope Caroli Maderni, ut verba inſcriptionis ab Urbano VII compoſitæ habent, Vaticanum templum a Julio II inchoatum & usq; ad Gregorii & Clementis ſacella aſſiduo centum annorum opificio productum, tantæ molis acceſſione univerſum Conſtantinianæ Baſilicæ ambitum includens, confecit, Confeſſionem Petri exornavit, frontemque orientalem ſeu porticum extruxit. Capite *viceſimo primo* doctiſſimus Bonannus, ſacella, altaria, tumulosque Vaticanæ Baſilicæ deſcribit, artificumque, qui illa ſculpturis aut picturis condecorarunt, nomina commemorat, meritis celebrans laudibus ſtatuam beatiſſimæ Virginis filium exanimem in gremio gerentis, quam Michael Angelus Bonarota, nondum annum agens vigeſimum quintum, exſculpſit. Cum autem artificem reprehenderent nonnulli, quod ſeniorem matre filium, & juniorem filio matrem, effinxerit, cauſam ab illo inquirenti Aſcanio Condivo ſuo familiari reſpondit Michael, non temere,

ſed jure a ſe id factum, quandoquidem Deiparæ virginum dotes conveniant, quæ puerperii, floridam juventæ venuſtatem utplurimum deturpantis, damnis non affliguntur; redemptoris vero corpus pœnis conſumtum a ſe efformatum, eam referens ætatem, in qua mortem obivit. Id quoque commemoratu non indignum cenſemus, cum picturæ bene multæ præſtantiſſimorum artificum, non tam temporis edacitate, quam humiditate & nitroſa carie parietum corroſæ & pæne obliteratæ eſſent, paucos ante annos Joſephum Montanum e patre Piſaurenſi Laureti natum, & non minus pictoria quam poëtica arte inſtructum, modum inveniſſe non ſolum pretioſas illas tabulas in priſtinum ſtatum reſtituendi, ſed inpoſterum etiam ab injuriis ſervandi incolumes, eumque ob hanc peritiam non tantum munere quingentorum & quinquaginta nummorum dignum judicatum ab Eminentiſſimis Patrib9, ſed & decreto generali facto A. 1694 d. 16 Junii & a Pontifice Innocentio XII probato, ſingulis eidem menſibus, quoad vixerit, duodecim ſcutatos nummos exſolvendos fuiſſe ſancitum. Ultimum ſacellum, ubi ſacri baptismatis fons aſſervatur, *capite vigeſimo ſecundo* delineatur. Hujus autem labrum Illuſtriſſimus Præſul Veſpinianus, auſpiciis Innocentii XII, ex porphyretico lapide, quo tecta olim fuit arca marmorea Ottonis II Imperatoris oſſa continens, ſecundum delineationem Equitis Caroli Fontanæ, fieri curavit conchæ figura, in qua perficienda ſudant adhuc artifices, & ſacellum quoque pretioſo & variegato lapide exornant. *Vigeſimo ſecundo capite* de antiquitate ligneæ cathedræ B. Petri ſtudioſe agit Auctor, & quod genuina eademque ſit, quæ a Pudente, qui Apoſtolum Romam venientem domi excepit, Petro oblata fuerit, contra ſecus ſentientes defendit, nihil ejus ſanctitati officere cenſens, quod Herculis monſtra domantis imagines præ ſe ferat; cum divinam virtutem in Petro nobis repræſentent, qui Herculis inſtar falſorum Deorum monſtra miraculis & doctrina feliciſſime confecerit. Hanc Eques Berninus ſub majori apſide inter ſepulcra Pauli III & Urbani VIII collocavit, juſſu Pontificis Alexandri VII, cujus nůmiſma A. 1663 cuſum opus illud magnificum repræſentat, cum hoc lemmate: ***Prima ſedes, Fidei regula, Eccleſiæ fundamentum.*** Includitur autem lignea cathedra æneæ, cui aurum ſuperinductum, quæque manibus quatuor Eccleſiæ doctorum ſuſtinetur, quorum duo Latini ſunt, S. Ambroſius Mediolanenſis E-

piſcopus, & S. Auguſtinus Hipponenſis Antiſtes; totidemque Græci, S. Athanaſius Alexandrinus, & Johannes Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus Patriarcha, quorum ſtatuæ palmos 17 altæ, ex ære quoque fuſæ & deauratæ ſunt. Hujus operis magnificentia vel hinc colligi poteſt; quod Equiti Bernino in præmium delineationis erogati fuere nummi ſcutati 8000, Joanni Artuſio de Piſcina, pro fundendi labore, ſcutati 28000, ærisq; pondus æquavit 219061 libras, reliquos ſumtus ut taceamus. Sed huic tamen monumento palmam præripit Confeſſio Petri ab Urbano VIII exornata, de qua fuſe exponit Auctor in *capite vigeſimo quarto*; traditque confeſſionis vocem non infrequenter ſcriptoribus eccleſiaſticis pro ſepulcro vel corpore Martyrum uſurpari, propterea quod, cenſente Bulengero, in altaris, quod martyri dedicatum, palliis aut tabulis argenteis, marmoreisque Confeſſio illius expreſſa plerumque fuit. Porro autem antiquam ejus ob oculos ponit ſtructuram, nec non immenſam auri argentique copiam, quam ſummi Pontifices in exornando Petri dormitorio effuderunt, altare ſimul deſcribens, quod ſubterraneæ huic ædiculæ imminebat, refertque ut ſepulchrum illud muris obſtructum fuerit anno 1200 ab Innocentio, ne Pſeudopapis ad illud acceſſus pateret, denuo vero apertum a Paulo V, pretioſisq; lapidibus, nec non auro & argento condecoratum, qui etiam ſacras cryptas Vaticanas, quas Clemens VIII figura crucis extruxerat A. 1594, ſacris veteris Baſilicæ monumentis ditarit, denique ut coronidem adjecerit exornationi altaris D. Petri Urbanus VIII, opera Equitis Bernini adjutus. Multi equidem fuerunt, qui Pontificis iſtius mentem ab hoc molimine avertere voluerunt, variis uſi argumentis; periclitari *primo*, ajentes, erga principem Apoſtolorum venerationem, ſi forte, cum terra egereretur, ſacri ejus cineres eo loco abeſſe deprehenderentur, ubi fidelium cœtus illos latere pie opinabatur, & perduelles Romanæ Eccleſiæ hoſtes negabant, multumque dedecoris in Pontificiam auctoritatem redundaturum, ſi (ut olim Sixto V accidit, cum D. Hieronymi corpus in extructo a ſe ſacello reperire non potuit) ſepulchrum quoque Petri non detegeretur: *ſecundo*, tanti theſauri jacturam imminere, propterea quod, cum eodem de loco quamplurima ſepulcra nulla inſcriptione notata alio transferenda ſint, facile accidere poſſit, ut Apoſtolorum principis monumentum, nulla fortaſſis nota inſignitum, cum iisdem amoveatur: *tertio* denique, ſepulcralem urnam, longa annorum ſerie facile

cile conſumtam, poſſe operariorum incuria in effodiendo dilacerari, atq; pretioſos cineres cum terræ glebis ita confundi, ut nunquam ſeparari, neque recognoſci amplius poſſent. Neque tamen a ſuo propoſito dimoveri ſe paſſus eſt Urbanus, ſed ex ære Corinthio auro obducto Mauſoleum ædificavit, cujus ſplendorem omnis merito mirabitur poſteritas. Tota moles, præter aurum quo fulget, æquare dicitur 186392 libras, in eaque perficienda Berninus novem integros annos inſumſit, quorum ſpatio trecentos nummos ſingulis menſibus illi exſolvere juſſit Pontifex, ea vero abſoluta, decies mille nummos Bernino largitus eſt, unumq; ex ejus fratribus in Baſilica Lateranenſi Canonicum conſtituit, alterum Clericis Vaticanæ beneficiatis addidit. Neque vero hic ſubſtitit Urbani magnificentia, ſed ut *ſequenti* traditur *capite*, quatuor ingentia loculamenta, quæ in pilis maximo hemiſphærio ſuppoſitis vacua erant, A. 1630 variis marmoribus incruſtavit, ac in iisdem ingentes ſtatuas marmoreas, 22 palmorum altitudine, collocavit. Harum prima eſt effigies Veronicæ efformata a Franciſco Mocho, cui præſtantiſſimo alias artifici id vitio datum fuit, quod currentis formam expreſſit, non vero ſtantis, ut ſtatuam decet, quæ a ſtando vel ſtatuendo nomen habet; altera eſt Longini Centurionis ab Equite Bernino expreſſa, tertia Helenæ ab Andrea Bolgio elaborata; & quarta S. Andreæ Apoſtoli, formata a Franciſco Queſnoy, vulgo Fiammingo dicto, qui quinque annis in ſtatua exſculpenda conſumtis, cum intellexiſſet, eam non eo in loculamento, quod illi deſtinaverat, collocatam, ſed Helenæ quaſi cedere juſſam, mœrore conſumtus vivere deſiit. Poſt Urbanum Innocentius X novo cælaturæ opere ornatis ſacellis, interjectis in utraque templi ala marmoreis columnis, ſtratoque e vario lapide pavimento, Baſilicam magnifice terminavit, ita ut eidem pavimento reſtituendam curarit rotam illam porphyreticam, ſupra quam Romanorum Imperator coronandus olim ſiſtebatur, antequam ad ſacrum Apoſtolicæ confeſſionis locum duceretur. Hæc ex illis, quæ de ipſa Baſilica retulit Bonannus, excerpere viſum nobis fuit. In reliquis enim capitibus de illis agit, quæ extra Baſilicam digna commemoratu occurrunt, nempe de porticu a Paulo V excitata plaſticoque opere exornata *capite vigeſimo ſexto*, in quo etiam ex Donati recenſet Roma, quomodo reſtitutum illud nobis fuerit, quod longa temporum ſeries & hominum oblivio ex officinis removerat. Factum id Julii II

tempore a Johanne Utinenſi, juvene promto & ſagaci, qui Romæ in comitatu & contubernio Raphaelis erat artis pictoriæ ſtudioſus. Cum enim in cryptas, quas in Titi Cæſaris palatio ac thermis Eſquiliarum ea tempeſtate effoderant, cum magiſtro frequenter deſcenderet, miratus parietinas plaſticis toreumatis loricatas, quæ quamvis tot ante ſeculis ſepulta, adhuc tamen vegeta & integra vetuſtatem ſub terra, quaſi ex tuto, non ſenſerant, factis aliquot experimentis deprehendit, nihil aliud fuiſſe intritam veterum plaſtarum, quam marmoris contuſi candidum & cribro excretum pulverem, macerata cum calce ſubactum ac mollitum. *Capite vigeſimo ſeptimo* verſatur in deſcribendis quinque Templi janubis, quæ modo æneæ, modo argenteæ, modo ligneæ olim fuerunt; *vigeſimo octavo* autem in delineanda porticu & Mœnianis, in quibus ſoliti Pontifices triplicem capere coronam, & plaudentem populum ſalutari prece ſignoque luſtrare, & *vigeſimo nono* in deſignandis turribus campanariis, quarum fundamenta jacere juſſit Paulus V, ſed non abſolvit, hac potiſſimum de cauſa, quod labile fundamentum judicatum fuerit, ineptumque ad novum pondus turrium ferendum, quas Madernus delineaverat. Nihilominus tamen Urbanus VIII Berninum in auſtrali angulo turrim exſtruere juſſit, ſed cum a turris mole fornicum porticusque rimulæ magis indies relaxarentur, mortuo Urbano Innocentius X deſtrui fecit illam molem, conqueſtus poſtmodum, quod imperiti cujusdam adminiſtri ſuaſione importuna, ad demolitionem turris præcipiti decreto properaſſet, quæ incolumis ſervari potuiſſet, ſi Martini Longi conſilio locus fuiſſet relictus. Porro *capitis trigeſimi* argumentum ſunt ſcalæ ante Baſilicam poſitæ, quarum ſucceſſu temporis varius fuit numerus graduum, donec tandem Alexander VII illos ad 21 gradus in triplicem ſeriem diſtributos reduxit. Rectas ſcalas interjacet ſemicircularis, per quam Pontificis & Regum ſedilia facile convehuntur, adſcenditque ſingulis annis, ſolenni D. Petri feſto, tributarius Regni Neapolitani mannus. Eam Numidico lapide ſtravit Berninus, gradibus ita ſagaciter incurvatis, ut cum rectis gradibus, licet altioribus, apte conjungantur, planamque intermediam aream apte ſuperent. *Capite trigeſimo primo* de porticibus ab Alexandro VII ovali figura magnifice extructis, *trigeſimo ſecundo* de fontibus exponit Auctor, in amplo porticus theatro collocatis. Quorum unum, quem in Vaticana platea Paulus V conſtituerat,

tuerat, poſtquam aquam olim dictam Trajanam in agro Braccianenſi e ſaluberrimis fontibus collectam, veteribus aquæ Alſeatinæ ductibus reſtitutis, noviſque additis, (unde & Paulam e nomine ſuo adpellavit) in Urbem derivaverat, Alexander VII ſuo loco amotum collocavit in area porticus, eique ſimilem Eques Carolus Fontana in oppoſita parte meridiem reſpiciente poſuit. Sed pergamus cum Auctore ad obeliſcum a Sixto V in foro Vaticano erectum, ad quod arduum opus, ut ex *capite trigeſimo tertio* patet, Pontifex e quingentis architectis, qui Romæ convenerant, elegit Dominicum Fontanam, ex pago Miliagri Novocomenſem, êique primum addidit Jacobum a Porta & Bartholomeum Ammanatum, deinde vero ſoli Fontanæ, metuenti ne, ſi forte optime a ſe cogitata alii minus recte exſequerentur, ſibi ut inventori culpa tribueretur, totum opus commiſit; quem deinde, re feliciter confecta, non ſolum operarii humeris exceptum, nova triumphi pompa, inter fauſtas acclamationes, nec non tympanorum ſonitus & tubarum clangores, domum detulerunt, ut tanti artificis peritia celebraretur, ſed etiam lætus ſummus Pontifex regiis muneribus ditavit. Collo enim ejus torquem aureum juſſit imponi a Cardinali Azzolino, cui addidit quinquies mille aureos nummos, penſionemque annuam duorum millium nummorum aureorum, nec non fructus decem millium aureorum, quos decem milites Lauretani ſingulis annis percepturi erant; trabes inſuper omnes, funes, ferrum, ac inſtrumenta omnia, quibus in glorioſo opere uſus ille fuerat, quorum valor viginti millia nummorum æquabat. Tandem poſtquam Cl. Auctor partem Baſilicæ exteriorem minoresq; tholos *trigeſimo quarto* capite deſcripſit, de palatio quoque Vaticano agit in tribus capitibus ultimis. Nam *capite trigeſimo quinto* de porta commentatur palatii Vaticani extructa a Paulo V, quam evertere coactus fuit Berninus, cum eidem ab Alexandro VII ampliſſimæ porticus ac novæ ſcalæ conſtruendæ cura fuiſſet commiſſa. Hic enim Pontifex animadvertens ſcalam, per quam ad aulam Regiam adſcendebatur, peſſime conſtitutam, & tanti palatii dignitati parum eſſe conſonam, adeoque obſcuram, ut ſummi Pontifices, cum e palatio in templum ſella geſtatoria deveherentur, ac Purpuratorum ipſos comitantium cœtus tenebricoſum tranſitum exhorreſcerent, præcepit Bernino, ut arduum illud opus moliretur; qui non raro faſſus eſt amicis, quod ſi unquam ex aliquo opere gloriam lucra-

tus fuerit, ex hac certe ſcalarum conſtructione, in qua tot difficillimæ res generoſis auſis ſuperandæ fuerint, a poſteris ſe ſibi laudem aliquam polliceri. Sunt autem ſcalæ illæ exornatæ a Bernino exſculpto ſimulacro Magni Conſtantini, equo inſidentis admirantiſque crucem, quæ auro ſplendida in oppoſito arcu rutilat. *Capite trigeſimo ſexto & ſeptimo* habetur tum chronologica palatii Vaticani deſcriptio, oſtendens quæ nam partes a quibusque Pontificibus vel ædificatæ, vel exornatæ fuerint; tum ichnographica ejusdem explicatio, quod ita ſpatioſum eſt, ut plura quaſi oppida comprehendat. Sunt enim in eodem duodecim ampliſſimæ aulæ, duo maxima ſacella ad ſacras Pontificum functiones accommodata, duodecim alia minora, ſcalæ nobiliores viginti, atria plura quam decem, officinæ quamplurimæ, cubicula pro omnibus palatii adminiſtris, alia denique pro ipſo Pontifice millenarium ſuperantia numerum, præter inferiora domicilia famulorum, ſubterraneasque cellas variis uſibus deſtinatas, quæ cubicula, ſi in unam ſummam redigantur, numerum 3000 excedunt.

Ultimo loco monendus eſt Lector, Bonannum, ubi ad Auctores provocat, pleraque propriis ipſorum verbis, barbarie licet inquinatis, protuliſſe, ne ſtylo elegantiori, ut ait, depravarentur; parteſque Baſilicæ præcipuas tabulis eleganter pictis æriqne inciſis repræſentaſſe.

## *JUS DEI FOEDERALE, DELINEATUM A JOH. WOLFG. JAGERO, S. S. Theol. D. Sereniſſ. Wirtemb. Ducis Conſiliario, General. Superint. & Abbate Maulbronnenſi.*

Tubingæ, apud Joh. Georgium Cottam, 1698, 8. Alphab. 1.

Operis majoris de fœdere gratiæ ejusque ſponſore prodromum appellat librum hunc in ipſo titulo Maxime Reverendus Auctor, quandoquidem in eo de fœdere ſolum primo, quod cum ſtante adhuc homine ſupremum Numen iniiſſe novimus, agere inſtituit, ad fœdus iſtud novum, quod per Chriſtum ſancitum fuit, alio tempore progreſſurus. Ubique vero ad partes vocat Illuſtrem Pufendorffium, quem in tractatu de jure Dei feciali utrumque fœdus magno cum acumine expoſuiſſe confitetur, ſed ita tamen, ut eum nihilominus a veri linea interdum abiiſſe ſu-

ſuperaddat, ideoque incumbere ſibi arbitretur, ut ipſum modeſte in viam reducat. Quo autem inoffenſo pede in hoc campo progrediatur, tricas prius, quæ ex nominibus ſuboriri poſſent, removet, ſenſumque vocabulorum, & Hebraici ברית & Græcorum συνθήκη atque διαθήκη latius examinat, ac de fœdere proprie ſic dicto ſe heic acturum pollicetur. Et tale omnino cum primo homine, inque eo cum toto genere humano, per temperamentum quoddam majeſtatis ac bonitatis ſuæ Deum pepigiſſe affirmat, ſententiamque ſuam ex præmio vitæ æternæ, Adamo ſub conditione præſtitæ legi obedientiæ liberaliter promiſſo, imprimis roborat. Alieni vero cum nonnulli ſint ab hac ſententia, hinc rationes eorum ad examen Auctor revocat; non obſtare ratus, quod Deus abſolutus creaturarum omnium ſit dominus, ac proinde leges ad arbitrium & ex mero placito præſcribere valeat: dominio enim hoc abſoluto circa hominem, ſicuti & circa angelos, eum uti noluiſſe, ſed id per miram quandam συγκατάβασιν temperaſſe reſpondet. Porro in fœderibus de mutua utilitate, lucro, defenſione, utrique parti proſpici, nihil autem horum ad Deum redundare, adverſariis concedit quidem, ſed inde tantum iſtud ſequi ait, non dari fœdus quoddam æquale inter Deum & creaturam, nec tale, quale ſit inter homines; plane ſicut recte aſſeratur, juſtitiam commutativam non dari inter Deum & hominem, & ex eo tamen colligere haud liceat, quod juſtitiæ commutativæ virtus in Deo plane non reperiatur. Tametſi denique officium ab homine præſtandum antecedenter ad fœdus utique debitum jam fuerit, Deum tamen in hoc oſtendere voluiſſe notat, quam liberaliter cum homine ageret, dum cultum & obſequium haud fruſtra, verum ſub opulentæ remunerationis ſpe exegerit, iſtaque ratione ſemetipſum debitorem, non vi quidem juſtitiæ, ſed vi tamen veritatis, effecerit. Atque in hoc fœdere conſiderandum ſiſtit Adamum tanquam totius humani generis caput, & naturale, primumque ejus parentem, & morale, ac velut quendam ſyndicum, qui non pro ſe tantummodo contraxerit, ſed & pro univerſa poſteritate, & bona ſibi qua ſtatim collata, qua promiſſa, tanquam bona communia toti naturæ, & ſibi & ſuis habuerit vel amiſerit. Voëtium igitur, Maccovium, aliosque e rigidioribus Calvinianis, qui labem originalem non per naturalem & ſeminalem, ſed per fœderalem curſum propagari ſtatuant, refellit. An vero & Pu-

fen-

fendorfius iisdem fuerit adſtipulatus, non ſatis liquere ait; fœderis certe ſolius ipſum meminiſſe, capitisque naturalis rationem omiſiſſe, obſervat. Placæum dehinc, Amyraldum, & ſequaces, qui Adamum caput morale & fœderale fuiſſe negent, itidem refutat. Quod ad promiſſionem divinam in hoc fœdere attinet, vitæ illam æternæ fuiſſe probat, indeq; non adverſus Socinianos modo & aſſentientem hiſce Epiſcopium, quorum hic non minus atque illi nihil fuiſſe promiſſum doceat, verum Cameronem quoq; & Amyraldum, Paradiſi ſolum terreſtris beatitudinem in fœdere hoc promiſſam ſtatuentes diſputat. Vitam vero æternam Deum ſub conditione legis perfecte implendæ hominibus pollicitum fuiſſe, iſtamque conditionem Protoplaſtos acceptaſſe, uberius evictum dat. Sigillum atque Sacramentum fœderis arborem vitæ conſtituit, ac viciſſim in arbore ſcientiæ boni & mali nullam Sacramenti rationem agnoſcit, iſtoque pacto & a Witſio & a Pufendorfio, hanc ad iſtam dignitatem evehentibus, plane recedit. Arborem enim ſcientiæ boni & mali argumentum fuiſſe & ſignum voluntatis divinæ abſolutæ, & indicaſſe, quod Deus imperium habeat illimitatum in creaturam rationalem, etiam quam imagine ſua inſtruxerit: Sacramenta autem eſſe media efficacia & collativa alicujus favoris divini, uti arbor vitæ medium conſervandæ & in infinitum prorogandæ vitæ fuerit, cum contra arbor ſcientiæ boni & mali mortem fuerit minata; ſicuti & per eam conditio hominis primi facta fuerit deterior, cum naturalem libertatem circumſcripſerit; at Sacramenta eſſe pignora gratiæ & ſigilla promiſſiones Divinas obſignantia, quorum uſus utentium felicitati inſerviat. Ne tamen quis exiſtimet, ac ſi eo pacto favere velit Reformatis, qui Sacramenta pro nudis ſignis habeant, idcirco magnum eſſe inter Sacramenta fœderis operum & fœderis gratiæ differentiam oſtendit. Prolixus porro eſt in eo, ut evincat, primum hominẽ ſufficientibus ad implendam fœderis conditionem inſtructum viribus fuiſſe, eaque fini ſingulas ejus potentias perluſtrat, ac in intellectu primum ſapientiam & concreatam, & ſupernaturalem, & acquiſitam deprædicat; Adamum quoque vi Theologiæ naturalis cognitionem de Deo ut uno & trino habuiſſe affirmat. Aſt potentiam credendi in Chriſtum eidem abjudicat, ſi τὸ credere id, quod fiducialiter meritum Chriſti apprehendere, deſignet. Fidem namque in illo ſenſu ſpectatam non contentam fuiſſe ait in lege cordi Adami inſculpta, ſed datam a Deo poſt lapſum, ut eſſet inſtrumentum apprehendens meritum & ſatisfactionem Chriſti, qui ſit ſponſor, mediator & fun-

fundator fœderis Evangelici; nec vitam ſpiritualem in primo homine conſtitiſſe in fide ſeu potentia credendi in Chriſtum, ſed in illa habituali ſanctitate & juſtitia; adhæc fidem ſeu fiduciam in Chriſti meritum accendi tantum verbo Evangelii, hoc autem eſſe ſpecialiſſimum beneficium gratiæ fœderalis in Chriſto ſancitæ. His deductis, circa voluntatem primi hominis libertatem atque ſanctitatem, & circa appetitum ſenſitivum rectitudinem ejusdem conſiderat. Singulas vero iſtarum qualitatum non ſupernaturales fuiſſe, ſed naturales, aſſerit, purorum vero naturalium ſtatum penitus exterminat, eaque occaſione ad Vincentii Contenſonii ζήτημα excurrit: an Deus creare potuerit hominem tantum ut animal rationale, riſibile, admirativum, & ſic in ſuis conſtitutivis atque conſecutivis, non ut in ſe ſentiens rebellionem inter appetitum ſenſitivum & rationalem, ſed ut habens omnia in ſe, in ordine & in pace? Ubi quidem Deum de potentia ſua abſoluta hominem ita creare potuiſſe haud inficiatur; at ſi de potentia & proceſſu divino ordinario ſermo ſit, poſſibilem illum ſtatum non fuiſſe exiſtimat, quippe cum eundem nunquam extitiſſe in confeſſo apud omnes ſit. Sicut autem hactenus de anima primi hominis diſſeruit, ita nunc ad corpus ejusdem pergit, atque præter hujus impaſſibilitatem, immortalitatem maxime adverſus Socinianos vindicat, ac Pufendorfio quoque non ſatis pro dignitate hujus qualitatis primo homini conceſſæ judicanti contradicit. Dominium in creaturas non ad conſtitutiva divinæ imaginis, ſed ad ejus conſecutiva refert. Ad legem primo homini datam delatus, duplicem eam facit, inſcriptam alteram, alteramque præſcriptam. Iſtam quoad radicem & fundamentum, amorem nempe Dei & proximi, eandem conſtituit cum Decalogo, ejusque fontem juſtitiam & ſanctitatem Dei eſſentialem nuncupat, ac ideo cum Vitriario, indifferens voluntatis divinæ arbitrium potius allegante, in pugnam deſcendit; quocum Pufendorfium per omnia facere minime largitur, hujusque ſententiam de moralitate actionum ex impoſitione legislatoris dependente, eo ſenſu admitti poſſe docet, ut reſtringatur ad moralitatem relativam, quæ per ordinem ad legem emergat; præter quam tamen alia adhuc ſit moralitas fundamentalis ſeu intrinſeca, quæ a lege præſcindat, ita, ut etiamſi lex non eſſet, tamen actus aliquis, ſicuti & ejus objectum, intrinſece aut bonus aut malus diceretur, & hanc non aliunde niſi a divina ſanctitate dependere autumat.

tumat. Legem dehinc primo homini præſcriptam ex Gen. II, 16. 17. repetit, inque ea palmariam fœderis conditionem latuiſſe, prout contendat Pufendorfius, haudquaquam concedit. Nam uti poſitiva hæc lex palmaria non fuerit, ſed titulus hic legi de amando Deo & proximo potius conveniat: ita neque iſtam conditionem fœderis palmariam fuiſſe regerit; unde & Jacobus mandatum illud de Dei proximique amore legem regiam appellet, quod cognomen ad nullam e poſitivis trahendum ſit. Poſt inſinuatas rationes, cur ea lex a Deo data? & refutata denuo ex inſtituto Witſii, arborem ſcientiæ boni & mali Sacramentum efficientis argumenta, ad arborem vitæ ſe confert, ac nec ejus vim medicam, nec ipſam typum Evangelii fuiſſe cenſet. Legem de Sabbatho jamtum in ſtatu primo locum habuiſſe, vero putat eſſe ſimillimum. Circa quæſtionem: an in primo fœdere locum habuerint ſacrificia? ita ſe gerit, ut & Pontificios redarguat, qui ea Juris eſſe Naturæ ſtatuant, & quosdam e Patribus, qui ad alterum extremum prolapſi, ne a Deo quidem præcepta, ſed permiſſa tantum eadem fuiſſe ſentiant. Ipſe autem medium tenere allaborans, per ſacrificia novi fœderis dedicationem factam fuiſſe perhibet; unde pro eorundem primaria intentione & ſcopo principali Evangelicam repræſentationem habet. Quemadmodum autem hominem cito nimis factum conſtat fœdifragum, ita non poteſt Auctor maxime Reverendus, quin de triſtiſſima fœderis primi violatione ſuas meditationes ſubjungat. Et ejus quidem auctorem deſignat Diabolum, cujus machinationes ex hiſtoria Moſaica diſtincte proponit, ac gravitatem peccati a Protoplaſtis commiſſi urget, Helmontii commenta de carnis luxuria primo peccato mortisque cauſa ſimul explodens. Ad perſeverantiam homines primos auxilio divino opus omnino habuiſſe contendit, ab eorum tamen liberrimo motu, flexu & nutu iſtud pependiſſe ait, an adjutorio illo uti vellent aut nollent: unde auxilium in ſtatu integro collatum non fuerit adjutorium voluntatis ſeu volitionis & actionis, ſed tantummodo poſſibilitatis, quo fieret, ut poſſent perſeverare, ſi vellent, ſive quo ſola poſſibilitas perſeverandi juvaretur. De cætero fœdus illud ex parte quidem Dei adhuc ſtare monet, nullusque dubitat, quin, ſi hodie daretur homo, qui in Adamo non peccaſſet, & impleret fœderis conditionem, promiſſum ille præmium vitæ æternæ eſſet obtenturus. Aſt culpa tamen hominis antiquatum iſtud teſtatur, dum, quia homo

fidem

fidem datam fregerit, Deus ideo non amplius teneatur ad promiſſa ſua, idque eo magis, quoniam ſe homo prorſus incapacem fecerit ad fœderis conditiones adimplendas; unde jure optimo Deus declararit, nullum amplius hominem per fœdus hoc vitam æternam poſſe conſequi. Cum interim fœdus omne, in caſum violationis, ſanctionem pœnalem adjectam habeat, inde & mortis comminationem, a Deo fœderi primo ſuperadditam, ex Gen. II, 27. allegat, eamque non præcepto ſolum poſitivo de non comedendo, ſed naturali itidem adjunctã, ac ſub mortis nomine, præter ſolutionem animæ a corpore, mortem etiam ſpiritualem, imo æternam, intelligendam; minas quoque iſtas divinæ & juſtitiæ, & ſanctitati, & majeſtati quam maxime conformes fuiſſe innuit. Nec iniquam vocari debere factam poſteris iſtius fœdifragii imputationem probat, & hanc non mediate tantum per labem inhærentem ab Adamo in ſingulos homines propagatam fieri, adverſus Placæum fuſius demonſtrat. Hominem præterea, etiam antiquato fœdere legali operum, nihiloſecius ad exacte ſervandam legem divinam connatam adſtrictum manſiſſe infert, cumque hanc aſſertionem nervoſe admodum ſtatuminarit Pufendorfius, prolixius eandem contra Arminii alia omnia ſentientis objectiones defendit. Denique in providentia divina circa primi iſtius fœderis violationem explicanda, ita inter duos ſcopulos navigandum præcipit, ut neque otioſum Deum ſpectatorem faciamus iſtius certaminis, ex quo totius generis humani fata, quin & univerſæ naturæ ordo pependerint, neque injurii ſimus in ipſius ſanctitatem, cauſam mali in eum refundentes, qui hujus ſeveriſſimum ultorem ſe exhibeat; quem poſtremum tamen ſcopulum omnium minime evitent Prædeterminantes, prout nec celeberrimi Viri, Spanhemius, Burmannus, Pictetus, diverſas licet vias ingreſſi, ab eo ſatis ſibi caveant.

*THE ABYSSINIAN PHILOSOPHY CONFUTED, OR, TELluris Theoria neither ſacred, nor agreeable to reaſon, &c,*

h. e.

*HABESSINIANA PHILOSOPHIA CONFUTATA, SEU TELluris Theoria nec ſacra, nec cum ratione conveniens, &c.*
*auctore ROBERTO St. CLAIR.*

Londini apud W. Neuton, 1697, 12. plag. 12.

Quem

Quem in Actis Eruditorum A. 1692 M. Nov. pag. 505 ſqq. laudavimus, doctiſſimi Ramazzini libellus de fontibus Mutinenſibus, in Anglicum idioma converſus, diſſertationeque præliminari contra Burnetium, & notis doctisſimi Roberti S. Clair auctior, ſuperiori rurſus anno in lucem prodiit, titulum ideo præferens Habesſinianæ Philoſophiæ confutatæ, quod Ramazzinus cap. IV ex Franciſci Patricii libro Italico de antiquorum Rhetorica, excuſo Venetiis apud Franciſcum Senenſem A. 1562, oſtendit, Burnetii hypotheſin novam non eſſe, ſed jam inter Habeſſinos quosdam olim fuiſſe receptam. Ut ergo paucis ediſſeramus illa, quæ contra Burnetium diſputat Robertus, primum loca Scripturæ S. quibus hypotheſin ſuam ſuperſtruit Burnetius, ab ejusdem explicationibus vindicat, & ad *2. Pet. 3. v. 5. 6.* reſpondet, ipſo Burnetio fatente, ſacram Scripturā non eſſe conſignatam literis, ut Philoſophiam nos edoceret; deinde nullum Apoſtolo coævum ſcriptorem hanc foviſſe ſententiam, aquas terram circumdediſſe, ut albumen ovi vitellum, neque Apoſtolum reprehendere homines propter ignorantiam in philoſophiæ naturalis quodam argumento, ſed propter atheiſtica principia (vid. v. 3;) adeoque hunc textum contra Burnetium militare, cum illos objurget Petrus, qui mundi originem ex materia legibus mechanicis mota derivant, excluſa divina potentia, cujus neque Burnetius mentionem faciat. Ad aliud argumentum ex Pſ. *24.* 2. petitum, quo ſuper aquas fundatam cruſtam terræ probare ſatagit Burnetius, regerit, particulam על in idiomate Ebræo ſignificare etiam *juxta*, ut ex Pſ. *2.* v. 3 patet; Proverb. VIII. 27. autem jungenda monet eſſe loca Job. XXV. v. 10. 11. Pſ. 104, 9, ex quibus loci controverſi explicatio petenda, cum diſerte ſatis teſtentur, littora eſſe terminos, quibus cohibetur mare, ne terram inundare poſſit. Contra autem objicit Burnetio Pſ. 104. v. 5, qui evincat, terram a Deo ſemel fundatam perſtitiſſe, nec, ut vult Burnetius, in abyſſum ruiſſe præcipitem. Negat quoque, ſi vel ipſa Burnetii hypotheſis admittatur tantisper, tantam, poſt primam præcipitationem, particularum terrearum copiam in aere potuiſſe manere reſiduā, ut magnæ cruſtæ terræ oleo admixta conſtituendæ ſufficeret. Porro urget, terram jam aridam fuiſſe & denſatam, teſte Gen. 1. v. 9, ante creationem Solis, quæ demum quarta contigerit die, neque proinde conſolidatam ab æſtu Solis. Atque ſi vel maxime detur, fieri id potuiſſe in Zona torrida, negat tamen id accidere

potuiſſe


potuiſſe circa polos, atque ideo ob presſionis inæqualitatem ne quidem formari ovalem illam figuram potuiſſe. Præterea objicit, a Burnetio non definiri rationem, quam oleum ad terram admiſcendam habuerit, neq; determinari, ad quam olei profunditatem terra commiſcenda deſcenderit, ut calore Solis potuerit hæc miſtura in cruſtam excoqui, cum in ipſa Zona torrida Solis radii aquam non admodum alte penetrent; ut nautarum conſtet experimento, qui potum refrigerandum in mare immergant. Si autem dicat, prope ſuperficiem olei coaluiſſe cruſtam, monet hinc conſequi, magnam adhuc olei copiam perſtitiſſe infra cruſtam, fractaque terræ teſta, Oceano innatare debere, quod tamen nullibi compareat. Porro abſonum eſſe judicat, dicere terræ cruſtam ante creationem piſcium & volucrum, quæ quinto die facta eſt, concreviſſe, cum rationi conſentaneum non ſit, piſces usque ad diluvium in clauſa vixiſſe abyſſo, neque explicari ſatis poſſit, quomodo cruſtam illam perrumpere potuerint aves recens creatæ, aut qua ratione benedictio divina locum habuerit, quæ homini dominium tribuit in piſces maris, ſi denſa illa cruſta ab homine fuiſſent ſejuncti. Queſtus porro, Burnetium contradicere Scripturæ in ſitu Paradiſi definiendo, dum illum in Africam tranſtulit, ad Waltherum Rawleigh provocat, qui in Aſia illum fuiſſe demonſtrarit. Tandem ad hypotheſin fractæ telluris cruſtæ diluvii tempore falſi coarguendam, quærit ex Burnetio Robertus, quid factum illi terræ parti, cui arca inſiſtebat? quæ procul omni dubio, ſi & ipſa deſidiſſet in abyſſum, arcam quoque in mare præcipitaſſet, ingenti cum exitio animalium eadem comprehenſorum. Tandem vero aliam proponit hypotheſin circa modum, quo probabiliter diluvium fieri potuerit, ſupponens magnas in terræ viſceribus eſſe cavitates aquis repletas, quæ cum Oceano communicent, in illisque dari mineralia & metalla varia. Quemadmodum ergo in ſiphone, cujus crus brevius ſphæra vitrea inſtructum, ſi eidem aqua repleto injicias limaturam ferri, affundasque parum olei vitrioli, ex colluctatione metalli cum ſale acido aer generatur, qui occupans ſphæram ſiphonis deprimit aquam in crure breviori, & in productiori adeo attollit, ut quoque extrudat, ceſſante vero illo conflictu aqua denuo ſubſidit: ita cenſet potuiſſe diluvii tempore talem fieri congreſſum ſalium cum metallis variis in terræ cryptis concluſis, ut genitus ſubito & ſe expandens aer, non tantum quibusdam in locis disjiceret terræ mo-

lem incumbentem, fonteſque abyſſi aperiret, exitum præbentes variis effluviis mineralibus & metallicis, ingentes illos nimbos cum maximo fragore tonitruque concitantibus, turbataque aeris temperie contrahentibus hominum poſt diluvium viventium ætatem; ſed etiam aliis in cavitatibus collectus & rarefactus ita urgeret aquam ſubjacentem, ut inundaret terram, ipſoſque montes contegeret, ſopita autem efferveſcentia illa denuo intra priſtinos terminos rediret. Adjecit huic Diſſertationi Auctor experimenta nonnulla miſcellanea, primum agens de lampadum æquabiliter ſemper lucentium præparatione, jubensque vaſculum præparare *aa*, inſtructum operculo & tubulo ex ejus fundo aſſurgente *bb*, ejus altitudinis, ad quam oleum infundi ſolet. Huic aqua primum immittitur ad altitudinem *c c* inferius os tubuli operiens, cui deinde oleum ſuperfunditur. Accenſo vero ellychnio, tubulo *b* aptatur vaſculum aliud, ex quo tantum aquæ guttatim deſtillat in ipſum, quantum olei abſumitur, quo fit, ut olei ſuperficies in eadem ſemper altitudine detineatur. Porro modum proponit majori in copia ſulphuris oleum per campanam adipiſcendi, ſi adhibeatur vas *bb* duobus tubis recurvis *aa* inſtructum, per quos aer ingredi poſſit, cui aptandum vitrum *cc* collo *pp* præditum, cui deinde recipientia aliquot vaſa *ff* aqua aliquouſque repleta, mediante canale recurvo *ee* applicantur. Tandem monet, multo ſibi prius quam Hombergio phoſphorum (qui tamen vix hoc nomine dignus ſit) innotuiſſe ex ſale Ammoniaco & calce viva paratum, & a Boyleo ſalis fuſilis nomine fuiſſe donatum, cum maſſa hæc facile per deliquium ſolvatur in liquorem, qui evaporatus diu fluorem retineat, ſed remotus ab igne ſtatim concreſcat, atque modico igne denuo fundatur. Quamvis autem hic liquor ſingularis ſit, in frigido quippe diſſolvens ſublimati corroſivi pondus ſibi æquale, & ex hac ſolutione ſpiritum ſanguinem depurantem, moſchique odorem ſpargentem, parare doceat Quercetanus, teſtatur tamen Auctor experientia nixus, fallere hac in re Quercetanum, graviterque invehitur in auctorem Londinenſis Diſpenſatorii, quod hunc proceſſum libro ſuo inſeruerit. Notæ Ramazzini libro adjectæ paucæ admodum ſunt, & ad Hydroſtaticam potiſſimum referendæ. Præcipuæ ex illis ſunt ſequentes. Male Ramazzinum dubitare, utrum preſſura fluidi horizontalis ſit æqualis preſſioni perpendiculari ejuſdem altitudinis, nec ne. Urinatores nullum ſentire dolorem a preſſione

TAB IV. Fig. 1.

Fig. 2.

TAB. V. ad A. 1698. pag. 222. ſqq. M. Maj.



one aquæ Oceani, quoniam aer ſuccis animalibus admixtus, qui fibras corporis humani tubuloſas replent, efficit elaſticitate ſua, ut preſſione illa fibrarum parietes quidem arctius conjungi, non vero ſibi adprimi vehementer poſſint, ut adeo, perinde ac veſica, quando excreta urina contrahitur, doloris expers eſt, nec ipſæ fibræ ſua contractione moleſtiam aliquam nobis afferant. Rationem, cur urinator aſcendat aquam deorſum pellens, deſcendat aquam ſurſum protrudens, hanc eſſe, quod aqua reſiſtat motui manuum, atque ita corpus in contrariam partem projiciatur. Qui deſcendunt in campana urinatoria, ſentire aliquam compreſſionem, dum deorſum feruntur, non vero quando in fundo maris quieſcunt. Mare Caſpium ſe exonerare in Sinum Perſicum. Ætnam furentem aquam cum igne ſimul quandoque eructare, quia rarefactus in viſceribus montis aer aquam, cui imminet, qua data porta expellit.

## *JAC. B. DEMONSTRATIO SYNTHETICA PROBLEMATIS DE Infinitis Cycloidibus absque adminiculo infinite parvorum; item Conſtructio aliorum huic affinium a ſe propoſitorum menſe Majo A. 1697.*

CUm ſub finem anni 1696 ſolutione mea Problematis de Curva celerrimi deſcenſus, quam omnibus nunc conſtat eſſe Cycloidem, Lipſiam paranda occuparer, animum ſubiit aliud, huic quidem quoad materiam affine, ſed quoad applicationem methodi de maximis & minimis plane diverſum, quo videl. porro quæritur, quænam ex infinitis Cycloidibus illa ſit, per quam deſcendens grave ad datam quandam poſitione lineam citiſſime pertingat. Et quoniam ex conſideratione ſimilitudinis Cycloidum ſolutioni viam patere illico videbam, indeque animadvertebam, modum operandi in omnibus aliis Curvis ſimilibus eundem exiſtere, imo non ad deſcenſum tantum celerrimum, ſed ad plurimas alias curvarum functiones applicari poſſe; quemadmodum ſi quæratur ex infinitis curvis ſimilibus illa, cujus inter commune principium & datam poſitione lineam interceptus vel arcus, vel area, vel nata converſione arcus ſuperficies, aut ſpatii converſione ſolidum ſit minimum &c. conſtitui Problema non minus utile quam elegans publice proponere, ut & alii ejus contemplationi vacare, mecumque in par-

partem ſolutionis venire poſſent. Ad imitationem itaque Fratris, qui in Programmate ſuo Problemati de Curva celerrimi deſcenſus alia minus principaliora adjunxerat, primario meo de Figuris Iſoperimetris Problemati ipſi viciſſim proponendo alterum hoc ſecundarium ſubjeci, ſed duobus tantum verbis, & in caſu duntaxat ſimpliciſſimo lineæ rectæ verticalis, nec niſi Cycloidis, Circuli, Parabolæque facta mentione, ſtudioque etiam ſuppreſſa voce curvarum *ſimilium*, tum quod perſuaſum haberem, qui in una quæſitum præſtiterit, in omnibus pariter illud præſtiturum eſſe, tum quoque ne fundamentum ſolutionis nimis aperte darem. Factum autem eſt, hoc non obſtante, ut præter Fratrem Illuſtrisſimus quoque Vir D. Marchio Hoſpitalius adyta problematis optime penetraret, ſolutionemque non tantum hujus, ſed & aliorum hujus occaſione a Fratre m. Aug. 1697 Diarii Gallici propoſitorum nupero Actorum Januario exhiberet. Ego itaque, ne actum agam, nec tamen etiam nihil inventi mihi afferam, cum totum jure potuiſſem, illa tantum quæ ab Illuſtriſſimo Viro Fratreque meo intacta relicta ſunt, delibare breviter, ac primo quidem Problematis a me in in Cycloide propoſiti demonſtrationem ſyntheticam citra adjumentum infinite parvorum, in gratiam eorum qui horum calculum vel ignorant vel improbant, exhibere animus eſt; quod faciam ſuppoſitis tantum vulgo notis Lemmatibus: 1. quod arcus circuli major ad ſinum ſuum majorem habeat rationem, quam minor ad ſuum: 2. quod tangens major ſit arcu ſuo.

*Prop: Si ſuper eadem baſe horizontaliter conſtituta AR duæ conſiſtant Cycloides AFC, ABP, quarum altera AFC datum perpendiculum ZB ad angulos rectos ſecat in C, ac demittantur ſuper illis duo gravia ex communi principio A, illud quod per AFC deſcendit, breviori tempore ad* TAB. V. *perpendiculum appellet.* (fig. 1.)

Fig. 3. *Dem*: Sunto axes Cycloidum ZC, RP; ſemicirculi genitores ZLC, RTP, quorum ille radio GL in duos quadrandes ſit diviſus. Fiant AR, AZ. AH $\div$, ducanturque rectæ HF, FDS, CI, BE, illa perpendicularis, hæ parallelæ baſi; nec non ZDI & huic parallela FM, ut ex fig. liquet: erunt AR & AZ, AZ & AH, RP & ZC, RTE & ZLD partes Cycloidum ſimiles, adeoque proportionales. Quare

*1. Hypoth. Si AR > AZ*: LD. GS < (lemm. 1.) LZ. GZ, & permutando LD. LZ < GS. GZ, componendoque DLZ. LZ < SZ. GZ,

ſum-

um:is conſequentium duplis DLZ. CLZ < SZ. CZ :: SD. CI < (lem. 2.) SD. CD; inverſe & permutatim CLZ. CD > DLZ. SD, & tandem per converſionem CLZ. DLZ > DLZ. DLZ — SD, h. e. ex nat. Cycl. AZ. AM < AM. AH; unde √AZ. √AH (:: √RP. √CZ) < AM (DLZ.) AH :: ETR. AZ :: ETR. CLZ. Ergo ETR : √RP > CLZ : √CZ. Sunt autem hæ quantitates, ut tempora deſcenſuum per AB & per AC, demonſtrante Hugenio in Tractatu de pendulis, & nuper id quoque aſſumente Illuſtrisſimo Hospitalio. Tempus igitur per AB majus eſt tempore per AC. *Q. E. D.*

2. *Hyp. Si AR < AZ*: ZM = FD = CD > DS = HM; cum igitur hoc caſu fiat AH > AZ, erit AM major media Arithmetica, eoque fortius media Geometrica inter AZ & AH; unde ſtatim in ipſis terminis habetur AZ. AM < AM. AH. e quo cætera deducuntur, ut prius.

Cæterum generaliter obſervabam, in omnibus ejusmodi quæſtionibus, ubi ex infinitis Curvis ſimilibus aliqua invenienda eſt, quæ functionem quampiam optime præſtet, quod duarum curvarum, quarum interſectione quæſitum determinatur, altera ſemper poſſit eſſe *Linea*, quam voco, *Functionis*, adeoque nunc Mechanica nunc Algebraica, dum altera perpetuo eſt Algebraica: quod hujus vices ipſa ſemper Recta præſtare poſſit, quo caſu altera, utut plerumque *a linea functionis* diverſa, ab ejus tamen deſcriptione dependet: quod ambæ denique datæ cuidam e curvis ſimilibus ſic adaptari queant, ut earum ordinatæ vel inter ſe ſint parallelæ, vel hujus fiant tangentes, aut perpendiculares, aut alio aliquo modo illi applicentur. Exempla ſunto:

1. *Ex infinitis Circulis per A tranſeuntibus & centra habentibus in horizontali AB, illum invenire, per quem deſcenſus ſit celerrimus ex puncto A ad datum perpendiculum.* (fig. 4) TAB. V. Fig. 4.

*Conſtr.* Datus ſit ſemicirculus AQB diviſus in duos quadrantes ANC, BNC, in cujus circumferentia ſumto indefinite puncto Q agantur rectæ QP, QB, quarum illa parallela eſt radio NC, hæc ipſum ſecat in T: & fiat Linea Functionis ASX, nempe talis, ut ejus ordinata PS tempus deſcenſus per AQ repræſentet, hoc modo: Super diametro circuli AB erigatur quadrans curvæ Lemniſcatæ ARB (vid. Act. Lipſ. 1694, p. 337 ſ. & 1695 p. 543) cujus nodus A, e quo ſubtendatur curvæ recta AR media proportionalis inter AB & 2PQ, ac ſumatur PS = arcui AR pro ſiniſtro, aut ARB + BR pro dextro circuli quadrante. Quo

facto fiat Curva Algebraica AVX, cujus applicata PV quarta ſit proportionalis ad rectas AR, AB & 2NT; hæc priorem interſecabit in puncto aliquo X, unde demiſſa in AB perpendiculari XM erit, ut AM ad AB, ſic diſtantia perpendiculi a puncto unde grave demittitur, ad diametrum circuli quæſiti.

2. *Poſitis, quæ prius, invenire Circulum, cujus inter punctum A & datum perpendiculum interceptus arcus ſit minimus.* (fig. 4)

*Conſtr.* Fiat Linea Functionis, nempe Linea Sinuum ASX, ſumta ubique PS=arcui AQ, tum deſcribatur Curva Algebraica AVX, facta PV=NT, & ex puncto interſectionis X demittatur perpendicularis XM, eritque ut ſupra, AM ad AB, ſicut diſtantia perpendiculi a puncto A ad diametrum circuli quæſiti. Nota tamen, Problema ſimplicius quodammodo conſtrui interſectione ſolius lineæ rectæ & lineæ functionis, ſi hujus ordinatæ in tangentes datæ curvæ projiciantur. Vid. gener. conſtr. infra in ſolutione ſex Problematum fraternorum.

3. *Ex infinitis Curvis ſimilibus, & circa punctum A axemque communem AC ſimiliter conſtitutis, quarum una data ſit AB, invenire aliam AD occurrentem recta poſitione data DE in D, e quo demiſſa in axem perpendiculari DM, vel comprehenſum ſpatium ADM, vel nata converſione curvæ circa axem ſuperficies, vel natum converſione ſpatii ſolidum ſit maximum minimumve.* (fig. 5)

TAB. 5. Fig. 5.

*Conſtr.* Sumto indefinite in curva data AB puncto B, ducatur tangens BG, axi perpendicularis BC, & hinc tangenti perpendicularis CL; quo facto functio primæ quæſtionis, h. e. ſpatium ABC dividatur per $\frac{1}{2}$CL; functio ſecundæ ſive ſuperficies ſphæroidis geniti converſione curvæ AB per ſemicircumferentiam radii BC; functio tertiæ ſeu ſolidum ſpatii ABC rotatione effectum per rectangulum ſub dicta ſemicircumferentia & triente CL: quotienti ſemper abſcindatur ex tangente æqualis BG, erit G ad curvam quandam AGH, quam ſecet recta AG datæ rectæ DE parallela in G. Ex G ducatur GB tangens datam curvam, ſitque punctum contactus B; tum juncta AB, quæ datam DE ſecet in D, fiat curva AD ſimilis ipſi AB. Hæc erit optata.

## *EJUSDEM SOLUTIO SEX PROBLEMATUM FRATERNORUM in Ephem. Gall. 26 Aug. 1697 propoſitorum.*

*Probl. 1. In ſuperficie dati Conoidis vel Sphæroidis, ex. gr. Parabolici, inter duo data puncta geometrice deſcribere Lineam omnium in illa ſuperficie ſic ductarum breviſſimam.* (fig. 6.)

*Sol.*

*Sol.* Notanda primum ambiguitas in voce *geometrice*, quæ procul dubio in cauſa fuit, cur Illuſtriſſ. D. Marchio Hoſpitalius in ſolutionibus ſuis m. Jan. Actorum exhibitis hoc Problema prorſus neglexerit. Si hac voce talis conſtructio poſcatur, qua indefinite omnia puncta curvæ inveniantur per meras quantitates ordinarias ſeu algebraicas, dico, Problema in ipſo Cono Cylindroque non minus difficile imo impoſſibile, atque in cæteris Conoidibus Sphæroidibusque. Sin vero & illa conſtructio *geometrica* eſſe concedatur, in qua quantitates quoque tranſcendentes ſeu quadraturæ, quæ ipſo Cel. D. Leibnitio adſtipulante non minori jure *geometricarum* quantitatum nomine veniunt, adhibentur, Problema in omnibus pariter Conoidibus ac Sphæroidibus, æque ac in Cono Cylindrove, eſt facillimum: Eſto enim Curva quæcunque ABC, cujus tantum tangens dari concedatur, ſitque baſis ejus CD $=$ a, applicata quædam arbitraria baſi parallela BG $=$ c, alia indeterminata MN $=$ x, tangens ME data per x $=$ t; rotetur autem curva ABC circa axem AD, & gignat conoides ABCFDA, cujus polus A, meridianus ABC, æquator CF, eiq; parallelus per M tranſiens MH. Tum ſumto æquatoris arcu CF $= \int \overline{actdx : xx\sqrt{xx - cc}}$, tranſeat per F meridianus AHF, ſecabit hic parallelum MH in puncto aliquo H curvæ cujusdam BH, quæ talis, ut quælibet ejus portio omnium aliarum in eadem ſuperficie ductarum, & iisdem punctis interceptarum curvarum ſit breviſſima; ipſa autem longitudo curvæ BH $= \int \overline{tdx : \sqrt{xx - cc}}$.

*Applicatio conſtructionis ad Conum*, (fig. 7 & 8) Sit Conus ACFD factus converſione △li rectanguli ACD circa cathetum AD; ponatur hoc △lum ſeorſim ſuper recta infinita GD, centroque C radio CA deſcribatur quadrans circuli KIG, & radio minori CD circulus PRQ; tum ſumto in latere coni AC puncto utcunq; B, transferatur AB in CS, & ducatur SL parallela ipſi CK ſecans rectam KL ipſi CD parallelam in L, ac denique per punctum L intra aſymptotos CD, CK trajiciatur hyperbola LO; quo facto per punctum quodvis O in hyperbola acceptum duæ ducantur rectæ aſymptotis parallelæ OI, OT, quarum illa quadrantem KIG ſecet in I, hæc latus coni AC in T; arcuique quadrantis KI ex circumferentia minoris circuli PRQ, i. e. baſis coni CF, reſecetur hinc inde æqualis arcus PR ſeu CF, qui nonnunquam totam circumferentiam excedit; ac tandem in latere coni TAB. V. Fig. 7. 8.

 per

per F tranſeunte ſumatur $AH = CT$; eritque H punctum optatæ curvæ BH; ipſa vero $BH = \sqrt{CT^2 - CS^2}$, adeoque nequit eſſe (quod quis ſuſpicari poſſet) aliqua ſectionum conicarum, cum harum nulla rectificationem admittat: tota vero curva conum ſerpentis in modum ambit, duoq; coni latera a ſupremo curvæ puncto B utrinq; æquidiſtantia ſibi aſymptota habet, ſubinde & unum tantum, cum curva coni ſuperficiem aliquoties exacte circumit; circumit autem ſemel, ubi latus Coni AC radii baſis DC duplum eſt, bis ubi quadruplum, ter ubi ſextuplum &c. Effici præterea poteſt facile, ut curva per duo quævis data puncta tranſeat, prout ſupremum ej9 punctum B in alio aliove latere coni, propiusque vel remotius ab ejus vertice aſſumitur.

*Schol.* Quia conſtructio hæc requirit, ut ex circulis utcunque inæqualibus KG, PQ, æquales abſcindantur arcus KI, PR, quod ſupponit anguli ſectionem in data ratione; hæc vero generaliter non niſi per quantitates tranſcendentes abſolvitur; conſtat, quod dixi, curvam *geometrice*, i. e. algebraice non eſſe deſcriptibilem. In ſuperficie Cylindrica puncta curvæ reperiri poſſunt continua arcus biſectione, ſed inventio omnium indefinite punctorum pariter ſectionem arcus in data ratione vel ejus rectificationem ſupponit.

Atque hæc de primo Problemate dicta ſufficiant: Cætera ſupra laudatus Vir Illuſtriſs. D. Marchio Hoſpitalius nupero Januario plene & eleganter ſoluta dedit. Sed quia obſervo, paulo generaliora a Fratre proponi potuiſſe, ea ſequentem in modum formo ac ſolvo:

*Probl. 2 & 3. Axi ET inſiſtant infinitæ curvæ BL, BF* genere *eædem, h. e. quarum ordinatæ ML, MF conſtanter ſint proportionales; ſitque alia curva CL ex prioribus ſpatia auferens BLM, BCD, tum inter ſe, tum dato ſpatio æqualia: Quæritur, quæ ſit natura Curvæ CL, quæ ratio ducendi ejus tangentes, & quodnam in illa punctum alteri ubivis* TAB. V. Fig. 9. *dato puncto proximum?* (fig. 9)

*Sol.* Eſto data ex infinitis una BL, datumque in curva CL ubivis punctum C, e quo demiſſa in axem applicata CD, quæ ſecet datam curvam in G, ducatur tangens GE; ſuper DE conſtituatur ▭ EH = ſpatio dato BGD, fiatque CH. HD :: DE. DT; juncta C T curvam CL tanget in C. Nota ratione ducendi tangentes, natura curvæ latere nequit; eſtque ſemper, quod hic ſpecialiter annoto, reducibilis ad caſum Problematis Beauniani generalius concepti m. Dec. 1695, adeoque,

con-

conſtruibilis per Logarithmicam, vid. m. Jul. 1696. Punctum curvæ CL proximum ipſi B quodnam ſit, generaliter oſtendit Vir perilluſtris, poteſtq; nullo negotio ad aliud quodvis datum punctum accommodari.

*Probl. 4 & 5. In eadem fig. ſunto BC, BL infinitæ curvæ ſimiles ſeu* ſpecie *eadem, e quibus curva CL auferat arcus æquales BC, BL; quæritur natura curvæ CL, ejus tangens in puncto C, & punctum curvæ dato cuipiam puncto proximum.* ( fig. 9 )

*Sol.* Exemplum proponit Frater in parabolis. Huic ſæpe laudatus D. Marchio ita ſatisfacit, ut ducta per C parabola BC, ejusque tangente CE, faciat CE-BC. BC :: BD. BT. Addo, ſi in hac proportione duntaxat BD vertatur in BE, conſtructio generaliter ad omnes curvas ſimiles ſe extendet; unde & componendo ſemper erit CE. BC :: ET. BT. Quemadmodum etiam ſi curva CL talis eſſe ponatur, ut ex curvis ſimilibus areas abſcindat æquales BCD, BLM, reperitur △CDE. BCD :: ET. BT, quæ Theoremata obſervari merentur. De natura curvæ CL, punctoque in illa alteri cuidam proximo, eadem tenenda, quæ in §. præced.

*Probl. 6. Sint infinitæ Curvæ ſimiles BH, DL, circa idem punctum A ſimiliter conſtitutæ, quas trajiciant duæ rectæ poſitione datæ AH, ED, quarum altera AH tranſeat per A: quæritur arcuum ambabus rectis interceptorum maximus minimusve.* ( fig. 10 ) TAB. V. Fig. 10.

*Sol.* Data ſit una curvarum ſimilium BH ſecans rectam poſitione datam AH in H, alterique poſitione datæ ED ducatur per A parallela AG. Evolvatur curva HB, principio evolutionis facto in H, & gignat curvam HG, quæ rectam AG ſecet in G; filum autem evolvens, dum deſcribit G punctum, ſit GB tangens curvam in B. Jungatur AB ſecans rectam ED in D, ac per D tranſeat portio curvæ DL ſimilis portioni BH, erit arcus DL omnium rectis AH, ED interceptorum maximus minimusve.

*Coroll.* Patet hinc inſignis Evolutionum uſus, nondum quod ſcio conſideratus, nempe: Si ſit Curva quævis HB, ejus evolutione deſcripta HG, filum evolvens BG, atque ex punctis H & G inflectantur rectæ HA, GA, concurrentes in quolibet puncto A, & poſteriori per B agatur parallela recta infinita BF, erit evoluta BH omnium circa idem punctum A ſimiliter deſcriptarum ac rectis AH, BF interceptarum cur-

 varum

varum maxima minimave. Quin & amplius, ſi accipiatur in curva HG quodvis aliud punctum C, quod filum evolvens IC dum deſcribit tangit curvam BH in I; atque ex I recta agatur IM ductæ CA parallela, erit arcus BI omnium rectis IM, BF interceptorum maximus minimusve.

*EJUSDEM SOLUTIO PROBLEMATIS FRATERNI IN ACTIS m. Maj. 1697 p. 211 propoſiti de Curva infinitas Logarithmicas ad angulos rectos ſecante.*

Problema de Curva invenienda, quæ infinitas Lineas ordinatim poſitione datas tangit, jam m. Octobri 1695 ſolutum dedimus. Quæſtio hic eſt de tali, quæ datas omnes ad angulos rectos ſecet. Dependet autem Problema a methodo tangentium inverſa, ut nullam generalem ſolutionem admittat, eſtque pro varia datarum poſitione miræ diverſitatis; neque gradus vel ſpecies curvarum eſt character facilitatis vel difficultatis problematis, cum nonnunquam in algebraicis res difficulter, in tranſcendentibus contra facile ſuccedat.

Exempla promiſcue algebraicarum & tranſcendentium Curvarum, in quibus ſolutio facilis:

1. *Si eidem axi inſiſtant infinitæ Parabolæ æqualium parametrorum ſed diverſorum verticum, ſive* (quod eodem recidit) *ſi ex infinitis una ſuper plano ſuo ita protrudatur, ut ſingula ejus puncta rectas deſcribant axi parallelas,* erit Curva, quæ infinitas illas parabolas, ſeu unicam ita motam perpetuo ad angulos rectos ſecat, Logarithmica, cujus ſubtangens æquatur ſemiparametro parabolæ. Et viciſſim, ſi Logarithmica dicta ratione ſuper axe promoveatur, Curva quam continuo ad rectos ſecat angulos, eſt Parabola. Ita ſi Parabola Cubica ſuper axe propellatur, quam ad rectos ſecat, eſt Hyperbola; ſi altiores Parabolæ, ab altioribus gradatim Hyperbolis normaliter ſecantur, & viciſſim &c.

2. *Si infinitæ æqualium parametrorum Parabolæ axibus parallelis inſiſtant, & vertices habeant in linea his axibus perpendiculari, ſive, ſi Parabola ita feratur, ut ſingula ejus puncta rectas deſcribant axi perpendiculares,* Curva quam infinitæ vel unica ſic mota normaliter interſecat, Parabola eſt cubicalis ſecundi generis, cujus latus rectum ad parabolæ parametrum eſt, ut 9 ad 16. Si alia Paraboloidea ita ferantur, aliis itidem Paraboloideis normaliter ſecantur, & vice verſa. &c.

*3. Si*

3. *Si infinita Paraboloidea ejuſdem gradus (cujus index ſit m) ſed diverſorum laterum rectorum, circa eundem axem & verticem conſiſtant*, Curva quæ has omnes normaliter trajicit, conſtanter eſt Ellipſis, cujus centrum in communi vertice, latus tranſverſum in axe, ejusque ratio ad latus rectum, ut 1 ad m.

4. *Si infinitæ æqualium ſubtangentium Logarithmicæ ſuper totidem axibus parallelis conſiſtant, tranſeantque per commune punctum B; quæritur Curva eas omnes normaliter interſecans.* (fig. 11) *Conſtr.* Eſto una earum data FBf cum ſuo axe AG, inque hunc demiſſa perpendiculari BA; ſumtoque quolibet in Logarithmica puncto F, agantur ad axem perpendicularis FG, tangens FL, & huic parallela BM, ac inſuper ad partes Logarithmicæ ab axe remotiores ſtatuatur in axe recta AN arbitrariæ longitudinis, major tamen ſubtangente GL: quo facto ſumatur inter duplam ſubtangentem & exceſſum, quo NG ſuperat AM, media proportionalis, eique in recta BA æqualis abſcindatur BI ſurſum deorſumve, prout punctum F ſupra infrave B aſſumtum fuerit; ac denique ex I ducatur IH parallela axi ſecansque applicatam GF in H; erit H punctum in optata Curva CHD, cui ſimiles & æquales in cæteris rectarum BA, BC ſeſe decuſſantium angulis conſtitui poſſunt. Nota; Maxima Curvæ altitudo BD $= \sqrt{2\,GL \text{ in } AN - GL}$. Si GM = AN, cadit IH in BC, fitque maxima curvæ latitudo. TAB. V. Fig. 11.

5. *Quæritur denique Linea* (quod eſt exemplum ſpeciale Fratris) *quæ omnes Logarithmicas ſuper eodem axe & per idem punctum ductas ad angulos rectos ſecat:* (fig. 12.) *Conſtructio* talis: Eſto axis communis Am, punctum interſectionis Logarithmicarum B, earum una data FBf; demiſſa in axem perpendiculari BA, per punctum F utcunq; acceptum in Logarithmica agantur rectæ FT, FN, ſecantes rectam BA in T & N, quarumque illa axi parallela ſit, hæc tangat Logarithmicam (prætereaque ſupra T, ſi quidem punctum N inferius ſit ipſo T, abſcindatur TN = inferiori TN) quo facto diametro AN, nempe AT + TN, deſcribatur ſemicirculus APN, cui occurrat recta FT in P; ſumtaque arbitraria quadam conſtante L, abſcindatur in BA ex puncto T recta TR $= \sqrt{\tfrac{1}{2}\,TA^2 \text{ Ջ } L^2}$, & jungatur RP, (vel ſi punctum T ſuperius ſit ipſo B, deſcripto ſuper TR ſemicirculo applicetur illi prius TP, ac tum demum jungatur RP; junctæ in recta FT æquales hinc inde ab- TAB. V. Fig. 12.

ſcin-

ſcindantur TS, TS; eruntque puncta S, S ad Curvam quandam mC MCm, quæ omnes Logarithmicas circa punctum B conſtitutas ad angulos rectos ſecabit, ut requirebatur. Nota, ſumta $TR = \sqrt{\frac{1}{2}TA^2 + L^2}$, occurret Curva axi in puncto m, ut ſit $Am = L$; ſed ſumta $TR = \sqrt{\frac{1}{2}TA^2 - L^2}$, tranſibit inter puncta A & B, nec ad axem pertinget. Maxima Curvæ latitudo $BC = \sqrt{\frac{1}{2}BA^2 \pm L^2}$.

Atque horum omnium ſolutio facilis admodum fuit; dari autem poſſunt aliæ curvarum poſitiones, quæ Problema magis arduum reddunt, & vel in ſimplici Parabola ad caſus methodi tangentium inverſæ nondum exploratos deducunt; veluti, *ſi quæratur Curva, quæ omnes Parabolas ſuper eodem axe extructas, lateraque ſua recta reſpectivis verticum a puncto fixo diſtantiis æqualia habentes, ad rectos angulos trajicit. &c.* Cui addi poteſt & hoc: *Quæritur Curva, quæ Parabolam aut aliam datam Curvam ſuper plano ſuo circa datum punctum in orbem converſam in angulo dato ſecat*; quemadmodum conſtat, rectam ita converſam circa extremitatem ſuam in angulo recto ſecari a Circulo, in obliquo a Logarithmica ſpirali.

## NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES Auteurs Eccleſiaſtiques,

h. e.

## *NOVÆ BIBLIOTHECÆ AUTORUM ECCLESIASTICOrum Tomus VIII, Autore L. E. DUPINIO.*

Pariſiis, apud Andr. Pralardum, A. 1697, in 4.
Conſtat 2 alph.

DAmus itaque, quam promiſimus nuper, partem alteram Tomi VIII Piniani, quæ hiſtoriam controverſiarum & librorum ſeculi undecimi complectitur, eo quidem minus temnendam, quo majoris momenti res hoc ſeculo agitatæ ſunt: controverſia Sacramentaria, quam hæreſin Noſter vocat: jus Pontificum Romanorum in Reges & Imperatores per excommunicationem e ſolio quoq; deturbandos: Græcorum a Latinis aperta ſeceſſio: bonarum literarum reſuſcitatio aliqua, quæ tamen præ nimia barbarie antegreſſa, qua plurimorum adhuc

huc animi tenebantur, intra exiguos paucorum virorum eruditorum cancellos includebatur: dum alibi jejuna ſurgebat dialectica ſubtilitas, & ſterili Theologiæ Scholaſticæ ortum præbebat hoc ſeculo infelicem. Hæc quum ita in præfatione, velut conſpectum ſeculi præbiturus Pinius prælibaſſet, hiſtoriam a Fulberto Carnotenſi orditur, præcipuo ſcilicet liberalium artium, nec non Theologiæ reſtauratore, e cujus ſchola quamplurimos prodiiſſe viros ſcientia pietateque inclutos, & per Galliam ac Germaniam prorſus illuſtre nomen magiſtri ſui reddidiſſe memorat. E ſcriptis vero Fulberti, quæ ſuo more prolixiuſcule recenſet, epiſtolas magni præ ceteris æſtimat, utpote caſtigato ſatis dicendi genere compoſitas, & plurimum ingenii ac nitoris præ ſe ferentes. Non tam placent illi reliqua ejus ſcripta, & inprimis poëtica, quæ invitis admodum Muſis compoſita cenſet. Editionem operum Fulberti, quæ a Corolo de Villiers Pariſiis anno 1608 adornata eſt, haud paulo negligentius, quam decebat, eſſe tractatam, non diffitetur.

p. 1.

p. 6.

Inde agit de Berengarii cauſa, qui unus diſcipulorum Fulberti fuit, magiſtro ſuo moribundo, ut fama eſt, jam ſuſpectus. Non dubitat Autor noſter, adſtipulatum eſſe ejus de Euchariſtia dogmati Euſebium Brunonem, Andegavenſem Epiſcopum, ad quem ſeſe primo contulerat Carnoto egreſſus Berengarius: atque id, cum e Durandi Troarnenſis, & Deoduini Leodienſis coævorum ſcriptorum teſtimoniis conſtet, negari non poſſe putat: etſi ſucceſſu temporis Brunonem, re rectius conſiderata, ad Eccleſiæ fidem rediiſſe, factumque Berengarii adverſarium, ſimul annotet. Ipſius autem Berengarii pœnitentiam, & ſeriam erroris, ter licet, editis totidem confeſſionibus, ejerati rejectionem, aut nullam fictamque, aut ſero admodum factam credit: cum Mabillonius adverſus poſtremam quoque confeſſionem, ab ipſomet Berengario editum aliquod ſcriptum in Italiæ quadam bibliotheca, inter vetuſtos codices manu exaratum videri, & Bertholdus Conſtantienſis Presbyter nunquam mutaſſe ſententiam Berengarium diſerte ſcribat. De cetero, poſtquam reliquos ejusdem errores, ſcripta, & adverſarios commemoraſſet, dicendi genus aridum & ſcholaſticum atro carbone notat, recteque illi ſophiſmatum dialecticorum contra ſimplicitatem Apoſtolicæ fidei abuſum a Sigeberto Gemblacenſi objectum ait: nec magnam ejus in antiquitate eccleſiaſtica pe-

p. 8.

p. 10.

p. 12.

ritiam judicat. Berengarium excipit capite III Lanfrancus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, perpetuus illius hoſtis & impugnator: inter cujus opera libellus etiam de celanda confesſione habetur, quem
p.17. Noſter ob intricatam obſcuritatem, frigidas allegorias, ac debilem argumentorum vim, cum Dacherio mallet alii quam Lanfranco tribuere, ſi modo hæc ad librum falſi convincendum ſufficerent. Quærit, quomodo ſit intelligendum, cum in illo libro dicit Lanfrancus, confesſionem publicorum peccatorum nonniſi ad ſacerdotem eſſe inſtituendam, occulta vero cuivis clerico, etiamſi ſacris ordinibus non initiato, quin & laico homini confiteri licere? Exiſtimat, occultorum nomine venialia peccata innui, mortalia publicorum; vel potius, per publicorum confesſionem intelligi ſedulam peccatorum ſingulorum enumerationem, per confesſionem occultorum ſummariam ſolum & generalem confesſionem absque ſingulorum enumeratione, qualem laici ad ſemetipſos inſtituere posſint, & quam Lanfranci ævo maxime obtinuiſſe notat. Lanfranco reliqui adduntur hoc capite, qui Berengario ſe oppoſuerunt, Hugo Lingonenſis Epiſcopus, Durandus Troarnenſis Abbas, Guitmundus Archiepiſcopus Averſanus, & Algerus Cluniacenſis Monachus & Diaconus Leodienſis. Poſtremus hic ad inſequens ſeculum rectius pertineret, quippe quo ſcripſit, ut Autor non diffitetur: ſed ob argumenti vicinitatem huc tractus eſt. Scripſit librum de Sacramento corporis & ſanguinis Domini, quem Lanfranci etiam & Guitmundi ſcriptis antetulit olim Petrus Venerabilis; ſed a
p. 22. quo Pinius diſſentit, ampliorem quidem librum illum & allegatis veterum Patrum locis ditiorem non negans, aſt nervis ac dictione Lanfranco multo inferiorem judicans. Recenſet etiam reliqua ſcripta Algeri: quibus addi adhuc poſſet liber de Gratia & libero Arbitrio, cujus meminit Trithemius in Catalogo ſuo.

Poſt hæc tribus capitibus hiſtoriam Pontificum Romanorum hujus ſeculi tradit: quarto ſcilicet Paparum, qui ante Gregorium VII regnarunt, quinto ipſius Gregorii, & ſexto eorum qui Gregorium inſecuti ſunt. Agmen inter omnes ducit Gerbertus, ſeu Sylveſter II, de quo jam antecedente ſeculo dictum eſt, & qui ſub initium hujus Papalem quoque thronum tenebat. Sergium IV, qui juxta Dithmarum Os porci antea nominatus legem de mutando nomine Pontificum tulit, falſo a nonnullis credi primum etiam ſuum nomen mutaſſe

monet;

monet, cum id jam antecedente ſeculo eſſet a Johanne XII aliisque Romanis Pontificibus factum. De ſucceſſoribus Sergii usque ad Leonem IX, excepto tamen Clemente II, dicit, mirum non eſſe, quod nullum eorum vigilantiæ paſtoralis monumentum ſuperſit: ſiquidem non ut paſcerent Chriſti gregem, ſed ut ambitioni ſuæ ceterisque immoderatis cupiditatibus facerent ſatis, curam ſuam omnem intenderint. Mallet etiam Leonem IX, quem alias magni æſtimat, a ſua in Normannos expeditione abſtinuiſſe, nec præfuiſſe ducem infelici prælio, quo conciſa acie ſua omni ipſemet captus eſt: allegat vero Bennonem, qui Hildebrandi conſiliis & bellum & infelicem ejus eventum adſcribit. Iſtius igitur Hildebrandi, qui jam tum in aula Leonis IX multum valuit, & poſtmodum ſub diverſis Pontificibus, inprimis ſub Alexandro II rebus majoribus, imo ſummis admotus, tandem Pontifex Gregorius VII poſt Alexandri mortem evaſit, res geſtas fuſe omnes enarrat, & tentatam per tot artes omnipotentiam in his terris: ut ſcilicet ſummus fieret ſpiritualium ac temporalium rerum totius orbis dominus; negotiorum civilium & eccleſiaſticorum judex & arbiter ſupremus; omnium gratiarum, cujuscunque demum illæ generis eſſent, diribitor; & non minus Epiſcopatuum ceterarumque functionum eccleſiaſticarum, quam regnorum atque provinciarum, quin & bonorum opumque quæ privati poſſidebant, qui pro arbitrio decerneret diſpenſator. Quibus vero modis iſta omnia vel tentarit, vel obtinuerit, ex ipſiusmet Gregorii epiſtolis, ſervato temporum ordine, diligentiſſime Autor enarrat. Verum ipſa eorum copia prohibemur, quo minus inde aliqua excerpamus, rectius apud Autorem ipſum legenda. Sufficiat judicium ejus de Gregorio, quem, poſt laudatas ingenii, eruditionis & animi imperterriti nonnullas dotes, præcipiti more eſſe ad Papalem dignitatem evectum, zelo pro magnitudine Romanæ Sedis præpoſtero iniqua auſum, quæ ultra poteſtatis limites eſſent ſuſcepiſſe, longe maximas in eccleſia & republica turbas excitaſſe, in perſonas provinciasque Regum ac Principum jus ſibi non debitum uſurpaſſe, atque adeo ultra terminos eccleſiaſticam Romanæ Sedis poteſtatem evexiſſe, non diffitendum putat. Poſt Gregorium Victor III & Urbanus II Sedem Pontificiam tenuerunt, nihilo remiſſius tentata a Gregorio proſecuti: de quibus agit caput ſextum. Inde controverſias Latinorum cum Græcis peculiari capite exponit Noſter: quæ primo quidem

p. 24. p. 32. p. 68. p. 77.

ſub Imperatore Conſtantino Monomacho ſpectare ad concordiam videbantur, mox tamen, indignante Cæſare, Michaele Cerulario Patriarcha Conſtantinopolitano autore, in apertum ſchiſma, & receſſionem manifeſtam prorupit: fruſtra laborante Principe, nec quicquam agentibꝰ cum excommunicatione ſua Legatis Papæ: fruſtra etiam tentato ab Occidentalibus per Venetum Patriarcham Petro Patriarcha Antiocheno, quanquam is Cerulario non in omnibus adſtipularetur. Harum turbarum culpam omnem in Græcos devolvit Pinius, nec o-
p. 83. mittit tentatæ iterum ſub Stephano IX Papa pacis, nunquam tamen ſecutæ, mentionem.

Tum ad Scriptores regreditur, & octavo capite de Petro Damiani agit, quem male cum Petro de Honeſtis confundi perſuaſus eſt.
p. 84. Hujus poſtquam vitam recenſuiſſet, epiſtolas commemorat: quas inter notatu inprimis digna libri primi duodecima ad Alexandrum II Papam ſcripta: quippe in qua duos abuſus reprehendit, quod anathematis pœna omnibus promiſcue decretalibus utplurimum apponatur, absque tamen ſufficienti cauſa, & quod non liceat minorum gentium clericis laicisve vitia ſuorum Epiſcoporum reprehendere, reosque, ut corrigantur, ad ſuperius tribunal deferre. Eo vero magis digna notatu poſterior hæc epiſtolæ pars eſt, quo inſignior obſervatio Autoris noſtri, quam nemini hactenus obtigiſſe prorſus miramur.
p. 98. Nempe hanc ipſam eſſe librum Petri Damiani *de Correctione Papæ & Epiſcopi*, qui Argentorati primum anno 1562 editus νοθείας erat a Poſſevino non ſine acerbitate, & a ſecutis Poſſevinum Labbeo atque Natali Alexandro inſimulatus: cum alii, genuinum quidem librum eum eſſe Petri fœtum, ſed tamen in editione operum illius a Conſtantino Cajetano curata, quæ Romæ primum, poſtea & Lugduni atque Pariſiis prodiit, locum non habere exiſtimarent. Sed utrumque ſcrupulum tollit nunc doctiſſimus Pinius, novimusque adeo & haud dubie eſſe ſcriptum Damiani, & in omnibus, nulla etiam excepta, epiſtolarum editionibus ſuo comparere loco. Ceterum mallet Noſter, epiſtolas hujus autoris eſſe juxta ſeriem temporum, quibus ſcriptæ ſunt, aut pro materiarum vicinitate digeſtas, quam juxta perſonarum, ad quas ſcriptæ ſunt, dignationes, ut factum eſt: nec ſatis æquo animo fert divulſa ab epiſtolis opuſcula Damiani, quorum longe maxima pars nihil aliud quam epiſtolæ ſint, & hinc multo rectius in prima

ma editione inter epiſtolas una fuerint excuſa. Commemorat & editionem epiſtolarum, quæ ſeparatim apud Nivellium Pariſiis anno 1610 in 4 prodiit.

In Eccleſiarum Anglicanarum hiſtoria hujus ſeculi, quæ capite IX traditur, magnum præ ceteris nomen Anſelmi eſt, Cantuarienſis Archiepiſcopi, cujus vitam ſatis fuſe Autor exponit, nec minore accuratione de ſcriptis ej9 agit. Nos libri de Fide Trinitatis & de Incarnatione Verbi ſolum meminimus, quem Anſelmus Urbano II Papæ nuncupatum, adverſus Roſcelinum, Franciæ clericum, Petri Abælardi magiſtrum ſcripſit, qui de tribus in Divinitate Perſonis peculiari modo aut ſenſerat, aut locutus minimum fuerat. *Si in Deo*, dicebat, *tres perſonæ ſunt una tantum res, & non ſunt tres res, unaquaque per ſe ſeparatim, ſicut tres Angeli, aut tres animæ; ita tamen, ut potentia & voluntate omnino ſint idem: ergo Pater & Spiritus S. cum Filio eſt incarnatus.* Hoc itaque aſſertum ſub examen revocat Anſelmus, & concedit quidem, tres Perſonas dici poſſe *tres res*, ſi per *res* non ſubſtantiæ, ſed relationes intelligantur. Aſt ſubſtantias a Roſcelino innui, doctrinamq; adeo ejus falſam eſſe, ex eo patere putat, quod ſubjungit, *unaquaque per ſe ſeparatim*, idemque data Roſcelini de Angelis & animabus ſimilitudine (quam tamen ipſius eſſe Roſcelini, & non ab eo potius, qui ſententiam ejus ſibi narraverat, additam, ipſe non ſatis certus eſt) indigitari. p. 101.

Caput decimum de Autoribus agit, quorum ſcripta ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectant. Eſt inter eos Burchardus Wormatienſis Epiſcopus, qui magnum illud, ſed exigui momenti, Decretorum volumen conſcribillavit, adjutu & ope Olberti, Gemblacenſis Abbatis, ut Noſter ait Sigebertum ſecutus; dum alii dictante & magiſtrante Olberto illud fuiſſe centoniſatum, cum vetuſto autore libri de Geſtis Gemblacenſium dicere malunt. Anſelmo Luccenſi Collectionem Canonum tribuunt vulgo, & extat ſane talis manuſcripta in pluribus bibliothecis, etiam ſub nomine ejus in bibliotheca Barberiniana. Verum falſò adſcribi Anſelmo librum eum, Noſter cum Anton. Auguſtino & Baluzio, adductis eorum rationibus, monet. Voluit aliquando Collectionem illam ex antiquis codicibus edere Tomo XII Spicilegii ſui Dacherius, ut Baluzius in præfatione ad Ant. Auguſtini Dialogos de Emendatione Gratiani teſtis eſt: ſed illa neque XII nec XIII p. 104.

Tomo factum. E vitarum ſcriptoribus,& qui hiſtoriam eccleſiaſticam
p.108. pertractarunt, de quibus caput undecimum agit, unicum ſeligimus Ademarum, Chronici Francici ſcriptorem, cujus nimirum ineditam hactenus epiſtolam a Baluzio ſecum communicatam Autor recenſet. Scripta eſt poſt Concilium primum Lemovicenſe A. 1029 habitum, ad Jordanum Epiſcopum urbis ejus,ceteroſque Abbates & clericos totius dioeceſeos, ad Arnulphum RutenenſemEpiſcopum, ad Theodoricum Metenſem, ad Kunigundam Henrici II Imp. viduam, ad Conradum Imperatorem,ad GuilielmumAquitaniæDucem,& ad Johannem XVIII Papam; quem ait ut ferum hominem, iracundum & crudelem deſcribi. Eſt vero argumentum epiſtolæ quæſtio,num Martialis Lemovicenſis Epiſcopus jure in Apoſtolorum numero habeatur? Quod cum negaſſet Benedictus quidam, Abbatiæ S. Michaelis Cluſini in Pedemontio Prior, & Aquitanos affirmantes aſinos & rerum ignaros eſſe publice etiam pro concione dixiſſet; Ademarus, qui aſſenſum omnes ſui monaſterii monachos, excepto adhuc præter ſe unico, Benedicto præbuiſſe ægre ferebat, epiſtolam, quam diximus, acrem adverſus illum compoſuit, cujus excerpta legi merentur. Refert vero Autor, plures adhuc de eodem argumento ſermones Baluzium poſſidere, quos & ab eodem ſcriptos autore cenſeat. Græcorum ſcriptorum hujus ſeculi, quorum recenſionem Autor capite XII inſtituit, præcipui
p. 112. ſunt Mich. Pſellus, cujus ſcripta etſi magnopere Leo Allatius extollat, in materiis tamen eccleſiaſticis nec utilia admodum,nec inſigniter erudita, neque etiam ſatis diſerta & facunda Noſtro videntur: Simeon, Junior dictus,quem Heſychaſtarum ſive Quietiſtarum principiis fuiſſe
p. 113. addictum, cetera optimæ notæ ſcriptorem, Pinius obſervat: Theophylactus, Acridæ in Bulgaria Archiepiſcopus, cujus commentarios magni præ ceteris æſtimat, multo pluris adhuc habendos, ſi ab emboliſmis aliorum,quibus undique ſcatent, puriores e MSS. codicibus Regiis Pariſienſibus ederentur; quod fieri poſſe, luculenter Rich.Simonius inter pulcerrimas plurimas de Theophylacti libris obſervationes oſtendit in Hiſtoria Crit. Interpretum Novi Teſtamenti cap. 28.

Scriptorum hiſtoriam ſequitur c. XIII hiſtoria Conciliorum, atque huic demum poſtremo capite XIV Obſervationes Eccleſiaſticæ
p.129. ſubjiciuntur. In his inter alia profitetur Autor, ſe Roſcelinum pro Tritheita neutiquam habere, ſed plane credere, illum per tres res, in-

com-

commodius ſolum locutum, tres unius naturæ Divinæ perſonas indigitaſſe, ſubſiſtentes per ſe & diſtinctas. Obſervat, imminutam hoc ſeculo Pontificum Romanorum, & inprimis Gregorii VII artibus, non Regum ſolum Principumque, ſed & Archiepiſcoporum & Epiſcoporum auctoritatem, creſcente cum horum omnium detrimento, & ultra id quod decebat, Paparum & Cardinalium potentia: hoc enim ſeculo Cardinales cœpiſſe primas in electione Pontificis, & in rebus gerendis partes tenere. Notat præterea peculiarem quarundam Eccleſiarum in celebrando Miſſæ ſacrificio ritum, quo ſolebat Sacerdoti recens ordinato, ipſo diè ordinationis dari hoſtia, quacum in tot particulas diviſa per integros quadraginta dies oblationem inſtituere neceſſe habuerit, ut ſic Chriſti meminiſſet, poſt ſuam reſurrectionem intra quadraginta dies Apoſtolis ſuis apparentis: qua de re Fulbertus in epiſtola quadam agit. Ceterum legi hæc & alia præclara multa apud Autorem ipſum merentur, qui libro indices ſuo more luculentiſſimos annexuit.

## *SYNOPSIS THEOLOGIÆ JUDAICÆ VETERIS ET NOVÆ, adornata a JO. HENR. MAJO.*

Gieſſæ, apud Henningum Müllerum, 1698, 4. Alphab. 2.

TAmetſi in recenſendis pariter ac examinandis Judæorum circa præcipua religionis capita ſententiis hoc & ſuperiori ſeculo plures e Theologorum ac Philologorum numero occupatos ſe geſſerunt, (ignota namque nemini ſunt, quæ in hoc negotio præter Lutherum, Reuchlinus, Fagius, Münſterus, Havemannus, Helvicus, Müllerus, Hoornbekius, Coccejus, Hulſius, Wagenſeilius, a Lent, aliique præſtitere;) non deeſſe tamen ſibi ſenſit Maxime Reverendus Gieſſenſium Theologus Jo. Henr. Majus, quæ iſtorum laboribus cum fructu ſuperadderet. Poſtquam enim vulgata, publicisque Diſputationibus pertractata Theologiæ qua Symbolicæ qua Moralis Synopſi, Judaicam quoque ſimili ratione proponere conſultum ratus eſt, eam ſibi operam ſtrenue perficiendam ſumſit, ut non veterem modo, eamque nonniſi appellatione a Chriſtiana diverſam, ſed novam quoque a tradita antiquitus per Prophetas cœleſti veritate prorſus alienam, ac ideo improprie ſic dictam Judæorum Theologiam exhiberet, iſtamque uberius deduceret ac confirmaret, hanc vero argumentis maxime ido-

neis

neis configeret. Ordine igitur articulorum fidei ſyſtematico ſervato, qua in parte Judæi vel nobiſcum faciant, vel a nobis diſcrepent, ad oculum oſtendit, ac deinceps ad Judaicorum errorum oppugnationem clypeos & gladios ex S. Scripturæ promtuario ante omnia eſt mutuatus; ſed tamen domeſtica quoque Judæorum teſtimonia, e ſcriptis Cabbaliſtarum, Talmudiſtarum Rabbinorumq; petita adverſus ipſosmet adhibuit. Nec antiqui ſolum Fœderis, ſed novi etiam libros cum Magiſtrorum verbis diligenter contulit, ac præcipuas adverſariorum objectiones exceptioneſve, quæ in utroque Nizzachon, Chiſſuk æmuna, & ſimilibus ſcriptis contra Chriſtianos directæ ex inſtituto ſunt, ſuo quamque loco accurate diſſolvit. De cætero ſynopſin duntaxat & ſciagraphiam plenioris Syſtematis ſe dare innuit, ac ſecundam aliquando editionem multo auctiorem promittit, inque ea imprimis omnia Hebræorum teſtimonia jam Latine reddita multaque horum alia Hebraice, ſi quis ſumtus impendere voluerit, ſuppeditaturum ſeſe pollicetur.

## *THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM PHILOLOGICArum & Hiſtoricarum Pars tertia.*

Lugduni Batavorum, apud Fr. Haaring, 1698, 8. plag. 16.

Qui e duabus Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum partibus, a Nobiliſſimo Crenio hactenus vulgatis, & a nobis ſuo loco recenſitis, non exiguam percepere voluptatem Eruditi, eandem & ex tertia, quæ nunc in lucem prodiit, polliceri ſibi omnino poterunt; quandoquidem ille larga rurſus manu, quæ & prodeſſe queant & delectare, more ſuo curioſis elegantiarum litterariarum æſtimatoribus in hac ſuppeditat.

Nobis igitur nonnullas ex iiſdem delibaturis nominandæ primum hac vice videntur epiſtolæ, quas aut e MStis ſuis, aut aliis e latebris protractas exhibet, quasque inter p. 143. compareat aliqua Lutheri noſtri ad Martinum Glaſerum, qua ille huic de uxore ducta deque ſuſcepta ex eadem prole gratulatur, eumque de cætero ad conſtantiam in puriori religione excitat. Poſt eam ſtatim Jo. Calvini literæ ad Petrum Martyrem ſiſtuntur, abitum huic in Palatinatum ſuadentes. Pag. 146 Brentii ad Joachimum Camerarium directa profertur exhortatio, ut

ut Notationem figurarum in libros Novi Teſtamenti edere haud cunctetur. Ad Marinum Merſennum p. 83. & ſeqq. ſcribens introducitur Sixtinus Amama, prolatis quibusdam a Merſenno adverſus Antibarbarum ſuum Biblicum convitiis motus, ut & hæc a ſe amoliatur, & libri iſtius ſui argumentum, ſcopumque & uſum prolixius delineet. Viciſſim p. 93. adfertur Merſenni ad medicum quendam, Florianum Cruſium, epiſtola, de ratione atheos convincendi quædam diſſerens. Franciſci Junii ad Muusholium literæ p. 195. inter alia locum Hebr. IX, 2. illuſtrant. Peuceri ad Electorem Brandenburgicum Joachimum miſſæ, Chronici ſui commendatitiæ p. 191. leguntur. L. Carrio ad J. Lipſium ſcribens p. 15. & iſtud maxime efflagitat, ut ab hoc Jurisprudentia publice laudetur. Ad ſe ipſum vero exaratam Auctor valde celebrat & integram repetit Maxime Reverendi Præſulis hodie Wunſtorfienſis, noſtri quondam Collegæ, D. Polycarpi Lyſeri epiſtolam, ſatis abundeque oſtendentem, minus congrue in præcedenti ſecunda Animadverſionum harum parte, Pauli Dolſcii nomen pro ficto atque a Philippo Melanchthone aſſumto venditari; cum Paulum certe Dolſcium Rectoris primum Gymnaſii, Doctoris deinceps Medicinæ ac Phyſici, tandemque & Conſulis officio Halis Saxonum functum fuiſſe conſtet, prout eundem quoque Eccleſiaſten pariter ac Eccleſiaſticum Græco ſermone expresſiſſe dubium haud ſit.

Alia ab his luſtrantibus notatu imprimis dignæ viſæ ſunt coacervatæ paſſim obſervationes de extantioribus Auctorum quorundam nobiliſſimorum editionibus, aut in eorundem libros indicibus, Julii puta Cæſaris, Catulli, Tibulli, Propertii, p. 6. Taciti, Lucani, p. 7. Virgilii, Horatii, p. 8. Plauti, p. 9. M. Terentii Varronis, p. 11. Salluſtii, p. 12. Juvenalis, p. 15. Perſii, p. 16. Martialis, p. 17. &c. Quæ de Caſaubono p. 76. afferuntur in utramq; partem judicia, aliena magis ſunt, quam Noſtri propria. Alibi tamen a p. 153 usq; ad 176. in eo totus eſt, ut magnorum quorundam Virorum ἁμαρτήματα μνημονικὰ oſtendat, lapſosq;, ubi ubi poteſt, erigat. Sed nec juſtas horum aliorumq; laudes reticet, ac Oberti imprimis Giphanii p. 99. Jo. Pricæi, p. 130. Pauli Gerhardi, cujus cantionibus eccleſiaſticis ſe valde delectari dicit, p. 179. Jo. Reuchlini, p. 202. & plurium merita ac dotes celebrat, prout eorum etiam munera enumerat, ac genium moresque non raro depingit.

Angelum Politianum utut a nota illa adverſus Scripturam Sa-

cram voce prorſus impia liberare G. J. Voſſius nitatur, profanum tamen maxime & in verbum Domini iniquiſſimum fuiſſe, p. 22. nullus dubitat. Ariſtotelem in Papatu olim Viris θεοπνεύςοις æqualem, imo ſuperiorem, ab imperitis Concionatoribus fuiſſe judicatum, teſtimoniis non unis p. 25. probatum dat.

Ad dicta Scripturæ illuſtranda interdum quoque excurrit, velut ubi p. 128. in excutiendis verbis Principum Sacerdotum & Seniorum ad Judam directis, σὺ ὄψει, occupatur, & Atticiſmum in iisdem obvium oſtendit; nec non ubi p. 181. Lightfootum notat, quod in Horis Hebraicis ad Matth. XVI, 19. claves ſoli Petro commiſſas, at poteſtatem ligandi & abſolvendi Apoſtolis quoque reliquis datam, licet alio plane ſenſu, quam velint Pontificii, exiſtimet. E decimo quarto Geneſeos capite, in quo de Abrahamo narratur, quod arma ſua conjunxerit cum populis infidelibus, occaſionem apprehendit diſceptandi ſuper quæſtione: an in bello juſto milites infideles in auxilium vocare, aut auxilium ipſis ferre Principi ſit licitum? & heic quidem in negativam ſententiam ſe propendere non diſſimulat.

Phyſicam propius attingunt, quæ p. 209. de æſtu marino illiusque cauſis diſſerit, ſicuti ad Medicos imprimis ſpectant lemmata, quæ p. 143. de voluntaria ecſtaſi accumulat. Nec injucundus lectu eſt Catalogus eorum, qui artem quidem Medicam profeſſi, Theologica tamen ſimul ſcientia inſtructi fuerunt, aut controverſiis minimum Theologicis frequentes ſe immiſcuerunt.

Curioſi tandem quilibet invenient, in quo paulisper ſubſiſtant, ubi raram, quam vocat Auctor, ſterilemque & a nemine Romano præter unum Apicium, & hodie nuſpiam extantem C. Matium, juſto hactenus commentario expoſitam materiam de Coquis paulo uberius illuſtratam ſub ſecundi capitis initium deprehendent.

## *B. GEBHARDI THEODORI MEIERI HISTORIA Religionum.*

Helmſtadii, apud Georg. Wolfg. Hammium, 1697. 4. Alphab. 2. plag. 5.

GRaviſſimum in luctum conjecta fuit Illuſtris Academia Julia, ubi anno 1693. finiente, poſt amiſſos paulo ante celeberrimos Duum-

Viros

Viros, *Heigelium* & *Buſmannum*, tertium quoque *Gebhardum Theodorum Meierum*, Theologiæ & Antiquitatum Eccleſiaſticarum per annos bene multos Profeſſorem ſibi eripi cognovit. Nec dubium, quin Literatus Orbis univerſus eundem, utut jam ſexagenarium, diutius ſuperſtitem optarit, ut editis abs ſe ſcriptis aliis maxima eruditione refertis ea etiam, quæ affecta modo reliquit, potuiſſet addere. Multum namque Theologiæ non minus ac Antiquitatum ſacrarum cultores delectarunt exaſciata, quæ in lucem publicam emiſit, opera, e quibus nominare jam liceat *Hiſtoricam de Collectionibus Canonum relationem*, Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ a Juſtiniano Imperatore confirmato & juxta editionem Chriſtophori Juſtelli recenſito præmiſſam; quam excepit accurata *in univerſum Theologiæ Moralis cum dogmaticæ tum pragmaticæ ſtudium Introductio*, partem primam & ſecundam *Theologiæ Moralis* comitem mox nacta. Nec ignotus eſt eruditiſſimus *de recondita veteris Eccleſiæ Theologia & ſolenni ſacrorum coram profanis & nondum initiatis occultatione* liber, Hiſtoricusque *de tribus novellorum naſcentis Eccleſiæ Chriſtianorum initiamentis* Commentarius. Collecta ab ipſo *Academiæ Juliæ Monumenta*, cum Theologorum tum Jureconſultorum in eadem quondam docentium memorias complectentia, magis adhuc juvarent Eruditos, ſi Medicorum quoque ac Philoſophorum vitas addere, prout quidem conſtituerat, eidem licuiſſet. Aliena, quæ in Studioſorum uſus recenſuit, quæque in præmiſſa huic operi ejusdem vita indicantur, opuſcula ſilentio præterimus, ſicuti prolixum nimis fore reputamus, Academicas enumerare Diſputationes, in quibus themata lectiſſima ab ipſo perquam eleganter atque erudite tractata deprehenduntur. Ne tamen penitus interciderent, quos moriens in ſcriniis ſuis reliquit, doctiſſimi tractatus, cavendum merito putavit Moralium hodie apud Helmſtadienſes Profeſſor Clariſſimus *Phil. Ludovicus Böhmerus*, qui uti poſt hac peculiarem B. Meieri *de Notariis Eccleſiæ veteris* librum, *tertiamque Moralis Theologiæ partem* ſe editurum eſt pollicitus, ita nunc *Religionum*, quam nominavimus, *Hiſtoriam* præmiſit. Ea maximam partem in deſcriptione *Religionis divinitus revelatæ* occupatur, quippe cujus non antiqua modo facies, quam inde a prima ſua origine ad Novum usque Teſtamentum habuit, ſed & recentior, quam per ſingula a nato Chriſto ſecula diverſimode ſortita fuit, & ad noſtrum usque ævum tenuit, delineata *ὡς ἐν συνόψει*

cernitur. Iſtam dehinc tractationem Religionis & priſcæ illius *Ethnicæ*, & hodiernæ *Judaicæ* brevior excipit conſideratio, qua finita *Muhammedana* quoque ſub cenſum vocatur. Ubivis autem in cujusque originem, incrementaque pariter & decrementa, & hodiernum ſtatum ſolicite inquiritur. Sed antequam ad ſpecialiorem Religionum modo recenſitarum hiſtoriam acceſſus fit, nonnulla generatim monentur de *Religionis* nomine, exiſtentia, natura, notis; prout & Atheiſmi pariter ac *Naturalismi* ſuccincta quædam hiſtoria ſuppeditatur.

## *GEORGII CALIXTI DE TOLERANTIA REFORMATORUM circa quæſtiones inter ipſos & Auguſtanam Confeſſionem profeſſos controverſas Conſultatio.*

Helmſtadii, apud Georg. Wolfg. Hammium, 1697, 4.
Alphab. 1. pl. 4.

MAgni cujusdam S. R. I. Principis, natam Reformatos inter atque educatam conjugem ſibi delecturi, conſcientiæ fluctuanti ut conſuleret celeberrimus poſt fata quoque ſua Georgius Calixtus, peculiarem aliquando de Reformatorum circa controverſas quæſtiones tolerantia conſultationem conſcripſit, non ea quidem fini, ut in lucem publicam protraheretur, ſed ut, ubi humillimo defuncta eſſet obſequio, ab aliorum conſpectu penitus remota deliteſceret. Incidit tamen mox in manus alicujus, qui, licet inconſulto prorſus Auctore, in lingua vernacula Francofurti A. 1650 eam fecit imprimi, aſt mendis plurimis fœdatam; unde poſt octennium, Calixto interea A. 1656 vita functo, emendatiorem illius editionem Latinam optime de Manibus paternis meritus filius Fridericus Ulricus in lucem publicam emiſit. Multum ergo vel prima Actorum noſtrorum initia cum anteverterit tractatus hic, non eſt, ut de contentis illius plura in medium afferamus.

Sed cum iterata vice anno ſuperiori eundem prælo ſubmittens Maxime Reverendus Fridericus Ulricus Calixtus, hodie ſuperſtes, præfatione ipſum ſat prolixa ornaverit, non poſſumus, quin ex hac nonnulla delibemus. Et in preſſiori quidem tolerantiæ hujus declaratione ea occupatur, variaque ad ſcripti iſtius illuſtrationem uberiorem attinentia accumulat. Nervus autem eo generatim tendit, ut oſtendatur, poſſe aliquem, utut errori ſacrorum communionem impedienti implicitum,

citum,

citum, nihilo ſecius ceu verum Chriſtianum, ceu ejusdem cœleſtis Patris filium, ceu concorporem & cohæredem omnino tolerari, dummodo ſalvificam in Symbolo Apoſtolico, eoque ſenſu catholico ac orthodoxo intellecto, definitam fidem ſartam tectamq; ille cuſtodierit. Inde prout Socinianos furfurisque ſimilis in Chriſtianam religionem quammaxime injurios ab omni tolerantiæ concedendæ ſpe excluſos cupit penitus: ita Pontificios certe atque Calvinianos, ut in foro civili ſuam ii libertatem in Imperio obtineant, ita in foro quoque Theologico ad modum hunc ſufferri poſſe, nullus abnuit. Tolerantiam interea dum nominat, ab iis longius recedit, qui ſublato prorſus ſchismate, in religionum, quæ audiant, diſcrepantium unione ſancienda deſudent; eam namque nec ſperare ſe, nec molitum unquam fuiſſe Parentem ſuum, teſtatur, cum impedimenta remoram huc allatura pertinacius certe negotio huic incumbant, quam ut eis amoliendis humanæ vires ſufficiant. Quodſi enim vel iſtud largiamur tantisper, omnia in controverſiam hactenus vocata ſopita eſſe, pacata & conciliata, ſupereſſe vero ſolum iſtum diſſenſum, qui in articulo de S. Euchariſtia emergat, tunc nondum ita comparatum eſſe ait Eccleſiæ ſtatum, ut ſchiſma removeri poſſit, cum, quousque certamina Euchariſtica non ceſſatura ſint, noſtrûm aliquis nec cum Pontificiis, nec cum Reformatis de eodem pane edere, & cum iis de eodem calice bibere valeat; quemadmodum nec neutri horum id nobiscum facere, rebus ita ſe habentibus, conceſſum ſit. Non obſtante tamen hoc, inter Lutheranos Pontificiosque & Reformatos, quoad articulos in tribus œcumenicis Symbolis propoſitos, unionem communionemque actualem dari aſſerit, at, quantum ad doctrinas ſchisma excitantes, unionem duntaxat virtualem deprehendi contendit, quam in infucato deſiderio, voto, affectu & ſtudio unam eandemque communionem reſtaurandi atque frequentandi ſitam eſſe ait, quamque uberius contra Illuſtrem Pufendorfium, eam ceu inane commentum explodentem, ſtatuminare nititur. Tolerantiæ vero, cui patrocinatur, fundamentum iſtud ſubſternit, quod tria cardinalia Symbola omnes, quæ ad ſalutem neceſſario pertineant, doctrinas complectantur, (in qua hypotheſi roboranda multus eſt,) & quemadmodum hæc a trium in Imperio Romano vigentium religionum ſociis æque monet recipi, ita ſingularum aſſeclas Chriſtiana charitate dignos habendos, & tanquam veros veri nominis Chriſtianos diligendos, ſpiri-

tualique tolerantia ſufferendos venire concludit. Quod ipſum poſtquam argumentis adhuc quibusdam aliis confirmavit, imprimis etiam ad iſtud provocat, quod connubialia inter diverſæ religionis perſonas pacta hodie nequaquam infrequentia ſint; niſi vero ſupponatur hypotheſis, quæ utrique contrahentium parti veri Chriſtianismi atque ſalvificæ religionis poſſeſſionem relinquat, fore pacta talia abominanda & illicita infert, quæ tamen inter Chriſtianos nulla lege publica interdicta eſſe manifeſto ſatis conſtet.

De cætero præfationi huic ſubjecit Catalogum Scriptorum omnium, quotquot aut a Patre ſuo compoſita accepit, aut ipſe unquam evulgavit, & illa quidem ſic diſpoſuit, ut unicuivis pronum fiat cognoſcere, quo ordine in certos tomos ita digeri & compingi debeant, ne materiarum inter ſe cohærentia luxetur; id quod eorum Lectoribus gratiſſimum fore, certo nobis perſuademus.

COURS DE MATHEMATIQUE, QUI COMPREND TOUtes les parties de cette Science les plus utiles & les plus neceſſaires à un homme de Guerre, & à tous ceux, qui ſe veulent perfectionner dans les Mathematiques.

h. e.

*CURSUS MATHEMATICÆ COMPREHENDENS OMNES Ejus partes maxime utiles & neceſſarias viris, qui militiæ nomen dederunt, omnibusque illis, qui perfectam hujus ſcientiæ cognitionem affectant, auctore Dn. OZANAM, Matheſeos Profeſſore.*

Pariſiis apud Johannem Jombertum, 1697. in 8. Tomi V. Conſtant Alph. 4. plag. 11., cum multis tabulis ære expreſſis.

NOn infrequens eſt in Actis Eruditorum nomen Ozanami, qui diſciplinas Mathematicas militib9 cumprimis utiles, poſt Architecturam militarem ſeorſim excuſam, & in Actis A. 1694 commemoratam, quinque tomis non adeo ſpiſſis comprehenſas, ſatisque perſpicue explicatas in lucem emiſit publicam. Continentur autem Tomo primo Introductio in Matheſin & breve Algebræ ſpecioſæ compendium, cum Geo-

Geometria practica, nec non Elementorum Euclidis libris ſex prioribus & undecimo duodecimoque, brevi facilique methodo explicatorum & demonſtratorum, cujusvis propoſitionis uſu ſimul addito. Secundus tomus complectitur Arithmeticam, Trigonometriam, tabulasque ad illam pertinentes, tam vulgares quam logarithmicas. Tertium tomum Geometria occupat cum partibus ſuis, Geodœſia, Longimetria, Planimetria & Stereometria. In quarto tomo doctrinam Machinarum, tam ſimplicium quam compoſitarum, nec non Staticam & Hydroſtaticam Auctor proponit, una cum Perſpectiva; ultimo autem Cosmographiam & Gnomonicam. In hoc ergo opus non tranſtulit ſolum illa, quæ in opuſculis quibusdam mathematicis ſeorſim olim editis tradiderat, ſed multa quoque ſuperaddidit theoremata & problemata, nonnulla quoque emendavit. Quo pertinent illa, quæ olim aſſeruerat in Dictionario Mathematico de ſtellis Borbonicis, nec non de proprietatibus Quadratricis Tſchirnhauſianæ. Ingenue enim agnoſcit errorem (quem etiam in recenſione illius libri jam tum notavimus) a ſe commiſſum, monitus a Nicolao, Patre S. J. in Geometria verſatiſſimo, cujus literas duas Toloſæ A. 1691 datas Staticæ ſuæ inſeruit. Harum in prima non ſolum Nicolaus demonſtrationem theorematum, quæ in dubium vocarat Ozanamus, proponit, ſed refert quoque, ſe conſideraſſe penitius Quadratricis hujus novæ naturam, cum ſpatiorum ejus & ſolidorum, quæ rotatione ejus gignuntur, menſuras indagando, tum tangentes ejus & continuationem, quæ ſuperius inferiusq; in infinitum fieri poſſit, relationemque ſingularem quam ad Cycloidem habet, & id genus alia perquirendo, cunctaque congeſſiſſe in libellum triginta propoſitionibus conſtantem. In altera determinat ſitum centri gravitatis novæ Quadratricis, reſpondensque negative ad Ozanami quæſtionem, num Zonæ hemiſphæroidis & cylindri ejusdem baſis ſint inter ſe æquales, eundem certiorem facit, ſe non abſolviſſe tantum librum de Superficiebus rotundis, ſed opus quoque de Conchoidibus in tres libros diviſum, in quibus agat de Conchoide Nicomedis pariter ac de reliquis omnibus aliis, quæ formari poſſunt aliarum figurarum, v. g. Trianguli, Ellipſis, &c. adminiculo, examinetque Quadraturas, Tangentes, ſolida rotatione formata, & centra gravitatis. his autem adjectum fuiſſe de variis Ciſſoidibus tractatum, propter magnam affinitatem, quam inter Ciſſoides & Conchoides deprehen-

henderit. Ceterum rationes, quibus fretus Ozanamus Coſmogr. parte 1. cap. 2. p. 37. contendit, fixas quoque ſtellas corpora eſſe opaca, & a Sole lumen mutuari, rerum cœleſtium conſultis examinandas relinquimus.

---

Meminit haud dubie *Lector Benevolus* Problematum, quæ Clariſſimus *Jacobus Bernoullius*, Profeſſor Mathematum Baſileenſis, Clariſſimo *Joanni Bernoullio*, Profeſſori Mathematum Groningenſi, Frater Fratri in Actis hiſce noſtris, anno ſuperiore, menſe Majo, pag. 214 propoſuit. Solutionem Problematum illorum a *Johanne* inſtitutam exhibuimus menſe Januario præſentis anni pag. 52. ſqq. & excerptam quidem ex Diario Eruditorum Pariſienſi. Nunc vero cum ex eodem Pariſienſi Diario d. 17 Febr. 1698. p. 78. intellexerimus, *Jacobo* primarii problematis, quod de figuris iſoperimetris agit, ſolutionem non omni ex parte probari, eumque hanc ob cauſam ad genuinam ſolutionem indagandam Geometris pluſculum temporis, antequam ſuam publicæ luci exponat, relinquere, hac de re admonendos rerum harum curioſos exiſtimavimus.

---

## ERRATA.

Anno ſuperiori pag. 115. l. 6 pro $\frac{n}{\sqrt{1-n}}$ leg. $\frac{n}{\sqrt{1-n}}$. Pag. 128. l. 4. del. *&c.* Pag. 129. l. 2 poſt *&c.* inſeratur = (*ut ſupra oſtenſum*) $\frac{dx}{x}$, $\frac{dy}{y}$, $\frac{dz}{z}$, &c. ibid. lin. 14. del. *dn*. Pag. 130. l. 15. pro :: *dy*. *dy* leg. :: *dy*. *dx*. Pag. 209. l. 16. priori *adx* præfigatur ſignum —. ibid. l. 18. pro *zdx* leg. *adx*. Pag. 211. l. 9. pro *&* *axe* leg. *axe*.

Hoc anno pag. 54. l. 5. pro *integralem aut ſummam quantitatum* $\frac{GHdx}{x}$ leg. *applicatas GH*. In eadem linea deleantur hæc tria verba *Unde evidens eſt*. Ibid. l. 8. poſt *haberi* inſeratur *poteſt*. Ibid. l. 14. pro *ut b eſt ad PZ aut GH* leg. *ut ſubtangens curvæ BH eſt ad abſciſſam BG*.

Pag. 55. l. 23. pro *tangit* leg. *tangat*. Pag. 139. pro $50^{\circ}\ 47'\ 23''$ legatur $51^{\circ}\ 47'\ 35''$.

* * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

## *Publicata Lipſiæ*

*Calendis Junii, Anno M DC XCVIII.*

### *JACOBI LYDII SYNTAGMA SACRUM DE RE MILitari, nec non de Jurejurando Diſſertatio Philologica. Opus poſthumum, e tenebris erutum ac notis illuſtratum a SALOMONE van TIL, Theologo Dordraceno.*

Dordraci, apud Cornelium Willegardum, 1698. 4. chart. aug. Alphab. 2. plag. 7. figg. æn. 12.

DIſceſſit equidem jam ante annos aliquot ex vita hac, ſed non item ex Eruditorum memoria Vir celeberrimus, Jacobus Lydius, Eccleſiæ, dum viveret, Dordracenæ Antiſtes, de cujus Manibus bene meritus eſt Maxime Reverendus Salomon van Til, dum libris ejus, quos ipſe adhuc ſuperſtes edidit, *Belgio* puta *glorioſo*, Dialogo de *Cœna Domini*, *Agoniſtica Sacra*, Annotationibus in hiſtoriam Paſſionis Chriſti ſub *Florum ſparſionis* titulo vulgatis, ſimilibusque forſan aliis, bipertitum hoc opus tanquam fœtum poſthumum aſſociavit.

Horum alterum ſacri *de re militari* ſyntagmatis nomen præfixum gerit, potiſſimamque ibi induſtriam in eo Auctor collocat, ut non ſolum ex eruditione profana ſingulas militiæ veteris partes uberius delineet, verum & loca imprimis Biblica, in quibus rituum apud milites tunc receptorum aliqua occurrit mentio, aut quicquam inſuper, quod ad priſtinam belli rationem attinet, innuitur, abunde illuſtret.

Eum igitur in finem conſuetudinem belligerandi univerſam ad oculum legentibus demonſtrat per integros ſex libros, exorſusque a belli indictione, militum deinceps delectum & factam ſigni ſive vexilli ad hunc promovendum erectionem commemorat. Inde ad auſpicia & omina in bello ſuſcipiendo progreſſus, de inſpectione jecoris, de commixtione ſagittarum, de graviori ſolito ſignorum pondere, deque

aliis, quæ antiqui vulgo crediderint, ominibus curioſa quædam in medium adducit, at pleraque horum a ſapientioribus non raro neglecta fuiſſe ſimul innuit. Tum de ætate militum conſcribendorum agit, ejusdemque conſiderationi privilegia, quæ vacationem a militia conceſſerint, adjungit, & hanc ſane nonniſi anno quinquageſimo datam innuit. Sed a neceſſitate bellandi penitus immunes Deum præſtitiſſe ædificantes, plantantes, neogamos & meticuloſos, ex Deuteronomio probat; attamen hanc libertatem in bello ſolum ſpontaneo pro dilatatione imperii ſuſcepto, non æque in bello legali a ſupremo Numine mandato obtinuiſſe ſuperaddit; heic autem non minus atque illic plerosque aut omnes ἑκουσίως in bellum proruiſſe, ac hos ſervilem in morem notis ſtigmatibusque inſignitos, modo in manu, modo in brachio Imperatoris ſui nomen tuliſſe obſervat. Quæ ſingula poſteaquam libro *primo* latius expoſuit, in *ſecundo* ordinem militarem carptim delibat, & quænam veteribus Legio fuerit, quæ ordinis equeſtris diſpoſitio, quænam Chiliarchis, Hecatontarchis, Signiferis ſeu Vexillariis, Buccinatoribus, Exploratoribusque munia incubuerint, disquirit. Præmiſſa libro *tertio* militarium veſtium, chlamydis, paludamenti, ſagi, calceorum deſcriptione mox arma canit, quorum materiam æs admodum durabile conſtituit, quorumque officinas oppidatim apertas fuiſſe monet. Sigillatim vero galeam, thoracem, &, quæ minus ab hoc differat, loricam, clypeos item & ſcuta; atque horum φυλακτικὰ, vaginam, baltheum, cingulum, pharetras contemplatur, & dum inſtrumenta ad ordinem in militia ſervandum uſurpata huc quoque refert, de ſignis, interque hæc quam maxime de vexillis, diſſerit, ac horum varias figuras enumerat, plurima præ cæteris de aquila & dracone in ſignorum vicem adhibitis commentatus, nec receptum ævo demum inferiori labarum omittit, prout & de tubis nonnihil adjicit. Arma ad nocendum damnumque inferendum conflata duorum facit generum. Alia namque leviora & magis communia appellat, gladium puta, haſtam, lanceam, arcum, ſagittas, fundam, ſecures; alia graviora, machinas nimirum bellicas, quibus balliſtas, arietem, currus, naves, cattos annumerat, & ſingulorum formam pariter ac uſum diſtincte tradit. Libro *quarto* in caſtra, aciem, ipſaque prælia pergit, claſſicumque & pugnam meditatur. Nunquam autem in bellum progreſſos ait veteres ante invocationem Numinis, inſtitu-

tamque

tamque per ſacrificia quoque & devotiones præparationem, cui diſtributas etiam teſſeras, militumque adhortationem & facis ardentis projectionem accenſet. Pugnam præterea indictam refert aut per coccineam veſtem, aut per clypeum in altum elevatum, quæ ſigna ſtatim inſecutus fuerit conflictus ipſe, in quo clamorem inconditum undique exauditum, vaſa & arma cum fragore percuſſa, brachiaque militum denudata ſiſtit, & Regis tunc præſentis conſpectum mira quadam vi militum animos ad fortitudinem excitaſſe colligit. Urbes aut corona cinctas & admotis utplurimum ſcalis invaſas, aut circumvallatione arctatas & ad deditionem impulſas, vel vi paulatim captas annotat. Librum *quintum* diſciplinæ militum contemplandæ deſtinatum voluit. Et iis certe peregrino cuipiam negotio ſe immiſcere, aut ultra ſtipendia quid appetere neutiquam licuiſſe, e contra obedientiam duci per omnia præſtandam, & curam circa caſtrorum ordinem munditiemque ſtrenue adhibendam incubuiſſe, teſtimoniis non unis evincit, ac de cætero eorum exercitia venatione, curſu, prælio imaginario diſcoque abſoluta fuiſſe edocet. In tentoriis eos dormiviſſe & ab aeris inclementia tutos quieviſſe, alios tamen interim, ut vigilias probe obſervarent, decuiſſe, & alibi alios cuſtodum apud captivos vicem obiiſſe; delinquentes vero aut hybernatione extra caſtra, aut fuſtigatione, aut ſanguinis miſſione, aut tranſitione per agmen haſtis configentium, aut veſtium abſciſſione punitos legi aſſerit. Exitum denique belli *ſextus* liber ſpectandum proponit, cumque ille aut per fœdera obtineatur aut per victoriam, de iſtis non minus ac de hac Lectorem Noſter inſtruit. Fœdera humano non raro ſanguine coaluiſſe, aut pecore mactato firmata; victoria autem obtenta cantatum epinicium, oblata ſacrificia, agitata convivia ludosque, choreas etiam ductas fuiſſe ait. Triumphi porro pompam prædæque ac ſpoliorum e loco publico ſuſpenſionem, gladii in bello adhibiti conſecrationem, armorum hoſtilium combuſtionem, & equos ſubnervandi conſuetudinem ſigillatim enarrat. Captis urbibus ſignum in muris erectum, iſtasque ſale conſperſas ac aratro inducto ſolitudini & vaſtitati perpetuæ devotas oſtendit. Cibum ſuper hoſtium devictorum cæſis corporibus ſumtum, & capita eorum amputata afferri ac oſtendi juſſa, ſuperſtitesque in ignominiam tonſos ubi introduxit, viciſſim præmia exercitui vincenti data, prædam nempe inter milites diviſam, promotionem be-

ne meritorum ad majores dignitates, coronas ac honeſtam interdum miſſionem; aſt mortuorum decus aggeſtos pro monumento tumulos & enſes armaque cum iisdem ſepulta celebrat.

Sicut autem ſingula, quæ hactenus a nobis recenſita ſunt, juſto eruditiſſimus Auctor ſtudio pertractat, ita unusquisque haud difficulter colliget, lucem utique clariſſimam hinc accepiſſe Scripturæ Sacræ loca plurima, quæ alias rerum in hoc opere commemoratarum ignaris nonniſi obſcuriſſima apparere poterant. Apponemus pro inſtituti noſtri ratione pauca quædam iſtius rei ſpecimina. Dum per veſtem aut tunicam coccineam datum fuiſſe pugnæ ſignum perhibet, Danielis Prophetæ verba ex Cap. XI. comm. ult. adducit, ubi ambiguitatem quandam oriri notat ex voce אפדנו, quam vulgo *palatium* interpretentur, atque integrum ſenſum ita reddant: & *figet tentoria palatii ſui inter maria.* At enimvero cum Hebraicum illud vocabulum ejusdem cum אפד originationis ſit, nihil obſtare autumat, quin per veſtem aut tunicam id exponat, ut *tentoria tunicæ ſuæ* ſint tentoria, unde tunica coccinea, ſignum pugnæ, extendi conſueverit. Jobum Cap. XLI, 20. in verbis, quæ alii vertant, *& deridebit vibrantem haſtam*, potius ad conquaſſationem facis a Pyrophoro prælium jamjam committendum denunciante ſuſceptam reſpexiſſe putat, unde & LXX Interpretes digitum huc intendentes non inepte ea ſic reddiderint: καταγελᾷ δὲ σεισμȣ̃ πυρφόρȣ. Circa locum 2. Sam. XII, 31. qui vindictam, quam David contra cives Rabbat exercuit, in plerisque verſionibus hoc ſenſu exhibet, quaſi eos tranſire feciſſet *per fornacem lateritiam*, ſuſpicionem allegat Menochii, exiſtimantis, potius hoc ſignificari, quod mandarit David, ut per ordinatam militum aciem quadrangulam & laterum typum ac figuram referentem medii tranſirent Ammonitæ, & militum Iſraëlitarum haſtis telisque configerentur & occiderentur. Quam certe ſuſpicionem non repugnare cenſet Veterum moribus, utpote qui in delinquentes milites ſic animadvertere omnino ſueverint. *Cornua* Amos VI, 13. jactata non illubenter de illo munitionum genere, quod hodie ab acutorum angulorum prominentia vocetur *Hornwerck*, accipere ſe velle innuit. Paulum in effato, quo *ſtigmata Domini Jeſu in corpore ſuo ſe portare* Gal. VI, 17. aſſeruerit, ſtigmata, quibus olim inſignitos conſtet milites, in mente habuiſſe arbitratur. Ex eo, quod diſciplina bellica quon-

quondam poſtularit, ut miles cæteris rebus ac negotiis relictis uni ſe militiæ daret, abunde perſpici poſſe cenſet mentem Apoſtoli, qui 2. Timoth. II, 4. idem affirmaverit. Quam pulchre corpora noſtra σκηναὶ & σκηνώματα appellentur, & in morte καταλύεσθαι & ἀποτίθεσθαι 2. Cor. V, 1. II. Pet. I, 13. 14. dicantur, ex deſcriptione tentoriorum in caſtris erigi ac iterum diſſolvi ſolitorum demonſtrat. Triumphum Chriſti Col. II, 15. inſinuatum ex triumphatione veterum non parum illuſtrat. Victoria parta coronas laureas in gremio Jovis depoſitas fuiſſe meminit, & eo fortaſſis reſpexiſſe Johannem cenſet, dum fideles jam victores & in cœlo triumphantes *ad Chriſtum throno inſidentem coronas ſuas deportaſſe*, Apoc. IV, 10. ſcripſerit.

Sed nec infrequentes inſuper excurſus ad varia, quæ philologiam & hiſtoriam propius attingunt, themata in opere præſenti Auctor inſtituit, utpote quando agit v. c. p. 29. de Jacobitis, qui abs ſe baptizatis ferro candenti ſtigma inurant; p. 50. de uſu æris in antiquis imaginibus; pag. 83. de columba Babyloniorum, & p. 86. de Luna Turcarum inſignibus; p. 139. de navibus ex papyro conſtructis; p. 171. de Diis ſtercore humano cultis, & de quadam conſtitutione Eccleſiaſtica ſtercoris & pediculorum eſum urinæque potum prohibente. Jucundum quoque lectu eſt, quod de *calceatis dentibus*, quorum apud Plautum mentio, p. 45. ſ. commentatur. Sicut nempe milites calceis pedes ſuos muniverint, ut tuto viam aſperam ac ſcrupuloſam calcare poſſent; ita paraſitum ſibi quoque dentes autumat promittere calceatos, ad aſperrimum quemvis cibum comminuendum, etiamſi ſentes eſſent manducandi.

Piis vero accenſendum venit meditationibus, quando prolixam inter Chriſtum crucifixum & Imperatores triumphantes comparationem a p. 213. ad 221. inſtituit. Eidem Salvatori optimo, quem patientem milites Romani multifariam ludibrio expoſuerint, iſtam quoque pœnam, quæ per ſanguinis e vena cæſa miſſionem fiebat, irrogatam fuiſſe, p. 197. a vero parum abludere exiſtimat.

Atque hæc de primo hoc tractatu dicenda nobis fuerunt. Jam pergendum eſt ad alterum, ubi in deſcribendo *juramento* Noſter occupatur, ſoliciteque ea congerit, quæ de perſonis jurantibus, de juramenti formulis, de perſonis rebusque per quas juratum, de geſtibus & ceremoniis in juramento uſurpatis, de loco item ac denique de tem-

pore juramenti paſſim apud Auctores reperiuntur. Videlicet Senatum olim, Imperatoresque ac Conſules, ſponſum quoque & ſponſam, itemque milites ſolenniter juraſſe, capite *primo* oſtendit. Capite *ſecundo* Judæos utplurimum cum imprecatione alicujus mali ac pœnæ, ſi fallerent, juramenta concepiſſe narrat, ſed & alias cum Chriſtianorum tum Gentilium jurandi formulas enumerat. Perſonas atque res, per quas juratum, ubi Capite *tertio* inſinuat, per Deum perque res ad Numina relatas, per Anchialum, per octo Numina, per legem, per Evangelium, per cœlum, Solem, aquam, terram, per Hieroſolymam, per Templum, per caput, modisque innumeris fere aliis, quin & non raro per res ludicras, veluti per barbam, per anſerem, canem, hircum, per allium cæpasque juramentum fieri ſolitum obſervat. Geſtibus jurantium caput *quartum* aſſignatum eſt, ubi de elatis ab his duobus digitis prioribus, & manu interdum integra, interdum utraque, deque eadem femori (quo nomine indigitari cenſet genitalia,) ſuppoſita, de contactu Evangeliorum aut univerſi ſacri Codicis, de tranſitu per medium diviſorum pecorum, de tactis lauro, cereis, annulo, de ſceptro elevato, de admoto cervici gladio, deque aliis hujuſcemodi ritibus pro more ſuo docte perquam atque eleganter agit. E locis, quorſum juraturi ſe receperint, templa, in iisque aras, ſepulcra Martyrum & aliorum defunctorum, lacusque & ſimilia capite *quinto* commemorat; inque *ſexto*, quod unum ſupereſt, novo cumprimis anno Juramenta militibus tempeſtiva habita, die autem Dominico jurare nefas olim creditum; ad hæc mane aut a jejunis jusjurandum exactum fuiſſe innuit, & his deductis de perjurii pœnis peculiare corollarium ſubnectit.

De cætero ne ſolas editoris partes ſuſtineret laudatus ſupra a nobis Tillius, abſoluto opere notas quasdam a ſe conceptas & ad priorem de re militari tractatum referendas exhibuit, in quibus præter ulteriorem lemmatum, quæ Lydius accumulavit, nobiliſſimorum illuſtrationem, ea quoque in Supplementorum vicem adjunxit, quæ, utut ad rem præſentem maxime pertinerent, a Lydio tamen omiſſa deprehendit, qualia ſunt tympana, galearum ornamenta, ocreæ, conatus evocandi Deos tutelares ab hoſtibus ideo ſuſceptus, ut ablata tutela urbem facilius occuparent, & alia, quæ nullo negotio a curioſis harum elegantiarum ſcrutatoribus ſuo loco reperiri poterunt.

*EMA-*

*EMANUELIS THESAURI IDEA ARGUTÆ ET INgenioſæ dictionis, ex principiis Ariſtotelicis ſic eruta, ut in univerſum arti oratoriæ, & inprimis lapidariæ atque ſymbolicæ inſerviat. Omnia nunc primum ex Italico Latine converſa.*

Francof. & Lipſiæ, ſumptibus Jo. Melch. Suſtermanni, 1698. in 4. Conſtat 4. Alph. 5. plag.

EManuel Theſaurus, non magis ſtemmatum gloria & Comitis dignitate ac inſignibus, quam eleganti eruditione illuſtris, eam ſibi famam Inſcriptionibus ſuis comparavit, ut unicus quaſi, præſtantiſſimus certe artifex in arguto hoc ſcribendi genere ſuſpiciatur, ad cuius opera velut ad Polycleti regulam ſcripta ſua exigere ſolent, qui in concinnandis huiusmodi ingenii fœtibus elaborant. Neque vero exemplis modo juvit argute dicendi ſtudioſos, ſed ipſam argutiarum artem protulit; primusque ſolide conſtituit, veſtigia quædam ſecutus Ariſtotelis, quæ in eius Rhetoricis ſagaciſſime deprehenderat. Quod in mentem nobis revocat judicium de eodem Rhetoricorum libello Boilei, Poetarum inter Gallos principis, qui in fine Præfat. in verſionem ſuam libelli Dionyſiani περὶ ὕψους negat, ſe ullo ex libro plura didiciſſe, quam ex Ariſtotelis Rhetoricis, quos Gallica lingua proinde nuper venuſtiſſime expreſſit Caſſander. Cæterum artem hanc ſuam ex Ariſtotelicis principiis erutam Theſaurus ſub titulo: *Il Cannocchiale Ariſtotelico, o ſia Idea delle argutezze heroiche, vulgarmente chiamate Impreſe*, primum Taurini anno 1654 Italice evulgavit, quod opus deinde Romani Venetique typi ſæpius & minimum ſexies iterarunt. In noſtris vero regionibus, quo rari importantur libri Italici, nec a multis adeo inter doctos leguntur, vulgo ignoratum fuit inſigne hoc opus; ut, dum beneficio & ſtudio Viri cl. *Caſparis Corberi*, humaniorum literarum in Academia Julia Profeſſoris doctiſſimi, eleganter Latine converſum nunc primum prodit, novum illud videri poſſit. Non igitur ſperamus dividiæ Lectori fore, ut libri huius, Italicus ſi ſpectetur ortus, paulo vetuſtioris, ſummam & formam paucis pro inſtituti ratione exhibeamus. Primum erudite Auctor inquirit in nomina, quibus Græci, Romani, Itali & Galli argutias ſignificant, & ex his colligit duo argutiarum genera, alterum in opere & facto, alterum

in

in verbis poſitum: quorum illud artem Symbolicam, hoc Lapidariam parit. Vtriusque prolem partusque poſtquam enumeravit, ad quatuor cauſarum genera doctrinam artis revocat, & argutiarum primo conſiderat inſtrumenta, quorum beneficio formantur argutiæ: videlicet mente, (quam argutiam vocat archetypam) voce, literis, geſtu, figura picta vel ſculpta, aut modo ex hiſce ſcripto & compoſito. Deinde cauſas effectrices argutiarum, ſeu illas qui fingant pariantque, perſecutus, alias refert ad auctorem Deum, veluti ſenſus tropologicos, allegoricos, anagogicos, quos in ſacris literis inveniunt Interpretes; alias ad ſpiritus vel angelos, veluti oracula, ſomnia, oſtenta; alias ad naturam in admirandis eius operibus, ſeu ordini ejus conſentientibus, ſeu ab eo aberrantibus, veluti monſtris; alias ad animalia, quæ illi videntur argutari, ſi quid ominoſi perficiunt, ut apes ori Platonis inſidentes; alias denique, de quibus hic maxime quæritur, ad hominem, quæ naſcuntur vel ab ingenio, vel a furore, vel ab exercitatione. Ingenium a prudentia quomodo differat, & quid interſit inter opera artificialia docta & ingenioſa docet; exempla ingenioſæ & argutæ artis ex architectura, pictura, automatis, optica, & inventione tubi petens. Furoris argutias in affectu, afflatu, enthuſiaſmo divino & poetico, dementia ſeu ridicula ſeu atroci, collocat. Exercitatione comprehendit praxin, lectionem, obſervationem, indicis categorici præſidium, (cui Morhofius quoque multum tribuit) & imitationem, ſingula præceptis exemplisque copioſe illuſtrans. Quod hic ſemel admonitum, in cæteris omnibus intelligi volumus: nusquam enim deeſt vel præceptorum lux, vel ſelectiſſimorum exemplorum varietas. Formam artis huius ponit in figuris ingenioſis: figuras vero definit novitate quadam dictionis ad oblectandum auditorem reperta, quæ vel ſenſus afficit, unde naſcitur figurarum genus harmonicum; vel affectus, unde quædam ſunt patheticæ; vel intelligentiam, quas proprie ingenioſas vocat. Harmonicum figurarum genus in periodorum conſtructione cernitur, quas in concinnas diſtinguit & rotundas. Concinnitatem in æqualitate membrorum, contrapoſitis, & ſimiliter cadentibus ſpectat, tabulisque metricis ante oculos ponit. Rotunditatem proficiſci docet a dimenſione pedum, pulchritudine verborum, & iuſta quantitate. Quæ ſingula quomodo dignoſcamus & conſequamur, accurate luculenterque tradit. Eodem modo Inſcriptiones obſervat

ſervat eſſe vel conciſas vel rotundas: & harum duo profert exempla, alterum ævi Auguſtei, alterum Conſtantini M. quas acri iudicio inter ſe contendit. Figuras patheticas nova quadam ratione diſtribuit in duo genera, quæ vel intellectus operationes, vel animi motus in oratione exprimunt. Vtriusque varias aliisque inobſervatas ſpecies, & bonorum Auctorum exemplis, & perpetuo quodam ſuo exemplo, per omnes figuras ducto, comprobat. Ad ingenioſas denique figuras, quibus omnis argutia nititur, accedens, proprii ſermonis indolem prius exponit, & Latinæ atque Italicæ linguæ ætates diſtinguit, ex quibus de cuiusque puritate iudicari poſſit. Ingenioſam vero orationem aut Grammatica vocum immutatione niti, cum pro propriis priſca, peregrina, derivata, mutata, compoſita, ficta adhibentur; aut in ſignificatione peregrina ſpectari, quam uno verbo appellat Metaphoram, & omnis argutiæ parentem iudicemque agnoſcit. Diſtinguit Metaphoram in vocem, propoſitionem, & argumentum: de voce autem metaphorica, a qua reliquæ ſpecies propullulant, & cuius ea eſt natura, ut rem alterius rei beneficio velociter ſignificet, primum præcipiens, in octo illam ſpecies diducit. Nam res ſignificatur vel ſimilitudine rei, quæ eſt metaphora *proportionis*, aut nominis, quæ eſt metaphora *homonymiæ*; vel ex re conjuncta, eaque plana, quæ eſt metaphora *attributionis*, aut profunda, quæ eſt metaphora *Laconiſmi*; vel ex contrario ſeu re ipſa, quæ eſt metaphora *oppoſiti*, ſeu opinione hominum, quæ eſt metaphora *deceptionis*; vel denique facilitatem rei cognoſcendæ atque adeo ſuavitatem affert eius magnitudo, quæ eſt metaphora *hyperboles*, aut evidentia, quæ eſt metaphora *hypotypoſis*. Singulas porro ſpecies diſtincte fuſeque perſequitur, materiam & exempla cuiusque metaphoræ ad ſumma genera indicis categorici referens, uſumque in variis argutorum operum generibus commonſtrans. Pergit deinde ad metaphoras continuatas, ſeu propoſitionem metaphoricam, hoc eſt allegoricam; eamque collectis ſecundum ſeriem categoriarum ſimplicium vocum, quæ inter ſe transferuntur, proprietatibus facile pertexi poſſe, exemplo Roſæ & Reginæ deſcribendæ oſtendit. Argumentum denique metaphoricum, in quo ſita ſit præcipua vis argutiarum, decem exemplis propoſitis, in fallacia quadam & cavillatione poſitum obſervat; quæ differat a Dialectica, quod ſit urbana, hoc eſt, in alia prorſus verſetur materia, ad ali-

um finem referatur, & alia figura ac forma induatur. Rationem fabricandi enthymematis arguti facit triplicem, ut vel arguta rei propoſitæ afferatur ratio, vel argutum aliquid conſequens ex ea derivetur, vel animadverſio quædam mirabilis ſubiiciatur. Cum vero Hiſpani argutam quandam concionandi rationem in Italiam invexerint; iſtam quoque præceptis ſuis contineri oſtendit, & per ſingulas ſpecies metaphoræ thema concionatorium argute & ingenioſe tractare docet. Forma argutiarum hoc modo late expoſita, finem quoque earundem & materiam attingit; eosdemque eſſe argutiarum fines, qui ſint Rhetoricæ, ut vel ad deliberandum, vel ad demonſtrandum, vel ad iudicandum pertineant; hisque tribus generibus omnem earum materiam quoque contineri demonſtrat. Affert deinde theoremata practica duodecim, quæ exemplo perpetuo apis electro incluſæ arguta enthymemata condere & formare docent. His in univerſum de omni argutiarum genere expoſitis, ſpeciatim agit de ridiculis & inſcriptionibus: & ridiculum in deformitate phyſica vel morali, ſed innoxia, ſitum eſſe oſtendit, eiusque gratiam ab aliqua metaphora proficiſci, exemplo thematis ridiculi, per omnes metaphorarum ſpecies variati, oſtendit. Inſcriptiones vero argutas conciſo ſtilo, qui plurimum differat ab oratorio, conſcribendas eſſe monet; & elogium Ciceronis de legione Martia, & Taciti de Galba, in formam inſcriptionis redigit, illud quibusdam detractis mutatisque, hoc nullo verbo mutato. Hinc tranſit ad Symbolicam artem, quæ in figura & facto exhibet argutias, eiusque totidem eſſe ſpecies, quot argutiarum verbalium, & ex eodem metaphoræ fonte promanare, exemplis e quaque metaphoræ ſpecie derivatis demonſtrat. Primum vero exquiſite & *κατ' ἀκρίβειαν* philoſophicam agit de argutiis heroicis, perfectiſſima ſymbolorum ſpecie, quæ Itali vocant *impreſe*; quorum naturam & formam poſtquam inveſtigaverat, una & triginta legibus ea circumſcribit, & ad has celeberrima quæque ſymbola examinat: cumque nullum exacte iſtis reſpondere deprehendat, captum humani ingenii excedere pronunciat, ut omnes ſymboli heroici perfectiones dotesque aſſequatur. Subiicit deinde peculiarem de Emblematis tractationem, in quibus excolendis ſummam laudem tribuit Alciato; ſuaque ipſius emblemata in ſtatuas horti Raconiſii ſignum aliquod cœleſte exhibentes profert. Reliqua ſymbola in facto poſita, veluti ſaltationes perſona-

TAB. VI. ad A. 1698. pag. 259. M. Jun.




Fig. 3.




Fig. 1.




Fig. 2.

Digitized by Google

ſonatas, ludos equeſtres, tragœdias, comœdias &c. breviter definit, & quomodo ex his inter ſe mixtis, veluti facta quadam inſitione, novæ ſpecies produci poſſint, admonet, & poſtremo thema quoddam in omnes argutias tam verborum quam ſymbolorum convertens, colophonem operi imponit.

## *DE METHODO ARCUS CURVÆ PARABOLICÆ inter ſe comparandi, per D. T.*

CUm hoc in argumento, niſi quis genuinam ſequatur methodum, proclive ſit in magnas incidere prolixitates, hac vice oſtendam, qua ratione, eaque ſatis facili, comparatio illa inſtituenda, & qua via huc usque in hac re progreſſus fuerim.

Sit A R S T V Parabola, cujus ſemilatus rectum A C, & Hyperbola C F I L N, cujus aſymptotos A M; factis reliquis, quæ erudito Lectori ex ipſa figuræ inſpectione manifeſta ſunt, notum eſt (1) ſi fiat, ut A D ad A G, ita AK ad AM, ſpatia F D G I & L K M N ſemper æqualia, adeoque infinita ſpatia reperiri poſſe æqualia aſſumto F D I G; id quod methodo Cavalleriana facillime demonſtratur. (2) Rectangulum ex A C in arcum Parabolicum R S æquari ſemper ſpatio hyperbolico F P Q I. Unde efficitur, quia aſſumtis arcubus Parabolicis, R S, T V, menſuræ ſpatiorum P F I Q & W L N O inveniri, atque ex his cognitis porro ſola additione & ſubtractione ſpatiorum rectilineorum derivari poſſunt ſpatia F D G I, L K M N, æquationem hanc elici poſſe, ejusque ope, ſi ex eadem arcus R S & T V tollantur, Geometrice determinari, quid in determinatione arcuum Parabolicorum datam ad ſe invicem rationem habentium poſſibile ſit aut impoſſibile. TAB. VI. Fig. 1.

Sit ergo $AB = BC = a$, $AD = b$, $AG = c$, $DF = d$, $GI = e$, $AK = f$, $AM = g$, $KL = h$, $NM = i$, $RS = x$, $TV = y$, ſitque brevitatis cauſa $2aa = kk$, & $AC = k$.

Poſito primum, arcum RS ad TV eſſe, ut 1 ad 2, reperitur FDGI $\frac{4kx - cc + 2ce + bb - 2bd - dd + ee}{4}$ & LKMN $= \frac{8kx - gg + 2gi + ff - 2fh - hh + ii}{4}$.

Quibus poſitis æqualibus, ſtatim adparet, x tolli non poſſe, ſive dupla ſive alia quæcunque ratio aſſumatur. Id ergo cum impoſſibile ſit, ſi unum ſpatium L K MN aſſumatur, ex ſola inſpectione figuræ liquet, id multo minus eſſe poſſibile, ſi ſpatia L K M N dupla, aut in data ratione, ut r ad s aſſumantur; quoniam ſpatia WLNO continue fiunt majora. Quo perſpecto non duxi operæ pretium, id calculo experiri ulterius: ſed dudum eſt, quod hanc diſquiſitionem ſepoſui, vix illam in memoriam revocaturus, niſi nunciatum mihi fuiſſet, rem ab alio Geometrice determinatam eſſe. Cum vero certus quoque eſſem de methodi meæ univerſalitate, per quam idem indagare poſſem, quidquid alia methodo alius inveſtigarit, ad manus ſumſi diſquiſitionem ſepoſitam, poſitisque calculis denuo reperi, veriſſimum eſſe, quod olim aſſerueram, abſolute impoſſibile eſſe, ut inveniatur arcus Parabolicus, a vertice remotior, qui ad arcum alium vertici propiorem datam habeat rationem, ſine data Hyperbolæ Quadratura. Porro autem univerſaliter ſumens, ut r ad s, ſic figura FDGI $= \frac{4kx - cc + 2ce + bb - 2bd - dd + ee}{4}$ ad figuram LKMN $= \frac{8kx - gg + 2gi + ff - 2fh - hh + ii}{4}$ inveni $4rkx = 8skx$ & proinde $r = 2s$, ut ſublato x oriatur æquatio inter ſolas cognitas, quæ, cum nihil abſurdi contineat, indicio eſt, Geometrice rem determinari poſſe. Non diffiteor, me miratum primum fuiſſe, quomodo hæc cum priori mea poſitione poſſent conſiſtere: ſtatim tamen ex conſtructione, quæ facilis admodum eſt, perſpexi, arcum T V debere includere arcum R S, ſi ille hoc major ſit, aut ſi plures aſſumantur, nonnullos in unum latus, reliquos in alterum cadere debere, de quo caſu fortaſſis nunquam cogitaſſem, niſi hæc occaſio ad reiterandum data fuiſſet calculum, qui ad hanc rem manu quaſi me reduxit. Non ero prolixus in his ulterius explicandis. Si enim nullus poſſit dari arcus a vertice remotior, qui in data ſit ratione ad illum, qui vertici propior, ut ſupra oſtenſum; neceſſe eſt, ut major minorem includat. Hæc autem publice ideo commemoranda duxi, quoniam hæc via facilis admodum eſt, nec prolixum calculum requirit: unicum hoc adjiciens, methodum hanc meam particularem eſſe, & ad ſolam parabolam accom-

commodatam, ſed præſto tamen eſſe mihi aliam methodum, paulo profundius latentem, & ab hac plane diverſam, cujus ope non ſolum arcus curvæ Parabolicæ, ſed quarumvis curvarum, quantum equidem poſſibile eſt, comparari poſſunt; meque eandem, quamprimum ea, quæ ad ipſam pertinent, ad perfectionem erunt deducta, cum publico communicaturum.

## *JOH. BERNOULLI INVESTIGATIO ALGEBRAICA arcuum Parabolicorum aſſignatam inter ſe rationem habentium. Demonſtratio Iſochroniſmi Deſcenſuum in Cycloide &c.*

JAm diu eſt quod novimus extenſionem curvæ parabolicæ & quadraturam ſpatii hyperbolici mutuam connexionem habere; novimus etiam areas hyperbolicas inter aſymtoti applicatas ſecundum progreſſionem geometricam procedentes eſſe æquales; quod pariter intelligendum de ipſis ſegmentis hyperbolicis, quibus illæ areæ a trapeziis rectilineis deficiunr, ſunt enim etiam hæc trapezia rectilinea inter ſe æqualia. Unde non difficulter ad aſſignatam aream hyperbolicam inter aſymtoti applicatas comprehenſam inveniri poteſt alia hujusmodi area in data ratione.

Quod ſi igitur portiones curvæ parabolicæ in eadem eſſent ratione cum iſtis areis, oppido factum haberemus quod quærimus, hoc eſt a dato quovis in parabola puncto in promtu eſſet ſtatim reſecare arcum, qui haberet ad alium datum rationem datam. Verum enim vero portiones curvæ parabolicæ licet generaliter dicantur per quadraturam hyperbolæ rectificari, non tamen iſtis areis inter applicatas aſymtoti proportionari poſſunt, ſed aliis areis comprehenſis inter applicatas axis conjugati: aſt hæ areæ ut alteræ illæ inter ſe æquari nõ poſſunt, niſi binæ tantum, & quidem ſimiliter ultra citraque axem ſumtæ, unde etiam contingit, ut impoſſibile ſit dato arcui parabolico alium æqualem ſed diſſimilem abſcindere, hoc enim ſi fieri poſſet, ipſam quoque rectificationem parabolæ, hyperbolæve quadraturam poſt ſe traheret. Hinc etiam accidit, quod etiamſi ratio data ſit inæqualitatis, non tamen a quovis in parabola ad lubitum aſſumto puncto reſecari poſſit arcus quæſitus; ſed id ipſum punctum per conſtructionem demum ſit determinandum.

Ut igitur modum invenirem comparandi arcus parabolicos, in ratione data quavis inæqualitatis; vidi quidem perfacile, areas illas hyperbolicas ſuper axe conjugato eſſe prius in data ratione ſumendas, ſed hoc ipſum eſt quod aliquid laboris & induſtriæ requirere videbatur. Qua tamen via Algebra duce ſola (hic enim methodus differentialis aliave infiniteſimalis nihil omnino præſtat) redditus fuerim voti compos, calculi quem inivi capita principaliora indicabo.

TAB. VI. Fig. 2. Eſto (fig. 2) Parabola CAN, cujus axis AX, ſemiparameter AD; inque ea arcus datus BC, ad quem aſſignandus ſit alius MN rationem habens datam *n* ad 1. Ducta normali RAδ, centroque A & ſemiaxe AD deſcripta hyperbola æquilatera IDZ; erit, ceu notum eſt, rectangulum ſub AD & arcu parabolico quovis BC æquale areæ ſeu trapezio hyperbolico correſpondenti HRSI; quod nimirum continetur inter applicatas axis conjugati HR, IS: hoc eſt, arcus parabolici BC, MN ſunt ut correſpondentia trapezia hyperbolica RI, αZ. Res itaque eo recidit, ut dato RI determinetur aliud αZ, quod ſe habeat ad illud ut *n* ad 1, id quod ſic efficio.

Ductis aſymtotis AG, AT & ad eas applicatis DE, HF, IG, intelligantur AK, AL, AQ, AT continue proportionales in ratione AF ad AG: palam eſt quod ductis applicatis KV, LW, QY, TZ non ſolum trapezia hyperbolica KW, LY, QZ tam inter ſe quam ipſi trapezio hyperbolico FI ſint æqualia: ſed etiam ductis ſubtenſis IH, VW, WY, YZ, ipſa ſegmenta hyperbolica VW, WY, YZ ſint inter ſe & ipſi ſegmento IH æqualia: ideoque ſi ſumantur tot continue proportionales AK, AL &c. quot ſunt unitates in *n* + 1, erit numerus ſegmentorum inter V & Z = *n*: & proinde ſumma ſegmentorum VW + WY + &c. eſt ad ſegmentum HI ut *n* ad 1. Jam vero ſi prima continue proportionalium AK ſumatur debitæ magnitudinis, ita ut demiſſis applicatis ad axem conjugatum Vα, Wϐ &c. ſumma trapeziorum rectilineorum αW + ϐY + &c. ſeu polygonum rectilineum αVWYZδ ſit ad trapezium rectilineum RI ut *n* ad 1, (quod utique fieri poteſt, quamvis trapezia rectilinea αW, ϐY, &c. inter ſe non ſint æqualia; ſufficit enim quædam majora eſſe, quædam minora, ut ita per compenſationem ſimul omnia toties præciſe contineant ipſum RI, quoties *n* continet unitatem) hoc inquam ſi ita factum ſit; manifeſtum eſt aream hyperbolicam VZδα ſeu ſummam

mam trapeziorum hyperbolicorum $\alpha W + \beta Y +$ &c, fore ad trapezium hyperbolicum RI ut $n$ ad 1: eſt enim totum ad totum, ſeu polygonum rectilineum $\alpha VWYZ\delta$ ad trapezium rectilineum RI, ut ablatum ad ablatum, ſeu ut ſumma ſegmentorum VW + WY + YZ ad ſegmentum HI; utrobique nempe ut $n$ ad 1: ergo etiam reliquum ad reliquum ſeu trapez. hyperb. RI, & per conſequens arcus parabolicus MN ad arcum parabolicum BC, datam habebit rationem $n$ ad 1. Id unicum igitur intendendum eſt, ut determinetur punctum K: in hunc finem voco cognitas DE ſeu AE = a, AF = b, AG = c; incognitam AK = x; erunt $AL = \frac{cx}{b}$, $AQ = \frac{ccx}{bb}$, $AT = \frac{c^3x}{b^3}$, &c. reperietur autem $\alpha V = x\sqrt{\tfrac{1}{2}} + \frac{aa}{x}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, $\beta W = \frac{cx}{b}\sqrt{\tfrac{1}{2}} + \frac{aab}{cx}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, $\gamma Y = \frac{ccx}{bb}\sqrt{\tfrac{1}{2}} + \frac{aabb}{ccx}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$ &c. Item $A\alpha = x\sqrt{\tfrac{1}{2}} - \frac{ac}{x}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, $A\beta = \frac{cx}{b}\sqrt{\tfrac{1}{2}} - \frac{aab}{cx}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, $A\gamma = \frac{ccx}{bb}\sqrt{\tfrac{1}{2}} - \frac{aabb}{ccx}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, &c. ideoque $\alpha V + \beta W = \frac{cx + bx}{b}\sqrt{\tfrac{1}{2}} + \frac{aac + aab}{cx}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, $\beta W + \gamma Y = \frac{ccx + bcx}{bb}\sqrt{\tfrac{1}{2}} + \frac{aabc + aabb}{ccx}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, &c.

multiplicatis reſpective per

$A\beta - A\alpha(\alpha\beta) = \frac{cx - bx}{b}\sqrt{\tfrac{1}{2}} + \frac{aac - aab}{cx}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, $A\gamma - A\beta(\beta\gamma) = \frac{ccx - bcx}{bb}\sqrt{\tfrac{1}{2}} + \frac{aabc - aabb}{ccx}\sqrt{\tfrac{1}{2}}$, &c.

provenit,

cc-

$$\frac{cc - bb}{2bb}xx + \frac{aacc - aabb}{bc} + \frac{cc - bb}{2ccxx}a^4 = \alpha V + \beta W \text{ in } \alpha\beta = 2 \text{ trpz.}$$

rectilin. $\alpha W$, $\frac{c^4 - bbcc}{2b^4}xx + \frac{aacc - aabb}{bc} + \frac{bbcc - b^4}{2c^4xx}a^4 = \beta W$

$+ \gamma Y$ in $\beta\gamma = 2$ trpz. rectil. $\beta Y$, $\frac{c^6 - bbc^4}{2b^6}xx + \frac{aacc - aabb}{bc} +$
&c. &c.

$\frac{b^4cc - b^6}{2c^6xx}a^4 = \gamma Y + \delta Z$ in $\gamma\delta = 2$ trpz. rectilin. $\gamma Z$,

&c. &c. &c. &c. = &c.

$$\frac{c^{2n} - bbc^{2n-2}}{2b^{2n}} + \frac{aacc - aabb}{bc} + \frac{b^{2n-2}cc - b^{2n}}{2c^{2n}xx}a^4 = \text{du-}$$

plo ultimi trpz. rectilin.

His omnibus in ſummam collectis (quod commode fieri poteſt, omnes enim primi termini, ut & omnes ultimi conſtituunt progreſſionem geometricam, cujus numerus terminorum eſt *n*, medii vero faciunt ſeriem æqualium) habebitur adhibendo vulgares regulas pro ſummandis progreſſionibus geometricis.

$$\frac{c^{2n} - b^{2n}}{2b^{2n}}xx + \frac{naacc - naabb}{bc} + \frac{c^{2n} - b^{2n}}{2c^{2n}xx}a^4 = 2 \text{ ſum.}$$

trpz. rectil. = 2 polyg. rectil. $\alpha VWYZ\delta$: ſed multiplicando $RH + SI$ per $RS$ prodibit duplum trapezii rectilinei $RI$, $= \frac{cc - bb}{2} + \frac{aacc - aabb}{bc} + \frac{cc - bb}{2bbcc}a^4$; & ſecundum ea quæ ſupra dicta ſunt, trpz. rectil. $RI$ eſt ad polyg. rectil. $\alpha VWYZ\delta$, ut 1 ad *n*, hoc eſt $\frac{ncc - nbb}{2} + \frac{naacc - naabb}{bc} + \frac{ncc - nbb}{2bbcc}a^4$

debet

debet æquari $\frac{c^{2n} - b^{2n}}{2b^{2n}} xx + \frac{naacc - naabb}{bc} + \frac{c^{2n} - b^{2n} a^4}{2c^{2n} xx}$

quibus reductis pervenietur ad hanc æquationem quadratam

$$\frac{c^{2n}}{cc - bb} x^4 = \frac{nc^{2n} b^{2n} + na^4 c^{2n-2} b^{2n-2}}{c^{2n} - b^{2n}} xx \; \frac{a^4 b^{2n}}{cc - bb}$$

Sumta itaque AK = radici hujus æquationis $x$, factoque ut $b^n$ ad $c^n$ ita AK ad AT, determinabunt applicatæ KV, TZ puncta V & Z, ex quibus eductæ axi parallelæ VM, ZN auferent ex parabola arcum optatum MN, qui ſcilicet ad arcum expoſitum BC rationem obtinebit datam *n* ad 1. Q. E. F.

Quod notatu dignum hic venit, atque mihi ad longe operoſiorem calculum ab initio animum præparanti ſupra votum tamen & expectationem ſucceſſit, eſt, quod trapezia rectilinea $\alpha$W, $\beta$Y, &c. formaverint tres progreſſiones indefinite ſummabiles; ſi enim aliæ prodiiſſent a geometricis diverſæ & non indefinite ſummabiles (quod facillime accidere potuiſſet, ſi pro incognita alia quævis quam AK accepta fuiſſet) problema ſane per unam & generalem æquationem pro numero indefinito *n* ſolvi non potuiſſet, ſed pro ſingulis numeris iisque integris & rationalibus duntaxat, ſingulares ſemper de novo æquationes fuiſſent quærendæ, magis minusve compoſitæ pro re nata. Hoc vero incommodum opportune ſublatum eſt progreſſionibus illis geometricis; adeo ut pro numero *n* non ſolum numerum integrum, ſed & fractum ſurdumve quemvis ſubſtituere poſſimus in æquatione generali, quæ ideo tamen nunquam ſupra quadratam aſcendet, unde problema in omni caſu eſt planum. Suppono autem datarum b & c etiam datas eſſe poteſtates $b^n$ & $c^n$ quarum quidem ratio ſi *n* ſit numerus ſurdus, haberi non poteſt niſi mediante Logarithmica.

Dixi ſupra, non poſſe citra ipſam rectificationem parabolæ inveniri duos arcus æquales & diſſimiles. Jam dico porro, ſi ratio data 1 ad *n* ſit inæqualitatis, arcum majorem debere intra limites ſuos complecti minorem; ſeu extremitatem unam M majoris fore viciniorem vertici A, quam extremitatem minoris B, alteram vero majoris extre-

mitatem N, ab eodem A remotiorem fore, quam minoris alteram extremitatem C: Id eſt, ſi intelligantur BO, CP normales ad axem AX, cadet neceſſario arcus OP, qui utique ipſi BC eſt æqualis, totus intra MN: Quod ſi quis ſe habere putet aliam methodum, quæ aliud doceat, per quam ſcilicet arcus minor BC vel OP ſive totus ſive pro parte extra majorem caderet, ſciat ex hoc ſolo aut abſolute eam eſſe fallacem, aut inventam ſe habere quadraturam hyperbolæ, hactenus fruſtra quæſitam.

Quod ſupereſt, ex iisdem fundamentis, quibus hic uſus ſum, poteſt etiam ſolvi ſequens: *Datis duobus, tribus pluribusve arcubus parabolicis diſcretis, aſſignare alium arcum continuum omnibus illis ſimul ſumtis æqualem.* Memorabile quoque eſt, quod quamvis omnis arcus parabolicus rectificationem recuſet, poſſit tamen inveniri arcus, qui datum alium arcum excedat vel ab eodem deficiat exceſſu vel defectu rectificabili. Hujusmodi alia multa omitto.

Hæc jam jam dimiſſurus accipio D. L. H. Tractatum Mechanicum A. 1695 Pariſiis impreſſum, quem aperiens fortuito incidi in propoſitionem 120, ubi demonſtrare nititur *Author* Iſochroniſmum in Cycloide ab *Hugenio* primo inventum. Poſteriora tantum hujus demonſtrationis verba legens vidi eum concludere, tempus deſcenſus per Cycloidem eſſe duplum temporis deſcenſus per Diametrum verticalem circuli generatoris; hoc autem cum abſolute falſum ſcirem (ipſo quippe *Hugenio* jam demonſtrante, tempus per Cycloidem ſeſe habere ad tempus per Diametrum, in ratione ſemicircumferentiæ circuli ad Diametrum) animum inceſſit, explorare unde gravis iſte error originem traxerit.

Hanc itaque ut detegerem, demonſtrationem memoratam (quam alias, quod de propoſitionis veritate diu ante perſuaſus eſſem, forſan nunquam legiſſem) legere cœpi, ſed ulterius progredi non erat neceſſe, quod in ipſo ſtatim limine deprehendi anguem in herba non latentem ſed patentem. Concludit enim poſitis quotcunque & quibuscunque analogiis a. b : : c. d | m. n : : p. q | r. s : : t. u fore aggregatum omnium primarum a + m + r ad aggregatum omnium ſecundarum b + n + s, ut aggregatum omnium tertiarum c + p + t ad aggregatum omnium quartarum d + q + u; quod num verum ſit, judicent alii. Hoc ſaltem dico, quod ſi id verum eſſet, circulus, hyper-

hyperbola & nulla non figura foret quadrabilis, & nulla non curva rectificabilis: mirabile quoque compendium nobis ſubminiſtraret inveſtigandi dicto citius tempus deſcenſus per quamcunque curvam; foret enim ſemper, ſecundum ratiocinium *Authoris*, tempus per curvam ad tempus per altitudinem ejus verticalem, ut ipſa curva ad ipſam altitudinem.

Ex dictis liquet quanto conſultius feciſſet, nudam allegaſſe propoſitionem nobiliſſimi hujus inventi, & Lectorem remiſiſſe ad demonſtrationem *Hugenianam*. Quod ſi vero *Hugeniana* licet legitima, ſed ob multarum propoſitionum farraginem & perplexitatem non arriſit, laudo propoſitum ſuccinctiorem tradendi, modò tradidiſſet genuinam. Qua in re cum a ſcopo multum aberraverit, hic ego vices ejus ſupplebo, demonſtraturus brevisſime ſimul ac perſpicue, quod *in Cycloide cujus axis ad perpendiculum erectus eſt, vertice deorſum ſpectante, tempora deſcenſus quibus mobile a quocunque in ea puncto dimiſſum, ad punctum imum verticis pervenit, ſunt inter ſe æqualia.* Sit (Fig. 3) Cyclois FDC, cujus axis AD, circulus generator ABD; dico tempus per quamvis portionem GMD fore æquale tempori per integram ſemicycloidem FED. Concipiatur DG diviſa in partes indefinite parvas Mm, ut & DF in alias numero æquales Ee; unde erit partium una in DF, ad partium unam in DG, ut ipſa DF ad DG; aſſumantur jam ex illis partibus duæ homologæ Mm, Ee, id eſt tales quæ ſecent DF, DG proportionaliter in E, M, ducanturque applicatæ ET, MN, item DB, DO, DL. TAB. VI. Fig. 3.

Quoniam igitur per hyp. DF, DE, & DG, DM, ſunt proportionales, ergo etiam earum ſemiſſes, quæ per naturã cycloidis ſunt DA, DB, & DL, DO harumque quadrata ſunt proportionalia, id eſt DA q. DB q (DA. DT) :: DL q. DO q (DH. DN) dividendo AT. DT :: HN. DN, ideoque AT q. HN q (ſeu per naturam gravium deſcendentium velocitas in E ad velocitatem in M) :: DT q. DN q :: DB. DO :: DE. DM :: (per hyp.) Ee. Mm; quoniam itaque velocitas in E eſt ad velocitatem in M, ut Ee ad Mm, patet quod tempus per Ee ſit æquale tempori per Mm, id quod de omnibus aliis portionibus homologis demonſtratur, unde tempus per omnes Ee id eſt per DF erit æquale tempori per omnes Mm id eſt per DG; ergo deſcenſus per DF & DG ſunt iſochroni. Q. E. D.

## *EXPLICATION DES MAXIMES DES SAINTS, ſur la vie interieure &c.*

i. e.

*Præcepta Sanctorum de vita interiori explicata a Dn. FR. DE SALIGNAC FENELON, Archiepiſcopo Duce Cameracenſi &c.* Editio nova.

Amſtelodami apud Henr. Wetſteinium, 1698. 12. Plag. 12.

QUi Theologiam, quam myſticam vocant, in Eccleſia Romanenſi profitentur, nunquam tot admiratores habent, ut non apud ſuos quoque quosdam hoſtes experiantur. Ipſe Robertus Bellarminus Cardinalis hoc intellexit, aſſeruitque, Myſticorum Theologorum hæc eſſe fata, ut ſublimiores eorum loquendi formulæ laudentur ab aliis, ab aliis vituperentur, cum in diverſum plerumq; trahi poſſint ſenſum. Idque ſuo hodie exemplo comprobat Reverendiſſimus Archi-Epiſcopus Dux Cameracenſis *Franciſcus de Salignac Fenelon.* Quam enim edidit explicationem ſententiarum, quibus viri ſanctitate inclyti uſi ſint, de vita interiori, tantum abeſt, ut omnibus ſeſe probaverit, ut potius celeberrimi Galliæ Præſules, *Ludovicus Antonius de Noailles* Archiepiſcopus Pariſienſis, *Jacobus Benignus Boſſuet* Epiſcopus Meldenſis, & *Paulus de Godet des Marais* Epiſcopus Carnotenſis, edita declaratione nonnulla atro in ea notaverint carbone. Lis hinc exorta plurium jam celebratur ſermonibus. Galliæ Rex autem, cum eam in dies magis magisque gliſcere videret, ad Romanum Pontificem, ut ejus judicio atque ſententia finiretur, illam deferri curavit. Nos itaque lectoribus noſtris haud ingratum fore ſperamus, ſi ſummam libri antea memorati ea, qua decet, fide exhibeamus, quæque in eo reprehendantur, paucis indicemus.

Conſtitutum nimirum Auctori Illuſtriſſimo eſt, cuncta Myſticorum effata, ad *amoris*, ut vocat, *puri* fontem revocata, ita explicare, ut quid verum rectumque, quid falſum & erroneum ſit, luculenter & citra ambages ab omnibus perſpici poſſit. Quod ut rite efficeret, ſtatim in limine varios amoris gradus vel ſpecies potius conſtituit. Primo namque, inquit, homines quidam, qui ſe Deum amare profitentur, non ipſum Deum amant, ſed bona & munera varia quæ ab ipſo ſe impetra-

petraturos ſperant. Talis amor Judæorum carnalium fuit, Deum colentium, ut eo largiores terræ proventus conſequerentur. Hunc amorem *pure ſervilem* vocat. Nonnulli Deum quidem ipſum amant, ſed ut inſtrumentum ſaltem & medium ſuæ felicitatis, ita ut ad ſe ipſos ceu ultimum finem cuncta referant. Hic amor *concupiſcentiæ* illi audit. Sunt porro, qui Deum propter ipſum Deum amare incipiunt, ſimul tamen ſuæ quoque felicitatis rationem habent, ita ut magis Deum propter ſuam felicitatem, quam propter ipſum Deum ament. Hinc *amor ſpei*, ut Auctor vocat, enaſcitur. Alii ulterius progrediuntur, Deumque ita amant, ut omnem felicitatem ſuam illi poſtponant: non quidem quod hanc quoque non concupiſcant, ſed quod amorem ſuæ felicitatis, amori quo Deum ſolum propter Deum ejusque gloriam amant, ſubjiciant. Longe perfectior quidem iſte amor eſt, quam hactenus enumeratæ ſpecies: imperfectus idem tamen & impurus adhuc, ſi conferatur cum puriſſimo amore, de quo mox dicetur; hinc Auctori ſemper *amor impurus* audit. Nonnulli denique Deum amant tantum quia amore dignus eſt, nulla proprii commodi exinde ad ſe redundaturi ratione, nullaque aut æternæ aut temporalis felicitatis ſpe adducti. Hæc eſt perfectiſſima amoris ſpecies, Auctorique *amor purus* ſalutatur.

Hiſce itaque præmiſſis aſſerit, amorem concupiſcentiæ utpote plane mercenarium, Deo placere non poſſe, cum ejusmodi homo non Deum, ſed ſeipſum amet: poſſe tamen per eum hominem ad veram juſtitiam conſequendam (utitur ſtilo Romanenſis Eccleſiæ) quodammodo præparari, ſi per eum pravis cupiditatibus utcunque frenum injiciatur. Sed ab hoc amore ſedulo & ſumma circumſpectione ſecernendum eſſe eum amorem, in quo noſtris commodis deus anteponitur. Damnat itaque & rejicit illorum ſententiam, ut decretis Concilii Tridentini contrariam, qui & iſtum amorem, quo quis ſuam felicitatem amat, ſed ita ut Deum commodis ſuis præferat, homine pio & ſancto indignum pronuntiant, proculque faceſſere jubent, & per amorem concupiſcentiæ homines ad ſanctitatem quodammodo præparari inficias eunt. Ex eodem autem fundamento tres *ſtatus juſtorum*, quorum ſubinde apud ejusmodi Scriptores injicitur mentio, derivat. Nimirum qui Deum præcipue quidem amant, ſed ut ſuæ quoque felicitatis ſuorumque commodorum habeant ra- Artic. I. Art. II.

tionem, in duplici conſtituti ſunt diſcrimine: apud nonnullos amori puro admixtus eſt timor aliquis, ne incommodum aliquod accipiant: apud alios ſpes felicitatis obtinendæ huic amori adhæret. Illi primum juſtorum ordinem conſtituunt, in quibus adhuc eſt ſpiritus ſervitutis: hi ſecundum, de ſpiritu mercenario adhuc participantes. Sed ad tertium pertinent, qui pure amant, indeque filiorum nomen titulumque promerentur. Tres hiſce ſtatibus decantatas in ſcholis Myſticorum vias, *purgationis*, *illuminationis* & *contemplationis* reſpondere docet. In via purgationis homines non tantum amore Dei, ſed & metu pœnarum infernalium concitatos, debellare vitia: in via illuminationis in ſtudio virtutum eos proficere, hinc amore Numinis, inde ſpe felicitatis obtinendæ eos quodammodo impellente: in via contemplationis autem ſive unionis, nec filialem amorem, nec ſpem, quæ filios Dei deceat, ceſſare quidem, interim homines tantum puro amore adductos recte agere, virtutibusque operari. Fatetur itaque, in hominibus pure Deum amantibus, & timorem filialem & ſpem eſſe, ſed pure, non habita ulla ratione commodi proprii, h. e. ut non aliam ob cauſam aut timeant aut ſperent, quam quia hoc Deus juſſit, ejusque voluntati iſtud eſt conveniens. Hinc ſi ſupponant ejusmodi homines cum Auguſtino aliisque, quod tamen plane fieri nequit, Deum velle animas ſuas annihilare, aut æternis cruciatibus affligere, non minus tamen Deum amaturos, quam cum perſuaſi ſunt, ſe æternæ felicitatis aliquando participes fore. Hæc ut recte dici putat, ita rejicit contra illorum ſententiam, qui dicunt, hominem per amorem purum ne velle quidem ulla ratione præmium, quod ipſe Deus eſt, nec timori, nec ſpei in illis

Art. III. locum ſupereſſe, & id genus alia. Tantum autem abeſt, ut omnibus ad purum amorem ceu ſummum & perfectiſſimum gradum ex ſententia Auctoris adſpirare liceat, ut paucis conceſſum ſit adire Corinthum, multique ſanctiſſimorum virorum ad eum non pervenerint. Unde & rurſus eos damnat, qui omnes promiſcue ad iſtum amorem perducendos contendunt, iſtum autem amorem, cui impuritatis aliquid ad-

Art. IV. huc adhæret, ut indignum homine ſancto rejiciunt. Ceterum ſi quis ad iſtum amoris gradum pervenerit, in eo nihilo ſecius ſpem & amorem diſtinctas eſſe virtutes. Licet enim fine conveniant, cum ejusmodi homo nec amet aliam ob cauſam, quam quia Deus hoc vult,

nec

nec ſperet aliam ob cauſam, quam quia Deus vult: nihilo ſecius tamen aliud eſſe objectum formale amoris, bonitatem ſcilicet Divini Numinis abſolute & in ſe ſpectatam; aliud objectum formale ſpei eſſe, bonitatem ſcilicet Numinis relate & quoad nos ſpectatam, & quidem prout difficulter obtineri poteſt, atque hoc ad diſtinguendas a ſe invivem haſce virtutes ſufficere. Damnat itaque eos, qui ſpem cum amore puro conſiſtere poſſe abnuunt. Quid *reſignatio ſacra* & *indifferentia ſacra* in ſcholis Myſticorum ſibi velint, hinc itidem luculenter exponit. Nimirum per reſignationem ſacram homo felicitatis ſuæ cupiditatem voluntati Numinis ſubjicit, ut felicitatis quidem deſiderio teneatur, ſed tamen ut nihil concupiſcat, quod voluntati divinæ adverſetur. Indifferens autem nihil amplius ſuæ felicitatis aut ſui commodi cauſa concupiſcit, ſed ſimpliciter & pure omnia ea vult, quæ Deus vult. Vult itaque æternam felicitatem, non quod ſui commodi cauſa iſtam deſideret, ſed quoniam novit Deum velle, ut ejus particeps fiat. Perperam itaque & improbe eos ſentire ait, qui per indifferentiam ſanctam homines nihil plane velle, ne ea quidem, quæ Deus piis impertire decrevit, ut æternam felicitatem, autumant. Ut autem juxta Auctorem omnino deſideria hominum pure Deum amantium, quibus ea deſiderant, quæ Deus vult, eorundemque preces, quibus itidem a Deo ea petunt, quæ ipſius voluntati ſunt convenientia, ex ſancta hac indifferentia procedunt: ita neutiquam miraculoſam & extraordinariam inſpirationem ſecum conjunctam habet. Adeoque docente porro Auctore, cum homines pure Deum amantes, non aliis inſpirationibus aut afflatibus Divinis gaudeant, quam qui omnibus piis ſanctisque communes ſunt, niſi manifeſtis documentis comprobetur rem ſecus ſe habere: non poſſunt quoque aliam actionum ſuarum regulam conſtituere, quam verbum Divinum. Errare ergo eos pronuntiat, qui homines pure Deum amantes & ex ſancta indifferentia agentes, lege ſcripta velut ſolutos eſſe docent, ſuosque motus ex miraculoſa inſpiratione ortos ceu normam & regulam ſuarum actionum eos ſequi poſſe. Si magnæ ſpiritualesque tentationes accedant, indifferentia iſta ſancta vocari ſolet *derelictio* (*abandon*) qua anima ſe totam, quantum ad commoda propria, Deo permittit; eſtque revera, judice Auctore, nihil aliud quam *abnegatio ſui ipſius*. Iſtæ autem tentationes extremæ, de quibus apud Myſticos multus ſermo

Art. V.

Art. VI.

Art. VII.

Art. VIII.

eſt,

eſt, ut eo tendunt, ut anima magis magisque purgetur: ita ſedulo cavendum monet, ne vulgaris tentatio ſtatim pro ſuprema iſta habeatur. Idque tum illis qui facile ſibi perſuadent, ſe ejusmodi tentationibus affligi, tum conſcientiarum directoribus, ſedulo eſſe obſervandum. Damnat autem eos, qui in ejusmodi tentationibus nec amori, nec reliquis virtutibus locum concedunt, nec aut tentatorum, aut directorum conſcientiæ officia juſtis hic limitibus circumſcribunt.

Art. IX. Animam tamen in hiſce tentationibus conſtitutam neutiquam a Deo deſeri, fidei quoque explicitæ, ſpei, ceterarumque virtutum non eſſe expertem: utut ſuavitatem, quam ceteroquin ex virtutum exercitio percipere ſolebat, non ſentiat, nec ex actibus mentis reflexis certior reddatur, ſe, quod ſui officii erat, ſincere & bona fide præſtitiſſe. Actus tamen mentis directos, veros utique eſſe, virtutesque omnes in anima producere, utut anima vix ſentiat ſe eas edere: atque hanc eſſe eam operationem mentis, quam Franciſcus de Sales *apicem mentis* appellet. Rejicit ergo illorum ſententiam, qui animam in hoc ſtatu omnium virtutum expertem, certitudine conſcientiæ deſtitutam, nec directos quoque actus edere ſtatuunt.

Art. X. Docet porro, cum Deus piis omnibus ſanctisque vitam æternam promiſerit, nefas eſſe credere Deum velle, ut aliquis æternum miſer ſit. Animas itaque ſe ceu victimas Deo offerentes, paratasque Deum amare etiamſi æternum excruciandæ eſſent, nunquam abſolute hoc velle, ut æternum crucientur, ſed hoc ceu conditionem, quæ tamen in effectum deduci nequeat, ponere, ac ſi dicerent: amabo te Deus, etiamſi me æternis cruciatibus adjudicares. Fieri tamen poſſe, ut, ſi extrema tentatio accedat, anima peccatorum ſuorum conſcia, eorumque fœditatem ſibi ſiſtens, plane ſibi perſuadeat, ſe æternum damnatum iri, ſimul tamen conſtans propoſitum Deum nihilo ſecius amandi retineat. Et tum quidem directorem recte facere, ſi animam perſuaſioni juſtæ condemnationis & reprobationis tantisper acquieſcere patiatur, nec rationibus ad aliam ſententiam eam transducere laboret, donec tentatio ceſſet. Sed ut ſua

Art. XI. ſponte & libere aliquis hoc ſibi perſuadeat, ſummum eſſe nefas. Legis veteris & novæ inter alia quoque hoc diſcrimen ſtatuit, quod hæc non tantum oſtendat, quid faciendum omittendumve ſit, ſed vires etiam conferat, quas ab illa fruſtra quis expectaverit. Animam itaque ſanctam nihil facere poſſe, niſi gratia divina fuerit adjuta. Hanc, ſi ſa-

ſi ſapiat, ſequi gratiam, non autem eam præcurrere, quod illi non poſſit non male cedere. Poſſe eandem cooperari cum gratia, ſine ſtrepitu ac tumultu amoris ad proprium commodum ſpectantis, ſed placide: ſine motu, vere tamen. Atq; hoc ſibi velle Myſticos, qui *activitatē* ab anima abeſſe volunt. Hoc nomine enim turbidos & inquietos animæ motus, ex amore noſtri commodi ortos, ad bonum tamen finem tendentes, eos intelligere. Qui autem animam non tantum tali activitate privant, ſed omni actione eam deſtitui, nihil cooperari, & mere paſſive ſe habere aſſerunt, turpiter, cenſente Auctore, errant. Nec probat illorum effata, qui animam puro Dei amore flagrantem ſe ipſam revera odiſſe, nullamque ſui curam amplius gerere profitentur. Quin eas ſumma vigilantia & ſtudio ea, quæ ad ſe pertinent, curare ait, non tamen ſuæ felicitatis amore abreptas, ſed ut voluntati divinæ faciant ſatis. Et ita quoque eas ſeipſas amare. Abnegationem autem & odium ſui ipſius in divinis literis, non hoc ſibi velle, quod ſeipſos nullo modo homines amare debeant: hoc enim impium eſſe, cum inde ſequeretur, animam creaturam Dei quoad eſſentiam malam eſſe, qui Manichæorum olim error fuerit. De actibus mentis directis atque reflexis poſtquam iterum nonnulla monuit, docet, in extremis iſtis tentationibus, ad animam purgandam, partem ejus inferiorem a ſuperiori ſeparari, ita ut in hac quoad intellectum & voluntatem pax & quies & ſumma tranquillitas eſſe poſſit, cum eodem tempore in illa, quoad ſenſus & imaginationem ſit conturbatio, dolor, anxietas. Atque hujus rei exemplum ipſum Chriſtum Servatorem cruci affixum nobis præbere. Hæc quamvis ita ſe habeant, addit tamen, quoad partem inferiorem animæ nihil committi, cujus ratio a ſuperiori quoque exigi nequeat; cum hæc ſeparatio neutiquam eo usque extendenda ſit, ac ſi pars animæ inferior partis ſuperioris imperio plane amplius obnoxia non ſit. Ut ergo non probat illos, qui actiones a parte inferiori tum commiſſas nemini imputari poſſe putant: ita nec illis ſuffragatur, qui corporis carnisque caſtigationes coercitionesque, ut hominibus ad ſublimiorem ſanctitatis gradum evectis parum utiles, contemnunt. Obſervat porro, ſtudium ſibi ipſi conſulendi ſibique omnia vendicandi (*proprieté*) duplex eſſe: vel enim homines ita ſibi conſulere proſpicereque, ut divinæ gloriæ voluntatisque nullam omnino

Art. XII. (beside: ſe habere aſſerunt … Nec probat)
Art. XIII. (beside: De actibus mentis directis atque reflexis)
Art. XIV. (beside: xis poſtquam … docet)
Art. XV. (beside: ita nec illis ſuffragatur)
Art. XVI. (beside: Obſervat porro)

habeant rationem, intolerabilem ſuam ambitionem hoc ipſo prodentes: vel contra, eos ita ſibi rebusque ſuis bene cupere, ut tamen præcipue ad divinam gloriam cuncta referant. Optat videlicet ejusmodi homo, ut in virtutibus proficiat, præcipue quidem ideo, ut Divini Numinis inde amplificetur gloria, ſecundario tamen ut & ipſe præmium ſuæ virtuti reſpondens accipiat. Quando ergo Myſtici ſcriptores abdicationem ſtudii ſibi conſulendi (*desappropriation*) commendant, nihil aliud ſibi volunt, quam quod per eam anima ita purgari debeat, ut virtutem, ſanctitatem, ſapientiam neutiquam ideo deſideret, ut etiam ſecundario ullum inde ad ſe redundet commodum, ſed ut omnia ſimpliciter ad gloriam Divini Numinis referre diſcat. Interim illis, qui ſtudium ſibi conſulendi poſteriori modo acceptum, non tam imperfectionem, quam vitium atque peccatum eſſe contendunt, & revera omnes virtutes odiumq; peccati ab anima pure Deum

Art. XVII. amante abeſſe jubent, neutiquam ſuffragatur. Redit hinc ad tentationes & a communibus extraordinarias ſedulo diſcernendas, nec quæ his

Art. XVIII. ſolum conveniat, illis afferendam medelam, diligenter inculcat. Cæterum ut voluntas Dei, docente Auctore, alia eſſe cenſetur, quando aliquid præcipit, alia quando quid permittit: ita monet, non ſtatim pro licitis ea eſſe reputanda, quæ eum permittere credimus, ita ſcil. ut violenta & phyſica quadam ratione hæc non impediat. Magnopere ergo eos errare inde concludit, qui & peccata ea licita putant, quæ hac ratione a Deo non impediuntur, & peccata quoque amant, ut per ea

Art. XIX. purgata anima ad majorem perfectionis gradum evehatur. De precibus ita cenſet, eas quæ ore proferuntur, Deo placere non poſſe, niſi mente quoque ſimul peragantur: quin fieri quandoque poſſe, ut expediat ſola mente Deum precari, verbis nullis ore prolatis: quod tamen omnibus tanto minus imitandum putat, quanto majorem vim ad continuandas cum zelo preces iſta mentalis oralisque precationis

Art. XX. conjunctio habet. De librorum ſacrorum aſceticorumque lectione eodem modo judicat. Ad explendum vanum iſtud, quo multi laborant, ſciendi deſiderium lecti, parum, inquit, proſunt. Contra ad excitandam mentem, & alimentum velut quoddam ſalutare cogitationibus præbendum multum juvant, ſi rite tractentur, nec internæ Spiritus Divini operationi inde forte impedimentum aliquod

Art. XXI. afferatur. Non minus quoque, ut in contemplatione caute ſe gerant diſci-

diſciplinæ hujus alumni, monet. A meditatione ſcilicet contemplationem ita differre, quod illa ratiocinatione peragatur, comiteturque amorem impurum, dum ſcilicet homo ſuper commodis aut incommodis ſuis ratiocinando, hinc ad virtutem ſe ipſum magis magisque incitat: hæc autem, contemplatio ſcilicet, amoris puri exercitium ſit, & in actibus mentis ſimplicibus, directis, placidis uniformibusque conſiſtat. Licet itaque contemplatio perfectior ſit meditatione, hanc tamen Deo non minus gratam eſſe, adeoque plerisque ſanctorum fuiſſe frequentatam, omnibusque qui ad ſummum amoris gradum non pervenerunt, commendandam, tantum abeſt, ut ceu jejuna ac ſterilis rejici debeat. Poſſe autem monet animam ab iſta meditatione ad contemplationem progredi, ſi animadvertat, meditationem non eam amplius utilitatem afferre, quam antea attulerat, & ſi nullibi, quam in Dei a ſe pure amati præſentia, quo delectetur, nutriatur, & ad virtutes excitetur, reperiat. Fatetur tamen, poſſe animam, ſi conditio ejus hoc exigat, a contemplatione rurſus ad meditationem regredi; quin etiamſi habitum quoque contemplationis obtinuerit, fieri tamen poſſe cenſet, ut eundem rurſus, ſi forte donis divinis non probe fuerit uſa, amittat: & tum omnino ad meditationem illi eſſe recurrendum. Habitum autem iſtum, qui tamen mutationis non ſit expers, ex amore puro omnes actiones deliberato animo ſuſceptas ad gloriam Dei referendi, eſſe *perpetuam iſtam orationem* a Chriſto & Paulo commendatam, & a contemplatione in hoc inter alia differre, quod hæc per alias virtutes quandoque interrumpatur, illa non item. Rejicit ergo illorum ſententiam qui contemplationem nunquam interruptam in quibusdam ſtatuunt. Eo ipſo autem tempore, quo interrumpitur, virtutes omnes non minori animi tranquillitate exerceri, quam cum contemplationi litat, docet. Sed pergit de contemplatione, oſtenditque, eandem negativam eſſe, dum circa rem, quæ aut in ſenſus cadit, aut imaginatione comprehenditur, voluntarie non occupatur; poſitivam contra recte vocari, prout actus ſimplex, immaterialis & pure intellectualis per eam indigitatur. Occupari tamen, hoc non obſtante, iſtam contemplationem circa eſſentiam pariter ac attributa divina, quin & circa S.S. Trinitatem, ut & circa humanam Chriſti naturam, & quæ hinc fluunt myſteria: quæ non tantum probat, ſed & ſecus ſentientes graviter redarguit. Quo pacto autem fieri poſſit, ut tum in primo inci-

Art. XXII. Art. XXIII. Art. XXIV. Art. XXV. Art. XXVI. Art. XXVII. Art. XXVIII.

incipientis contemplationis fervore, tum in ſummis illis tentationibus, diſtincta, ſenſibili & reflexa conſideratione ſive viſione Chriſti anima privetur, uberius hic explicat. Nec prætermittit contemplationem, quam Myſtici *paſſivam* vocant. Quod non ita capiendum monet, ac ſi anima tum nihil agat, ſed quod omnes motus & actus turbidi & inquieti tum ab ea procul abſint. Hinc & *orationem ſilentii & quietis* eam vocari, ſummæque perfectionis eſſe documentum. Refellit ergo eos, qui contemplationem quandam pure paſſivam ſtatuunt, ita ut anima nihil tum revera agat aut cum gratia cooperetur: itemque qui hanc contemplationem pure infuſam, pure gratuitam, nec meritoriam eſſe docent, eamque pro miraculoſa venditant, ſimiliaque de ea comminiſcuntur. Atque eo modo, quo contemplationem paſſivam explicavit, *ſtatum* quoque *paſſivum* Myſticorum intelligendum monet: eumque in perpetua quadam contemplatione paſſiva conſiſtere, aut ſpeciem ecſtaſeos eſſe, plane abnuit. Sed qui in eo conſtituti ſunt, in ſimplicitate columbarum retinere prudentiam ſerpentum. Nimirum eos totos quidem ſeſe Divinæ providentiæ permittere, & nullo caſu moveri, ſecuroſque futurorum eſſe, ex prudentiæ tamen regulis diſpicere quid faciendum, quidve omittendum ſit, adeoque prudentia ceu dono Dei recte uti, non ſui commodi aut felicitatis cauſa, ſed ut patris ſui cœleſtis voluntati faciant ſatis. Ac licet ſervili metu procul faceſſere juſſo, per filialem libertatem & ſimplicitatem cuncta agant, caute tamen & circumſpecte eos ſe gerere, nec ſuas propenſiones temere ſequi, ne quid, quod nefas ſit, admittant. Omnes autem virtutes, quæ ab ejuſmodi hominibus exerceantur, ad amorem, ceu caput & fontem ultimum, revocari, quin ipſas virtutes nihil aliud eſſe quam hunc amorem purum, qui pro diverſitate objectorum in varias virtutes abeat. Non ergo concedit, quod nonnulli autumant, ab ejuſmodi hominibus virtutes non amplius exerceri, quod amor eminenter omnes virtutes in ſe contineat. Ad alia hinc digrediens, per *mortem ſpiritualem* purgationem animæ a motibus amoris impuri in ea adhuc reſiduis: per *reſurrectionem ſpiritualem* ipſum habitum amoris perfecti & puri, ad quem poſt tentationes ſpirituales homo pervenit, intelligit. *Transformationis* autem nomine, cujus itidem frequens apud Myſticos mentio, non mutationem naturæ humanæ in Divinam aut unionem hypoſtaticam, vel ſimile quid apud ſobrios hujus Theo-

Art. XXIX.

Art. XXX.

Art. XXXI.

Art. XXXII.

Art. XXXIII.

Art. XXXIV.

Art. XXXV.

Theologiæ cultores indigitari; ſed tantum ipſum ſtatum animæ in eminentiori gradu paſſivum, in quo omnis activitatis & turbidorum motuum amoris impuri expers, lineamenta imaginis Divinæ recipiat, ut hæc in ea exſplendeſcere incipiat, idque veteres quoque *Deificationem* appellitaſſe. Hunc tamen ſtatum mutari poſſe docet. Art.XXXVI. Addit porro, animas ita transformatas, formulis & præſcriptionibus cultum internum dirigentibus, ut ceteros, non habere opus: interim eos quotidie actus indiſtinctos contemplationis puræ, & diſtinctos omnium virtutum, ſed placide & tranquille, modo ſtatui, in quo vivunt, convenienti producere. Eaſdem quoque adhuc peccare poſſe, Art.XXXVII. tum venialiter, ut in ſcholis Romanenſium loquuntur, tum mortaliter, iisdemque non tantum conducere, ſed & plane incumbere, ut peccata Art.XXXIIX. ſua confiteantur. Adhærere ſæpius hiſce animabus, non obſtante puritate amoris, certas imperfectiones ex naturæ potius quam voluntatis Art.XXXIX. infirmitate procedentes: per quas ut ut lex Divina non migretur, multum tamen eas inde affligi, Deumque ea ratione ad patientiam, obedientiam ſuperioribus præſtandam, aliasque virtutes eas magis magisque excitare. Sed negligentiam ſupinam in tractandis rebus ſacris, officiorum intermiſſionem, & id genus alia vitia in ea excuſari aut tolerari non poſſe, nec in animam contemplantem aut transformatam cadere, niſi ſibi ipſi turpiter illudere velit. Ceterum unitam eſſe ejusmodi animam cum Deo immediate variis modis, dum ſcilicet Deum per Art. XL. ſe, non intercedente proprii commodi ratione, amat: dum eum contemplatur nulla intercedente operatione imaginationis aut ratiocinationis &c. Neutiquam eam cum Deo ita unitam eſſe, ut nec fidei locus concedatur, nec gratiæ aut muneri mediatorio Chriſti, aut ut omnes infirmitates plane abeſſe credantur. Præterea licet per *nuptias* Art. XLI. *ſpirituales* arctiſſime cum Deo conjungatur, ut unus quaſi cum eo ſpiritus cenſeri debeat, ejusque voluntas voluntati Divinæ plane ſit conformis: originalem tamen integritatem eam non recuperare in hac vita, ſed & concupiſcentiam pravam in ea remanere, nec peccatorum quotidianorum eam eſſe immunem; quæ tamen non obſtent, quo minus ſumma puritas & perfectio illi tribui poſſit, cum per ea revera anima non commaculetur. Unionem hanc, ut porro docet, Myſtici Art. XLII. *eſſentialem* aut *ſubſtantialem* vocant, non quod revera eſſentialis ſit, ſed ut indicent, actus amoris puri, in quo hæc unio conſiſtit, æquales

 ſem-

ſemper & uniformes eſſe, atq; ab actibus amoris impuri multum differ-
Art. XLIII. re. Sed & iſtud monet, animam transformatam, licet Divino quodam lumine interdum repleatur, cujus etiam ſapientiſſimi expertes ſint, præſertim ſi plus humanæ ſapientiæ & eruditionis habeant, quam experientiæ & gratiæ: nihilo ſecius deciſionibus Eccleſiæ & directioni Paſtorum, utpote qui ad regendum gregem ſibi commiſſum peculiari-
Art. XLIV. bus donis inſtructi ſint, eam lubentiſſime ſe ſubmittere. Hos ipſos tamen Paſtores ſanctosque homines arcana diſciplinæ myſticæ non promiſcue omnibus proponere, cum non omnes ad eum perfectionis gradum perveniant: atque hinc diſciplinam hanc arcanam eſſe, non quod ipſi Eccleſiæ ſit aut fuerit unquam ignota, quæ potius ſemper ea perſonuerit conſtanti traditione, ſed quod prudentes Paſtores homi-
Art. XLV. num, quibus proponatur, inſtituant ſelectum. Tandē addit, omnes vias interiores etiam eminentiſſimas nonniſi ad ſtatum habitualem amoris puri ducere: ſimulque ſedulo inculcat, magna opus eſſe cautione, ne nubem prenſemus pro Junone, vaniſque illuſionibus mens ſe ipſam decipiat. Sæpius enim contingere, ut multi id ſe jam conſecutos credant, a quo tamen longiſſime ſint remoti: contra ut ab eo prope abſint, qui tam prope ſe abeſſe ſibi non perſuadent, quorum certiſſimus character ſit obedientia, quam ſuperioribus præſtant. Finit totum opuſculum præcipua capita per ἀνακεφαλαίωσιν paucis repetendo.

Nunc quid ſupra memorati Galliæ Præſules in hocce libro reprehendant, paucis ex illorum Declaratione huic editioni ſubjuncta indicabimus. Profitentur autem, ſe ad Declarationem hancce edendam hac præcipue de cauſa fuiſſe adductos, quod viderint, Archiepiſcopum Cameracenſem ad ſuam ſententiam ſtabiliendam ſubinde ipſorum auctoritate uti, præcipue autem ad 34. articulos occaſione libri, cui titulus, *Moyen court &c.* aliorumque ſcriptorum, a fœmina Quietiſmi propugnatrice profectorum, ab Archiepiſcopo Pariſienſi, Epiſc. Meldenſi, & Tronſſono totius Sulpitianæ Societatis Superiori promulgatos provocare. Quod tamen cum perperam faciat, & a doctrina in hisce articulis ſtabilita plane recedat, ipſi quoque librum Archiepiſcopi Cameracenſis non probent, publice hoc declarare ſuarum eſſe partium ſe judicaſſe.

Cumprimis itaque hoc redarguunt, quod ſpes Theologica in libro

bro Archiepiſcopi Cameracenſis plane tollatur, cum extra ſtatum gratiæ, tum inter perfectos in ipſo gratiæ ſtatu. Licet enim id abnuat Auctor, & diſerte ſecus ſe ſentire profiteatur, ex ejus tamen de amore proprii commodi placitis nihil aliud conſequi: ſolam vocem ſpei hic uſurpari, rem ipſam plane everti: quanquam & manifeſte ſecum pugnantia loquatur. Nec probant quod ſcripſerit: *vitæ æternæ deſiderium bonum eſt, ſed nihil deſiderandum niſi Dei voluntas*; & iſtud quidem a Franciſco Saleſio etiam aſſertum abnuunt, quem minus recte ſubinde ab Auctore in partes trahi, paſſim conqueruntur. Afferunt & alia eo fere collimantia, quibus & iſtud addunt, itidem ab Auctore prolatum: *ſancta indifferentia admittit generalia deſideria omnium latentium voluntatum Dei*; quibus voluntatibus, inquiunt, etiam reprobationis & aliorum & ſuæ decreta continentur, & deſiderium ad ea usque extenditur. Cui effato licet articulus V, quo dicitur, optandam & poſtulandam ſalutem ut rem quam Deus velit, favere quodammodo videatur: rem tamen ſecus ſe habere, probare annituntur. Non minus & illud advertunt, quod ex indifferentia diligenter ab Auctore inculcata conſequatur, e. g. in extremis probationibus ſeu tentationibus invincibiliter animæ eſſe perſuaſum, ſe juſte a Deo eſſe reprobatam, & tum ſacrificium ſalutis, quod ordinario conditionatum ſit, fieri abſolutum; poſſe quoque animam, permittente directore, ſuæ juſtæ condemnationi ac reprobationi ſimpliciter acquieſcere, & id genus alia. Longe aliter hæc in articulis definita eſſe, a quibus & in eo abeat Auctor, quod virtutum Moralium & Theologicarum diſtinctionem obſcuret, quin virtutibus omnem honorem detrahat, aſſerendo amore puro id effici, ne quisquam virtutis ſtudioſus eſſe velit. Nec iſtud prætermittunt, quod ſcripſerit, animas transformatas ex præſenti diſciplina peccata confeſſas, remiſſionē peccatorū optare, non ut purificationem & liberationem propriam, ſed ut rem quam Deus vult; itemq; quod concupiſcentiæ vim in quibusdam hominibus, adeoq; & mortificationis utilitatem neceſſitatemq; extenuet: quod docuerit, contemplationem cum pura & directa eſt, nunquam voluntarie occupari ulla imagine ſenſibili, ulla idea Divinitatis diſtincta & nominabili, h.e. limitata, ſed tantum puriſſima atque abſtractiſſima ratione entis illimitati; unde ſequatur, eam in alia objecta, v. g. in attributa quævis perſonasque Divinas, atque adeo in ipſam Chriſti humanitatem,

tem, propria electione non ferri. Porro arguunt, quod docuerit, animas contemplativas duobus in ſtatibus (ſupra indicatis) Chriſto diſtincte viſo ac per fidem præſente privari, & quod diſtinctam viſionem Chriſti in ipſa contemplationis intervalla conjecerit. Sed & de gratia non recte eum ſentire queruntur, cum ſcripſerit, nunquam licitum gratiam prævenire, neque quicquam expectare a ſe, propriaque induſtria, & propriis conatibus. Cumprimis autem ægre ferunt, quod *actum continuum*, quem abſurdiſſimum & Patribus inauditum vocant, a Quietiſtis introductum, ſub nomine placidæ & æquabilis cujusdam uniformitatis lectoribus ſuis denuo propinaverit, & quod orationem paſſivam ſive quietis in ſcenam rurſus produxerit, affirmaritque ipſam contemplationem in puriſſimo amore conſiſtere, hunc autem non modo per ſe juſtificantem atque purificantem, ſed conſummantem atque perficientem ſtatuerit. Sed & iſtud notant, quod doctrinam de amore puro arcanam dixerit, non temere quibusvis, nec etiam omnibus ſanctis proponendam, cum tamen illud Chriſti, *Eſtote perfecti*, ad omnes Chriſtianos pertineat. Progrediuntur hinc ad alia, objiciuntque Auctori, quod cum Gnoſticos, Beguardos, Illuminatosque hinc inde reprehenderit, Molinoſi tamen, ut & fœminæ, cui articuli antea memorati oppoſiti erant, nullam unquam fecerit mentionem. Rejiciunt quoque hoc aſſertum, quod amor concupiſcentiæ, etſi impius atque ſacrilegus, ad juſtitiam & converſionem præparet animas, cum tamen ejusmodi motus, quibus animæ præparentur, a Spiritu Sancto excitentur: quod amor juſtificans, quo propria felicitas ideo tantum requiritur, ut medium ad finem ultimum, ſubinde mercenarius vocetur: quemadmodum & iſtud reprehendunt, quod caſus impoſſibilis, ut anima juſta Deum licet usque ad finem diligens, æterno tamen ſupplicio mulctetur, fiat poſſibilis: quod actus directi, qui animæ reflectentis aciem effugiant, ſint iſta operatio, quam Franciſcus Saleſius *apicem animæ* appellitet: quod in his mira illa & inaudita animæ divulſæ ſeparatio fiat, ita ut in parte ſuperiori ſit ſpes ſumma, in inferiori deſperatio, & quod illa in directis, hæc in reflexis artibus conſiſtat, & quidem quod hoc fieri dicatur ad exemplum Chriſti exemplaris noſtri, quaſi ac in Chriſto, ut in nobis, involuntariæ fuerint illæ perturbationes. Mirantur inſuper, quod in hoc libro altum ſit ſilentium de amore gratitudinis erga Deum, & Redemptorem Chriſtum,

ſtum, cum de perfectorum amore agitur: quod cum decretum Concilii Tridentini ſpem per ſe eſſe bonam definientis laudaverit, ex eodem decreto tamen non addiderit, ſanctiſſimos quosque & perfectiſſimos eo incitamento eſſe permotos. Addunt, dogmata in libro hocce tradita eo tendere, ut actuum directorum beneficio vitium cum virtute oppoſita ſtare poſſit. Tandem & iſtud conqueruntur, Eccleſiæ peregrinantis ac in patriam ſuſpirantis gemitus hic extingui: alia autem quæ adhuc redargui poſſent, alia occaſione ſe in lucem protracturos profitentur. Additæ etiam ſunt in hac editione, præter articulos ſupra memoratos, epiſtolæ aliquot, duæ quidem ipſius Archiepiſcopi Cameracenſis, quarum altera Romano Pontifici cauſam ſuam commendat, ſummamque doctrinæ ſuæ exhibet, altera nihil gratius ſibi contingere potuiſſe, quam quod ad Romanum Pontificem controverſia iſta fuerit delata, teſtatur: & una Galliæ Regis ad Romanum Pontificem, qua litem hanc illi denunciat, atque ut eam quam citiſſime finiat, rogat.

## *INSTRUCTION PASTORALE ETC.*

i. e.

*Inſtructio Paſtoralis Dn. FRANCISCI DE SALIGNAC DE LA MOTHE FENELON, concernens librum illius de Præceptis Sanctorum circa vitam interiorem.*

Editio nova.

Amſtelodami apud Henr. Wetſteinium, 1698. 12. Plag. 10.

QUæ in Declaratione trium Galliæ Præſulum Illuſtriſſimo Auctori objiciuntur, ea in Paſtorali hac, ut vocat, Inſtructione ita diluere annititur, ut mentem ſuam uberius explicet atque declaret. Omnem autem doctrinam in libro ipſo uberius explicatam, ad duo revocat capita, quorum unum eſt, quod charitas, virtutum Theologicarum princeps, ſit talis amor Dei, quo eum ſine ullo intuitu præmii alicujus amamus, quamvis in ſtatu charitatis perfectiſſimo ſemper præmium deſideremus; alterum, quod ſit ſtatus charitatis perfectus, in quo amor hic ſit velut fons & ſcaturigo cæterarum actionum, ita tamen, ut nec cauſas actionum impulſivas, nec ſpecificam illarum diſtinctionem tol-

lat, amor autem mercenarius & ad commodum aliquod ſpectans procul hinc faceſſere jubeatur.

Artic. I. Ad ſpecialia deſcendens, fatetur nullam traditionem arcanam & Eccleſiæ incognitam de ſumma etiam Chriſtianiſmi perfectione admittendam eſſe: ſed tamen cautis Paſtoribus omnino id obſervandum, ne quælibet quibuslibet proponant, & ſummæ perfectionis exercitium non niſi animabus maximo ejus deſiderio laborantibus commendent. Id quod Caſſiani atque Clementis Alexandrini teſtimoniis comprobat, atque huc trahit illud Chriſti: *non poteſtis portare modo*, & Apoſtoli monitum de lacte infirmioribus præbendo.

Art. II. Quod ad ſpem attinet, monet diſtinguendum hic ſedulo eſſe inter amorem puræ concupiſcentiæ, utpote naturalem, & amorem ſpei, ſupernaturalem, & ſolis veris Chriſtianis proprium. Quæ ne confunderentur, diligenter gnaviterque ſe dediſſe operam. Porro ab *actu ſpei* diſcernendum eſſe *ſtatum* hominis peccatoris, qui hunc actum edit: per actum enim ſpei Deum ceu ſummum bonum cæteris amoris noſtri objectis præferri, cum ſtatus hominis peccatoris, ſperantis tamen, non ejusmodi ſit, ut Deum ſibi ipſi præferat. Quod autem Auctor per quinque amoris gradus totidem ſtatus hominum intellexerit, id quidem eſt, quod hic prolixius probat.

Art. III. Cæterum, ita pergit, licet animæ perfectæ ſe plane componant ad voluntatem divinam, non tamen inde deſinunt æternam ſperare ſalutem, multo minus fas eſt conſentire in ſuam reprobationem. Nunquam hoc ſe docuiſſe profitetur, adductisque variis documentis evincit. Quin addit, animas perfectas non tantum deſiderare æternam ſalutem, quia Deus hoc jubet, ſed & quia noſtrum bonum eſt: nec enim hæc ſibi invicem repugnare. De voce *commodi* (*interêt*) monet, eam dupliciter capi poſſe; aut enim ea denotari objectum, quod nobis bonum eſt, aut propenſionem, qua per amorem ſui ipſius naturalem aliquis ad tale objectum fertur, ea deſignari. In priori ſenſu recte dici: beatitudo eſt maximum noſtrorum commodorum; ſed in poſteriori ſignificatione imperfectionem ſimul connotari, quæ ab animabus perfectis abeſſe debeat. Hoc ut probe obſervetur, rogat, cum ex vero ſenſu hujus vocis tota doctrina ſua pendeat: interim ſe eadem ita uſum ad exemplum cæterorum ſcriptorum

Artic. IV. Myſticorum. Obſervat porro, ſe per *objectum formale ſpei* idem indicaſſe, quod in ſcholis *motivum* ſpei vocari ſolet, cauſasque cur hac voce

voce uti noluerit, affert. De ſpe autem non minus ac cæteris virtutibus repetit, eas omnino diſtinctos ſuos habere actus, cauſasque impulſivas ſibi proprias; nihilo ſecius omnes ex amore puro, ceu communi fonte, proficiſci, ut verum omnino ſit illud Auguſtini: *nihil omnino virtutem eſſe affirmaverim, niſi ſummum amorem Dei.* Et hanc doctrinam articulis ſæpius memoratis non adverſari demonſtrat. Sibi quoque conſtat, quando diſcrimen inter animas perfectas & imperfectas, ſive mercenarias exponit. Nimirum in his præter amorem ſupranaturalem, quo in Deo ſe ipſas amant, amorem naturalem, quo ſe ipſas amant, eſſe docet, unde mercenaria voluntatis diſpoſitio oriatur: quæ licet poſitive in actus ſupranaturales non influat, diminuit tamen, ut Auctor docet, perfectionem voluntatis, quæ fortius amat, ſi ſolo amore puro amet. Unde & ſtatum ejusmodi animarum mixtum eſſe docet ex duobus amoribus, etſi actus ſupernaturales virtutum puri, & ſine mixtione maneant. In animabus perfectis autem omnes actus virtutum & puri ſunt, & nihil ex commodi proprii intuitu ſecum vehunt. Addit, quando dixerit ſtatum hunc habitualem & variabilem eſſe, hoc intelligendum eſſe de modo ordinario, quo voluntas ſuos actus edit. Charitatem, quando hac voce tertia virtus theologica denotatur, ſemper puram & ſine intuitu ad commodum proprium eſſe, non abnuit: quartam amoris ſpeciem tamen ideo impuram & ad commodum proprium ſpectantem a ſe dictam, quod in animabus in hoc ſtatu conſtitutis adhuc amor quidam mercenarius ſuperſit, utut actus charitatis ab hac anima profecti plane puri ſint. Si quis autem neget, Deum amari non poſſe, niſi noſtræ beatitudinis amore adducti hoc faciamus, eum Moſis & Pauli exemplo rectiora edoceri poſſe, quorum ille, ut ex libro vitæ deleretur, hic, ut anathema fieret in gratiam fratrum, optavit. Sed & alia, quæ hinc ſequantur, abſurda ſubjicit. Quod porro aſſeruit, amorem puræ concupiſcentiæ præparare animas ad juſtitiam, hoc non aliter intelligi cupit, quam quod ita ſaltem obſtacula paſſionum vehementiorum tollantur. Bernhardi quoque hic ſe tuetur auctoritate. Nec iſtud argui poſſe ait, quod cum Auguſtino dixerit: *Omne quod non venit ex principio charitatis, venit ex cupiditate.* Namque per charitatem ſe intelligere omnem amorem ordinatum in ſe conſideratum, per cupiditatem autem omnem amorem particularem ſui ipſius. Hiſce ita expeditis, de extremis,

Art. V. Art. VI. Art. VII. Art. VIII. Art. IX. Art. X.

quas vocant, probationibus ſeu tentationibus paulo uberius mentem ſuam declarat. Et primo quidem denuo inculcat, ſuppoſitionem animarum, quod Deum amare velint, etiamſi æternis ab eo adjudicentur cruciatibus, impoſſibilem eſſe. Deinde docet, easdem animas, etſi ſibi imaginentur ſe æternam damnationem promereri, revera tamen illud non credere. Nec aliter unquam hac de re ſe docuiſſe. Poſſe tamen animas heroicas Deo offerre ſacrificium, quod quoad vitam æternam ſaltem conditionatum ſit, in quantum iſta nonniſi bonum creatum eſt, & ut in amore Numinis ſemper perſiſtant. Multis Sanctorum exemplis hoc confirmat. Interim non negat, eſſe unicum caſum ſumme extremarum probationum, ubi animæ non amplius conditionate, ſed abſolute loquantur. Tum non dicere eas: *ego vellem*, ſed *ego volo*. In priori caſu ubi ſacrificium hoc conditionatum eſt, ſpectare iſtud ipſam beatitudinem formalem ſeu creatam, in quantum hæc ſeparata eſt ab amore Numinis. In poſteriori caſu, ubi hoc ſacrificium abſolutum eſt, neutiquam ad ipſam beatitudinem, ſed tantum ad amorem vel propenſionem noſtram ad beatitudinem (*interêt propre pour l'eternité*) iſtud ſpectare. Atque hic amor commodi noſtri cum imperfectio ſit, non videt quid obſtet, quo minus ſacrificium offerri poſſit; atque hanc ſuam mentem fuiſſe pluribus demonſtrat. Hinc autem lucem affundere porro annititur alteri effato, quod Gallicani Præſules itidem impugnarunt, ſcilicet, Directorem tum poſſe permittere, ut anima ſimpliciter acquieſcat jacturæ commodi proprii & condemnationi juſtæ, in qua reſpectu Dei ſe eſſe putat. Acquieſcit, inquit, jacturæ non beatitudinis, ſed commodi proprii: imaginatur ſibi, ac ſi propter peccata ſua Deo diſpliceat, & hinc propter Deum angitur. Neutiquam autem per hanc condemnationem, qua ſcilicet condemnat ſua peccata, æternam intelligi reprobationem, cui quod anima acquieſcere poſſit, ſe unquam ſtatuiſſe prorſus inficiatur, idque pluribus probat. Et ita cætera quoque, quæ cum hac doctrina connexa ſunt, diluit.

Art. XI. Monet porro recte capienda eſſe, quæ de indifferentia ſancta docuerit, nec ulla ratione inde inferendum, ac ſi nefas ſit æ-

Art. XII. ternam ſalutem expetere. Multo minus tale quid ſe docere aut admittere ait, unde ſequatur, perfectos homines a Deo expreſſe bona tum ſpiritualia tum temporalia petere non debere. Quin ſe ita ſentire, quod anima perfecta omnia bona, quæ Eccleſia a Deo petit, itidem preci-

precibus ſuis a Deo efflagitare debeat: hæc tamen non amore natura-
li, ut animæ imperfectæ, ſed amore ſupernaturali, puro, quem & amo-
rem charitatis vocat, eam deſiderare. *Activitatem* quoque denuo ab Art. XIII.
anima perfecta faceſſere jubet: gratiam ſemper præſentem ſtatuit, li-
cet motus ejus non ſemper ſentiantur, qui etiam intempeſtive & per
animi inquietudinem non ſint conſectandi: ſi tamen per excitatio-
nem cooperatio intelligatur, ad eam omnes citra controverſiam ob-
ſtrictos eſſe. Sed & *actus reflexos* animæ ſe plane rejeciſſe negat, Art. XIV.
eosque omnino aliquando admittendos eſſe demonſtrat. Quod au- Art. XV.
tem ad diſtinctionem ſeu ſeparationem partis animæ ſuperioris & infe-
rioris attinet, nunquam ſe docuiſſe dicit, hanc ſeparationem eſſe tota-
lem, ſupernaturalem & miraculoſam, multo minus, quod quæ a parte
inferiori geruntur, ſuperiori imputari nequeant: ſed hoc ſaltem ſe
velle, quod pars inferior, quorſum præcipue imaginationem refert,
poſſit turbari, ut ſuperior; intellectus & voluntas, quieta & tranquilla
ſit, ita ut, cum utriusque partis communicatio permaneat, illorum
quæ ab inferiori geruntur, a ſuperiori ratio exigi queat. Monet et-
iam, neutiquam hoc ſe ſtatuere, quod actus reflexi tantum ſint in parte
inferiori, directi in ſuperiori, cum reflexi omnino ad ſuperiorem perti-
neant. De contemplatione ita ſtatuit, eam quidem eſſe exercitium Art. XVI.
amoris puri, ſed tamen ejusdem amoris alia quoque eſſe exercitia.
Namque eundem amorem per omnes actus virtutum ſeſe exerere:
interdum etiam per meditationem. Hinc omnes quidem fideles vo-
catos eſſe ad perfectionem, ſed non ad eadem exercitia amoris perfe-
cti. *Statum* autem, quem *paſſivum* vocat, nihil aliud ſibi eſſe conten- Art. XVII.
dit, quam ſtatum amoris puri, in quo omnes actus virtutis placide &
tranquille exercentur. Paſſivum autem hunc ſtatum dici, non quod
vera & efficax cooperatio cum gratia excludatur, nec ut animæ ejus-
modi minus vigilantes circa ſeipſas eſſe jubeantur, aut ut a laboribus,
quibus vincere tentationes oportet, liberentur, ſed ut omnis excluda-
tur *activitas*, hoc eſt turbidi & inquieti motus, qui amorem impurum
& imperfectum comitantur. Hinc *paſſivitas*, ut vocant, non actio-
ni, ſed activitati, juxta Auctorem opponitur, neque miraculoſam
quandam, ſed ordinariam inſpirationem gratiæ, quæ omnibus juſtis
communis eſt, ſecum conjunctam habet. Tandem de contemplati- Art. XVIII.
one addit, per eam nunquam reipſa animam privari viſione Chriſti.

Nec hoc ſe docuiſſe. Hoc ſaltem ſe velle, quod aliquando anima viſione diſtincta, ſenſibili & reflexa Chriſti privetur, quæ privatio tamen apparens ſaltem ſit & tranſiens. Idque fieri in initio contemplationis, ob ejus imperfectionem, & in extremis tentationibus: quæ cum cito tranſire ſoleant, niſi forte anima gratiæ Divinæ reſiſtens ipſa efficiat, ut diuturniores ſint, ipſam hanc privationem tranſitoriam quoque eſſe, inde infert. Quod autem ad contemplationem negativam attinet, quæ ſecundum Dionyſium nullam imaginem aut ideam diſtinctam aut nominabilem admittat, eam circa ſolam Divinitatem, limitum omnium expertem, occupari. Interim nullam eſſe contemplationem fatetur, quæ non aliquando interrumpatur, & tum quidem in intervallis iſtis, omnia objecta fidei, cumprimis humanitatem Chriſti,

Art. XIX. intellectui exhiberi. Cæterum Chriſto perturbationes involuntarias ſe tribuiſſe negat, iſtasque voces ab aliis libro ſuo inſertas fuiſſe conqueritur, indeque inter alia probat, quod cum antecedentibus & ſe-

Art. XX. quentibus nullum nexum habeant. Sic & ad accuſationem, quod mala fide ad Franciſcum Saleſium provocaverit, reſpondet, illos, qui librum imprimi curarunt, certa loca pro ipſis Franciſci Saleſii verbis habuiſſe, cum tamen mentem ſaltem ejus exprimere, non referre verba, ſibi fuerit conſtitutum. Oſtendit etiam, quo pacto judicandum ſit de effatis ejusmodi virorum, quæ duriora videntur.

Cæterum cum Auctori omnis difficultas ex voce commodi proprii (*interêt propre*) oriri videatur, nihil amplius ſupereſſe putat, quam ut demonſtret, hanc vocem, ut & vocem *mercenarii*, a præſtantiſſimis Theologiæ, præſertim Myſticæ, ſcriptoribus ita uſurpari, ut imperfectionem quandam iisdem innuant. Et in eo quidem ſatis prolixus eſt, initiumque facit a Catechiſmo Tridentino, deinde Patrum, Clementis Alexandrini, Tertulliani &c. Scriptorumque Myſticorum verba huc facientia affert & illuſtrat. Colligit autem inde porro, hæc Theologorum effata de ſtatu habituali, non actibus tranſitoriis loqui, nec tamen Doctores iſtos a ſtatu perfecto deſiderium vitæ æternæ abeſſe voluiſſe; id autem manifeſtum eſſe, amoris perfectionem idem eſſe, ac quod Myſtici abdicationem virtutum (*desappropriation des vertus*) appellitant. Subnectit hinc ex libro ſuo varia loca, iisdem oſtenſurus, ſe non aliter locutum, ac Theologi ac Doctores loqui conſueverint,

rint, repetitque paucis, in quo caput totius cauſæ conſiſtat, & ita addita adhortatione opus ſuum finit.

Addita quoque eſt huic editioni damnatio propoſitionum Michaelis de Molinos per Bullam Innocentii XI, ut & Epiſtola Auctoris ad Romanum Pontificem, ſed Latino ſermone conſcripta; Gallica enim ejusdem epiſtolæ verſio ſubnexa eſt libro ejus de Sententiis Sanctorum. Præterea Breve Apoſtolicum Innocentii XII ad Auctorem, ut & Epiſtola Auctoris ad Amicum, qua conqueritur, ſine ratione nonnullos ægre tuliſſe, Epiſtolam ad Amicum, libro de Sententiis Sanctorum ſubjunctam, publicæ luci expoſitam fuiſſe, hic quoque comparent.

## *MELANGE CRITIQUE DE LITTERATURE ETC.*

i. e.

*Miſcellanea Critica Litteraria, ex familiaribus DAVIDIS ANCILLON colloquiis congeſta. Tom. I. & II.*

Baſileæ apud Jo. Georg. König, 1698. in 8. Alph. 1. plag. 18.

VEnerandi Parentis ſui Davidis Ancillon, Reformatæ apud Metenſes Eccleſiæ olim Miniſtri, poſtea cum parte gregis ſui, perſecutionis in Gallia acerbitate, ad Potentiſſimi Electoris Brandeburgici Regiam confugere compulſi, dicta factaque illuſtriora ſtudioſe annotavit Filius, illo parente non indignus, Daniel Ancillon. Qui & optimo Parenti debitæ pietati ſatisfaciendi, & publicis commodis inſerviendi ſtudio, in præſenti opuſculo utraque in lucem producere voluit. Facta enim illius quod attinet, vitæ ejus hiſtoriam & titulus & præfatio nobis pollicentur, tomo forte novo reſervatam, cum in his, qui nunc prodierunt, nullibi hæc compareat: Dicta vero illuſtriora, ad rem eccleſiaſticam & litterariam maxime ſpectantia, primis his duobus tomis nobis exhibentur.

*Ancilloniana* iſtud opus forſan appellandum foret, ſi ſeculi genius, quod in hujusmodi ſcriptorum appellatione plerique faciunt, eſſet ſequendus. Verum contemtus, in quem noſtro ævo hujus generis titulis inſignita opuſcula adducta fuerunt, Clariſſimum Editorem movit, ut eum ab hiſce Parentis ſui λειψάνοις quam longiſſime abeſſe voluerit.

luerit. Imo ut eo minus iſtiusmodi librorum, quibus poſt edita *Arlequiniana* publicam turpitudinis notam pene inuſtam credit, faciem habitumque præſens opuſculum referret, ordinem quoque voluit immutatum; litterarumque alphabeti ſeriem propterea, in enarrandis rebus, de quibus aliquid memoria dignum Patri ſuo excidiſſe eſt arbitratus, obſervans, ad unum ſive titulum ſive caput omnia refert, quæ quacunque ratione ad illud ſpectantia, diverſis temporibus ab eo fuere prolata.

Inter ea vero, quæ primis his tomis continentur, non diſſimulamus eſſe quædam, de quorum certitudine forte alii dubitabunt, aut
Part.I. p.19. de quibus aliter hactenus Viri eruditi ſtatuerunt. Veluti cum duæ tantum admittuntur apud veteres Societates eruditæ, quæ exemplum omnibus hodiernis in Italia, Gallia, Angliaque Academiis præbuerint, alteraque earum Platonis fuiſſe dicitur, altera Ciceronis, ex qua Aca-
p. 43. demicæ Quæſtiones aliique ejus libri prodierint. Cum Tertulliani Apologeticum anno Chriſti 192 vel 193 prodiiſſe ſtatuatur, quicquid
p. 78. contra accuratiores Critici argumentis ſuis moliantur. Cum *Alcoranus* non nomen habetur, ſed verbum, *confeſſus* eſt ſive *correxit* ſignificans, quaſi dicas Alcoranum vel confeſſionem doctrinæ & fidei Ma-
p. 69. hometicæ, vel correctionem Vet. & Novi teſtamenti eſſe. Cum Henricus Cornelius Agrippa in xenodochio ſupremum diem obiiſſe narra-
p. 170. tur, ſecus quam optimi ſtatuunt autores. Cum dicitur, ante Bedam neminem in Apocalypſin Comment. ſcripſiſſe, nec poſt eum quenquam iſtius libri explicationem aggreſſum, usque ad an. 1389, quo in Polonia
p. 196. aut Livonia novus in eam Commentarius prodierit. Cum dicitur, Ariſtotelem Dialogorum in ſcribendo formam maxime adamaſſe, ſummumq; in iſto ſcribendi genere extitiſſe artificem, quem Cicero impri-
p. 213. mis ſibi in eo imitandum propoſuerit. Cum duos tantum eſſe Diony-
p. 308. ſios, Alexandrinum nempe & Rhetorem, ſcriptis celebres traditur. Cum Bedam Romæ haud dubie fuiſſe, eique rei firmandæ Juelli Epiſcopi
Part.II.p.70. Salisburienſis ſufficere autoritatem dicitur. Cum Cardanus, utcunque ea de re dubitet ipſe, omnino tamen Dæmonis familiaris converſatione pollutus fuiſſe memoratur, ejusque rei argumentum habetur,
p. 359. quod omnia aſtrorum motui atque influentiis adſcripſerit. Cum maximum quondam Galliæ ſuæ ornamentum Petrus de Marca, Proteſtantium, apud quos Miniſtri Eccleſiæ partibus defunctus jam fuerat,

castris

caſtris deſertis ad Romanam Eccleſiam transfugiſſe perhibetur: quam fabulam eſſe, doctiſſimi quidam Viri luculentis argumentis dudum conati ſunt oſtendere. Cum Colomeſio non Pauli, ſed Petri præno- p. 94.
men tribuitur. Cum Davidis Paræi filius fuiſſe Daniel dicitur, quem p. 410.
nepotem ejus extitiſſe alii nos docent. Cum is, qui de Legibus He- p. 454.
bræorum eruditiſſime commentatus eſt Spencerus, cum eo, qui Origenis contra Celſum libros eruditis notis illuſtratos evulgavit, idem fuiſſe ſtatuitur: quos alias Joannis & Gulielmi prænominibus a ſe diſtingui invicem novimus &c. Sed his ſimilibusque aliis miſſis, quædam ex hoc opere deligemus, quæ non omnibus hactenus innotuere, & obſervatu tamen non indigna videntur. Cum autem Miſcellanea Critica Litteraria illud inſcribatur, ab iis ordiri liceat, quæ ad litterariam rem maxime ſpectant. Multos, ut id primo loco annotemus, anonymos pſeudonymosve Scriptores paſſim occaſione data detexit, ad quorum notitiam non adeo facile unusquisque pervenerit. Sic Part.I. p.166.
Commentarium in Apocalypſin, qui ſine autoris nomine prodiit, iſta tantum verba, *Sis Organon Jeſu*, in frontiſpicio exhibens, *Stephani Gros*, V.D. apud Genevenſes Miniſtri eſſe notat: a quo ipſo accepit, verba paulo ante adducta ideo ab eo in fronte libri poſita fuiſſe, quod utrumque nomen ejus, litteris transpoſitis, fere referrent. Alium ve- p. 167.
ro Commentarium, qui *Jonæ de Buy* nomine in eundem librum extat, celeberrimi Launæi, Cleri metu nomen ſuum occultantis, fœtum eſſe docet. Libri Gallica lingua ſub titulo Conſiderationum liberiorum p. 404.
Collectionis Actorum authenticorum a *Blondello* congeſtorum ſcripti, quo acerbiſſime vir ille doctus exceptus fuit, ob impugnatam Joannæ Papiſſæ hiſtoriam, parentem *Galthierum*, Verbi Divini in tractu Rupellenſi quondam Miniſtrum eſſe: librum autem, qui de Religionũ Part.II. p.86.
conciliatoribus ſub Johannis Rolegravii nomine circumfertur, *Graverolo* deberi, qui Lugduni in Gallia olim, hodie Londini in Anglia Gallorum exulum Eccleſiam moderatur. Inter ſcripta, quæ Tridentino p. 133.
Concilio ſubvertendo inſerviant, maxime commendat Gallica lingua editum volumen, cujus hic fere titulus eſt: Examen Concilii Tridentini, quo cauſæ quæ irritum illud faciunt, una cum vi Regibus & Principibus Chriſtianis, nec non Eccleſiæ Gallicanæ omnibusque Catholicis ab eo illata, luculenter exponuntur; cujus libri autorem *Gulielmum Ranchinum* eſſe, ſibi certo conſtare ait. *Mezeræo* inſigni Gallo- p. 149.

rum Hiſtorico a nonnullis tribui, quæ ſub *Perefixii* nomine circum-
fertur, Henrici Magni Vitam, magis forte notum eſt, quam ut hoc lo-
p. 177. co dici mereatur: ut &, quod Catechiſmi Tridentini autor ſit *P. Fran-*
*ciſcus Forieri,* Ordinis Dominicani Monachus, natione Luſitanus, qui
p. 163. juſſu Cardinalis *Caroli Borromæi* eum concinnaſſe dicitur. Majus au-
tem forſan operæ pretium nobis erit ſperandum, ſi tentatam ab Ancil-
lono noſtro caſtigationem quandam clariſſimi Bailletti retulerimus.
Ille in libro ſuo de Scriptoribus perſonatis *Cæſarem Aquilinium,* qui de
tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini tractatum edidit, *Scipionem Hen-*
*ricum* eſſe dixit; quod falſiſſimum Noſtro videtur. Primo enim Sci-
pionem Henricum Romanam Eccleſiam manifeſte ſecutum eſſe ait,
cum contra Calviniſtam fuiſſe eum, qui ſub Cæſaris Aquilinii nomine
deliteſcit, omnes Pontificiarum partium Viri eruditi credant. Deinde
Scipionem Henricum manifeſtiſſime Petrum Suavem impugnare in ea,
quam edidit, Cenſura Hiſtorico-Theologica; cum contra Aquilinius
p. 164. eum laudet atque defendat. Sed non contentus hac cenſura Ancillo-
nus, duos quoque ab Hedovilleo (in Ephemeridibus Gallicis anni 1663
d. 23. Martii) commiſſos errores obſervat. Prior eſt, quod Calvini-
ſtam crediderit Autorem ſub Aquilinii nomine latentem Hedovilleus,
quem tamen in Romanæ Eccleſiæ communione vixiſſe conſtet. Alter,
quod poſt Pallaviciniani operis editionem, nullum alium iſtius argu-
menti librum, præter eum quem Aquilinius concinnavit, prodiiſſe
putet; cum tamen doctiſſimus quidam ex Scotis Vir, Romanæ itidem
Eccleſiæ addictus, Comes Julius Clemens, notas 64 morales, cenſorias,
hiſtoricas, ad inſcriptionem, epiſtolam ad Lectorem, & tredecim ca-
p. 238. pita Introductionis Pallavicini ſcripſerit. Quanto celebrior eſt in
Gallia olim Anti-Cottoni titulo concinnati operis fama, eo obſcurior
hactenus de autore ejus fuit muſſitatio. *Servino* nonnulli, Generali
quondam in Senatu Pariſienſi Advocato, eum tribuerunt; alii Mona-
cho cuidam, quibus etiam aſſentiendum eſſe putavit *P. Petrus Joſephus*
*Aurelianenſis, Soc. Jeſ.* in vita Cottoni. At falli illos omnes ſibi per-
ſuaſiſſimum eſſe Ancillonus ait: certis enim teſtimoniis ſibi conſtare,
a celeberrimo illo Reformatæ Eccleſiæ Doctore, *Petro Molinæo,* fœ-
p. 242. tum iſtum excluſum eſſe. Vitæ Philippi Mornæi partem fere dimi-
diam nobilem quendam Picardum, *Davidem Lixium,* concinnaſſe te-
ſtatur, a quo acceptam illam telam duo Mornæi amanuenſes perfece-
rint,

rint; præfationem autem operi præfixam illuſtris *Conrarti* ingenio deberi. Celebrem quondam Eccleſiæ Reformatæ apud Metenſes Miniſtrum *Paulum Ferrium*, inter alia quæ edidit doctiſſima ſcripta, ejus quoque eſſe autorem, quod Gallica lingua hoc fere titulo anno 1624 evulgatum eſt: Notæ hiſtoricæ ad diſſertationem, quam de morte & miraculis S. Liberii nuper evulgavit Dominus de Rambervillier, Balliviæ in Epiſcopatu Metenſi Præfectus; ejusque rei fidem facere illius libri exemplum, ab ipſo Ferrio ſibi donatum, in cujus frontiſpicio propria manu ſe illius fœtus parentem fuerit profeſſus. Gallici libri, qui *Bellum Autorum* inſcribitur, fabrum Gueretum fuiſſe. Male autem a quibusdam Brayero Doctori Sorbonico & Canonico Verdunenſi tribui tractatum *Religio Hollandorum* inſignitum, cui Dn. de la Fontaine, qui Regis Galliæ negotia quondam Hagæ-Comitum obiit, materiam ſuppeditaſſe perperam quidam ſuſpicentur. Legionis enim cujusdam Helvetorum non ignotum quondam præfectum, Stouppam, qui Cromwello per aliquod tempus operam navaverat, illum librum compoſuiſſe, ab ipſo ſe accepiſſe Ancillonus noſter teſtatur. Qui deniq; etiam *Mercurium Helvetum* & *Militem Suecum*, Gallica lingua concinne adeo facta opuſcula, ut ex Balzaci calamo profluxiſſe viſa nonnullis fuerint, Friderico Spanhemio reſtituit, quem *Commentarii Hiſtorici* quoque *de Vita Comitis de Dohna* autorem eſſe prodit.

p. 269.
p. 418.
p. 439.
p. 451.

Nec deſunt alia, quæ ad Virorum doctorum vitam, mores & ſcripta cognoſcenda pertinent, oppido jucunda, quæ ex Ancillonianis hiſce diſcere liceat. Sane notatu non indignum videtur, quod de Davide Blondello refertur, cum a Præſide Parliamenti Pariſienſis Domino *De Meſmes* annuum 1200 librarum, ab alio autem ejusdem Parliamenti Conſiliario 600 librarum ſtipendium accepiſſe, ut Romani Pontificis oppugnaret primatum; quorum tamen uterque & corpore & animo cum Eccleſia Romana communionem exercuiſſe dicitur. Idem Blondellus, in terra proſtratus, librisque circumvallatus, operam litteris navaſſe, ſimilesque olim Jacobi Cujacii fuiſſe mores obſervantur. De Bodino narratur, Dialogum ejus, quo Turca, Judæus & Chriſtianus inducantur loquentes, Turcæ partes Poſtello, Judæi ipſo Bodino ſuſtinente, in Bibliotheca Potentiſſimi Galliarum Regis inveniri. Nec dubitamus ulli, ad Dialogum Bodini ἑπταπλομερῆ Ancillonum noſtrum reſpexiſſe, cujus tamen paulo aliam rationem eſſe norunt,

P.I.p.407.
Part, II. p. 2.

runt, quibus ipſum iſtud opuſculum, cujus in Germania quoque ali-
quot ἀπόγραφα extant, perluſtrare licuit. Sane ex illo vix confir-
mari poſſe putemus quorundam traditionem, qui Bodinum animam
Judaicis ſuperſtitionibus imbutam efflaſſe dicunt; quod tamen haud
p. 5. obſcure Noſter inſinuare videtur. Aſt elegans eſt, modo vera ſit, de
Bodino & ſapientiſſima Angliæ Regina Eliſabetha fabula. Ægre illa
tulerat, quod parum honorifice de fœmineo ſexu in libris de Republi-
ca Bodinus ſenſiſſet. Quamobrem ut vindictam ab eo ſumeret, in
Angliam allectum, & ad colloquium admiſſum, frigide admodum eum
a ſe dimiſit, verbis, quæ, quod Latine non inconcinna ad nomen Bodi-
ni alluſio exprimi nequeat, prout ab ipſa prolata fuerunt, apponere li-
ceat. Dixit igitur: *Bodin apprenez en me voyant, que vous n'eſtes*
81. *qu un Badin.* De Caſaubono multa fuſe diſſeruntur. Inter alia præ-
cipuum ſuæ in rebus Eccleſiaſticis peritiæ ſpecimen daturus fuiſſe dici-
tur, in libro ſingulari de Libertate Eccleſiaſtica: verum ex improviſo
accidiſſe, ut cum 264 illius libri paginæ typis exſcriptæ jam eſſent, Hen-
ricus IV, compoſitis jam Venetorum cum P. R. controverſiis, ultra
progredi prohibuerit; iis quoque, quæ excuſa jam fuerant, diligenter
p. 89. ſuppreſſis. De religione Caſauboni iſtud judicium fertur, ad Ro-
manam Eccleſiam illam forte, quam jactant nonnulli, ejus haud fuiſſe
animi propenſionem, cœco tamen Patrum & antiquitatis Eccleſiaſticæ
amore religionis ſyſtema eum ſibi finxiſſe, quale forſan nemo morta-
lium alius hodie ſequatur; ejusque rei ex quadam ejus ad Danielem
Heinſium epiſtola (quæ inter epiſtolas præſtantium & eruditorum
p 93. Virorum 143 eſt) confirmatio petitur. Ceterum notabile eſt indu-
ſtriæ ejus exemplum, utpote qui ut ſomnum quaſi averruncaret, aceto
p. 270. adſpergere nocturno tempore oculos ſolitus fuerit. De Paulo Ferrio, cu-
jus ſupra jam facta fuit mentio, referri meretur, quod Hiſtoriam refor-
mationis urbis Metenſis, Conſiſtorii Eccleſiæ Reformatæ in illa urbe
precibus, deſcribendam ſuſceperit. Ediderat enim Epiſcopatus Me-
tenſis Suffraganeus, *De Madaure*, Hiſtoriam natæ, promotæ, & colla-
bentis in ea urbe hæreſeos, cui opponere Ferrium volebant, qui hæreti-
corum nomine Metenſi Suffraganeo appellabantur. Ille itaque uti-
liſſimum opus quidem ſuſcepit, magnaque Hiſtoriæ Metenſis, tempo-
rum quoque ante reformationem elapſorum, parte expoſita, quam
longiſſime perduxit, ſed imperfectum hæredibus ſuis, morte præventus
reli-


reliquit, dignum quod iſta quoque conditione lucem publicam intueatur. Inter hæredes illos quidam nepos ejus fuiſſe refertur, *Du Vivier*, p. 272
qui ab ipſa licet nativitate ſua oculis captus, tantos tamen in elegantioribus litteris, Hiſtoricis item, Philoſophicis & Theologicis fecit progreſſus, ut in territorio Metenſi eccleſiaſtico officio dignus fuerit judicatus. Ille cum Carentonæ verba ad populum aliquando faceret, cum preces pro ægrotis pro more eſſent faciendæ, nec exiguus eſſet eorum, pro quibus orandum erat, numerus, omnes tamen, unica tantum vice ſibi antea recitari juſſos, feliciter adeo ejus memoria reddidit, ut unicum ante preces prætermiſſum, in ipſis precibus adhuc commemoraverit, inſigni eo ipſo omnium præſentium excitata admiratione. Repeteremus, quæ iſta occaſione adducuntur, ab aliis quoque cœcis patrata cum ſtupore aliorum facinora, niſi de celebri autore Gallo, Go- p. 293.
dello, quædam potius commemoranda eſſe duceremus. Et magni momenti forſan non eſt, quod de poemate ejus, quo vitam Pauli Apoſtoli deſcripſit, narratur; in ſecunda ſcilicet ejus editione omiſſa eſſe, quæ de Paulo, picturas in atrio Sacerdotis Summi contemplante, ficta fuerant: monuerat enim doctiſſimus Dallæus, picturis hujusmodi locum apud Judæos religionem neutiquam reliquiſſe. At magis notari merentur, quæ de Eccleſiaſtica ejus Hiſtoria notantur. Cum primo enim ejus tomo ita comparatum eſſe dicitur, ut nihil merito in fide atque ſinceritate Autoris deſideres: verum aliam ſequentium rationem eſſe. Cum enim eo lecto Cardinalis Grimaldus, ob nimiam adverſus Eccleſiam Romanam ſtyli libertatem, hæreſin Godello ad ſe accerſito exprobraret, ſeque Romæ redditum, ad Papam quicquid legiſſet exacte relaturum minatus eſſet, territus minis iſtis bonus ille Vir minus candidum deinceps ſe præſtitit. De Launojo denique tantum quæ p. 331.
narrantur addere liceat, qui librum de Regia in matrimonium poteſtate invitus juſſu regio compoſuiſſe dicitur. Occaſionem mandato illi conjugium cujusdam ex Galliæ magnatibus, cum illuſtri quadam ex familia Lotharingica fœmina dediſſe fertur: Launojum autem quavis data occaſione dixiſſe, nihil minus animi ſui ſenſis, quam iſtum librum ſuum, unquam conveniens fuiſſe.

Sunt quoque ad Hiſtoriam tam Civilem quam Eccleſiaſticam ſpectantia in hoc libro nonnulla, ex quibus ſpeciminis loco pauciſſima ſaltem attingere liceat. Eminent inter ea, quæ de origine acerbiſ- Part.I. p.113.

ſimarum inter Colinæum & Guiſium diſſenſionum, quarum ſuperiori ſeculo mœſta ſpectatrix Gallia fuit, narrantur, quæ in manuſcripto volumine, omnia Colinæi Guiſiique contra ſe invicem molimina complexo, & in Bibliotheca Segueriana aſſervato, luculenter exponitur. Scilicet arctiſſimæ amicitiæ nexu ſibi mutuo a teneris alligatos fuiſſe duos iſtos Galliæ Heroas dicitur; Furiam autem, quæ acerbiſſimorum diſſidiorum cauſam inter ipſos excitaverit, Valentinenſem Ducïſſam extitiſſe. Cum enim pila aliquando ſe forte ambo exercerent, Colinæus, ut ſolebat liberius cum Guiſio loqui, non poſſe ſe ajebat animum inducere, ut credat, Guiſium, quod fama tum ferebat, meretricem in torum ſibi adſciturum, qui homo eſſet & prudentia & generis ac meritorum laudibus illuſtris. Per meretricem autem illuſtrem illam fœminam intelligebat, quam adeo tum deperiiſſe Guiſius narratur, ut ferali ob verba iſta concepto contra Colinæum odio, paulo poſt averſum ab eo animum publice declaraverit. Et hanc, ſi non præcipuam, non ultimam ſaltem exercitæ in nuptiis Pariſinis omnibus ſeculis deteſtandæ crudelitatis cauſam fuiſſe, Ancillonus exiſtimat. Colinæum enim vivum ferre nec Guiſius, nec illa fœmina poterant: occidere vero, iis qui partes ejus ſequebantur ſalvis, non valebant. Obtinuit itaque cum furore conjunctus amor tantum, *quantum* nunquam *religio* potuiſſet *ſuadere malorum:* ipſo Guiſio haud raro id teſtato, plus factum eſſe, quam ipſe quidem fieri voluiſſet, qui, modo unius Colinæi ſanguinem exſorbere licuiſſet, contentum ſe futurum fuiſſe, quavis data occaſione ſolebat dicere. Verum de iſtis ſatis. Quæ de
p. 136. Curiæ Romanæ moliminibus, quibus Concilio Tridentino in Gallia autoritatem parare, quantum conniti animo, quantum labore contendere potuit, conata eſt, narrantur, adhuc referre animus erat: accuratiſſime enim ea omnia, una cum fortiſſimis, quibus contra niſi Clerus Proceresque Gallicani fuerunt, conatibus Ancillonus expoſuit. Verum ſit modus in rebus. Ea quoque, quæ ad ipſum Ancillonum pertinent, paſſim disjecta colligere volebamus, ſed cum pauca ea ſint, magisque luculenta in vitæ ejus deſcriptione Clariſſimus filius ipſius expectare nos jubeat, iſto quoque labore duximus eſſe ſuperſedendum.

*EXCER-*

TAB. VII. ad A. 1698. pag. 295. M. Jun.



## *EXCERPTUM EX EPISTOLA WITTENBERGA MISſa ad Amicum a D. IO. GOTHOFREDO BERGERO, in Academia Wittenbergenſi Medicinæ Profeſſore primario, de Arteriæ Aortæ diviſione in ramos Carotides & Subclavios.*

QUum aliquot abhinc annis in cadaveribus humanis falſas complurium Anatomicorum delineationes arteriæ aortæ, e corde egredientis, ex eademque orientium arteriarum ſubclaviarum, atque carotidum, in theatro Anatomico non ſemel demonſtraverim, ortæque nuper admodum ea de re lites fuerint inter clariſſimos Belgii Anatomicos, Fridericum Ruyſchium & Godefridum Bidloo; non injucundum fore putavi, ſi, quam præterito menſe in Anatome cadaveris fœminei delineandam curavi, earundem arteriarum originem, diviſionemque naturalem, Tecum communicarem. En itaque Figuram, Cordis & Arteriæ Aortæ magnitudinem, hujusque diviſionem in ramos Carotides & Subclavios naturalem, exhibentem. Ubi

A. Cor puerperæ XX annorum. TAB. VII.

B. Vena Cava dextrorſum paulum reflexa, hiansque in C, dextram cordis Auriculam, cujus magna pars corde tegitur.

D. Pars Sacculi membranoſi, in quem expanſa cava, communem cum auricula cavitatem conſtituit.

E. Truncus cavæ ſuperior.

F. Inferior.

G. Aorta, emergens e ſiniſtro cordis ventriculo, flexuque amplo ſe ſupra cor attollens.

G. H. Arcus, quem ſupra cor progrediens aorta, inferioraque verſus incurva, efformat.

I. Ex convexa arcus parte egrediens Trunculus, abiens in K Arteriam Carotidem dextram, & L Subclaviam ejus lateris.

M. Subclavia ſiniſtra, quam olim quodam ſpatio cum Arteria cervicali coalitam offendi, quemadmodum etiam in Fig. II D. Ruyſchii obſervatur.

N. Ar-

N. Arteria Cervicalis ſiniſtra, hic diſtincta origine ex ipſa prodiens aorta.

O. Arteria Carotis ſiniſtra, ex ipſo pariter arcu aortæ, inter trunculum carotidis & ſubclaviæ dextræ, ac cervicalem ſiniſtram exiſtens, quam vulgo ex ſubclavia ſiniſtra emitti opinantur.

P. Arteria pulmonaria, ſive Vena arterioſa, ex dextro cordis ventriculo prodiens.

Q. Canalis arterioſus, qui ex prædicta arteria ſanguinem in aortam ducit in fœtu.

R. R. Aorta deſcendens.

---

# LIBRI NOVI.

*Reliquiæ Spelmannianæ. The Poſthumous Works of Sir Henry Spelman. With the Life of the Author. London by Aunsham and Churchil*, 1698. fol.

*A Commentary upon the third Book of Moſes, called Leviticus, by Simon Lord Bishop of Ely. London, by R. Chiswel*, 1698. 4.

*Antonii Bynæi de Morte Jeſu Chriſti Liber III. Amſtelodami apud G. Borſtium*, 1698. 4.

*Phædri, Auguſti liberti, Fabularum Æſopicarum libri V. cum integris commentariis Marqu. Gudii, Conr. Rittershuſii &c. curante Petro Burmanno. Amſtel. apud Henr. Wetſteinium*, 1698. 12.

*Hiſtoire de Neſtorianiſme, par le P. Louis Doucin de la C. de J. A Rotterdam chez R. Leers*, 1698. 4.

*Thomæ Gatakeri Opera Critica. Trajecti ad Rhenum apud Franc. Halmam &c.* 1698. fol.

*P. D. Huetii Tractatus de Situ Paradiſi terreſtris, nunc primum Latine factus. Accedit ejusdem Commentarius de Navigationibus Salomonis. Ultrajecti apud Wilh. van de Water*, 1698. 8.

*Laurentii Zacagnii Collectanea veterum monumentorum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ. Romæ, typis Collegii de Propaganda Fide*, 1698. in 4.

(o)

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Julii, Anno M DC XCVIII.*


## DELLA NATURA DE' FIUMI TRATTATO FISICO MATEMATICO &c.

h. e.

## *DE NATURA FLUMINUM TRACTATUS PHYSICO-MATHEmaticus Doctoris DOMINICI GUGLIELMINI, primarii Mathematici Gymnaſii Bononienſis, & Membri Academiæ Regiæ Scientiarum.*

Bononiæ apud Ludovicum Mariam Ruinettum, 1697. 4. Conſtat plag. 48. cum 15 tabulis ære expreſſis.

Nota dudum ſunt Orbi Litterato, quæ Celeberrimus Auctor in libris de Menſura aquarum currentium, a nobis in Actis A. 1692. p. 431. 510. commemoratis, non ſine laude ingenii propoſuit. In quibus tradendis cum rigore Geometrico procedere ſibi propoſuiſſet, abſtinendum ſibi cenſuit a conſideratione impedimentorum, a quibus nunquam fere libera eſſe ſolet aqua per canales profluens. Jam vero theoriam aliquam fluminum daturus probe animadvertit, non ſibi fore licitum tali abſtractione uti, ſed omnino conſideranda eſſe impedimenta, non quidem particularia omnia, quod factu impoſſibile, ſed generaliora, ut hinc derivari poſſit, quid ſecundum circumſtantias certas, vel in mutando aquæ curſu valeant, vel producendo effectus alios, qui miratu digni videri ſolent. Unde & æquos ſibi ſperat futuros Lectores, ſi tantam hic non inveniant ἀκρίβειαν, quanta exigi ſolet a Geometris, nec illam univerſalitatem, qua concipi

cipi ſolent propoſitiones magis abſtractæ; cum maxima illa circumſtantiarum varietas, quæ incertas reddere ſolet pleraſque ſcientiæ naturalis partes, non patiatur, ut quis in hoc argumento phyſico-mathematico, majori cum certitudine verſetur. Quod eo magis futurum ſperat, quo pauciores ſunt ſcriptores, qui operæ pretium fecerunt in hac ſcientia locupletanda, & quo pluribus falſis ſuppoſitionibus ipſa huc usque fuit contaminata. Harum non paucas detexit perſpicaciſſimus Auctor, alveorum proprietates nondum cognitas invenit, non raro etiam ab ipſa theoria digreſſus eſt, tradendo regulas præcipui uſus in architectura, quæ circa aquas occupatur. Neque dubitat in poſterum omnia hæc perfectius traditum iri, ſi modo diligentius elaboretur in illa mechanices parte, quam nemo alius adhuc tetigit, præter Dn. Nevvtonum, qui tamen ita eam propoſuit, ut nondum ad doctrinam de fluminibus eandem applicare liceat. Orditur autem Cl. Auctor opus, in quatuordecim capita diviſum, a conſideratione liquidorum in genere, duas ad illorum conſtitutionem requirens conditiones eſſentiales: ut nimirum corpus illud, quod liquidum dici debet, unum nobis appareat, non vero inſtar acervi ex pluribus particulis congeſti; deinde ut permeabile ſit, neque relinquat apertum, quem pervaſit aliud corpus, locum, ſed permeans ſemper circumdet, quicunque etiam fuerit ejus velocitatis gradus, ſi perfecte liquidum ſit, omnique lentore deſtitutum; cujus generis tamen pauca liquida dari fatetur. Atque jamjam propoſitam ideam mentalem vocat; phyſicam autem traditurus, poſcit non ſolum, ut particularum liquidum corpus conſtituentium magnitudo inſenſibilis ſit, ſed etiam nulla, aut tam exigua ſit particularum illarum connexio, ut gravitas illarum facile poſſit ſuperare cohæſionis momentum, eaque illarum figura, ut una alteri impoſita quiete conſiſtere non diu poſſit, ſed data vel minima occaſione provolvatur deorſumque ruat. Quæ ut clarius intelligantur, duo facit fluidorum genera, quorum primum eſt fluidorum artificialium, aut potius corporum liquefactorum, alterum naturalium. Primum omnem fluiditatem violentæ ignis agitationi divellenti particularum unionem cum debeat, non putat illius particulis neceſſe eſſe ut tribuatur determinata aliqua figura, quoniam violentia motus omne cohærentiæ momentum potis eſt, ſive a figura particularum minimarum, ſive ab externa preſſione proveniat. In ſecundo gene-

genere agitationem corpuſculorum inteſtinam non requirit, quamvis lubenter concedat, vix unquam illa motu eſſe deſtituta, cum propter perfectum æquilibrium cuilibet impreſſioni facile cedant; ſufficere judicans figuram corpuſculorum talem, ut ſe in puncto tantum contingere poſſint, convexam ſcilicet, quæcunque etiam ſit curvitatis ſpecies, ſive ſphærica ſive ſphæroidea aut his affinis, modo connexionem particularum vicinarum impediat. Et cum pauca cenſeat eſſe talia fluida, aquam nimirum, aerem, & argentum vivum, reliqua autem ex varia particularum ſalinarum, terrearum, bituminoſarum &c. commixtione cum illis orta, figuras quoque particularum, ex quibus ipſa conſtant, determinare ſatagit, aquam conſtare affirmans ex ſphærulis ſolidis, quæ poros inter ſe relinquant ſenſibiliter in recta linea diſpoſitos, & hoc modo componant non fluidum tantum corpus ob figuram ſuam rotundam, ſed & diaphanum, propter pororum rectitudinem, & grave pariter ac incompreſſibile, propter ſuam ſoliditatem. Mercurii corpuſcula minima ſphæroidea eſſe conjicit, quorum diameter major maximam habeat rationem ad diametrum minorem, non multum excedentem diametrum particulæ ætheréæ; quo fiat, ut non ſolum interſtitia admodum parva relinquantur, per quæ æther tranſire quidem ſed non libere ſatis poſſit, atque adeo ejus actio, in qua eſſentia lucis conſiſtit, vel perturbetur, vel inſenſibilis fiat, ſed etiam propter magnitudinem diametri majoris reſpectu minoris, tam pauca ſint illa interſtitia, ut Mercurii corpus grave pariter ſit ac opacum. Fluiditatem aeris cum elaſticitate conjunctam melius, quam factum huc usque fuit, explicari poſſe putat, ſi ponatur, eſſe illum congeriem ſpirarum ſphærice contortarum & æthere repletarum, qui tantum per anguſtas revolutionum diſtantias in earum cavitatem penetrare poſſit. Manifeſtum enim hinc fieri, non tantum leve corpus eſſe aerem, quia ſingulæ ſphærulæ parum habent materiæ, & nullos inter ſe porulos relinquunt, ſed elaſticum etiam, ob ætherem inter helicum interſtitia continue fluentem, quodq; compreſſum etiam fluiditatem retineat, quoniam ſphærica corpuſcula compreſſa ſphæroideam induunt, quæ fluidi naturæ non repugnat. Exiſtimat præterea, ætheris particulas ab aqueis ſola differre exilitate & varietate motus, quo agitantur, ita ut ob hanc exiguitatem, quo major in rerum natura non detur, æther in determinato ſpatio, v. g. pedis cubici, minus ha-

beat materiæ quam ullum aliud corpus, cum inter ejus particulas intercedant quam plurima ſpatia vacua, quæ a nullo alio corpore repleri poſſint. Suam ergo de aqua ut probabiliorem reddat hypotheſin Celeberr. Auctor, oſtendit, poſito aquam eſſe aggregatum minimarum ſphærularum gravium, omnia hinc conſequi, quæ in aqua occurrunt, phænomena, nonnullasque ex præcipuis propoſitionibus hydroſtaticis demonſtrat. Porro de origine fontium agit, præ reliquis hypotheſibus Carteſianam ſibi probari faſſus, qua origines fontium ex aquis in terræ viſceribus contentis & cum mari communicantibus deducuntur; ſi ſcilicet ſtatuatur, a calore ſubterraneo illas in vaporem redactas elevari, concretasque rurſus in receptacula colligi, & a pluvia niveque liquefacta, per terræ poros huc penetrante, ſenſim augeri, donec tandem exundent, flumenque conſtituentes in mare procurrant. Hujus aquarum fluentium motus principium gravitatem eſſe ut intelligatur, probat Guglielminus, easdem motus leges, quas ſolida deorſum ruentia obſervare oſtendit Galilæus, fluidis etiam applicari poſſe; quamvis, ut diverſæ corporum affectiones variant eorum proprietates, ita quoque efficiant, ut in quibusdam caſibus diverſimode exerceantur impreſſiones a gravitate receptæ. Quem in finem ſollicite exponit, in quibus conveniant aut diſcrepent phænomena corporum ſolidorum & fluidorum cadentium, atque hinc regulas derivat, quas flumina ſuo in curſu obſervare ſolent. Ad has autem rite adplicandas cum penitior conſideratio alveorum requiratur, & proprietatum, quæ ipſis ratione profunditatis, latitudinis & declivitatis competunt, hanc quoque diligentem inſtituit, ſtabilitaque paradoxa opinione, quod neceſſe non ſit, ut fluminis, ſuum ad terminum procurſuri, fundus aliquam habeat declivitatem, explicat quid poſſit vis aquarum in alveorum declivitate aut latitudine vel augenda vel minuenda. Deinde progreſſus ad ea, quæ de rectitudine aut tortuoſitate alveorum ſcitu ſunt neceſſaria, diſquirit, quî fiat, ut fluvii recto prius pergentes tramite exedant quaſi littus, & tortuoſe procedant, traditaque ratione, qua munienda littora, ut a malo hoc immunia reſerventur, proprietates & effectus fluminum tam rectorum quam tortuoſorum recenſet. Hac quoque occaſione ad quæſtionem a Varenio Geographo de origine alveorum motam reſpondet, non negari poſſe, quosdam alveos hominum opera effoſſos, cum id diſerte ab

Hiſto-

Hiſtoricis, v. g. de Padi alveo ab Æmilio Scauro elaborato, memoriæ ſit proditum; ſibi tamen videri, maximam alveorum partem a natura factam, & illos vel excavatos vi aquarum ex fontibus proruentium, vel formatos in planitie camporum, per alluviones. Cæterum cum varii aquarum motus in fluminibus pro diverſis obſerventur circumſtantiis, ad quas pertinent gurgites, & vortices tam cœci quam voraginibus imminentes, quæ aquam & res innatantes abſorbent, cataractæ ex quibus aquæ præcipitantur; derivatio fluminis in aliud flumen aut in mare, nec non fluviorum plurium conjunctio; omnia hæc, & ultima quidem illa duo diſtinctis capitibus explicat, ſimul effectus enumerans noxios interdum, quandoque vero utiles, qui a conjunctione aut ſeparatione fluviorum ortum habent. Jam cum nullum flumen ſit, quod eandem ſemper aquæ quantitatem vehat, nec unquam creſcat aut minuatur; quoniam ſi ad quantitatem aquæ abſolutam reſpicias, palam eſt, ejus incrementum ex majori vigore ſcaturiginum, multitudine pluviarum niviumque liquefactarum, & aqua fluviorum influentium aucta, procedere; ſi autem aream ſectionis, quam occupat aqua in dato ſitu fluminis, conſideres, ad priora quoque concurrere poſſunt reſtagnatio maris & fluminum majorum, in quæ aquas ſuas emittunt minora, imo, licet inſenſibiliter, vis ventorum currenti contrariorum, reſtrictio alvei, & generaliter omnia impedimenta inferiora, quæ velocitatem curſus fluminis imminuunt: ideoque de his omnibus doctiſſimus Auctor magna cum cura exponit, ſimul commemorans effectus, qui ſequantur, quando fluvii pleno fluentes alveo perrumpunt aggeres, quibus alias coercentur. Solent autem, præter fluvios perennes & torrentes aquam pluviam ex montibus convehentes, fluvioli quoque reperiri in planitie ortum habentes, quorum alvei maximam partem ab hominibus effoſſi ſunt eum in finem, ut in illos confluat aqua pluvia alias ſtagnatura, & campi agrique ad culturam idonei reddantur; unde nec hos omittendos ſibi cenſuit, ſed luculenter oſtendit, quomodo alvei illorum diſponendi, ut commode ſe exonerare poſſint in vicina flumina, paludes aut mare; quibus machinis impedienda fluminum in illas foſſas regurgitatio; quomodo rite collocanda oſtia; qua cautione utendum, cum de eo agitur, utrum ſatius ſit, cunctas unire alicujus regionis aquas, & in unam foſſam deducere, an vero illas per plures aquæ ductus ad ſuum terminum deriva-

re, factaque mentione fornicum ſubterraneorum, differentiam & uſum eorum explicat. Ejusdem fere cenſus ſunt canales, in quos a fluminibus majoribus aliqua aquæ portio, ut vel irrigationi, vel movendæ alicui machinæ, vel aliis uſibus humanis inſerviat, ita corrivatur, ut influxus aquæ minui pro lubitu, aut plane ſiſti poſſit, extructis hunc in finem emiſſariis. Hæc ergo incilia quomodo conſtruenda, quibus efficienda in locis cataractæ, emiſſaria & oſtiola, quæ Italis Paraporti vocantur, & aperta flumini aquam reddunt, fundumque canalis excavant, qui cognoſcere deſiderat, perſpicuis ea regulis a Cl. Auctore comprehenſa reperiet; qui deinde media quoque proponit, quibus navigabilia reddi poſſint flumina, modo impedimenta illa tollere liceat, quæ vel ex parte alvei, vel aquæ per illum currentis exiſtunt. Porro cum magno cedat hominibus commodo, ſi ſteriles ob nimiam humiditatem terræ ad culturam aptæ reddantur, neque id ſemper effoſſione foſſarum, de quibus antea dictum, fieri poſſit, præſertim in locis depreſſioribus, ſed quandoque requiratur, ut aqua fluminum turbidorũ iis immittatur, quæ deponendo terram fundum ſenſim elevet; de hac quoque re copioſe præcipit, monſtrando, quibusnam in caſibus, & quibus modis cum fructu ſuſcipi poſſit, tandemque ob oculos ponit ea, quæ probe conſideranda ſunt, quando flumen per novum alveum, ſive ad oſtium ſuum, ſive ad aliud plane deducendum eſt, ne cum Nerone veſtigia irritæ ſpei poſteris relinquamus.

## THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM, CONGEſtus a JO. GEORGIO GRAEVIO. Tomus VII & VIII.

*TRAJECTI AD RHENUM APUD FR. HALMAM, ET LUGduni Batavorum apud Petrum vander Aa, 1698. fol.*

Conſtant ambo tomi 16 alph. & plurimis iconismis.

ITerum ex libraria ſua inſtructiſſima penu gazas depromit & evulgat celeberrimus Graevius, elegantiores rarioresque digerens & in claſſes veluti redactos ſuisque voluminibus incluſos proferens libros: qui etſi novi non ſunt, venuſtiores tamen quia eos reddidit, ut typorum nitidorum & elegantiſſimorum iconismorum gratia priores editiones

tiones ſuperent; non minus doctiſſimo Editori ſe debere agnoſcit Respublica Literaria, quam recentes quando prorſus nec editos antea profert libros. Eos indicaſſe ſufficiat, e quibus excerpere nonnulla, aut argumentum eorum latius exponere, operæ noſtræ ratio non permittit, in his fuſius enarrandis ſolum occupata, qui nunquam antea publicam adſpexere lucem.

In ſeptimo tomo exhibentur Richardi Streinnii p. 1069. Ant. Auguſtini p. 1143. & Fulvii Vrſini p. 1278. *de gentium & familiarum Romanarum ortu & ſucceſſione* commentarii; ex quibus Streinnius Baro Schvvarzenavius anno 1558 librum ſuum *de gentibus & familiis Rom.* Argentorati publicæ primum luci expoſuerat, ſub auſpiciis Hottomanni ad iſtam eruditionem provectus; Auguſtini autem & Vrſini commentarii e majoribus ipſorum operibus ſunt excerpti. Iis ſubjecta eſt p. 1309. *Notitia dignitatum utriusque Imperii*, cum prolixo Guidi Panciroli commentario, qui in Italia & Gallia ſub ſeculi hujus initium excuſus, nunc ſexaginta & pluribus æneis tabulis nitidiſſime cælatis venuſtior eſt exhibitus. Agmen claudit Valentis Chimentellii, doctiſſimi Itali, *de Honore Biſellii* commentatio p. 2021. cui occaſionem dederat in Piſano agro reperta baſis, ſeu arcula marmorea, cui inciſa hæc inſcriptio:

D. M
Q. LARGENNI
Q. F. GAL. SEVER
AEDILI. PISAS
Q. LARGENNIV
CHRESIMVS. PA
QVI. OB. HONOR
BISELLI. HS. L. N
REI. P. PISANOR
DEDIT

Hanc epigraphen erudita Diſſertatione explicandam cum ſibi ſumſiſſet Chimentellius, in Piſano Lyceo eloquentiæ & politices Profeſſor anno 666, de variis ſellarum generibus, quibus tum magiſtratus tum privati homines ſunt uſi, duxit diſſerendum; deque ſellis curulibus, ſubſelliis ſenatoriis, lecticis conſularibus, thronis, ſoliis, cathedris, & ſimilibus, multa haud proletaria attulit: appendicis loco *de odoris muſcis*

*ſcis Piſanis* epiſtolam adjiciens, quam & ipſam non omittendam ratus, p. 2199 collocavit Theſauri doctiſſimus promulgator.

Octavus tomus pluſcula complectitur opuſcula, pleraque ad anni Romani ſupputationem & ſolennia feſtorum ſpectantia. *Kalendarii* itaque *veteris Romani* aliquot exempla ſeu ectypa oculis ſubjiciuntur: *urbanum* Auguſti temporibus marmori inciſum, ex ædibus Maffæorum p. 1. cum notis Ariæ Montani & Petri Ciaconii p. 16: *ruſticum* e Farneſiana bibliotheca depromtum p. 19. cum notis Vrſini p. 21: alterius *Kalendarii* fragmenta, ex ædibus Capranicorum p. 29. & apud Vrſinum p. 31. His ſubjicitur Sibrandi Siccamæ *in Faſtos Kalendares Romanorum* commentarius anno 1599 editus p. 33. ejusque *de veteri anno Romano* diſſertatio p. 81. Sequitur *Kalendarium*, quod in libris antiquis Ovidii Faſtis præfixum cernitur p. 89. quod autem multis in locis aliter in ſuo MSto legi annotat Cl. Editor in Præf. Hoc excipit aliud *Kalendarium* circa annum Chr. CCCLIV ſub Imp. Conſtantio Conſtantini M. filio compoſitum p. 96. cum iconismis eidem præfixis, ſingulos anni menſes delineantibus: quod a Petro Lambecio in appendice Libri IV Biblioth. Vindobonenſis p. 277 proditum, cum ejusdem notis ſiſtitur p. 103. Commentarios in iſtud Marcum Velſerum ſcripſiſſe, aſſervatos olim in Mazariniana bibliotheca, indicavit Nicolaus Heinſius per literas Chriſtophoro Arnoldo, qui id memorat in Præf. Operum Velſerianor. p. 8. Kalendariis iſtis antiquis ſubjiciuntur recentiora duo a Th. Demſtero p. 115. & Dion. Petavio p. 125. adornata, adjecta *expoſitione compendiaria Kalendarii Romani*, a Petro Gaſſendo inſtituta p. 139. Sequitur Petri Violæ *de veteri novaque Romanorum temporum ratione* libellus Venetiis 1546 excuſus, parum obvius p. 139. Hadr. Junii *de annis & menſibus* commentatiuncula, quæ anno 1556 prodierat p. 199. ejusdemque *Faſtorum* liber p. 229. Inde ſiſtuntur *de anno Romano* diverſorum auctorum diatribæ, Jo. Lalamantii p. 259. Jac. Chriſtmanni p. 285. Jos. Scaligeri p. 307. Dion. Petavii p. 325. Sam. Petiti p. 371. Wilh. Langii p. 397. petitæ omnes ex majoribus eorum operibus chronologicis. Succedit Erycii Puteani *de Biſſexto* liber, qui intercalandi rationem exponit p. 419. Petri Taffini *de Romanorum anno ſeculari*, ejusque potiſſimum per ludos ſeculares celebritate, & horum chronologia, opus hiſtoricum, chronicum & criticum anno 1641 editum p. 467. Erycii Puteani *de Nundinis Romanis* liber anno

1645

1645 evulgatus, quem *Faſtorum novam faculam*, ut ſuperiorem de Biſſexto *temporis faculam*, ipſe auctor inſignivit, p. 641. Gregorii Toloſani ex Syntagmate decerptum *de nundinis & mercatibus* fragmentum p. 697. Jo. Bapt. Belli diatriba *de Pharſalici conflictus menſe & die* p. 705, in qua vigeſimus Julii prælio iſti ex Maphæano marmore aſſignatur. Petri Moreſtelli *de triplici anno Romanorum, menſibus, eorumque partibus, deque die civili & diverſitate dierum* libri quinque, anno 1604 ſub titulo *Philomuſi* editi p. 732. ejusdem *Alypius*, ſive *de priſcorum Romanorum feriis* liber p. 789.

His tot hominum doctorum commentationibus, quæ anni & ſolennium feſtorum apud veteres Romanos rationem exponunt, attexuit doctiſſimus Editor alterius argumenti Diſſertationes, quæ Romanas alias antiquitates attingunt: nempe Julii Cæſaris Bulengeri de *tributis ac vectigalibus Populi Rom.* librum, qui eſt *nonus* majoris operis *de Imperio Romano*, p. 819. Vinc. Contareni *de frumentaria Romanorum largitione*, & *de militari Romanorum ſtipendio* commentarium Patavii 1609 editum p. 923. Jo. Schefferi *Agrippam liberatorem*, ſive diſſertationem *de novis tabulis*, Argentorati a. 1645 publici primum juris factam p. 975. Barn. Briſſonii *de veteri ritu nuptiarum & jure connubiorum* p. 1007. Ant. Hotmanni *de veteri ritu nuptiarum* p. 1107. ejusdemque *de ſponſalibus, jure matrimoniorum, ſpuriis* item *& legitimis* p. 1145. diſſertationes. Jo. Meurſii *de luxu Romanorum* librum anno 1631 editum p. 1215. ejusdemque argumenti commentarium Stanislai Kobierzykii anno 1628 publicæ luci expoſitum p. 1251. Coronidem huic tomo imponit Joachimi Johannis Maderi *de coronis ſacris & profanis* Helmſtadii anno 1662 excuſus libellus p. 1403.

## *DAVIDIS GREGORII M. D. ASTRONOMIÆ PROFESSORIS Saviliani & S. R. S. CATENARIA, ad Rev. Virum D. HENRICUM ALDRICH S. T. P. Decanum Ædis Chriſti Oxoniæ.*

Tranſcripta ex Actis (Transactions) Philoſophicis Anglicanis menſis Auguſti, 1697, pag. 633. ſeqq.

CUm Problema de figura Catenæ (id eſt lineæ flexilis, verſus centrum longinquum gravis, & pondere ſuo dum a duobus extre-

mis immotis dependet incurvatæ) ſit inter hujus ævi Philoſophos imprimis nobile, ac a Celeberrimis Viris *Hugenio*, *Leibnitio* & *Bernoullio*, plurimæ figuræ iſtius proprietates fuerint detectæ, & in Actis Eruditorum *Lipſiæ* (at ſine demonſtratione) editæ: Libuit harum omnium demonſtrationes pertexere, ope Methodi *Neutonianæ* Geometris hodie familiaris, fluxiones e fluentium relatione data determinandi & viciſſim; & alias inſignes Curvæ hujus proprietates nunc primum detectas adjicere, tibique, Reverende Decane, harum rerum Judici idoneo mittere.

### *Prop. I. Problema.*

TAB. IX. *Fig. 1.* INvenire relationem inter fluxionem axeos & fluxionem ordinatæ in Curva Catenaria.

Sit Catena FAD ab extremitatibus F & D dependens, cujus punctum imum (ſeu Curvæ vertex) A, axis AB ad horizontem erectus, eique applicata BD horizonti parallela. Invenienda eſt relatio inter Bb ſeu D$\delta$ & d$\delta$; poſito b puncto ipſi B proximo, & bd ad BD, item D$\delta$ ad BA parallela.

Ex Mechanicis conſtat, Potentias tres in æquilibrio poſitas eandem habere rationem cum rectis tribus ad ipſarum directiones parallelis, vel in dato angulo inclinatis, a mutuo occurſu terminatis; Adeoque ſi Dd exponat gravitatem abſolutam particulæ Dd (ut in Catena æqualiter craſſa rite fit) d$\delta$ repræſentabit gravitatis partem eam quæ normaliter in Dd agit, quaque fit ut dD (ob Catenæ flexilitatem circa d mobilis) in ſitum verticalem ſe componere conatur. Adeoque ſi $\delta$d (ſive fluxio ordinatæ BD) conſtans ſit; gravitatis actio in partes correſpondentes Catenæ Dd normaliter exerta etiam conſtans erit ſive ubique eadem. Exponatur hæc per rectam a. Porro ex ſupra citato Lemmate Mechanico, D$\delta$ ſive fluxio axeos AB exponet vim ſecundum directionem ipſius dD exerendam, quæ priori conatui lineæ gravis dD ad componendam ſe in ſitum verticalem æquipolleat, eumque impedire poſſit. Hæc vero vis oritur a linea gravi DA ſecundum directionem dD trahente; eſtque proinde (cæteris manentibus) lineæ DA proportionalis. Eſt igitur $\delta$d fluxio ordinatæ ad $\delta$D fluxionem abſciſſæ, ſicut conſtans recta a ad DA curvam. q. e. f.

*Coro-*

Fig. 2.





Fig. 3.






Fig. 1.



Digitized by Google

*Corollarium.*

Si recta D T tangat Catenariam, & axi B A producto occurrat in T, erit D B. B T : : ( d $\delta$. $\delta$D : : ) a. D A Curvam.

*Prop. 2. Theorema.*

*Fig. 1.* SI ad perpendiculum A B tanquam axem, vertice A, deſcribatur hyperbola æquilatera A H, cujus ſemi-axis A C æqualis a; & ad eundem axem & verticem, parabola A P cujus parameter æqualis quadruplo axi hyperbolæ, & producatur ſemper hyperbolæ ordinata H B, donec H F æqualis Curvæ A P: Dico Curvam F A D in quo puncta F & D verſantur (poſitis B D, B F æqualibus) eſſe Catenariam.

Vocetur A B x, erit B b = $\dot{x}$, & B H = $\sqrt{2ax + x^2}$. Unde ex methodo fluxionum, fluxio ipſius B H (ſive m h) = $\dfrac{a\dot{x} + x\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}}$. Rurſus quia parabolæ A P parameter = 8 a, erit B P = $\sqrt{8ax}$. Unde n p (hoc eſt fluxio ipſius B P) æqualis $\dfrac{2a\dot{x}}{\sqrt{2ax}}$. Quare fluxio Curvæ A P (= P p = $\sqrt{npq + Pnq}$) = $\sqrt{\dfrac{4a^2\dot{x}^2}{2ax} + \dot{x}^2}$ = $\sqrt{\dfrac{2a\dot{x}^2 + x\dot{x}^2}{x}}$ quæ, ducendo tam numeratorem quam denominatorem in $\sqrt{2a + x}$, = ) $\dfrac{2a\dot{x} + x\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}}$. Et cum H F ſit ubique = A P, erit fluxio H F rectæ, hoc eſt m h + s f = $\dfrac{2a\dot{x} + x\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}}$. Sed hactenus inventa eſt m h = $\dfrac{a\dot{x} + x\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}}$. Unde s f ſive fluxio ipſius B F ordinatæ ad axem Catenariæ, eſt

æqualis $\frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$. Et igitur fluxio Curvæ A F (ſive ipſa $Ff = \sqrt{sfq + Fsq} = \sqrt{\frac{a^2\dot{x}^2}{2ax+x^2} + \dot{x}^2}) = \frac{a\dot{x} + x\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$, cujus fluens modo oſtenſa eſt $\sqrt{2ax+x^2}$. Et igitur $AF = \sqrt{2ax+x^2}$.

Patetque fluxionem ordinatæ B F ſive $\frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$ eſſe ad $\dot{x}$ fluxionem abſciſſæ AB ſicut data a ad Curvam AF, quæ eſt ſuperius inventa Catenariæ proprietas. Igitur Catenariæ puncta recte determinantur per præcedentem conſtructionem. q. e. d.

## *Corollaria.*

1. Ex conſtructione patet, B F ordinatam Catenariæ æquari Curvæ parabolicæ A P, dempta B H correſpondente ordinata hyperbolæ conterminæ A H.

2. Ex demonſtratione conſtat, Catenariam Curvam A F æquari B H correſpondenti ordinatæ Conterminæ Hyperbolæ æquilateræ. Cum enim harum linearum fluxiones æquentur, & ſimul naſcantur ipſæ lineæ; patet illas ubique eſſe æquales. Unde data catena, dabitur A C ſive a, quippe æqualis ſemi-axi Hyperbolæ æquilateræ cujus vertex A, & ordinata ad abſciſſam A B catenæ A D eſt æqualis.

3. Catenariæ omnes ſunt inter ſe ſimiles, cum ex ſimili ſimiliium & ſimiliter poſitarum figurarum conſtructione generentur. Unde duæ rectæ ad Horizontem ſimiliter inclinatæ per Catenarum vertices ductæ abſcindent figuras ſimiles, & Catenarum portiones abſcindentibus rectis proportionales.

4. Si Catena Q A D ſuſpendatur a punctis Q & D inæqualiter altis, Curvæ pars F A D eadem manet, ac ſi ex punctis æquialtis F & D eſſet ſuſpenſa, quoniam nihil refert utrum punctum F affixum ſit vel non affixum ad planum verticale.

5. Si Catenæ vis trahens ſecundum directionem d D exponatur per D d, dividetur, ut vulgo notum, in vim ut d δ ſecundum directionem horizontalem, & vim ut δ D ſecundum directionem verticalem:

ſem: Igitur vis in Catenæ extremo directe accedendi ad axem, eſt ad vim in eodem deſcendendi ſecundum perpendiculum; ſive vis ſuſtinentis pars ſecundum directionem B D agens, eſt ad ejusdem partem ſecundum directionem D δ agentem, ut ſemi-axis Hyperbolæ conterminæ A H ad DA longitudinem Catenæ uſque ad verticem Curvæ: Unde data Catena ratio hæc datur. Et in eadem Catena nunc magis nunc minus laxe ſuſpenſa, vis iſta Horizontalis eſt ut Hyperbolæ conterminæ axis, cum D A eadem maneat ſi extrema æquialta ſint.

6. Catena in plano verticali, ſed ſitu inverſo, figuram ſervat, nec decidit, adeoque arcum ſeu fornicem facit tenuiſſimum: Hoc eſt ſphæræ minimæ rigidæ & lubricæ in inverſa Curva Catenaria diſpoſitæ, arcum conſtituunt cujus nulla pars ab aliis extrorſum vel introrſum propellitur; ſed manentibus infimis punctis immotis, virtute ſuæ figuræ ſuſtinetur. Cum enim punctorum Curvæ Catenariæ ſitus, partiumq; inclinatio ad Horizontem eadem ſit, ſive in ſitu F A D, ſive in ſitu inverſo, dummodo Curva ſit in plano ad Horizontē recto, patet illam æque ſervare figuram immutatam in uno ſitu ac in altero. Et e converſo ſolæ Catenariæ ſunt fornices ſive arcus legitimi: Et cujuscunque alterius figuræ Arcus ideo ſuſtinetur, quod in illius craſſitie quædam Catenaria incluſa ſit: Neque, ſi tenuiſſimus eſſet, partesque haberet lubricas ſuſtineretur. Ex præcedente Corol. 5. colligitur quali vi arcus, muros quibus inſiſtit extra propellit; nempe hæc eadem eſt cum parte vis Catenam ſuſtinentis, quæ ſecundum directionem Horizontalem trahit. Quæ enim in Catena introrſum trahit vis, in arcu Catenæ æquali, extrorſum propellit. Alia omnia de murorum quibus fornices, imponuntur firmitate requiſita, ex hac Theoria Geometrice determinantur, quæ in ædificiorum extructione præcipua ſunt.

7. Si loco gravitatis alia quælibet vis ſimiliter agens in lineam flexilem vires ſuas exerat, eadem producetur linea. V. g. Si ventus æquabilis ſupponatur, & ſecundum rectas datæ poſitione rectæ parallelas ſpirans, linea vento inflata eadem erit cum Catenaria. Nam cum omnia quæ in gravitate conſideravimus, in altera hac vi obtineant, patet eandem Curvam productum iri.

*Prop. 3. Theorema.*

*Fig. 2.* SI manente prædicta Hyperbola A H, per A ducatur recta G

AL axi AB normalis, & deſcribatur Curva KR ejus naturæ, ut BK ſit tertia proportionalis rectis BH & AC, & ad AC applicetur rectangulum AV æquale ſpatio interminato ABKRLA, erit F concurſus rectarum HB, VG ad Catenariam.

Nam ex conſtructione eſt $BK = \frac{a^2}{\sqrt{2ax + x^2}}$, quare fluxio ſpatii ABKRLA $= (BKkb = BK \times Bb =) \frac{a^2 \dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$. Cumque $BF = \frac{\text{ſpatio ABKRLA}}{AC}$, & AC detur, erit fluxio ipſius $BF = \frac{\text{fluxioni ſpatii ABKRLA}}{AC} = \frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$. Sed in præcedentis Prop. conſtructione, fluxio ordinatæ BF $= \frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$. Quare hæc conſtructio eodem redit cum conſtructione Prop. præcedentis, & conſequenter punctum F eſt ad Catenariam. q. e. d.

*Corollarium.*

Sicut in Prop. præced. Catenaria deſcribitur ex data longitudine Curvæ parabolicæ, ita in hac, illius deſcriptio pendet a quadratura ſpatii in quo $x^2 y^2 = a^4 - 2axy^2$. Nam y (ſive $BK) = \frac{a^2}{\sqrt{2ax+x^2}}$.

*Prop. 4. Theorema.*

*Fig. 1.* SPatium AGF ſub Catenaria AF & rectis FG, AG ad AB, BF parallelis comprehenſum, æquale eſt rectangulo ſub ſemi-axe AC, & DH intervallo applicatarum in Hyperbola & Catenaria.

Nam

Nam $\dot{D}\dot{H} =$ ($\dot{B}\dot{H} - \dot{B}\ddot{D} =$, ex Prop. 2. hujus, $\frac{a\dot{x} + x\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}} - \frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}} =$) $\frac{x\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}}$. Quare fluxio rectanguli ſub data AC & DH = ($\frac{ax\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}} = xx \frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}} = fsxFG =$) fluxioni ſpatii AGF. Cumque figuræ hæ ſimul naſcantur, ſequitur rectangulum ſub AC & DH æquari ſpatio AGF. q. e. d.

## *Corollarium.*

Hinc ſequitur ſpatium FAD, ſub Catena FAD & recta Horizontali FD comprehenſum, æquari rectangulo ſub FD & BA, dempto rectangulo ſub Hyperbolæ AH axe alterutro, & DH exceſſu rectæ BH, vel Curvæ AD, ſupra ordinatam BD.

## *Prop. 5. Theorema.*

*Fig. 1.* SI ad rectam AL applicetur rectangulum LE æquale ſpatio Hyperbolico ALH, erit E centrum Æquilibrii Curvæ Catenariæ AFD.

Concipiatur Curva gravis FA librari ſuper axe GL. Ex Centrobarycis conſtat momentum gravis FA exponi per ſuperficiem Cylindrici recti ſuper FA erecti, & reſecti plano per GL tranſeunte, cum plano Curvæ angulum ſemirectum faciente. Et hujus ſuperficiei fluxio, ſive $\dot{F}\dot{A} \times FG$, æqualis eſt fluxioni ſpatii ALH ſive $B\dot{H} \times HL$; quia $\dot{F}A$, $\dot{B}H$, item FG & HL æquantur. Ac propterea (cum ſimul naſcantur) dicta ſuperficies Cylindrici recti æqualis eſt ſpatio Hyperbolico ALH. Hoc proinde applicatum ad ipſum grave AF, vel illi æqualem rectam AL, facit latitudinem AE æqualem diſtantiæ centri gravitatis ab axe librationis GL. Unde Curvæ FAD, æqualiter ad utramque axeos AB partem jacentis, centrum æquilibrii eſt E. q. e. d.

## *Corollaria.*

1. Spatia ABHL, BAH, & AGF ſunt Arithmetice proportionalia

portionalia. Nam fluxio ſpatii ALH $= \left( \frac{a\dot{x}+x\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}\,xx \right.$ $= \frac{\overline{ax+x^2}\,x\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}} = \frac{\overline{2ax+x^2-ax}\,x\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}} = \dot{x}\sqrt{2ax+x^2} - \frac{ax\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}} = \Big)$ fluxioni ſpatii BAH, multatæ fluxione ſpatii AGF, per Prop. 4. hujus. Cumque hæ tres figuræ ſimul naſcantur, erit BAH — AGF = (ALH =) BL — BAH. Quare 2BAH = BL + AGF. Unde ſequitur ſpatia BL, BAH & AGF eſſe in proportione Arithmetica.

2. Catenæ centrum gravitatis eſt omnium linearum ejusdem longitudinis, eosdemque terminos habentium, infimum. Nam tantum deſcendet grave quantum poteſt. Cumque tantum deſcendat figura, quantum ejus centrum gravitatis deſcendit, ſe ſic diſponet linea gravis flexilis, ut ejus centrum gravitatis ſit inferius quam ſi aliam quamcunque figuram indueret. Atque ex hoc ſymptomate lineæ gravis flexilis, reliqua omnia facile deduci poſſent.

3. Si ſuper quaſcunque Curvas eandem longitudinem eosdemque terminos D & F cum Catenaria FAD habentes, erecti Cylindrici recti ſecentur plano per DF tranſeunte; ſuperficierum Cylindricarum ſic reſectarum maxima eſt quæ ſuper Catenariam inſiſtit. Hæ enim ſuperficies (ſi angulus ſub planis fuerit ſemirectus) ad ipſas Curvas (quæ ſunt in caſu præſenti longitudinis ejusdem) applicatæ, latitudines faciunt æquales diſtantiis centrorum gravitatis Curvarum a DF recta: Cum diſtantia hæc ſit in Catenaria maxima (ob maximum deſcenſum centri gravitatis) erit Cylindrica ſuperficies applicanda etiam maxima. Et quoniam ſuperficierum Cylindricarum reſectarum plano cum plano baſeos angulum quemvis continente, eadem eſt ratio atque cum dictus angulus eſt ſemirectus, patet propoſitum univerſaliter.

*Lemma.*

*Fig. 1.* SI in cujusvis Curvæ AFQ, deſcriptæ evolutione alterius Curvæ KV, ordinatam quamvis FB ad axem AB normalem,

lem, a correſpondente in K V puncto V demittatur normalis V R ordinatæ occurrens in R: Erunt, manente fluxione axeos A B eadem, fluxio fluxionis ordinatæ B F, fluxio Curvæ A F, & recta F R continue proportionales.

Producatur rectula F f donec proximæ ordinatæ w φ occurrat in o. Et quoniam ex hypotheſi F s = f w, erit o f = F f, adeoque o φ erit fluxio ipſius f s, hoc eſt fluxio fluxionis ordinatæ. Porro triangula o φ f, f F R ſunt æquiangula, quia o φ f = alterno f F R, & f o φ = (F f r =) F f R, quia illorum intervallum R f r alterutrius reſpectu evaneſcit, cum R r præ f r nulla ſit. Et igitur o φ. φ f :: f F. F R: ſed φ f, f F æquales ſunt, cum fluxione utriuſvis tantum differant. Quare o φ. f F :: f F. F R. q. e. d.

*Prop. 6. Problema.*

*Fig. 1.* Invenire Curvam K V, cujus evolutione Catenaria A F Q deſcribitur.

Vocetur ut prius A B, x; item B F, y. Eſt, ex Prop. 2 hujus, $\dot{y} = \frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$, ſive $2ax\dot{y}^2 + x^2\dot{y}^2 = a^2\dot{x}^2$. Quare, per ſatis nunc uſurpatam *Neutoni* methodum, $2a\dot{x}\dot{y}^2 + 4ax\dot{y}\ddot{y} + 2x\dot{x}\dot{y}^2 + 2x^2\dot{y}\ddot{y}$ ($= 2a^2\dot{x}\ddot{x}$ quæ, propter $\ddot{x} = o$ cum conſtans $\dot{x}$ non fluat) $= o$. Quare $\ddot{y} = \left(\frac{-a\dot{x}\dot{y} - x\dot{x}\dot{y}}{2ax+x^2} =\right)$ $\frac{-\overline{a+x}}{2ax+x^2}$ in $\frac{a\dot{x}^2}{\sqrt{2ax+x^2}}$, ponendo loco $\dot{y}$, ejus valorem $\frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$. (Nam ſignum — quantitati $\ddot{y}$ præfixum, tantum denotat locum puncti R ex F ſpectati, oppoſitum eſſe loco puncti F ex B ſpectati, cum curva A F Q eſt cava verſus axem A B) Et F f, per Prop. 2 hujus, $= \frac{\overline{a+x} \text{ in } \dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$. Quare per præcedens Lemma,

$$FR = \left(\frac{Ffq}{\ddot{y}} = \frac{\overline{a+x}^2 \text{ in } \dot{x}^2}{2ax+x^2} \text{ in } \frac{2ax+x^2 \text{ in } \sqrt{2ax+x^2}}{a+x \text{ in } a\dot{x}^2} =\right)$$

Rr a+

$\frac{a \pm x \text{ in } \sqrt{2ax \pm x^2}}{a}$. Rurſus ob triangula rectangula Fsf, FRV, habentia angulos fFs, VFR æquales, quia VFs eſt utriusque complementum ad rectum, eſt Fs. sf :: FR. VR, ſive x. $\frac{ax}{\sqrt{2ax \pm x^2}}$ :: $\frac{a \pm x \text{ in } \sqrt{2ax \pm x^2}}{a}$. VR; quæ proinde æqualis $a \pm x$. Hæc igitur eſt natura curvæ KV, ut ſi AB vocetur x, erit FR $= \frac{a \pm x \text{ in } \sqrt{2ax \pm x^2}}{a}$, & VR $= a \pm x$. q. e. i.

*Corollaria.*

1. AC. CB :: BH. FR. Hæc enim eſt proprietas rectæ FR ſuperius inventa.

2. Recta CB æqualis eſt rectæ BI ſive VR. Utraque enim eſt æqualis $a \pm x$.

3. Recta evolvens VF eſt tertia proportionalis ipſis AC, CB. Nam ob æquiangula triangula fFs, VFR, eſt sF. Ff :: FR. VF. Sive x. $\frac{ax \pm xx}{\sqrt{2ax \pm x^2}}$ :: $\frac{a \pm x \text{ in } \sqrt{2ax \pm x^2}}{a}$. VF quæ proinde $= \frac{\overline{a \pm x}^2}{a}$. Unde a. $a \pm x$ :: $a \pm x$. VF, quæ præterea eſt radius circuli Catenæ in F æquicurvi.

4. Cum punctum F eſt in A, ſive cum vertex evolutione deſcribitur, id eſt cum $x = 0$, valor evolventis rectæ VF, quæ in hoc caſu eſt KA, nempe $\frac{\overline{a \pm x}^2}{a}$ fiet a: hoc eſt punctum K, ubi Curva VK occurrit axi, tantum extat ſupra Catenæ verticem A, quantum C deprimitur infra eundem. Unde diameter circuli, Catenæ ad verticem æquicurvi, æqualis eſt axi conterminæ Hyperbolæ AH. Adeoque Catenæ AD & Hyperbolæ AH eadem eſt curvatura in vertice A: Nam vulgo notum eſt circulum prædictum, Hyperbolæ æquila-

teræ

teræ A H in vertice A æquicurvum eſſe. Sed & hoc aliunde, ex ipſa Catenæ natura Prop. 2 hujus demonſtrata, conſtat. Nam naſcens FH ſive ( AP = naſcenti BP = ) $\sqrt{8ax}$ dupla eſt naſcentis B H ſive ( $\sqrt{2ax+x^2}$, hoc eſt, evaneſcente $x^2$, cum x minima ſit ) $\sqrt{2ax}$; Et igitur idem punctum eſt tam in naſcente Hyperbola quam naſcente Catenaria; h. e. Naſcens Hyperbola A H cum naſcente Catenaria A D coincidit, & proinde æquicurvæ ſunt hæ lineæ ad verticem A.

5. Curva K V eſt tertia proportionalis ad rectam A C, & curvam A F, ſive rectam A L. Ex natura enim evolutionis, $KV = ( VKA - KA = VF - KA = \frac{\overline{a+x}^2}{a} - a = \frac{a^2+2ax+x^2}{a} - a = ) \frac{2ax+x^2}{a}$. Et igitur a. $\sqrt{2ax+x^2}$ : : $\sqrt{2xa+x^2}$. KV. Sed $\sqrt{2ax+x^2}$, ex Corol. 2, Prop. 2, = AF. Unde A C. A F : : A F. K V.

6. Recta K I dupla eſt ipſius A B. Cum enim B I = ( B C = ) C A + A B, erit A I = C A + 2 A B; At A K = A C, per Corol. 4 hujus; Igitur K I = 2 A B.

7. Rectangulum ſub A C & B R eſt æquale duplo ſpatio hyperbolico B A H. Nam F R in A C = ( $\frac{\overline{a+x} \text{ in } \sqrt{2ax+x^2}}{a}$ in a = $\overline{a+x}$ in $\sqrt{2ax+x^2}$ = x in $\sqrt{2ax+x^2}$ + a in $\sqrt{2ax+x^2}$ = A B in B H + A C in B H = ) A B in B H + A C in B D + A C in D H. Quare F R in A C — B D in A C, hoc eſt B R in A C = A B in B H + A C in D H. Sed, per Prop. 4 hujus, A C in D H = A G F ſpatio. Et igitur B R in A C = ( A B H L + A G F = per Corol. 1, Prop. 5 ) 2 B A H.

*Prop. 7. Theorema.*

*Fig. 3.* SI in Curva Logarithmica L A G, cujus data ſubtangens H S æqualis rectæ a, Corol. 2, Prop. 2, hujus definitæ, ſumatur punctum A, cujus diſtantia ab H P aſymptoto, nempe A C, æqualis ſit ſubtangenti H S, & ex punctis H & P utcunque in aſymptoto ſumptis, a puncto C æqualiter diſtantibus, erigantur H L, P G ordinatæ ad Lo-

garithmicam, quarum ſemiſummæ ponatur æqualis HD vel PF, erunt D & F ad Catenariam rectæ A C correſpondentem.

Vocetur A B x, adeoque C B vel D H ſemiſumma ordinatarum H L, P G erit a + x; ſemidifferentia earundem vocetur y. Unde HL = a + x + y, & P G = a + x — y. Cumque ex natura Logarithmicæ, C A ſit inter has media proportionalis, erit $a^2 + 2ax + x^2 - y^2 = a^2$. Unde $y = \sqrt{2ax + x^2}$. Adeoque $HL = a + x + \sqrt{2ax + x^2}$ & $PG = a + x - \sqrt{2ax + x^2}$. Quare fluxio ipſius HL, ſive ipſa lm eſt $\frac{a\dot{x} + x\dot{x} + \dot{x}\sqrt{2ax + x^2}}{\sqrt{2ax + x^2}}$. Et ob æquiangula triangula lmL, LHS, eſt LH. HS : : lm . mL: unde mL ſive d $\delta$ fluxio ipſius BD $= \frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}}$. Hoc eſt Curva AD ex Logarithmica ſupradicto modo genita, ejus eſt naturæ, ut ſi axis vocetur x, ejusque fluxio $\dot{x}$, fluxio ordinatæ B D ſit $\frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}}$. Sed hæc ipſa eſt proprietas Catenariæ ad quam a pertinet, Prop. 1 hujus demonſtrata. Ergo Curva F A D ſuperius deſcripta eſt hæc ipſa Catenaria. q. e. d.

*Corollaria.*

1. Sicut ope Logarithmorum Catenaria deſcribitur, vice verſa ope Catenariæ per ipſam rerum naturam productæ, numeri dati vel potius rationis datæ Logarithmus invenitur. Ut ſi poſita C A unitate, cujus Logarithmus eſt nihilo æqualis, quæratur Logarithmus numeri C Q ſive rationis inter C A & C Q; Rectis C Q & C A tertia proportionalis ſit C V, ipſarumque CQ, CV ſemiſumma C B; ex B ordinata ad Catenariam, nempe BD eſt Logarithmus quæſitus. Ratio ex Propoſitione manifeſta eſt.

2. Viciſſim ſi dato Logarithmo CH vel C P, quæratur correſpondens numerus HL vel P G, ſeu ratio HL ad C A, ſive P G ad C A. Ex H vel P erigatur perpendiculum Catenæ occurrens in D vel F, ipſique H D vel P F hoc eſt C B, fiat æqualis C R ad horizontalem A R terminata; Eritque A R ſemidifferentia quæſitarum L H, G P, ſicut ex ſupra demonſtrata Catenæ natura H D vel C R eſt earundem ſemi-

ſemiſumma: (Nam in tribus quantitatibus Geometrice proportionalibus quales ſunt H L, C A, P G, quadratum ſemiſummæ extremarum multatum quadrato mediæ, æquatur quadrato ſemidifferentiæ extremarum.) Adeoque C R + A R, & C R — A R ſunt numeri H L vel G P, dato Logarithmo C H vel C P congrui.

3. Ex demonſtratione patet, quod ſicut H D ſemiſumma Logarithmicæ ordinatarum H L, P G, ad C H normaliter applicata in H, eſt ordinata Catenariæ, ſic ſemidifferentia earundem H L, P G, ad C A normaliter applicata in B eſt ordinata Hyperbolæ æquilateræ, centro C vertice A deſcriptæ: ac proinde (per Corol. 2, Prop. 2 hujus) æqualis Catenæ A D. Nam $y = \sqrt{2ax + x^2}$. Cumque Corol. præced. oſtenſum ſit, A R eſſe etiam ſemidifferentiam rectarum H L, P G; patet A R eſſe æqualem Catenariæ portioni A D. Unde obiter eluceſcit modus, data Catena A D, inveniendi C centrum Hyperbolæ conterminæ, vel punctum in aſymptoto Logarithmicæ G L. Nam ſi ſumatur A R æqualis Catenæ A D, & ex junctæ rectæ B R puncto medio erigatur ad ipſam B R normalis, hæc occurret B A axi Catenæ in quæſito puncto C, uti patet. Nam ſic erit C R = C B.

4. Hinc etiam ſequitur, ſi B D T angulus fiat æqualis A C R, rectam D T tangere Catenariam in D. Nam ſic fiet in triangulis æquiangulis D B T, C A R: D B. B T: : C A. A R, ſive huic æqualem A D curvam. Et igitur, per Corol. Prop. 1 hujus, D T tangit Catenariam.

5. Sequitur etiam, ſpatium A C H D æquari rectangulo ſub C A & A R. Nam quoniam A Y D eſt, per Prop. 4 æquale rectangulo ſub C A & (A D — B D =, per Corol. 3 hujus Prop. A R — A Y =) Y R, patet propoſitum. Et quoniam C A datur, conſtat ſpatium A C H D eſſe ſicut A D curva, illiusque fluxionem H d ſicut D d fluxio hujus.

6. Si per punctum K ubi C R ſecat H D, ducatur K Z parallela P H, rectæ A C occurrens in Z, ſumaturque C E æqualis ſemiſummæ ipſarum B C, C Z, erit E centrum Æquilibrii Curvæ F A D.

Intelligatur ſuper F A D erecta ſuperficies Cylindrici recti reſecti plano per P H ad angulos ſemirectos cum plano Curvæ F A D; Exponet hæc ſuperficies momentum Curvæ F A D ſuper axe P H libratæ, ejuſque fluxio eſt D H in D d + P F in F f

$= 2BC \text{ in } \dot{AD} = 2 \text{ in } a + x \text{ in } \frac{a\dot{x} + x\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}} = \frac{2a^2\dot{x} + 4ax\dot{x} + 2x^2\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$

$= \frac{a^2\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}} + \frac{a^2\dot{x} + ax\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}} + \frac{3ax\dot{x} + 2x^2\dot{x}}{\sqrt{2ax+x^2}}$ cujus fluens $a \text{ in } BD + a\sqrt{2ax+x^2} + x\sqrt{2ax+x^2} = CA \text{ in } BD + CB \text{ in } AD$. Quare $CA \text{ in } BD + CB \text{ in } AD$ = ( quoniam ſimul naſcitur, dictæ ſuperficiei Cylindricæ = ) momento Curvæ F A D ſuper axe P H libratæ, Unde diſtantia centri gravitatis Curvæ F A D a puncto C eſt $\frac{CA \text{ in } BD + CB \text{ in } AD}{2AD}$ ſive $\frac{1}{2}\frac{CA \text{ in } BD}{AD} + \frac{1}{2}CB$.

Porro ob ZK parallelam AR, eſt AD. BD : : ( AR. ZK : : ) CA. CZ: unde $CZ = \frac{CA \text{ in } BD}{AD}$, & igitur CE, quæ per conſtructionem eſt $= \frac{1}{2}BC + \frac{1}{2}CZ$, erit $= \frac{1}{2}\frac{CA \text{ in } BD}{AD} + \frac{1}{2}BC$: hoc eſt Curvæ F A D centrum gravitatis, & E punctum ex conſtructione definitum, æqualiter diſtant a C; ſed & in eadem recta & verſus eaſdem partes ſita ſunt, ergo coincidunt illa.

Poteſt & coincidentia puncti E ut ſupra determinati, cum centro æquilibrii Prop. 5 hujus definito, ſynthetice ſic oſtendi.

Per Corol. 1, Prop. 5, 2 BAX = AYD + BA in AR. Unde AH + 2 BAX = ( ACHD + BA in AR = per præced. Corol. ) AR in CA + BA in AR: hoc eſt BD in AC + 2 BAX = AR in CB; ſive BD in AC = AR in CB − 2 BAX. Unde BD in AC + AD in BC = ( AD in BC + AR in CB − 2 BAX = 2 AD in BC − 2 BAX = ) 2 AD in AC + 2 AD in AB − 2 BAX. Et applicando ad 2 AD, erit $\frac{1}{2}\frac{BD \text{ in } AC}{AD} + \frac{1}{2}BC = ( AC + \frac{AB \text{ in } AD - BAX}{AD} = ) CA + \frac{ARX}{AR}$. Sed $\frac{ARX}{AR}$ eſt diſtantia centri æquilibrii Catenæ a vertice A, per Prop 5 hu-

hujus determinata, ac proinde, ſecundum dictam Prop. 5, $CA + \frac{ARX}{AR}$ eſt diſtantia puncti E a C, & $\frac{1}{2}\,\frac{BD\,in\,AC}{AD} + \frac{1}{2}BC$ eſt ejusdem E diſtantia ab eodem C, ſecundum hoc Corol. 6. Unde patet duas iſtas determinationes puncti E eodem recidere, quoniam $CA + \frac{ARX}{AR} = \frac{1}{2}\,\frac{BD\,in\,AC}{AD} + \frac{1}{2}BC$.

7. Spatii PFADH centrum gravitatis eſt in I, medio puncto rectæ CE. Cum centrum gravitatis fluxionis ipſius AD ſive Dd & Ff, duplo magis diſtet a PH, quam centrum gravitatis fluxionis ipſius ACHD, ſive DHhd & FPpf, & $\overline{Dd + Ff}$ in AC datam, æquale DdhH + FfpP; patet & fluentis FAD centrum gravitatis E duplo magis diſtare a PH, quam fluentis PFADH centrum I. Sed libet propoſitum aliter & ad modum ſuperiorum oſtendere.

Intelligatur ſuper figura PFADH erectus Cylindricus rectus & reſectus plano per PH tranſeunte, cum plano baſeos angulum ſemirectum comprehendente; exponet iſtud ſolidum, momentum figuræ PFADH ſuper axe PH libratæ: Hujusque ſolidi ſive prædicti momenti fluxio, (ſolida nempe erecta ſuper PFfp & HDdh) producitur, ſi momentum fluxionis, ſive fluxio momenti ipſius AD, ducatur in $\frac{1}{2}$ AC datam. Nam per Corol. 5 hujus Prop. HDdh = Dd in AC: Quare ipſum momentum fluens producitur ducendo momentum Curvæ FAD reſpectu axis PH, ſuperiore Corol. determinatum, nempe CA in ED + CB in AD, in $\frac{1}{2}$ AC; eritque proinde $\frac{1}{2}$ AC in AC in ED + $\frac{1}{2}$ AC in CB in AD. Adeoq; ſi hoc applicetur ad figuram libratam PFADH, ſive 2 CA in AD, per hujus Prop. Corol. 5, fiet diſtantia centri gravitatis figuræ PFADH ab axe PH $= (\frac{1}{4}\,\frac{CA\,in\,ED}{AD} + \frac{1}{4}CB =)$ dimidiæ rectæ CE ſuperius determinatæ.

8. Si per N punctum ubi DT tangens Catenariam in D, ſecat AR, ducatur recta parallela ipſi BC, occurrens rectæ per E ad AR parallelæ in O; erit O centrum gravitatis curvæ AD. Nam per Corol. 6, centrum gravitatis curvæ AD eſt in recta EO, ſed demonſtrabi-

ſtrabitur illud eſſe in N O recta, & proinde erit ipſum O punctum. Intelligatur D A librari circa H L axem; hujus momentum eſt curva D A, ducta in diſtantiam centri gravitatis ab H L: Et ejus proinde fluxio = D A in H h (H h eſt fluxio diſtantiæ axis librationis a gravitatis centro) $= \sqrt{2ax + x^2}$ in $\frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}} = a\dot{x}$. Ac proinde ipſum momentum Curvæ gravis D A circa axem H L libratæ = a x. Et igitur diſtantia centri gravitatis ab eodem axe eſt a x applicata ad A D, ſive $\frac{AC \text{ in } DY}{AR}$. Sed quia D T tangit Catenariam, per Corol. 4 hujus Prop. angulus B D T ſive D N Y = A C R, & anguli ad A & Y ſunt recti, quare in triangulis æquiangulis R A C, D Y N; R A. A C :: D Y. Y N. Unde Y N $= \frac{AC \text{ in } DY}{RA}$, hoc eſt Y N eſt diſtantia centri gravitatis Catenæ A D ab axe H L, ſive centrum prædictum eſt in recta N O.

9. Si per I ducatur recta ad A R parallela, rectæ O N productæ occurrens in W, erit W centrum gravitatis ſpatii A C H D. Nam per Corol. 7, centrum gravitatis ſpatii A C H D eſt in recta I W, ſed ut mox oſtendetur, eſt in N W, & proinde eſt ipſum W punctum. Eodem enim modo quo in Corol. præced. fluxio momenti ſpatii A C H D, circa H L librati, oſtenditur eſſe (A C H D in H h = A C in A D in H h = a in $\sqrt{2ax + x^2}$ in $\frac{a\dot{x}}{\sqrt{2ax + x^2}} = a^2\dot{x}$. Ac proinde ipſum momentum ſpatii A C H D circa axem H L librati, æquale eſt fluenti cujus $a^2\dot{x}$ eſt fluxio, hoc eſt ipſi $a^2 x$. Hoc igitur applicatum ad ipſum ſpatium A C H D ſive a in $\sqrt{2ax + x^2}$, dat diſtantiam centri gravitatis ſpatii A C H D ab H L $= \frac{ax}{\sqrt{2ax + x^2}} = \frac{AC \text{ in } DY}{RA}$. Sed Corol. præced. oſtenſa eſt Y N $= \frac{AC \text{ in } DY}{RA}$. Et igitur centrum gravitatis ſpatii A C H D eſt in N W. Atque ex duobus hiſce ulti-

ultimis Corollariis invenitur centrum gravitatis cujusvis portionis Catenæ etiam ad verticem A non pertingentis; vel cujusvis ſpatii Catenariæ portione quavis, & aliis rectis præter prædictas comprehenſi.

10. Hinc menſurantur ſuperficies & ſolida genita rotatione Catenæ, aut ſpatii ſub illa & rectis comprehenſi, circa axes datos. Nam figura rotatione genita æquatur, uti vulgo notum, figuræ rotatæ ductæ in peripheriam a centro gravitatis inter rotandum percurſam, etiam datam cum detur illius radius ſive diſtantia centri gravitatis ab axe dato. Sic ſi Catena AD rotetur circa axem AB, $\frac{\pi}{\rho}$ AN eſt peripheria a centro gravitatis O percurſa, ($\frac{\pi}{\rho}$ denotat rationem peripheriæ circuli ad ſemidiametrum) adeoque ſuperficies rotatione Catenæ AD genita $=$ ($\frac{\pi}{\rho}$ in AN in AD $=$) $\frac{\pi}{\rho}$ in AN in AR. Hoc eſt circulus cujus radius poteſt duplum rectangulum RAN, æquabitur ſuperficiei a Catenæ AD rotatione circa axem AB genitæ. Pari modo ſolidum genitum rotatione ſpatii ACHD circa AC, æquale oſtendetur Cylindro cujus baſis eſt prædictus circulus, altitudo vero æqualis AC. Similiterque ſuperficies & ſolida, ex rotatione harum figurarum circa alios quosvis datos axes facta menſurantur. Nam dato centro gravitatis hæc non latebunt.

## ERRATA.

p. 308, lin. 3, l. $\frac{a^2 x^2}{2ax + x^2} + x^2$: p. 309, lin. 17 l. Horizontem, lin. ult. l. AL: p. 310, lin. 7, l. BK in Bb: p. 311, lin. 4, l. $=$ x in; eadem, l. fs in FG; lin. 20, l. FA in FG; eadem, l. BH in HC: p. 312, lin. 2 in fine, l. in x; lin. 3, Numeratores fr. ita legantur, $\overline{2x + x^2}$ in x, $\overline{2ax + x^2} - ax$ in x.

*ANTIQUITAS ECCLESIÆ ILLUSTRATA, OPERA ET STUDIO EMANUELIS ASCHELSTRATE. Tomus Secundus.*

Romæ, typis Congregationis de propaganda fide, 1697. fol.
Alphab. 10.

POſthumum hoc Illuſtris & a nobis ſæpe laudati Auctoris Opus, quod lucem aſpexiſſe publicam jam A. 1693 ſub finem menſis Februarii p. 95, & menſe Majo p. 195 in Actis noſtris diximus, anno demum ſuperiori 1697 prelum evaſit, monuitque nos ille, qui ad Lectorem quædam eſt præfatus, libroſque a celeberrimo Schelſtrateno editos (ac magnam partem ſuo loco a nobis etiam recenſitos,) enumerat, quod *Illuſtratæ* ab ipſo *Antiquitatis Eccleſiæ* Tomus *quartus*, *quintus* atque *ſextus* lucem nunquam aſpecturi ſint; Tomum autem *tertium* ita ab Auctore recognitum quidem ait, ut ex illius jam morientis teſtimonio dignus, qui typis exſcriberetur, pronunciatus fuerit, appendice tamen cum careat, eum aliquando vulgatum iri nondum ſatis manifeſtum eſſe addit. Quatuor interim poſteriorum ideam atque diſpoſitionem ex ſcheda poſt Auctoris obitum reperta exhibet, atque ex operibus, quæ imperfecta is reliquit, illud imprimis, quo *modum ex forma characterum ſive Latinorum ſive Græcorum ſcripturæ vetuſtatem dignoſcendi* monſtrare inſtituerit, ad umbilicum haud perductum maximopere dolet. In *Geographico* autem hoc, quod *Chronologicum* menſe Majo A. 1693 a nobis delineatum excipit, deducuntur ea prolixius, quæ olim in editione Antiquitatis illuſtratæ A. 1678 facta in prima & ſecunda partis primæ Diſſertatione conciſius examinaverat, inque eo totus Auctor eſt, ut & ſuſceptam a Chriſto Eccleſiæ inſtitutionem, & diſpoſitam ejusdem ab Apoſtolis ordinationem dilucidet; quod quidem negotium ſex Diſſertationibus, peculiari inſuper Appendice ſtipatis, abſolvit.

In *prima* de locis iſtis agit, *ubi Chriſtus & Apoſtoli fidem prædicarunt*, cumque in Judaicis regionibus Evangelium primo omnium perſonuiſſe indubium exiſtimet, de his etiam ſub ipſum ſtatim initium nonnulla diſſerit. Recenſitis autem variis Judææ nominibus, de illius terminis factaque in tribus ac tetrarchias diviſione multa commentatur. Et tetrarchias quidem tempore Chriſti quatuor fuiſſe obſervat. Sicut autem Ituræ & Trachonitidis regiones ad Philippi tetrarchiam ſpectaſſe innuit, ita ſub Trachonitidis nomine apud Lucam Gaulanitidis & Balanææ regiones comprehendi ſtatuit. Ad

Hero-

Herodis Antipæ tetrarchiam, cujus ibidem Lucas meminit, Galilææ & Perææ regiones refert, in quarum ultima Johannem Baptiſtam verſatum, inque arce Machærunte decollatum, reliquias autem ejus Sebaſtem translatas dicit, ac Joannem proinde Phocam corrigit, qui in edito per Leonem Allatium itinerario Sebaſte eum ab Herode capite minutum aſſeruit. Galilæam Gentium non ideo ſic vocatam cenſet, quod a reliqua Galilæa per Romanos ſeparata fuerit, ſed nomen iſtud ei inditum potius a civitatibus, quas Salomon Hiramo Tyriorum Regi dederit. Circa tetrarchiam quartam, Samariam, Judæam & Idumæam complectentem, notat, eam a Luca ſub conſueto tetrarchiæ nomine non adduci, utpote qui potius affirmet, procuraſſe Pontium Pilatum Judæam, idque ideo factum cenſet, quod hæc Archelai tetrarchia a Romanis in provinciam redacta Syriæque contributa, & eam ob rem a Romanorum Procuratore gubernata fuerit. Chriſtum αὐτοπροσώπως in gentilium regionibus Evangelium prædicaſſe negat, ac ad partes quidem Tyri & Sidonis eum acceſſiſſe, non prædicandi tamen animo, contendit. Per totam vero Judæam, ejusque regiones trans & citra Jordanem poſitas, Chriſtum æque ac Apoſtolos præconio hoc defunctos oſtendit. Poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtolos Hieroſolymis in domo Johannis, usquedum Spiritum Sanctum acciperent, remanſiſſe; hoc autem in ipſos cœlitus demiſſo, non ſtatim per regiones diſperſos, nec niſi poſt longum ſatis ab aſcenſione Chriſti tempus, dubium an ſorte, an modo forſan alio diviſos fuiſſe edocet. Provincias ſingulis Apoſtolis aſſignatas ex Hyppoliti, Epiſcopi Portuenſis, Synopſi a Combefiſio edita recenſet, & hanc, utut ab Hyppolito ſcripta forſan non fuerit, Synopſi tamen ſub Dorothei Tyrenſis nomine ſæpius editæ præfert, quippe in qua non pauca incertis dubiisq; hiſtoriis nitantur, quædam etiam veritati palam repugnent. Idem de ſeptuaginta Diſcipulorum Catalogo ſub ejusdem Dorothei nomine a Domino du Cange vulgato pronunciat, ac ſinceriorem iſtorum ſyllabum ex Chronico Alexandrino adducit. Quinam autem ex his, & quibus in locis prædicarint, inveſtigatu nimis difficile apparere queritur. Explicatis deniq; rationibus, cur brevi adeo temporis ſpatio totum orbem Evangelii ſonus pervaſerit, annales prædicationis Apoſtolicæ diſtinctius paulo conſpiciendos dat.

In Diſſertatione *ſecunda* quæſtiones ab omnibus fere Theologis, ut ait, atque Eruditis prætermiſſas pertractat: *quam* nimirum *au-*

*ctoritatem Apoſtoli a Chriſto acceperint? & in quibus muniis obeundis auctoritate pares? quæque ex his cum aliis, quam Apoſtolis, divinitus communicata fuerint?* Ubi primo quidem Apoſtolorum in miſſione, in Evangelii per totum mundum prædicatione, in docendi officio, in librorum edendorum facultate, in linguarum & miraculorum dono, in confectione & adminiſtratione Sacramentorum, ſigillatim Baptismi & Euchariſtiæ, in poteſtate ſolvendi & ligandi peccatores, ac denique in poteſtate conſecrandi Epiſcopos & ordinandi Miniſtros, auctoritatem parem agnoſcit. Munus Apoſtolis proprium regimen Eccleſiæ appellat; doctrinæ autem propalationem, miraculorum virtutem, poteſtatem ordinis & Sacramentorum confectionem, ad alios etiam, Diſcipulos puta, Presbyteros, Epiſcopos, & ſimiles transmiſſa autumat. Negat vero ad ejusmodi perſonas translatam univerſalem jurisdictionem, quam ſibi reſervarint Apoſtoli; quamvis neque ex his ſinguli ſolicitudinem Eccleſiarum omnium ſemper, ſed exortis modo novis ſubinde hæreſibus, exercuerint. Petrum tamen & Paulum tanquam in perpetuo univerſalis curæ ſtudio occupatos introducit. Hanc ipſam porro univerſalem ſolicitudinem ad nullam omnino Eccleſiarum a reliquis Apoſtolis fundatarum alligatam, per inductionem earundem ſpecialiorem, adverſus Marcum Antonium de Dominis prolixius oſtendere, aſt in Petri tamen cathedra ad ſucceſſores transmiſſam eam fuiſſe, multis rationibus probare, Apoſtolique hujus primatum velut in Scripturæ ſacræ dictis, Conciliorum generalium actis, Pontificum decretis, antiquorum Patrum teſtimoniis, Græcorum Latinorumque ſcriptis, Pariſienſis quoque Univerſitatis, & perpetuo Gallicanæ aliarumque Eccleſiarum conſenſu affatim fundatum ſiſtere annititur.

*Tertia* Diſſertatione inquirit, *quænam ea ſit Eccleſia, in qua Petrus ſuam cathedram conſtituerit?* ac Romanam eam eſſe reſpondet, utque hoc obtineat, pro certo ante omnia ſupponit, quod Petrus Romam venerit: quam aſſertionem uti ex argumentis quibusdam aliis, ita ex Ignatii imprimis, Irenæi, Papiæ, Tertulliani, Euſebii, Origenis, Petri Alexandrini, Athanaſii, Epiphanii, & eos ſequentium teſtimoniis roborare; ac Romanum porro eum Epiſcopum egiſſe, parili modo evincere; hinc Romanos Epiſcopos Petro in ſede Epiſcopali & in Cathedra Apoſtolica ſucceſſiſſe, eosque Apoſtolicam auctoritatem per univerſum orbem ſemper tenuiſſe, petito ex ſingulis ſeculis ſuffragio mani-

manifeſtum reddere laborat; prout omnes quoque totius orbis Eccleſias primatum Romani Pontificis agnoviſſe contendit, &, ut hoc probet eo dilucidius, ad præcipuarum ex iis aſſenſum provocat. In Palæſtina enim Theophilum Cæſareenſem in quæſtione de Paſchatis die, & Aurelianum Imperatorem in cauſa Pauli Samoſateni, de primatu Pontificis Romani teſtimonium edidiſſe; quarto ſeculo, occaſione controverſiæ de ſede Antiochena, Hieronymum cum monachis Syriæ, eos item, qui de ſede Antiochena contenderint, pluresque auctoritatem illius ſupremam agnoviſſe colligit. Quidnam Ponti regio, Aſiaque & Thracia de hoc Pontificis primatu ſenſerit, ex facto Marcionis Pontici, & ex iis, quæ emergente ſchismate Novatiano contigere, aliisque rebus geſtis commonſtrat, ſimili methodo circa allegandas Illyrici, Galliarum, Hiſpaniarum, Africæ, Ægypti, cæterarumque regionum Eccleſias, Romanum Pontificem pro ſupremo Epiſcopo venerantes, uſus.

*Quarta* Diſſertatio verſatur circa inſtitutos ab Apoſtolis in urbibus *Epiſcopos*, & in provinciis *Metropolitanos*; ubi diſpoſitionem provinciarum Eccleſiaſticarum juxta diſpoſitionem provinciarum Imperii factam reputat, eaque fini variam Imperii in Diœceſes & Provincias diſtributionem, regimenque earum ſub uno aut pluribus Imperatoribus ad Barbarorum usque invaſionem examinat. Ab ipſo autem naſcentis Eccleſiæ exordio hanc diſtributionem per Apoſtolos quoque factam, ſingulisque primum civitatibus veros Epiſcopos præfectos contendit, Salmaſium & alios, qui demum poſt Apoſtolorum tempora conſuetudinem hanc introductam ſtatuant, refellere laborans. Quamvis interim Patrum aliqui Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores nuncupent, ſano tamen ſenſu id accipiendum venire monet, ut nimirum in partem modo ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis & univerſalis gubernationis eosdem vocatos exiſtimes, cum Epiſcopis ſane in aliorum diœceſes poteſtas nulla uspiam conceſſa reperiatur. Sicut autem Auguſti temporibus Imperium diſtribui contigerit in provincias, quibus ſingulis aut Exconſules aut Prætores præfuerint, civitatem autem, in qua Magiſtratus ille ſederit, metropolin vocare uſus tulerit; ſic inde ab Apoſtolorum temporibus Metropolitanorum inſtitutionem obtinuiſſe affirmat. In Italia quidem primis hoc ſeculis uſu haud veniſſe, cum ibi Eccleſia civilem adminiſtratio-

nem aliquandiu ſecuta, non metropoles ſeptendecim pro totidem regionum aut provinciarum numero, ſed duas tantum, Romanam & Mediolanenſem, habuerit. Italiam namque in duas partes diviſam poſtea duobus Vicariis, Vicario puta Italiæ & Vicario Urbis, ſubjectam fuiſſe; unde etiam Epiſcopus Mediolanenſis tanquam Metropolitanus ſeptem regiones Vicarii Italiæ, & Romanus decem alias ſubjectas ſibi direxerit. Quo tamen pacto reliquæ deinceps metropolitanæ in Italia dignitates initia ſua ſumſerint, latius demonſtrat, provinciarumque tum Orientalium tum Occidentalium aliarum Metropolitas vindicat.

Sicut ergo Apoſtolos in provinciis ſuper plures Epiſcopos certos conſtituiſſe Metropolitanos hactenus aſſeruit, ita in majoribus Orientalis Imperii diœceſibus, quæ ſingulæ plures ſub ſe provincias complectebantur, majores etiam ex inſtituto Apoſtolico Eccleſiaſticas dignitates ordinatas refert, *Exarchorum* nempe & *Patriarcharum*, quos in Diſſertatione *quinta* contemplatur. Equidem & Orientis in quinque diœceſes diſtributionem quarto demum ſeculo ſub Conſtantino M. cœpiſſe, & Exarchorum dignitatem eandem ſubſecutam eſſe, nonnullos contendere obſervat. Verum iſtis ſe quam maxime opponit, & ad Apoſtolorum tempora regredi heic quemlibet debere flagitat. Exarchos autem conſtitutos vult in Aſiana, Pontica & Thracica diœceſibus, ſic ut prima antiquiſſimis temporibus paruerit Epiſcopo Epheſino, ſecunda Cæſareenſi Cappadociæ, tertiaque Heracleenſi, usquedum Byzantium ſedes Romani Imperii evaſerit, ejusque Epiſcopi Regiæ urbis ſplendore elati, Exarchatus modo nominatos invadentes, Patriarchicum in illos jus ſibimet aſſumſerint. Quod deinceps ad Patriarchatus attinet, nondum quidem Apoſtolorum tempore cognitum hoc nomen, rem tamen notiſſimam fuiſſe edocet; primamque ſedem Patriarchalem erexiſſe Petrum Antiochiæ, ſecundam Alexandriæ, quorſum diſcipulum ſuum Marcum miſerit. Juris enim Patriarchalis teſſera potiſſimum cum ſit, Metropolitas conſecrare, convocare Epiſcopos ad Concilia, deque cauſis illorum cognoſcere; non poſſe certe ab hac dignitate excludi Epiſcopum Alexandrinum, qui per totam Ægyptum, & Antiochenum, qui per Orientis diœceſin actus iſtos exercuerit; quæ cuncta latius probat, adductis antiquorum teſtimoniis, & rejectis Joannis Launoji ac Eduardi Stillingfleet ſententiis, quorum ille Patriarchas olim eosdem ac Metropolitas fuiſſe, hic vero Patriarchas

chas ante Nicænum Concilium nullosMetropolitas ſub ſe habuiſſe autumet. De cætero exemplum Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum,tres Exarchatus ſibi ſubjicientium,imitatos refert EpiscoposHieroſolymitanos,dum in avulſas a Patriarchatu Antiocheno tres Palæſtinas jus Patriarchicum ſibi vindicarint; ſed hæc quinto demum ſeculo contigiſſe memorat.

*Sexta* tandem Diſſertatio *Patriarchatum Romanum* prolixis effertlaudibus, Salmaſioque primum contradicit & ſequacibus, qui Romani Pontificis auctoritatem intra regiones ſuburbicarias arctaverint; has enim iſti paruiſſe regerit tanquam Metropolitæ, cujus provincia Eccleſiaſtica pro dignitate ſedis Apoſtolicæ per decem regiones ſuburbicarias a Tuſcia & Umbria usque ad Siciliam protenſa fuerit. Ad quem ſenſum collimare vult Canonem Concilii Nicæni ſexti, in quo ſtatuatur, ut Epiſcopus Alexandrinus poteſtatem habeat Ægypti, Lybiæ & Pentapolis, quia Epiſcopo Romano parilis mos ſit, ut nimirum regiones ſuburbicarias, ſicut habeat Ruffini paraphraſis, ſpeciali ſolicitudine gubernet. Aſt præter haſce regiones totius quoque Occidentis Patriarcham ſemper egiſſe PontificemRomanum,late probat ex juribus tali perſonæ competentibus, quæ nunquam non per Occidentem totum libera huic relicta legantur, in ordinandis Metropolitis & firmandis ſuo judicio Epiſcoporum electionibus, in convocatione Epiſcoporum ad Synodum, in relationibus & judiciis de cauſis majoribus, inque rebus ejuscemodi aliis, circa quas nulla Occidentis Eccleſia ſe ei unquam oppoſuerit. Quibus deductis quærit: num contra Romanum Epiſcopum creari poſſit alius in Occidente Patriarcha? & cum reſponſio heic ſuppeditanda dependeat a ſolutione quæſtionis hujus: utrum nempe Pontifex ſit centrum, radix & caput communionis Eccleſiaſticæ? hac ipſa affirmata, priorem pernegat, omnemque orthodoxam ſub cœlo Eccleſiam ſeparationem iſthanc abhorrere ſcribit. Imprimis eam deteſtatam ait Gallicanam Eccleſiam, occaſione libelli, cui titulus: Optatus Gallus de cavendo ſchismate. Dum enim in eo Auctor præſagium futuri ſchismatis ex Patriarchæ per Gallias creatione avertere ſtuduerit,putaſſe Eruditos,ſub ementito cavendi ſchismatis titulo auctorem illud voluiſſe promovere;unde libellum ceu ſchismatis incentivum ſic perhorruerit Eccleſia Gallicana, ut ſtatim Archi-Epiſcopus Pariſienſis in Provinciali ſuo Concilio Pariſiis A.

1640

1640 celebrato illum proſcripſerit, & tanquam nefarium opus execratus fuerit; prout & plerique Galliæ Doctores, imprimis vero De Marca & Habertius, eundem libellum oppugnarint, quorum poſtremus cauſam inſuper Cardinalis Richelii, quem Optatus de Patriarchatus ambitione accuſaverat, ſtrenue ſuſtinuerit. Ne vero quisquam ex iis, quæ de Patriarchatus Romani terminis dicta ſunt, concludat, poteſtatem Pontificiam Occidentis modo limitibus contineri, ſubjungit, quod, quamvis Patriarchatum Occidentis ſuis Petrus ſucceſſoribus præcipue reliquerit, id tamen nihil officiat ſummo Primatui, ratione cujus ſucceſſores ejusdem totius Eccleſiæ curam gerant, & non modo Occidentis Epiſcopis & Metropolitis, verum Orientis quoque Patriarchis prælati, ad eorum diœceſes ſolicitudinem ſuam Pontificiam merito extendant.

Sequitur *Appendix*, antiquas Imperii & Eccleſiæ, inque hac Patriarchatuum, Metropoleon & Epiſcopatuum orbis Catholici Notitias, ex variis manuſcriptis codicibus tum Græcis tum Latinis maximam partem nunc primum editas comprehendens. Eminet inter eas *Itinerarium*, ſub nomine Antonini Auguſti clarum, Hieroclis item Grammatici *Comes peregrinationis* ſeu *Notitia Provinciarum* cum collatione facta a Luca Holſtenio, & *Supplementum* ejusdem Auctoris per eundem Holſtenium ex codice antiquiſſimo Farneſiano deſcriptum, nec non Nili Doxapatrii commentarius *de quinque thronis Patriarchalibus*. Tractatus vero hos non minus atque reliquos notis ſubinde neceſſariis illuſtrat, quæque de eorum auctoribus hactenus latuere, explicat, præſertim vero de Hierocle primus, uti opinatur, obſervat, quod ille ante Conſtantinum Porphyrogenitum vixerit, eo quod hic ſecundo de thematibus libro quædam ex ejus Commentario Geographico adduxerit. Cum autem, uti ſupra retulimus, primos Eccleſiarum fundatores, in diſtributione provinciarum ordinem provinciarum Imperii imitatos ſentiat, idcirco ad hanc materiam dilucidandam plurimum ſe collaturum credidit, ſi in primam Romanarum provinciarum inſtitutionem inquireret, & quæ in Scriptoribus eo facientia repererat, in medium adduceret. Præſtat id in *Diſſertatione Appendici præmiſſa*, in qua undecim capitibus totidem Romanarum diœceſium provincias perluſtrat, & quo tempore ſingulæ inſtitutæ ſint, ex antiquiſſimis gentis illius monumentis demonſtrare ſatagit,

De

De cætero utut in Præfatione, in qua inſtitutum hujus Operis univerſum Auctor ipſe deſcribit, *Chartas* quoque ſeu *Tabulas Geographicas*, dicta præcipua egregie illuſtraturas, magno labore confeciſſe & paſſim inſeruiſſe ſe perhibeat, fruſtra tamen eas quis quæſiverit, cum, quod in præfamine alio teſtatur is, qui Editoris partes ſuſtinuit, ſupremam eæ manum adhuc deſiderent, quam tamen verſatiſſimus in Geographia Lubinus, etiamſi rogatus, admovere detrectaverit.

## *DANIELIS GEORGII MORHOFII ORATIONES ET PROGRAMMATA.*

Hamburgi ſumtibus Goth. Libernickels, 1698, in 8.
Conſtat 3 Alph.

QUi dicendi artes legesque carminis magna, dum viveret, laude profeſſus eſt *Dan. Georgius Morhofius*, æternum Kilonienſis Academiæ ornamentum; idem & Oratoris & Poetæ nomen decusque raro exemplo egregie ſuſtinuit; quod nec Ciceroni nec Virgilio contigiſſe ſcimus. Illum enim, ut jam olim Caſſius Severus judicavit, eloquentia ſua in carminibus deſtituit: hunc felicitas ingenii in oratione ſoluta reliquit. Quæ vero Morhofii fuerit in carmine pangendo felicitas, opera ejus Poetica teſtantur, ab hæredibus in unum collecta corpus, & cum Henr. Muhlii doctiſſima præfatione edita, in Actis ſuperioris anni menſe Junio indicata. Ejusdem nunc Orationes & Programmata cura Filiorum conquiſita evulgantur, ex quibus cognoſcitur, qua in pedeſtri ſermone valuerit eloquentia. Ac orationibus quidem, cum in genere demonſtrativo vel loco communi verſentur, nec tam ad perſuadendum quam ad delectandum ſint compoſitæ, exquiſitiorem adhibuit cultum, genusque dicendi ſectatus eſt argutius, auribusque horum temporum accommodatum, in quo poeticum nonnunquam decorem relucere voluit, ex interiorum literarum myrothecio petita quædam ſubinde aſpergens ornamenta, quibus doctas aures teneret caperetque. Prima oratio dicta eſt *in Kilonienſis Academiæ inauguratione*, & in conſilii atque inſtituti illius commendatione, Principisque fundatoris laudibus decurrit. Altera cum Magiſtros crearet Decanus recitata, exponit *cauſas*, *ob quas minus multi ad ſolidam aliquam ſapientiam perveniant*, easque in tribus ponit vitiis,

quibus non raro laborant, qui in literarum cultoribus nomen ſuum profitentur, ignavia, philautia & diſcordia, quibus expellendis conſilia & remedia ſuppeditat. Succedit *Panegyricus* in nuptias Sereniſſimorum Principum Chriſtiani Alberti & Fridericæ Amaliæ Ducum Holſatiæ, publico nomine dictus. Quarta oratio, cum magiſtratum Academiæ Kilonienſis adiret habita, *de intemperantia in ſtudiis* agit, *eruditorumque qui ex iſta oriuntur morbis*, eorum potiſſimum perſtringens vitia, qui in ſtudiis doctrinæ colendis uni ambitioni obtemperant, atq; alia omnia, quam fructum, ex ſolida ſcientia ſperandum, ſibi propoſita habent. Quinta in Magiſtrorum renunciatione *virum bonum ex mente Philoſophorum gentilium* deſcribit. Sexta *de otio ſapientibus dando* inſcribitur, qua poſtquam qui vere ſapientium nomine digni ſint expoſuit, e republica eſſe oſtendit his tale parari otium, ut ſine curis rei familiaris ſapientiæ ſtudiis vacare, & æquo animo iis commodis, quæ vita practica ſecum fert, carere poſſint. Septima *quæ utilitates e literis in rempublicam redundent*, generatim docet. Octava *quos fructus Holſatia Kiloniumque urbs ex Academia percipiant*, ſpeciatim perſequitur. Nona eſt declamatio *de auro ejusque laudibus*, qua æmulatus eſt Maioragii *Philochryſum*, qui ſpecie laudandi auri varia hominum genera notaverat, quos auri ſacra fames ab officio abducere conſuevit. Hanc orationem, quæ inter Maioragianas non comparet, & a Marquardo Gudio ſemel edita paucis erat viſa, cum Morhofius ſuæ junctam anno 1690 in lucem revocaſſet, eam quoque editores Filii inter paternas Orationes, veluti ab illo adoptatam, extare legique voluerunt.

Orationibus ſubjiciuntur Programmata, publico & privato nomine ſcripta, & in Academia Kilonienſi propoſita. In publicis, quorum conſcribendorum provinciam ab anno 1674 ſuſtinuit, prima comparent, diebus feſtis Natalis Domini, Paſchatos, Pentecoſtes & Archangeli Michaelis, more in aliis quoque Germaniæ Academiis recepto, in eum maxime finem propoſita, ut de feſto religioſa pietate tranſigendo admoneantur cives academici, & alicubi ad beneficentiam erga verbi divini præcones excitentur; ſimul autem, ut pote ad eruditos auditores directa, eruditam alicujus doctrinæ ab illo tempore non alienæ explicationem continere ſolent: qualia ſunt & hæc Morhofiana, multa elegantique eruditione referta. Succedunt

func-

funebria, quibus cives academici ad exequias honoratiorum invitantur, quorum vita obitusque exponitur, præmiſſo plerumque loco communi ad illud tempus accommodato. Tertia claſſis Programmatum publicorum ſpectat ad varia negotia academica, & vel edicta, vel teſtimonia, vel relegationes, vel ad ſolennes orationes habendas invitationem comprehendit. Quæ vero ſuo nomine ſcripſit & publicavit Programmata Morhofius, iis ſcholas publicas privatasque a ſe inſtituendas aperit, aut orationes exercitationis cauſa habendas indicit; numero omnium, quæ publico privatoque nomine ſcripſit, Programmatum ultra centenarium excurrente.

## A DISCOURSE OF MEDALS &c.

h. e.

*DE NUMISMATIBUS ANTIQUIS PARITER ATQUE MOdernis Diſſertatio: cui accedit Virorum illuſtrium, quorum effigies in nummis nuſpiam obvias Sculptorum conſervavit diligentia, Catalogus, uſu ſimul earundem indicato; una cum digreſſione de Phyſiognomia, Autore JOANNE EVELYN Armigero, S. R. S.*

Londini apud Benj. Tooke, 1697 in fol. Alph. 4.

CUm pauca hactenus Anglica lingua de re nummaria prodierint, id ſibi agendum eo, qui ob oculos nobis verſatur, libro diligentiſſimo Autor ejus, qui edita jam olim Hiſtoria Chalcographiæ aliisque ſcriptis famam inter ſuos conſecutus eſt, cenſuit, ut quicquid apud aliarum gentium ſcriptores ad ſcientiam rei nummariæ pertinens aſſidua lectione invenerat, apto ordine diſpoſitum vernacula lingua exponeret. Hac enim ratione ſe conſecuturum putavit, ut & accenderentur complures ad illa ſtudia diligentius deinceps tractanda, & manuductionem aliquam haberent, quæ in iſto itinere hæſitantes in regiam viam poſſet deducere.

Auſpicia itaque illi tractationi facit brevi de origine variisque ætatibus pecuniæ, ejusque diverſa apud varias gentes pro temporum ratione materia, valore, modulo ac typo, diſſertatione. In ea ſimul de gemino uſu, cui antiquitus nummi deſtinabantur, agit, illaque oc- C. I.

p. 8. caſione receptiorem contra J. Harduinum de nummis maximi moduli, quos *Medaglioni* Itali appellant, ſententiam defendit: eos ſcilicet monetæ uſum minime præbuiſſe, ſed ob ſolennia publica cuſos, amicis Principum populoque fuiſſe donatos. Inde ſpeciatim de Hebræorum,
C. II. Græcorum, Pœnorum, Germanorum, Gothorum, Hunnorum, Lombardorum, Britannorum aliorumque Barbarorum nummis generalia quædam monet. Quin & de ludicris nummis Saturnalium
p. 23. tempore ex plumbo apud Romanos conflatis multa diſſerit, nec vero abſimile credit, illi, qui luſus & joci cauſa Regis titulo in feſto illo gaudebat, ſervo poteſtatem conceſſam fuiſſe nummos hujusmodi cudendi, quibus patroni ſui nomen, ludicramque aliquam figuram exprimeret. Specialius vero agit de illo nummorum latere, quod *caput*
p. 26. ſive *faciem* ſtylo antiquariis familiari appellare ſolent, & quid in eo obſervandum ſit explicat, notis, quas illud ad diſtinguendos genuinos a ſubſeſtæ fidei nummis ſuppeditare poteſt, fide optima indicatis. Hic
p. 34. dum de ornamentis capitum in nummis conſpicuorum diſſerit, obſervat, eam, qua hodie utuntur Europæ Reges, coronarum formam apud Anglos natales ſuos habuiſſe: eam enim jam in Eduardi Confeſſoris, magis vero luculente in Eduardi IV nummis eſſe conſpicuam. Utque eo fortius Gallos ejus inventionem ſibi tribuentes reprimat, neminem ante Ludovicum XII, nec eum quidem, antequam nuptiali fœdere Henrici VIII, Angliæ Regis, ſibi junxiſſet ſororem, ea uſum fuiſſe oſtendit: ſimilium fœderum occaſione ad Scotos quoque, Hiſpanos & Danos ejus uſum dimanaſſe affirmans, a quibus deinceps Poloni quoque, Sueci & Luſitani eum acceperint. At prolixiſſime
C. III. omnium de *averſis* nummorum agit: ubi poſtquam in compendium redigere, & ad certas claſſes, quantum quidem fieri poteſt, reducere conatus eſſet ea, quæ in antiquorum nummorum averſis repræſentantur, inſignemque ex illis in omne genus litterarum derivandos uſus
p. 73. explicaſſet; Belgarum præcipue in conſervando iſta ratione inſigniorum eventuum, a primis conſtitutæ Reipublicæ temporibus, memoriæ diligentiam commendat, quæ ex Hiſtoria Metallica Reipublicæ Belgicæ a Bizoto concinnata & ab aliis poſtmodum continuata abunde elu-
p. 77. ceſcit. Gallorum vero ſerviles adulationes, quarum memoriam nummorum ope æternitati tranſcripſerunt, impenſe deteſtatur, earumque inſignia quædam ſpecimina ex Francia Metallica adducit. Ad Anglos

autem

autem denique delatus, acerbiſſime queritur, quod nihil fere extet, quod nummorum inſignium rerum eventus conſervantium mereatur nomen, ante Jacobi primi tempora. Eduardi tamen III aureum nummum allegat, quem primum & antiquiſſimum eſſe exiſtimat eorum, qui in hunc cenſum aliquo modo referri queant. Ejus facies ipſum Regem armatum & in nave conſtitutum, dextra gladium, ſiniſtra ſcutum, Britanniæ Franciæque inſignibus conſpicuum, tenentem, una cum vexillo regio in puppe navis defixo repræſentat, addita iſta inſcriptione: EDWARD. DI. GRA. REX. ANGL. Z FRAN. DNS. IB. In averſa vero roſam radios ſuos verſus quatuor leones corona ducali inſignes totidemque lilia protendentem exhibet, legendorum loco appoſitis verbis ex Luc. IV, 30. JHS. AUT. TRANSIENS. PER. MEDIUM. ILLORV. IBAT. Videtur hic nummus clariſſimo Autori cuſus eſſe illo tempore, quo pax inter Eduardum III & Joannem Franciæ Regem fuit conſtituta, quod factum eſt anno 1360, nec difficile putat, ea quæ in facie ejus videmus explicare, utpote quæ omnia ſtabilitum ab Eduardo maris dominium, confirmatumq; in Galliæ regnum jus manifeſte reſpiciant. At difficilior eſt averſæ partis explicatio, quam nonnullos de magno myſterio transmutandi metalla interpretari, alios pro magica habere ait, quæ amuleti vim nummo iſti conciliet. Quos alios commemorat rariores Anglorum nummos, omnes hic recenſere nimis foret prolixum. Inſigniorum itaque quorundam mentionem feciſſe ſufficiat. Inter eos procul dubio locum ſibi depoſcit is, quo caput Eccleſiæ Anglicanæ in triplici inſcriptione, Hebræa, Græca atque Latina Henricus VIII ſe venditavit, e quibus Latinam hic legi ſuffecerit: HENRICVS. OCTA. ANGLIÆ. FRANCI. ET. HIB. REX. FIDEI. DEFENSOR. ET. IN. TERR. ECCLE. ANGLI. ET. HIBE. SVB. CHRIST. CAPVT. SVPREMVM. Item ille, quem Sereniſſimæ Eliſabethæ honoribus ſacrum eſſe voluere ſubditi ejus, nihil felicitati ſuæ ſub ejus imperio deeſſe, quam æternam ejus durationem, ſentientes. In eo in altera parte Reginæ facies nomenque, cum inſcriptione:

p. 86. p. 89. p. 93.

*Heu mihi quod tanto virtus perfuſa decore*
*Non habet æternos inviolata dies:*

in averſa Phœnix ſiſtitur ex flammis emergens, circumſcriptis verſibus:

*Felices Arabes mundi quibus unica Phœnix*
*Phœnicem reparat deperiundo novam,*
*O miſeros Anglos mundi quibus unica Phœnix*
*Ultima ſit noſtro, triſtia fata, ſolo.*

Alium ad ejusdem Reginæ tempora pertinentem, quo claſſis Hiſpanicæ clades, qua anno 1588 cœlitus afflicta fuit, celebratur, a Bizoto etiam in Hiſtoria Metallica Hollandiæ p. 59 repræſentatum, vel ideo hic commemorandum duximus, quod perperam olim aures aſininas interpretatus in eo fuerit Bizotus, quæ ligamentorum, quibus Papæ, Regis Philippi, & ceterorum procerum in averſa nummi parte repræſentatorum oculi (alludendo ad inſcriptionem: *o cæcas hominum mentes! O pectora cæca!*) adſtringuntur, extrema ſunt. Attentionem
p. 114. quoque meretur ille, in cujus facie omnibus ſeculis memorandus totius Angliæ Archi-Præſul Gul. Laud exhibetur, qui in averſa parte, quæ Angelum exhibet cum mitra & pedo in cœlum evolantem, quem duo alii ſequuntur coronam cum ſceptro & reliquis Regni inſignibus eodem aſportantes, SANCTI CAROLI PRÆCURSOR appellatur. Sed
C. IV. omiſſis deliciis iſtis, ad caput IV progrediendum, quod gloriæ nationis Anglicanæ deſtinatum eſſe unice videtur. In eo enim magni, qui in Anglia, noſtro potiſſimum ævo, exorti ſunt Viri, commemorantur, quorum vel in Rempublicam, vel in Eccleſiam, vel in litteras, vel denique in artes merita nummorum ope æternitati conſecrari merentur. Quibus ſi forte aliquando, quod optat, honor ille contingat, ſtudioſe nummos, effigies eorum repræſentantes, colligi & aſſervari jubet, non minus digna poſteris præbituros ſpectacula, quam nobis hodie nummi veteres philoſophos & artifices exprimentes exhibent.
p. 170. Imo & illos, qui Reipublicæ turbatores oculis noſtris ſiſtunt non negligendos putat, atque exempli loco nonnullas Reipublicæ Anglicanæ in-
C. V. cendiariorum effigies ex nummis adducit. At ut abſolvat tandem omnia, quæ ad utramque nummorum faciem pertinent, de legendis denique & inſcriptionibus agit, in quibus intelligendis ut hujus artis
p. 190. tyrones juvet, notas & abbreviationes vocum, quæ in numismatibus Romanis occurrunt, ex Patino cum additionibus quibusdam ſuis inſe-
p. 193. ruit: quas longe ampliores dare potuiſſet, ſi tum a ſe ipſo allegatos autores, tum indicem Inſcriptionum Gruterianarum in auxilium vo-
C. VI. luiſſet vocare. Inde vero illos inſtruere incipit, qui in cimeliarchiis in-

inſtruendis aliquid operæ atque impenſæ collocare ſatagunt. Et his quidem cum illis imprimis monet contrahenda eſſe commercia, qui in fodienda ſive vomere atque ligone, ſive alia quacunque ratione terra occupantur, utpote in qua maximus hujusmodi theſaurorum cumulus reconditus deliteſcat. Atque illa occaſione Angliam imprimis defoſſorum hujusmodi theſaurorum plenam eſſe monet; ex Chronico Saxonico docens, Romanos, cum ex improviſo in eos Saxones fulminis inſtar irruerent, theſauros omnes qui erant in Britannia coacervaſſe, parteque eorum ad vicina Galliæ littora ſecum deportata, partem in terra defodiſſe. Quam cum ea nondum ſolertia, qua aliæ Europæ nationes, Angli rimati hactenus fuerint, ut deinceps id faciant, eos incitat. Inde ea, quæ ad nummum genuinum a ſuppoſititio diſcernendum faciunt, quantum quidem ejus fieri poteſt indicat, non omiſſis iis, quæ genuinorum quoq; nummorum pretium augent atq; exiſtimationem. Cui fini alphabetico ordine rariores nummos Græcos medii & minimi moduli indicat, atque occaſione nummorum Græcorum Othonis, æreos ejus nummos genuinos dari non amplius dubitandum putat, in Syria atque Ægypto maximam partem, paucos etiam Romæ cuſos: eos tamen non exacte adeo, atque aurei argenteique, faciem ejus referentes. Si ad maximum modulum aſſurgant, inæſtimabile, ſi medii moduli ſint, minime pigendum XL Librarum, h. e. Vallenſium CLX pretium eſſe ait. Cumque rariores ſint in quibusdam regionibus nummi, oppido frequentes in aliis, quinam potiſſimum in Anglia ſoleant effodi, quibusque in locis, indicat. Et poſtquam prolixiſſime in detegendis omnibus impoſtorum fraudibus verſatus fuiſſet, varias methodos, quibus delineationes & ectypa nummorum facili negotio confici poſſint, exponit. De ipſa re monetali inde, ejusque primum apud Romanos conditione præfectisque ei magiſtratibus breviter, paulo fuſius autem de ejus apud Anglos antiquioribus noſtrisque temporibus ſtatu, variisque oppidis privilegio monetas cudendi inſignibus agit. Speciatim vero modum perſequitur, quo iis qui pondere ſuo publicam monetam defraudare ſolent, ſceleratis hominibus, obviam ire ſolent monetariæ rei apud Anglos præfecti, inventorumque eo ſpectantium autores nominat, dignos exiſtimans quorum memoria nummis conſecretur. Maxime tamen eam, quam Galli inierunt, malum iſtud ſanandi rationem commendat, qui exactiſſima nummorum ſuorum rotunditate, quorum margines dentibus

p. 199. p. 200. 209. p. 202. p. 205. p. 207. p. 219. C. VII. p. 225. p. 226.

tibus inſuper muniunt,& elegantisſima,quam in ſuperficie eorum adhibent politura, non limæ tantum & aquæfortis injurias ab iis depule-
p. 227. runt, ſed id etiam conſecuti ſunt, ut imitari genuinam monetam impoſtores nulla ratione queant. Verum uti iſtas peſtium Reipublicæ fraudes, tanquam ei pernicioſiſſimas deteſtatur, ita ipſos quoque Principes a majori ſtatuendo pecuniæ pretio, quam revera habet, avertere conatur, cum quanto populorum ipſorumque Principum detrimento id conjunctum ſit, ex hiſtoria Romana, Gallica, Anglica, & Germanica evincens. Quod malum cum Angliam quoque ab aliquo tempore invaſerit, conſilia de quærenda ei medela ſuppeditat, quæ prolixius
p. 237. hic recenſere ſuperſedemus. Quin potius ad celebriorum artificum commemorationem properamus, qui noſtris temporibus in flandis feriundisque nummis excelluerunt. Ex Italis hic potiſſimum commemorantur *Cavino*, *Parmegiano*, *Vincentino*, *Bellas*, *Leon Leoni*: ex Gallis *Hameranus*, *Boſſier*, *Goujon*, *Carteron*, & longiſſime omnes illos antecellens *Varinus*: ex iis quorum apud Anglos effulſit indu-
p. 240. ſtria, *Symons*, *Rawlins*, *Haris*, *Chriſtian*, *Rotie*, & alii complures, Itali præprimis, qui in nummis pariter fabricandis ac gemmarum ſculptura admirationem ſeculi ſui meruerunt. Cum hujusmodi artificibus ut familiarē contrahant amicitiam rei nummariæ ſtudioſi ſuadet, imo & ipſos artis delineandi, ſculpendi, flandi ac feriundi nummos, Cl.
p. 241. Morelli exemplo, peritos eſſe cupit. Quibus ne quidquam ad hæc excolenda ſtudia deſit, Bibliotheca qualis inſtruenda ſit etiam docet, omnibus, qui de re nummaria commentati ſunt, ſcriptoribus commemoratis. Et ſi forte ad exteros inviſere cuiquam detur, eum illuſtri-
p. 245. um cimeliarchiorum notitiam ex notiſſimis Patini atque Sponii libris
p. 247. petere jubet, Angliæ vero gazophylacia ipſemet breviter recenſet.
p. 252. Et ſi cui inſtruere hujusmodi gazophylacium forſan placeat, qui ſit ab eo in diſponendis nummis obſervandus ordo, luculente deſcribit. Tandemque hanc inſtitutionem ſuam catalogo nummorum, quos ab Imperatoribus, qui Joviano usque ad Heraclium ſucceſſere, habemus, finit, ampliorem Græcorum & Romanorum numismatum, in gratiam eorum qui in legendis & inſcriptionibus percipiendis nondum ſatis ſunt exercitati, Baudeloti methodo daturus, niſi a Cl. Viro Obed. Walker, qui ſimile opus de re nummaria vernacula lingua non ita pridem edidit, fuiſſet præventus.

Jam

Jam duo ſunt, quæ appendicis veluti loco tractationi iſti Autor noſter accedere voluit. Primum prolixa ſatis eſt de virorum magnorum ſive penicillo ſive ſcalpello repræſentatis imaginibus commentatio, quarum collectionem ad ſupplenda ea, in quibus nummi deficiunt, ut inſtituant qui cimeliarchia inſtruunt, ſuadet. Quod ut eo facilius poſſint efficere, magnorum Angliæ virorum catalogum texit, quorum imagines congerere operæ pretium ſit, quos in peculiares Theologorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, Phyſicorum, Mathematicorum, Jureconſultorum, Poetarum, Muſicorum, eorum item qui difficillimis itineribus, aut ingentibus beneficiis inclaruere, claſſes digeſtos, alphabetico ordine recenſet. Quin & fœminas, quæ litteris vel aliis præclaris virtutibus in illa gente effloruerunt, enarrat, earumque picturas comparari jubet: nec non ſummos Regni Proceres maximis meritis claros; eos item qui conſpirationes, protractis ex latebris ſuis earum autoribus, diſpulerunt; qui artibus, corporis ſtatura, longævitate vel alia denique quacunque re inſignes fuerunt. Quorum omnium licet numeroſum ſatis produxerit exercitum, longe plures tamen a ſe prætermiſſos ait, quorum accuratam recenſionem, niſi invido fato impeditus fuiſſet, Clar. Turnerus fuerit inſtituturus. Interea ad alias nationes excurrit, magnorumque apud eos virorum fœminarumque, qui famam quacunque ratione ſint conſecuti, quorumque proinde colligendæ ſint effigies, nomina in claſſes ſuas digeſta recitat. Utque eos, qui hujusmodi collectiones inſtituere cupiunt, juvet nonnihil, non tantum muſea quædam commemorat, inſigni effigierum hujusmodi apparatu conſpicua; qualia Marollium atque Beughemium inſtruxiſſe, ex publicis qui proſtant catalogis patet, (ex quorum priore etiam aliquot volumina illuſtrium virorum effigies complexa, multis redemta librarum millibus, Bibliothecæ Regiæ Pariſienſi illata fuerunt;) verum etiam collectiones chalcographicas quæ publice proſtant, a Boiſſardo, Thomaſino, Strada aliisque curatas indicat. Atque ea occaſione Viri hujusmodi elegantiarum oppido amantis, Domini Begani, cui rerum maritimarum apud Rupi-fortenſes hodie concredita cura eſt, meminit; quem omnium, qui noſtra ætate litteris vel aliis meritis illuſtres evaſere, effigies, una cum elogiis eorum editurum dicit. Quod opus ſuum ut eo magis reddat conſpicuum, nullis parcens ſumtibus, multos viros eruditos, inſcios atque invitos,

per eos quos alit pictores emiſſarios, depingi curat, & hac ipſa arte celebris Hiſtorici dicam an Hiſtoriæ corruptoris Varillaſii, cui nulla ratione, ut publice comparere effigiem ſuam pateretur, poterat perſuaderi, delineationem nactus eſt. At & Perraltii commendat induſtriam, cujus duo ſatis ſpiſſa volumina, effigies hujusmodi complectentia, abſoluta jam eſſe, publicam famam ferre dicit.

C. IX. Alterum quod per modum appendicis aſſuere iſti operi cl. Autori placuit, prolixa ſatis de Phyſiognomia Diſſertatio eſt. In ea ſingulas vultus humani partes pererrat, atque regulas, ex quibus judicium ferri de interiore mentis humanæ facie queat, præſcribit; eas vero Ariſtotelis, Plinii, Plutarchi, aliorumque graviſſimorum autorum ſuffragiis, imo ipſis exemplis magnorum virorum, quorum faciem corporisque habitum antiqua monumenta nobis conſervarunt, docte confirmat. Ut autem huic ſcientiæ paulo majorem conciliet autoritatem, oppido multa affert, quæ omnino majorem attentionem videntur mereri. Sic enim, ut exempli loco nonnulla adducamus, mira-
p. 301. bile dictu eſt, quod de fæmina quadam Florentina narrat, eam leonem, qui carceribus effractis filium ejus invaſerat, ſolo obtutu adeo terruiſſe, ut incolumi illo relicto trepidus fugam dederit. Item quod ex Borelli obſervationibus de non nemine commemorat, qui conſcius ſibi ejus, quod in oculis circumferebat, faſcini, quocunque delatus erat, monebat, ne infantes aut gravidæ ad ſe accederent propius, ne obtutu ſuo invitus licet ipſis noceret. Atque naturalem hujusmodi oculorum vim haud raro occaſionem dediſſe ſibi perſuadet, ut tanquam pacti cum malis geniis rei cremati fuerint homines hac quidem ex parte prorſus innocentes. At forte magis jucundum fuerit Philippi Pem-
p. 302. brociæ Comitis hic legere exemplum, quem naturali quadam ſagacitate, aſſidua contemplatione effigierum maximorum virorum, & minime proletaria artis pictoriæ ſcientia adjuta, eo usque profeciſſe narrat, ut ex ſola hominum facie de occultis eorum intentionibus maximaque arte conſtructis machinationibus feliciſſime conjecturam facere potuerit. Unde & Jacobum I eo ſemper in explorandis Legatorum recens ad ſe delatorum intentione atque conſiliis uſum fuiſſe, eoque referendam eſſe modo laudati Regis ſententiam a Verulamio commemoratam, *Lingua aures ferit, geſtus vero oculos alloquitur*, narrat Atque hoc quidem eſſe donum magnorum Principum miniſtris appri-

apprime neceſſarium, Ariſtotelem & Ciceronem jam annotaſſe ob-
ſervat, cujus complura alia, ex Romana maxime hiſtoria petita, ex-
empla adducit. Uti autem ad mores hominum animosque perno- p. 304.
ſcendos oppido multum facere poſſe hanc artem tuetur: ita nullam e-
jus in futuris præſagiendis vim eſſe contendit. Imo & in moribus
conjectandis eam fallere poſſe concedit, cum caſus & conſuetudo mul-
tum in lineamenta hominũ poſſint, ita ut aliter ex illis conjicias, quam
faceres, ſi ipſos naturæ tractus intueri daretur. Hanc autem pariter
ac alias objectiones, quæ artis Phyſiognomicæ pretium imminuere p. 306. 324.
videntur, ſatis apte removet. Magis prolixe tamen in explicandis va- p. 311.
riis variarum gentium corporis & animi habitibus, ſibi invicem, ut
ipſe putat, exacte reſpondentibus verſatur, & in cauſas eorum docte &
ingenioſe inquirit, quænam cœli aeriſve temperies hoc vel aliud corpo-
ris temperamentum, & quales hoc animi inclinationes producere ſo- p. 333.
leat, ſolicite inveſtigans. Denique de crinibus & voce coronidis loco
nonnulla obſervat, providentiamque divinam in diſtinguendis homi-
num vultibus agnoſcit & veneratur. Epilogi vero loco ſententiam p. 337.
ſuam quibusdam adhuc graviſſimorum ſcriptorum teſtimoniis, lucu-
lentisque magnorum virorum (quorum facies exacte ingenio intimæ-
que animi diſpoſitioni reſpondet) a noviſſima Angliæ hiſtoria ei ſup-
peditatis exemplis confirmatam dedit.

## *D. AVRELII AVGVSTINI LIBRI DVO DE ADVLTERINIS Conjugiis ad Pollentium, cum notis Jurisconſulti celeberrimi, quibus dogma Eccleſiæ de Matrimonii diſſolutione illuſtratur.*

Jenæ apud Jo. Bielckium, 1698. in 4. Conſtat 11 plag.

D. Auguſtinus in libris, quos de Evangelico ſermone ſcripſerat, quem Salvator ſecundum Matthæum in monte habuit, docuerat nec permiſſum eſſe conjugibus divortium facere niſi ob fornicationem, nec qui ex hac cauſa a conjuge diſceſſerit, ad alteras nuptias tranſire poſſe. Pollentius, cui mira videbatur iſta Auguſtini privata ſententia, quæ praxi Eccleſiæ & fori repugnabat, datis ad Auguſtinum literis dubia illi ſua veluti conſulendo expoſuit, & in alia omnia diſcedens ſenſit, mulierem qualibet ex cauſa poſſe a marito divertere, dum

maneat innupta, &, ſi divortio cauſam dederit adulterium, nuptias ſecundas non eſſe prohibitas, nixus potiſſimum auctoritate Pauli 1. Cor. VII. 10. 11. & ipſius Salvatoris apud Matth. V. 31. Hinc nati ſunt Auguſtino duo hi libri ad Pollentium *de conjugiis adulterinis*, quibus ſententiam ſuam repetit & tuetur. Quum vero Pontificii juris Doctores in hac controverſia ad auctoritatem Auguſtini provocare ſoleant, celeberrimus quidam Juriſconſultus, quem *Joannem Schilterum* Argentoratenſem Anteceſſorem eſſe accepimus, in ejus argumenta duxit inquirendum, & quid iis veri falſive ſubſit, rectene an ſecus concludant, notis cuique capiti ſubjectis breviter nervoſeque oſtendit. Ac primum animadvertit, controverſiam eſſe duplicem: alteram *de jure divortiorum*, quæ Auguſtinus niſi ex cauſa adulterii negabat eſſe permiſſa; alteram *de jure iterum nubendi*, quod Auguſtinus vivente altera parte concedit nemini, ne quidem ex cauſa adulterii: niſi quod cap. VI. innuit, Chriſtianos tantum conjuges hoc præcepto teneri; unde colligas, mulieri ab adultero non Chriſtiano diſcedenti nuptias ſecundas minus fuiſſe interdictas. Pollentium vero in priori quæſtione labi docet notarum Auctor, abreptum Hebræorum Romanorumque moribus ac legibus, quibus divortiorum licentia invaluerat. In hac ergo parte triumphare Auguſtini facundiam & diſputandi ſubtilitatem, licet argumentis ejus non id ſemper conficiatur, quod illis colligere velit. Sic locum illum Paulinum 1. Cor. VII. 10. 11. nec ab Auguſtino, nec a Pollentio recte capi & explicari obſervat. Auguſtinum ex præjudicata opinione mulierem, quæ diſcedat a viro, accipere de ea quæ ob adulterium divortat aut repudietur, atque adeo, ut Scholæ loquuntur, petere principium. Pollentium contra, quæ Apoſtolus in eam conditionem conferat, ſi fiant, pure accipere, ac ſi licite fieri poſſint, atque adeo quæ *de facto* dicuntur, perperam *de jure* intelligere. In altera vero parte controverſiæ, qua de jure iterum nubendi, ſi factum eſt divortium, quæritur, Auguſtinum ſine cauſa ab apertis Chriſti verbis Matth. V. 32. diſcedere, eisque vim inferre notat; cum ea, quæ particulis exceptivis regulæ eximuntur, non in vim exceptionis, ſed exempli valere velit, invito ſenſu communi, rectisque interpretandi regulis, ad Grammaticæ, Logicæ, ſubjectæque materiæ principia revocatis. Neque reliquas ejus rationes ita eſſe comparatas, ut nos cogant ad contortam interpretationem verborum perſpicuorum

con-

confugere, evoluto cujusque argumenti paralogiſmo demonſtrat. Hæc fere ſunt, quæ priori libro diſputantur & notantur. Altero libro eadem controverſia diſcutitur, a Pollentio denuo & luculentius expoſita, novisque rationibus munita, quibus Auguſtinus occurrit, ſuamq; ſententiam tuetur & expolit. Doctiſſimus vero Schilterus & hic Auguſtinum κατὰ πόδα ſequitur, & quid ſit in controverſia, cujus ponderis ſint rationes aut reſponſiones allatæ, quæ inter ſe conſentanea ſint aut diſſentanea, magno judicio examinat: ſub finem ex Lib. 2. Retractat. cap. 57. obſervans, in hac ſententia ipſum ſibi non ſatis fidere nec ſatisfacere Auguſtinum. Plura ex parvo libello excerpere non refert, quem ſuo quisque commodo facilius perlegere, & ex ipſo fonte dulcius haurire poterit, quæ faciunt ad judicium de hac controverſia inſtruendum, quæ hodienum diverſarum religionum fora diſtrahit. Unum illud addimus, notas non eſſe editas ab Auctore, ſed delatas ad doctiſſimum Virum *D. Georgium Schubartum*, bono publico cum Præfatione ipſius Jenæ eſſe evulgatas; ut non ſolum vera ſententia ex notis his poſſet cognoſci, ſed &, quomodo in hujusmodi ſcriptoribus lectores verſari oporteat, hoc exemplo intelligeretur.

## A SECOND VINDICATION OF THE REAſonableneſs of Chriſtianity.

h. e.

## *REPETITÆ LIBRI DE RATIONALITATE RELIGIONIS Chriſtianæ Vindiciæ, a Libri iſtius Autore editæ:*

Londini apud A. & J. Churchill, 1697. 8. Alph. 1. plag. 8.

Quæ de Religionis Chriſtianæ rationalitate commentatus ſit Vir peringenioſus, & ob alia ſcripta oppido celebris, Joannes Locke, in Actis noſtris anno 1696 p. 463 & ſq. fuſe ac luculente expoſuimus: ubi etiam, quam grave bellum a Viro Cl. Joanne Eduardo ob iſtum librum ei indictum fuerit, indicatum a nobis eſſe meminimus. Ultimum Eduardi ſcriptum, quod Socinianismi delarvati titulo inſcriptum edidit, & cujus argumentum eodem loco a nobis explicatum fuit, parum quidem initio movere viſum doctiſſimum Antagoniſtam ejus. Præci-

cipue cum non ultimæ exiſtimationis inter ſuos Vir, clariſſimus Bold, Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter, habitum a ſe ad populum ſermonem, ejusdem cum Lockii libro argumenti, paulo poſt ediderit, cui notas ad delarvatum Eduardi Socinianiſmum adjecerat, Lockiique ſententiam contra ejus objectiones defenderat. Attamen cum Eduardus illum quoque Autorem ſevere exceperit, Lockius ipſe cauſam ſuam iteratis iſtis Vindiciis agere inſtituit. Utut enim egregie rem ab iſto promacho ſuo, cetera ſibi plane ignoto, geſtam fuiſſe perſuaſum habeat, ne tamen obtundi majoribus Eduardi, in libro quodam, *Symbolum Sociniani* inſcripto, triumphum ob ſilentium Lockii agentis clamoribus quisquam ſe pateretur, neceſſariam hanc ſuam quoque operam ſe judicaſſe refert.

Maxima vero harum Vindiciarum pars eo redit, ut neget doctiſſ. Lockius ſuam eſſe, quam Eduardus repræſentavit, mentem: quem peſſimæ fidei propterea accuſat, & ut ipſis libri ſui verbis affictas ſibi opiniones probet, ubique urget. Sic enim quæ de unico tantum fidei admiſſo articulo ipſi exprobraverat, quam vana ſint, ſolide jam in prioribus Vindiciis a ſe demonſtratum eſſe ait, quibus ipſum Eduardum victum multa quidem pharmaca parum prudenti, quo uſus fuerat, loquendi generi adhibuiſſe, & neſcio quo ſenſu errorem de unico fidei articulo Lockio tribuiſſe videri velle obſervat, ſed clariſſima ejus loca adducit, in quibus ſine ulla reſtrictione Lockium accuſarit, ac ſi unicum tantum fidei articulum admitteret. Quam imputationem ut falſitatis eo clarius redarguat, ipſiſſima verba libri ſui (p. 291 & 301) allegat, quibus unico illi articulo, quod Jeſus ſit Meſſias, concomitantes illum articulos de reſurrectione Chriſti, exaltatione, & adventu ad judicium junxerit; atque diſtincte docet, ſe cum de unico illo fidei articulo loquitur, haudquaquam excludere vel negare reliquos, qui vel ex lumine rationis innoteſcunt, vel a Deo quoque revelati fuerunt, ſed tantum dicere, Chriſtum atque Apoſtolos eos, qui illum fidei articulum admiſere, in numerum credentium recepiſſe. Verum quo tendimus? Rectius nos ipſos, quo minus ulterius progrediamur, continebimus: potisſima enim controverſiarum hic agitatarum capita alibi a nobis indicata ſunt; uberior vero earum explicatio & a ſcopo noſtro aliena eſt, & cum aliquo tædio conjuncta foret.

*PHAE-*

## *PHAEDRI AVG. LIBERTI FABVLAE AESOPIAE, CUM commentariis Marquardi Gudii & aliorum, edente PETRO BURMANNO.*

Amſtelædami apud Henr. Wetſtenium, 1698, in 8. Conſtat 2 alph.

Plures ingenio & doctrina præſtantes viri in fabulis his Phædri edendis emendandisque utilem operam poſuerunt; quorum omnium doctos labores congeſſit, priorumque cunctarum editionum compendium fecit, uno hoc volumine præclaras omnes annotationes complexus vir clariſſimus Petrus Burmannus. Celeberrimi enim viri Marqu. Gudii multorum votis expetitas in has Phædri fabulas animadverſiones & notas, opera viri ſummi Jo. Georgii Graevii nactus; cum eas ſolas in lucem emittere ſtatuiſſet, perſuaderi ſibi tamen paſſus eſt, ut aliorum etiam antea editas annotationes vel excerptas vel integras adjungeret. Fabulis igitur Phædri emendatiſſime excuſis Tan. Fabri, Jo. Schefferi, Jo. Freinshemii, Joh. Lud. Praſchii, Caſp. Scioppii, Franc. Guyeti, Is. Neveleti, Jo. Meurſii, Petri Axenii notas, & propria induſtria conſcriptas obſervationes ſubſtravit, breves etiam Nic. Heinſii notatiunculas, ex codice quo is olim fuerat uſus petitas, admiſcuit; Conr. Rittershuſii autem & Nic. Rigaltii geminas notas, priores & poſteriores, (quarum iſtæ A. 1599, hæ A. 1617 & iterum A. 1630 lucem adſpexere in Gallia) æque ac Marquardi Gudii nunc primum editas, peculiarem in locum rejecit. Indices geminos eosque copioſos tum Phædri fabellis, tum ad iſtas annotationibus, addidit, qui ubertate & accurata numerorum ratione antea vulgatos multum præſtant. Qualis autem futurus ſit philologicus iſte in Privilegio Pot. Ordinum Holl. & Weſtfriſiæ, quod huic libro præmittitur, memoratus Index, a Nic. Diſpontino adornatus, nondum conſtat & dies docebit. Cæterum non notas modo celeberrimi Gudii eruditas nunc e tenebris productas debemus clarisſimo Editori, verum etiam fabulas quatuor antehac a nemine conſpectas, per Gudium ex manuſcripto Divionenſi depromtas & reſtitutas, eidem acceptas ferimus: unam de ægrotante milvio, alteram de leporibus vitam abrumpere ſibi cupientibus, tertiam de vulpe naturæ impetum ſequente, quartam de mure leoni gratiam

refe-

referente, p. 325. ſeqq. Dolendum modo, plures Editorem e ſchedis Gudianis non potuiſſe proferre, quia autographum, ex quo quatuor iſtas exhibuit, in fine lacerum fuit, pluribus foliis, in quibus triginta novæ & nunquam editæ fabulæ ex Divionenſi codice deſcriptæ extiterunt, abſciſſis & deficientibus.

## LIBRI NOVI.

*Joh. Jacobi Hofmanni Lexicon Univerſale. Editio abſolutiſſima, præter Supplementa & Additiones, antea ſeorſim editas, nunc ſuis locis & ordini inſertas, tertia parte, quam antehac, auctior. Tomi IV. Lugduni Bat. apud Jac. Hackium, Corn. Bouteſteyn &c. in fol.*

*Manethonis Apoteleſmaticorum Libri VI, nunc primum ex Bibliotheca Medicea editi, cura Jacobi Gronovii, qui etiam Latine vertit ac notas adjecit. Lugd. Bat. apud Fred. Haaring, 1698.*

*The preſent State of the Socinian Controverſy, and the Doctrine of the Catholick Fathers concerning a Trinity in Unity. By William Sherlock. London printed for William Rogers, 1698. 4.*

*Voyages and Diſcoveries in South-America, by Chriſtopher d' Acugna, Mons. Acarete, M. Grillet and Bechamel. London, for S. Buckley, 1698. 8.*

*Alcali vindicatum: Or, the Acid Opiniator not guilty of Truth. By William Coward. London for Tim. Childe, 1698. 8.*

*The Doctrine of Acids in the cure of diſeaſes farther aſſerted. By John Colbatch. London for Dan. Brown, 1698. 8.*

*A Concordance to the Holy Scriptures. In a more exact Method then hath hitherto been Extant. Cambridge By John Hayes, for Awnſham and John Churchill, London, 1698. fol.*

*Jo. Clerici Opera Philoſophica in quatuor volumina digeſta. Amſtel. apud Georgum Gallet, 1698.*

*Les Hommes Illuſtres, qui ont paru en France pendant ce Siecle, augmenté des Eloges de Meſſieurs Arnauld & Paſcal. Par Mr. Perrault. Suivant la Copie imprimée a Paris, chez Antoine Dezallier, 1698. 12.*

* * * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Auguſti, Anno M DC XCVIII.*


## *VESPERÆ GRONINGANÆ, SIVE AMICA DE REBUS ſacris Colloquia,*

Amſtelædami, apud Henricum Desbordes, 1698, 8. Conſtant plagulis 30.

ECcleſiæ Gallicanæ Reformatæ Paſtores quatuor ob religionem e patria extorres, at ab Illuſtribus Groningæ & Omelandiarum Ordinibus ſuſcepti, Eccleſiæque provinciali Gallo-Belgicæ præpoſiti, in eam haud ita pridem ſententiam convenere, ut per vices ſemel hebdomatim recurrentes amicum de rebus eruditis, philoſophicis, criticisque ac potiſſimum theologicis colloquium inſtituerent, libera illi, qui colloquentes exciperet, poteſtate relicta, ſelectam aliquam materiam proponendi, quæ exercitii argumentum eſſet. Et hunc quidem, qui ſcenam pro alternante ordinis ratione aperiret, meditata ſemper loqui, quæſtionē formare, in utramque partem diſſerere, difficultatem enodandam indicare, ſententiasque rogare; ſed, qui reſponderent, eos imparatos & prout ingenii vis extemporanea tulerit, proferre ſua voluerunt. Acceſſit vero mox poſt primas congreſſiones alius e vicinia Paſtor, quem quintum ſibi aſſumere ob pietatem ejus & doctrinam illi minime dubitarunt, junctaq; ſic induſtria per hebdomadas bene multas ſua hæc colloquia per ſeriem non interruptam continuarunt, & fortaſſis etiamnum continuant. Ut ne tamen ſibi ſolis Muſisque ſuis canere viderentur, ſuaſu inſuper novi hujus Socii excitati, ea quæ in ſingulis conventibus dicta fuiſſent, in chartam quoque conjicere ac luci publicæ exponere decreverunt. Data ergo eſt eorum uni hæc pro-

vincia, ut ſermones aut hactenus habitos aut impoſterum miſcendos literis conſignaret, & e Gallico, quo uti ipſis inter colloquendum placuit, idiomate in Latinum transfunderet; qui partium ſibi demandatarum ſatagens, colloquiorum viginti hanc veluti hiſtoriam ſuffragiis reliquorum probatam compoſuit, eamque a veſpertinis horis, quas exercitiis iſtis deſtinare viſum fuit, ſub Veſperarum Groninganarum titulo vulgavit.

Quemadmodum autem ex hac totius inſtituti delineatione quemvis facili negotio cogniturum autumamus, quod liber hic miſcellaneas exercitationes, & eas quidem nulla utplurimum compagine inter ſe connexas, ſed ſolutas liberasque, & ad varia argumenta, prout hæc ſe obtulere, excurrentes ſiſtat: ita ordinis inter diſſerendum a collocutoribus eruditiſſimis obſervari ſoliti vel duo heic ſpecimina exhibere conſultum arbitramur.

Primo loco ea afferemus, quæ ad illuſtrandum dictum Petrinum de bona conſcientia, quæ ſit ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, 1. Pet. III, 21. in tertio Colloquio fuere monita. Multa nempe diſſeruit auſpicium ejusdem faciens Vir doctiſſimus de conſcientia, quam judicium mentis de factis aut faciendis in ordine ad Dei judicium definivit, eamque deinceps in bonam & malam diſpeſcuit. De faciendis bonam illam eſſe dixit, quæ judicet de bonis & malis, quoad congruant aut diſcrepent a recta ratione & a regula actionum noſtrarum a Deo præſcripta; de factis viciſſim, cum in plurimis peccaverimus, bonam non eſſe conſcientiam dixit, niſi cum peccatum agnitum, ſeriaque pœnitentia acta, & recurſus ad miſericordiam divinam ſuſceptus fuerit, & perſuaſus quis ſit de impetrata venia, inque hac perſuaſione acquieſcat. Talem conſcientiam eſſe ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, quæ interroget & petat, quid ad ſalutem obtinendam facto opus ſit? Dicti ergo Petrini hunc videri ſenſum: Baptismum non eum eſſe, qui maculas corporis eluat, ſed in quo bona conſcientia interroget, quid facto opus ſit ad ſalutem? alluſione facta ad interrogationem, quam Judæi Petri prædicatione perculſi & poſtea baptizati ad hunc direxerint, Act. II, 37. Sicut autem interrogationem illam bonæ conſcientiæ eam eſſe dixit, qua quis Deum conſulat, quid ab ipſo velit fieri; ita non excludi debere addidit eam interrogationem, qua peccator baptizatus interroget, quomodo Deus erga ipſum affectus ſit? quaque in precibus ſuis Deum compellet: nonne

ne tu meus es pater? ubi depoſitis ſordibus animæ conſcientia de gratia Dei certior facta pacata efficiatur, unde ex ſenſu remiſſionis peccatorū bona illa conſcientia naſcatur, qua fretus fidelis audacter Deum interroget, annon favor ipſius per Chriſti mortem ſibi ſit conciliatus? Percepta hac expoſitione vix veroſimile judicarunt aliqui, tam alta mente repoſtam manſiſſe apud primos Petri auditores hujus ſuæ interrogationis memoriam, ut inde occaſionem is habuerit, diu ſatis poſt habitam primam iſtam concionem eos ſic alloquendi. Quid? quod Petrum tunc ita percontantes varia poſtmodum in loca diſperſi fuerint, multi etiam ex iis obierint, aliis plurimis in eorum locum aggregatis, qui Apoſtolum concionantem non audiverint, nec interrogationis iſtius primorum e Judæis proſelytorum recordari adeo potuerint. Reſpondit autem Vir doctus, utique prioribus duntaxat illis, qui Petrum concionantem audiverint, hanc locutionem præbuiſſe μνημόσυνον interrogationis olim factæ, & alios revera non intellexiſſe Petrinum ſcopum, ſed hos tamen nihiloſecius hoc agnoſcere potuiſſe, quod Petrus verum ſalutis medium ac viam eſſe bonam in Deum conſcientiam aſſeruerit. Nondum vero penitus ſatisfieri dubio reſponſione hac adſtantes rati ſunt, aliusque ſe obſervaſſe dixit, quod ἐπερωτᾷν æque ac ſimplex ἐρωτᾷν non interrogare tantum, ſed & orare ac precari ſignificet, unde ſenſus ſit: Baptismum non id eſſe, quo ſalvemur, ſed orationem, quam bona conſcientia fundat ad Deum; & hanc interpretationem poſtea latius deduxit atque vindicare ſtuduit. Attamen poſt primas illas φροντίδας meminit, apud Hammondum ſimilem ſe expoſitionem vocis ἐπερώτημα per interrogationem legiſſe, quo auctore denuo perluſtrato in caſtra Viri docti, qui colloquii hujus initium fecerat, tranſiit. Equidem adhuc objecit, dici quidem potuiſſe a Chriſtianismi tyronibus, cum primum ſuam ad Chriſtum converſionem meditarentur, quid faciemus? non autem pariter ab illis, qui jam ante plures annos tyrocinium poſuerint, religionemque Chriſtianam docti fuerint, ac proin, quid facto opus ſit ad ſalutem, minime ignoraverint. Sed in promtu eſſe reſponſionem agnovit, agi de Baptismo, per quem ſalvi fiamus, in quo omni tempore diſtingui debeat baptismus aquæ, qui non ſalvet, a bona conſcientia ex Deo quærente, quid a nobis exigat, obſequiumque promittente, quam demum ſalus conſequatur.

Alterum ſpecimen depromemus e colloquio decimo, in quo de polygamia Patriarcharum, deque gradibus affinitatis & de nuptiis inceſtis actum fuit. Duas imprimis Quæſitor ſententias retulerat, unam eorum, qui ſtatuant, polygamiam Patriarcharum in vitio utique cubaſſe, ſed a Deo fuiſſe excuſatam, condonatam, toleratam; alteram eorum, qui ſuper polygamia a Deo cum Patriarchis diſpenſatum fuiſſe cenſeant; ſe autem priori illi calculum ſuum adjicere profeſſus eſt. Aſt idem Vir doctus, quem antea primum differentem introduximus, neutri ſententiæ adhærere voluit, mentemq; ſuam ſic explicuit. In matrimonio aliud conſtituere ejus eſſentiam, aliud ad ejusdem melius eſſe quid conferre. Prius conjunctionem vocavit a Deo factam, poſterius bonam quandam conditionem, qualis heic ſit bonum charitatis in genere humano fovendæ & conſtringendæ. Bonum hoc in generis humani primordiis non aliter quam per copulatos fratres ſororesque obtineri potuiſſe, ſed lapſu temporis & generationum ſibi ſuccedentium multiplicatione, per remotiorum advocationem potius promotum id fuiſſe innuit. Porro ad fomentum charitatis plurimum conferre unitatem viri & uxoris, ſed commiſiſſe tamen Deum, ut iſta conditio, licet optima, abeſſet, dubium an recentis generis humani multiplicationi hoc indulgens, an alia de cauſa? Chriſtum autem τὸ melius eſſe conjugii hac in parte perfecte reſtituiſſe. Divortii inſuper ignorationem per ſe quoque ad melius conjugii omnino facere, ſed Deum pariter iſtius licentiam indulſiſſe ob Judæorum & forſan quoque aliorum ante eos populorum σκληϱοκαϱδίαν innuit; Chriſtum vero tanquam ſupremum charitatis magiſtrum & hoc charitatis fomentum priſtinum recollegiſſe. Patriarchas igitur ac alios in V. T. & polygamiam & divortium ſectantes nequaquã adulterii inſimulandos venire, ſed velut jure ſibi conceſſo utentes conſiderari debere affirmavit. Sed cum objiceretur, nuſpiam legi, quod primæva conjugii inſtitutio ulla ex parte relaxata fuerit; reſpondit, dubium haud eſſe, quin Abrahamum ea de re Deus monuerit & informarit. E Lev. XIIX, 18. objectum fuit, diſertiſſimis ibi verbis polygamiam prohiberi. Negavit hoc Vir doctus, iſtamque legem potius cautionem eſſe dixit, in gratiam uxoris factam, quam dimittere dato illi repudii libello certis quibusdam in caſibus marito integrum non fuerit. Prohibuiſſe namque legislatorem, ut ne vir ductam antea a ſe vitiatam repudi-

pudiaret, & aliam ei ſuperinduceret, quæ ægre iſti faceret, ſortemque ejus amaram redderet. Delati collocutores ad locum Deut. XXIV, 1. ſ. disquiſiverunt: an ob ſolam adulterii cauſam, an vero & ob alias leviores viro Jſraelitæ dimittere uxorem olim licuerit? Ubi poſt varia in utramque partem diſputata acquieverunt tandem in hac ſententia, quod utique Judæi & ob ſolam diſplicentiam, & ob alias cauſas non adeo prægnantes, ſuas uxores dimiſerint; interdici autem heic primo marito, ne uxorem ita dimiſſam poſt copulam cum alio reſumeret, non, quod hæc interim per ſubſequens conjugium adultera effecta fuerit, ſed in refrænationem petulantiæ maritorum & laxæ illius repudiorum & conjugiorum repetitorum licentiæ, & in favorem repudiatæ ſemel uxoris, ne ea denuo prioris mariti arbitrio & odio ſubjiceretur. Ulterius de conjugiis inceſtuoſis multa promiſcue dicta fuerunt in hoc colloquio, alio aſſerente, quod omnes nuptiæ contractæ cum perſonis talibus, quibuscum eas contrahere non ſinat conſanguinitas affinitasve, vitium a natura & intrinſece ſecum habeant; alio econtra, id valere tantum in linea recta, non item in collaterali, prolixius oſtendente; tandem vero Vir ille doctus, quem collocutores noſtri ſibi acciverant, ita rem definivit: vitium nullum a natura & intrinſece inhærere iſtis matrimoniis, quæ inter proximos inſtituantur. Equidem quoad conjugia in linea recta, non legi in libris Moſaicis, ullum unquam patrem accepiſſe in uxorem filiam a ſe genitam, aut ullam matrem nupſiſſe filio; non audere tamen ſe ex Scripturæ ſilentio argumentum contra ejusmodi conjugiorum validitatem depromere, quia nuſpiam ante Moſen prohibita inveniantur. Nec velle ſe viciſſim affirmare, quod permiſſa fuerint, cum non ſatis norit, quænam ſit eorum habitudo & relatio ad Dei naturam ejusque ſanctitatem. At in aliis conjugiis, quæ in transverſo gradu occurrant, nihil ſe deprehendere, unde concludi poſſit, illa a natura vetari, & intrinſeca quadam ἀνομίᾳ laborare.

Ad modum igitur hactenus delineatum in unoquovis colloquio Viri ſolertiſſimi ſe geſſerunt, unde reliquorum argumenta breviter tantum cum benevolo Lectore adhuc communicabimus. *Primum* expendit locum Exod. IV, 24. 25. 26. In *ſecundo* tractatur quæſtio: an circumciſionis omiſſio in deſerto licita fuerit? & dicta Jos. V, 2. & 9. illuſtrantur. De *tertio* jam plura diximus. *Quartum* in tempus,

quo Magi ad Chriſtum acceſſerint, inquirit. *Quintum*. quod paulo brevius eſt & abruptum, lucis nonnihil affert probationi reſurrectionis Chriſti *1. Cor. XV, 13. 14.* & quæſtioni: cur Chriſtus a Magdalena tangi noluerit? itemque effato Salvatoris *Matth. XXVI, 29.* de vino novo, quod bibere velit cum Diſcipulis in regno Dei. *Sextum* agit de nomine, quod Chriſtus per hæreditatem accepiſſe dicatur Ebr. I, 4. *Septimum* τὰ ἐπίγεια & τὰ ἐπουράνια occaſione dicti Joh. III, 12. conſiderat. *Octavum* occupatur in quæſtione: utrum legi Moſis morali Chriſtus aliquid addiderit? *Nonum* polygamiam ab ipſis Chriſtianismi principiis prohibitam fuiſſe oſtendit, & præceptum Paulinum 1. Tim. III, 2. illuſtrat. Poſt *decimum*, cujus contenta fuſius retulimus, in *undecimo* quæſtiones de divortio ex Matth. XIX. emergentes cumulantur atque reſolvuntur. *Duodecimum* exegeſin exhibet capitis, quod vigeſimum quartum eſt apud Matthæum. *Decimum tertium* verba Chriſti de Phariſæis in cathedra Moſis ſedentibus ex Matth. XXIII, 3. 4. perpendit. *Decimum quartum* de fideli non morituro agit. In *decimo quinto* poſt novum de divortio locum Marc. X, 11. ſ. alius quoque ex Matth. XVI, 22. ubi ad Chriſtum Petrus ait: ἵλεώς σοι Κύριε, explanatur. *Decimum ſextum* Pauli verba Ebr. VIII, 9. cum dicto Jeremiæ cap. XXXI, 32. locumque Ebr. X, 38. cum Hab. II, 4. confert. *Decimum ſeptimum* de angelo, cujus meminit Pſaltes Pſ. XXXIV, 8. & de angelorum reſpectu fidelium ſuperioritate vel inferioritate; *decimum octavum* de ſenſu Pſalmi octavi, itemque de ſignificatione vocum θησαυρὸς, σὴς, βρῶσις, occaſione moniti Matth. VI, 19. diſceptat, ac ſub finem de verſu ejusdem capitis vigeſimo ſeptimo obſervationes quasdam ſuppeditat. *Decimum nonum* in fronte gerit quæſtionem: quid ſignificet ἵνα & ὅπως, cum citatur Scriptura Veteris Teſtamenti his verbis: ἵνα vel ὅπως πληρωθῇ &c. & quomodo Scripturæ impleri dicantur? tandemque *vigeſimum* vim teſtimoniorum Veteris Teſtamenti ad probandum, Jeſum eſſe Meſſiam; & applicationem vaticinii Eſaiani e capite ejus ſeptimo v. 14. a Matthæo cap. I, 22. 23. factam vindicat.

## *LEXICON PHILOLOGICUM, PRÆCIPUE ETYMOLOGICUM & Sacrum, auctore MATTHIA MARTINIO &c.*

Trajecti ad Rhenum, apud Antonium Schouten, 1697. fol. Alph. 21.

Mat-

MAtthiæ Martinii, quod hic exhibemus, Lexicon Philologicum jam dudum adeo innotuit omnibus, ut de eo vel verbum dicere ſupervacaneum fuerit. Itaque tantum, quæ novæ huic utiliſſimi operis editioni acceſſerint, paucis indicaſſe ſuffecerit. Primum Auctoris vita ab Anonymo compoſita adjecta eſt, in qua narratur, ut natus Martinius Freienhagæ in Comitatu Waldeccenſi A. 1572 fuerit: ut poſt abſolutum ſtudiorum in illuſtri Schola Herbornenſi curſum, Dillæam primum, arcem Comitum Naſſoviorum, A. 1595 ad Concionatoris Aulici munus vocatus fuerit: ut A. 1596 in Herbornenſi Schola Profeſſoris ſpartam ſubierit: ut ab Emdanis A. 1607 ad Miniſterium verbi fuerit adſcitus: ut denique A. 1610 Rectoratum illuſtris Scholæ Bremenſis ſuſceperit, magnoque ſtudio, nec ſine inſigni Scholæ incremento adminiſtraverit, donec A. 1630 in pago Kirchtimmeke ad quartum fere ab urbe Brema lapidem, quorſum corpore jam languidior ad capiendam recreationem excurrerat, catharro ſuffocante extingueretur. Synodo eum Dordracenæ magna cum auctoritate interfuiſſe, a Senatu Bremenſi una cum Henrico Iſſelburgio & Ludovico Crocio delegatum, ex Actis Synodi conſtat; nec ignotum, quam ſtrenuum Reformatæ Religionis adverſus Lutheranos promachum ſe exhibuerit. Illud operæ pretium fuerit monuiſſe, quod auditoribus ſuis commendarit aſſidue, ut ad Fœderis leges atque ritus Dei Oeconomiam dirigerent: unde, cum inter diſcipulos ejus etiam Johannes Coccejus fuerit, licet utcunque originem Coccejanæ de Fœderibus methodi intelligere. Unicum addimus, etſi id tanti forte non eſt, ſtudiis incubuiſſe eo, quem proximo menſe in Blondello & Cujacio notavimus, more, humi nempe ſtratum, media inter librorum hinc inde ſparſa volumina. Alterum, quod Philologico Lexico adjungere Editori viſum fuit, ejusdem Etymologicum eſt, ſeu Cadmus Græco-Phœnix, liber *Johannis Georgii Grævii*, Viri celeberrimi, qui ut denuo typis deſcriberetur auctor fuit, judicio doctus & ſtudioſæ juventuti perutilis, paucisque hactenus notus. Aſt maximum novæ editioni decus Grævius ipſe conciliavit, Gloſſario Iſidori, quod toties in Etymologico eſſet laudatum, nec reperiretur niſi in Iſidori operibus, in Gloſſarum Scriptoribus a Bonaventura Vulcanio editis, & in Corpore Auctorum Latinæ Linguæ Dionyſii Gothofredi, eoque in paucorum eſſet manibus, annexo; ſed cum emendaſſet ante, & Annotationibus eruditis, quæque

ſolæ

ſolæ emptores novæ Martiniani Lexici editionis, etiam eos, qui veteri jam inſtructi ſunt, allicere poterunt, illuſtraſſet. Cæterum cum in Dedicatione Gloſſarii Iſidoriani ita exornati ad Fratrem ſuaviſſimum Gothofredum Grævium, Senatorem urbis noſtræ & hoc tempore Syndicum gravisſimum, Grævius indicaverit, molitum ſe jam olim editionem Gloſſariorum ſuorum manuſcriptorum, cum Faſciculo aliorum Scriptorum ἀνεκδότων utriusque linguæ ſtudiis ſervientium; rogandum publice meritiſſimum de bonis litteris Virum cenſemus, ut inſtitutum illud ne abjiciat, vitamq; illi & otium ad illud feliciter exequendum merito apprecamur. Denique & Viri Clarisſimi *Theodori Janſonii ab Almeloveen* Auctarium ac Variorum Collectanea in Gloſſarium Iſidori ſub calcem totius operis ſubjiciuntur.

## SAGGIO DELLA SCIOCCHEZZA DI NICOLO MACHIAVELLI.

h. e.

*SCRUTINIUM STULTITIÆ MACHIAVELLI SOLO ETIAM diſcurſu naturali ſic detecta, ut pateat, axiomata ipſius præcipua communi quoq; orbis terrarum utilitati atque commodis repugnare; auctore JO. LAURENTIO LUCCHESINIO, S. Jeſu, S. Congr. Rituum Conſultore.*

Romæ, typis R. Cameræ Apoſtolicæ, 1697, in 4. Alph. 1. plag. 22.

POſt Anton. Poſſevinum, Innocent. Gentilletum, Thom. Bozium, Ribadeneiram & alios Machiavelli antagoniſtas, præſens quoque harum Lectionum, quæ Illuſtri *Magliabechio* curante ad nos nuperrime pervenerunt, Autor celeberrimus flagitioſa ejus dogmata, quibus civilem doctrinam corrupit, aggreſſus eſt. Cujus quidem inſtitutum eo tendit, ut non tam, quod cum pietate maxime atq; divini verbi ſancitis φορτικὰ iſthæc ἀκέσματα pugnent, quod a plerisque factitatum hactenus, quam quod noxia eadem quoque ſint, atque privatum cujusque Principis commodum (quod Intereſſe vocant) evertant, ne hac etiam ſpecie pluribus dehinc imponant, demonſtret. Eam rem ut felicius expediret, Salomonis Proverbia, veras quippe illas regnandi artes

artes & normam continentia fundamenti voluit eſſe loco, quorum capitis I verſus XII priores ita expoſuit, ut Salomonis conſilia promovendis non minus hujus vitæ commodis inſervire, & quemadmodum ab iisdem longiſſime recedant Machiavellica deliramenta, ſic non poſſe non damnoſa eadem exiſtere, & perniciem afferre auſcultantibus oſtendat. Sic Lectione II occaſione verborum S. textus *v. 2. 3, 4. ad ſciendam ſapientiam, intelligentiam &c.* quales optimæ ſint Imperantis dotes & virtutes, & quæ vera illa Status ratio ſit, explicatur, & caput XVIII *Principis Machiavelli* ſimul impugnatur. Sic Lectione XVI occaſione verborum v. 7 *Timor domini principium Sapientiæ*, ejusdem alterum impium aſſertum, quod idololatria Romanorum magnitudinem & fortitudinem bellicam promoverit, evertitur. Singula vera themata exemplis illuſtrantur ex ſacra divini codicis atque profana quoque hiſtoria depromtis.

*ACCESSIONUM HISTORICARUM TOMUS II. CONTINENS potiſſimum Chronicon Alberici Monachi trium Fontium, diu deſideratum & e Manuſcriptis editum a G. G. L.*

Hannoveræ, apud Nic. Förſterum, 1698, 4. Alph. 4. pl. 21.

PRoſequitur inſtitutum ſuum, de quo menſe hujus anni Martio pag. 149 diximus, Illuſtris Acceſſionum Hiſtoricarum Editor, *Godefridus Guilielmus Leibnitius*, jamque *Albericum*, Ordinis Ciſtercienſis in cœnobio trium fontium, quod ad Leodienſem Diœceſin ſpectat, monachum, Chronici a mundo condito ad annum usque Chriſti 1241 producti auctorem, e tenebris in lucem publicam protraxit. Etſi enim verſatum Chronicon illud dudum fuerit doctorum virorum manibus, cujus auctoritatem jam ſuo tempore paſſim ſequi ſe profeſſus eſt Chronici magni Belgici Scriptor, idemque Canonicus quondam Regularis prope Nuſſiam, & e recentioribus tum viri alii clariſſimi, tum Jo. Jacobus Chifletius inprimis magni æſtimarunt; editionem etiam illius Andreas Quercetanus, ut Aubertus Miræus in Auctario Scriptorum Eccleſiaſticorum memorat, molitus fuit: hactenus tamen, quod ſciamus, typis illud excuſum nuſpiam comparuit. Itaque optime de Orbe Literato meritus eſt celeberrimus Leibnitius, dum integrum, antiquum & membranaceum illius codicem nactus, omnium uſui Chro-

nicon hoc expoſuit, vel eo nomine merito commendandum, quod in digerendis illuſtrium Familiarum genealogiis magna in eo diligentia eluceat, qualem in aliis iſtorum temporum Scriptoribus, ſi unum nondum editum, qui ſeculo XII floruit, & Leibnitio noſtro teſte, cognationes familiarum nobilium ſtudioſe itidem explicuit, excipias, fruſtra quæſiveris. Tametſi nec quoad ipſam rerum geſtarum hiſtoriam ſterile adeo Chronicon eſt, quin in eo recenſeantur alibi non obvia (quale e. g. eſt, quod nonniſi in eo, & ex illo in Chronico magno Belgico ſe legiſſe Leibnitius teſtatur, Fridericum nempe Barbaroſſam, cum primum in Italiam tenderet, in frequenti Procerum Germaniæ conventu conſtituiſſe, ut ſi forte tunc extingueretur Suevica ſive *Wibelingiadum* adoptivorum familia, Imperium in Henricum Leonem *Guelfum* transferretur) & in eodem ſelectiora librorum, qui dudum periere, loca conſervantur, imo & editi nonnulli Scriptores, quorum verba hic illic recitantur, emendari ex illo poſſunt. Sed de his ipſam Illuſtris Editoris præfationem, inque ea elegantiſſimam de Hugone a S. Victore, qui Saxoniæ & Blanckenburgenſium quidem Comitum familiæ vindicatur, digreſſionem, nec non Annotata præfationi prioris Acceſſionum Hiſtoricarum voluminis adjicienda, ab unoquoque legi malumus. Nos vero nonniſi aliquod Præfationis hujus velut ſupplementum, ab ipſo celeberrimo Editore, ut in Actis noſtris publicaretur, transmiſſum hic annectemus.

*Abſentia Editoris a typographicis operis & feſtinationis neceſſitas ob nundinas imminentes effecere, ut nonnulla in præfatione exciderent aut tranſponerentur. Addere ſcilicet operæ pretium fuiſſet, Johannem Pariſinum, Canonicum apud S. Victorem, qui in Memoriali Hiſtorico Hugonem a S. Victore Saxonem genere & ortu præpotenti parentela fuiſſe ſcripſit, extare in Scriptoribus Francicis Duchenianis. Et ubi refertur Cl. Paulinum Meibomio ſeniori tanquam primo autori deductionem Hugonis ex Blankenburgiis Comitibus tribuere, adſcribendum erat, idem tamen jam ante diſerte haberi in Manuſcripto Chronico Halberſtadenſi Winnigſtadii, celeberrimo Meibomio nepote etiam teſtante. Et cum pagina ſequente bient verba, quibusdam neſcio quo caſu omiſſis, poſt hæc verba: avunculumque ſimul Halberſt. Archidiaconatum tenuiſſe, addendum:* quorum ratio commode reddi non poteſt; *quibus deinde ſubjiciendum, niſi Reinhardo Epiſcopo fundatori aut vicinos aut cognatione*

pro-

*propinqua junctos fuiſſe ponamus.* *Pag. proxima, quæ eſt* )(. )(. 2, *verba* ex conjectura opinor Viri docti *referenda erant ad id quod dicitur de diœceſi Catalaunenſi, tanquam in ea ſit Monaſterium trium fontium, quod habet codex Claramontanus manu recentiore ſcriptus ex conjectura opinor Viri docti & Bibliotheca Ciſtercienſi Caroli de Viſch. Nam diœceſis Leodienſis in codice meo membranaceo, pariter ac recentiore Gvelfebytano, diſertis verbis nominatur. In Leodienſi certe diœceſi vixiſſe. &c. &c.*

*Sphalmata etiam nonnulla ob dictas cauſas, in extrema præſertim parte operis, incorrecta manſere. Ita ſub initium Variarum Lectionum ponitur, unum tantum prioris partis Alberici* fruſtum *affuiſſe, pro quo legi debet* Mſtum. *Et anno 1214 p. 473 in literis quæ ibi dicuntur Amphibologicæ, omittenda erant commata; & ann. 1220 pro Bononia civitate Angliæ, leg.* Italiæ, *& ann. 1224 pro Vernoith, forte* Vernoilh, *id eſt Verneuil; & anno 1226 pro Benbinhuſen leg.* Bebinhuſen, *& ann. 1239 p. 571 pro Romani leg.* Comani.

## *EVANGELIUM MEDICI, SEU MEDICINA MYSTICA, DE ſuſpenſis Naturæ legibus, ſive de miraculis reliquisque ἐν τοῖς βιβλίοις memoratis, quæ Medicæ indagini ſubjici poſſunt. Auctore BERNARDO CONNOR, M. D. e Regia Societate Londinenſi, nec non e Regali Medicorum Londinenſium Collegio.*

Londini, apud Samuelem Briſcoe, 1697. 8. plag. 19½.

CUm multi ſint, qui in dubium vocant commemorata in ſacris literis miracula, hac potiſſimum ratione moti, quod mente concipere non poſſint modum, quo illa fuerint producta, hos ut refelleret doctiſſimus Auctor, in libro præſenti demonſtrare ſuſcepit, non magis arduum eſſe conceptu, quomodo infinita Numinis potentia miracula, in homine præcipue, operetur, quam quo repetit indies neglecta naturæ phænomena. Hunc ergo in finem primum de ſtatu corporis præſertim organici ſecundum naturam agit, tres ſtatuens hominis partes, ſpiritum nempe ſeu ſubſtantiam cogitantem, corpus, h. e. partium ſolidarum ſeriem & fabricam, & animam ſeu fluida corporis; harumque poſteriorum partium œconomiam & uſum breviter explicat. Hinc ad ſtatum corporis humani præter naturam pergit, qui in depra-

vata aut perturbata partium ſolidarum& fluidarum diſpoſitione conſiſtit, qua omnia vel aliqua corporis ſeorſim, aut animi, vel utriusque ſimul munia læduntur, aut quædam abolentur, & de morbis nonnulla commentatur. Tandem ad ſtatum corporis humani ſupra naturam tranſit, inculcans, ſupremum rerum Opificem, qui ſolus ſit unica & immediata effectuum omnium cauſa, etiamſi per motus leges, quas ipſe ſancivit, omnes naturæ effectꝰ ut plurimum hactenus produxerit, poſſe tamen pro arbitrio vel easdem leges abolere penitus, vel ſuſpendere aliquandiu, prout ipſi libitum fuerit, & ſuſpenſis illis legibus diverſos effectus vel novos creare. Cum enim motus ſit effectuum omnium unica cauſa, ipſeque unice & immediate a Deo ſolo procedat, adeoque materia, ejusque figura & moles, quæ vulgo naturales ſeu ſecundæ cauſæ dicuntur, veræ cauſæ non ſint, ſed tantum paſſiva quædam, apta tamen inſtrumenta & occaſiones, quæ ſummum Opificem ad producendos, ſecundum leges a ſe latas, effectus determinant; manifeſtum eſſe putat, immenſam Dei potentiam, etiam ſine ulla motus lege & naturæ auxilio, varia in corporibus admiranda efficere. Quoniam autem tres præcipuæ ſunt motus leges, nimirum (1) Corpus, quod movetur, ab alio movetur; (2) Corpus in motu poſitum obviis corporibus, ſi molis non ſint ingentis, motum communicat; (3) Corpus in motu poſitum in motu ſemper conſiſtit, donec motum alteri corpori communicaverit: Auctore judice, hæ leges ita ſuspendi poſſunt, ut (1) Deus moveat corpus, ſine occaſione alterius corporis irruentis; (2) data corporis irruentis occaſione, Deus non moveat impulſum corpus; (3) Deus corpus in motu poſitum ſubito ſiſtat, non communicato eodem alteri corpori. Primæ autem legis ſuspenſione facta, cum corpus tripliciter moveri poſſit a Deo, ut ſcilicet vel motu totius uniformi & cum tota ſua mole moveatur; vel ſingulæ minutiſſimæ ejusdem particulæ non tantum communi totiꝰ, ſed etiam proprio motu agitentur; vel ſingulæ exiliſſimæ particulæ non tantum moveantur, ſed etiam figuras deponant & novas recipiant: juxta primum ex his modis plane concipi poſſe cenſet experientiſſimus Auctor, quomodo aſpectabilis hæc Mundi materia in tam diverſas partes, in tam miras formas diſpoſita ſit & coagmentata; quomodo rurſus in priſtinum ſuum chaos reduci poſſit; quomodo corpora ſine naturali impellente per aërem ferri, maria removeri, nec non aquæ abyſſi ſupra

terras

terræ ſuperficiem evehi & terram inundare poſſint: juxta ſecundum autem movendi modum, qua ratione homo, ex motus inteſtini in fluidis corporis defectu mortuus, reſtaurato principiorum ſanguinis motu, ad vitam revocari; quomodo materia morbida in toto ſanguine vel aliqua corporis parte latitans ſubito auferri, vel intus corrigi poſſit, ut cœci videant, ſurdi audiant, muti loquantur &c. contra vero nervorũ canaliculi aliena materia infarciri & obturari, ut homines ſurdi, muti, cœci evadant, imo tota ſanguinis maſſa corrumpi & inquinari, latentes morborũ fomites ſuſcitando, & novas figuras iisdem imprimendo, ut homines peſte, lepra, aliisque morbis corripiantur: juxta tertium denique illorum modorum, quomodo (cum corpora inter ſe non diſcrepent, niſi quoad molem, texturam, figuram & proportionem molecularum, ex quibus conſtant) aqua in vinum aut ſanguinem, corpusque humanum in ſalem poſſint commutari. Porro ſi ſecundam motus legem ſuſpenſam ponamus, poterit corpus humanum famelicis ſævientium belluarum rictibus expoſitum illæſum perſiſtere, & vita frui ceti ventriculo concluſũ; poterit rubus coacervatis in vorticem flammis non comburi; poterit homo fieri immortalis, & in æternum vivere ſine alimentis, dum principiorum attritio & tranſpiratio præpeditur, ut nullum eorum fiat diſpendium. Tertia denique lege ſuſpenſa, poterit flumen ad mare properans in curſu ſiſti, Solis motus inhiberi, ſingularum, ex quibus fluida conſtant, particularum motus inteſtinus coërceri, ut ex fluido fiat ſolidum corpus, & mare in parietes hinc inde diviſum ſolideſcat, poſſitque humanum corpus aquæ aut aëri inambulare.

Quibus generatim explicatis, ſpecialia quædam miracula declarare aggreditur Auctor, qualia ſunt corporis humani ortus miraculoſus ejusdemque reſurrectio. De his ita diſſerit, ut primo recenſeat modum, quo generationis opus, ſecundum ſtatutas naturæ leges, perficitur. Cum autem generatio aliud nihil ſit, quam ſtaminum in ſemine ſeu ovo muliebri contentorum debita expanſio & rarefactio, a fermento maris prolifico facta, idque cauſa tantum ſit occaſionalis hujus motus a Deo producti, hinc efficit, Deum ſine ullo fermenti virilis appulſu aut miſcela, ſtamina, quæ ipſe jam dudum ſolus in debitam ſeriem & ordinem diſpoſuit, expandere & ita diſponere poſſe, ut ovulum in uterum virgineũ delapſum incrementa ſumat, & in embryo-

bryonem fœtumque paulatim turgeſcat. Nec difficilius explicatu cenſet, quod Deus, eadem lege motus ſuſpenſa, hominem ex informi gleba, ſeu certa terræ, ſalis, aquæ & ſulphuris portione condiderit, cordiq; & fluidis partibus impreſſerit motum, aut ex coſta viri fœminam formarit, ita ut vel paucæ viriiis coſtæ materiæ, tanquam ſtabili baſi, nova ſuperaddita ſit materia, ut fœminæ ſtatura viri ſtaturæ pro generanda prole reſponderit, vel fœmina primum cum puſillo formata corpore, ex aſſumtis indies alimentis ad debitam muliebris corporis magnitudinem, puellarum more, paulatim adoleverit. Quod ad reſurrectionem corporum demortuorum attinet, vel illorum partes ſolidæ adhuc integræ ſunt, vel in minimas moleculas hinc inde diſperſas reſolutæ. In priori caſu Auctor facile concipi poſſe cenſet, quod reſuſcitari poſſint corpora, ſi ſuſpenſa lege motus prima, ceſſans fluidorum motus reſtauretur, vel effuſus ſanguis venis reſtituatur: in poſteriori autem ita requirit ſuſpenſionem legis motus primæ, ut Deus colligat non ſolum particulas, quotquot ad idem corpus conſtituendum ſufficiunt, ſed easdem quoque illis figuras imprimat, apteque diſponat; ſi vel maxime ponamus, easdem a ſe invicem longiſſime eſſe diſſitas, &, poſt tot annorum orbes, figuras & naturam ſuam ſæpius depoſuiſſe, ut v. g. quod corpuſculum olim ſulphur fuit, nunc fortaſſe ſalis naturam induerit, & quod terræ quondam, nunc aqueæ ſit indolis. Ut enim idem corpus reſuſcitetur, neceſſarium eſſe judicat, ut non ſolum adſit una eademque numero materia, & una eademque terræ, aquæ, ſalis & ſulphuris proportio, ſed etiam partes illæ eundem ſervent ſitum, quem antea habuerunt, prætereaque ut partes, quæ nunc ſunt ſulphureæ, aqueæ & terreæ, eædem ſint, quæ olim fuerunt ſalinæ, ſulphureæ, aqueæ & terreæ; neq; tamen opus eſſe cenſet, ut tota eadem materiæ moles & quantitas, & idem elementarium particularum numerus, iterum ſibi aptetur & reſurgat; cum ut aliquod idem ſit corpus organicum, non neceſſe ſit, ut habeat easdem omnino dimenſiones, aut molem, aut pondus, ſed ut habeat eandem materiam cum eadem organorum fabrica, ſitu & numero. Ex quibus porro colligit, corpora hominum non reſurrectura cum tota illa materia, cum qua moriuntur, nec cum tricenarii hominis ſtatura, ſed cum eodem corpore & cum eadem materiæ quantitate, cum qua primo nata ſunt, imo forſan cum qua in utero generata ſunt, dum illis ſpiritus cogitans conjunge-

jungebatur, ita ut omnes homines futuri ſint ejusdem magnitudinis. Credibile quoque exiſtimat, corpus noſtrum reſurrecturum cum iis duntaxat partibus, quæ ad vitam conſtituendam & conſervandam omnino neceſſariæ ſunt, cariturum autem organis, quæ præparando chylo & ſecernendis a ſanguine humoribus, vel etiam reſpirationi ſunt deſtinata, cum nullum olim futurum ſit ſpirituum aut ſanguinis diſpendium, neque partium ſolidarum a ſanguine nutritio, ſed una eademque, quæ renata eſt, ſanguinis, ſpirituum & partium ſolidarum quantitas incorrupta ſemper, juxta ſecundæ legis motꝰ ſuſpenſionem, perduratura; ita ut corpus redivivum non ſolum tota poſt ortum advena materia, ſed etiam ab omnibus fæculentis partibus expurgatum, & ſuperfluis organis tanquam exuviis ſpoliatum, ad minimam molem reducat & volumen, nec tamen deſinat eſſe totum & integrum corpus humanum, quia omnibus partibus in hoc ſtatu ad vitam neceſſariis conſtat. Unde concludit, fore ut homines, qui cum naturali ſeu ponderoſo & craſſiori corpore olim obierunt, cum ſpirituali quodam microſomate ſeu puſillo corpuſculo, paſſerum forſan, imo fortaſſis & muſcarum inſtar, leves maxime, agiles, & ſumme mobiles renaſcantur. Porro Auctor, an multiplex eſſe poſſit corporis humani præſentia, disquirit, affirmans, quamvis omnia argumenta, quæ hactenus allata ſunt, ut multiplex corporis noſtri præſentia probetur, non tantum rationi, ſed etiam corporis cujusvis, præcipue organici, naturæ & ſtructuræ penitus repugnent, ſe tamen poſt diuturnum per devias naturæ ſalebras ſcrutinium, dum forte de exilibus embryonis ſtaminibus, & de diverſis nutritionis gradibus cogitaret, clare tandem & perſpicue concepiſſe, quod ſuum vel Theobaldi corpus, operante Numinis potentia, novo quodam ſed unico tantum modo, & in peculiari quodam ſenſu, ita vere multiplicari poſſit, ut integrum & vivum poſſit eſſe in plurimis diſſitiſſimisque locis, in eodem temporis momento, non tamen cum ſolita magnitudine; concipere autem haut potuiſſe, hominem totum, ſeu corpus ejus cum anima, poſſe eſſe duobus in locis ſimul, in eodem inſtanti: neque tutum tamen aliis, nec ſibi congruum viſum fuiſſe, enodatum hocce problema promulgare, quod quidam ex amicis veriti fuerint, id novis inter literatos litibus, bellis inteſtinis, & neſcio quibus tumultuoſis erroribus, originem daturum. Cæterum cum non in humano ſolum corpore, ſed etiam anima rationali miracula

cula producta legantur, hæc quoque illuſtraturus Auctor primum agit de ſtatu animæ ſecundum naturam, queſtus animam deſcribi ſatis non poſſe, cum non plane ſciatur, quid ſpiritus ſit,& fortaſſis anima conſtet ex ſui generis materia, ſubtilitate, agilitate, & pluribus aliis proprietatibus ætherem longe ſuperante. Deinde exponit,quis uſus ſit animæ humanæ in corpore,quem,cum anima non ſit cauſa motuum vitalium, in eo reponit, ut ſenſus ſit auctor & liberi motus arbiter,hoc eſt,ut ideas habeat & conceptus de ſuo corpore & de omnibus circumſtantibus, tam nocivis quam ſalubribus corporibus, corpusque in motum agat, ut noxia corpora fugiat, & proficua complectatur, corpusque adeo noſtrum juxta rationis normam gubernet & conſervet. Quomodo autem anima & corpus in ſe mutuo agant, id quidem fatetur Auctor nullis poſſe mechanicis legibus explicari, ſed ad Deum omnino confugiendum eſſe, qui dum illas diverſæ naturæ ſubſtantias connubio quodam aſſociavit, leges quasdam & quaſi pacta conventa inter utramq; ſtatuerit,quarum prima ſit, quod juxta peculiares in humano corpore motus, peculiares in animo excitari debeant ideæ; altera, quod ſecundum diverſas animæ cogitationes & affectus,peculiares in corpore motus debeant produci. Quibus legibus ſuſpenſis a Deo, exoriatur animæ ſtatus ſupra naturam, ut (1) anima poſſit cogitare, ſine ulla facta in organis ſenſuum impreſſione; (2) hac facta, anima poſſit non cogitare; atque adeo prioris legis ſuſpenſione facta, homo quivis ſine ullo ſtudio, ſine ullis præceptis, & ſine ullo prorſus animi labore poſſit, quæ ante multa ſecula evenerunt, certo dijudicare, quæ poſt multa ſecula futura ſunt, certo vaticinio prædicere, & aliis ſub aptis diverſorum ſonorum & linguarum vocabulis exponere, latentemque ſomniorum, aliarumque myſticarum rerum ſenſum cæco caliginis velo tectum explicare, & in apertam lucem proferre: quoad ſecundæ tandem legis ſuſpenſionem, poſſit homo, etſi toto corpore ſanus ſit,& nullo ſomno,veterno, aut apoplexia correptus, in claro meridie adſtantes homines, aut aliud quoddam obvium corpus, apertis oculis non videre. Quæ quidem omnia maturo Auctor eruditorum judicio emendanda ſubjicit, nec non probis & ſagacibus rerum ſacrarum præconibus fidei myſteriis, patefacto jam itinere, applicanda relinquit. Nos vero exponere hæc more noſtro voluimus, i. e. hiſtorice, cenſura Lectoribus relicta; quibus nam ea, quæ

para-

paradoxa in iis ſunt, omni ex parte ſe ſint probatura, non ſine cauſa forte dubitamus. Subnexæ huic libro ſunt duæ Auctoris epiſtolæ, in quarum prima ad nobilem virum D. Eduardum Suthwell S. R. Socium ſcripta, ſuam de ſecretione animali ſententiam dicit, rejectisque aliorum hypotheſibus, affirmat, veram rationem, cur bilis v. g. in hepate ſecernatur, non eſſe, quod ſimilis ſit pori & humoris figura, ſed quia integrantes ſucci bilioſi partes ſeu moleculæ, ex peculiari ſuorum elementorum proportione, atque ex conſimili textura & figura, ſibi ipſis facilius uniri poſſunt, quam moleculis lymphæ, urinæ, aut alterius liquoris, ac proinde bilis per glanduloſos acinos, quoniam per ipſos primo poſt fœtus conceptionem in utero filtrari cœpit, ad vitæ terminum cribrari non deſinit; perinde ut per chartam bibulam oleo imbutam, ſi eidem aqua cum oleo commixta affundatur, oleum tantum, non aqua, transmittitur. In altera epiſtola ad literatum quendam Cantabrigienſem data, Sciagraphia exhibetur Oeconomiæ animalis, demonſtratæ Oxonii primum A. 1695, deinde Londini, & tandem Cantabrigiæ A. 1696.

## *BATH MEMOIRS: OR OBSERVATIONS IN THREE AND forty Years Practice &c.*

h. e.

## *OBSERVATIONES THERMALES QUADRAGINTA TRIUM annorum, ſeu Curationes morborum thermarum uſu tam externo quam interno perfectæ, benedicente Deo, dirigente ROBERTO PEIRCE, Doct. Medico & Socio Collegii Medici Londinenſis.*

Briſtolii, apud H. Hammond, 1697. 8. Alph. 1. plag. 4.

QUi literis Hiſtorias has Medicas conſignavit experientiſſimus Auctor, ab anno 1653 usq; ad annum 1697 perpetuus urbis, quæ a thermis nomen habet, incola fuit, illasque ſolum conſignavit, quarum ipſe fuit teſtis, non ſectatus incertas aliorum relationes. In Præfatione inter hypotheſes, ex quibus declarari ſolet thermarum calor, illam, quam Henricus Rochas commentus eſt, maxime probabilem judicat, quod ſcilicet ex conflictu variorum ſalium aliorumque mineralium & metallorum conſtans ille calor progeneretur, non vero ab actuali

igne ſuppoſito ducat originem; cum aqua ad ignem maxime fervefa-ćta calorem non retineat ad 17 horas, id quod tamen facere ſolent aquæ thermarum. Cæterum hiſtorias illas in duos digeſſit libros Cl. Auctor, quorum primus de uſu thermarum externo, ſecundus de interno agit, quorum hic dudum intermiſſus, ante paucos annos denuo introductus fuit. Singula librorum capita peculiari morbo ſunt deſtinata, a quo thermis uſi (qui plerumque ſuis deſignantur nominibus) convaluerunt. Et in primo quidem libro comparent dolores vagi & fixi, malum iſchiaticum, ſtupor artuum & paralyſis, arthritis, morbi cutanei, morbique mulierum & infantum. Secundus complectitur (poſt uſum aquæ potionis in genere explicatum) morbos pectorales, palpitationem cordis, hydropem, diabetem, cachexiam, ſtomachi infirmitates, morbosque viæ urinariæ. Ex quibus exemplis omnibus concludit, aquas thermales debellando maximo morborum numero pares eſſe; ſicubi autem noxam aliquam ægro attulerint, eam non thermis, ſed pravo, & ſine medici conſilio ſuſcepto illarum uſui eſſe adſcribendam.

## Die ältiſte Teutſche ſowol allgemeine/als inſonderheit Elſaßiſche und Straßburgiſche Chronicke.

Hoc eſt:

*VETUSTISSIMUM CHRONICON GERMANICUM UNIVERſale & Alſaticum JACOBI de KONIGSHOFEN, nunc primum editum ex manuſcriptis, & Obſervationibus Hiſtoricis illuſtratum a D. JOH. SCHILTERO.*

Argentorati, apud Joſiam Städelium, 1698, 4. Conſtat alphab. 7. plag. 12. & aliquot fig. æn.

JAcobus de Königshofen, cui & Tvvingeri cognomen a nonnullis tribuitur, nobili ſtirpe apud Argentoratenſes ortus, & Presbyterorum urbis patriæ ordini adſcriptus, ſeculo poſt natum Chriſtum decimo quarto inclaruit, nominique ſuo famam poſthumam conciliavit, ſcripto lingua Germanica Chronico, quo res inde ab orbe condito geſtas, & hiſtoriam præ cæteris Alſatiæ, ac primariæ ejusdem urbis Argentinenſis illuſtrare ſtuduit. Nec medio-

diocrem opus hoc applauſum apud eruditos conſecutum eſt, qui iſtud olim ἀνωνύμως ſub titulo, *Chronick uff unſer Frauen Haus*, a loco, ubi manuſcriptum aſſervabatur, frequenter allegarunt. At nemini hactenus integrum fuit typis iſtud publicis exſcriptum legere; quamobrem circa hauſtas ex eodem narrationes fides adhibita iis, qui manu exarata illius exemplaria ſe evolviſſe teſtati ſunt. Prout autem hæc non potuerunt non a deſcribentibus variis interpolationibus modo augeri, modo minui, modo alias corrumpi: ita vel eruditiſſimos quosq; ad incerta de hoc Auctore teſtimonia edenda ſeduci paſſim contigit, quos inter celeberrimus etiam Gerhardus Johannes Voſſius non depravatum modo ejus nomen ſuo de Hiſtoricis Latinis tractatui inſeruit, Kongelshovium eundē nominans, ſed & circa ſolam Argentinam hæſitaſſe laborē ejus innuit, atq; hunc inſuper ad annum 1400 protractum affirmavit, cum tamen & univerſalem ille Hiſtoriam perſequatur, & in anno 1386 jam tum deſinat. Dudum equidem eſt, quod Franciſcus Guillimannus, a quo ſub Latino Regiovillani nomine citatur, editurum ſe Auctorem hunc promiſit; fidem vero ſuam, incertū qua de cauſa, nunquam is exſolvit. Sibi ergo relictam arbitratus hanc provinciam *Schilterus* Illuſtris, optime non de Auctore ſolum iſto, ſed & de inclyta Argentoratenſium urbe mereri per accuratam illius editionem voluit. Et hanc quidem ita adornavit, ut textum ante omnia ipſum, cum variis bibliothecarum qua publicarum qua privatarum codicibus probæ notæ manuſcriptis collatum exhibeat, ne apice quidem ullo uſpiam mutato, tametſi dialectus iſtorum temporum loquendi conſuetudinem ſecuta alicui paulo horridior apparere poſſit. Sua namque utilitate haud carituram ejus lectionem ſibi penitus perſuaſum habuit, cum ea mediante in ſenſum veterum vocabulorum non ita aliunde cognitorum penetrare liceat. Id quod ſtatim in præfatione nobili quodam exemplo manifeſtum reddit. Vocem nempe *Gleſe*, in antiqua Imperii matricula ſæpius occurrentem, a nemine JCtorum ante Goldaſtum exponi potuiſſe ait; quem tamen ipſum circa eam humani quid fuiſſe paſſum oſtendit, dum per Germanicum *Lanzze*, quod equites quatuor deſignet, interpretandam autumarit. Notaſſe hunc illius errorem Ericum equidem Mauritium obſervat, ſed ita tamen, ut alium errorem in iſtius locum ſubſtituerit, vocem iſthanc reddens per peditem, cum ſane equitem potius eadem innui e Chronico præſenti pateat,

ubi inter alia Cap. II. §. 198. memoretur *ein Heer von 1500 Gleſen und 30000 Fusgöngere*, h. e. exercitus equites 1500, peditesque 30000 continens. Varias deinde lectiones ad marginem adjungit, inque hoc non minus ac in fine paginarum, Auctores alios, apud quos hiſtoriæ in Chronico hoc enarratæ itidem leguntur, nominat, ac notulas quandoque breviores ſuperaddit, quibus præter allatas in medium illuſtrationes textus alias, antiqua maxime vocabula præ cæteris obſcuriora explanat. Inſuper cum Latinum quoque Chronicon Königshofius concinnare inſtituerit, ex eo nonnulla ſubinde cum Germanica narratione confert; quamvis Latinam iſtam ſcriptionem pro imperfecta ſe habere non diſſimulet, eamque operis majoris apparatum modo quendam continere opinetur. Præcipuam vero Editor doctiſſimus induſtriam contulit in unam & viginti obſervationes Hiſtoricas prolixiores, quæ abſolutum demum opus Königshofianum integrum excipiunt, ac pro occaſione nobiliſſimorum ejus lemmatum, diſcurſus ſolida & varia eruditione refertos complectuntur.

Cæterum non eſt, ut ex Chronici hujus contentis multa in præſens decerpamus. Sequi Auctorem ubivis deprehendas Hieronymianum Euſebii Chronicon, Martinum item Polonum, Vincentium Bellovacenſem, & quosdam id generis Scriptores alios, qui, cum non raro fabulas venditare pro hiſtoriis conſueverint, & Noſtro anſam a veritatis tramite non ſemel aberrandi ſuppeditarunt; ac proinde narrationes aliquot confictas facile quis ei condonabit, ſi præſertim iſtud, quo ſcripſit ille, ſeculum his talibus valde omnino delectatum fuiſſe cogitaverit. Seria interim & jocis nonnunquam haud illepidis temperat, velut ubi mox ab initio quæſtionem inſpergit: cur fœminæ viris utplurimum loquaciores ſint, ac in ſocietatem coëuntes confabulandi modum vix tenere valeant? Et ejus rei cauſam inde derivat, quod Adamum ex humo, Evam vero ex coſta condere Creatori placuerit; jam oſſa in vaſe quodam gyrata ſtrepitum nunquam non majorem edere infert, quam ſi humi particulas eidem ingeſtas circumagitaveris.

Magis vero ſibi nos poſtulant utiliſſimæ, quas Editorem addidiſſe diximus, obſervationes, quæ præter plurima diplomata antiqua, actaque & obſervata ex Archivis omnium rariſſima (in quibus ſubminiſtrandis facilem admodum ſe præbuiſſe Illuſtrem Obrechtum gratus pro-

profitetur, ) varia quoque alia, eaque ad eruditionem imprimis hiſtoricam ſpectantia, non citra inſignem Lectoris fructum pariter ac voluptatem accumulant. Nos igitur in ſpecimen nonnulla hinc depromere conſultum arbitramur.

Obſervatione *prima* literas non a Moſe demum inventas, ſed ſtatim a mundi exordio a Deo angelisque hominibus commonſtratas fuiſſe probat, ac deinceps ad vexatiſſimam de inventione typographiæ quæſtionem excurrit, latius evincere ſatagens, quod iſtius gloria nonniſi Argentoratenſibus debeatur. In *tertia* de feſtis diebus in honorem B. Mariæ Virginis inſtitutis erudite diſſerit. In *quarta* Bullam Clementis VI angelis mandantem examinat, eamque allegatis Baluzii argumentis pro ficta habendam venire innuit. In *quinta* fabulam de Francis originem ſuam Trojanis debentibus conſiderat, eamque poſt indagatum ejus ortum explodit. Catalogum Epiſcoporum Argentinenſium, ab Erkenbaldo Latinis verſibus comprehenſum, ex Chronico Königshofii Latino pleniorem, quam vulgo hactenus comparuit, in *ſexta* legendum exhibet. In *ſeptima* originem Majorum Domus in Gallia inde a temporibus Ansberti & Blithildis derivandam eſſe probat, eumque in finem carmen iſtud antiquiſſimum de origine & exordio gentis Francorum, quod A. 1644 primus edidit Aquinas a S. Joſeph, quodq; ſententiam modo memoratam affatim corroborat, una cum ſchemate genealogico ad iſtius ductum formato ſubnectit. *Octava* obſervatio genus atque vitam S. Attalæ, primæ cœnobii S. Stephani Argentinenſis Abbatiſſæ, latius perſequitur, & e reliquiis ejusdẽ, quæ hodienum monſtrantur, abſciſſam a fure quodam juſſu Verntrudis, Abbatis Hohenburgenſis, manum æri inciſam repræſentat, & verba, quæ lapidi pretioſo eam continenti inſcripta ſunt: GOTHE FRIT GOTHEFRIT. CIDE LERE DÕ. DA, ita exponit: *Gottes Fried, Guter Fried; Zeiten Lehre tödtet*, h. e. Dei pax, bona pax; ſeculi dogma occidit. Argentoratum non a Clodovæi demum ævo, ſed inde a temporibus longe antiquiſſimis Monaſterium (*das Münſter*) habuiſſe, iſtamque Eccleſiam ſemper cathedralem fuiſſe, adverſus Oſeam Schadæum obſervatione *nona* demonſtrat, ac ejus varias mutationes & acceſſiones enarrat, ornamenta inſuper, raraque & pretioſa, quibus ſuperbit, cimelia, nec minus epitaphia quædam antiquiſſima commemorat, tandemque in horologio ejus artificioſiſſimo deſinit, cujus deſcri-

ſcriptionem a Conrado Daſipodio (qui iſtius una cum Davide Wolckenſteinio ſtructorem egit, ) conceptam apponit. Argentorati nomen, poſt urbis hujꝰ antiquitatem, obſervatione *undecima* indagat, primoq; iſtud Argentoractus pronunciatum fuiſſe exiſtimat, compoſito hoc ex actꝰ & argentarius vocabulo, & appellatione iſta loco huic eam ob rem indita, quod ex indultu Romanorum Imperatorum argentarii in armis argento veſtiendis occupati actus ſuos ibi exercuerint. Situm vero ejus primum non minus ac primam ejus amplificationem in adjecto ſchemate ichnographico ſpectandum ſiſtit, atq; in ſequenti *duodecima* antiquiſſimum illius regimen deſcribit: ubi ad leges tunc receptas delatus, veterem Alamannorum legem temporibus Lotharii Auguſti latam ex MSto optimo Latinam primum, & poſtea ex ſua verſione Germanicam notis peculiaribꝰ ſtipatam adjungit; ut veteres illius civitatis articulos, Lotharii & Philippi privilegia, aliaque iſtiusmodi monumenta, quæ heic itidem publicantur, taceamus. Obſervatione *decima ſeptima*, qua de bello ab Armeniacis A. 1439 & 1446 concitato (*dem armen Gecken Kriege*) agit, ex Archivo Argentoratenſi acta atque annotata plurima rerum tunc geſtarum ſeriem apprime illuſtrantia producit. Monumenta, quæ ad factam Argentorati in Judæos nequiſſimos A. 1349 flammis feralibus animadverſionem, gentisque hujus A. 1369 ſubſecutam in urbem receptionem pertinent, in obſervationem *decimam octavam* conſtipantur. Trebetam, Nini Aſſyriorum Regis filium, primum urbis Trevirorum conditorem fuiſſe, atque in Argentoratenſes quoque dominium ſuum exercuiſſe, allatis obſervatione decima nona multis argumentis penitus inficiatur. Afflictionis illius, quæ ſicut ante alibi locorum, ita A. 1418 & in Alſatia plurimos ex utroque ſexu homines miro impulſu adegit ad ſaltationem, ob miſeros hos ad S. Viti ædem tunc ablegatos, vulgo *Veitz-tanz* dictam, obſervatione *vigeſima prima* meminit, & providam Senatus Argentoratenſis circa iſtos curam e literis quibusdam tunc in eorum gratiam exaratis celebrat.

Quod ſupereſt, in peculiarem adhuc appendicem congeſſit Editor ſolertiſſimus diplomata quædam & monumenta, quæ in antecedentibus obſervationibus ſuo loco commode inſerere non potuit, idonea tamen, quæ paſſim ibidem dicta confirmarent, reputavit. Quinimo poſt duos Indices locupletiſſimos, quorum alter vocabula antiqua

qua in Chronico Königshofiano obvia, & in notulis obſervationibus explicata, alter vero hiſtorias & res in univerſo opere tractatas complectitur, brevius aliquod Chronicon ad exemplar MStum Archivi Reipublicæ Argentoratenſis expreſſum comparet, in quo Auctor anonymus origines & fata civitatis *Friburgenſis in Brisgovia*, usque ad Maximiliani I. Imperatoris mortem, annumque adeo 1519 progreſſus, enarravit.

*PHILOSOPHIA MENTIS ET SENSUUM SECUNDUM utramque Ariſtotelis methodum pertractata, Metaphyſice & Empirice, a JOANNE BAPTISTA PTOLEMÆO, Soc. Jeſu.*

Romæ, ex typographia R. Cam. Apoſt. 1696, in fol.
Alph. 8. pl. 6. & fig. æn. tab. 4.
Auguſtæ Vindelicorum, apud Jo. Caſp. Bencard, 1698, fol.
Alph. 9. pl. 12. & fig. æn. tab. 4.

PHiloſophiæ Peripateticæ adeo hactenus adverſa fata fuere, ut a paucis æſtimata, plurimis etiam prorſus fuerit deſpectui. Nimirum vel ipſa illi antiquitas nocuit, vel interpretum ignorantia, quippe quos paſſim, ſpretis vel minus intellectis utilioribus, paleas legiſſe tantum, indeque inanes quasdam contentiunculas confinxiſſe conſtat. Sed videtur & Ariſtoteli obfuiſſe diſcipulorum pertinacia, qui quæcunque ejus præcepta, quantumvis abſona maxime (qualia multa deprehenduntur in Phyſicis) acerrime propugnare, quam vel latum unguem a Magiſtro diſcedere maluerunt. Quod cum probe advertiſſet Vir Clariſſimus, *Jo. Baptiſta Ptolemæus*, novo habitu Philoſophiam illam prodire voluit, ſi quisquam alius, feliciſſime Ariſtotelem cum recentioribus committens. Ita enim hoc Opere ſectatur Ariſtotelem, ut mathematica eaque facillima methodo utiliora ejus præcepta exponat, & præterea novos Philoſophos tantum abeſt ut faſtidiat, ut potius in conſilium ſæpius advocet, & recens inventorum, quæ jactant, pleraque Ariſtotelem haud latuiſſe doceat. Lectores vero ſuos admonet, ut primo maximi momenti negotium eſſe putent philoſophari, ac proinde ſtrenua diligentia digniſſimum; deinde ut ſibi perſuadeant vel fingant, hactenus ſe nihil noviſſe de rebus philoſophicis, atq;

atque adeo remotis præjudiciis cuncta animadvertant, nihilque veluti obvium & tritum negligant aut aſpernentur. Ita enim futurum ſperat, ut cuncta paulatim iis pateant, factoque a facilioribus initio ad ſublimia ſenſim ordine, quo ipſa gaudet natura, feliciꝰ detur aſcendere. Ut autem de methodo, quam Auctor doctiſſimus ſibi propoſuit, Lectori benevolo utcunque conſtet, ( univerſam enim œconomiam accuratamque membrorum ſingulorum connexionem hoc loco repræſentare, operoſum nimis foret,) in tres partes præcipuas totum opus distribuendum videtur, Logicam, Phyſicam, & Theologiam Naturalem. Et *Logica* quidem iterum tribus partibus abſolvitur, *Logico-Grammatica*, elementa Philoſophiæ ſeu linguæ Philoſophicæ inſtitutiones complexa, in qua termini primum, quorum in Philoſophia uſus eſt, explicantur, ac de propoſitionibus inde variisque earum affectionibus, de propoſitionibus item illativis, ac denique de ſyllogiſmo agitur: *Logico-Phyſica*, in qua tum de ſcientia in genere, tum de tribus ſciendi artificiis, definitione, diviſione & argumentatione accurate diſſeritur: & *Logico-Metaphyſica*, prima & generaliſſima humanæ mentis objecta exhibente, quippe in qua de impoſſibili & ente rationis, de poſſibili, de ente & ejus attributis, de ente relativo & abſoluto, de ſubſtantia & accidente disquiritur. *Phyſica* ſeu naturalium rerum Scientia ſimiliter tres partes complectitur, *Phyſico-Metaphyſicam*, quæ circa magis abſtruſa & ſecretiora occupatur, & de corporis naturalis idea & eſſentia, de corporum naturalium ortu & mutatione, de ente & non-ente, de modis, loco, tempore & quantitate rerum exponit: *Phyſiologiam generalem*, qua varia Philoſophorum de principiis corporis naturalis ſyſtemata expenduntur ac inter ſe comparantur, ſimulq; de cauſa efficiente, de motu item & impetu, variisq; ejus generibꝰ, nec non de qualitatibus & qualificationibus corporum diſceptatur: & *Phyſicam particularem*, in qua de mundo, & quomodo opere ſex dierum fuerit conditus, atque ſpeciatim de globo terraqueo, mundo ſubterraneo, atmoſphæra & meteoris, corporibus cœleſtibus; tum de elementis, aëre, igne, aqua, terra; de mixto inanimi, ſalibus, foſſilibus, lapidibus, metallis ac mineralibus; de corpore animali, vitaque plantarum nec non brutorum, de vi interna ſentiendi, de appetitu ſenſibili & paſſionibus, de motu animalium ſpontaneo ac naturali, de ſenſibus externis eorumque objectis juſto ſtudio diſſeritur. In *Theologia Naturali*

*turali* denique ſeu ſcientia de Spiritu & incorporeis, videas de Spiritu in genere præmitti quædam, inde exiſtentiam Summi Spiritus ſeu Dei demonſtrationibus moralibus, phyſicis ac metaphyſicis aſſeri; proponi deinde eſſentiam & attributa Divina, omnipotentiam inprimis tum in ſe tum quoad exercitium, adeoq; Deum ut creantem, ut conſervantem, ut concurrentem & omnia immediate cooperantem, ut præmoventem & prædeterminantem phyſice; agi porro de Intelligentiis & Angelis, poſtremoque loco de Anima ejusque immortalitate.

Nam hic quidem editio Romana deſinit. Non diſſimulandum tamen, in editione Auguſtana Theologiæ Naturali ſubjunctam inſuper eſſe *Ethicam*, in qua de Voluntate ejusque objecto Bono, de Paſſionibus, Virtutibus, ultimoque Fine hominis erudite atque eleganter diſſeritur.

*INAUGURATIO ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ POTENTISſimi Principis FRIDERICI III Marchionis & Electoris Brandenburgici &c. ſerenisſimus auſpiciis natali ipſius die Calendis Julius cIↃ IↃc XCIV dedicatæ, nunc ſacro Ejusdem mandato a CHRISTOPHORO CELLARIO conſcripta.*

Halæ Magdeburgicæ, typis CH. A. Zeitleri, 1698, fol.
Conſtat Alph. 2. plag. 4.

UT Principum res geſtæ in obſcuro latent, niſi litterarum ſtudiis & ingeniorum monumentis illuſtrentur: ita nihil illi præclarius, nihil immortalitate dignius agunt, quam cum litterarum ſtudia in majus meliusque provehunt. Propria hæc Europæ Gentium gloria eſt, in quibus Germani cum ceteris certant, & in Germanis (ut de Saxonibus nunc taceamus) Brandenburgici ſibi hanc laudem adſerunt ſingularem. Quorum potentiſſimus Elector *Fridericus III*, ſapientiſſimus Princeps non contentus gloria Majorum, qui illuſtres litterarum ſedes juxta Oderam & in Boruſſia condiderant: neque acceſſione Duisburgenſis Academiæ, quam glorioſus Pater *Fridericus Wilhelmus* Magnus addiderat; niſi & ipſe, pro ſummo in bonas litteras amore ac indulgentia, novum Templum ornandis & augendis Muſarum ſacris dedicaſſet. Cui vicinam Hallenſem urbem, in Ducatu Magdeburgico ſitam, elegit, Gentilis ſui *Alberti* veſtigia ſecutus, Archiepiſcopi Mag-

deburgici, & Electoris Moguntini, nec non Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui de eadem civitate idem cogitaverat. Impetratis ergo ab invictiſſimo Imperatore privilegiis, tanto apparatu tantaque magnificentia Calendis Juliis, natali Electoris, cIↄ I ↄc XCIV dedicata eſt Academia Fridericiana, ut parem ſplendorem, in litterarum ſtudia collatum, non facile quisquam vel noſtra vel patrum etiam memoria obſervaverit. Digna res viſa, quæ poſteritati commendetur, quia raro contingit, ut tanto honore ſtudia liberalia adficiantur. Quam curam ſereniſſimus Elector Chriſtophoro Cellario, elegantiorum litterarum in Academia illa Profeſſori clariſſimo, mandavit, qui impigre obſecutus, *Hiſtoriam Inaugurationis*, quam recenſemus, hoc ordine conſignavit.

Præfatus de Romanorum gloria, qui barbaras nationes litterarum ſtudiis mitigaverint, Germanos ſero hujus boni participes factos oſtendit, quia diutiſſime Romanis repugnaſſent; & cum vix tandem commercium admiſiſſent, omnem humanitatis cultum in Italia æque & in provinciis inundatione barbararum gentium penitus fuiſſe exſtinctum. Ortu autem beatioris ſæculi cum reſtitui cœpiſſent litteræ, Brandenburgicos Electores ac Marchiones inprimis fuiſſe, qui in laudis illius ſocietatem venirent. Qui ut bona illa ad plures propagarent, inſtituerint novas Academias, quæ vero cupiditati Friderici Electoris non ſuffecerint, qui, alieno quamvis tempore, inter belli flammas ſacrarium Muſis & bonis artibus dedicarit. Expoſitis deinde initiis, quæ tanquam fauſta auſpicia maturaverint opus, in eo Auctor eſt clariſſimus, ut apparatum ejus rei, dignum tanto Principe, eumque tam in Aula quam in Academia, deſcribat. Hinc ad ingreſſum Electoris in Hallenſem urbem, pridie Calend. Jul. ſummo ſplendore ac plauſu celebratum, procedit, & inde ad ipſam Inaugurationis ſolennitatem, cujus pompam admirabilem, quam ne verbis quidem poſſit adſequi, vel ſolius progreſſus mora, ex Collegio in templum Arcis, quæ brevis via ſit, intra duas horas vix abſoluti, oſtendit, utrimque arctante multitudine, ut ſæpe conſiſteretur, donec ſubmota turba eſſet. Ipſe nunc ſequitur Dedicationis ritus, ab illuſtri viro Paulo Fuchſio, Electoris Oratore & Conſiliario intimo, peractus, quem plauſus & gratulationes exceperint, & deinde epulæ regales, Profeſſoribus Electoris menſæ adhibitis, Studioſis, quotquot aderant, etiam qui ſpectandi

di cauſa ex circumjacentibus Academiis advolaverant, liberaliſſime omnibus exceptis. Ex quo Auctor ad Honores progreditur, altero die, præſente iterum Electore, pluribus quam quinquaginta Candidatis Academico more collatos. Delineantur etiam Numiſmata, in ſolennitatis hujus memoriam obſignata, & Comitibus, qui ſtudiorum cauſſa in Academia erant, ac Profeſſoribus eodem tempore diſtributa. Et hactenus Hiſtoria Inaugurationis: quam Additamenta varia comitantur, quorum primo loco ſunt Privilegia Pontificia, auctoritate Clementis VII, Pontificis Maximi, per Cardinalem Campegium, Legatum de latere, pro Hallenſi Academia Alberto, Magdeburgenſi Archiepiſcopo anno CIↃ IↃ XXXI data: quibus Cæſarea conjunguntur, ab auguſtiſſimo Imperatore *LEOPOLDO* ↃIC XCIII menſe Octobri liberaliſſime conceſſa: poſt quæ Electoralia exhibentur, quæ multas & inſignes immunitates & Profeſſoribus & Studioſis adoleſcentibus indulgent. Programmata ſuccedunt, unum Electoris nomine, alterum a Directore Academiæ, Samuele Strykio IC, celeberrimo editum. Vtroque Inauguratio indicata, & invitati quibus commodum eſſet vel ſpectare dedicationem, vel uti etiam doctrinis & privilegiis Academiæ inaugurandæ: cujus cives etiam admoniti, ut ſe dignos tantis beneficiis præſtarent, & ſereniſſimum Fundatorem devota reverentia modeſtiaque exciperent. Adjecta eſt Epiſtola, qua Hallenſis Academia tres cæteras Brandenburgicas, ſorores ſuas, ad dedicationem invitavit; cum ſingularum Reſponſionibus. Deinde referuntur tres Orationes, prima ſacra Benjaminis Urſini, Theologi Electoralis Brandenburgici, ex Eſa. XLIX. 23 habita: altera ſummi viri, quem laudavimus, Pauli Fuchſii, qua Electoris ſui auſpiciis & juſſu Academiam diſertiſſime dedicavit: tertia Chriſtophori Cellarii, qua munificentiſſimo Conditori, Academiæ nomine, gratias agit. Quod reliquum eſt hujus libri, gratulationes continet, quibus præmiſſa eſt conſummatiſſimi viri Ezechielis Spanhemii ad clariſſimum Morellium Epiſtola, qua immortalis operis, Dedicationis Academicæ, laudes eſt perſecutus: poſt quam celeberrimi viri Jo. Georgii Grævii de eadem re ad ſereniſſimum Electorem eſt gratulatio, Epiſtolæ habitum elegantiſſimum induta. Subſequuntur Poetarum Belgicorum Acclamationes, Joannis Menſingæ, Petri Francii, Jani Broukhuſii, ſingulæ ingenio auctoris ſui dignæ: quibus ſubjungitur tandem Ode Teutonica, quam inter nocturnos con-

centus Studioſi Juvenes Academiæ Fundatori devotionis ſuæ documentum obtulerunt.

## *M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD DIVERSOS (Familiares vocant) libri XVI. CHRISTOPHORUS CELLARIUS recenſuit, & Adnotationibus illuſtravit, Indicesque plures adjecit.*

Lipſiæ, ſumtu Jo. Friderici Gleditſch, 1698, 8.
Conſtant Alph. 2. plag. 12.

MArci Tullii Ciceronis Epiſtolas ad Diverſos in uſum familiarem, ſcholarum maxime, clariſſimus Editor nova forma atque facie adornavit. Vidit nempe, & longo uſu expertus ipſe fuerat, nullam fere editionem eſſe, quæ adoleſcentium cupiditati ſatisfaciat, præter meritiſſimorum de Cicerone Pauli Manutii & Johannis Georgii Grævii, ut uberis doctrinæ, ita majoris molis ac pretii volumina. Adoleſcentes autem & habilem & vilioris pretii librum deſiderare, & hunc quoque claris notulis illuminatum, ſine quibus tenebræ legentibus tam in hiſtoria plerumque, quam ſæpe etiam in Latinitate offundantur. Quam ob cauſam hanc omnibus commodam parabilemque editionem apparavit. Præfatione oſtendit, ſibi minus illorum induſtriam placere, qui Ciceronis Epiſtolas ex ordine, quo Tiro libertus, ut creditur, diſpoſuerat, emovere, ac ſecundum tempora collocare conati fuerint. Præterquam enim, quod plures ſint Epiſtolæ, de quarum anno nihil quidquam conſtare poſſit; novitate ordinis & veterum omnium, & recentium plurimorum allegationes conturbari & inutiles fieri demonſtrat; nec vetuſtum ordinem ſine ratione eſſe, quo ad eundem ſcriptæ Epiſtolæ conjungantur, quod ſane lucem rebus adferat, quia plerumque ad eundem ſimiles & cognatæ ſint, quæ ſe mutuo interpretentur. Argumenta Epiſtolis præpoſita neque plane vetera, ab aliis ſuppeditata; neque omnino nova adhibuit: ſed ubi viſum erat ſatis commoda eſſe, ſervavit priora; aliquando nova dedit; ſæpius adjectis, demtis, mutatis, vetera ornatiora, & intelligendis Epiſtolis idonea magis reddidit. Textum Ciceronis emendatiſſimum exhibuit, uſus opera excellentium Criticorum, maxime quos honoris cauſſa nominat, Petri Victorii & Jo. Georgii Grævii. Adnotationibus

nibus, quæ ſingulis Epiſtolis aut pagellis ſubjiciuntur, cum hiſtoriam rerum illuſtravit, tum Latinitatis oſtendit elegantiam; & nihil inexplicatum reliquit, quod interpretatione indigeat. Præmiſſa eſt Vita Ciceronis, breviter, novo modo, ex libris ejus excerpta, cum Conſulum faſtis, qui per vitam illius rempublicam gеſſerunt: quod intererat non ignorari, ex quorum ordine notitia rerum non mediocriter illuminetur. Epiſtolæ in ſectiones minores ſunt diviſæ, ut Indices quaſi digito commonſtrent, ubi unumquodque facillime inveniatur. Sunt autem plures Indices ſubjuncti, I. Eorum, ad quos ſunt ſcriptæ Epiſtolæ a Cicerone: etiam a quibus nonnullæ ad Ciceronem: II. Rerum notabiliorum: III. Verborum & Formularum: IV. Utriusque Ordinis Epiſtolarum, antiqui & Siberiani, ut inter ſe, ſi opus ſit, conferri poſſint.

*CHRISTIANI DAUMII EPISTOLÆ LATINÆ AD JO. FRID. HEKELIUM ſcriptæ, a JO. ANDREA GLEICHIO editæ.*

Dresdæ, apud Jo. Jac. Winckler, 1697, in 8.
Conſtant plag. 14.

OMnino probandum eorum ſtudium, qui clarorum virorum epiſtolas colligunt easque faciunt juris publici. Cum enim in iis familiariter ſcribere ad amicos ſoleamus multa, quæ ſcire ipſorum tantum intereſt, nec ideo ſtatim in vulgi notitiam perferenda; inde fit evidens, exemplisque compluribus patet, recte ex Epiſtolis peti arcana litterariæ rei, variorum etiam conſiliorum & diverſa doctorum inſtituta. Quamvis ſimul idem hoc admonet, quod temere committendæ typis & evulgandæ non ſint tales epiſtolæ, quæ & auctori & editori poſſint eſſe damno, præſertim cum viventium, ut Vellejus Paterculus ait, uti magna admiratio, ita cenſura difficilis ſit. Inſons autem ſtudium cenſendum eſt Editoris harum doctiſſimi Daumii, Scholæ Cygneæ ſeu Zuiccavienſis Rectoris, epiſtolarum, quæ neminem bonum lædunt, nec aſperius de quoquam judicium aut ſententiam adverſam continent, varia tamen ad rem literariam pertinentia tradunt, e quibus nonnulla ſpeciminis loco proferemus. Th. Reineſii mortem d. 23. Febr. 1667. ſibi nunciatam luget Daumius *p. 2.* Hiſtoriam eccleſiaſti-

cam Gothanam, quæ auctores habet Vitum Lud. Seckendorfium & Jo. Henr. Bœclerum, laudat *p.* 5. & 11. Sententiam de Gregorii IX. P. M. Decretalibus epiſtolis ſummorum Pontificum exponit *p.* 14. Ex Scaligeri Conjectaneis ad Varronem obſervat, *dapatica* & *dapatilia* veteres vocaſſe omnia opipara *p.* 27. De duplici *ſ* vel *ſs* criticam exercet *p* 30. 31. Eraſmi operum catalogum ab ipſo editum anno 1523 quovis ære ſibi comparari expetit *p.* 38. Caſp. Barthii animadverſiones manuſcriptas in Belli Palæſtini Scriptores necdum editas, unquam prodituras eſſe dubitat *p.* 40. Ant. Riccoboni de hiſtoria commentarios laudat, cumprimis Venetam eorum anni 1568 editionem *p.* 48. Theophylactum ſchismati, quo Spiritus S. proceſſio a Filio negatur, acceſſiſſe ait *p.* 50. Adverſariorum C. Barthii libros ἀνεκδότυς inter ignorantium hæredum manus ſtrangulatum iri vere ominatur *p.* 61. Marii Victoris Maſſilienſis copiam ſibi adimi per Nic. Heinſium dolet *p.* 95. Epiſtolas doctorum hominum Eraſmi, Melanchthonis, Camerarii, Fabri, Stephani, Rittershuſii, Lingelshemii, Putſchii, Caſauboni, Gruteri, Bongarſii, Heinſii, Salmaſii, Neandri, Hœſchelii, Chytræi, Scaligeri, Barthii, Cornarii, Haloandri, Taubmanni, Gronovii & aliorum ſibi ſuppetere indicat *p.* 96. 97. quas ſe etiam editurum eſſe promittit *p.* 111. & ſimiles Hekelium poſſidere memorat *p.* 132. 133. 136. Judicia doctorum, quæ de ipſo Daumio ferant, inque ſcriptis ſuis exponant, diligenter a ſe annotari profitetur *p.* 103. Scholaſticos labores plenos tædii depingit *p.* 109. 127. 129. 150. Henrici Pauperis Septimellenſis editionem ſibi propoſitam, & ab Ant. Magliabechio ac Marqu. Gudio juvari narrat *p.* 88. 92. 96. 105. 119. 135. 139. De gravi ſuo a ſcala lapſu queritur *p.* 140. Ratisbonenſes viros doctrina & officiis claros enumerat *p.* 141. 143. Naudæum 4. Non. Febr. 1601 natum, d. 4. Cal. Sextil. 1653 mortuum eſſe tradit *p.* 144. Locum ex Virgilii Culice explicat *p* 148. Bonum virum deſcribit *p.* 152. Literas ſeu epiſtolas Latinas ſenio confectum ſe invitum, potius Germanicas ſcribere indicat *p.* 154.

Epiſtolis Daumianis inſertæ ſunt etiam aliorum præſtantium virorum nonnullæ ad Daumium datæ literæ; videlicet Caſparis Alexandri *p.* 50. Georgii Matthiæ Königii *p.* 56. 59. Caſp. Barthii *p.* 62. 63. 64. Nic. Heinſii *p.* 88. Jobi Ludolfi *p.* 75. (qui locum quendam Ciceronis in Catone cap. 15. emendat.) Jo. Petri Lotichii *p.* 78. Sub finem annexa eſt Jo. Fr. Hekelii ad Joach. Fellerum epiſtola, in qua eum

con-

conſolatur ſuper obitu Daumii, cui epitaphium adjecit, e quo diſcimus, natum fuiſſe Daumium d. 29. Mart. 1612, mortuum d. 15. Dec. 1687. Subjunctæ etiam ſunt Benedicti Hopferi binæ epiſtolæ *p. 43. 44.* memoratæ, quas ad Königium anno 1674 exaravit, quando cum Ducibus Wurtenbergenſibus per Galliam, Angliam, Belgium, Daniam & Sueciam peregrinatus fuit, doctorum virorum & eorum operum, quæ ſub manu habebant, cum eos accederet, indices; evulgatæ jam anno 1687 in appendice Epiſtolarum Rol. Mareſii Lipſiæ recuſarum.

## NOUVEAUX MEMOIRES SUR L' ETAT PRESENT DE LA CHINE &c.

i. e.

## *NOVI DE STATU PRÆSENTI CHINÆ COMMENTARII, auctore P. LUDOVICO LE COMTE e Soc. Jeſu, Mathematico Regio.*

Amſtelodami, apud H. Desbordes & A. Schelte, 1698, 12. Alph. 1. pl. 8. cum fig. æn.

TErtia hæc eſt utiliſſimi libri editio, etſi prima vice is Pariſiis anno demum 1696 prodierit. Ex quo cuivis conjectare in proclivi eſt, non ſine applauſu, etſi de Sinenſium rebus tot jam extent commentationes, exceptum fuiſſe. Et Auctor quidem ejus eſt Ludovicus Le Comte, unus ex ſex illis Patribus Jeſuitis, quos Ludovicus Galliarum Rex ante hos tredecim annos in Regnum Siamenſe, & inde ad Sinas, provehendis ibidem ſtudiis mathematicis, præcipue vero curandæ (ut vocant) Miſſioni Evangelicæ convertendisque paganis, ablegaverat. Hic ſuo munere ibidem hucusque perfunctus, itineris Sinenſis ſuperati commoda, incommoda; fata in dicto Imperio objecta, ſecunda, ſiniſtra; labores pro amplianda religione Chriſtiana ſuſceptos, eorumque diſcrimina & ſucceſſus, cum rationibus catechiſandi, & impedimentis tantum non inſuperabilibus negotio convertendorum infidelium intercedentibus; tum eximium Imperatoris Sinenſis erga ſe & commilitones ſuos favorem; perſecutiones Chriſtianorum, præcipue Miſſionariorum, nuperas; indultam denique memorati Monar-

archæ gratia Chriſtianis ſecuritatem, & libertatis circa amplexandam religionem Chriſtianam, lege publica Sinenſibus promiſcue incolis conceſſæ hiſtoriam, editis per modum Epiſtolarum, ad diverſos Regni Gallici Proceres & Cardinales, Illuſtriſſimas etiam, Nemoroſiam & Bullionenſem, Duciſſas ſcriptarum, Commentariis concinno ſtylo expoſuit.

Sed & præterea Sinenſe Imperium, per omnia, quæ ad geographiam ejus hiſtoricam, phyſicam & politicam ſpectant, momenta tam curioſe, ſupraque genium & conſuetudinem aliorum Scriptorum, quos idem argumentum occupatos pridem habuit, teſtis ſcilicet oculatiſſimus, deſcripſit, ut vereamur, ne vitio vertatur nobis, quod tarde nimis recenſum libri ſimus aggreſſi. Et nunc etiam tam copioſam variamque materiam nobis offerri deprehendimus, ut aut nonniſi nomenclatoris ſubeundæ nobis partes ſint, ſummis rerum capitibus indicatis; aut unicum ſolummodo argumentum, ex quo ſpecimen de reliquis capi queat, ſtudioſius paulo ſit proſequendum. Quis enim vaſtiſſimi hujus Imperii partes & limitanea, fertilitatem & terræ naſcentia, ſaltim nobis Europæis peregrina; tot naturæ miracula, circa fluvios, montana & ſylvas paſſim obvia: quis gentis Sinicæ originem, antiquitatem & chronologiam; incredibilem populi multitudinem; fandi ſcribendiq; indolem & modum; mores, ſtudia, victum, veſtes, nuptias & matrimonia; urbes, urbiumque ſtructuras concinnas & magnificas, templa & ædificia: quis regiminis formam & conditionem, jura Imperatoris majeſtatica, cultum & concilia ſplendida, officia domus regnatricis & ampliſſima regni miniſteria, regiã ejusq; inclita palatia; obventus ærarii immenſos, ejusque & monetæ, temporis item & feſtorum; viarum & poſtarum publicarum ac itinerum; rei literariæ, forenſium judiciorum, medicinæ, mercaturæ, agriculturæ, & piſcatus rationes: quis deniq; religionis Sinenſium primæ, ejusq; veræ, ſuccedentis deinceps, ejusq; idololatricæ momenta, hujusq; natales & ſectas; Chriſtianismi etiam fata ſtatumque Eccleſiæ Sinenſis Chriſtianæ digne ſatis compendio exponat? Itaque miſſis aliis, cum politica inprimis Sinenſium prudentia, formaque regiminis, præ aliis eluceſcat, Auctorque ipſe hoc argumentum diligentiſſime pertractarit, non ingratum Lectori benevolo futurum ſperamus, ſi quæ Auctor de Sinenſium præclaris inſtitutis, quibus tanti Imperii moles ſuſtinetur, in litteras retulit, ſola nunc hoc loco repetamus.

Inter

Inter univerſas, quas Antiquitas ſibi finxit, regiminis ſpecies, nulla fortaſſis eſt, cujus exemplo formata ſit monarchia Sinenſi excellentior. Primi enim Status hujus florentiſſimi legislatores, eundem ſuo jam ævo ad id fere faſtigii evexere, in quo hodie conſpicitur: adeo, ut cum alia Imperia, communi ſorte rerum mundanarum, infantiæ velut imbecillitatibus obnoxia ſint; informia primo naſcantur, adoleſcant deinceps, & cæteris ætatis gradibus ſucceſſu temporis ſuperatis, ſenſim ad perfectionem aſpirent: Sinenſe ex adverſo, tanquam ſummo ſapientiſſimoque rerum moderatore architecto ejus unico, primam ſtructuræ ſuæ faciem, quaſi legibus politicis incongruam, exuere neceſſe nunquam habuerit. Prima ejus, ante annos circiter quater mille cœptæ, forma monarchica, primis Noæ nepotibus (cujus fidem indubiam facit chronologia Sinenſis verior, Sapientibus ipſorum, interque eos principi illorum Confutio recepta, & Sacris Pandectis non uno argumento conformis) ſumma cum innocentia, nec minori utique prudentia uſurpata, in hunc usque diem perſtitit illibata. Adeo ut tam longo ſeculorum decurſu, ne nomen quidem aut idea regiminis ariſtocratici pluriumve capitum, genti huic innotuerit: fruſtra conatis Batavis auſpicia autoritatemque Reipublicæ ſuæ commendare Sinenſibus, cum ante 40 annos circiter commerciorum libertatem, ſolenni legatione in Sinas deſtinata, aucuparentur. Rempublicam ſine Rege nihil aliud eſſe credunt, quam monſtrum plurium capitum, turbarum tempore, ambitione, ſeditionibus & corruptelis ingenii humani conceptum.

Utcunque autem alieni ſint a regimine ariſtocratico, tyrannico tamen imperio longe vehementius offenduntur: id enim nequaquam a ſumma poteſtate, ſed ab incontinentia Principum, quam nec ratio nec divinæ leges ferant, oriri; eorumque facultatem moderato potentiæ ſuæ uſu non imminui, ſed geminari philoſophantur: non ſecus ac ſummus Mundi Imperator nihilominus potens æſtimari debeat, utut a maleficio tam procul abſit, ut ne malefacere quidem poſſit.

Cæterum autoritas illimitata legibus Sinenſibus Principi conciliata, & neceſſitas illi ſimul injuncta ejusdem non temere uſurpandæ, duæ illæ columnæ ſunt, quæ a tot ſeculis grande ædificium Sinenſis Monarchiæ hucusque ſuſtinent. Summa Principis veneratio ad usque

cultum adorationis procedens, primus eſt ſenſus, quo ſubditi imbuuntur. Salutatur filius cœli, dominusque mundi unicus. Mandata ejus ſancta; dicta loco oraculorum habentur: conſpectus ejus rarus; nec niſi ſubmiſſis genubus compellatio. Ipſi Aulæ Magnates, & Principes regiæ domus, coram ipſo, quin ſtatis diebus coram abſentis throno, ad terram usq; incurvati, ſubjectionis ſubmiſſiſſimæ cultum exhibent.

Tantæ adverſus Principem religioni non exiguum pondus accedit a beneficiis, quorum ſpem ſibi quisque ab ejus gratia, pro conditione ſua meritisque concipit; tanquam a cujus arbitrio, quamprimum Imperii faſces capeſſivit, res ſuæ proſperæ adverſæque pendeant unice.

Summi hujus axiomatis Imperatorii inter partes primas eſt, de officiis regni abſolute diſponere, eaque nullo pretio venalia habere, ſed ex merito, pro ſcientia, probitate, longa rerum experientia, morum gravitate & concinnitate ambientium diribere; eadem rurſus ex levi offenſa, munerisque neglectu, in digniorem transferre. Sola frons porrectior in concilio publico Præfectum civitatis officio privavit, viliorem hac oris ſui inconſtantia Principi judicatum, quam qui locum ſuum tenere, perſonamque referre debeat. Expugnata muneribus juſtitia, primarium Status Miniſtrum, ætate venerabilem, animique dotibus eximium, gregarium effecit militem, pro palatio regio cum viliſſimis quibusque excubantem.

Enimvero ſeveritas iſta Principes etiam domus regiæ aliquando percellit. Certamen gallorum gallinaceorum, in quo Orientis populi non exiguam oblectationem quærunt, in deliciis quotidianis Monarchæ conſanguineo habitum, nihil proficientibus monitis, refractarium prærogativa natalium, comitatu ſervorum, penſionibus annuis, omnique cætera dignitate ſpoliavit. Quin ſola multitudo horum Principum indies major, metusq; ne pravi quorundam mores ſucceſſu temporis univerſos contemtui promiſcuæ plebis exponeret, decretum Monarchæ, qui rerum hodie potitur, extorſere, quo nemini eorum titulum natalium uſurpare permittitur, ſine expreſſo Imperatoris indultu, eundem ſolius virtutis expertæ præmium relinquentis.

Jus vitæ & necis, quod & adverſus conſanguineos exercet, adeo ipſi proprium eſt in cæteros ſubditos, ut in criminalibus nec penes

nes Proreges aut Concilia, Senatuſve ullos ſit, ſententiam latam exſequi. Proceſſu enim in quoque loco aut provincia eousque perducto, eadem judicio Imperatoris ſubjicitur, cujus deinceps eſt, inferiorum magiſtratuum placita, quod ipſi, ſed imminuta utplurimum pœna, ſuetum eſt, confirmare, aut reſcindere.

Nec minor ipſi facultas imponendis, ſi e re publica viſum fuerit, populo tributis extraordinariis. Ea tamen hactenus Principum moderatio fuit, ut nunquam fere ſuo hoc jure uſi fuerint. Sive quod ſumtibus in bellum cum finitimis populis gerendum vires ærarii ſufficiant: ſive quod civilibus motibus periculoſum ducatur, ſubditorum animos inteſtinis malis exercitos, intempeſtivo inſuper ſubſidiorum extraordinariorum onere ad turbas concitare.

Quod enim attinet reditus Imperii publicis legibus definitos, eorum ſumma tam immanis eſt, ut ſi provinciæ Sinenſes minus eſſent fertiles, & indigenæ minus induſtrii ac ſunt, tantum Imperium nihil aliud futurum eſſet, quam cœtus mendicorum & ſentina ærumnoſorum; quæ facies eſt cæterorum fere regnorum Indicorum. Ingentes hi cenſus, qui ſubductis quantum poteſt exacte rationibus, annuatim plus nonaginta & ſex milliones uncialium noſtrorum conficiunt, ad tantum potentiæ faſtigium Principem attollunt, idoneumque reddunt perpetuo alendis numeroſiſſimis exercitibus, totque populis in officio retinendis.

Belli pacisque negotia ab ejus arbitrio pendent unice: in quibus tamen majeſtatem imperii ſummo ſtudio & circumſpectione tuetur. Mandata ejus cætera plane ſunt irrevocabilia, nec ſupremis Curiis aut Proregibus, ad quos deſtinantur, publicationem eorum & relationem in commentarios publicos tantillo differre momento licet.

Singularis porro character majeſtatis Imperatoriæ eſt liberrima ſucceſſoris electio, quem ex plebeja æque familia ac domo regia ſortiri Principem jus fasque ſinunt. Et fuere olim, qui in ſtirpe regia, utcunq; numeroſa, dignitati Imperii parem non invenientes, hæredes ſcripſere mediocrium natalium, ſed eximiæ virtutis animiq; dotibus illuſtres: profeſſi, non ſolum publico Status commodo procurando id ſibi conſtitutum eſſe, verum etiam ut honori conſulant propriorum liberorum; quibus ſcilicet pro indolis ingeniique ſui mediocritate ſatius ſit, privatam vitam agere, quam in ſolio conſtitutis cenſuræ aut

 tiam

etiam opprobrio & execrationi vulgi exponi. In paucis tamen ejusmodi exempla conſiſtunt: plerique Principum ſuæ rationem habuere familiæ, neque tamen ſemper maximum natu filiorum cæteris præhabuere. Qui hodie tanta cum prudentiæ laude imperium tenet, ſecundogenitus eſt; fratre natu majore in ſorte ſua non minus acquieſcente, ac quoq; ex plebe minimo: ut adeo, quæ Principatibus Europæis nunquam non formidabilis eſt Principum regiæ domus multitudo, nihil Sinenſibus faceſſat negotii; nec a morte extremi Imperatoris, cum eorum ultra bis mille per omnes provincias ſparſi numerarentur, quicquam tranquillitati publicæ interceſſerit. Cujus cauſa alia eſſe non poteſt, quam ſummum erga Monarcham obſequium, qui in Sina quantovis Principum numero non difficilius moderatur, quam alibi Reges promiſcuæ multitudini.

Tanta inſuper Imperatoris eſt autoritas, ut in mortuos non minus juris exerceat, quam in vivos: illos enim jam probro, jam honoribus afficit, ornandis puniendiſve eorum ſive perſonis ſive familiis. Exornat bene meritos ſingularibus honorum titulis, declaratque eos ſanctos. Interdum templa ipſis extruit, & pro meritorum magnitudine ad cultum aliquem, eorum Diis debitum, iis exhibendum plebem obligat. Ab ipſis enim Imperii primordiis Imperator caput religionis habitus eſt, cui ſoli etiam conveniant publicæ ſacrificiorum oblationes, propitiando ſupremo cœli Domino inſtituendæ.

Tandem etiam peculiare jus eidem competit, non levis utiq; momenti, dum eidem abrogare licet characteres linguæ veteres, & in locum horum ſubſtituere novos; mutare nomina provinciarum, civitatum, familiarum; abdicare uſum certorum terminorum, alios effingere, atque in converſationem, ſcripturam & libros invehere. Adeo ut loquendi mos, de quo Europæorum tantæ ſunt querelæ, & cui infringendo omnis Græcorum Romanorumque potentia impar fuit; quem rigidum, levem, injuſtum tyrannum jure meritoque ſalutamus; compulſus ſit cervicem quaſi ſubmittere legibus Imperatoris Sinici, quaſcunque refractario huic præſcribere placuerit.

Utcumque vero tanta tamque illimitata Imperatoris poteſtas idonea videri poſſit peſſimis in Republica effectibus producendis: legibus tamen Imperii tam prudenter cautum eſt ſaluti reipublicæ, ut quan-

quantumcunque Princeps ſuis ſe permittere velit affectibus, ſive circa abuſum dignitatis ſuæ, morumque licentiam, ſive circa proprium ut vocant intereſſe, non facile diuque ipſi genio ſuo indulgere liceat. Ut enim præcipuos obices commemoremus, quorum objectu muneris ſui innocentiam caſte illibateque tueri compellitur: primo antiquis legislatoribus ab incunabulis ſtatim hujus monarchiæ, tanquam princeps regiminis auſpicati axioma ſtatutum eſt: Principes patres eſſe populi, non dominos ſuper throno ideo collocatos, ut a ſubditis tanquam mancipiis ſervitia accipiant. Inde eſt, quod frequentiſſime Avus ſalutetur, titulo inter omnia honoris officia acceptiſſimo. Atque is de Principe ſenſus magiſtratibus æque ac vulgo adeo fixus eſt, ut ab amore ſubditorum omnem laudandi ejus materiam capeſſant; ex adverſo a praxi hujus regulæ tantillo recedentem, utcunque cætera civilibus bellicisque artibus & prudentia regnandi inſignem, nihili æſtiment.

Deinde cuiq; Officiali regni (Mandarinos idiomate ſuo nuncupant,) liberum eſt Imperatorem nævorum ſuorum certa ratione arguere. Si cui enim de Principe quidpiam innoteſcat, reprehenſione aut emendatione dignum, ſupplici libello in aulam miſſo, in eoq; enixiſſimum obſequium & venerationem ergaMajeſtatemPrincipis præfatus, eandem humillimis obteſtatur precibus, ut ad veteres ſanctiones, ſanctaque prædeceſſorum exempla ne dedignetur reſpicere: indicio deinceps ejus, quod Principem dedeceat, quam moderatiſſime facto. Libellus iſte una cum aliis, quos Principi quotidie offerri moris eſt, ſupplicibus chartis in menſa, iisdem recipiendis deſtinata, reponitur, Principi, ut leges volunt, deinceps cognoſcendus. Si monitor nihil profecerit, par querela per hunc alioſve Mandarinos, pro zelo aut fiducia eorum, usque dum Princeps ad ſaniorem mentem redeat, repetitur. Id genus animadverſionis plurimum in uſu, eoque nihil efficacius fuiſſe Principi in orbitam virtutis, a qua deflexerat, revocando, annales teſtantur Sinici: utut periculoſa ſubinde fuerit magiſtris iſta dominorum ſuorum correptio.

Arctius adhuc vinculum cupiditati Principum injiciunt leges, ad quarum præſcriptum hiſtoria Imperii Imperatorumq; ſingulorum adornanda eſt. Injungunt enim certis doctoribus, commodo ſuo minime ſtudentibus, ut ſummo ſtudio ſingula Principis dicta factaque

in dies ſingulos adnotent. Unusquisque horum diviſa, nec cum cæteris communicata opera, ſibi animadverſa, ſimplici recte ſecusque factorum recenſu, in chartam conjicit, quam per foramen certo conclavi, cuſtodiendis iſtis commentariolis parato, immittit; quod ne ſpes timorve partes ſuas hic agere valeant, nec vivo Principe, nec familia adhuc Principis regni gubernaculis hærente aperitur. Iisdem demum in alteram familiam translatis, poſtquam omnes hæ ſchedæ cognitæ invicemque collatæ fuerint, earum ſuffragio Imperatoris uniuſcujusque hiſtoria ſincere conditur: ut poſteritati exemplo ſit, ubi laudabiliter, cenſuræ vero & abominationi publicæ, ſi partibus ſuis turpiter ſit defunctus. Quod ſi ergo Principem vel modica tangat famæ nominisq; ſui cura, modum mediumq; toto regiminis ſui tempore facile tenebit, ne ſeveros iſtos cenſores, qui odii-adulationisque cauſas procul habent, poſt fata publicos geſtorum indices experiatur, quæ faſtis ſuis nunquam delebilem aſpergere queant ignominiam.

Omnium autem tenerrime animum Principis tangere neceſſe eſt exemplum ſubditorum, ad exemplum ejus in perniciem utriusque certiſſime ſe componentium. Iſto enim pravis affectibus in transverſum abrepto, bonique publici parum ſolicito, de ſuo quisque civium protinus remittere diſcit officio. Mandarini, in ſua quisque provincia aut civitate, jure ſe potitos arbitrantur, pro lubitu decernendi, ex quo ſupremum magiſtratum juſtitiæ & æquitatis migraſſe limites intelligunt. Miniſtri regni officia indignis vendunt. Proreges in tyrannos degenerant. Præfecti jus pro ſua quisque libidine intorquent. Vulgus oppreſſum & exhauſtum levi impulſu in ſeditionem concitatur. Latrociniis infeſtantur viæ publicæ, agminatim acervatis prædonibus: iisque in locis, ubi magna vis eſt incolarum, momento fere ingentes coeunt exercitus, occaſionem ſub prætextu ſpecioſo captantes tranquillitatem intervertendi publicam.

Ex funeſtis his principiis decumanos identidem fluctus inundaſſe Sinam, novisque eandem ſubjeciſſe dominis, diligenter animadverſum eſt. Ita ut vel hinc certum ſit, Imperatoris ſolium nullo firmiori ſuffulciri tibicine, quam intemerata legum obſervantia, quarum vis & præſtantia experimento quadraginta ſeculorum explorata eſt.

Hæ porro leges vel formam regiminis adornant, ejusque

varia

varia Concilia & Curias, quibus ſingulis peculiares partes ſunt & cognitiones, quarumque decreta ſupremi Principis judicio ſubjecta ſunt; vel judiciis & cauſis forenſibus limites conſtituunt, ſecundum quos, pro varietate circumſtantiarum, unicuique jus ſuum reddere oportet.

Hæc Concilia, Curias & Tribunalia eorumque munia ſigillatim hic recenſere fors præter rem fuerit, cum de illorum numero, ordine, momentis & autoritate ex aliis jamdum conſtet autoribus: qua ratione tamen corpora iſta tam valida coerceantur, quo minus aut Principis officiant autoritati, aut contra ſtatum publicum ſiniſtri quid machinari valeant, vel omnino fines præſcriptos excedant, ex Autore breviter repetere lubet. Unum ejus eſt remedium, negotia ſummorum Tribunalium ita partiri, ut nullum illorum ab unius ſolius pendeat arbitrio, ſed cætera in conſortium curæ & laboris ſimul adhibeantur: cavendis hac ratione fraudibus & prævaricationibus, tutius alioqui faciliusque exercendis, ubi conſpirantium communitas eſt infrequentior.

Altero, uniuscujusque Tribunalis collegis Mandarinus adjungitur, cui, quid in quoque ejus conſeſſu agatur, probe attendendum eſt. Hic extra numerum Aſſeſſorum conſtitutus, conventibus tamen ſingulis intereſt, actisque recognoſcendis operam navat: Inſpectorem nos fortaſſe diceremus. Muneris ejus deinde eſt, ſecreto Aulam de geſtis inſtruere, aut palam accuſare officiales ſecus admisſorum, non ſolum in adminiſtratione officii, verum etiam privatæ vitæ momentis. Ipſorum actiones, dicta, mores cenſuræ ejus ſubſunt, nec quicquam eſt quod virgulam ejus effugiat. Quoque minus proſopolepſiæ vitio obnoxius ſit, neve aut favore eorum, quorum peccata diſſimulaſſet, meliorem ſperare; aut vindicta juſte accuſatorum pejorem metuere fortunam poſſit, in eodem perpetuo retinetur officio.

Præter ſupremas, quarum mentio hucusque facta eſt, Curias, quæ Imperatori in regia Pequino præſto ſunt; ſingulis provinciis ſui præſunt Proreges, diverſæ ſortis, ampliſſimæque poteſtatis: quibus & ipſis, uti Imperatori, ſuæ ſunt Curiæ, ſupremis Curiis ita ſubordinatæ, ut ab illis ad has provocetur. Singulis præterea civitatibus certi Præfecti conſtituuntur, cum Mandarinis aliis: qui omnes prædictis

ſub-

ſubſunt Proregibus. Horum ſpeciale munus eſt, coactis provinciæ ſuæ Mandarinis præcipuis, explorare mores probos improbosque Præfectorum aliorumque miniſtrorum provincialium, ſecretis deinde codicillis ad Curias ſupremas deferre, quod noſſe Principis intereſt, delatis ſive ab officio removendis, ſive ad dicendam cauſam in aulam accerſendis.

Cæterum Proregum autoritas, Imperatoriæ ſimilis, libratur potentia aliorum magnorum Mandarinorum; omniumque maxime lege publica, qua permittitur populo male habito aut oppreſſo, de injuriis a Prorege acceptis ipſo Principe coram conqueri, aliumque efflagitare: quod ipſum etiam reſpectu cæterorum Præfectorum ipſi integrum eſt. Verum enimvero quia privatis non ſemper in expedito eſt, ad Aulam ſe conferre, & juſtæ populi querelæ ad aures Principis nonnunquam penetrare nequeunt; quod hic loci non infrequens eſt, ubi Præfecti ſuperiores Mandarinos, hi Curias ſupremas ſæpius ære corrumpunt: ſuetum eſt Imperatori, ſecreto perſonatos ablegare Inſpectores, viros ſpectatæ integritatis & prudentiæ, qui univerſas circumeuntes provincias, agreſtes, plebem, mercatores, quodcunq; genus hominum, quomodo magiſtratus ſe gerant, quam diligentiſſime percontantur. Ubi ſecretis relationibus, aut qui raro imponere ſolet, rumore publico, certiores redditi ſunt maleficiorum ab hoc illove perpetratorum; larva protinus depoſita, a Principe ſe delegatos declarant, ſontibus manum injiciunt, tractosq; in forum ac criminis convictos meritis pœnis ſubjiciunt.

Hoc inquiſitionis artificium olim in officio continuit judices; occupato vero, noſtra adhuc memoria, a Tartaris toto Sinenſi imperio, in uſu ferme eſſe deſiit: quod quidam horum Delegatorum, mandato munere abuſi, pecuniam aucuparentur, cum a nocentibus, quos præter fas abſolvebant, tum ab innocentibus, quibus injuſtas accuſationes minarum fulminibus intentabant.

Hujus loco Princeps hodiernus, erga ſubditos ſuos tenerrime affectus, ipſe regni provincias, ut citra ullas fraudum ſtrophas & ludificationes uniuscujusque querelas cognoſcere coram poſſit, obire inſtituit: id quod eo civium ſolatio applauſuque perfecit, ut ab eo tempore veluti alter Titus, amor & deliciæ generis humani ſalutatus fuerit.

Omni-

Omnium vero maxime memorabilis eſt illa ratio coercendæ Proregum Præfectorumque libidinis, de qua, ſimilive ejus, dubium an ulla reſpublica, aut legislàtor, utcunque perſpicax aut ſeverus, unquam cogitaverit. Illorum quilibet tenetur identidem errores ſuos, ſecreto publiceve in officio commiſſos, humili ſcripto ſincere conſignare, conſignatosque in Aulam deinde mittere: quod ipſum tam moleſtum eſt noxiis, quam periculoſum. Ex una enim parte grave eſt, ſeipſum accuſare criminis, quod Princeps plane impunitum eſſe non ſinit; quanquam moderata ſit ejus animadverſio: ex altera parte longe adhuc periculoſius eſt, idem diſſimulare. Quod ſi enim contingat, ſecretis Inſpectorum, quorum ſupra mentio, libellis ipſum reum deprehendi, minimus defectus temere occultatus capite luendus eſt. Ut adeo conſultius ſit admiſſa integre confiteri, quam formidine peregrini indicii, pœnæque tanto aſperioris confici. Et eſt omnino ratio hujus veluti torturæ non mediocri quidem Sinenſibus ſupplicio, ſalutaris tamen medicinæ inſtar, quæ in vitia proclives circumſpectos reddit, & vel ingratiis ſuis virtutum ſtudioſos.

Circa ordinanda judicia, leges Mandarinis inferioris ordinis indulgent, ut non expectata partium imploratione, ipſis ultro cognitionem auſpicari, & ſecundum jus fasque pronunciare liceat; conſuetis fori noſtri formulis hic plane non receptis. Ubicunque contingat noxium ab ipſis deprehendi, in vicis, viis publicis, domibusque, extemplo promta illis eſt fuſtigatio, qua per unum alterumq; comitatus ſui reo probe depexo, Mandarinis ad deſtinata ſua tam ſerenus eſt reditus, tanquam hæc expeditio ad ipſos nihil pertinuiſſet.

In ordinariis vero cauſæ cognitionibus, actor prima inſtantia coram Mandarino quocunque ſuperioris ordinis perſequi jus ſuum poteſt, præteritis inferiorum ordinum magiſtratibus: cauſaque coram ſuperiori agitari cœpta, inferior cognitionem ejus ſibi vendicare nequit, niſi Judicis primo implorati mandato ad ipſum devolvatur. In magni momenti negotiis, a Proregibus ad Curiam ſupremam, cujus eorum negotiorum cura eſt, appellatur, ejusq; ſententia, Miniſtris Status prius communicata, Principi offertur; qui exactius aliquando cauſæ ſcrutinium exigit; ſæpius e veſtigio decernit: decretumque per Curiam prædictam Proregibus renunciat, properæ executioni mandandum.

Tam vaſti Imperii innumeris pene cauſis dirimendis, prope fidem ſuperat Principem ſufficere poſſe. Enimvero, præterquam quod bellorum cum vicinis gentibus neceſſitudines, & negotiationes exteræ, quæ in Aulis Statuum Europæorum potiſſimam partem conſiliorum conficiunt, Sinenſium Imperatorem parum exerceant: cauſæ civiles ipſum interpellantes ad normam ſanctionum publicarum adeo exactæ ſunt, ut facillime, unoque velut ictu oculi, ob ſummam legum ſimplicitatem liqueat, in quam partem ſententia inclinanda ſit. Qua dicaſticæ facultatis felicitate, vel bihorium quoque die ſatis eſt uni Principi ad ordinandam ſuis auſpiciis rempublicam, cui regundæ plus triginta aliis opus foret, ſi legum tam exacta, tamque cauta non eſſet determinatio.

Cæterum tranquillitas publica, quæ anima eſt rerumpublicarum, cujusque conſervatio tanto evadit difficilior, quanto amplioribus illæ terris & provinciis conſtant, in Imperio Sinico tribus potiſſimum cuſtoditur præſidiis. Primum in certis conſiſtit principiis moralibus, Sinenſis populi animis penitiſſime infixis. Alterum in axiomatibus politicis, momenta Imperii præcipua circumſcribentibus. Tertium in præfinita ratione diſciplinæ politicæ, quæ per omnes partes concinna eſt & expolita.

Præceptorum moralium primum familiæ ſanctitatem attinet, liberisq; enixiſſime & ſuper omnia commendat amorem, obſequium, & reverentiam erga parentes; nec indigna liberorum tractatione, nec quacunque dignitate eorundem, aut ætate provectiori, vel minimum temeranda, aut ex animo delenda. Primus hic naturæ pietatisque ſenſus ad quam perfectionem in his terris provectus ſit, enunciari credique vix poteſt. Nihil ſubjectionis eſt aut officii, ad quod liberi parentibus non teneantur. Obligatio eorum eſt, parentes toto vitæ decurſu alere; defunctos amariſſimis continuisque proſequi lachrymis; juſta eorum funebria ſolennibus ceremoniis profuſoque ſumtu celebrare; in luctu per triennium perſeverare, totoque hoc tempore nullo publico fungi officio: adeo ut Miniſtris Status Mandarinisque tum neceſſe ſit, renunciare ſuo muneri, ut privatis in ædibus lugubri huic officio tanto vacare poſſint liberius. Parens contra ampliſſimo jure adverſus liberos utitur. Si nequitiam unius ex liberis ad magiſtratum deferat, nulla indicii probatione tenetur: pro certo enim habe-

habetur, culpa non vacare prolem, a qua pater alienum ſe gerit. Quin patria hæc poteſtas eousque fertur, ut patri continua filii contumacia magiſtratus opem pluries implorare compulſo, capitis eundem accuſare liceat. Autori noſtro hoc rigore perculſo, Sinenſes repoſuere: cui quæſo melius quam parenti prolis ſuæ mores perſpecti eſſe poſſint? qui eandem educavit præceptis vitæ morumque imbuit, cuique a tot annis omnes ejus actiones exploratæ ſunt. Et rurſus: eſtne qui ſinceriori ac magis compoſito in eam feratur affectu, atque parens? Quod ſi ergo, qui eandem intime novit, tenerrimeque erga eam affectus eſt, judicio eam ſuo condemnat; qua fronte quove merito excuſare aut abſolvere queamus? Inſtanti, intercedere aliquando inter homines naturalem aliquam antipathiam, quam inter parentem etiam & ſobolem locum habere nihil vetet; regeſſere: homines neutiquam immaniores eſſe poſſe belluarum ferociſſimis, quarum nulla tamen in proprios fœtus ſæviat; & ſi vel maxime id monſtri inter homines exiſtat, proli tamen ejus convenire, obſequio, blanditiis, ſervitiorumq; illecebris efferati animum demulcere. Quod ſi eo proterviæ impietatisque filius abripiatur, ut contumeliis inceſſat parentes, aut necem iis intentet: tam horribili ſcelere univerſum Imperium, præcipue provincia, in qua commiſſum eſt, commovetur. Ipſe Princeps ſententiam mortis in reum pronunciat. Omnes vicini magiſtratus, & imprimis civitatis ejus, officio dejiciuntur. Conſanguinei ejus, ob neglectum debitæ animadverſionis, ſeveriſſime puniuntur: cum, judicio omnium, neceſſe fuerit, tam pravam indolem pluribus experimentis ſe dudum prodidiſſe; nec prolapſus ad abominandum hoc facinus, niſi per nequitiæ complures gradus fieri potuerit. Tandem nullum tanto ſceleri ſupplicium par eſſe credentibus, jam fruſtillatim conciditur, jam igne concrematur; ædes, quæ manſionem impio præbuere, funditus diruuntur, vicinis etiam circumcirca ſubverſis, excitatis etiam hinc inde monumentis, in memoriam execrandi hujus flagitii.

Altero præcepto populo commendatur reverentia erga Mandarinos, par cultui, qui Principi, cujus perſonam referunt, exhibetur. Cujus gratia Mandarini in publicum non niſi amplo cum comitatu prodeunt, eaq; oris ſpecie, quæ venerationem incutiat intuentibus; lectica inſuper vecti ſplendida, præcedente toto Tribunalis ſui miniſterio,

rio,circumdatique omnibus dignitatis ſuæ inſignibus. Iisdem viſis, populus ſubmiſſe conſiſtit, & ad latera recedit, ne qua tranſitu impediat: jus pro tribunali dicentibus, partes ſubmiſſis genubus coram mandata præſtolantur. Iter facientibus univerſi vicorum, per quos tranſitus eſt,incolæ catervatim occurrunt, ſua offerentes ſervitia,eosque ad territorii ſui confinia deducunt. Jam quando de provincia ſua, munere ex voto incolarum probe perfuncti decedunt, tantis honoribus afficiuntur, qui vel ſtupidum percellant. Statim atque in procinctu ſunt itineris, omnis multitudo viam publicam per intervalla in ordines diſpoſita occupat, ad duo vel tria ab urbe quaque milliaria. Toto hoc tractu menſæ elegantiſſime inſtratæ viſuntur, bellariis ſaccharo conditis onuſtæ, potuque theæ. Preces inde detinentium, atque ut appoſitis frui ne dedignentur,modeſte invitantium; a quibus ubi ſe expedivere, mox alii paribus inſtant flagitationibus; ut adeo illis abſceſſus inter vota plauſusque populi conficiendus ſit: evergetas alii appellant; conſervatores alii, patresque populi. Jacturam eorum plurimi deplorant; ut ferreos eſſe oporteat Mandarinos, qui tam profuſæ pietatis ſpectaculo immoti lachrymis populi ſuas non miſceant.

Præter ſummam hanc liberorum erga parentes, populi ergo Mandarinos reverentiam, cui præcipue quies, tam publica provinciarum, quam privata cujusque familiæ procul dubio debetur: moralis ipſorum philoſophia docet,maxime reipublicæ intereſſe inter cives illibatam ſervari morum civilitatē, modeſtiam, certamq; elegantiæ formam,aptam conciliandis emolliendisq; animis. Hoc ipſum homines a brutis, Sinenſes a cæteris populis diſtinguere contendunt; ferocitatemq;,quæ apud certas nationes offenditur,reſpublicas certiſſime perturbare perſuaſum habent. Animos enim,qui cœco impetu ferri ſueverunt,domeſticis contentionibus innutritos, nullius perſonæ rationem habentes,aſſuetudinis vitio turbones eſſe & ad defectiones proclives, pronunciant. Cum ex adverſo homines, qui alter alterum humanitate officiisque antevertunt; qui ſufferre, diſſimulare, dolores ſupprimere docti ſunt; qui ſolicite obſervant diſcrimina, quæ ætas, dignitas & merita ſanxere; genii ſui indole boni ordinis cuſtodes ſint, nec citra notam violentiæ moderationis ſuæ limites tranſiliant.

Operæ pretium foret, quibus humanitatis legibus,

&

& quo ceremoniarum ambitu, juxta hoc præceptum, officia in communi vita præſtanda, præſertim circa ſalutationes mutuas, congreſſus & convivia, modumque conſcribendarum epiſtolarum exequantur, latius exponi: ea etiam, quæ circa axiomata Sinenſium publica, eorumque profundas rationes; circa inſtituta civilia, dignitatum ordines, Principum Mandarinorumque conditiones, & fortunas; urbium harmonicas diſpoſitiones, & quæ cætera legibus publicis formæ externæ Reipublicæ Sinenſis concinnandæ ſancita ſunt & introducta, ab Auctore ediſſeruntur, memorari uberius. Sed limites inſtituti noſtri jam dudum videmur nobis ſupergreſſi, ac prolixitate abunde compenſaſſe recenſionis tarditatem.

*PETRI POTERII OPERA OMNIA PRACTICA ET CHYMICA, cum Annotationibus & Additamentis utilisſimis pariter ac curioſis FRIDERICI HOFFMANNI, Filii, Hallenſis, Medici Elector. Brandenb. Philoſophi & Profeſſoris Medicinæ Primarii in Academia Fridericiana. Acceſſit nova doctrina de Febribus, ex principiis Mechanicis ſolide deducta, cum Indice locupletiſſimo.*

Francofurti ad Mœnum impenſis Frider. Knochii, 1698, 4.
Conſtant Alph. 5. plag. 1.

TAntum apud eruditos applauſum invenerunt ſcripta *Poterii*, ut poſt duas illorum editiones, quarum altera Lugduni A. 1653, altera Francofurti 1665 in 8. prodiit, etiam tertia, ob exemplorum defectum, maximopere expeteretur. Precibus itaque multorum permotus Excellentiſſimus *Hoffmannus*, qui fama ſua meritisque in Medicinam egregiis reſuſcitat patrios cineres, curam in ſe ſuſcepit novæ editionis operum Poterii adornandæ, quo & publico prodeſſet & bibliopolæ ſimul deſiderio ſatisfaceret. Non occupabimur in recenſione & commendatione ipſius Poteriani operis, ne vino vendibili hederam ſuſpendere videamur, quandoquidem iſtud plurimorum verſatur manibus, & ubique magni æſtimatur: ſaltim, quod noſtri eſt officii, paucis indicabimus, quid novi & commodi novæ huic editioni acceſſerit.

Celeberrimus, quem laudavimus modo, Hoffmannus ut magis aptaret Philiatrorum lectioni ſcripta Poterii, loca in illis obſcuriora Additamentis & Annotationibus curioſis non minus quam utilibus illuſtravit, emendanda modeſte caſtigavit, defectus ſupplevit, morborum cauſas & varios medicamentorum effectus e principiis Phyſico-Mechanicis ſolide deduxit, non omiſſis obſervationibus, cautelis & hiſtoriis notabilioribus, quas ipſi, praxin medicam exercenti, ſuggeſſit experientia. Inſuper familiaria ſibi, & comprobata toto die in Praxi remedia, eorumque compendioſas præparationes paſſim adjecit; e quorum numero tantummodo unum atque alterum, ſpecimінis loco, huc transferre ſufficiet. V. g. *in Annotat. ad Obſervat. Centur. II. cap. 39. p. 186.* deſcribit *Elixir balſamicum*, quo maximo cum emolumento per plures annos in graviſſimis viſcerum obſtructionibus morbisque chronicis uſum ſe eſſe teſtatur, ſi ejus uſus per aliquot menſes continuetur, aſſumendo bis omni die 60 ad minimum guttulas: ℞ herb. ſcord. manip. iij. fl. centaur. minor. manip. j. myrrh. elect. ℥ß. croci ʒj. ſuccini, zedoariæ, nuciſtæ, ana ʒiij. ligni aloës ʒiß. cort. aurant. ℥ß. olei cardamomi & caryophyll. ana gutt. χ. Sp. Vini tartariſati menſur. j. Sp. Salis Ammon. ℥j. Fiat extractio. *Annotat. ad Pharmacop. Spagyr. Lib. I. Sect. IV. p. 437.* ex *ligno Aloës* triturato, beneficio aquæ pluvialis, addita ſ. q. ſalis communis, præviaq; digeſtione, ſe obtinuiſſe teſtatur *aquam odoratiſſimam*, cui ſupernataſſet *oleum craſſum*, quod inſtar camphoræ in frigido coagularetur, *ſuaviſſimi odoris*. Hoc promte diſſolvi in Sp. Vini rectificato, qui cum ipſo tranſeat *in Eſſentiam* ſaluberrimam in capitis affectibus nervorumque debilitate eximiæ virtutis, atque odoris & ſaporis gratiſſimi. *Subſequente pagina 440.* docet, quomodo *ex balſamo Peruviano*, cum ſale tartari probe trito ac digeſto, mediante ſpiritu vini puriſſimo eliciatur *Eſſentia*, quæ, ſi deſtilletur ad ſiccitatem, *ſpiritum* præbeat *balſamicum fragrantiſſimum*, virtutis ſummæ ad roborandos nervos, medicamentum, quod omnes Medici commendatum ſibi habeant. Tacemus varias obſervationes circa ſimplicium, (mineralis præſertim regni) medicamentorum naturam, præparationem & uſum, pari eruditione & induſtria conſignatas paſſimque interſperſas. Hoc tamen ſilentio præterire non poſſumus, Virum Excellentiſſimum loco Annotationum ad *Poterii Libros de Febribus*, ſubjunxiſſe *integrum* de

hac

hac materia *tractatum*, in quo perſpicue demonſtrat, febres non conſiſtere in intemperie ſanguinis cordisve calida, ſecundum veteres, aut ebullitione ſeu fermentatione p. n. ſanguini & humoribus inducta, juxta Williſium, ſed potius, ad mentem recentiorum quorundam, *in turbata ſanguinis mixtione cum ataxia & perturbatione ſpirituum*; quod ipſum pluribus iisque ponderoſiſſimis argumentis declarat. Hisce principiis therapiam febrium ſuperſtruit, oſtendendo, quæ & quonam ex fundamento in febrib9 vel proſint vel noceant. Venæ ſectionẽ, purgantia & vomitoria caute, & non, niſi plethora adſit, vel ordinariæ evacuationes ſuppreſſæ fuerint, aut ventriculus & inteſtina humorum vitioſorum ſaburra turgeant, in uſum vocanda eſſe judicat. Inter antidota febrium imprimis extollit *diaphoretica*, quod illa, cæteris paribus, decenti nimirum doſi, tempore, ordine & forma exhibita, omnis generis febres non ſolum mitigare, ſed etiam perfecte profligare ſoleant: ſudorifera vero fortiora, item refrigerantia vulgo ſic dicta, tam interna quam externa, nec non acida, plus noxæ quam commodi febricitantibus afferre cenſet. Præmiſſis ita generalibus, præcipuas febrium ſpecies recenſet, earumque originem, cauſas, ſymtomata & curam ordine concinno exponit, quæ ſingula principiis ſolidioribus mechanicis colluſtrat.

Cæterum *Poterii arcana* quod attinet, ingenue profitetur Nobiliſſimus Autor noſter, ex aſſe illa ſe non noſſe; quantum tamen conjectura ex collatione locorum & circumſtantiarum metiri licuit, ex quibus & qua ratione præparata fuerint, tradidit, & quæ ſi non majoris, ſimilis tamen effectus medicamenta, ſibi nota, ſubſtitui queant, manifeſtavit; qua de re Lectorem benevolum paucis admonere neceſſum eſſe duximus.

## *COMPENDIUM HISTORIÆ UNIVERSALIS AB INITIO Mundi ad tempora Caroli M. Imp. conſcriptum a JOANNE CLERICO.*

Amſtelodami, apud Georgium Gallet, 1698, 8.
Conſtat plagulis ſedecim.

JAm ante duodecim annos in uſum ſtudioſorum adoleſcentum doctiſſimus Clericus opuſculum hoc conſcripſit, animusque ipſi

pri-

prius fuit, aliquando, ſi otium nanciſci poſſet, ſtudioſius id expolire, perpetuoque velut commentario illuſtrare. Sed cum deinceps hoc aut nunquam forte, aut nonniſi poſt annos demum aliquot futurum intelligeret, Bibliopolis ea de re certioribus factis libellum denegare noluit. Sicut autem ſolicite ſe conatum fuiſſe profitetur, ut in hoc duo illa obſtacula vitaret; quæ alias impediant, quo minus ex ejuscemodi compendiorum Hiſtoricorum lectione ſperati fructus colligi poſſint, nimiam nempe prolixitatem atque brevitatem: ita plurimarum rerum, quæ patrum noſtrorum ævo non ſatis commode traditæ deprehendantur, rectiorem heic narrationem ſe exhibere, & in momentis maxime ad Hiſtoriam ſacram & eccleſiaſticam pertinentibus multa accuratius & verius aliis exponere teſtatur. Nam cum pleriq; Scriptores quaſi ex compacto laudent quidem ac probent per omnia eos, quibus res ex voto ceciderint, contra vero omnia ferme damnent in iis, qui numero ſuffragiorum victi fuerint; ipſe viciſſim nec abſolvere nec damnare ſe heic quenquam dicit, niſi quos res ipſa manifeſto abſolvat aut damnet; quamvis ut plurimum etiam duntaxat rem narraverit, non, quæ dogmata falſa aut vera ſint, ſed quæ vere contigerint ac facta fuerint, inquirens. Scriptorum recentiorum, ex quibus pleniorem cognitionem variarum rerum, quarum breviter meminit, haurire liceat, indicium ubique inſperſit. In ordinandis numerandisque temporum articulis, Dionyſium Petavium ſequi conſultum reputavit, quem accuratiſſimum Chronologorum appellat, quemque non omni equidem peccato carere, ſed minoribus tamen, quam eos, qui ante illum ſcripſerunt, laborare exiſtimat. Ad iſtum ergo modum compendio hoc complexus eſt, quicquid a mundi initio ad Caroli Magni imperium contigit: heic enim finem antiquæ hiſtoriæ ſtatui poſſe cenſet, quandoquidem circa hæc demum tempora Imperium Romanum funditus perierit, & nova in Aſia atque in Europa regna exorta ſint. Quæ quidem ὡς ἐν πλάτει capienda eſſe facile deprehendent, qui norunt, quanto ante Carolum M. tempore, & Romanum in Occidente Imperium (nam in Oriente aliquot poſt Carolum M. ſeculis ſtetit) cum Momyllo Imperatorum ultimo funditus perierit, & in provinciis, quæ ſubjectæ illi fuerant, nova regna (velut in Gallia Francorum, Viſe-Gothorum in Hiſpania, Saxonum & Anglorum in Britannia, in Italia ipſa Herulorum, Oſt-Gothorum, Longobardorum) fuerint enata.

* * * * * *
* * *

# ACTA ERUDITORUM

## *Publicata Lipſiæ*

### *Calendis Septembris Anno M DC XCVIII.*

*COLLECTANEA MONUMENTORUM VETERUM ECCLESIÆ Græcæ ac Latinæ, quæ hactenus in Vaticana Bibliotheca delituerunt. Tomus primus. LAURENTIUS ALEXANDER ZACAGNIUS, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, e ſcriptis codicibus nunc primum edidit, Græca Latina fecit, notis illuſtravit.*

Romæ, typis Congregationis de propag. fide, 1698, fol. min. Alphab. 9.

E minori, qua dudum defunctus fuerat, ad majorem Bibliothecæ Vaticanæ præfecturam evectus doctiſſimus Zacagnius, non mediocre calcar currenti ſibi additum promotione hac fuiſſe oſtenſurus, totum ſe ad protrahenda in lucem, quæ in illuſtriſſima illa Bibliotheca adhuc latent, monumenta ἀνέκδοτα convertit. Talia namque ab interitu ſedulo vindicanda eſſe, prævio etiam exemplo Henrici Caniſii, Petri Stevartii, Lucæ Dacherii, Philippi Labbei, Jo. Mabillonii, Joh. Baptiſtæ Cotelerii, Stephani Baluzii, Jacobi Hommey, aliorumque in antiquis lucubrationibus edendis occupatorum edoctus, ſcripta a nemine hactenus vulgata, ſed ſua tamen utilitate nequaquam caritura, abſcondi amplius intra unius Bibliothecæ cancellos noluit, ac viſus ſibi eſt hoc pacto reſarcire jacturam, quam in abrupta poſt mortem doctiſſimi Leonis Allatii Symmictorum ab eo congeſtorum ulteriori editione Orbis eruditus paſſus eſt. Exorſus igitur a Sanctorum Patrum lucubrationibus, ſacros poſtea canones, tum rituales libros, rerum porro ſacrarum hiſtorias, ac denique eccleſiaſtica cujuscunque generis

ſcripta diſtinctis a ſe invicem Tomis aliquot e manuſcriptis codicibus exhibere inſtituit.

Inter hos primus, qui nunc in lucem prodit, quatuor Scriptores vetuſtos ſiſtit, & *ARCHELAUM* præ cæteris, celeberrimum in Meſopotamia Epiſcopum, cujus *cum Manete hæreſiarcha Diſputationem* Latino delineatam ſermone exhibet. Narratur in ea, ut profugus in Meſopotamiam Manes de viro quodam ob raras ſuas virtutes non apud Carrhas modo, qua in urbe degebat, ſed & paſſim alibi decantatiſſimo, cui Marcelli nomen, inaudiverit, ac de eo hæretica ſua pravitate inficiendo cogitaverit, ſcriptis etiam ad ipſum literis præſentiam ſuam pollicitus. Tum conceſſiſſe huic adventandi copiam Marcellus perhibetur, qua uſus ille mox ad ſuſcipiendam cum Archelao diſputationem, præſentibus e numero Gentilium quatuor Philoſophis, arbitrorum vices ſubituris, ſe adactum vidit. Hanc igitur neceſſitatem nulla ratione devitare valens, ſua palam exponere dogmata occœpit, quæ tamen ab Archelao adeo fortiter proſtrata fuerunt, ut univerſa, quæ in domum Marcelli confluxerat, audientium multitudo horrendam eorundem indignitatem manifeſte perſpexerit, ac impium hæreſiarcham urbe excedere, non citra vehementes motus, ipſiusmet Archelai auctoritate ſedandos, coegerit. Recepit ille ſe in vicum longius ab urbe modo memorata diſtantem, Diodori appellatione inſignitum, cujus Presbyter, & ipſe Diodori nomen gerens, ſparſorum ab eo dogmatum fœditate perculſus, quanam iis ratione obviam eundum ſit, peculiari epiſtola ad Archelaum exarata percontatus fuit, qui nihil in ſe deſiderari paſſus, non argumenta ſolum, quibus ante ad incitas eum redegerat, per literas ſubminiſtravit, ſed & mox ad vicum ipſum pergens, diſceptationem cum hæreſiarcha pertinaciſſimo renovavit, felicitateque eadem, ac in priori illo congreſſu uſus, acto in exilium antagoniſta, cauſa ſua palam cadente, univerſam hæreſeos hujus hiſtoriam, inde a primordiis ſuis repetitam, coram populo expoſuit, animosque præſentium adverſus eam ſolide obfirmavit.

Quinam acta hucusque enumerata ſcriptis conſignaverit, inter Epiphanium, Hieronymum & Heraclianum non convenit, dum illi Archelaum ipſum, hic vero Hegemonium quendam officio hoc fuiſſe functum autumant. Sed Noſter in præmiſſa huic Tomo præfatione rem ita definiri poſſe credit, ut ſtatuamus, Archelaum Syriaca

primum

primum lingua ea, quæ coram delectis judicibus adverſus Manetem protulerat, divulgaſſe; Hegemonium vero, quæ ab Archelao jam deſcripta fuerant, meliori non ſolum ordine digeſſiſſe, verum etiam exordio, epilogo, aliisq; nonnullis locupletaſſe, ut omnibus numeris abſoluta celebris illiꝰ diſputationis acta ad poſteros tranſmitterentur. Et hunc quidem Græco idiomate uſum fuiſſe ſuſpicatur, de Latino autem interprete, cujus verſionem heic exhibet, plura ſibi non liquere aſſerit, quam quod Hieronymo fuerit poſterior, ſed ante ſeptimum tamen æræ Chriſtianæ ſeculum vixerit: hoc enim vel inde colligit, quod in laudandis Sacræ Scripturæ locis vulgatam editionem non ſequatur. His prælibatis, urbem in qua habita diſputatio, non Carchar aut Caſchar, ſed Carrham fuiſſe probat, & in inveſtigando ejus tempore occupatur, tutiſſimum fore ratus, ſi intra Julium atque Decembrem anni 277 iſtud collocaveris. Equidem ipſum Archelaum in ſua Diſputatione aſſerere obſervat, quod trecentos & amplius annos a Chriſti morte Manes advenerit. Verum ad exaggerandam ejus ſtoliditatem, qua ſe Paracletum Spiritum a Chriſto promiſſum temere affirmarit, annorum numerum in diſputationis æſtu eum auxiſſe reſpondet, ut clarius oſtenderet, ipſum longo adeo poſt Chriſti mortem tempore emergentem, Paracletum eſſe non poſſe, quippe quem Dominus poſt ſuum in cœlos aſcenſum illico Apoſtolis ſe miſſurum affirmaverit, & quem reapſe poſt quinquaginta ab ejus reſurrectione dies ab ipſo miſſum fuiſſe, Apoſtolorum Acta diſerte teſtentur. Sicuti autem in horum Actorum antiquitate ac ſinceritate demonſtranda multus eſt: ita fragmentorum ejus editionem antea factam commemorat, ut nempe ea ab Emerico Bigotio ſibi commiſſa in calce ſuarum notarum ad Socratem & Sozomenum exhibuerit Henricus Valeſius; prout & idem Bigotius appoſito Græco Epiphanii textu cum Palladio eadem recudere cogitaverit, ſed poſtea tamen curam hanc iis relinquere ſatius duxerit, qui novam operum S. Epiphanii editionem eſſent aggreſſuri. Se vero Latinum hunc textum e codice ſexcentorum & ultra annorum, in Bibliotheca cœnobii Caſinenſis reperto, deſcriptum heic cum Eruditis communicare aſſerit, ac de cætero nequaquam diſſimulat, ipſa hæc Acta nondum integra, ſed pluribus in locis a veteri librario mutilata videri. Cyrillum certe Hieroſolymitanum, in Catecheſi ſexta quædam Manetis argumenta cum Archelai reſponſionibus recitare, quæ in hac editione

non reperiantur; nec dici poſſe, Cyrillum dictorum modo ſenſum, non ipſa Archelai verba laudaſſe, cum ſimile quidpiam in nullo editionis hujus loco legatur, ac præterea verba illa, quæ Cyrillus referat, ita concepta ſint, ut ab ipſomet Archelao prolata credi debeant. Ne tamen vel minimum Actorum Diſputationis iſtius omitteret, fragmentum ex hac Cyrilli Catecheſi deſumtum corollarii loco Græco-Latinum ſubjunxit. Præterea cum inter Regio-Alexandrinos Vaticanæ Bibliothecæ codices reperiſſet apographum vetuſti cujusdam codicis, excerpta quædam ex Actis Diſputationis Archelai a capite quinquageſimo primo usq; ad quinquageſimum quintum continentis, operæ pretium cenſuit, in appendice totius Tomi varias ex eo lectiones accumulare; quemadmodum & ſimiles e codice Bobienſi atq; aliunde petitas, una cum notulis quibusdam brevioribus, textui ipſi paſſim ſubſtravit. Quali autem fundamento nitatur, quando Archelaum pleraque Romano-Catholicorum dogmata illuſtrare atque confirmare tradit, aliis dijudicandum relinquimus.

Diſputationem hanc excipiunt S. *EPHRÆMI SYRI* Orationes aſceticæ duæ non adeo prolixæ, quarum altera *de Reſurrectione & Judicio, deque Regno cœlorum ac de munditia animæ;* altera *de Agone ſeu de luctaminibus hujus ſeculi* inſcribitur. Has Latine tantum ex antiqua verſione, cum Græcum exemplar hactenus impetrare non potuerit, clariſſimus Editor exhibet, & ex pervetuſto Vaticano codice tranſcriptas ad alium Caſanatenſis Bibliothecæ codicem collatas repræſentat, aſt præter variantes utrinque lectiones de ſuo nihil ſuperaddit.

Sed ſpatium multo amplius occupant, diligentiamque Zacagnii majorem teſtantur nonnulla, quæ has ſequuntur, *GREGORII NYSSENI* opera, ex ſolis Vaticanis codicibus eruta, cum eorum exemplar aliud in urbanis Bibliothecis reperiri haud potuerit. Ex his autem primum locum occupat ejusdem *Antirrheticus adverſus Apollinarem*, ex ſeptingentorum circiter annorum codice depromtus. Et hunc quidem genuinum Gregorii fœtum eſſe, non ex ſtyli ſolum, ſed & e ſententiarum ab eo alias prolatarum congruentia, patere exiſtimat. Quid? quod & Leontius Byzantinus, ex Scholaſtico ſeu Advocato Monachus in Laura S. Sabæ prope Hieroſolymam, qui Juſtiniano imperante floruerit, & Synodus ſexta generalis, & Euthymius

Ziga-

Zigabenus,& Jo. Damaſcenus excerpta quædam ex hoc Antirrhetico referant, quæ ſuo loco in notis ſtudioſe Noſter indicat. De tempore, quo opus iſtud compoſuerit, nihil certi ex illius lectione colligere ſe potuiſſe profitetur; medio tamen inter annum 373 & primam Synodum Conſtantinopolitanam ſpatio fœtum hunc conceptum, vix dubitat. In Synodo namque Alexandrina, paulo poſt Conſtantii mortem A. 362 ſub Joviano Imp. habita, damnatum quidem Apollinaris errorem, ſed ejus nomini adhuc parcitum fuiſſe; præterea nec Athanaſium Alexandrinum, qui primus omnium Apollinaris hæreſin ſcripto confutarit, nec alium quempiam, antequam Baſilius Cæſarienſi Eccleſiæ præficeretur, hæretici eum loco habuiſſe; at paulo poſt Baſilii Epiſcopatus initia, hæreſeos eum palam accuſatum, quin & annis mox ſequentibus ab Eccleſiæ conſortio excluſum deprehendi memorat. Gregorium igitur Nyſſenum eo tempore ſcripſiſſe colligit, quo manifeſtam Apollinaris hæreſin quilibet agnoverit, cum ejusdem librum *de Incarnatione Verbi ad hominis ſimilitudinem facta*, in Antirrhetico hoc ſuo ſic confutet, ut iſtum modo Ario & Eunomio parem faciat, modo eosdem impietate ſuperaſſe contendat. Deinde cum in eodem libro nulla mentio judicii in Apollinarianam hæreſin a Damaſo vel a Synodo œcumenica ſecunda lati habeatur, nec ita ſolos Apollinaris aſſeclas Auctor redarguat, quemadmodum in epiſtola ad Theophilum Alexandrinum multis poſt Apollinaris obitum annis directa fecerit, ſed adverſus ipſummet ſcribat, eumq; hæreſin deponere optet; inde haud inani conjectura colligi, quod ante ſecundam Synodum œcumenicam, & ante Apollinaris obitum, quem circa A. 380 accidiſſe putent, Antirrheticum ſuum Gregorius Nyſſenus elucubraverit. Quod attinet ad locutiones ab eo heic adhibitas, non equidem inficiatur Editor, tales nonnunquam occurrere, quæ a veritate catholica alienæ videri queant iis, qui in Nyſſeni ſcriptis adeo verſati non fuerint. Sed ex genuina hujus mente quicquam a fide orthodoxa recedens adſtructum reperiri, totus pernegat, ac proin, licet hypoſtaticam divinæ & humanæ naturæ in Chriſto unitionem μίξιν quandoque appellarit, & σύμμιξιν ac σύγκρασιν, Eutychianæ tamen naturarum confuſioni ipſum faviſſe non admittit; utut etiam de Chriſti gloria poſt aſcenſionem in cœlos adeo magnifice loquatur, ut ipſum nullam humanæ carnis ſubſtantiam ac proprietatem in glorificato Chriſti corpore agno-

viſſe quiſpiam fortaſſis ſuſpicari valeret, & ab hac tamen opinione eum revera abhorruiſſe, multis modis evincere ſatagit, ad alia ejus loca contrarium penitus aſſerentia provocans, & morem Patribus interdum receptum urgens, quo ad accuratiſſimas Theologiæ regulas verba ſua non ſemper exegiſſe eos conſtet, quippe qui in id incubuerint, ut, quam maxime fieri poſſet, ſublimes de divina Majeſtate notiones legentium animis imprimerent.

Poſt Antirrheticum Gregorii Nyſſeni, ſiſtuntur in Tomo hoc ejusdem S. Patris *delecta quædam Teſtimonia ex Veteri Teſtamento*, quæ ille *adverſus Judæos* urget atque roborat, & ea quidem concernunt myſterium ſacroſanctæ Trinitatis, adventum Domini in carnem, nativitatem ejus ex illibata virgine, miracula ab ipſomet edita, paſſionem, crucem, reſurrectionem, aſcenſionem, gloriam item Eccleſiæ, Evangelium, incredulitatem Judæorum, gentium vocationem, baptiſma, & articulos quosdam alios, quos veluti primarios Chriſtiani profitentur, quosq; Judæi viciſſim acriter ſueverunt impugnare. Hæc Teſtimonia Latine tantum ex Laurentii Siſanii verſione olim prodiere; nunc vero eadem Græce quoque cum ſua translatione nova Noſter publici uſus facit, ac pro libello hoc ipſi Nyſſeno utique tribuendo ſolicite pugnat. Sunt ſane, qui in alia omnia abire malunt, ea ratione freti, quod ſub Teſtimoniorum horum finem quædam ex Chryſoſtomo, poſt tempora demum Nyſſeni florente, mutuata legantur. At verba illa in codice Græco Vaticano non extare, adeoque pro panno huic operi aſſuto habenda venire, Noſter regerit. Neque tamen iis adverſaturum ſe teſtatur, qui opuſculum hoc quosdam interpolaſſe credant, cum in eo laudari nonnulla videat, quæ in ſacrorum Bibliorum textu haud appareant; quemadmodum & ejus exordium totidem verbis apud Baſilium in libro de Spiritu Sancto repererit.

Mox duæ ejusdem Orationes comparent, quarum prima *Laudatio altera S. Stephani Proto-Martyris* inſcribitur, quamque ſe primum Græce & Latine dare Editor ſolertiſſimus innuit; qui etiam non in feſto die Stephano ſacrato, ſed in ſequenti potius eam recitatam cenſet, cum pauca de S. Stephani laudibus præfatus, ſtatim ad celebrandos Petrum, Jacobum & Johannem, Apoſtolos, Gregorius digrediatur. Hinc inſuper manifeſtum reddi ſibi perſuadet, Eccle-

ſiæ,

ſiæ, cui Nyſſenus præerat, & fortaſſe totius Cappadocum gentis inſtituto, una eademque die, quæ Stephani ſolennitatem proxime ſequitur, Apoſtolorum modo nominatorum feſtum celebrari conſueviſſe. Magnificas autem totius Apoſtolici cœtus laudes, easque imprimis & Petro tributas, ſpeciminis in locum ex hac oratione decerpit, ac maximopere commendat. - Secunda oratio *de Spiritu Sancto* agit, & *in Pentecoſten* fuit habita. Hanc ſuperiori jam tum ſeculo Franciſcus Zinus imprimi curavit, ſed Latine tantum; nunc vero Græcam quoque ac nova verſione ornatam evolvere heic poſſumus. In ejusdem calce mantiſſæ loco annectitur exiguum ſupplementum textus Græci *Orationis* ejusdem Nyſſeni *adverſus fornicarios* compoſitæ, quod, quia in appendice operum illius a Jac. Gretſero vulgata deſideratur, addere hoc in loco non incongruum Noſter exiſtimavit.

Nondum tamen operum Nyſſenianorum ſatis eſt: nam *quatuordecim* adhuc illius *Epiſtolæ* Græco-Latinæ conſpectui ſe noſtro ſiſtunt. *Prima* harum ad Euſebium quendam perſcripta verſatur in reddenda cauſa myſtica, cur nocte ad longitudinis ſummum provecta Chriſtus naſci voluerit, ac tunc, cum noctes diebus æquantur, e mortuis reſurrexerit? Occaſionem ei præbuiſſe Editor exiſtimat vetuſtum illum morem, juxta quem in Paſchatis ac Natalis Dominici ſolennitatibus munuſcula quædam ſibi invicem Chriſtiani, mutuam benevolentiam ut teſtarentur, miſerint; qua de cauſa & hanc ſumma pietate refertam epiſtolam muneris loco Nyſſenus ad Euſebium ablegaverit. *Secunda* ad Sebaſtenos directa eſt, quibus ſuſpecta erat Nyſſeni in aliquibus fidei capitibus ſententia, quam tamen hic egregie defendit & ab impacto heterodoxiæ crimine liberat. *Tertia* honorem illum & varias lætitiæ ſignificationes, quibus poſt reditum ſuum ad Eccleſiam ab auditoribus ſuis exceptus fuerit, deſcribit; unde eam Editor vel poſt primam Synodum CPtanam, vel eo tempore, quo ab exilio redierit, exaratam putat. *Quarta* nobilem juvenem, conſanguineum ſuum, capitalis criminis reum actum, Cynegio, Præfecto Prætorii in Oriente; & *quinta* eidem Alexandrum quendam commendat. *Sexta* ex erēmo, & *ſeptima* ex exilio, dubium ad quos, miſſæ Editori videntur. *Octavam* ſenex admodum Nyſſenus ad eruditum quendam juvenem Cappadocem, vel in Cappadocia commorantem, qui illum peregre agentem patri commendaverat, perſcripſit. *Nona* Cappadocem aliquem in Ponti

Ponti quodam loco agentem ad Paſchatis celebrationem accerſit, deq; morum, qua laborent Cappadoces, aſperitate queritur. *Decimam* & *undecimam* pro reſponſoriis Noſter habet ad literas Libanii Sophiſtæ, quem S. Baſilii magiſtrum fuiſſe pluribus in præfatione oſtendit, cumque inter Libanii epiſtolas adhuc ineditas, quarum plus quam duæ chiliades in Vaticana Bibliotheca ſerventur, nulla Gregorio Nyſſeno inſcripta deprehendatur, non omnes certe epiſtolas ab eximio hoc Rhetore profectas, in antiquiſſimis earum collectionibus adhucdum ſupereſſe, exin colligit. In *duodecima* ad incertum aliquem tendentis initio excuſat ſe Nyſſenus, quod libros ſuos adverſus hæreſin ob librariorum penuriam citius haud miſerit; id quod non de Antirrhetico illius, quippe non admodum prolixo, ſed de tredecim adverſus Eunomium libris capiendum Zacagnius exiſtimat, idemque *decimam tertiam* Nicomedienſi Eccleſiæ paſtore orbatæ, & idcirco in plures factiones diſciſſæ deſtinatam concludit. In *decima quarta* de miſero vitæ ſuæ ſtatu, de adverſariorum ſuorum inſidiis, deque perverſis ſuorum temporum moribus prolixe queritur; unde ei exilium, in quod Valens Imperator Nyſſenum abire juſſerit, anſam ſuppeditaſſe, Noſter haud præter rem fortaſſis conjicit. Has igitur Epiſtolas Græce & Latine uti primus jam legi publice facit Zacagnius, ita notis etiam quibusdam criticis illuſtrat, quin imo in tribus poſtremis lacunas aliquot ex ſuo ingenio ſupplet. Etenim his deturpatum deprehendit Vaticanum exemplar, non veteris quidem librarii culpa, ſed quia in alio codice, ex quo ante quingentos annos Vaticanus tranſcriptus fuerat, nonnullas paginas in extrema parte vetuſtas conſumſerat; quem defectum adeo accurate codicis Vaticani ſcriptor repræſentavit, ut deſideratorum verborum numerum, relicto nunc majori, nunc minori ſpatio, diligentiſſime deſignaverit. Noſter ergo, ne tot hiatus in textu conſpicerentur, ratione habita majoris minorisve intervalli in codice illo denotati, eas complevit, ſed ita, ut conjecturas ſuas ſemicirculis incluſerit, ne forſan eas quispiam Nyſſeni verba eſſe reputet.

Quartus Scriptor, cujus labores Tomus hic in ſcenam producit, eſt *EUTHALIUS*, quem Chalcedonenſis Concilii tempore Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconum egiſſe, quicquid contra videatur aliis, Zacagnius opinatur, eumque poſtmodum Epiſcopum Sulcenſem factum dicit, in ea forſan urbe, quæ ψέλχη appellata & Syeni Thebaidis civitati

vitati celeberrimæ propinqua fuerit, quamque Strabo commemoret, & Ptolomæus ψέλχιν, alii Pſelcim appellent. Epiſcopali autem iſthac dignitate eum claruiſſe illo ævo, quo Athanaſius Junior, cognomento Celetes ſeu Hernioſus, Petro Moggo A. 490 ſuccedens, Alexandrinam Eccleſiam rexerit. Rogavit hunc Euthalium quidam, cujus nomen ipſe reticere voluit, Pater, ut Prologum in univerſas Pauli epiſtolas concinnaret, inque eo admirandorum ejus geſtorum hiſtoriam texeret. Hic ergo non iſtud modo accuratiſſime eſt executus, verum etiam ſingulas epiſtolas in lectiones diviſit, & verſibus diſtinxit, teſtimonia etiam Veteris Teſtamenti, aliaque a Paulo allegata in unum collegit, adjectiſque capitulis ab antiquo Patre hodie ignoto excogitatis, abſolutiſſimam undiquaque epiſtolarum illarum editionem concinnavit, atque hanc manu ſua deſcriptam ad Patrem illum, qui id operis ipſi injunxerat, tranſmiſit. Elapſo deinceps aliquo temporis ſpatio, ad mandatum forte Athanaſii, Archiepiſcopi Alexandrini, cujus mentionem modo injecimus, eandem diligentiam reliquis epiſtolis Catholicis & Apoſtolorum Actis impendit, profectuſque ad Cæſaream Palæſtinæ urbem, ſecundum exactiſſima exemplaria, quæ adhuc ibidem in Bibliotheca a Pamphilo martyre & Euſebio Cæſarienſi conſtructa aſſervabantur, divinorum iſtorum ſcriptorum textum excuſſit, atq; juxta ea laborem ſuum informavit. In Actis nempe Apoſtolorum & in Epiſtolis Catholicis, poſt emendata librariorum errata, textum in lectiones, capita & verſus accurate diſtinxit. Lectiones modo unum caput, modo plura, non tamen æqualis numeri aut quantitatis, complectuntur. Capita duplicis ſunt generis, majora alia, alia minora. Illa integrum aliquod argumentum continent, ſed quia illud nimis interdum prolixum eſt, hæc inſuper adhibuit, ut, qui argumenti primarii partem aliquam noſſe cuperet, integri prolixiq; capitis lectione haud indigeret. Præter hæc capita, omnium locorum, qui ex Veteri Teſtamento aliiſque tum ſacris tum profanis libris citantur, duplicem catalogum texuit, in quorum primo Sacræ Scripturæ & aliorum etiam auctorum libri quot vicibus laudentur in textu, deſcribit; in ſecundo vero ſingula loca iiſdem, quibus concepta fuere, verbis recitat. Eundem quoque ordinem ſervavit in Epiſtolis Paulinis, niſi quod alia quædam his propria opportunis in locis immiſcuit; velut ubi ante omnia prologum confecit ampliſſimum de S. Pauli geſtis ejuſque epiſtolis, in cu-

jus fine antiqui Patris, qui has epiſtolas in capita diviſit, brevem de Pauli martyrio prologum ſubdidit, una cum appendice, in qua, quot anni ab ejusdem paſſione tunc præterierint, ipſe rurſus ſupputavit. Poſt lectionum & teſtimoniorum elenchos, loca etiam, unde datæ, & quorum nomine conceptæ fuerint hæ epiſtolæ, expoſuit, ut alia induſtriæ haud vulgaris ſpecimina taceamus.

Lectionum vero aliquoties hucusque dum meminimus, ad Editorem noſtrum merito benevolum Lectorem ablegamus, qui in præfatione eas eſſe has pericopas affirmat, quas Euthalii tempore Eccleſia Alexandrina feſtis diebus legerit, aut quas ipſe in publicis ejusdem Eccleſiæ ſynaxibus legendas Athanaſio, Alexandrino Epiſcopo, propoſuerit. Qua occaſione doctam de ſacrarum lectionum antiquo uſu atque numero commentationem inſpergit.

Euthaliani de cætero operis partem primus dedit Franciſcus, Cardinalis Ximenius, in Bibliorum editione Complutenſi; plura autem ex eo comparent in Oecumenii & aliorum veterum Patrum commentariis in Apoſtolorum Acta, inque Catholicas & alias D. Pauli Epiſtolas a Gisberto, Veronenſi Epiſcopo, Græce evulgatis, nec non in Novi Teſtamenti editionibus quibusdam celeberrimis, quas ſolicite enumerat Noſter: neminem tamen ante ſe opus iſtud integrum adhuc publicaſſe monet, hujusque rei culpam in librarios rejicit, qui, cum in hujus Auctoris prologis & programmatibus nonnulla eſſe viderent a ſuorum temporum uſu abhorrentia, & præcipue ex tot numerorum atque elenchorum laborioſa transſcriptione magnum ſibi incommodum oriri ſentirent, non omnes ejus lucubrationes, ſed quas magis neceſſarias judicarint, illis, quos manu exaraverint codicibus, interdum indicato, ſæpius ſuppreſſo Auctoris nomine, inſeruerint. Ipſe igitur ex Regio-Alexandrino Bibliothecæ Vaticanæ codice integrum opus cum plurimis optimæ notæ manuſcriptis aliis collatum Græce protraxit, Latinaque verſione exornavit, omiſſis tamen argumentis tum Actuum Apoſtolicorum, tum Catholicarum Epiſtolarum, quæ capitulorum elenchis in omnibus codicibus præfigi equidem agnovit, ſed non Euthalii, verum recentioris cujusdam auctoris eſſe, & a librariis ejusdem operi inſerta fuiſſe ſtatuit. Codicem deinceps jam laudatum, circa Acta Apoſtolorum & ſeptem Catholicas Epiſtolas, contulit cum Argentoratenſi Novi Fœderis editione a Jo. Henrico Bœclero A.

1645 adornata, & A. 1660 recuſa; in epiſtolis vero Paulinis cum eo Novi Teſtamenti exemplari ipſum comparavit, quod Jo. Morinus Romanæ ſeptuaginta Interpretum editioni ſubjunxit. Imo & varias Regio-Alexandrini codicis lectiones cum iis contulit, quæ ex eo in Anglicanis Bibliis Polyglottis ſacro textui ſubſternuntur, & obvias variationes ubivis ſedulo annotavit. Porro & eam lectionum certis diebus in Miſſa recitandarum ſeriem, quæ in codicis Regio-Alexandrini margine continetur, addidit; ſed cum in hoc iſtarum tantummodo initium ac finis, nulla dierum, in quibus recitandæ, mentione facta, inſinuetur, idcirco alios codices Vaticanos in ſubſidium advocavit, ut ſuos quosque dies ſingulis lectionibus apponere noſſet. Præterea huic Lectionario alios lectionum liturgicarum indiculos ſuperaddidit, ab iis, quibus nunc Græci in Miſſarum celebratione utuntur, parum diverſos; nec tamen, ubi hi ab hujus ævi Græcorum Lectionariis discrepent, notare omiſit, iſtoque pacto quatuor Eccleſiarum Orientalium Lectionaria variis ex Regio-Alexandrino codice lectionibus immixta, ac præterea in appendice adhuc aliud ex initio codicis ſæpe nominati deſcriptum, temporibusque, quibus vixit Euthalius, poſterius quidem, ſed ad nonum tamen ſeculum referendum, ſuppeditavit.

## *JO. CHRISTIANI ITTERI DE HONORIBUS SIVE Gradibus Academicis liber.*

Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Frid. Knochii, 1698. in 4.
Conſtat alph. 4. pl. 8.

SOlennes titulos in Academiis publica auctoritate & certis ceremoniis collatos, privilegiisque ornatos, nemo accuratius eruditiusq; ſcrutatus eſt, & ex optimis ſcriptoribus expoſuit; quam viginti quaſi ante annos doctiſſimus Itterus, inauguralis diſſertationis argumentum iſthoc ſumens, quod dein latius explicavit juſto de honoribus ſive gradibus academicis edito libro. Hunc recenſitum, plurimisque ex partibus auctum nunc denuo publici juris fecit, ſervato eodem ordine & numero capitum, quos in priori adhibuit editione; ſingulis tamen capitibus ita interpolatis & locupletatis, ut novus omnino & eximius cenſeri debeat liber, e quo pauca delibabimus notatu quæ di-

gniora ſunt viſa. * Boetii Eponis JCti Friſii commentarium *de bonorum academicorum titulis, eorumque origine, progreſſu atque uſu*, a Val. Andreæ in Bibliotheca Belgica memoratum, non repertum ſibi ait ullibi *p. 7*. Philoſophiæ Magiſtris *Doctoris* titulum non abjudicandum *p. 20*. Licentiatos publice non renunciatos haud quaquam gradus iſtius dignitate gaudere, ex ſententia Argentoratenſium *p. 28*. Sibi gradum Licentiati Gieſſæ anno 1678 collatum fuiſſe *p. 38. 450. 557* Juris *utriusque* nomine non modo Canonicum & Civile, verum etiam Divinum & humanum comprehendi *p. 41*. Canonici juris recte etiam in Belgio creatos Doctores dici, invito licet Paulo Voetio *p. 48*. Gradus honorum in Academiis receptos, improbatos eſſe Carolſtadio *p. 62*, neutiquam Luthero & Melanchthoni *p. 64*. aut Camerario, etſi is ritus, quibus iſti hodie ſolent conferri, reprehenderit *p. 66*. Sinenſes in conferendis iis admodum rigidos eſſe, & quotannis inquirere in profectus eorum, qui gradus ſunt conſecuti, hac lege, ut ſi non profecerint, gradu iterum excidant *p. 84*. Lombardum non a gradu collato, ſed quod auctor Sententiarum fuerit, *Magiſtri* titulum tuliſſe *p. 89*. Honorum titulorumque academicorum collationem ſeculi tertii decimi initio uſu eſſe receptam, nec ante ullibi creatum fuiſſe Doctorem, *p. 10*. Originem graduum iſtorum quosdam Gallis, alios Anglis, nonnullos Italis, aliquos etiam Hiſpanis adſcribere *p. 104*. Ad Germanos ſeculo decimo quarto, cum Academiis, morem etiam tribuendi eruditionis exploratæ teſtimonia eſſe derivatum *p. 105*. Ab Imperatore aliisque liberis Statibus condi poſſe academias & conferri gradus, nulla Pontificis Romani ejusque conceſſionis aut confirmationis habita ratione *p. 118*. Neque enim academias eſſe corpora eccleſiaſtica, nec Cancellarios earum ex ordine ſacro eſſe oportere *p. 121*. Poteſtatem conferendi academicas dignitates non ad jus ſacrorum referendam, ſed nomothetico annumerandam eſſe *p. 134* Reſervata Cæſarea vix poſſe enumerari aut demonſtrari *p. 140*. Collationem dignitatum academicarum pertinere ad Reſervata iſta *p. 143*. ac proinde a nullo alio Imperii Statu jus eſſe involandum, ac ne in territorio quidem gradus hos conferentis vires id habere, ab eove renunciatos Doctores privilegiis cæterorum frui *p. 148*. quod etiam de Rege Romano *p. 153*. Vicariis Imperii *p. 154* & Camera Imperiali ſentiendum *p. 158*. Immediate a Cæſaribus, ut Poetas *p. 159*, ita & Doctores creari, exemplis Maximilia-

miliani I. *p. 160.* & Friderici III. *p. 161.* patere. Regem Sueciæ Guſtavum Adolphum *p. 163.* & Daniæ Fridericum III. *p. 164.* & Magnum Ducem Moſcoviæ *p. 165* Doctores creaſſe. Frid. Staphylum juſſu Pontificis Pii IV per Salisburgenſem Archiepiſcopum Doctorem eſſe renunciatum *p. 166.* Archiduces Auſtriæ facultate creandorum Doctorum gaudere *p. 167.* Comites etiam Palatinos eandem auctoritate Cæſarea eſſe conſecutos *p. 169.* ut Theologiæ etiam Doctores creare poſſint *p. 171.* in ipſis quoque academiis *p. 173.* In academiis gradum conferri poſſe ab eo, qui ipſe gradu iſto quem confert, non gaudeat *p. 183.* Caſus poſſe intervenire, ut in alia academia Licentiati, in alia Doctoris gradus aſſumatur *p. 192.* quod duobus inſignibus Ph. Nicolai & Jo. Scherbaumii exemplis *p. 194.* oſtenditur. Gradum, quo aliquis jam ornatus eſt, in alia academia repeti non debere *p. 208.* non obſtante Petri Martyris exemplo *p. 209.* Cœcos academicis gradibus ornari poſſe, exemplo Nicaſii de Werda patere *p. 216.* nec fœminas iis excludi, exemplis quibusdam eſſe manifeſtum *p. 217.* Judæos tamen ad eosdem gradus non admittendos *p. 224.* uti nec atheos & a religione Chriſtiana alienos *p. 229.* aut facinoroſos *p. 231.* qualis Jo. Chriſtophorus Caſtricius ob furtum Tubingæ virgis cæſus, & ob iſtud iteratum Roſtochii laqueo ſtrangulatus *ibid.* & ſpurios *p. 233.* ſi non fuerint legitimati *p. 238.* Lictorum & apparitorum filios academicorum honorum eſſe capaces *p. 242.* minus eos, qui ſervi ſunt aut homines proprii *p. 244.* vel certo Religioſorum ordini addicti *p. 245.* Dignis & eruditione eos merentibus eſſe conferendos gradus *p. 248.* nec profundendos in indignos honores iſtos *p. 251 ſeqq.* Ætatem *p. 266.* aut annos ſtudiorum non poſſe definiri conſecuturo academicos gradus, cum ingenia modo tarda ſint, modo præcocia, *p. 273.* Examina ſeu δοκιμασίας eruditionis, antequam gradus conferantur, non eſſe omittendas *p. 280.* cujus generis examen *veſperiarum* nomine veniat *p. 285.* Juramento ſolere obſtringi hos, qui honore initiantur academico *p. 305.* Cancellarii interventu eos in quibusdam academiis conferri, in aliis eum non eſſe neceſſarium *p. 308.* Ordinem candidatorum obſervari varium *p. 314.* Vallaradi autem in Academia Complutenſi octavum inter competitores locum nacti, idq; ægre ferentis, anxietas notatur *p. 315.* Ritus in promotionibus uſitati, evocatio in ſuperiorem cathedram, libri apertio & occluſio, birreti impoſitio, ejusque color, annuli aurei collatio, oſculi

oſculi infixio, explicantur *p. 317.* Pleroſque Pontificum Romanorum cuidam deberi *p. 323.* nec omnes eſſe abſolute neceſſarios *p. 325.* Abſenti gradum poſſe conferri *p. 330.* Altorfinæ Academiæ jus creandi Doctores Theologiæ anno 1697 fuiſſe a S. Cæſ. Majeſtate conceſſum, ab eaque exercitum *p.* 343. Conſtitutionem Friderici III. Imp. Jureconſultis iniquam, non fuiſſe receptam, & autorem ejus eſſe incertum *p. 355.* Jureconſultos immerito laborare multorum odio *p. 363.* cujus quæ ſint cauſæ, ediſſeritur *p. 369.* Ordo Facultatum in Academiis, & jus præcedentiæ ex impetratis gradibus competens *p. 378. ſeqq.* excutitur. Doctores vere eſſe Nobiles *p. 396. ſeqq.* & gradus academicos ab illuſtribus hominibus non fuiſſe ſpretos, exemplis recentioribus Regis Angliæ Wilhelmi III, Electoris Palatini Caroli, Oliv. Cromwelli, Ducis Hanoverani, Albretani & aliorum patere *p. 408.* Nobilibus tamen præ Doctoribus præcedentiam tribui *p. 412.* Doctoribus non jus quidvis docendi conferri *p. 427.* Reſponſa JCtorum quam & olim habuerint & hodie habeant auctoritatem, *p. 430.* Armorum ſeu gladii geſtandi uſum Doctoribus competere, *p. 439.* inſignium item cum apertis galeis *p. 444.* & veſtimentorum iſtis quæ nobili genere nati geſtant non inferiorum *p. 448.* Patriam autem poteſtatem gradu academico non ſolvi *p. 464.* Exemtionem ab oneribus iſto ornatos conſequi *p. 466.* Sumtus in gradus impenſos filium non teneri in hæreditate conferre *p. 471.* Doctorem opifices cum ſtrepitu artem exercentes ex vicinia poſſe expellere *p. 474.* Doctores provocatos ad duellum non teneri comparere, unde ortum traxerit hoc ineptum dogma *p. 482.* iſtud item de privilegio competentiæ *p. 485.* Nudam Doctorum promiſſionem juramento non æquipollere *p. 491.* Ab incarceratione quatenus iidem ſint immunes *p. 497.* & a tortura *p. 499.* ac graviori pœna *p. 504.* Bullatos Doctores, ſeu a Comitibus Palatinis creatos, iisdem privilegiis cum Academicis frui *p. 512.* nec a Cameræ Imperialis officiis eſſe exclufos *p. 530.* Licentiatos iisdem frui privilegiis quibus Doctores *p. 548.* Per Doctores & Profeſſores in Jure Juſtanianeo intelligi ſolum ex Doctoribus hodiernis eos, qui docendi munus ſuſtinent *p. 566.* Doctores cum militibus & nobilibus non iisdem gaudere privilegiis *p. 561.* Collatos gradus academicos contra temeratores aſſeri in judicio & vindicari poſſe *p. 570.* Probandorum eorum varios modos eſſe *p. 279.* Tempore neceſſitatis ceſſare privilegia doctoralia *p. 593.* Exui dignitate do-

doctorali hos, qui ſupplicio capitis afficiuntur *p. 597*, non æque imperitos & ignavos *p. 601*. Procuratoris, Secretarii, & ſimilia officia non obfuſcare dignitatem doctoralem *p 603*. nec mercaturam *p. 609*.

Libro huic tres appendices adjecit Auctor, quarum *prima* ex Academiæ Gieſſenſis ſtatutis eos titulos exhibet, qui promotiones academicas ſpectant; *altera* doctiſſimi viri Erici Mauritii orationem de origine honorum academicorum, Kilonii A. 1666 habitam, cum ſub inaugurationem Academiæ iſtius ſupremum Doctoris gradum Rachelio, Martino & Pellicero conferret, ſiſtit *p. 27*. in qua, primam graduum originem Galliæ ac Pariſinæ academiæ, & ſeculo decimo tertio, ejusque inter 1223 & 1231 interjectis annis, deberi aſſerit; *tertia* Gotlibii von Hagen, (nam hoc nomine auctorem vocari in libro ſuo Itterus innuit *p. 396.*) Equitis Megapolitani diſcurſum de natura ac ſtatu veræ Nobilitatis & Doctoratus juris, Hamburgi ante complures annos editum iterum profert, cum nonneminis hinc inde adjectis ſtricturis; e quibus quid contra Hagenum iſtum, qui Doctorum nobilitatem profeſſa opera impugnat, clariſſimus Itterus diſputet, & quibus in locis eum refellat, cognoſcitur.

## *MARSUPIALIS AMERICANI ANATOME, IN COLLEGIO GRESHAMENSI exhibita ab EDUARDO TYSON, M.D. Collegii Medicorum ac Societatis Regiæ Socio, & Anatomiæ apud Chirurgos Londinenſes Profeſſore.*

Excerpta e Philoſophicis Actis (Tranſactions) Anglicis Menſis Aprilis 1698. N. 239.

Animalis hujus exotici, quod e Virginia Londinum vivens non modo adductum, atque a Will. Bird, Equite, Illuſtriſſimæ Societati Regiæ Anglicanæ oblatum, ſed & ab hac aliquamdiu enutritum fuit, varia prius commemorantur nomina, quam *Autor Clariſſimus* ipſam ejusdem conformationem, tum externam, tum internam deſcribere exactius aggrediatur. In Braſilia namque, teſtibus Marggravio & Piſone, a littoralibus *Cariguyea*, a mediterraneis *Jupatiima* vocatur; Franc. Hernandez cum Indis *Tlaquatzin*, Anton. Herera *Taquatzin*, & moderni Hiſpani, ex Nierenbergii annotatione, corrupte *Tlaquacum* illud appellant; Maffeio & Barlæo *Cerigo*, *Sarigoy* Lerio, Stadio *Servoy*,

*Servoy*, Cardano & Oviedo *Chiurca*, in Virginia *Opoſſum* vel *Opaſſum*, Rajo cum Anglorum nautis *Poſſum*, Geſnero *Semivulpa*, & *Vulpi-Simia* Aldrovando idem audit. Noſtro tamen Anatomico dexterrimo *Marſupialis Americani* nomenclatura inprimis arridet, quod a ventris infimi marſupio, quo catuli ejus ab omni periculo defendendi recipiuntur, ex eoque pro lubitu rurſus emittuntur, tanquam parte animali huic prorſus peculiari, deſumatur, alioque inſuper epitheto limitari queat facillime, ſi diverſæ fortaſſis animalium ejusmodi crumenatorum reperiantur ſpecies.

Quod a Wilkino & Raio canibus, gliribus autem a Piſone annumeratur animal, cum Cardano *Autor* e genere potius muſtelino ſeu vermineo eſſe reputat, certo nihilominus tum demum determinaturus, quando marem itidem obſervandi fuerit occaſio; præſens enim ſubjectum, depingendum nunc æque ac deſcribendum, fœmella exiſtebat. Scilicet cum nulla apud Autores hujus animantis occurrat figura vitii omnis expers, *Noſter* ad vivum delineari (Fig. 1.) illud curavit, cujus a naſo ad caudæ usque extremitatem dimenſio triginta pollices & unum; caput ſex pollicum longitudinem; cauda unum pedem, ac peripheria corporis quindecim pollices cum dimidio adæquare deprehendebantur, licet vivum ac ſanum majorem præ ſe tulerit craſſitiem. Crura anteriora ſex pollices, poſteriora vero crura quatuor tantum pollices ac dimidium notabantur longa; craſsities caudæ juxta radicem trium erat pollicum, in extremo autem pollicem ſolummodo unum attingebat; caput circa aures latiſſimum conſpiciebatur, in ſyncipite ab una aure ad alteram tres obtinens pollices, ſucceſſive hinc naſum verſus decreſcens, ſicque porcelli magis, quam vulpis caput referens; palpebrarum rima haud lata, nec horizontaliter, ſed in linea recta ab auribus ad naſum excurrebat. Aures unum circiter pollicem ac dimidium longæ erant, non acutæ, ſed rotundæ; rictus oris ab unius lateris angulo ad extremum usque naſum duos pollices cum dimidio continebat.

TAB. X.

Sicuti autem Marggravius circa crura aberrat, dum anteriora horum breviora poſterioribus aſſerit, ita pariter nec ea, quæ de quinq; pedum digitis inſtar manuum profert, autopſiæ udiquaque reſpondebant. Pedum quippe anteriorum quinque digiti longi æqualiter inter ſe locabantur, in extremitate unguibus curvis inſtructi; ſed poſteri-

TAB. X. ad A. 1698. pag. 408. M. Sept.

Fig. 2.




Fig. 5.





Fig. 1.




Fig. 3.





Fig. 4.






Fig. 6.



Digitized by Google

ſteriorum quatuor tantum digiti unguibus incurvis armabantur, quintus vero pollicem humanum perfecte æmulabatur, ceu brevior ac in aliqua diſtantia a reliquorum digitorum ordine poſitus, nec non tenui & plano ungue, qualem *Figura* 1. & 4. lit. *a a.* exprimit, coopertus. Quæ crurum & unguium conformatio multum omnino animali confert, ut pro captandis avibus, quibus præter alia veſcitur, incredibili pernicitate arbores, ex Hiſtoriæ Mexicanæ aliorumque obſervatione, poſſit ſcandere, in quantum manibus quaſi crurum poſteriorum atq; quatuor digitorum ungulis aduncis melius amplecti arbores, anterioribꝰ autem cruribus longioribus longius progredi, ramisq;, interventu curvorum ac robuſtorum unguium, firmius inniti valet; præterquam quod cruribus poſterioribus, in modum manuum efformatis, ramus arboris iſtius, cui animal circumvoluta cauda ſe adpendit ac in quem denuo ſe elevare nititur, commodius apprehendatur, quam ubi pollices deſint.

Digiti iſti, pilis denudati ac cute rubicunda ſtipati, unum excedebant pollicem, quem pollices inferius locati fere æquabant. Palma ubivis, præſertim dilatata, uti ſcandendum inter, lata exiſtebat, apta tamen etiam, quæ inter ambulandum contraheretur. In hac circa cujuslibet digiti radicem ſecuritatis ergo protuberans aliquod carneum & ferme cartilagineum occurrebat corpus. Quæ alimenta aſſumit, in os pedibus anterioribus, cercopithecæ vel ſciuri adinſtar, ingerit.

Cauda non minus, ac digiti, carebat pilis, modo parvum ſpatium prope radicem ejusdem excipiatur; ſucceſſive autem a radice apicem verſus decreſcens regulari quodam ſquammularum albicantium & oblongo hexagonarum ordine tegebatur, quæ colubrinis quidem, juxta Hiſtoriam Mexicanam perſimiles, non tamen æque, ac in viperæ cute, ſibi incumbebant, ſed ſingulæ potius integræ una cum tantillo cutis ſive membranæ, cui inſiguntur, apparebant intermedio. Et ratione harum ſquammularum ipſa etiam cutis, coloris in ſe obſcurioris, magis albicabat.

Uti digiti & cauda nudi, ita auriculæ pariter glabræ exiſtebat, & juxta Hiſtoriam Mexicanam, tenuiſſimæ mollisſimæq; ac pene translucentes, coloris & ſubſtantiæ intuitu membranam alarum veſpertilionis referentes, erectæ nihilominus, neutiquam vero acuminatæ ſeu in apicem

terminantes, prout a nonnullis deſcribuntur, ſed circularis magis ſive ovalis figuræ. Tanta ſiquidem teneritate ac mollitie gaudebant auriculæ, ut ſimilis ſubſtantia cartilaginoſa, qualis plerumque in aliorum animalium auriculis habetur, nulla hic perciperetur, quaſi vel ex duplicata ſolum membrana tenui, vel ſaltem ex cartilagine ſimul multo delicatiori, quam in reliquis animantibus, eſſent contextæ. Concha ſeu tranſitus ad meatum auditorium ſatis notabatur capax; rima vero auriculæ tunc, quando animal male ſe habere incipiebat, aliquantum contractior advertebatur, & cum moriretur, tam corrugata, ac ſi penitus exaruiſſet, limbum haud lævigatum, ſed ſerratum conſtituens.

Maxilla ſuperior longitudine inferiorem paulo ſuperabat; nares, annuente Marggravio, cernebantur patentes; oculi nigri, parvi, vividi & exerti, cum viveret, ſed in mortuo multum collapſi; cervix brevis, ac pectus latum; barbam alebat felinam; pellis faciei contractior & candidior erat reliqua corporis. In dorſo & circa latera pellis cinereo gaudebat colore, ſeu pilis nigris in areas digeſtis, cum albis interſperſis, ſpeciatim in dorſo, cingebatur; in ventre colorem magis fuſcum, quemadmodum in cruribus obſcuriorem, obtinebat. Longiores pili, qui & craſſiores, trium pollicum longitudinem æquabant, circa extrema candidi, ſecus ac Hiſtoria Mexicana & Hernandez tradunt, pilum longum & candidum, ſed circa extrema fuſcum & nigrum memorantes.

Verum partes inter externas, hactenus indigitatas, & internas, mox luſtrandas, medium quaſi locum occupabat ſingularis illa, quæ in alia animantium nondum deprehenſa fuit ſpecie, *burſa* videlicet in ventre imo ad catulos tuendos mirabiliter extructa, *Marſupii* titulo a *Noſtro* inſignita; quemadmodum *Mantica* a Piſone, *Crumena* a Cardano, *Ventrale Marſupium* ab Oviedo, a Joh. de Laet *Iſcus ſub ventre pendulus*, *Pelliceus ſaccus* a Fr. Ximenez ſeu hujus Translatore, a Jul. Cæſare *Scortum ſubventrale*, a Petro Martyre *Uterus exterior*, a Benzone *Venter alter &c.* conſuevit appellari. In medio enim abdomine inferius circa poſteriora crura notabatur rima (*Fig.* 2. & 3.) duos pollices longitudine excedens, majoris tamen extenſionis, ubi digitis dilatabatur, etiam in vivo animali capax. Hocce nempe burſæ os ita claudi, ut non appareat, niſi duobus digitis ab invicem diſtendatur, Marg-

Marggravius æque vere innuit, ac quando generalem ipſius marſupii deſcriptionem ſiſtit: *Mirum autem animal*, inquiens, *nam in infimo ventre prope crura poſteriora pellis ejus dupla eſt, & exterior rima duos & ſemis digitos longa, facitque quaſi Burſam, quam Braſiliani vocant Tambeio, pomi Aurantii majoris capacem. Eſt autem Burſa hæc intus piloſa*; pilis puta perquam raris, cutim neutiquam obtegentibus, conſita. E contrario ex utero inferius oſtendendo hallucinationis ſine negotio convincentur, quotquot pro utero ipſo marſupium tale venditant, nec alium uterum inveniri ex frequentibus etiam animalium horum diſſectionibus affirmant; in præſenti mirandam potius marſupii rimari placet ſtructuram, catulis omnino tutamenti ergo nunc recipiendis, nunc emittendis, juxta Zoographos omnes, accommodatam. In hac ſiquidem muſculos, marſupium aperientes & claudentes, mox perpendere convenit, ubi duo peculiaria illa oſſa, quæ in aliorum animalium ſceletis fruſtra quæruntur, quæque ab uſu Oſſa Marſupialia ſeu Janitores Marſupii merentur dici, prius fuerint indigitata.

Oſſa hæc Marſupialia (*Fig.* 5.) ſeu Janitores Marſupii duo robuſta exiſtebant oſſa, pollices duos longa & ſuperiori ac inferiori oſſium pubis margini ita adnexa, ut in baſi præciſe ad coalitum (b) oſſium pubis (a. a.) ſe invicem contingerent, cum in altera extremitate ad duos pollices & dimidium mutuo diſtarent. In baſi (d. e.) dimidium pollicem lata duo capita habebantur, alterum majus (d.) ad oſſium pubis coaleſcentiam, alterum minus (e.) verſus os coxendicis, una cum ſinu intermedio, in quo protuberantia quædam oſſis pubis recipiebatur. Qua ratione oſſa hæc, in aſcenſu ab oſſibus pubis tenuiora & in medio non niſi quartam pollicis partem lata, non tam ad ſe, nec a ſe invicem, ſed quodammodo introrſum verſus ſpinam, & extrorſum ab hac, poterant moveri.

In quodlibet horum oſſium quatuor muſculorum paria implantabantur, quintum vero eadem tanquam trochleam transgrediebatur. Primum muſculorum par, in prono animalis ſitu primum ſecandum ac figuræ ratione triangulare nominandum, ab universa ſedis internæ horum oſſium longitudine oriebatur carneum, ac tendinibus oppoſitis in rimam marſupii utrinque inſerebatur. Sub muſculorum horum parte alterum locabatur par, planum ac tenue, ab interna oſſium marſupialium ſede ſuperius exſurgens ac tendinibus oppoſitis

parum ſupra tendines priorum, quarum fibras carneas decuſſabat, deſinens. Tertium muſculorum par anterius a baſi oſſium horum, ubi cum pubis oſſe junguntur, proficiſcebatur, terminum poſtea in linea aſpera oſſis femoris acquirens. Quartum par prope baſin dictorum oſſium exterius emergebat, tendebatque in anteriorem oſſis femoris partem juxta medium. Par ultimum, cui oſſa marſupialia trochleæ vicem præſtant, immediate magis ab ipſo marſupio enaſcebatur, ſuper oſſium iſtorum medium ad ſpinam oſſis ilei pergens.

Ad fibras recenſitorum muſculorum jam attendenti ultro pateſcit, marſupium a duobus primis paribus ſeſe contrahentibus dilatari, dum oſſa ipſa loco fulcimenti ſunt & ratione articulationis appropinquationem mutuam reſpuunt. A tertio autem & quarto muſculorum pari oſſa ipſa extrorſum queunt tendi, ne hac ratione tunc, quando animal cauda ſe ſuſpendit, viſcera interna a pondere fœtus in marſupio comprimantur. Quintum ac ultimum par, uti ipſi marſupio dilatando, ita & pōnderi ejusdem ſuſpendendo, ubi animal prono capite eſt, poteſt inſervire, tanto facilius nempe illud retrahendo, ſi nimium gravitet, quanto magis ejus virtus eo ipſo, quod oſſa tanquam trochleam tranſcendat, augetur.

Sed antagoniſta horum muſculorum ſphincter deprehendebatur marſupii, ex ovali robuſtarum fibrarum carnearum ſerie coagmentatus, tam exacte marſupii orificium conſtringens, ut nulla ejus, prout jamdum annotatum, pateat rima, niſi digitis prius dilatetur.

Marſupium ipſum membranoſum erat corpus, non adeo craſſum, e diverſis tamen tunicis contextum, veſicularibus corporis partibus, quæ muſculi partim, partim glandulæ munia i. e. motionem æque ac ſecretionem peragunt, accenſendum. Etenim concavitas hujus burſæ, aliquantum piloſa, humore quodam flaveſcente, a tunica glanduloſa eructato & ſingularem fœtorem ſpirante, hinc inde oblinebatur, quemadmodum animal inſtar Vulpis vel Martis fœtere Margravius etiam aliique obſervarunt; licet fœtoris loco gratus potius inſtar muſci odor perciperetur, poſtquam cutis cum marſupio aliquot dies aſſervata & exſiccata fuiſſet. Præter glanduloſam vero tunicam, cujus intuitu marſupium capſulas inter odoriferas poterit referri, duæ aliæ occurrebant, muſculoſa altera ſive carnea, altera vaſculoſa, multis vaſculis ſanguiferis, a duobus ramis mammariis oriundis, irrigata.

Cæ-

Cæterum multis membranis intercedentibus, facile tamen ſolis digitis ſeparandis, marſupium cum muſculis abdominis & cute cohærebat, uberibus omnibus, quæ Autorum nonnulli in eodem ſomniant, plane deſtitutum. Nec mammæ exterius in cute poterant notari, forſan quod præſens animal catulos nondum pepererit, adeoque papillæ, ſuctionis defectu minores, viſum omnem effugerent. In quantum interim marſupium, in maſculis pariter quod reperiri volunt, a fœmellarum hactenus evoluto præciſe diſcrepet, altum apud eos etiam Autores, qui diverſum illud innuunt, eſt ſilentium.

E partibus demum internis, quæ conſiderandæ ſuperſunt, unice adhuc oſſa, ab Autore ultimum deſcripta, propter Figurarum Tabulæ tranſſumtæ explanationem, liceat contemplari; viſcera vero, cum nonnullis oſſibus in Tabula altera adumbrata, Tomi III Supplementorum Sectioni IV proxime edendæ reſervare.

In capite nimirum, cujus oſſibus primus in Oſteologia locus debetur, cujusque longitudo quatuor pollices cum tribus quartis æquabat, roſtrum (*Fig.* 4. A A.) tres pollices longum advertebatur, oſſaque exacte, ubi roſtrum & cranium (bb.) concurrunt, adeo depreſſa utrinque cernebantur, ut cranium hic perquam eſſet auguſtatum ac proportione totius corporis obſervata, longe minus, quam in quadrupedum ullo. Circa ſynciput roſtrum unum pollicem erat latum, protuberantia (i.) utrinque inſtructum. In medio ſutura (K.) ampla occurrebat, ſuperiora narium oſſa triangularia ſecundum longitudinem dividens. Quamvis autem ſingula cranii oſſa ſpecialius deſcribere tædioſum eſſet, negligendæ tamen haud veniunt peculiares protuberantiæ cranium a fractura omni egregie defendentes. Protuberantia altera oſſea longitudinalis (c c c) ultra pollicis quartam partem eminens, per longitudinem cranii a ſyncipite ad occiput in medio, ubi ſutura alias ſagittalis eſſe ſolet, excurrebat. Aliæ vero protuberantiæ oſſeæ laterales, (d.) magis declives, utrinque a proceſſibus ſtyliformibus ad poſteriorem occipitis partem oblique aſcendebant, in medio vertice cum longitudinali junctæ. In priori protuberantia oſſea longitudinali ſuturæ ſagittalis, in poſterioribus autem protuberantiis lateralibus ſuturæ lambdoideæ exiſtebant veſtigia, etiamſi oſſa jam per veram ſymphyſin coaluiſſent.

Aſt non tantummodo cerebrum, verum oculi pariter probe

muniebantur ob oſſe zygomatico (e. f.) lato admodum & robuſto, quod ſuperius quidem tenue & acutum, inferius tamen notabiliter craſſum, in latiſſima parte tres pollicis quartas, in anguſtiſſima vero dimidium pollicem exæquabat. Sicuti autem os hocce ex proceſſu altero oſſis temporum (e.) & altero maxillæ ſuperioris (f.) reſultat, ita pro majori ejus robore proceſſus iſti concurrentes mutuo ſibi incumbebant. Longitudine duorum pollicum & dimidii os idem zygomaticum gaudebat, ad unum pollicem a cranio diſtans.

In orbita oculi juxta canthum internum largum conſpiciebatur foramen (g.) intra naſi cavitatem patens & ductu interveniente, lacrymas ſeu oculorum humiditates ad nares deferens; quemadmodum oſſi pariter maxillæ ſuperioris latum foramen (h.) inſculptum erat, vaſculis nonnullis tranſitum ad orbitam oculi concedens.

Cranium, (b b.) quod cerebrum complectebatur, in loco latiſſimo pollicem unum, in longitudine vero pollicem cum dimidio ſuperabat; ſed cavitas ejus paulo ulterius nares verſus procedebat, peculiarem quaſi ſatisque capacem cellulam ibi efformans, pro mammillaribus proceſſibus ac anteriori cerebri parte recipiendis. Os hinc cribroſum foraminulis cribri adinſtar notabiliter obſervabatur pertuſum, certeque in organi olfactus gratiam a roſtro major capitis portio conſtituebatur, quam a cranio ipſo, veluti interne vix ultra nucis juglandis molem capiente.

Os ſpongioſum in qualibet narium curioſiſſime apparebat extructum ratione copioſarum, quibus gaudebat, lamellarum; quo a membrana harum latiſſima animalium acquirendorum vel fugiendorum effluvia eo copioſiora recipiantur ac percipiantur, ſicque odoratus organum in brutis exquiſitius, quam in hominibus, quos bruta olfactu præcellere conſtat, habeatur.

Maxilla inferior (l l.) duobus firmis conſtabat oſſibus, quatuor pollices longis ac in mento tantum invicem unitis. Caput utriusque oſſis, quod dimidium pollicem latum intra ſinum oſſis temporum recipiebatur, multumque in articulatione firmabatur, duobus proceſſibus gaudebat, altero anteriori (m.) ſeu ſuperiori, lato ac tenui, cui muſculus temporalis infigebatur, altero inferiori (n.) magis gracili ac in apicem acutum deſinente; ad quem mandibulæ margo ultra dimidii pollicis latitudinem protendebatur. Interne hic notabilis

bilis erat ſinus, ad foramen ducens, quod ipſum oſſis maxillæ corpus intrat viamque vaſis ſternit.

Dentium cuncta tria comparebant genera. Nam in maxilla ſuperiori anterius octo tenues locabantur dentes inciſores, quatuor utrinque; juxta quos, ſpatio ad quadrantem pollicis relicto, duo longi dentes canini, utrinque unus, prominebant, ultra dimidium pollicem exerti; his utrinque ſuccedebant tres dentes inciſores, anterioribus multo craſſiores ac firmiores, & duobus phalangibus dentes molares imitantes, ſolum quod capita eorum acuminata eſſent, cum capita molarium dentium, utrinque quatuor, planitiem obtinerent ac figuram ferme triangularem. Neque dentes inferioris maxillæ vel numero, quo itidem viginti quatuor comprehendebantur, vel ordine, ſed craſſitie tantum paulo imminuta, a dentibus maxillæ ſuperioris recedebant.

Capiti quinquaginta & una vertebræ luſtrabantur adnexæ, ſingulari ratione omnes efformatæ: ſeptem videlicet vertebræ cervicis; tredecim dorſi ſeu thoracis; ſex lumborum; tres oſſis ſacri; atq; viginti duæ caudæ. Præter primam tamen vertebram (No. I.) cervicis, Atlantis nomine vulgo inſignitam, ac duobus latis proceſſibus tranſverſis, ſpina nulla, inſtructam, conformatio reliquarum Sectione IV Tomi III Supplementorum tradetur, quando *Fig.* 6. 7. 8. 9. & 10. Tabulæ alterius declarabuntur.

Cum vertebris thoracis coſtæ (*Fig.* 4. ****) utrinque tredecim cohærebant, quarum ſeptem anteriores cum ſterno perfecte articulabantur, poſteriores autem ſex, veluti nothæ, licet longæ & in principio a vertebris retrorſum verſus poſteriora crura inclinatæ eſſent, poſtea tamen antrorſum verſus ſternum ſeu cartilaginem ſcutiformem reflectebantur. Verarum nihilominus coſtarum cum ſterno connexioni nulla, uti in homine aliiſque animantibus, intercurrebat cartilago, aut ſaltem cartilago erat oſſea, cum ea coſtarum portio, quæ ſternum attingebat, magis albicaret, quam altera coſtis vicina & ob vaſa ſanguinea magis rubicunda. Prima coſta unum ſolummodo pollicem, ejusque cartilago oſſea quartam pollicis partem, erant longæ; longitudo hinc coſtarum ſucceſſive augebatur, ita ut coſta ſeptima trium pollicum, ac cartilago ejus unius pollicis & dimidii longitudinem attingerent. Quatuor denique ultimarum coſtarum ſpuriarum

rum longitudine rurſus ſucceſſive imminuta, ultima coſta unum tantum pollicem ac tres quartas erat longa, nec cartilago ipſius, prout primæ; ſecundæ & tertiæ nothæ, verſus os pectoris excurrebat.

Os pectoris ſive ſternum pro numero coſtarum, quæ ipſi jungebantur, ſeptem conſtabat oſſibus. In exortu ipſius cartilago quædam oſſea acuta prominebat, a figura cartilago enſiformis (p.) dicenda, ubi altera clavicularum (o.) extremitas firmabatur; ad ſterni autem terminum verſus abdomen cartilago potius quædam lata & ſubrotunda habebatur, cartilago ſcutiformis (⊙) appellanda.

Binarum clavicularum (o.) quælibet, unum pollicem & dimidium longa, extremitate altera cum primo ſterni oſſe ſeu cartilagine enſiformi, altera vero cum ſcapulæ ſpina (r.) prope articulationem oſſis humeri ſive femoris anterioris jungebatur. Atque ope iſtorum oſſium pes anterior cibandum inter commodius ori applicari valet, pariter ac in ſimiis, quæ itidem cum hominibus oſſa talia habent, quibus animalium pleraque alias deſtituuntur.

Scapula (q.) duos pollices longitudine, latitudine unum pollicem & dimidium circiter æquabat, ſpina (r.) ejus, licet tenuis, quo propius tamen ad ſcapulam accedebat, eo craſſior & planior evadebat. Intra ſinum cervicis ſcapulæ caput oſſis humeri (*Fig.* 6. a.) recipiebatur, quemadmodum proceſſui ejus, qui Acromium audit, extremitas altera claviculæ adnectebatur.

Os hocce humeri ſive femoris anterioris, (*Fig.* 6.) duos pollices cum tribus quartis longum, craſſum extabat ac firmum, ſpinam (b.) quandam latam & inæqualem anterius per dimidiam longitudinem emittens. Extremitate inferiori, (f. g.) qua tibiæ & fibulæ oſſa articulabantur, evadebat latius, unius pollicis latitudinem fere attingens, ibique ſimul externe lata protuberantia (c.) gaudebat, ſicuti interne magno foramine oblongo, (d.) reſultante ab oſſiculo illo tenui, quod inferius ab antica oſſis femoris parte, ubi majorem latitudinem acquirit, exſurgebat, baſis (f.) poſtea hujus oſſis parti, cui fibula cohæret, adnexum.

In media præciſe baſi oſſis dicti largus occurrebat ſinus, (e.) a tergo longe profundior, ac intra alium tibiæ ſinum profundum vergens, ne oſſa iſta, arctiſſime ſic invicem articulata, facile luxentur.

Os tibiæ (T T.) firmum erat, longum tres pollices ac ſuperius

rius ad pollicis quartam ultra ipſius articulationem cum femore procedens, (V.) inferius autem cum externo tarſi oſſe jungebatur.

Os fibulæ (W. W.) gracilius exiſtebat, extrorſum magis ſimulque antrorſum locatum, longitudine tibiæ cedens; ſuperne cum femoris oſſe, inferne cum interno tarſi oſſe committebatur. Duo quippe tantum aderant oſſa tarſi, (XX.) quorum quodlibet levi ſinu, pro capitibus duorum focilium excipiendis, gaudebat. Oſſa metatarſi (Y Y.) quatuor numerabantur vel quinque, cum quinque digitis pedis anterioris combinata. Digitus internus duabus ſolum articulationibus, ſed in extremitate ungue adunco, eoque lato & firmo inſtruebatur; reliquorum autem quatuor digitorum quivis, ungula incurva æque ac primus armatus, tres obtinebat articulos.

Crura poſteriora cum corporis trunco cohærebant adminiculo oſſium innominatorum, quæ etiamſi proprie duo tantum hic oſſa habeantur, (utrinque nempe unum,) ſuperius intercedente oſſe ſacro ſeparata, inferius autem in oſſe pubis connexa; communiter nihilominus cuivis eorum diſtinctionis gratia diſtinctum imponitur nomen, dum ſuperiorem hujus oſſis portionem os ilium (No. 13 *Fig.* 5. G G.) inferiorem os iſchii ſive coxendicis (J J.) ac anteriorem, ubi coaleſcunt, os pubis (aa.) appellant. Totius longitudo in linea recta tres pollices æquabat. In oſſe iſchii acetabulum (f f.) notabatur, capiti poſterioris oſſis femoris excipiendo inſerviens. Profundius in eodem ſpatium aliquod occurrebat pro fulciendo ligamento; ſinus inde quidam extrorſum ducebatur, adeo ut margo acetabuli non perfecte circularis, ſed hic loci interruptus eſſet. Verum oſſa maxime hic obſervari merebantur marſupialia, (c c.) ſive Janitores marſupii, ſuperius jam deſcripta.

Os femoris poſterioris, ſubrotundum & firmum, tres fere pollices excedebat. Os autem tibiæ, (*Fig.* 4. T. T.) parum incurvatum, paulo majorem nanciſcebatur longitudinem. Nec longitudine ab hoc os fibulæ, (W. W.) magis rectum ac gracile, recedebat, quod pedem verſus cum calcis oſſe, quemadmodum tibia cum talo ſive aſtragalo articulabatur. Duobus enim his oſſibus tarſus (x x.) conſtabat, cui porro oſſa metatarſi (y y.) atque his demum digitorum phalanges (z) committebantur. In digito interno ſive pollice duo tantum articuli, in reliquorum autem quatuor digitorum quolibet

 bet

bet tres numerabantur. Pollicis extremitas planior erat extremitatibus aliorum digitorum; pollex ſiquidem, uti jamdum indigitatum, planum habebat unguem (æ.) inſtar pollicis humani, in reliquis autem unguis longus exiſtebat atque incurvus. Cæterum in articulatione cujuslibet internodii digitorum, tum in anteriori, tum poſteriori pede, duo oſſicula parva, quæ ſeſamoidea vocant, detegebantur inferius.

Explicatio Figurarum Tabulæ X.

Figura 1.

Conformationem externam figuramque *Marſupialis Americani* ad vivum delineati repræſentat.

Figura 2.

Rimam ſive orificium marſupii, quod catuli inhabitant, usque dum ipſimet victum quærere valeant, exhibet.

Figura 3.

A. Marſupium oſtendit inverſum, quo pili, idem obtegentes meliusque catulos foventes, appareant.

B B. Duo crura poſteriora reſecta.

C. Foramen ani, communem exitum recto, veſicæ urinariæ atque utero præbens.

D. Principium caudæ.

Figura 4.

Sceleton ſeu Oſſa hujus animalis monſtrat.

a a. Roſtrum.

b b. Cranium cerebrum comprehendens.

c c c. Protuberantia oſſea longitudinalis, per longitudinem cranii & portionem roſtri excurrens.

d. Protuberantia oſſea lateralis, inſtar ſuggrundæ ultra occiput poſterius procedens.

e f. Os zygomaticum. (e.) Proceſſus ejus ab oſſe temporum, & alter (f.) a maxilla ſuperiori.

g. Foramen in orbita oculi juxta canthum internum intra nares patens ac ductus adjumento lacrymas ſive humiditates oculorum in easdem deponens.

h. Foramen in maxilla ſuperiori pro vaſorum tranſitu.

i. Protuberantia oſſis frontis.

k. Sutura oſſium narium.

l l. Maxilla inferior.

m. Pro-

m. Proceſſus ſuperior maxillæ inferioris.
n. Proceſſus inferior maxillæ inferioris.
o. Clavicula unius lateris.
p. Cartilago enſiformis primi oſſis ſterni.
q. Os ſcapulæ.
r. Spina ſcapulæ.
S S S S. Oſſa femoris cunctorum pedum.
T T T T. Tibia ſive focile majus omnium pedum.
u u. Portio tibiæ in crure anteriori ultra articulationem protenſa.
W W W W. Tibula ſive focile minus omnium crurum.
x x x x. Oſſa tarſi.
y y y y. Oſſa metatarſi.
z z z z. Digiti.
*α α*. Pollices in pedibus poſterioribus.
No. I. Prima cervicis vertebra, Atlantis nomine veniens.
2. 3. 4. 5. 6. 7. Secunda, tertia, quarta, quinta, ſexta & ſeptima cervicis vertebra.
8. Prima vertebra thoracis.
9. Prima vertebra lumborum.
10. Prima vertebra oſſis ſacri.
11. Prima vertebra oſſis coccygis ſive caudæ.
12. 12. 12. 12. Spinæ in interiori caudæ parte.
13. 14. Os innominatum, in quo (13) Os ilium, & (14.) Os iſchii ſive coxendicis.
15. 15. Oſſa Marſupialia ſive Janitores Marſupii.
* * * *. Coſtæ tredecim.
⊙. Cartilago ſcutiformis.

Fig. 5. oſſium marſupialium ſitum exprimit.

a a. Oſſa pubis.
b. Coalitus oſſium pubis.
c c. Prima oſſa marſupialia ſive janitores marſupii.
d. e. Baſis oſſium marſupialium, qua oſſibus pubis junguntur. (d.) Baſis capitulum internum. (e). externum.
f f. Acetabulum pro capite oſſis femoris recipiendo.
g g. Os ilium.
h h. Vertebræ oſſis ſacri.

II. Os iſchii ſive coxendicis.

Figura 6. Os femoris anterioris quoad partem anteriorem depingit.

a. Caput femoris, ſcapulæ adnexum.
b. Spina lata & inæqualis, dimidiam hujus oſſis femoris longitudinem emetiens.
c. Protuberantia hujus oſſis exterior.
d. Foramen ſeu via lata.
e. Sinus pro capite tibiæ excipiendo.
f. g. Baſis ſive extremitas inferior oſſis femoris.

## *CHRISTIANI KORTHOLTI S. THEOLOG. D. ACADEMIÆ Kilonienſis, dum viveret, Pro-Cancellarii & Profeſſoris primarii, PAGANUS OBTRECTATOR, ſive de Calumniis Gentilium in veteres Chriſtianos.*

Kilonii, ſumtibus Joachimi Reumanni. Proſtat Francofurti & Lipſiæ apud Jo. Sebaſtianum Richelium, 1698, in 4. Alph. 4.

TRiginta jam anni effluxere, quod autor libri hujus, Theologus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, tractatum de *Calumniis Paganorum in veteres Chriſtianos ſparſis* Kilonii publicavit. Hoc cum brevius & leviori velut brachio nefanda convitia, quæ in Chriſti cultores olim Pagani ſparſerunt, recenſuiſſet & confutaſſet; argumentum iſtud poſtea ex ſcriptoribus veteris eccleſiæ, in quibus evolvendis Vir laudatus fuit aſſiduus, plenius perſequi atque augere ſuſtinuit, ita ut tribus libris eruditis id abſolverit. Quod poſt fata τοῦ μακαρίτου, filius ejus haut degener, Vir juvenis clariſſimus Sebaſtianus Kortholtus, antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudioſorum bono nuper publicavit. In *primo libro* de origine & natura Chriſtianismi ex impia cavillantium Ethnicorum ſententia agit: ut de Chriſtianæ religionis novitate a Paganis objecta, de doctrina Chriſtiana ex poetarum lacunis ſcitisque philoſophorum hauſta, de Chriſtianiſmo ex Judaismo prognato, de religione Chriſtiana ex Judaica pariter & Gentili conflata, de odioſis apud Gentiles novis peregrinisque ſacris, de Hæreticorum portentoſis dogmatibus impiisque facinoribus ſinceris Chriſti cultoribus imputatis, de ſectarum apud Chriſtianos diverſitate, de doctrina Chriſtiana rei-

reipublicæ ſtatui nequaquam conveniente, de doctrinæ fidei incertitudine & vanitate ex mente Paganorum, de credulitate Chriſtianis vitio datâ, de ſtoliditate, ſtupiditate & ἀπαιδευσίᾳ fidelibus objecta, de barbaro incultoque Chriſtianorum doctorum ſtylo, de Sibylliſtis, de ficto per calumniam oraculo quod Chriſtianiſmi interitum prænuntiaverit. *Libro ſecundo*, cultum veterum Chriſtianorum publicum, Gentium maledicentia ſugillatum exhibet; puta Onolatriam, Uronolatriam, Heliolatriam, Ædolatriam, Serapidolatriam, Staurolatriam, Chriſtolatriam ſeu ἀνθρωπολατρείαν, Martyrolatriam Chriſtianis affictas: occulta & nocturna ſacra clandeſtina, ut & atheiſmum quoque, ipſis objecta. *Tertio libro*, de vita & moribus Chriſtianorum veterum a Gentilibus maligne exagitatis agit, eorumque innocentiam erudite vindicat, atque Gentilium criminationes omnes diluit. Singulis jam enarratis libris & capitibus ſummaria tractationis præmittuntur, indicibus rerum & verborum ſubjectis.

## HISTORIA DELL' ORIGINE DE' SASSONI.

i. e.

*HISTORIA ORIGINIS SAXONUM, AUTORE JO. ANDREA ANGELINO BONTEMPIO Peruſino.*]

Peruſiæ, apud Conſtantinum, 1697. in 12. plag. 10.

Libelli præſentis, qui Illuſtri Magliabechio curante ad nos pervenit, Autor Nobiliſſimus Dresdæ olim in aula Electorali commoratus eſt: ubi cum famoſæ iſtius rebellionis, quæ in Hungaria contigerat, Hiſtoriam compoſuiſſet, eandemque aliquando D. Joh. Georgio II Electori in conclavi, quo effigies Sereniſſimorum Saxoniæ Ducum & Electorum decoro ordine depictæ proſtant (*Galeriam* vocant) forte tum deambulanti exhiberet; Sereniſſimus quidem Princeps pergratum id ſibi acceptumque fore teſtatus eſt, ſi Domus ſuæ Illuſtriſſimæ origines, tantorumque Heroum res geſtæ Italica lingua parique orationis nitore exponerentur. Accinxit ergo huic ſe Noſter labori, & adſcitis in ſubſidium hiſtoriarum monumentis, qualia Saxo Grammaticus, Albertus Cranzius, Petrus Albinus aliique reliquerunt, de *Origine Saxonum* commentatus eſt. Contigerat interim, obire diem ſuum

Electorem, quem clementiæ benignitatiſque vocat fontem; quam ob rem liber, redeunte in Italiam Bontempio, in tenebris hactenus delituit, usquedum Inſenſatorum Academiæ adſcriptus idem prælo ipſum nuper committeret. Atque hæc de occaſione, quæ nata doctiſſimo Autori ad ſcribendum fuit, ex ejusdem Præfatione memoraſſe ſuffecerit. Opuſculum ipſum ab ultima, nec idoneis fortaſſe teſtibus ubique firmanda antiquitate exorſus, ad ea usque decurrit tempora, quibus Saxonum gens in ſex familias abiiſſe, & ſtirpes conſtituiſſe Capetinam, Wetinenſem, Saxonicam, Ringelheimenſem, Montisferratenſem, & Allobrogicam vulgo traditur. Cum enim de origine ſaltim Saxonum ſcribere conſtitutum eſſet Autori, non progreſſus ulterius & ad propinqua magis tempora, in illa ſubſtitit notabili diviſione. Utitur vero orationis genere florido, verbisque cumprimis ſonantibus, & narrandi quadam ſublimitate, inſeritque data ſubinde opera, præter digreſſiones varias, Regum Ducumque nunc milites cohortantium, nunc pacem facientium aut fœdera, conciones, quibus decore confictis, ut aſperiora illa remotiſſimi ævi percurrentes amœnis velut diverticulis detineret, opuſculum diſtinxit.

*JACOBI A MELLEN, LUBECENSIS, SYLLOGE NUMMOrum ex argento Uncialium, vulgo Thalerorum ſeu Imperialium, quos Imperatores & Reges Romanorum, nec non Auſtriæ Archi-Duces ſignari juſſerunt.*

Lubecæ, apud Petrum Bœckmannum & Jo. Wiedemeyer, 1698, 4.
Conſtat Alphab. 1. plag. 4. & plurimis iconiſmis æneis.

DUdum eſt, quod Plurimum Reverendus Auctor, Eccleſiaſtes hodie in patria Lubeca meritiſſimus, & in conſignandis *Novis*, quæ ibidem ſingulis menſibus hoc anno publicari cœperunt, *Maris Balthici & Septentrionis Literariis*, cum aliis Viris Nobiliſſimis Clariſſimisque ſtrenue occupatus, edendos abs ſe cum Commentario Hiſtorico Thaleros, qui vocantur, cujuscunque generis, in Specimine peculiari Erudito Orbi ſignificavit. Fidem ergo publice datam liberaturus, primam nunc iſtius operis partem exhibet, & eam quidem ſingulari ornatam præfatione, in qua de Germanorum nummis nonnulla diſſerit. Antiquiſſimis nempe temporibus ſignati apud eos æris uſum haud

haud fuiſſe, ſed rerum potius obtinuiſſe permutationem autumat. Deinde primis a nato Servatore ſeculis eos, qui Romanis viciniores vixerint, vel etiam ad Rheni & Viſurgis ripam victricibus eorum armis ſuccubuerint, Romanæ paulatim aſſuetos pecuniæ, denarios aliosque illorum nummos, & maxime ſerratos bigatosque adhibere conſuevisse, usquedum monetam imaginem & literas habentem, uti Dagobertus in diplomate fundationis cœnobii Wiſſenburgenſis loquatur, cudere didicerint. Iſtos vero Germanorum nummos paſſim ſub Solidorum ac Denariorum nomine venire obſervat: plenam autem illorum accuratamque notitiam haberi negat, cum, licet e Gallis æque ac Germanis aliqui eosdem deſcribendos ſumſerint, plurimi tamen adhuc ſuperſint, vel non viſi hactenus, vel neglecti eruditis, cuncta alia potius curantibus, quam ut abſtruſas ſæpe numiſmatum horum literas, figuras, cruces, templa, turres, inſignia, alas, arbores, vexilla, piſces, & innumera id genus alia ſive ſymbola ſive ænigmata in iis occurrentia interpretentur. Parem, aut fere deteriorem cum hisce ſortem expertos dolet nummos bracteatos, quanquam hodie ſint, qui diligentiam paulo curatiorem circa eos adhibuerint, quos inter clariſſimum imprimis Olearium celebrat. Cæterum diverſæ quantitatis variique moduli hos Germanorum nummos olim fuiſſe, imo ad eam tandem magnitudinem excreviſſe dicit, ut aucto indies argenti pondere, unciales evaſerint. Factum iſtud ſeculo exeunte decimo quinto ſtatuit, quo primum quidem habito ſolius quantitatis reſpectu, *Groſſi craſſiores* aut *Florent*; ſed deinceps ſub initium ſequentis decimi ſexti a valle Joachimica, notiſſimo illo Bohemiæ loco, ubi ſignabantur, *Joachimici*, *Vallenſes*, & *Thaleri*; ultimo vero ab autoritate Imperiali huic monetæ generi conceſſa *Imperiales* vocati fuerint. Horum aliquos jam A. 1429 ſub Alberto Auſtriaco, Sigismundi Imp. genero, cuſos perhiberi; ſed hos hactenus a ſe nondum viſos fatetur; prout & nuſpiam illius Moguntini archetypum conſpexerit, qui in libello quodam vernaculo, Hamburgi A. 1631 impreſſo, annum 1438 præ ſe ferat. Antiquiſſimos igitur, ſibi quidem oblatos, pronunciat, quos Sigismundus, Archi-Dux Auſtriæ, A. 1484 & ſequentibus ſignari juſſerit. Nam utut habeantur argentea hujus ponderis numiſmata, vultum Maximiliani I Auſtriaci & Mariæ Burgundicæ referentia, quæ annum 1479 exhibeant, haud tamen eorum ætatem hujus anni numero reſpondere, ſed

poti-

potius ex recentiori literarum ductu, ex Magnanimi titulo, quo Maximilianus ibi gaudeat, aliisque id genus argumentis colligit, iſta poſterioribus demum annis in memoriam Sereniſſimorum, quos oſtendant, Conjugum procuſa eſſe. Hoc interim monetæ genus qui delinearent aut deſcriberent, non defuiſſe quidem monet, & non varios modo libros, quos appellat, monetales tam Belgico quam Germanico ſermone editos recenſet, ſed alia quoque curioſorum ingeniorum eidem ſe labori addicentium monumenta laudat; aſt plura tamen in iisdem adhuc deſiderari, ſimul indicat. Sibi igitur defectus hos ſupplendos ſumſit, ac de Imperialibus quibuscunque ita diſſerere inſtituit, ut non tam monetariorum more de materia, pondere & valore ſolicitum ſe gerere, quam hiſtorice potius, habita inſimul genealogiæ ratione, nec prætermiſſa inſignium doctrina, negotium hoc exequi velit.

Hac tamen vice nonniſi tales in medium producit, qui juſſu *Imperatorum, Regumque Romanorum, & Auſtriæ Archiducum* cuſi proſtant; unde exorſus a Maximiliano I Imperatore ad Auguſtiſſimum usque Leopoldum noſtrum progreditur. Equidem nummum Friderici III quoque effigiem una cum Maximiliano repræſentantem primo ſtatim loco apponit, ſed hunc, utpote anno demum 1531 cuſum, eorum, quos præferat, Imperatorum ætate multo recentiorem, nec etiam uſuali monetæ, verum auguſtioribus illis numiſmatibus, quæ Galli *Medaillons* vocent, accenſendum, & ea duntaxat cauſa heic abs ſe collocatum eſſe innuit, ut de Friderico hoc Imperatore quædam dicendi captaret occaſionem, quam aliorum hujus Principis numismatum ex argento uncialium defectus neget.

Ut autem de Commentario, quem ſingulis Thalerorum ſingulorum iconiſmis Auctor Plurimum Reverendus ſubjicit, Benevolo Lectori paulo conſtet penitius, quædam notatu digniora ſpeciminis in locum inde decerpemus. Thaleros Maximiliani I excutiens, Num. III. quendam ſiſtit, qui inter alia ſequentes refert literas: XP. AC. A. REG. R. HER. Q. quas nec per *Germaniæ ac aliorum Regnorum Rex*, nec *Chriſtianitatis Advocatus*, nec *Chriſtianorum ac aliorum Regnorum Rex, heresque*, nec *Chriſtianorum ac Americanorum Regnorum Rex* &c. interpretandas, ſed, advocato ex altero latere titulo, ſic legendas eſſe vult: *Maximilianus Dei Gratia Romanorum Rex Semper Auguſtus*

*Chri-*

*Chriſtianiſſimus, ac aliorum Regnorum Rex Hæresque.* Num. IV alium affert, qui cum Maximiliani nomine *Imperatoris* titulum ſociat, & hunc ab iſto non anno demum 1512 in comitiis Colonienſibus aſſumtum, ſed jam A. 1508, cum Tridenti ageret, a Julio II Pontifice ei datum eſſe exiſtimat. Num. VI inquirit in cauſas, ob quas Maximilianus *Dominum terrarum Occidentis Orientisque* ſe vocaverit? & per terras Occidentis Belgium, Burgundiam aliasque provincias hæreditarias, per terras Orientis autem Hungariæ regnum A. 1490 ex parte acquiſitum, & quæ eo pertineant, intelligit.

Hinc ad Caroli V thaleros contemplandos pergit, & ante omnia illum deſcribit, qui ſequens diſtichon legendum dat:

*Tecum regna Deus partitus, ut imperat aſtris*
*Ille, regenda tibi ſic ſola cuncta dedit.*

E quo tamen apparere ait, nummum hunc non ab illo ipſo, ſed in honorem ejus ab alio quodam cudi factum, cum ægre ſibi perſuadere quis poſſit, Imperatorem tam arroganter de ſe fuiſſe locuturum; quinimo, ſi vel maxime tanto uti faſtu voluiſſet, dicere potius eundem in prima perſona debuiſſe: *Mecum regna Deus* &c. Circa ſecundum hujus Imperatoris nummum uncialem hærens, duas columnas & verba, PLUS ULTRA, conſiderat, ſymboloque iſto Carolum reſpexiſſe ſtatuit ad geminam victoriam A. 1535 reportatam, Goleta & Tuneto in Africa expugnatis, utpote qua ultra mare mediterraneum & utramque Herculis columnam victricia arma protulerit. Ad ſequentem, qui tertius ejusdem eſt, coronam Imperatoriam, nova penitus forma a Carolo V geſtari cœptam delineat.

Primus Ferdinandi I thalerus occaſionem Auctori ſubminiſtrat diſpiciendi, quid ſibi velit vox VERTINA in inferiori limbo ornatus equi, cui Ferdinandus inſidet, conſpicua? Ubi eum imitatum putat avum Maximilianum, qui ſolitus fuerit in ſimili equi ſui tegumento his verbis Germanicis uti: *Halt Mass in allen dingen;* parili proin ratione hariolatur, literas ignotam illam vocem VERTINA conſtituentes reliquias eſſe Symboli: *Ut fERT dIviNA voluntas;* cujus dicti cætera elementa partim inter plicaturas equeſtris tegumenti lateant, partim vero ab altero equi latere extantia concipienda ſint. Ad latus huic jungitur nummus, qui una facie Virum barbatum & mitratum, dextra ſceptrum tenentem ac e porticu proſpicientem, inferius

autem hæc verba ſiſtit: ISAIE. VII. CA. ECCE. VIRGO. CONCIPIE. ET. PARIET. FILIV. ET. VOCABIT. NOMEN. EIVS. EMANVEL. NOBISCV. DEO. In hoc etſi neque nomen Ferdinandi, nec anni numerus ad tempora illius pertinens appareat, nihilo tamen ſecius, ſi aversam partem, verba: *Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ & Carinthiæ* allegantem, ſcutumque majus torque aurei velleris cinctum, & *Auſtriæ*, *Burgundiæ*, *Habsburgi*, *Legionis*, *Caſtellæ*, *Arragoniæ & utriusque Siciliæ* teſſeras complectens, ac decem tandem parmulas, quæ ſcutaria *Auſtriæ Carinthiæ*, *Tirolis*, *Carniolæ*, *Alſatiæ*, *Burgundiæ*, *Würtenbergici Ducatus*, *Superioris Auſtriæ Styriæque* ſymbola comprehendant, intueri volueris, nullum ſupereſſe putat dubium, quin ad Ferdinandum ille referendus ſit. Sed circa allegatum Eſaianum dictum Oedipo opus eſſe monet, ac non adeo facile conjici poſſe fatetur, quem in finem Ferdinandus illuſtre hoc V. T. de futura ἐνσαρκώσει Filii DEI vaticinium nummo ſuo inſcribi fecerit. Senem porro e porticu proſpicientem non pro Ferdinando ſane ipſo habendum, cum neque ætas, neque habitus id permittat; nec pro Eſaia Propheta reputandum, cum eidem neque ſceptrum, neque cidaris conveniat. Davidem ergo forte deſignari ſuſpicatur, a quo Virginem illam θεοτόκον, quam oraculum commemorat, genus ſuum duxiſſe conſtet; at ejus tamen cum nulla in nummo uspiam occurrat mentio, non habere ſe, quid de ænigmate hoc ſtatuat, ingenue profitetur. In ſeptimo ejusdem Imperatoris nummo literas K. B. quas inde a Ferdinandi ævo usque ad noſtra tempora in plurimis Imperialibus conſpici obſervat, primum obvias deprehendens, ſignificari iisdem notat locum aliquem Hungariæ largo præſtantioris metalli proventu nobilem, & *Keres Bania*, ſeu (quod aliis placeat) *Kremitz Bania*, vel etiam *Kapnick Bania* dictum.

Tacemus plures obſervationes alias, quas circa ſubſequentes Imperiales cumulat, jucundas non minus, atque utiles; eas namque ſigillatim referre, longum nimis foret. Apprecamur potius Auctori celeberrimo & vires & otium, quo claſſes nummorum uncialium reliquas parili induſtria, ceu quidem pollicitus eſt, perſequatur. Unicum modo ſcire Lectorem adhuc volumus, proſtare & Germanicam primi manipuli claſſis hujus primæ verſionem, in gratiam eorum, qui Latinam linguam haud callent, & noſcendorum tamen ejusmodi num-

morum

morum deſiderio tenentur, adornatam, ac jam ſuperiori anno 1697 ſub titulo *Curieuſes Thaler Cabinet* vulgatam, quam continuare forſan, ſi per alias occupationes licuerit, Auctor ſolertisſimus non dedignabitur.

## *G. G. L. DE IPSA NATURA, SIVE DE VI INSITA, ACTIOnibusque Creaturarum; pro Dynamicis ſuis confirmandis illuſtrandisque.*

(1.)

ACcepi nuper miſſu celeberrimi & de rebus mathematicis ac phyſicis præclare meriti Viri Johannis Chriſtophori Sturmii, quam Altorfii edidit, Apologiam pro ſua *de Idolo Naturæ* Diſſertatione, impugnata a Medico Kilonienſium primario & χαριεστάτῳ Gunthero Chriſtophoro Schelhamero, in libro *de Natura*. Cum igitur idem argumentum verſaſſem & ego olim, nonnihilque etiam concertationis per literas mihi cum præclaro autore Diſſertationis intercedat, cujus mentionem mihi perhonorificam ipſe nuper fecit, publice memoratis nonnullis inter nos actis in *Phyſicæ Electivæ Tomo primo*, lib. 1, ſect. 1, cap. 3, Epilog. §. 5, pag. 119, 120: eo libentius animum attentionemq; adhibui argumento per ſe egregio, neceſſarium judicans, ut mens mea pariter & tota res, ex iis, quæ aliquoties jam indicavi, principiis diſtinctius paulo proponeretur. Cui inſtituto commodam occaſionem præſtare illa viſa eſt Apologetica diſſertatio, quod judicare liceret, Autorem ibi, quæ maxime ad rem facerent, paucis uno ſub conſpectu exhibuiſſe. De cætero litem ipſam inter præclaros Viros non facio meam.

(2) Duo potiſſimum quæri puto, primum, in quo conſiſtat Natura, quam rebus tribuere ſolemus, cujus attributa paſſim recepta aliquid Paganiſmi redolere, judicat celeberrimus Sturmius; deinde utrum aliqua ſit in creaturis ἐνέργεια, quam videtur negare. Quod primum attinet, *de ipſa natura*; ſi diſpiciamus, & quid non ſit, & quid ſit, aſſentior quidem, nullam dari animam Univerſi; concedo etiam, miranda illa, quæ occurrunt quotidie, de quibus dicere merito ſolemus, opus naturæ eſſe opus intelligentiæ, non eſſe adſcribenda creatis quibusdam Intelligentiis, ſapientia & virtute proportionali ad rem

tantam præditis; ſed *naturam* univerſam eſſe, ut ſic dicam, *artificium Dei*, & tantum quidem, ut quævis machina naturalis (quod verum parumque obſervatum *naturæ artisque diſcrimen* eſt) organis conſtet prorſus infinitis, infinitamque adeo ſapientiam potentiamque autoris rectorisque poſtulet. Itaque & calidum omniſcium Hippocratis, & Cholcodeam animarum datricem Avicennæ, & illam ſapientiſſimam Scaligeri aliorumque virtutem plaſticam, & principium hylarchicum Henrici Mori, partim impoſſibilia, partim ſuperflua puto; ſatisq; habeo, machinam rerum tanta ſapientia eſſe conditam, ut ipſo ejus progreſſu admiranda illa contingant, organicis præſertim (ut arbitror) ex prædelineatione quadam ſeſe evolventibus. Itaque quod Vir Cl. naturæ cujusdam creatæ, ſapientis, corporum machinas formantis gubernantisque figmentum rejicit, probo. Sed nec conſequi inde, nec rationi conſentaneum puto, ut omnem vim creatam actricem inſitam rebus denegemus.

(3) Diximus quid non ſit; videamus jam etiam paulo propius, quid ſit illa Natura, quam Ariſtoteles non male *principium motus & quietis appellavit*; quamquam Philoſophus ille mihi latius accepto vocabulo non ſolum motum localem aut in loco quietem, ſed generaliter *mutationem*, & ςάσιν ſeu perſiſtentiam, intelligere videatur. Unde etiam, ut obiter dicam, definitio quam Motui aſſignat, etſi obſcurior juſto, non tam inepta tamen eſt, quam iis videtur, qui perinde ſumunt, ac ſi motum localem tantummodo definire voluiſſet: ſed ad rem. Robertus Boylius, Vir inſignis & in naturæ obſervatione cum cura verſatus, *de ipſa natura* libellum ſcripſit, cujus mens eo redit, ſi bene memini, ut naturam judicemus eſſe ipſum corporum *mechaniſmum*, quod quidem ὡς ἐν πλάτει probari poteſt; ſed rem rimanti majore ἀκριβείᾳ diſtinguenda erant in ipſo mechaniſmo principia a derivatis: ut in explicando horologio non ſatis eſt, ſi mechanica ratione impelli dicas, niſi diſtinguas, pondere an elaſtro concitetur. Et a me aliquoties jam eſt proditum (quod profuturum puto, ne mechanicæ naturalium rerum explicationes ad abuſum trahantur in præjudicium pietatis, tanquam per ſe materia ſtare poſſit, & mechaniſmus nulla intelligentia aut ſubſtantia ſpirituali indigeat) originem ipſius Mechaniſmi non ex ſolo materiali principio mathematicisque rationibus, ſed altiore quodam &, ut ſic dicam, Metaphyſico fonte fluxiſſe.

(4)

( 4 ) Cujus inter alia indicium inſigne præbet *fundamentum naturæ legum*, non petendum ex eo, ut conſervetur eadem motus quantitas, uti vulgo viſum erat, ſed potius ex eo, quod neceſſe eſt *ſervari eandem quantitatem potentiæ actricis*, imo (quod pulcherrima ratione evenire deprehendi) etiam *eandem quantitatem actionis motricis* cujus alia longe æſtimatio eſt ab illa, quam Carteſiani concipiunt ſub quantitate motus. Eaque de re cum duo Mathematici ingenio facile inter primos mecum partim per litteras partim publice contuliſſent, alter penitus in caſtra mea tranſiit, alter eo devenit, ut objectiones ſuas omnes poſt multam & accuratam ventilationem defereret, & ad meam quandam demonſtrationem nondum ſibi reſponſionem ſuppetere candide fateretur. Eoque magis miratus ſum, Virum præclarum in Phyſicæ ſuæ Electivæ parte edita, explicantem leges motus, vulgarem de illis ſententiam (quam tamen nulla demonſtratione, ſed quadam tantum veriſimilitudine niti ipſe agnovit, repetiitque etiam hic noviſſima diſſertatione cap. 3, §. 2) quaſi nulla dubitatione libatam aſſumſiſſe; niſi forte ſcripſit antequam prodirent mea, & ſcripta deinde recenſere vel non vacavit vel in mentem non venit; præſertim cum leges motus arbitrarias eſſe crederet, quod mihi non usque quaque conſentaneum videtur. Puto enim determinatis ſapientiæ atque ordinis rationibus, ad eas, quæ in natura obſervantur, ferendas leges veniſſe Deum: & vel hinc apparere, quod a me aliquando Opticæ Legis occaſione eſt admonitum, & Cl. Molineuxio in Dioptricis poſtea valde ſe probavit, Finalem cauſam non tantum prodeſſe ad virtutem & pietatem in Ethica & Theologia naturali, ſed etiam in ipſa Phyſica ad inveniendum & detegendum abditas veritates. Itaque cum celeberrimus Sturmius in Phyſica ſua Eclectica, ubi de cauſa Finali agit, ſententiam meam retuliſſet inter Hypotheſes, optarem & in Epicriſi ſatis expendiſſet; haud dubie enim inde occaſionem fuiſſet ſumturus, multa pro argumenti præſtantia & ubertate dicendi præclara, & ad pietatem quoque profutura.

( 5 ) Sed jam conſiderandum eſt, quid ipſe de Naturæ notione in hac ſua Apologetica diſſertatione dicat, & quid dictis deeſſe adhuc videatur. Concedit cap. 4, §. 2, 3, & alibi paſſim, motus qui nunc fiunt, conſequi vi *æternæ legis* ſemel a Deo latæ, quam legem mox vocat volitionem & *juſſum*; nec opus eſſe novo Dei juſſu, nova volitione,

 ne-

nedum novo conatu,aut laborioſo quodam negotio d.§.3.& a ſe repellit tanquam male imputatam ex adverſo ſententiam,quod Deus moveat res ut faber lignarius bipennem, & molitor dirigit molam arcendo aquas vel immittendo rotæ. Verum enim vero, ut mihi quidem videtur, nondum ſufficit hæc explicatio. Quæro enim, utrum volitio illa vel juſſio, aut ſi mavis lex divina olim lata, *extrinſecam* tantum tribuerit rebus *denominationem*, an vero aliquam contulerit impreſſionem creatam in ipſis perdurantem,vel, ut optime Dn. Schelhammerus judicii non minus quam experientiæ egregius vocat, *legem inſitam*, (etſi plerumque non intellectam creaturis quibus ineſt) ex qua actiones paſſionesque conſequantur. Prius autorum Syſtematis cauſarum occaſionalium, acutiſſimi imprimis Malebranchii, dogma videtur; poſterius receptum eſt, & ut ego arbitror, veriſſimum.

(6) Nam juſſio illa præterita cum nunc non exiſtat, nihil nunc efficere poteſt, niſi aliquem tunc poſt ſe reliquerit effectum ſubſiſtentem, qui nunc quoque duret & operetur: & qui ſecus ſentit, omni, ſi quid judico, diſtinctæ rerum explicationi renunciat; quidvis ex quovis conſequi pari jure dicturus, ſi id quod loco temporeve eſt abſens, ſine interpoſito, hic & nunc operari poteſt. Itaque ſatis non eſt dici, Deum initio res creantem voluiſſe, ut certam quandam legem in progreſſu obſervarent, ſi voluntas ejus fingatur ita fuiſſe inefficax, ut res ab ea non fuerint affectæ, nec durabilis in iis effectus ſit productus. Et pugnat profecto cum notione divinæ potentiæ voluntatisque, puræ illius & abſolutæ, velle Deum & tamen volendo producere aut immutare nihil; agereque ſemper, efficere nunquam, neque *opus vel ἀποτέλεσμα relinquere* ullum. Certe ſi nihil creaturis impreſſum eſt divino illo verbo: *producat terra*, *multiplicemini animalia*; ſi res perinde poſt ipſum fuere affectæ, ac ſi nullum juſſum interveniſſet; conſequens eſt (cum connexione aliqua inter cauſam & effectum opus ſit, vel immediata vel per aliquod intermedium) aut nihil fieri nunc conſentaneum mandato, aut mandatum tantum valuiſſe in præſens, ſemper renovandum in futurum; quod Cl. Autor merito a ſe amolitur. Sin vero lex a Deo lata reliquit aliquod ſui expreſſum in rebus veſtigium, ſi res ita fuere formatæ mandato, ut aptæ redderentur ad implendam jubentis voluntatem; jam concedendum eſt, quandam inditam eſſe rebus efficaciam, formam vel vim, qualis naturæ nomi-

ne

ne a nobis accipi ſolet, ex qua ſeries phænomenorum ad primi juſſus præſcriptum conſequeretur.

(7) Hæc autem vis inſita diſtincte quidem intelligi poteſt; ſed non explicari imaginabiliter; nec ſane ita explicari debet, non magis quam natura animæ; eſt enim *Vis* ex earum rerum numero, quæ non imaginatione ſed intellectu attinguntur. Itaque quod petit Vir Cl. c. 4, §. 6, diſſertationis Apologeticæ, *imaginabiliter* explicari modum, quo lex inſita in corporibus legis ignaris operetur, ſic accipio, ut deſideret exponi intelligibiliter, ne ſcilicet credatur poſtulare ut ſoni pingantur, vel colores audiantur. Deinde ſi explicandi difficultas ad res rejiciendas ſufficit, conſequentur, quæ ipſe ſibi injuria imputari queritur, cap. 1, §. 2, quod ſcilicet omnia non niſi divina virtute moveri ſtatuere malit, quam aliquid admittere naturæ nomine, cujus naturam ignoret. Certe pari jure niterentur etiam Hobbes & alii, qui omnes res volunt eſſe corporeas, quia nihil niſi corpus diſtincte & imaginabiliter explicari poſſe ſibi perſuadent. Sed illi ipſi ex eo ipſo recte refutantur, quod vis agendi rebus ineſt, quæ ex imaginabilibus non derivatur: eamque in Dei mandatum, olim ſemel datum, res nullo modo afficiens, nec effectum poſt ſe relinquens ſimpliciter rejicere, tantum abeſt, ut foret reddere rem explicatiorem; ut potius depoſita philoſophi perſona eſſet gladio gordium nodum ſecare. Ceterum diſtinctior & rectior Vis activæ explicatio, quam hactenus habita eſt, ex Dynamicis noſtris, legumque naturæ & motus vera æſtimatione in illis tradita & rebus conſentanea, derivatur.

(8) Quod ſi quis defenſor philoſophiæ novæ, inertiam rerum & torporem introducentis, eousque progrediatur, ut omnem juſſis Dei effectum durabilem efficaciamque in futurum adimens, etiam novas ſemper molitiones ab ipſo exigere nihil penſi habeat, (quod Dn. Sturmius a ſe alienum eſſe prudenter profitetur) is quam digna Deo ſentiat, ipſe viderit; excuſari autem non poterit, niſi rationem afferat, cur res quidem ipſæ aliquamdiu durare poſſint, attributa autẽ rerum, quæ in ipſis naturæ nomine intelligimus, durabilia eſſe non poſſint: cum tamen conſentaneum ſit, quemadmodum verbum *fiat*, aliquid poſt ſe reliquit, nempe rem ipſam perſiſtentem; ita verbum *benedictionis* non minus *mirificum*, aliquam poſt ſe in rebus reliquiſſe producendi actus ſuos operandique fœcunditatem niſumve, ex quo operatio,

ratio, ſi nihil obſtet, conſequatur. Quibus addi poteſt, quod alibi a me explicatum eſt, etſi nondum fortaſſe ſatis perſpectum omnibus, ipſam rerum ſubſtantiam in agendi patiendique vi conſiſtere: unde conſequens eſt, ne res quidem durabiles produci poſſe, ſi nulla ipſis vis aliquamdiu permanens divina virtute imprimi poteſt. Ita ſequeretur, nullam ſubſtantiam creatam, nullam animam eandem numero manere, nihilque adeo a Deo conſervari, ac proinde res omnes eſſe tantum evanidas quasdam ſive fluxas unius divinæ ſubſtantiæ permanentis modificationes & phasmata, ut ſic dicam; & quod eodem redit, ipſam naturam vel ſubſtantiam rerum omnium Deum eſſe; qualem peſſimæ notæ doctrinam nuper ſcriptor quidem ſubtilis, at profanus, orbi invexit vel renovavit. Sane ſi res corporales nil niſi materiale continerent, veriſſime dicerentur in fluxu conſiſtere, neque habere ſubſtantiale quicquam, quemadmodum & Platonici olim recte agnovere.

(9) *Altera quæſtio* eſt, utrum creaturæ proprie & vere agere ſint dicendæ? Ea, ſi ſemel intelligamus, naturam inſitam non differre a vi agendi & patiendi, recidit in priorem. Nam actio ſine vi agendi eſſe non poteſt, & viciſſim inanis potentia eſt, quæ nunquam poteſt exerceri. Quia tamen nihilominus actio & potentia res ſunt diverſæ; illa ſucceſſiva, hæc permanens; videamus & de actione; ubi fateor, me non exiguam in explicanda celeberrimi Sturmii mente, diſficultatem reperire. Negat enim, res creatas per ſe & proprie agere; mox tamen ita concedit eas agere, ut nolit quodammodo ſibi tribui comparationem creaturarum cum bipenni a fabro lignario mota. Ex quibus nihil certi exſculpere poſſum, nec diſerte ſatis explicatum video, quousq; ipſe a receptis ſententiis recedat; aut quamnam diſtinctam animo conceperit actionis notionem, quæ quam non ſit obvia & facilis, ex metaphyſicorum certaminibus conſtat. Quantum ego mihi notionem actionis perſpexiſſe videor, conſequi ex illa & ſtabiliri arbitror receptiſſimum philoſophiæ dogma, *actiones eſſe ſuppoſitorum*; idq; adeo eſſe verum deprehendo, ut etiam ſit reciprocum; ita ut non tantum omne quod agit ſit ſubſtantia ſingularis, ſed etiam ut omnis ſingularis ſubſtantia agat ſine intermiſſione; corpore ipſo non excepto, in quo nulla unquam quies abſoluta reperitur.

(10) Sed nunc attentius paulo conſideremus eorum ſententiam,

tiam, qui rebus creatis veram & propriam actionem adimunt, quod olim etiam fecere Philoſophiæ Moſaicæ autor Robertus Fluddus, nunc vero Carteſiani quidam, qui putant non res agere, ſed Deum ad rerum præſentiam, & ſecundum rerum aptitudinem; adeoque res occaſiones eſſe, non cauſas, & recipere, non efficere aut elicere. Quam doctrinam Cordemojus, Forgæus & alii Carteſiani cum propoſuiſſent, Malebranchius inprimis, pro acumine ſuo, orationis quibusdam luminibus exornavit; rationes autem ſolidas (quantum intelligo) adduxit nemo. Certe ſi eousque producitur hæc doctrina, ut *actiones* etiam *immanentes* ſubſtantiarum tollantur; (quod tamen merito rejicit Dn. Sturmius Phyſicæ Eclect. lib. 1, cap. 4, Epilog. §. 11, p. 176, & in eo circumſpectionem ſuam luculenter oſtendit) adeo a ratione apparet aliena, ut nihil ſupra. An enim mentem cogitare ac velle, & in nobis a nobis elici multas cogitationes ac voluntates, ac ſpontaneum penes nos eſſe, quisquam in dubium revocabit? Quo facto non tantum negaretur libertas humana, & in Deum cauſa rejiceretur malorum, ſed etiam intimæ noſtræ experientiæ conſcientiæve teſtimonio reclamaretur, quo ipſimet noſtra eſſe ſentimus, quæ nulla rationis ſpecie a diſſentientibus in Deum transferrentur. Quod ſi vero menti noſtræ vim inſitam tribuimus, actiones immanentes producendi, vel quod idem eſt, agendi immanenter; jam nihil prohibet, imo conſentaneum eſt, aliis animabus vel formis, aut ſi mavis, naturis ſubſtantiarum eandem vim ineſſe; niſi quis ſolas in natura rerum nobis obvia mentes noſtras activas eſſe, aut omnem vim agendi immanenter, atque adeo *vitaliter*, ut ſic dicam, cum intellectu eſſe conjunctam arbitretur; quales certe aſſeverationes neque ratione ulla confirmantur, nec niſi invita veritate propugnantur. Quid vero *de tranſeuntibus creaturarum actionibus* ſit ſtatuendum, alio loco melius exponetur, pro parte etiam jam tum a nobis alibi eſt explicatum: *commercium* ſcilicet *ſubſtantiarum* ſive monadum oriri non per influxum, ſed per conſenſum ortum a divina præformatione; unoquoq;, dum ſuæ naturæ vim inſitam legesque ſequitur, ad extranea accommodato, in quo etiam *unio animæ corporisque* conſiſtit.

(H) Quod autem corpora ſint per ſe inertia, verum quidem eſt, ſi recte ſumas; hactenus ſcilicet, ut quod ſemel quieſcere aliqua ratione ponitur, ſe ipſum eatenus in motum concitare non poſſit, nec

ſine reſiſtentia ab alio concitari patiatur; non magis quam ſuapte ſponte mutare ſibi poteſt gradum velocitatis aut directionem, quam ſemel habet; aut pati facile ac ſine reſiſtentia, ut ab alio mutetur. Atq; adeo fatendum eſt, extenſionem, ſive quod in corpore eſt geometricum, ſi nude ſumatur, nihil in ſe habere, unde actio & motus proficiscatur: imo potius materiam reſiſtere motui, per quandam ſuam *inertiam naturalem* a Keplero pulchre ſic denominatam, ita ut non ſit indifferens ad motum & quietem, uti vulgo rem æſtimare ſolent, ſed ad motum pro magnitudine ſua vi tanto majore activa indigeat. Unde in hac ipſa vi paſſiva reſiſtendi (& impenetrabilitatem & aliquid amplius involvente) ipſam *materiæ primæ* ſive molis, quæ in corpore ubique eadem magnitudinique ejus proportionalis eſt, notionem colloco; & oſtendo hinc alias longe, quam ſi ſola in corpore ipſaque materia ineſſet cum extenſione impenetrabilitas, motuum leges conſequi; & uti in materia *inertiam* naturalem oppoſitam *motui*, ita in ipſo corpore, imo in omni ſubſtantia ineſſe *conſtantiam* naturalem oppoſitam *mutationi*. Verum hæc doctrina non patrocinatur, ſed potius adverſatur illis, qui rebus actionem adimunt: nam quam certum eſt, materiam per ſe motum non incipere, tam certum eſt, (quod experimenta etiam oſtendunt præclara de motu impreſſo a motore tranſlato) corpus per ſe conceptum ſemel impetum retinere *conſtansque* in levitate ſua eſſe, ſive in illa ipſa mutationis ſuæ ſerie, quam ſemel eſt ingreſſum, perſeverandi habere niſum. Quæ utique activitates atque entelechiæ, cum materiæ primæ ſive *molis*, rei eſſentialiter paſſivæ, modificationes eſſe non poſſint, uti præclare (quemadmodum ſequente paragrapho dicemus) ab ipſo judicioſiſſimo Sturmio agnitum eſt; vel hinc judicari poteſt, debere in corporea ſubſtantia reperiri *entelechiam primam*, tanquam πρῶτον δεκτικὸν activitatis; vim ſcilicet motricem primitivam, quæ præter extenſionem (ſeu id quod eſt mere geometricum) & præter molem (ſeu id quod eſt mere materiale) ſuperaddita, ſemper quidem agit, ſed tamen varie ex corporum concurſibus per conatus impetusve modificatur. Atque hoc ipſum ſubſtantiale principium eſt, quod in viventibus *anima*, in aliis *forma ſubſtantialis* appellatur, & quatenus cum materia ſubſtantiam vere unam, ſeu unum per ſe conſtituit, id facit, quod ego *Monadem* appello; cum ſublatis his veris & realibus unitatibus, non niſi entia per aggregationem, imo quod hinc ſequitur, nul-

nulla vera entia in corporibus ſint ſuperfutura. Etſi enim dentur atomi ſubſtantiæ, noſtræ ſcilicet Monades partibus carentes, nullæ tamen dantur atomi molis, ſeu minimæ extenſionis, vel ultima elementa; cum ex punctis continuum non componatur. Prorſus uti nullum datur ens mole maximum, vel extenſione infinitum, etſi ſemper alia aliis majora dentur; ſed datur tantum ens maximum intenſione perfectionis, ſeu infinitum virtute.

(12) Video tamen celeberrimum Sturmium in hac ipſa Diſſertatione Apologetica cap. 4, §. 7 & ſeqq. inſitam corporibus vim motricem argumentis quibusdam impugnare aggreſſum. *Ex abundanti*, inquit, *hic oſtendam, ne capacem quidem eſſe ſubſtantiam corpoream potentiæ alicujus ACTIVE motricis.* Quanquam ego non capiam, quæ poſſit eſſe potentia non active motrix. Gemino autem ſe uſurum ait argumento, uno a natura materiæ & corporis, altero ex natura motus. *Prius* huc redit: materiam ſua natura & eſſentialiter paſſivam eſſe ſubſtantiam; itaque ipſi dari vim activam non magis eſſe poſſibile, quam ſi Deus lapidem, dum lapis manet, velit eſſe vitalem & rationalem, id eſt non lapidem: deinde quæ in corpore ponantur, ea eſſe tantum materiæ modificationes; modificationem autem (quod pulchre dictum agnoſco) rei eſſentialiter paſſivæ non poſſe rem reddere activam. Sed reſponderi commode poteſt ex recepta non minus quam vera Philoſophia: *materiam* intelligi vel ſecundam vel primam; ſecundam eſſe quidem ſubſtantiam completam, ſed non mere paſſivam; primam eſſe mere paſſivam, ſed non eſſe completam ſubſtantiam, accedereq; adeo debere animam vel formam animæ analogam, ſive ἐντελέχειαν τὴν πρώτην, id eſt niſum quendam ſeu vim agendi primitivam, quæ ipſa eſt lex inſita, decreto divino impreſſa. A qua ſententia non puto abhorrere Virum celebrem & ingenioſum, qui nuper defendit, corpus conſtare ex materia & ſpiritu; modo ſumatur *ſpiritus* non pro re intelligente, (ut alias ſolet) ſed pro anima vel forma animæ analoga, nec pro ſimplici modificatione, ſed pro conſtitutivo ſubſtantiali perſeverante, quod *Monadis* nomine appellare ſoleo, in quo eſt velut perceptio & appetitus. Hæc ergo recepta doctrina, & ſcholarum dogmati benigne explicato conſentanea, refutanda eſt prius, ut argumentum Viri clariſſimi vim habere poſſit; quemadmodum & hinc patet, non poſſe concedi, quod aſſumſit, quicquid eſt in ſubſtantia corporea, eſſe

materiæ modificationem. Notum eſt enim, animas ineſſe viventium corporibus ſecundum receptam philoſophiam, quæ utique modificationes non ſunt. Licet enim Vir egregius contrarium ſtatuere, omnemque veri nominis ſenſum animalibus brutis animamq; proprie dictam adimere videatur; ſententiam tamen hanc pro fundamento demonſtrationis aſſumere non poteſt, antequam ipſa demonſtretur. Et contra potius arbitror, neque ordini, neque pulchritudini rationive rerum eſſe conſentaneum, ut vitale aliquid ſeu immanenter agens ſit in exigua tantum parte materiæ, cum ad majorem perfectionem pertineat, ut ſit in omni; neq; quicquam obſtet, quo minus ubiq; ſint animæ aut analoga ſaltem animabus; etſi dominantes animæ, atque adeo intelligentes, quales ſunt humanæ, ubique eſſe non poſſint.

( 13 ) *Poſterius* argumentum quod ex natura motus ſumit Vir Cl. majorem, ut mihi quidem videtur, concludendi neceſſitatem non habet. *Motum* ait eſſe ſucceſſivam tantum rei motæ in diverſis locis exiſtentiam. Concedamus hoc interim, etſi non omnino ſatisfaciat, magisque id, quod ex motu reſultat, quam ipſam (ut vocant) formalem ejus rationem exprimat; non ideo tamen excluditur vis motrix. Nam non tantum corpus præſenti ſui motus momento ineſt in loco ſibi commenſurato, ſed etiam conatum habet ſeu niſum mutandi locum, ita ut ſtatus ſequens ex præſenti, per ſe, naturæ vi conſequatur; alioqui præſenti momento (atque adeo momento quovis) corpus A, quod movetur, a corpore B, quieſcente, nihil differet; ſequereturque ex clariſſimi Viri ſententia, ſi nobis ea in re adverſa eſſet, nullum plane diſcrimen in corporibus fore, quandoquidem in pleno uniformis per ſe maſſæ diſcrimen, niſi ab eo quod motum reſpicit, ſumi non poteſt. Unde etiam amplius tandem efficietur, nihil prorſus variari in corporibus, omniaque ſemper eodem ſe habere modo. Nam ſi materiæ portio quævis ab alia æquali & congrua non differt (quod admittendum eſt a Viro Cl. viribus activis impetibusve & quibuscunque aliis, præter exiſtentiam in hoc loco, ſucceſſive futuram aliam vel aliam, qualitatibus modificationibusque ſublatis) ac præterea, ſi unius momenti ſtatus a ſtatu alterius momenti non niſi tranſpoſitione æqualium & congruarum & per omnia convenientium materiæ portionum differt; manifeſtum eſt ob perpetuam ſubſtitutionem indiſtinguibilium, conſequi, ut diverſorum momentorum ſtatus in mundo corporeo diſcriminari nullo

nullo modo poſſint. *Extrinſeca* enim tantum foret *denominatio*, qua diſtingueretur materiæ pars una ab alia, nempe a futuro, quod ſcilicet impoſterum ſit futura alio vel alio loco; impræſentiarum vero diſcrimen eſſet nullum; imo ne a futuro quidem cum fundamento ſumeretur, quia nunquã etiam impoſterum ad verum aliquod præſens diſcrimen deveniretur; cum nec locus a loco, nec materia a materia ejusdem loci (ex hypotheſi perfectæ illius uniformitatis in ipſa materia) diſtingui ulla nota queat. Fruſtra etiam ad *figuram* præter motum recurreretur. Nam in maſſa perfecte ſimilari & indiſcriminata, & plena, nulla oritur figura ſeu terminatio partium diverſarum ac diſcriminatio, niſi ab ipſo motu. Quod ſi ergo motus nullam diſtinguendi notam continet, nullam etiam figuræ largietur; & cum omnia, quæ prioribus ſubſtituuntur, perfecte æquipolleant, nullum vel minimum mutationis indicium a quocunque obſervatore, etiam omniſcio, deprehendetur; ac proinde omnia perinde erunt, ac ſi mutatio diſcriminatioque nulla in corporibus contingeret: nec unquam inde reddi poterit ratio diverſarum quas ſentimus apparentiarum. Et perinde res foret, ac ſi fingeremus duas ſphæras concentricas perfectas & perfecte tam inter ſe, quam in partibus ſuis ſimilares, alteram alteri ita incluſam eſſe, ut nec minimus ſit hiatus; tunc ſive volvi incluſam, ſive quieſcere ponamus, ne angelus quidem, ne quid amplius dicam, ullum poterit notare discrimen inter diverſi temporis ſtatus, aut indicium habere diſcernendi, utrum quieſcat an volvatur incluſa ſphæra, & qua motus lege. Imo ne limes quidem ſphærarum definiri poterit, ob defectum ſimul *hiatus* & diſcriminis; uti motus vel ob ſolum *diſcriminis* defectum agnoſci hic nequit. Unde pro certo habendum (etſi hoc minus adverterint, qui ſatis alte in hæc non penetravere) talia a rerum natura atque ordine eſſe aliena, *nullamque uspiam dari* (quod inter nova & majora axiomata mea eſt) *perfectam ſimilaritatem*: cujus rei conſequens etiam eſt, nec corpuſcula extremæ duritiei, nec fluidum ſummæ tenuitatis, materiamve ſubtilem univerſaliter diffuſam, aut ultima elementa, quæ primi ſecundive quibusdam nomine veniunt, in natura reperiri. Quorum cum nonnihil perſpexiſſet (ut arbitror) Ariſtoteles, profundior mea ſententia, quam multi putant; judicavit, præter mutationem localem, opus eſſe alteratione, nec materiam ubique ſibi eſſe ſimilem, ne maneat invariabilis. Diſſimilitudo autem illa vel qualitatum diver-

ſitas, atque adeo ἀλλοίωσις vel alteratio, quam non ſatis expoſuit Ariſtoteles, ipſis diverſis niſuum gradibus directionibusque, monadumq; adeo inexiſtentium modificationibus obtinetur. Ex quibus proinde intelligi puto, neceſſario aliud debere poni in corporibus, quam maſſam uniformem, ejusque nihil utique immutaturam tranſpoſitionem. Sane qui *atomos & vacuum* habent, nonnihil ſaltem diverſificant materiam, dum alibi faciunt partibilem, alibi impartibilem; & uno loco plenam, alio hiantem. Sed diu eſt, quod rejiciendas eſſe atomos cum vacuo (depoſito juventutis præjudicio) deprehendi. Addit Vir celeberrimus: materiæ exiſtentiam per diverſa momenta, tribuendam eſſe divinæ voluntati; quid ni ergo (inquit) eidem tribuatur quod exiſtit hic & nunc? Reſpondeo, id ipſum Deo haud dubie deberi, ut alia omnia, quatenus perfectionem quandam involvunt; ſed quemadmodum prima illa & univerſalis cauſa omnia conſervans, non tollit, ſed facit potius rei exiſtere incipientis ſubſiſtentiam naturalem, ſeu in exiſtendo perſeverationem ſemel conceſſam; ita eadem non tollet, ſed potius confirmabit rei in motum concitatæ efficaciam naturalem, ſeu in agendo perſeverationem ſemel impreſſam.

(14) Multa quoque alia occurrunt in Apologetica illa Diſſertatione, quæ difficultatem habent, ut quod ait dict. cap. 4 §. 11, motu de globulo per plures intermedios in globulum translato, globulum ultimum *eadem vi* moveri qua motus eſt globulus primus: mihi vero videtur, æquivalente quidem moveri, ſed non eadem; cum unusquisque (quod mirum videri poſſit) *ſua propria vi*, nempe elaſtica (non jam de elaſmatis hujus cauſa diſputo, neque nego mechanice debere explicari motu fluidi inexiſtentis ac perlabentis) a proximo urgente repulſus in motum agatur. Sic etiam, quod §. 12 dicit, rem quæ primordium motus dare ſibi non poteſt, non poſſe per ſe continuare motum; mirum merito videbitur. Conſtat enim potius, quemadmodum vi opus eſt ad motum dandum, ita dato ſemel impetu, tantum abeſſe, ut vi nova ſit opus ad continuandum, ut potius ea opus ſit ad ſiſtendum. Nam conſervatio illa a cauſa univerſali rebus neceſſaria, hujus loci non eſt, quæ, ut jam monuimus, ſi tolleret rerum efficaciam, etiam tolleret ſubſiſtentiam.

(15.) Ex quibus rurſus intelligitur, doctrinam a nonnullis propugnatam cauſarum occaſionalium (niſi ita explicetur, ut tempe-

ramen-

ramenta adhiberi poſſint, quæ Cl. Sturmius partim admiſit, partim admiſſurus videtur ) periculoſis conſequentiis obnoxiam eſſe, doctiſſimis licet defenſoribus haud dubie invitis. Tantum enim abeſt, ut Dei gloriam augeat, tollendo idolum naturæ; ut potius rebus creatis in nudas divinæ unius ſubſtantiæ modificationes evaneſcentibus, ex Deo factura cum Spinoſa videatur ipſam rerum naturam; cum id quod non agit, quod vi activa caret; quod diſcriminabilitate, quod denique omni ſubſiſtendi ratione ac fundamento ſpoliatur, ſubſtantia eſſe nullo modo poſſit. Certiſſime perſuaſum mihi eſt, Cl. Sturmium, Virum & pietate & doctrina inſignem, ab his portentis eſſe alieniſſimum. Itaque dubium nullum eſt, aut oſtenſurum eſſe liquido, qua ratione maneat aliqua in rebus ſubſtantia vel etiam variatio, ſalva doctrina ſua, aut veritati manus eſſe daturum.

(16) Certe quo magis ſuſpicer, mentem ipſius non ſatis mihi eſſe perſpectam, nec meam ipſi, multa faciunt. Alicubi faſſus mihi eſt, poſſe, imo quodammodo etiam debere, quandam *divinæ virtutis particulam* (id eſt, ut opinor, expreſſionem, imitationem, effectum proximum, nam ipſa divina vis in partes utique ſecari non poteſt,) velut rebus propriam, & attributam intelligi. Videantur quæ mihi transmiſſa repetiit in Phyſicæ Electivæ loco ſupra citato ſub initium hujus ſchediaſmatis. Hoc ſi (ut ex verbis apparet,) eo ſenſu accipitur, quo animam divinæ particulam auræ dicimus, jam ſublata inter nos eatenus controverſia erit. Sed quo minus hanc mentem ipſius affirmare audeam, facit, quod vix uſpiam alibi video tale aliquid ab ipſo tradi, aut quæ inde conſequantur exponi; contra vero animadverto, quæ paſſim habet, huic ſententiæ parum cohærere, Diſſertationem autem Apologeticam in alia omnia ire. Sane cum primum meæ in Actis Eruditorum Lipſienſibus menſe Martio 1694, de vi inſita prolatæ ſententiæ, (quam porro illuſtrat ſpecimen meum dynamicum in iisdem Actis April. 1695) quædam per literas objeciſſet, mox, accepta reſponſione mea, perbenigne judicavit nullum inter nos eſſe diſcrimen, niſi in loquendi modo; quod cum ego animadvertens, monuiſſem adhuc nonnulla, ipſe jam in contrarium verſus, plura inter nos diſcrimina poſuit, quam ego agnoſco: vixque his exemtis tandem noviſſime eo rediit, ut denuo ſcriberet, niſi verborum differentiam inter nos eſſe nullam, quod mihi futurum eſſet gratiſſimum. Volui ergo, occaſi-

one

one noviſſimæ Diſſertationis Apologeticæ, rem ita exponere, ut denique & de ſententia cujusque & de ſententiæ veritate conſtare facilius poſſit. Eſt enim alioqui magna Viri egregii, & in perſpiciendo ſolertia, & perſpicuitas in exponendo; ut ſperem ejus ſtudio non exiguam tantæ rei lucem afferri poſſe, atque adeo vel ideo non inutilem hanc operam meam fore, quod occaſionem ei fortaſſe præbitura eſt, ea qua ſolet induſtria & vi judicii expendendi, atque illuſtrandi nonnulla alicujus in negotio præſente momenti, prætermiſſa hactenus ab autoribus, & a me, ni fallor, novis & altius repetitis & late fuſis axiomatibus nonnihil ſuppleta; ex quibus reſtitutum emendatumq; Syſtema mediæ inter formalem & materiariam philoſophiæ (conjuncta ſervataque rite utraque) naſci videtur aliquando poſſe.

## LIBRI NOVI.

*Chriſtiani Hugenii Cosmotheoros, ſeu de Terris Cœleſtibus Libri II. Hagæ Com. apud Adr. Moetjens, 1698. 4.*

*Stephani Rittangelii Libra Veritatis & de Paſchate Tractatus. Præmiſſa eſt Johannis Vander Waeyen Diſſertatio de Λόγῳ adverſus Johannem Clericum. Franequeræ apud Jac. Horren, 1698. 8.*

*Novum Teſtamentum cum verſione Latina Ariæ Montani: in quo tum ſelecti verſiculi 1900, quibus omnes Novi Teſtamenti voces continentur, aſteriſcis notantur; tum omnes & ſingulæ voces, ſemel vel ſæpius occurrentes, peculiari nota diſtinguuntur, auctore Johanne Leusden, Profeſſore. Amſtelæd. ex officina Wetſteniana, 1698. 8.*

*Idem, cum verſione Belgica. Ibidem.*

*Idem Græce tantum. Ibidem.*

## ERRATA.

Pag. 224. lin. 28. lege *fig. 3*. Ibid. lin. 30. leg. *quadrantes*. P. 225. l. 1. leg. *ſumtis*. Ibid. l. 3. pro > leg. <. P. 263. l. 6. pro *trapez. hyperb. R I* lege *ut trapez. hyperb. α Z ad trapez. hyperb. R I*. Ibid. l. 12. pro $\frac{ac}{x}\sqrt{\frac{1}{2}}$ leg. $-\frac{ac}{x}\sqrt{\frac{1}{2}}$. P. 265. l. 3. termino æquationis $\frac{a^4bn^2}{cc-bb}$ præpone ſignum —. P. 267. l. 29 & 30. pro ATq. HNq :: 1DTq. DNq. leg. √AT. √HN :: √DT. √DN.

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Octobris, Anno M DC XCVIII.*

## THE POSTHUMOUS WORKS OF SIR HENRY SPELMAN &c.

h. e.

*OPERA POSTHUMA HENRICI SPELMANNI, AD LEGES & Antiquitates Angliæ pertinentia, & ex autographis ejus nunc demum publicata.*

Oxonii, in theatro Sheldoniano, ſumtibus Awnsh. & Joh. Churchill Bibliop. Lond. 1698, fol. Alph. 3.

EAm doctiſſimus Spelmannus patriæ ſuæ illuſtrandis antiquitatibus gloriam indeptus eſt, ut non poſſit non ſanctum ac venerabile videri earum ſtudioſis, quicquid ab eo ingenti induſtria, multaque lucerna elaboratum fuit. Denuo itaque, quam ſæpius laudavimus, Cl. Viri Edmundi Gibſoni nobis commendanda induſtria eſt, qui aliis ſuis de patria hiſtoria atque antiquitatibus, imo de tota re litteraria præclaris meritis, hoc quoque accedere voluit, ut ejus beneficio iſtam Reliquiarum Spelmannianarum collectionem teneremus. In qua publicis commodis expoſitarum præſtantiſſimarum mercium tabulæ nunc quidem erunt conficiendæ.

Primum in hac collectione locum Diſſertatio *de origine, incrementis, propagatione* & *conditione feudorum militarium in Anglia* occupat. In qua in feudorum, ſpeciatim autem militarium, generalem primum originem & progreſſum inter Iſraelitas Davidicis temporibus ex 1. Chron. c. 27, & inter Gallos Brenni ævo ex Pauſaniæ

Phocic. p. 118, ſequentibus vero temporibus ex Cæſare & Tacito, (de *Ambactis & Comitibus*, ab iis inter Germanos & Gallos commemoratis, erudite diſſerens,) inquiſitionem inſtituit. Inde Gothorum, Suecorum, Danorum & Saxonum evolutis monumentis, & *Bilaginibus* eorum explicatis, ſeptentrionalibus populis originem feuda & jura feudalia debere, hæreditaria autem ſub initium non fuiſſe, Gerardi Nigri Conſulis Mediolanenſis autoritate (ex textu puta 1. Feud. 1. §. 1.) oſtendit. Hæreditaria vero poſtmodum, receptiorem opinionem ſecutus, ab Hugone Capeto primum facta eſſe putat, hac ratione ſuas adverſus Carolingos, quibus regnum per vim eripuerat, partes ſtabilire ſatagente. Ejus exemplum in Anglia Gulielmum Conqueſtorem eſſe ſecutum, qui novorum ſubditorum ſibi conciliaturus animos, cum hactenus Saxones in Anglia feuda, vel arbitrarie, vel adhibitis quibusdam limitibus, ita tamen ut mere hæreditaria non eſſent, feudatariis conceſſiſſent, hæreditaria ea fecerit: ante iſtas autem Gulielmi Conqueſtoris conſtitutiones, nihil plane de Feudis proprie ſic dictis in legibus Saxonicis ſancitum fuiſſe. Indeque oſtendit, neque *feudi* atque *tenuræ*, neque alia huc ſpectantia vocabula in antiquo Jure Saxonico uſpiam obvia eſſe; ſpeciatim vero *tenuras in capite*, prout hodie inter Anglos habentur, Saxones veteres ignoraſſe. De quibus ut clarius conſtet, diſtincte de variis perſonarum inter Saxones gradibus & diſtinctionibus agit, & cujus generis atque conditionis poſſeſſiones earum fuerint, monſtrat. Initium facit a Comitibus (quos *Earls* Saxones antiqui, & hoc quoque ævo Angli appellare ſolent,) quod non dignitatis, ſed officii antiquitus extitiſſe nomen, oſtendit. Fuiſſe enim Comites judices ordinarios provinciæ, iisdem plerumque limitibus, quibus Diœceſis Epiſcopi, circumſcriptæ, cum quo etiam Comes conjunctim ac in eodem conſeſſu jus dixerit: temporis vero proceſſu factum eſſe, ut ſimul præcipuæ provinciæ ſuæ urbis vel arcis regimen apud Comitem fuerit, quod annexam ſibi tertiam partem redituum habuerit ex aulis judiciariis ad Regem pervenientium, mulctarum nimirum, confiſcationum, & quæ alia e judiciis redire ad imperantes commoda ſolent. Iſta autem omnia a mero Regis arbitrio pependiſſe, nec hæreditaria fuiſſe unquam; unde & Alfredus Rex, ut alia taceamus, Dei dono & ſuo Comites iſta tenere publica charta teſtatus fuerit. Quantum porro ad *Villanos*, quos *Ceorls* a ve-

veteribus Saxonibus dictos eſſe conſtat, eorum quoq; terras ac poſſeſſiones feuda militaria non fuiſſe docet, utpote quæ hæreditariæ extiterint, quales tamen eas, quæ iſto tempore feudorum rationem habebant, neutiquam fuiſſe liqueat. *Thanos* deniq;, *Thanes* veteribus Saxonibus appellatos, & in *majores* ac *minores* diſtinctos, cum poſſeſſionibus ſuis expeditioni quidem, ſive *Heribanno*, vel ut Saxones loquebantur, *der utfare* & *ferdgung* obnoxios fuiſſe, non tamen eo, quod poſſeſſiones illorum feudorum militarium aut tenurarum in capite rationem habuerint, ſed quod fundamentalis regni ſive lex ſive conſuetudo, a cujuscunque generis terrarum poſſeſſoribus, iſtud pariter ac alia quædam ſervitia exigeret; unde etiam in regiis diplomatibus, ad Thanorum terras petinentibus, non tantum nulla tenurarum aut ſervitiorum feudalium mentio fiat, ſed omnis etiam immunitas illis, præter eam, quæ ab *expeditionis* onere liberas facit, indulgeatur. Quæ cum præclare etiam confirmet lex Æthelſtani, dum terras *proprias*, non *feudatarias* eſſe dicit eas, quas Thani poſſident, inſuperque quinam majores minoreſve Thani ſint luculenter explicet, legem illam quam fieri poteſt fideliſſime Latinis verbis, ab iſtorum temporum interpretibus ex parte ſuppeditatis, repræſentabimus: *Si*, inquit, ***Villanum tanta incrementa capere contingat, ut quinque integras hidas ALLODII PROPRII poſſideat, & templum, & culinam, & campanarium, ſedemque & officium in aula Regis judiciaria, dignus ille erit, qui jura Thani majoris conſequatur.*** Et paulo poſt: *Si vero Thanus ita profecerit, ut Regi ſervire & vice ejus equitare in Miſſatico Regis potuerit, atque alium ſub ſe Thanum habuerit, qui eum ſecutus ſit, & quinque hidas expeditioni Regis inſervientes poſſideat, atque Domino ſuo (Thano ſc. majori) in aulis judiciariis Regis inſervierit, & in negotiis ejus ter ad Regem ablegatus fuerit, illius Thanus minor juramentum loco Domini ſui (Thani majoris) præſtare, & in caſu neceſſitatis locum ejus ſupplere poterit.* Aſt præterea ex aliis monumentis quoque Spelmannus oſtendit, poſſeſſionibus ſuis, prout voluerunt, Thanos uti potuiſſe, atque adeo eas feudorum militarium ac tenurarum in capite rationem non habuiſſe. Idque porro inde quoque confirmat, quod fructus iſtæ poſſeſſiones apud Saxones non dederint, a feudis militaribus alias juxta leges Angliæ modernas expectandos: non commoda ſcilicet ex tutela minorennium, non reditus feudi poſt mortem feudatarii, quouſque hæres ejus homagium præſtiterit, Regi

debitos; non relevia; non mulctas ad conſequendam alienandi licentiam ſolvendas. Homagiumque item & Scutagium ignorata eis, non minus ac *caduca*, fuiſſe oſtendit: ac denique quibus conditionibus Saxones terras ſuas poſſederint, una cum omnibus ſervitiorum, quibus præſtandis tenebantur, generibus, explicat. Quorum omnium, in perſonalia, & prædialia, horumque iterum in allodialia, beneficiaria & colonaria diviſorum, nulli cum feudalibus aliquid commune eſſe probat.

Verum ſufficiat de primo tractatuum Spelmannianorum iſta dixiſſe. Proximum locum *Diſſertatio de antiqua Regiminis Anglicani forma* occupat. Quæ cum nihil aliud ſit, quam ſuccincta tam eccleſiaſticorum quam civilium munerum, quæ Saxonici Reges gubernandæ Eccleſiæ & Reipublicæ cauſa inſtituerunt, enarratio; ſine ulteriori mora ad tertium horum opuſculorum progredimur.

*De Parliamentis* illud agit, atque in eorum primam originem & naturam inquirit. Ubi illud imprimis notatu dignum eſt, quod vulgarem ſententiam, de admiſſis jam ab Henrici I temporibus ad magnum Regni Concilium *Communibus*, Spelmannus confutet, neque ejus rei luculenta veſtigia ante Joannis tempora obvia eſſe putet, in cujus magna Charta tale quid indicari agnoſcit.

Diſſertationem de Parliamentis excipit *tractatus de diebus Juridicis* ſive *Termini*, in ſummis Angliæ Curiis Judiciariis obſervari ſolitis, quorum inſtitutionem & originem ab antiquiſſimis temporibus repetens, qui apud Græcos & Romanos dies juridici & nefaſti fuerint docet. Indeq; ad Chriſtianorum tempora progreſſus, eos antiquiſſimorum Judæorũ exemplo, nullum tempus, ne ipſas quidem Domini dies, ad cauſas dicendas parum idoneum judicaſſe, oſtendit. Cum vero iſta ratione profanis litibus inſumeretur Deo ſacrata dies, anno 517 in Concilio Chalcedonenſi, poſtea etiam in Concilio Hiſpalenſi, & ab Adriano Papa abrogatam iſtam conſuetudinem eſſe, quod & lege *2. Cod. de Feriis* Imperator Theodoſius poſtea feciſſe deprehendatur. Qua ratione deinceps aliis quoque diebus idem factum fuerit, & quomodo ſpeciatim in Anglia a Saxonum Regibus, Jus Canonicum maximam partem ſequentibus, dies Juridici conſtituti fuerint, explicare pergit. Inter alia cauſam, cur poſt meridiem ſumma judicia in Anglia non exerceantur, veterum Saxonum ebrioſitatem eſſe dicit, multaque

alia

alia paſſim explicat, quæ antiquitatum juris amantibus jucundiſſima non eſſe non poſſunt.

Succedit proximo loco *controverſia de cæde non voluntaria, a Georgio Abbot*, Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, annó 1621 telo in feram conjecto, *commiſſa*. Quem *irregularitatem*, uti loqui amant, iſto homicidio non incurriſſe, Anonymus quidam oſtendere conatus fuerat; contrarium vero ex Jure Canonico patriisque legibus Spelmannus evincit: eo potiſſimum nixus fundamento, quod in actione illicita verſatus fuerit homicidium illud committens Archi-Epiſcopus, cum Clerico venationem, præcipue eam, quæ telis & armis fit, penitus leges prohibeant. Verum iſtam controverſiam diſpenſatoriis litteris Jacobus Rex compoſuit, qui Abbotum, quicquid Juris Canonici Doctoribus ea de re videretur, primarii Præſulis munere, poſt perpetratam etiam cædem illam, fungi voluit.

Sequitur jam *diſſertatio de origine & probatione teſtamentorum*, quæ neque apud Hebræos, neque apud Germanos aliosque populos ſeptentrionales antiquitus in uſu fuiſſe, ex S. Oraculis, Joſepho & Tacito Spelmannus probat: a Romanis & alias gentes, & Saxones Angliæ incolas, teſtamentorum rationem accepiſſe docens, idque ex formula teſtamenti a Marculfo, ſeculo ſeptimo confecta, confirmans. Quantum vero ad probationem teſtamentorum, in eo potiſſimum operam Spelmannus ponit, ut oſtendat, quomodo temporis ſucceſſu teſtamentorum cognitionem Clerus ſibi in Anglia vindicaverit.

Qui porro ſequitur tractatus Latino ſermone ſcriptus, *Icenia* appellatur, *Nortfolciæ* topographicam deſcriptionem exhibens. *Iceniam* iſtum tractum a veteribus appellatum eſſe a rigante eum *Iſe* fluvio, ab Iſide, quæ in præcipuo honore apud veteres Britannos erat, nomen ſortito, exiſtimat; a Camdeno hac in parte diſſentiens, qui a Rege quodam Iceniam appellatam fuiſſe ſtatuebat, Spelmannus. Icenos vero Tacito eosdem, quos Cæſari Cenimagnos, Ptolemæo Simenos eſſe docet, quos Tigenos etiam alii ſed perperam appellitaverint. Iſtam regionem totam accurato ſtudio perluſtrat, nullo ſive oppido ſive vico ad eam ſpectante prætermiſſo, paſſimque antiquitatibus quibusdam v. g. Stativis Romanorum, Comitatu Littoris Britannici, aliisque hujus generis commemoratis.

*Comitum Mareſcallorum Angliæ Catalogus* nihil habet, quod magnopere nos properantes moretur. Auſpicatus illum Spelmannus a Radulpho de Wacepo eſt, qui Gulielmi Conqueſtoris tempore iſto munere functus fuiſſe videtur, & in Thoma Howardo deſinit, qui Jacobo I regnante eo fuit ornatus. Ad *diſſertationem* itaque *de milite* ſive equite aurato progredimur, de cujus nomine, ætate, evocatione ad militiam ſuſcipiendam, modo creandi, & conditione pluribus agit. De iis autem, qui militem faciunt, quæ obſervaverit, attentionem merentur. Omnes ſcilicet antiquitus militem facere potuiſſe, qui feudum dare poterant, oſtendit; unde Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates & Abbatiſſas militiam jure contuliſſe docet. Imo inter Anglo-Saxones Sacerdotibus etiam, qui feudum dare non potuerint, milites facere licuiſſe, ex Ingulpho probat. Quantum vero ad Laicos, Duces, Marchiones, Comites & Barones milites feciſſe, ipſumque etiam militem conferre potuiſſe militiam ei, qui parente natus erat milite, docet. Imo & Reges ab inferioribus ſæpe, ſubditisque ſuis nonnunquam, militiam accepiſſe, Franciſci I Galliarum Regis, qui in Marignana pugna a Petro Bajardo copiarum præfecto; Ferdinandi Regis Portugalliæ, qui anno 1382 ab Edmundo Comite Cantabrigiæ; Henrici VI Regis Angliæ, qui anno 1424 a Duce Bedfordiæ, ſubdito ſuo, miles factus ſit, aliorumque exemplis docet. De Palatinis etiam militibus, quales Judices fuerunt, loco item & tempore creationis, cenſu militari, modoque exauctorandi militem agit, atque ſic huic quoque diſſertationi finem imponit.

*Hiſtoriam familiæ de Sharburn*, Latina lingua a barbaræ ætatis autore ſcriptam, ex manuſcripto Spelmannus recenſuit, non indignum illam, quod ad poſteritatem perveniat, monumentum eſſe arbitratus. *Dialogi* vero *de re monetali Angliæ*, vernacula lingua conſignati, ipſe rurſum autor eſt. In eo id præcipue agit, ut quantum deterior ſuo ævo quam priſcis temporibus moneta in Anglia ſit, oſtendat, utpote quo tres Shillingi vix unius Shillingi veteris pretium exæquent; quam argenti caritatem Sedis Romanæ exactionibus tribuendam eſſe, probatum dedit.

Poſtremum denique opuſculorum, volumen hocce abſolventium, *catalogus* eſt *locorum, ubi vel olim vel hodie* ſive *ſedes* fixerunt, ſive *judicia* exercere ſueverunt Angliæ *Archi-Epiſcopi* atque *Epiſcopi*; de

de quo nihil eſt, quod addamus, niſi forte integrum eum a nobis exſcribi aliquis cupiat.

De Vita tamen Spelmanni, antequam finem dicendi faciamus, pauca adhuc attingenda erunt. Doctiſſimi Gibſoni eam induſtriæ debemus, quæ in eo præcipue eluceſcit, quod ſcriptorum ejus occaſionem, temporisque, quo prodierunt, ordinem accurate obſervaverit. Quæ autem ad genus, educationem, vitæq; ejus inſtitutum pertinent, hæc fere ſunt. Natus eſt Conghamiæ Norfolciæ oppido, parente Henrico Spelmanno, Armigero. Quindecennis cum eſſet, Cantabrigiam abiit, Collegii Trinitatis alumnis adſcriptus, verum ſtudiis Academicis nondum ſatis, ut ipſe haud raro querebatur, idoneus: id quod cum tanto majore ejus conjunctum detrimento fuit, quod biennio vix elapſo parentis fata domum eum denuo avocarent. Ibi integro anno exacto, Londinum diſceſſit, ut in Lincolnienſe Collegium adoptatus Aſtrææ ſacris initiaretur. Verum ibi quoque ultra triennium fata ejus eum degere noluerunt, ut adeo juris quoque eam quam optaverat ſcientiam ſibi parare non potuerit. Vigeſimo itaq; ætatis anno patrium ſolum reviſere, atque ducta Johannis Eſtrange filia ſedem ibi figere coactus eſt, ubi bene geſta Hamonis Eſtrange tutela, & Vicecomitis in Norfolcia officio, eam prudentiæ & probitatis laudem acquiſivit, ut non tantum a Rege, curandorum publicorum negotiorum cauſa, ter ad Hibernos miſſus, verum etiam inquiſitioni exactarum in omnibus aulis judiciariis expenſarum præfectus fuerit. Quod poſterius officium cum magna rei ejus familiaris jactura moleſtum reddidiſſet, regio trecentarum librarum munere, & militiæ honoribus ea aliqua ex parte compenſata fuit. Quinquagenarius factus compoſitis rebus ſuis Londinum ſe contulit, antiquitatum ſtudio unice vacaturus. Atque iſte ejus ſeceſſus omnia, quæ ab illo habemus, ſcripta nobis, ipſi vero maximorum virorum, Camdeni, Uſſerii, Cottoni, Seldeni, Wormii, Peireſcii, Meurſii, Bignonii aliorumque exiſtimationem atque amicitiam peperit. Filias vidit quatuor, totidemque filios, quorum natu maximo Joh. Spelmanno, ſtudiorum ejus hæredi, ob parentis commendationem maxime favebat Carolus I, ejusque conſiliis calamoque in civilibus bellis utebatur. At ille anno 1643, poſt editum Pſalterium Anglo Saxonicum & ſcriptam Alfredi vitam, anno 1678 a Walkero Latine converſam & publicatam, deceſſit.

Al-

Alter ex filiis Clemens Spelmannus, Caroli II Conſiliarius, & ærarii Baro Iunior, anno 1679, poſt publicata varia ad ſtatum Regni Anglicani pertinentia ſcripta, editumque cum prolixa præfatione Parentis ſui de non temerandis Eccleſiis tractatum, obiit. Ipſe vero Parens fere octogenarius ad plures abiit, ejusq; cineres, Caroli Regis favore, anno 1641 d. 24 Octobris templo Weſtmonaſterienſi illati, e regione ſepulchri Camdeniani terræ mandati fuerunt.

## *CHRISTIANI HUGENII* ΚΟΣΜΟΘΕΩΡΟΣ, *SIVE DE TERRIS cœleſtibus earumque ornatu Conjecturæ, ad Conſtantinum Fratrem, Guilielmo III Magnæ Britanniæ Regi a Secretis.*

Hagæ Comitum, apud Adrianum Moetjens, 1698, 4.
Conſtat plag. 18. & figurar. tab. 5.

Cum multi fuerint Philoſophi, qui a ratione haut alienum eſſe judicarunt, Planetas cultu ornatuque, ac fortaſſis habitatoribus, haut vacare; nemo tamen ſeu inter priſcos ſeu recentiores, qualia ſint, quæ in iſtis regionibus exſtent, naturæ opera, determinare auſus eſt, præter illuſtrem hujus libri Auctorem, cui, cum ab aliquo tempore diligentius iſta meditari cœpiſſet, viſum eſt, non prorſus obſeptas eſſe de rebus tam procul diſſitis inquirendi vias, ſed veriſimilibus conjecturis abunde materiam præberi. Quas conjecturas ſuas, prout ſeſe ſubinde obtulerunt, in adverſariis annotatas in ordinem redegit, adjectisque nonnullis de Sole ſtellisque inerrantibus, ampliſſimo ſuo Fratri pariter ac eruditis reliquis exponere voluit. Sed interceſſit mors, quæ par illud nobiliſſimum fratrum nobis eripuit, ut jam hic liber & parente ſuo, & eo qui hujus vicem geſturus erat, orbus in lucem editus fuerit. Quem cum in imperitorum quoque manus venturum prævidiſſet celeberrimus Hugenius, & fortaſſis quorundam ſeveriora judicia ſubiturum, non abs re fore putavit, ſi principio libri primi ſtatim illorum repelleret reprehenſionem, qui cum Geometriam & mathematicas ſcientias alias nunquam attigerint, vanum & ridiculum tale inceptum cenſent, cum incredibile iis videatur, ut ſiderum diſtantias, aut magnitudinem metiri poſſimus, tum vero motum huic terræ aut falſo adſcribi exiſtimant, aut nequaquam ad

adhuc probatum eſſe. Libens tamen largitur, reconditiora illa, quibus præcipue inſiſtit, non eſſe ejusmodi, ut quærendo penitus inveſtigari poſſint. Unde nihil veluti certum affirmat, ſed conjecturis tantum agit, quarum de veriſimilitudine ſuo cuique arbitratu judicare liberum ſit. Quod ſi autem quis irritam & inanem poni operam dicat, de rebus iis conjecturas prodendo, de quibus conſtet nihil certi unquam comprehendi poſſe: reſpondet, totum Phyſices ſtudium, quatenus in cauſis rerum eruendis verſatur, eadem ratione fore improbandum, ubi veriſimilia inveniſſe laus ſumma eſt, & indagatio ipſa rerum tum maximarum tum occultiſſimarum habet oblectationem; ſed veriſimilium multos eſſe gradus, alios aliis veritati propiores, inque hoc diligenter æſtimando præcipuum judicii uſum verti. Quoniam autem celeberrimus Auctor ad ea, quæ inſtituit probanda, maximum ſumit argumentum ex ordinatione Planetarum Copernicea, quodque inter eos Tellus hæc haut dubie numeratur; binis ſchematibus tum orbes eorum circa Solem diſpoſitos veris proportionibus expreſſos, tum rationes magnitudinum, quibus corpora Planetarum inter ſe & ad Solem comparantur, oſtendit, nec non periodos ordinemque illorum a Copernico repertum explicat; illis eum rationibus ſtabilitum aſſerens, ut omnes nunc Aſtronomi, niſi tardiori ſint ingenio, aut hominum imperio obnoxiam credulitatem habeant, motum Telluri locumque inter Planetas absque dubitatione decernant. Ex his enim probe perpenſis neminem putat non videre poſſe, quam clare ex hoc ſyſtemate ſequatur, eodem cum cæteris quinque Planetis genere Tellurem hanc noſtram contineri, cum vel ipſi circulorum poſitus hoc teſtentur, & præterea conſtet teleſcopiorum obſervationibus, & globoſa eſſe omnium corpora itidem ut Telluris, & a Sole ſplendorem ſimiliter eos mutuari; porro in hoc quoque ei ſimiles eſſe, quod in ſe ipſis circum proprios axes volvantur, ac denique, ut Tellus noſtra Lunam, ita Jovem & Saturnum ſuos habere comites. Ut proinde maxime ſit probabile, cum in his tot rebus Telluri cum Planetis illis primariis intercedat ſimilitudo, illos non minori quoque dignitate & pulchritudine eſſe: cum ratio, cur hoc aliter ſe habeat, excogitari nulla poſſit; contra vero plurimum ponderis inſit illi ex ſimilitudine petitæ, & a rebus viſis ad non viſas productæ rationi. Sicuti recte quis, cui in diſſecto canis corpore viſcera oſtenderentur, ſtomachus, pulmones, inteſtina &c. etiamſi nunquam alterius animalis

corpus apertum conſpexiſſet, affirmaret, ſimilem quandam fabricam ac partium varietatem in bove, porco cæteriſque beſtiis ineſſe. Hinc ergo efficit, ſolidos eſſe Planetas, non aliter quam Tellus noſtra, & gravitate pollere, cujus vi corpora quæque in ſuperficie illorum hærentia premant eam, aut ſi dimoveantur, ex omni parte velut attracta recidant. Deinde, cum in herbarum animaliumque exortu clariſſime certiſſimeque Architecti ſupremi ſapientia eluceat, ſi in Planetis nihil aliud quam vaſtæ ſolitudines corporaque inertia & vita carentia reperiantur, haut dubie multum conceſſuros illos dignitate & pulchritudine Telluri noſtræ: quod cum rationi adverſetur, extare omnino herbas & animalia in reliquis Planetis concludit, fortaſſis nec creſcendi more, nec extrinſeca forma, aut internis partibus, ab iis, quæ penes nos ſunt, multum differentia, quia non ſit credibile omnem varietatem, quam poterat, in rebus creatis earum Auctorem exhibuiſſe. Quod ſi diſcrimen aliquod inter ea, quæ in ſuperficie iſtorum globorum generantur, intercedat, id præcipue ex majore minoreve eorum a Sole, caloris vitæq; fonte, diſtantia oriri, propter quam tamen magis materiam quã formam rerum variari neceſſe ſit. Ad illam autem materiam quod attinet, etſi qualis ſit, cogitatione aſſequi nequeamus, attamen vix dubitari poſſe aſſerit Auctor doctiſſimus, quin ex elemento humido, uti noſtra omnia, creſcant alanturque viventia, adeoque aquas a Planetis non abeſſe, (quas & veriſimiles conjecturæ ex teleſcopiorum obſervationibus, præſertim in Jove confirment) noſtræ tamen non prorſus ſimiles, etſi liquidæ ut ſint, ad uſus quos præſtare debent, requiratur; ut perſpicuæ, ad pulchritudinem: itaque putandum eſſe, naturam earum, quæ in Planetis ſunt, ad ſuam quamq; regionem attemperatam eſſe, ut in Jove quidem ac Saturno difficilius in glaciem vertantur, in Venere & Mercurio minus facile in vapores abeant. Veriſimile quoque eſſe cenſet, non alia ratione naſci & propagari ſtirpes quam apud nos, cum nec aliter fere, nec melius poſſint; nec etiam diſparem eſſe rationem in animalibus, cur non & paſcendi & generandi modus ſimilis putetur ei, qui eſt apud nos; cumque ſumma ſit apud nos animalium plantarumque varietas, non minorem quoque ſtatuit in Planetis reliquis. Quod autem doctiſſimum Auctorem præcipue movit, ut nec rationale animal (fortasſis ab homine diverſum, cum nihil impediat, quo minus animus rationis capax etiam alii formæ inhabi-

habitet) in Planetis deeſſe crederet, hoc eſt, quod nimia Terræ noſtræ præ cæteris illis foret præſtantia ac nobilitas, ſi ſola haberet animal tam longe cæteris orbis animantibus, nedum ſtirpibus præſtans, cujus denique gratia quicquid Terra progenerat, paratum eſſe videtur. Quapropter Planetarum incolis eandem cum noſtra rationem attribuit, probabilibusque argumentis ſtabilire conatur, & bruta animantia, & quibus ratio ineſt, convenire in his quæ ad ſenſum attinent, cum iis, quæ Terram hanc incolunt. Porro cum multa commoda ex ignis uſu nobis proveniant, tantam rem non ſolis telluris incolis, ſed omnibus Planetis, communiter conceſſam eſſe pronunciat. Quod ſi jam de viventibus in Planetis quæratur, an quæ in iſtis naſcuntur, noſtris magnitudine reſpondeant; an vero hæc ipſorum globorum mole natura metiatur, ut v. g. in Jove & Saturno eſſent animalia decies aut quindecies noſtris majora: hac in re quidem reſpondet nihil ſe videre, quod mirum ſit vel fieri nequeat; neque tamen ulla ratione cogi nos, ut re ipſa id ita eſſe credamus, quandoquidem in multis rebus apparet, non iis menſuræ regulis naturam ſe obſtrinxiſſe, quæ noſtra opinione convenientiores videbantur. Cum vero ratio homini eum præcipue in finem data ſit, ut illam in contemplatione Dei operum, culturaque ſcientiarum exerceat, nihil dubitat affirmare, Planetarios illos incolas non tantum ſidera intueri, ſed & Aſtronomiæ ſcientiam, & quæ ei inſerviunt, artes & ſcientias excolere, habereque ſuam ſcribendi artem, ut inventorum memoria ad poſteros propagetur. Ex quibus porro deducit, neceſſario & manus illos habere, vel aliud quoddam, quod vice illarum fungi poſſit membrum, pedes item & erectos oculos vultusque, ac in univerſum plurimas artes inventaque nobiscum communia; quibusdam vero illos carere, quæ tamen multis æque pulchris & admiratione dignis rependantur; ut dubitandum non ſit, quin & formæ, & rerum quas agunt novitate, mirabile, ſupra quam dici poſſit, futurum ſit ſpectaculum, ſi quis Mercurius aut potens genius eo nos deducat. Cujus itineris conficiendi ſpes omnis ademta cum ſit, in ſecundo harum Disquiſitionum libro, qualis rerum cœleſtium facies ſeſe offerat in unoquoque iſtorum globorum vitam agentibus, ſolerter inveſtigat, notato Kircheri Itinere Ecſtatico. Hujus rei in ſolo Mercurio ſufficiet dediſſe ſpecimen. Hic cum triplo propius circiter, quam Tellus noſtra, ad Solem accedat, conſequens

eſt, ut illum triplo quoque majorem conſpiciant ejus incolæ ratione diametri, lumen vero & calorem ejus ſentiant noncuplo quam nos, majorem, nobisque proinde intolerabilem, quique accenſurus ſit ſiccatas herbas, fœnum, ſtramenque, qualia apud nos creſcunt. At nihil impedit, ita comparata eſſe, quæ ibi vivunt animantia, ut optatam temperiem in ardore illo experiantur; herbas vero ea eſſe natura, ut multo majorem vim caloris perferant. Porro oppoſitionum temporibus Venerem & Tellurem præcipuo ſplendore effulgere, neceſſe eſt. Nam cum adeo lucida Venus nobis appareat, quo tempore tenuem naſcentis Lunæ faciem refert, oportet eam ſextuplo amplius clariorem cerni, cum Soli opponitur, ex Mercurii globo pleno orbe ſpectatam, & minore quoque intervallo diſtantem; atque ita tunc non parum dispellere nocturnas tenebras gentibus illis Lunæ auxilio carentibus. Quænam ſint denique apud eos dierum ſpatia, & an varias anni tempeſtates experiantur, incompertum eſt hactenus, quod ignoratur, an axem diurnæ converſionis ad orbem, quo circa Solem defertur, obliquum habeat, & quanto tempore converſio illa peragatur. Neque enim dubitari debet de diebus noctibusque eorum, cum in Tellure, Marte, Jove & Saturno hæc viciſſitudo certo cognoſcatur: anni vero ſpatium vix quartam partem noſtri æquare illic conſtat. Eodem fere modo clariſſimus Auctor Veneris, Martis, Jovis, & Saturni Aſtronomiam perſequitur. De Saturni autem Lunulis agens fatetur, primam cum ſecunda ſibi conſpectas certo ſe affirmare non poſſe, nec tamen Cl. Caſſino vereri fidem adhibere, ſed potius ſuſpicari, præter harum numerum alias adhuc, unam vel plures, latere, detegendas fortaſſe, ubi ad ſigna borea Saturnus revertetur, alteque ſupra horizontem attolletur, ſi Fratris lentes ad teleſcopia pedum 170 & 210 paratæ ſideribus applicentur, quibus majores formæque perfectioris nullas hactenus extare arbitratur. Cæterum de Luna & reliquorum Planetarum comitibus, quæ ejusdem ſunt cum Luna noſtra naturæ, pauciora conjici poſſe profitetur, quia ejus generis Planetam nullum coram intueri contigit; cum in primariis illis aliter hoc ſeſe habeat, quia ejusdem ſunt generis ac Tellus noſtra. Illud equidem in Luna noſtra apparet, plurimis montium tractibus, rurſusque planis intervallis latiſſimis, ſuperficiem ejus eſſe di iſam: ſed marium ſimilitudinem illic nullam (etſi pleriq; contra ſentiunt) reperit celeberrimus Auctor. Nam in

in regionibus planis ingentibus, quæ montoſis multo ſunt obſcuriores, longiori teleſcopio inſpectis, cavitates exiguas ineſſe comperit, rotundas, umbris intus cadentibus, quod maris ſuperficiei convenire nequit; tum & ipſi campi illi latiores non prorſus æquabilem ſuperficiem habent, ſi diligentius eos intueamur. Quocirca maria eſſe non poſſunt, ſed materia conſtare debent minus candicante, quam quæ eſt in partibus aſperioribus, in quibus rurſus quædam vividiori lumine cæteris præcellunt. Nulli quoque fluvii in Luna ineſſe videntur Auctori, qui non effugerent aciem perſpicillorum noſtrorum, ſaltem ſi inter montes aut rupes præaltas, ut noſtri plerique, laberentur: neque etiam nubes, unde pluviæ generarentur ad ſuppeditandum fluviis humorem; quæ ſi eſſent, videremus eas nunc has nunc illas regiones obtegere ac viſui noſtro ſubducere; demum neque aer aut atmoſphæra, qualis Tellurem noſtram ambit, quia ſi quæ talis exiſteret, non poſſet extrema Lunæ ora tam præciſe circumſcripta ſpectari, quam ſubeunte ſtella aliqua ſæpe animadverſa eſt, ſed evanida aliqua luce & veluti lanugine finiretur. Hæc igitur inſignis differentia, quæ Lunam inter Terramque noſtram reperitur, efficit, ut incertior de animantibus & ſtirpibus ei ſit conjectura. Magis tamen probabile putat, ob corporum illorum præſtantiam aliquid in ſuperficie eorum geri, aliquid creſcere & vivere, qualecunque illud tandem ſit, & quantumlibet a rebus noſtris diverſum, cum poſſit forſan ſtirpium & animalium ibi vitam aliud quid aquæ noſtræ diſſimile ſuſtentare; poſſit exiguus humor in terra, non æque ac noſtra aquam combibente, ſufficere radiis Solis, unde rorem educerent, alendis herbis arboribusque idoneum. Porro recenſet, qualis apparitura ſit noſtræ Lunæ indigenis cœlorum conſtitutio, & paulo accuratius æſtimare docet ſyſtematis noſtri amplitudinem, quæ tanta eſt, ut, ſi milliarium numero deſignanda ſit, plusquam 17 milliones, ut vocant, milliarium Germanicorum comprehendat; ſi vero continua celeritas globi ex majore tormento exploſi (quem ſingulis horæ ſcrupulis ſecundis, ſeu arteriæ pulſibus, centum circiter hexapodas conficere, experimentis conſtat) huc adhibeatur, dicendum ſit, illum ſi ex Terra ad Solem tanta illa celeritate globus continue feratur, fere annos 25 eſſe inſumturum, antequam iter hoc peragat; a Jove autem ad Solem 125 annis opus habiturum; a Saturno 250. Accedens inde propius ad Solem, nondum plane

compertum ait, utrum dura an liquida ſit vaſti illius globi materies, etſi propter lucis naturam magis veriſimile ſit liquidam eſſe, quod etiam perfecta rotunditas ejus, lumenque per totam ſuperficiem æquabiliter diffuſum ſuadere videtur: faculæ enim illæ, quas una cum maculis fere omnes celebrant, Auctori noſtro ſunt partes ſuperficiei Solaris, quæ propter macularum viciniam ſplendidiores, quam ſunt, videntur. Quandoquidem autem ſummus Solis calor fervorque eſt, ut nihil omnino noſtrorum corporum ſimile vivere in illo aut momento ſupereſſe poſſit, aliud adhuc genus animantium concipiendum eſſet, longeque ab omni natura eorum, quæ unquam vidimus aut cogitavimus, diverſum. Quod idem fere eſt, ipſo Auctore judice, ac ſi dicamus, nihil hic conjectando conſequi nos poſſe. De Fixis Stellis ita cenſet, illas totidem eſſe Soles proprio lucentes lumine, Sole fortaſſis non minores, & per vaſta cœli ſpatia diſſeminatas, nec hærentes in eadem ſuperficie. Ex quo jam Mundi idea multo major, quam ex antea dictis, naſcitur, ſi quis quamlibet Fixam centrum alicujus ſyſtematis eſſe poſſe recogitet, majoremque hæc admirationem pariunt, ſi quis ſimul diſtantiam illarum & multitudinem perpendat. Quoniam autem, qui definiendi tam vaſti ſpatii, quo Fixæ a nobis ſunt remotæ, rationem inierunt, nihil certi comprehendere potuerunt, propter nimiam obſervationum neceſſariarum ſubtilitatem, quæque omnem diligentiam ſuperat: Hugenius noſter aliam viam inſtitit, ut ſaltem veriſimile quid in re tam ardua conſequeretur. Nimirum tubi duodecempedalis vacui aperturam alteram lamella tenuiſſima, cujus medio inerat foramen tam exiguum, ut lineæ partem duodecimam non ſuperaret, tegendo, ac deinde perforatæ laminæ vitreum globulum minutiſſimum adhibendo, diametrum Solis ita imminuit, ut non majorem, quam Sirius lucem ad oculos mitteret, comperitque, eousque contracto vel eousque remoto Sole, ut diameter ejus ſit $\frac{1}{27664}$ ejus, quam in cœlo intuemur, ſupereſſe illi lucem, quæ Sirii luci non cedat; Solis vero eousque remoti diſtantiam eſſe neceſſario ad eam, quam nunc habet, ut 27664 ad 1, & diametrum paulum excedere 4 ſcrupula tertia. Itaque cum æqualis ei Sirius ponatur, ſequitur Sirii quoque diametrum eſſe totidem ſcrupulorum, diſtantiamque itidem ad eam, qua a Sole abſumus, ut 27664 ad 1. Quod quidem intervallum tantum eſt, ut tormenti globus continua velocitate, quanta emittitur, incedens pene

700000

700000 annos inſumturus ſit, priusquam ad proximas ſtellarum inerrantium perveniat. Ultimo tandem loco ſuam de toto mundi ſyſtemate, quatenus nempe Solibus ſeu ſtellis fixis patet, dicit ſententiam Hugenius, exiſtimans unumquemque Solem circumdari turbine materiæ cœleſtis, diſſimili plane vorticibus Carteſianis, quippe qui circa Solem non convertatur totus in omnes partes, ſed ita, ut variis motibus iisque celerrimis in omne latus, ſecundum diverſas ſui portiones, rapiatur, nec tamen dilabi poſſit propter circumſtantem ætherem, qui non tali nec tam celeri motu agitetur: atque hinc tam Terræ noſtræ, quam cæterorum Planetarum, atque etiam Solis rotunditatem & Planetarum gravitationem in Solem derivat. Ponit autem ſpatia horum vorticum multo quam Carteſius contractiora, ſic eos fere ſtatuens in vaſta cœli profunditate diſperſos, quemadmodum turbines aquæ exiguos hinc inde in ſpatioſo lacu ſtagnove baculi agitatione excitatos, ac magnis intervallis totisque ſtadiis diſtantes, videre licet: & ſicuti horum motus nequaquam ab unis ad alios perveniunt, nec proinde ſeſe mutuo impediunt, ita quoque cœleſtium vorticum motus circum aſtra aut Soles ſe habere exiſtimat, ut nec alii alios deſtruere poſſint, aut abſorbere.

## *STEPHANI RITTANGELII LIBRA VERITATIS ET DE Paſchate Tractatus. Præmiſſa eſt JOHANNIS VAN DER WAEYEN Diſſertatio de Λόγῳ adverſus JOHANNEM CLERICUM.*

Franequeræ, apud Jacobum Horreum, 1698, in 8.
Conſtat plagulis dimidiatis 55.

JOhannes Stephanus Rittangelius, e Judæis quidem genus ducens, ſed Chriſtianorum ſacra ætate jam adulta amplexus, ob ſolidam linguæ & antiquitatum Hebræarum notitiam paſſim apud Eruditos celebratur, qui maximam librorum ab ipſo edendorum partem funeſto quodam caſu ereptam ſibi fuiſſe, non immerito queruntur. Cum enim aliquando ille ex Academia Regiomontana, ubi Orientalium Linguarum Doctor conſtitutus erat publicus, Amſtelodamum tenderet, ut, quæ editioni pararat, opera ibidem imprimenda curaret, medio itinere in prædonum manus incidens, res ſuas omnes capi, libroſque manu deſcriptos lacerari atque diſſipari non citra

citra dolorem vidit, & ex tanto periculo vix ipſe incolumis evaſit. Quo magis autem illa ejus, quibus lucem aſpicere publicam datum fuit, ſcripta lectores ſuos juvarunt atque delectarunt, eo frequentius evolvi iſta contigit. Sed cum ob cupidos emtores dudum inſtructiſſima quoque bibliopolia iis caruerint, de nova aliquorum editione ſolicitum ſe geſſit celeberrimus inter Belgas Theologus, Jo. van der Waeyen, qui ut hac vice duos e deſideratiſſimis exhibet, ſic brevi tertium ejusdem Autoris *de Veritate Religionis Chriſtianæ* agentem ſuperaddet. Et in *Libra* quidem *Veritatis*, qui tractatus primi titulus eſt, cum Anti-Trinitario quodam negotium Rittangelio intercedit, ac per τὸ *Memra Jehovæ*, paraphraſibus Chaldaicis ſæpiſſime uſurpatum, Deitatem Filii Dei, veri Meſſiæ, omnino luculenter adſtrui oſtenditur, plurimaque adverſarii in æternum & per ſe ſubſiſtentem Λόγον valde injurii argumenta ſolidiſſime refelluntur. In altero, quod *de Paſchate* Rittangelius conſcripſit, opuſculo ritus ac mores Judaici, ſequioribus ſeculis in iſtius feſti obſervatione recepti, accurate deſignantur. Congruum autem exiſtimavit is, quem modo laudavimus, Theologus, ut novam hanc editionem acceſſione quadam ſua a prioris libri ſcopo non aliena locupletaret, deque τῷ Λόγῳ Diſſertationem præmitteret. Et Joannem quidem imprimis Clericum vocabulum iſtud ex Platone repetitum, inque religionem illatum fuiſſe, ſibi perſuadentem impugnat, miratus, quod Fauſtum ille Socinum in ea, qua ſic ſtatuerit, Diſſertatione debellaturum ſeſe ſimularit, cum tamen æque ac maxima Doctorum Remonſtrantium pars, Socinianiſmi haud præter rationem ſuſpectus ſit. Egregie namque ad Socini palatum fore cenſet, quod in ſcriptis Moſaicis nihil, quo Meſſias typice præfiguretur, agnoſcat, & varia (quæ Noſter in medium profert,) Pentateuchi loca parum congrue depravet. Porro, quam infeliciter Alogianos impugnet, examinatis ejus argumentis monſtrare ulterius laborat. Temerarium enim Clerici aſſertum dicit, quod Joh. XXI, 24, Epheſina loquatur Eccleſia, cum iſto certe pacto non parum decedat autoritati univerſi hujus ſcripti, quippe quod non uno loco interpolatum eſſe pronum ſit exinde ſuſpicari. Ubi Clericus Juſtinum Martyrem paſſim alludere dicat ad Evangelium Johannis, tanquam ab Apoſtolo conſcriptum, eas ipſum Juſtini locutiones, præſertim, ubi τȣ̃ Λόγȣ mentionem faciat, cum ſelectu tali memorat

rat producere, ut minus a Socinianorum placitis diſcrepare ſanctus ille Pater videatur. Quid? quod & in vertendis ejus verbis parum quandoque deprehendatur accuratus. Deinceps totus eſt in evertenda iſta Clerici opinione, quod, antequam Johannes ſcriberet, variæ voces Platonicæ in religionem (prout ſubobſcure loquatur is, potius enim Sacram Scripturam Noſter vult ſubſtitui,) illatæ fuerint. Atque heic fruſtra monet provocari ad veterum Hæreticorum ſcripta, quæ aut nunquam extiterint, aut dudum certe interierint, imo ſi & extarent amplius, nullum idoneum probandi momentum huc afferre valerent. Sigillatim vocabulum Λόγος a Philone mutuo acceptum, & per Philonem ex ſchola Platonis in religionem translatum, ac deinceps a Johanne, quo ſenſu uſurpari illud poſſet, explicatum fuiſſe, nulla ratione admittit. Nam Philonem Johanni cognitum aut ab eo lectum fuiſſe, vix credendum autumat, nedum ut ejus verba Scholiaſtis inſtar explicaſſe hic dicendus ſit. Imo & Philonem ipſum ex Judæis eorumque doctrina, aut e Scriptura quoque Sacra ea, quæ de rebus divinis tradat, potius, quam e Platone deſumſiſſe, vero cenſet haud abſimile. Quod de fide circa Trinitatem Judæis exoſa, ſed apud Philonem tamen ſatis manifeſte reperiunda dixerat Clericus, ut probaret, hunc non e Judæis ſed ex Platone ſua hauſiſſe, ita comparatum eſſe Noſter judicat, ut prius illud de Judæis duntaxat recentioribus dici poſſit: veteres enim Trinitatis dogma neutiquam ignoraſſe, aut ab eo abhorruiſſe, probat. Dehinc ſingula Philonis loca a Clerico producta percurrit, atque circa ea oſtendit, quam nihil in iisdem deprehendatur, quod non ex Sacris longe doceri luculentius Johannes Evangeliſta potuerit, quodve & Philoni aliunde, quam e Scriptura, innotuerit. Poſteaquam ergo latius evictum dedit, ſuam Clericum ſententiam eo, quo debebat, modo minime probaſſe, ad argumenta ei opponenda pergit, ante omnia altum urgens ſilentium, quod de Λόγȣ vocabulo e Platone depromto obſervetur apud antiquiſſimos, qui aut Philoſophiam Platonicam nimis extollere, aut Chriſtianos ſua ex Philoſophis fuiſſe mutuata obtendere conſueverint; cum tamen nec illi in Platonis laudem, nec hi in Chriſtianorum vituperium iſtud fuiſſent omiſſuri, ſi obſtetricante Philone Johannes vocem Λόγος a Platone accepiſſet. Inſuper alios e ſanctis Patribus adeo acriter Platonem haud vituperaturos fuiſſe monet, ſi voces ejus vir Θεό-

πνευςος tanto in pretio habuiſſet. Præterea jam ante Platonem creberrimum iſtius vocis uſum reperiri aſſerit, nec ſignificatu qualicunque, verum eo, quem & Plato adoptarit; unde eum Platonicum dicere Critici haud ſit. Quin potius ſicut alia plura, ſic vocem quoque Λόγος ab Hebræis ſacrisque Scriptoribus Platonem obtinuiſſe probat. Similiter Philoni ex Scriptura a LXX Interpretibus verſa, prætereaque e Chaldaica paraphraſi, toties totiesque Verbum Dei memorante, eandem innotuiſſe perhibet, eumque alias de myſteriis locuturum ſolicite abigere Philoſophorum nænias præſtigiasve oſtendit, unde nec circa ea, quæ de Λόγῳ tradiderit, quæque omnino myſteriis accenſuerit, ad Platonem eum reſpexiſſe infert. Clerico igitur hoc imputat, quod ex eorum numero ſit, qui ad beatitatem æternam obtinendam myſteriorum religionis Chriſtianæ fidem minus eſſe neceſſariam exiſtiment, ſufficientem putantes eam veritatis cognitionem, quæ absque ulla revelatione, præter eam, quæ omni homini attendenti obtingat, haberi poſſit ab iis quoque, qui Chriſtum non cognoſcant aut profiteantur. Poſita vero illa ſententia, non poſſe non minoris pretii haberi Scripturam ſacram, utpote quæ doceat quidem dogmata ad ſalutem ſcitu & creditu neceſſaria, ſed quorum ſufficientem cognitionem ex ratione etiam naturali gentiumque ſcriptis haurire liceat. Unde facilis Clerico lapſus fuerit in audaciorem criticen, quam modo circa Scriptores Sacros, modo circa eorum ſcripta eum exercuiſſe, exemplis non unis declarat, & ab his reverſus ad Λόγȣ vocabulum, male id a Clerico per *Rationem* reddi contendit, ac Philonem, ubicunque Λόγȣ & creationis mundi meminerit, nunquam de Sermone, ſed ſemper de Ratione tantum cogitaſſe, manifeſto falſum pronunciat. Viciſſim id pro certo habet, quod ſua hac vocabuli præſentis verſione Socinianis opem ferat Clericus; quandoquidem facta Rationis mentio non ſoleat in nobis ciere cogitationem veri ὑφιςαμένȣ ſubſiſtentis, ab eo, cujus ſit, iſto modo diverſi, quo Filius diverſus eſt a Patre & Spiritu Sancto. Quam ipſam ob rem & reliqua, quæ in principio Evangelii Johannis de τῷ Λόγῳ prædicentur, ſatis dilute ac tenui admodum ſenſu exponat Clericus, ejusdem cum Patre æternitatis, naturæ & eſſentiæ Filium eſſe minime credens, quantovis etiam ſtudio mentem ſuam tegere conetur. Tacemus argumenta alia, quibus, quod tantum non manifeſte Socinianis ille faveat, evincere ſatagit. Scripta interim ejus tanti

ti ob id a nonnullis fieri exiſtimat, quod magnopere promoveant profanos hodiernorum hominum conatus, quibus eliminato omni myſterio, Scripturæque dignitate depreſſa, religionem fingant latitudinariam, quæ pauciſſimarum rerum Deum ſpectantium cognitione, & ad rationis humanæ trutinam exactæ qualiscunque moralis doctrinæ praxi contenta, ſecure hoc ævum tranſigere doceat. Se autem Arminianis ſimul oſtendere voluiſſe, cum, quid concoquere poſſint ipſorum anteſignani, tum quid a talibus præceptoribus juventuti ſuæ polliceri valeant. Nec habiturum eorum hodie principem, Limborgium, quod ideo conqueratur: hunc namque haud ita pridem eam ſibi libertatem ſumſiſſe innuit, ut in clariſſimum Burmannum aliosque viros e Reformatis celeberrimos impetuoſe nimis invectus fuerit. Sed præter rem id ab ipſo factum contendit, ac Burmannum præ cæteris ab impacto ei Spinoſiſmo, ſemel huc delatus, operoſe liberat.

*RAYMUNDI VIEUSSENS, MEDICINÆ DOCTORIS MONSPElienſis, Epiſtola de ſanguinis humani cum ſale fixo, ſpiritum acidum ſuggerente, tum volatili, in certa proportione ſanguinis phlegma, ſpiritum ſubrufum ac oleum fœtidum ingrediente, nec non de Bilis uſu ad Facultatem Medicam Lipſienſem perſcripta, una cum hujus Reſponſo.*

Lipſiæ, apud Joh. Ludovicum Gleditſchium, 1698, in 4. plagul. 3.

CUm *Auctor Clariſſimus* ex nonnullis in lucem editis Operibus, quorum *Neurographiam* A. 1685. p. 334, *Tractatus vero de Principiis atque Fermentatione* A. 1688. p. 545. in *Actis* commemoravimus, inſigne ſtipendium annuum præter ſpem apud Magnum Galliarum Regem promeruiſſet, id ſibi negotii credidit ſolum dari, dignus ut tanta tanti Principis liberalitate deprehenderetur, adeoque ſuis porro ſtudiis Ars Medica promoveretur. Quapropter ante omnia in Sanguinis eſſentia, corpuſculorumque fluidum hocce vitale conſtituentium vi atque proportione manifeſtandis, & in peculiari ſcripto, quod propediem cum alio de Temperamentis divulgare conſtituit, explanandis diu hactenus multumque ſudavit; quo fundamentum videlicet acquireret ſolidius, cui amplam accuratamque Morborum internorum

Hiſtoriam, cauſarum & ſymptomatum explicationibus e mechanica corporis humani ſtructura deſumtis, illuſtratam atque multivariis triginta fere annorum in xenedochio Monſpelienſi obſervatis Anatomicis corroboratam, ſuperſtrueret poſtmodum, cum Erudito itidem Orbe communicandam. Attamen prodromi nunc vice præſens prodire jubet Epiſtolium, quo ſanguinis humani non minus ſpiritum acidum, ac ſal volatile, qua videlicet proportione hoc & phlegmati, & ſpiritui ſubrufo, & oleo fœtido, per deſtillationem e ſanguine prolicitis inexiſtat, omnium exponere oculis annititur. Sicut namque Clariſſimus quondam *Craanen* in *Tr. de Homine, c. 7. p. 39.* acidum in ſanguine ex aſſumtis acidis, vel de acido ſaltem participantibus, uti panis ſecalinus cumprimis eſt, colligebat: ita *Noſter* e ſale ſanguinis fixo, quod ceu ſalſum in *Tr. de Principiis c. 22. p. 284.* vel innatum, vel adventitium declaraverat, quodque *Rob. Boyle in Hiſtor. Human. Sangu. Part. 2. p. 45.* ſali communi ſive marino analogum reputaverat, ſpiritum omnino acidum, qualem & alii ex alcali quocunque fixo per olei vitrioli vel arenæ adjectionem eruere conantur, ſiſtit deſtillatum. Nempe, poſtquam quinquaginta libras ſanguinis, in æneo prius vaſe ignis adjumento exſiccati, in fornace figuli per viginti quatuor horas calcinaſſet, ſeu in cineres trium unciarum & drachmarum ſeptem redegiſſet, atque ex his ſalis fixi fere nivei, in morem alcalium cum acidis ſpiritibus efferveſcentis, ſolutionem Mercurii ſublimati præcipitantis ac purpureum ſyrupi violarum colorem cum viridi commutantis, unciam unam obtinuiſſet, ex ſalis ejusmodi fixi drachmis ſeptem ac quadraginta duobus granis, cum tribus circiter unciis boli ſicciſſimæ commixtis, igne reverberii unciam dimidiam cum octodecim granis ſpiritus, ipſo ſpiritu aceti acidioris, ſe deſtillaſſe tradit, qui inſtar aliorum pariter acidorum cum alcalibus fixis & volatilibus ebullierit, atque ſyrupo violarum & tincturæ heliotropii ac malvæ rubedinem conciliarit; e relicto autem capite mortuo drachmas duas extractas fuiſſe cum dimidio & grano uno ſalis fixi, non niſi cum oleo vitrioli efferveſcentis, ſolutionem autem Mercurii ſublimati præcipitantis atque colorem ſyrupi violarum aliquantum prius excalefacti & tincturæ florum malvæ in viridem mutantis. Ne cui tamen ſcrupulus oboriretur, ſpiritum iſtum deſtillatum acidum non tam ſanguini, quam vitriolicis particulis ex æneo vaſe inter exſiccandum avulſis de-

deberi, eundem pariter ſpiritum e fixo ſale, in terreo vaſe exſiccato, ſaltem in minori quantitate prodiiſſe annotat, quod ſtudio acidum omne noluerit educere, utpote obſervaturus, num ſal poſterius omni acido haud privatum, ideoq; in duplo majori quantitate, videlicet ad drachmas quinque reſiduum, vires a priori diſcrepantes exereret; quales nihilominus in tincturæ florum malvæ ac ſpirituum acidorum admiſcela neutiquam apparuerunt diverſæ. Neque ſilendum, ſal puro calentis Solis ardore e ſanguine elicitum ſubrufum multo acrius ſimulque ſenſibiliter acidum extitiſſe, quod acumina illius ſalis a Sole parum, ab igne vero culinari multum hebetentur. Aſt quo cunctorum corpuſculorum, e ſanguine absque ulla eorundem jactura ſeparatorum, exactius ſuo tempore determinari queat proportio, in quantitatem porro ſalis volatilis in ſanguinis phlegmate, ſpiritu ſubrufo & oleo fœtido inquirit, atque poſt varia fruſtraneo ſucceſſu inſtituta tentamina, uncias demum duas phlegmatis grano uno & dimidio ſalis volatilis imprægnari, ſpiritus vero ſubrufi drachmam unam unice phlegma haberi viginti ſeptem granis ſalis volatilis gravidum, in uncia denique una olei fœtidi unciam dimidiam cum drachma dimidia & granis duodecim ſpiritus ſubrufi, nec non grana octo alcali fixi comprehendi, exinde oſtendit, quod unciæ duæ aquæ fontanæ deſtillatæ, ubi in iis granum unum cum dimidio ſalis volatilis ſanguinis fuerit ſolutum, itemque phlegmatis ſanguinis drachma una, poſtquam viginti ſeptem grana ſalis volatilis ſanguinis receperit, eidem moli vel phlegmatis, vel ſpiritus ſubrufi deſtillati, quoad colorem, odorem, alioſque effectus prorſus cernantur ſimiles; olei autem fœtidi uncia una cum tribus unciis boli ſicciſſimæ rite deſtillata, præter drachmam dimidiam cum granis decem phlegmatis limpidi a bolo primum prodeuntem, unciam dimidiam cum dimidia drachma & granis duodecim ſpiritus ſubrufi, ignem extinguentis, ac drachmas duas cum dimidia graniſque viginti & uno olei, cito inflammabilis bilique folliculari analogi, ſuggerat, prout caput mortuum grana octo ſalis fixi nigricantis, promte in aere humido deliqueſcentis & plane alcalici, præbet extrahenda. Tandem, cum in bilis analyſi, tribus circiter abhinc annis inſtituta, primum phlegma ſumme pellucidum, hinc liquorem lacteum, inſtar lactis ipſius candidum & omnis corruptionis expertem, cum aliis corporibus Autor obtinuerit, nonnulla de

bilis addit uſu, a ſulphure bilis, ſale acri-acido leniſſimo gravido ac velut condito, albedinem chyli hujusque in ventriculis cordis fermenteſcendi formamque ſanguinis recipiendi diſpoſitionem deducens, conſequenter fermentum maſſæ ſanguineæ, quod fermenta ejus nativa conſervet, bili acceptum ferens. Quem uſum aliis etiam confirmari experimentis putat, dum unciæ octo aquæ fontanæ, tantillo ſpiritus vitrioli imbutæ, mox, ubi in bilis tepidæ drachmam unam projiciuntur, lacteam fere albedinem contrahunt, majorem adhuc contracturæ, ſi quatuor ſalis abſinthii grana admiſceantur, dumque itidem ex ſufficienti phlegmatis, e pane deſtillati ac volatili acido impraegnati, atque bilis miſcela ſoliditas quædam lactea lacteusq; color emergunt, ſpiritusque panis cum ſale, tum fixo, tum volatili ſanguinis diutius fermenteſcit, quam quivis alius fluor acidus, evidenti argumento, multum in nobis ſalis acidi educi ex pane, una cum acido nitro-aereo ad fermentationem ſanguinis egregie conducens.

Aſt quia omnia, quæ recenſita hucusq; fuerunt, Inclytæ Facultatis Medicæ Lipſienſis ultro exponuntur judicio, hæc in Reſponſione adnexa Herculeos labores, quos in ſpiritu ſanguinis acido deſtillando ac ſalis volatilis in ſanguinis phlegmate, ſpiritu ſubrufo & oleo fœtido proportione determinanda, omnium primus *Autor Cl.* impiger ſubiit, potiſſimum commendat & prædicat, dubia, quæ ipſi circa bilis uſum viſa, non æque ac promiſſorum Opuſculorum editionem urgens.

## *JOH. BERNOULLI THEOREMA UNIVERSALE RECTIFICATIONI Linearum curvarum inſerviens. Nova Parabolarum proprietas. Cubicalis primariæ arcuum menſura &c.*

EXhibui in *Actis anni 1695, pag. 374*, modum generalem: *ad datam quamvis curvam deſcribendi aliam, quarum ſumma vel differentia per arcum circuli ſit menſurabilis*, deductum ex generali illo evolutione condeſcriptarum theoremate, quod poſtea ad alias ſpeculationes viam aperuit celeberrimis Viris *Leibnitio* & *Tſchirnhauſio* in eodem *Act. anno m. Novemb.* Ex eo tempore cogitare cœpi, annon forte alia combinatione curvarum id fieri poſſit per ſolas lineas rectas; ſeu annon ad curvam propoſitam inveniri poſſit alia, quarum ſum-

ſumma vel differentia abſolute rectificabilis exiſtat; nec ſpe vana. Cum enim non ita pridem hæc in mentem redirent, ſequens inſigne theorema ſe mihi obtulit: *ſi poſitis cujusvis curvæ datæ coordinatis* $x$ *&* $y$; *fiat alia curva cujus coordinatæ ſint* $\frac{x\,dy^3}{dx^3}$ *&* $\frac{3x\,dy^2}{2dx^2} - \frac{1}{2}\int\frac{dy^2}{dx}$, *erunt ambæ curvæ genitrix & genita ſimul ſumtæ rectificabiles; facta enim recta quæ ſe habeat ad abſciſſam curvæ datæ x, ut cubus tangentis ad cubum ſubtangentis in eadem curva data, æquabitur hæc recta longitudini curvarum ſimul ſumtarum: id eſt, expreſſione literali adhibita, ſi elementum curvæ datæ vocetur* $dt$, *longitudo ejusdem D, longitudo genitæ G, erit* $D + G = \frac{x\,dt^3}{dx^3}$. *Notandum hic, ſi curva propoſita verſus axem ſit cava & (poſita* $dx$ *conſtante)* $-3x\,ddy$ *ſit majus quam* $dx\,dy$, *tunc differentia curvarum dictæ rectæ æquatur.*

Non opus eſt indicare, qua via, quave analyſi huc pervenerim, calculus foret nimiæ prolixitatis: ſi tamen alicui animus erit aſſerti veritatem explorare, poterit id commodiſſime ſynthetico more præſtare, differentiando ſcilicet aſſignatam hanc ex conſtructione rectam & quod prodit conferendo cum aggregato elementi curvæ genitricis & elementi genitæ, reperiet enim utrobique æqualitatem. Hinc ſive curva propoſita algebraica ſit, ſive tranſcendens primi gradus ſi modo $\frac{dy^2}{dx}$ ſit ſummabile, curva genita tunc ſemper erit algebraica: datur namque algebraicæ ratio $dx$ ad $dy$. Hinc etiam quod incognitum hactenus fuit, & inter rara hujus ſeculi inventa numerari poteſt, ſequitur omnem Parabolam cujusvis gradus aut per ſe aut cum alia alius gradus Parabola conjunctam abſolute eſſe rectificabilem: per ſe, ſi exponens parabolæ ſit $= \frac{1+2p}{p2}$ (per $p$ intelligo quemlibet numerum integrum) cum alia vero generaliter in omni caſu. Eſto enim datæ parabolæ gradus ſeu exponens $n$: dico eam cum alia parabola

bola cujus exponens $= \frac{2n-1}{3n-2}$ junctim admittere rectificationem; qualiscunque etiam ſit numerus *n* ſive fractus ſive integer, ſive ſurdus ſive rationalis ſive affirmativus ſive negativus. Unde pro parabola communi *Archimedea* reperitur parabola cubico biquadratica, id eſt cujus exponens eſt $\frac{3}{4}$, ſeu ubi biquadrata applicatarum ſunt in triplicata ratione abſciſſarum. Hanc vero rectificationem, in quam alia quoq; via particulari incidi, quoniam non poſtremam proprietatem conſtituit hujus ab omni antiquitate decantatiſſimæ curvæ, placet hic plenius exponere.


TAB. XI. Fig. I. Eſto (*Fig. I*) AB parabola communis, ex B agatur normalis BI ſecans axem AI in I; & IM normalis ad BI, occurrens diametro PM in M: reſecetur IK = ſubnormali ſeu ſemiparametro. Deſcripta jam parabola cubico-biquadratica AG, cujus parameter ſit = $3\frac{1}{8}\frac{3}{1}$ param. parabolæ AB, ſumatur abſciſſa AH = tertiæ proportionali ad parametrum ſeu ad duplam IK & ad BK, applicetur que HG. Dico curvam GAB compoſitam ex portionibus parabolicis AG, AB eſſe æqualem lineæ rectæ IM.


Si hæc porro conferantur cum iis, quæ primus inveni pro ſectione arcuum parabolicorum in data ratione, quæque in *nupero Junio* edita habentur, ubi ſimul innui ad arcum quemvis datum parabolæ communis inveniri poſſe ope methodi meæ alium arcum in eadem parabola, ita ut datam habeant differentiam rectificabilem: apparebit facile ratio comparandi quoque arcum parabolæ cubico-biquadraticæ AG, cum arcu vel arcubus quibusdam parabolæ communis. Unde novum emerget inventum meo judicio haudquaquam ſpernendum, quod facem accenderet inſignem ad menſurandam parabolæ longitudinem per meras rectas lineas, ſi modo id poſſibile eſſet: perſpicio quippe arcum AG cum aliquo arcu vel arcubus parabolæ AB, poſſe habere rationem algebraicam. Jam vero aliquis operæ pretium ageret, ſi oſtenderet, arcum AG non cum aliquo tantum, ſed cum ipſo arcu AB comparabilem eſſe; haberet profecto rectificationem curvæ parabolicæ & quadraturam hyperbolæ dudum fruſtra quæſitam: dividenda enim tunc tantum adhuc foret recta IM in ratione inventa, diviſæque hinc una pars arcui AG, altera arcui AB æquaretur. Sed id ipſum quod quadraturæ hyperbolæ impoſſibilitas pro demonſtrata fere habeatur, invictum eſt argumentum, arcus parabolæ cubico-bi-


qua-


TAB. XI. ad A°. 1698. pag. 464. M. Oct.


# Arcus Parabolici inter ſe comparati et Rectificati Auctore Joh. B.



Digitized by Google

quadraticæ cum quibusdam arcubus non cum omnibus parabolæ comparabiles eſſe, inſolitum quidem hoc eſt, ſed tamen verum.

Quod ſi ulterius pergamus, & inquiramus, qualis exponens *n* debeat aſſumi, ita ut genitrix & genita fiant eædem curvæ, oportet æquari *n* cum $\frac{2n-1}{3n-2}$, id quod $n = \frac{1}{3}$: atque eſt ***parabola cubicalis primaria***, quæ cum ſe ipſa comparata rectificari poteſt, ſeu in qua aſſignari poſſunt duo arcus, quorum differentia eſt rectificabilis. Hic ergo incidimus quaſi fortuito in perelegantem hujus famoſiſſimæ curvæ alias irrectificabilis proprietatem, quod inventum alteri illi *Heuratiano*, ſeu prout *Walliſius* contendit, *Neliano*, quo primum parabola cubicalis ſecundaria rectificari cœpit, nobilitate non modo non cedit, ſed multis paraſangis præcellit, ſi id æſtimare velimus ex difficultate eruendi; vileſcit enim hoc & deſiit eſſe novum, ex quo methodi infiniteſimales inclaruere, cum earum nulla ſit quæ non immediate & facillime hujus curvæ parabolicæ ſecundariæ rectificationem exhibeat, & vel primo mentis obtutu. Noſtra vero primaria poſtquam omnes Geometrarum ejus dimenſionem quærentium ſudores & labores hactenus eluſit, nobis in tantum obſecundavit, ut arcuum ſuorum differentia menſuram rectis lineis algebraice determinabilem a nobis acciperet. Nec video, qua alia via, quam hic præſcripta, ad hujus cognitionem perveniri potuiſſet. Egregiam adeoque habuiſſem occaſionem, ſi ſuppreſſa methodo, aliis idem problematice proponendo vanæ gloriolæ litare voluiſſem: ſed malui publicæ quam propriæ utilitati proſpicere, exponendo inventum ſine pompa. In vulgari parabola conica eandem rem præſtiti, ut ſupra dixi: illud autem cum ex nuda attentione ad hyperbolam ultro fluat, præ hoc novo nihili facio. Sit itaque Parabola cubicalis primaria A B C, in qua arcus expoſitus BC, (*Fig. II*) a punctis B et C ducantur applicatæ B F, C G: ſumatur A I æqualis tertiæ proportionali ad vigecuplam ſeptuplam A F, & ad parametrum parabolæ; fiatque ut A G ad A F, ita A I ad A H; ad puncta I & H ductæ applicatæ I E, H D reſecabunt arcum D E, qui ablatus ex arcu B C relinquet differentiam rectilinearem, quæ ita invenitur: duc tangentes C P, B K occurrentes A P normali ad axem in punctis P, K; ex quibus age axi parallelas P N, K L quæ ſecent normales ad curvam C N, B L, in N, L; erige perpendiculares N O, L M, tangen- TAB. XI. Fig. 2.

 ti-

tibus productis occurrentes in O, M. Dico differentiam rectarum OP, MK eſſe æqualem differentiæ arcuum parabolicorum CB, ED.

## *EJUSDEM ANNOTATA IN SOLUTIONES FRATERnas problematum quorundam ſuorum, editas proximo Actorum Majo.*

SI problemata ſubinde Eruditis propono, ſcopus mihi non eſt aliorum capacitatem tentandi, ſed unice, ut ingenia excitentur, novumque capiant incrementum ſcientiæ; unde & ego delectamentum habeo, quando præſertim ſolutiones in lucem prodeuntes cum meis conſpirare deprehendo. Eorum quæ partim in *Hiſce Actis*, partim quoque in *Ephemeridibus Pariſ.* quondam propoſui, nunc demum nonnulla a *Fratre* ſoluta *Actorum menſis Majus* exhibet. Gaudium, fateor, non leve mihi attulit conſenſus, quem animadvertere potui ſolutionum *Fraternas* inter measque; & perfectum fuiſſet omnino, ſi modo in generalitate quoque meis reſpondiſſent. Non igitur abs re puto, ſi hic paucis & omni qua poſſum modeſtia recenſuero, quid ad perfectionem omnimodam ſolutionum *Fraternarum* deſiderem.

Et quidem pag. 227 Demonſtrationem ſyntheticam affert problematis de infinitis cycloidibus; ſed pro ſimpliciſſimo duntaxat caſu, quando ſc. recta poſitione data verticalis eſt. Optaſſem interim generalem pro omni recta poſitione data, imo etiam pro curva, exhibuiſſet meæ ſimilem, qua non modo a puncto ad punctum iter breviſſimum cycloidem eſſe, ſed & ſimul a puncto ad lineam non tantum verticalẽ, non tantum rectam, ſed utcunq curvam, deſcenſum breviſſimum vel interdum longiſſimũ peragi per cycloidem lineæ datæ perpendicularem, breviter, perſpicue, directe & ſynthetice demonſtro, quam omnes, quotquot ſunt quibus communicavi, ſummopere laudarunt & approbarunt; & nuper tantum Ampliſſimus & Generoſiſſimus Dn. *Dierquens* Præſes in ſuprema Curia Brabantina quæ Hagæ eſt, Vir acerrimi judicii & in his ſtudiis verſatiſſimus, una cum Filio Nobiliſſimo, Mathematico pariter ingenioſo; quemadmodum ex ipſorum literis ad me non ſine delectamento intellexi. Hæc vero mea demonſtratio ſynthetica quæ non in *Galileana* tantum, ſed in omni alia hypotheſi ſuccedit, jam initio ſtatim lucem publicam aſpexiſſet, niſi ſuaſu

ce-

celeberrimi *Leibnitii* eam etiamnum ſuppreſſam tenerem, ut jam alibi memini me monuiſſe: eo enim tempore, quo incidi in problema de celerrimo deſcenſu, jam adinveni hanc demonſtrationem.

Cæterum ſi verum eſt, *Fratrem* celerrimum deſcenſum ad rectam poſitione datam non ſolum in cycloidibus ſed & in omnibus curvis ſimilibus determinare poſſe, vel potius tum temporis potuiſſe, cum hoc problema proponeret, ſcire valde geſtio, quid illa verba ſibi velint, in quæ erumpit: *Qui methodum de maximis & minimis promovere volet, tentabit. Nobis ſufficiet propoſuiſſe*: De circulis & parabolis loquens, quæ utique etiam ſunt curvæ ſimiles; qui dicit ſibi ſufficere propoſuiſſe, tantundem eſt ac diceret ſe non ſolviſſe, imo difficultate quaſi deterritum ne tentaſſe quidem. Quicquid ſit, longe majus quid præſtitiſſet, ſi ſolviſſet quoque in curvis diſſimilibus: tentet & videbit immenſam difficultatem, & vel in ſolis ellipſibus ſuper eodem axe extructis, quod jam nonnemini propoſui: meus ſolvendi modus eo pertingit. Nec minus rem ſpinis obſitam ſentiet, ſi reliqua duo exempla, quæ ſine demonſtratione ſubnectit, a circulis & curvis ſimilibus ad quasvis diſſimiles transferre voluerit. Cum hic ſermo ſit de demonſtratione ſynthetica, Lectorem B. monitum volo, in illa altera affinitate juncta, quæ noviſſimo menſe Junio prodiit, ubi tautochroniſmum *Hugenianum* quam ſimpliciſſime demonſtro, irrepſiſſe ſphalma quod ſic corrigendum: pag. 267, l. 29 & 30 pro ATq. HNq : : DTq. DNq pone √AT. √HN : : √DT. √DN.

Tranſeo jam ad ſolutiones problematum meorum in *Ephem. Gall. m. Aug. 1697* propoſitorum. Quod primum concernit, conqueritur ſtatim *Frater* de ambiguitate in voce *geometrice*: cum tamen jam nemo neſciat, non mihi ſoli dudum, ſed etiam acutiſſimo *Leibnitio* imo & ipſi *Fratri*, geometricum eſſe quicquid geometrica lege peragitur, ſeu quicquid per æquationem ſive algebraicam ſive tranſcendentem determinari poteſt. Non nego, potuiſſem plane omittere hoc vocabulum, quippe quod per ſe ſubintelligitur; id tamen conſulto adjeci, ut ſimul excluderem conſtructionem quandam ſimpliciſſimam, generaliſſimam & facillimã, quam prævideram dari poſſe, ſed quæ mechanica eſt: *Extendendo ſcilicet filum per ſuperficiem convexam ab uno dato puncto ad alterum, illudque firmiter aſtringendo: capiet enim hoc pacto ſitum breviſſimum inter utrumque punctum.* Volebam itaque evita-

re ambiguitatem, excludendo ſtatim quod mechanicum eſt : tantum abeſt ut illam affectaverim. Videat hinc *Frater*, annon *Illuſtriſſimo Marchioni Hoſpitalio* rem forte gratiorem feciſſet, abſtinendo verbis blandiuſculis (quibus viri generoſi parum delectantur) quaſi ille hoc problema ob dictam ambiguitatem neglexerit. Ipſe haud dicet, ſe neglexiſſe, imo maxime ſe ei applicuit, ut ex ipſius ejus litteris ad me datis habeo, ſed de nulla tali ambiguitate conqueſtus eſt, quia optime genuinum ſenſum problematis intellexit, quandoquidem ſe problema de ſuperficie curva in ſuperficiem planam reduxiſſe mihi ſignificavit. Quod vero ei res non omnino ex voto ceſſerit, indicium eſt, majorem in hoc negotio difficultatem præſenſiſſe, quam ut una generali æquatione (ut *Frater* ſe feciſſe putat,) problema in omni ſua extenſione complecti liceat. Quid interim? ſi retorquerem & dicerem, Illuſtriſſimum Virum, qui pariter unius tantum problematum *Fraternorum* ſolutionem de celerrimo deſcenſu ad lineam verticalem exhibuit, alterum de Iſoperimetris ob ambiguitatem & obſcuritatem propoſitionis (ut fere neſciam an unum an plura contineat problemata) noluiſſe attingere.

Ut redeam ad ſolutionem Fraternam lineæ ducendæ breviſſimæ in ſuperficie conoidea, eam legitimam agnoſco, & gaudeo Fratrem hac in parte mecum concurriſſe: ſed patiatur ut dicam, ex infinitis caſibus vix unum eſſe quem ſolverit, eumque faciIlimum, adeo ut immane quantum adhuc pro generali ſolutione deſideretur. Fundamentum, quo forte *Frater* uſus eſt, in eo conſiſtit, quod differentia duorum angulorum, quos facit linea quæſita cum duobus quibusve meridianis proximis in ſuperficie conoidis vel ſphæroidis ductis, debeat eſſe æqualis angulo quem comprehendunt duæ in ipſis punctis interſectionum tangentes meridianos, & in axe conoidis vel ſphæroidis concurrentes. Sed quam parum hoc eſt! valet enim vix ac ne vix quidem in conoidibus & ſphæroidibus, & quidem baſium circularium, ſed neque in his omnibus: oportet inſuper axem rectum eſſe ad baſin; at vero quot ſunt conoides, quot ſphæroides, quarum axis eſt obliquus? quot ſunt iterum quarum baſes non ſunt circulares? Vellem itaque reſtringeret verba ſua, quando dicit, *Problema in omnibus pariter conoidibus & ſphæroidibus, æque ac in cono cylindrove eſſe facillimum*, ad illas tantum quæ ſunt rectæ & circulares. Præterea ſi conſideremus multit-

titudinem & varietatem infinitam ſuperficierum curvarum, quæ plane non ſunt conoides nec ſphæroides, fateri oportet, rem eſſe exigui momenti, quod in conoidibus & ſphæroidibus præſtitum, præ eo quod a *Fratri* præſtandum ſupereſt. Heic igitur me feciſſe aliquid puto, quod repererim viam generalem perveniendi ad æquationem pro quavis ſuperficie curva data, ſit conoidica, ſit non conoidica; quam *Fratri* indagandam relinquo, ut tempus habeat ſuam perficiendi & problemati ex aſſe ſatisfaciendi.

In cono quovis obliquo, pro quo & quidem tantum recto prolixiſſimam conſtructionem exhibet, & tamen non docet, quomodo linea inventa per data duo puncta ducenda ſit, pauciſſimis verbis ſine ſchemate ita rem expedio: Ductis a duobus punctis datis ad verticem coni duabus rectis, fiant in plano duæ aliæ rectæ ipſis æquales & angulum comprehendentes æqualem angulo ſuperficiei conicæ contento duabus iſtis rectis in cono ductis: conjungantur rectâ extremitates duarum rectarum in plano, quam ſecet alia recta utcunque ex angulo plani ducta, diſtantiam interſectionis transfer a vertice coni in ſuperficiem conicam, ita ut cum prioribus rectis faciat in ſuperficie conica angulos æquales angulis quos facit cum lineis in plano ductis; dico punctum illud in quod diſtantia cadit in ſuperficie conica, fore in linea breviſſima, quæ interjacet inter duo puncta data. Suppono hic angulos ſuperficiei conicæ circa verticem comparabiles eſſe, vel æquales aſſumi poſſe angulis planis: quod quomodo faciendum, jam *Barrovius* docuit.

Non eſt quod diu immorer cæteris problematum ſolutionibus: meas jam ante annum *illuſtriſſimo Hoſpitalio* communicavi, quæ quodammodo ſimpliciores ſunt. Sed hoc monitum duntaxat cupio, quod tunc ſtatim etiam in literis ad *Dn. Marchionem* innui, me per curvas ejusdem ſpeciei non intellexiſſe curvas ſimiles tantum, ſed curvas quascunque certa lege deſcriptas, ſeu ut termino *Leibnitiano* utar, *ordine & poſitione datas*: alias ſi mens mea de ſimilibus tantum fuiſſet, id diſerte dixiſſem, quemadmodum non diu poſt feci in iisdem *Ephem. men. Decemb.* ubi pag. 463 ſeqq. illas expreſſe voco curvas *ſimiles & ſimiliter poſitas*. Quod autem in exemplum dederim Parabolas quæ utique ſunt curvæ ſimiles, id ipſum oſtendit quod tunc de ſimilitudine curvarum ne ſomniaverim quidem, alias certe non para-

bolas ſed alias curvas diſſimiles exempli loco propoſuiſſem: noſtra enim methodus ad omnes ſe extendit, quacunque lege datas. Aſt tantum diſcrimen comperiet *Frater* inter ſimiles & diſſimiles curvas, ut ſi problema denuo tentare lubeat, non dubitem, quin ſit agniturus, ſe poſtquam hoc problema pro ſpeciali iſto caſu ſolvit, ne unguem latum promoviſſe generaliter conceptum pro quibusvis ordinatim poſitione datis; quod quam abſtruſæ ſit indaginis patebit ipſi, ſi in probl. 4 & 5 loco parabolarum ſubſtituere velit easdem illas ellipſes, quæ in præcedentibus duobus exempli loco inſervierunt: dico exempli loco, ſolvitur enim pariter per noſtram methodum in omnibus aliis curvis.

Superſunt notanda quædam circa lineas quas vocabo Trajectorias, quæ alias ordinatim datas normaliter vel in angulo quovis dato ſeu etiam data lege variante trajiciunt. Diu adeo eſt, quod hanc materiam ſepoſuerim, quam niſi fallor primus in lucem protraxi, ut difficulter in mentem revocem. Cum vero aliquot exempla proferat *Frater* curvarum algebraicarum, quæ jam quatuor abhinc annis celeberrimo *Leibnitio* in privatis ad ipſum literis ſoluta dedi: placet hic excerpere quæ tum ſcripſeram in literis d. 2 Septemb. 1694. „Aliud „jam pridem etiam mihi conſideratum problema non minus elegans „quam utile, ob affinitatem quam cum hiſce (*curvis alias poſitione da*„*tas tangentibus*) habet proponam: Datis nempe infinitis curvis po„ſitione, invenire curvam quæ omnes ad angulos rectos ſecat, vel ut „Tuis verbis utar, *Lineis propoſitam normaliter ſecantibus poſitione or*„*dinatim datis, invenire propoſitam*. Si poſitione ordinatim datæ ſint „parabolæ *cujusvis gradus*, eundem axem & eundem verticem ſed pa„rametros variabiles habentes, curva optata erit Ellipſis: ſi poſitione „ordinatim datæ ſint parabolæ eædem eundem axem ſed variabiles „vertices habentes, curva quæſita erit logarithmica vulgaris: ſic in „quovis exemplo peculiari rem facile expedire poſſem, Tibi autem „difficile non erit generales pro hoc excogitare regulas. Cæterum „hoc problema inſignem uſum præſtat in determinanda curvatura „radiorum lucis per medium inæqualiter denſum tranſeuntium juxta „hypotheſin *Hugenii*, ſiquidem radius nihil aliud ſit quam linea un„dulationes ad angulos rectos ſecans. Poſſet præſens problema adhuc „latius extendi, nempe ſic: *Lineis propoſitam ad angulum datum ſecan*„*tibus poſitione ordinatim datis, invenire propoſitam*, ſi lineæ da-

„ tæ ſint rectæ in puncto coeuntes, curva quæſita ( ceu manifeſtum eſt)
„ erit Loxodromica plana &c.

Hiſce vir ſagaciſſimus in hunc modum reſpondit, in literis ad me datis $\frac{6}{16}$ Decemb. 1694, quod lubens huc refero, ut appareat quan-
„ tum & ille jam tum fecerit. Methodus, *inquit*, inveniendi curvam
„ quæ ordinatim poſitione datis occurrat ad angulos rectos, meo ju-
„ dicio conſiſtit in duabus æquationibus, una continente relationem
„ inter $x$, $y$ & conſtantem quandam in curva poſitione data, ſed pro di-
„ verſis talibus ordinatim datis variabilem $b$; altera continente valo-
„ rem ipſius $dy : dx$ in curva quæſita, expreſſum ex proprietate per-
„ pendicularium in curva poſitione data, cujus æquationis ope datur
„ ipſius $b$ valor per $dy$, $dx$, $y$, $x$, pro re nata; quarum duarum æqua-
„ tionum ope tollendo $b$, habetur æquatio differentialis primi gradus
„ pro relatione inter $x$, & $y$. Sic ſi poſitione ordinatim datæ ſint para-
„ bolæ verticis communis, quarum ſemiparametri $b$ fiet æqu. $2bx =$
„ $yy$ jam ex conditione problematis, ſeu perpendicularitate ad para-
„ bolam fit $b = -ydx : dy$, unde tollendo $b$ fit $-2xydx =$
„ $yydy$; ſeu ſummando $aa - xx = \frac{1}{2}yy$, quæ utique eſt ad ellipſin,
„ & ſatisfaciunt Ellipſes infinitæ. Et has ordinatim poſitione datas
„ manifeſtum eſt viciſſim a parabola unaquaque normaliter ſecari.
„ Cæterum præclare a te notatum eſt, hoc problema uſum habere in
„ Dioptricis, pro curvatura radii in medio continue variante: nihil
„ potuit dici aptius, &c.

Allata ſufficiant ad oſtendendum, methodum ad æquationem perveniendi non in uno alterove tantum exemplo algebraicarum ſed in omnibus, dudum nobis fuiſſe familiarem: ſed quoniam in traſcendentibus non ſuccedit niſi in ſimilibus, ut in cycloidibus, vel etiam in illis, quæ ad unam conſtantem reduci poſſunt, ut in logarithmicis; illam velut inſufficientem neglexi, nec quam excolerem dignatus ſum: alia itaq; excogitanda erat, quæ generalis eſſet, & ad quascunque ordinatim poſitione datas tranſcendentes æque ac algebraicas porrigeretur. Hanc autem poſtquam acutiſſ. *Leibnitius*, occaſione eorum quæ ipſi ſuper hac affinique materia communicaveram, ipſe novam differentialis calculi applicationem perutilem ſane inveniſſet, mecumque viciſſim communicaſſet, de qua hactenus nihil in publicum conſtat, hanc inquam quam optaveram methodum gene-

ralem

ralem ſecandi ordinatim poſitione datas ſive algebraicas ſive transcendentes, in angulo recto ſive obliquo, invariabili ſeu data lege variabili, tandem ex voto erui, cui *Leibnitio* approbatore ne γρῦ addi poſſet ad ulteriorem perfectionem, & vel ideo tantum quod perpetuo ad æquationem deducat, in qua ſi interdum indeterminatæ ſunt inſeparabiles, methodus non ideo imperfectior eſt, non enim hujus ſed alius eſt methodi indeterminatas ſeparare. Rogamus itaque *Fratrem*, ut velit ſuas quoque vires exercere in re tanti momenti. Suſcepti laboris non pœnitebit, ſi felix ſucceſſus fructu jucundo compenſaverit; ſcio relicturum ſuum quem nunc fovet modum, qui in paucisſimis tantum exemplis adhiberi poteſt, ut modo ſupra dixi.

Quod interim ſpectat peculiarem illum caſum, quem in *Actis* propoſui, ubi ſcilicet quæritur *Trajectoria omnes Logarithmicas ſuper eodem axe & per idem punctum ductas normaliter trajiciens*: en excerpta ex literis meis ad prælaud. *Leibnitium* jam ante biennium datis, die puta 27 Octob. 1696, quæ ſingularem exhibent ſolvendi modum per æquationem *exponentialem*, ſeu ut ego voco *percurrentem*: Eſto

TAB. XI. Fig. 3.

„(*Fig. III*) AB axis communis omnium logarithmicarum CD, Cd „ex puncto C eductarum: determinanda eſt curva Dd, omnibus „CD, Cd normalis. Poſitis coordinatis AB, BD; $x$, $y$ & CA, $a$: Concipiatur ad lubitum determinata quædam logarithmica CE, ad „quam cæteræ referendæ ſunt; ſit illa facilioris calculi gratia talis; ut „ipſius ſubtangens ſit æqualis ipſi CA ſeu $a$. Jam ex puncto quovis cur„væ quæſitæ D, ductam intellige DE parallelam BA, quæ ſecet aſſum„tam logarithmicam in E, ex quo ſi ducatur EF, deſignabit AF lo„garithmum ipſius EF, ſeu DB, ſeu $y$. Nunc ob normalitatem Dd „ad CD erit generaliter $dx. - dy :: BD. BG$, ſubperpendicula„rem curvæ Dd, ideoque $BG = \frac{-ydy}{dx}$. Eſt autem ex proprietate „logarithmicarum ſubtangens logarithmicæ CE ad ſubtangentem „logarithmicæ CD, id eſt CA ad BG ut AF ad AB, quod hanc ſuppe„ditat proportionem $adx. - ydy :: ly. x$, unde habetur $axdx =$ „$- ylydy$; poteſt autem $-ylydy$ ſummari, prout jam olim ad Te „ſcripſiſſe memini, hoc pacto $-ylydy = -ylydy - \frac{1}{2}yydly + \frac{1}{2}aydy$ (quia $dly = \frac{ady}{y}$) ſumtis itaque ſummis per partes, erit

ſ-

„ $\int -y\,ly\,dy = -\frac{1}{2}yy\,ly + \frac{1}{4}ayy$ & per conſequens $= \frac{1}{2}axx$, id
„ eſt $x = y\sqrt{\frac{a-2ly}{2a}}$. Vel ſi mavis æquationem percurrentem: ſit
„ $b$ numerus ipſius $a$ ſeu $lb = a$, tunc erit $2yy\,ly = yy\,lb - 2xx\,lb$
„ adeoque $y^{2yy} = b^{yy-2xx}$ vel etiam $b^{2xx}\,y^{2yy} = b^{yy}$ &c.

Haud difficilius alter caſus logarithmicarum, cujus conſtructionem dat *Frater* §. 4, ad æquationem percurrentem reduci poteſt. Ut & ſi quæreretur Trajectoria normaliter ſecans omnes omnium graduum parabolas ejusdem parametri, verticis, & axis; haberetur enim pro natura curvæ $a^{yy+xx} = x^{2xx}\,y^{2yy}$. Quapropter videſis quæ ſcripſi de Exponentialibus anno ſuperiori menſe Martio.

Videamus autem, quomodo tandem *Frater* diſcurſum claudat. En expoſitis omnibus ſuis ſolutionibus & conſtructionibus, poſtremo duos caſus aliis ſolvendos proponit, quos hactenus inexploratos dicit, ſuisque adeo methodis impervios & deſperatos: ſunt autem hi. *Quæritur curva, quæ omnes parabolas ſuper eodem axe extructas, lateraque ſua recta reſpectivis verticum a puncto fixo diſtantiis æqualia habentes, ad rectos angulos trajicit;* item: *Quæritur curva, quæ parabolam aut aliam datam curvam ſuper plano ſuo circa datum punctum in orbem converſam in angulo dato ſecat.* Gaudeo mihi anſam hic dari, qua ipſius methodo ſubvenire poſſim. Ecce ſolutionem utriusque. Pro primo; ſit A punctum fixum (*Fig. II*) A B axis communis parabolarum B C, quarum parametri ſeu latera recta diſtantiis A B æqualia: ſuper axe B A producto fac logarithmicam F G pro arbitrio, cujus ſubtangens vocetur $a$: ſuper A H normali ad AB, deſcribe curvam AE cujus applicata H E (poſita abſciſſa AH $= Z$) ſit $= \int \frac{a^3dz + 4azzdz}{aaz - 6z^3}$: quo facto agatur utcunque GE parallela ipſi A H, ſecans curvas in G, E, & axem in D: ſume D I, quæ ſit ad D E, ut DG ad ſubtangentem logarithmicæ; ex I ducatur axi parallela I C, occurrens parabolæ deſcriptæ parametro A B æquali ipſi D G; dico punctum occurſus C fore in trajectoria quæſita C K, quæ omnes parabolas ut B C normaliter trajiciet.

TAB. XI. Fig. 4.

Alterum, quo quæritur *Trajectoria datam quamvis curvam in ſuo plano circa datum punctum in gyrum verſam in dato angulo con-*

*ſtanter ſecans*: ita conſtruo. Sit punctum ſeu centrum rotationis C, ex quo deſcribatur circulus AGH, (*Fig. V*) aſſumaturque punctum A pro initio rotationis, ipſa vero curva data circa C rotanda ſit BF: ex cujus puncto quovis B ducatur ad C recta BC, & ad hanc normalis CD, occurrens tangenti BD in D. Vocentur radius circuli ſeu ſinus totus, *a*; ſinus anguli dati, *b*; ſinus complementi, *c*; CB, *y*; CD, *r*; BD, *t*; (nota quod *r* & *t* dentur per *y*) ſumatur jam arcus AG $= \int \frac{a^3ry \pm abctt}{bbtty - aay^3} dy$, & ex radio CG abſcindatur $C\beta = CB$; dico punctum $\beta$ eſſe in trajectoria quæſita $\beta M$, quæ curvam datam BF circa C converſam in quovis ſitu $\beta\varphi$, ſecabit in angulo dato $M\beta\varphi$: qui ſi rectus ſit, conſtructio evadit ſimpliciſſima, tunc enim ſumendus eſt arcus AG $= \int \frac{a\,dy}{r}$. Hujus demonſtrationem non addo, quoniam evidens & cuivis obvia eſt.

TAB. XI. Fig. 5.

*FRIDERICI KRAUSOLDI IU. D. ET CONSILIARII Aulici Saxo-Martisburgenſis Tractatus Juridico-Politicus de Miraculis & egregiis Uſibus S. Raſpini, i. e. Ergaſteriorum publicorum.*

Martisburgi, impenſis Georgii Forbergeri, 1698. in 4.
Conſt. 1. Alph.

PEr Diſcurſum hunc præliminarem, quem tractatus magis robuſtus proxime excipiet, tale ſibi argumentum Auctor Magnificus excutiendum propoſuit, quod ex Juriſprudentia Deliberativa, prout appellari conſuevit, petitum, & pœnarum quarundam abrogationem, prævio convenientioris pœnæ conſilio, ſerio ſuadet, inſtantiſſimeque hortatur. Poſtquam enim in medium producta eſſet quæſtio: *utrum Imperio Romano-Germanico conſultius ſit atque tutius, ad fures potiſſimum cæterosq; maleferiatos homines coercendos, famoſam pœnarum trigam, ſuſpenſionem videlicet, fuſtigationem, & relegationem retinere? an vero in iſtarum pœnarum locum, Ergaſteriorum diſciplinarium uſum ſeu damnationem ad opus publicum ſubſtituere expediat?* poſterior ex his ſententia voto promptiſſimo recipitur. Ut autem Ergaſterii vox mollior aliquanto evadat, iſtius vice jocoſo ſub commento S. Raſpinus ſubſtituitur, tali titulo conſpicuus, quod ſit *Carcer publicus ſum-*

*ſummi Magiſtratus authoritate conſtitutus, in quem immorigeri utriusq; ſexus hunc in finem includuntur, ut ibidem vinculis onuſti, nonnunquam etiam pro qualitate delicti ab iis ſoluti manere, pœnitentialem veſtem induere, tenui victu vivere, diurnos & eos quidem pro cujuscunque ingenio viribusque graviſſimos labores exantlare, & vitam ſecundum ſtatuta loci ita componere tenentur, ut ſi ſecus fecerint, jam verborum increpationes, jam verbera, jam famem, jam alios corporis cruciatus ſuſtineant, tamdiu in hac miſera ſtatione manſuri, donec emendatioris vitæ ſigna producant, idque omne in honorem Dei, tranquillitatem Reipublicæ, propriamque immorigerorum ſalutem.*

Ne vero hoc coercitionis genus anterioribus, quas modo nominavimus, pœnis temere prælatum fuiſſe quis arbitretur; primum ſeorſim circa ſuſpendium, fuſtigationem & relegationem, origo, indoles & ſucceſſus, imo incommoda potius & damna, quæ ex pœnæ cujusque irrogatione experientia evidentiſſime demonſtrat, diſtincte enarrantur. Sub eadem quidem methodo & ergaſterii delineatio procedit; diverſitas tamen, quæ illi cum altero coercitionis genere intercedit, tacite quodammodo inſinuatur, ut haud difficulter appareat, quam ſobria ſint ac certa & ſecura hujus cenſuræ media. Eam ob cauſam in conſpectum prodeunt bis ſeptem caſtigationis modi in ergaſterio conjunctim obvii, ut ſunt vitæ ſolitudo, ſqualor carceris, vinculorum aſperitas, durities laborum, & ſimiles ex definitione allata facile noſcendi, quorum conditio totidem paragraphis ſub adeo luculenta deſcriptione, variorumque teſtimoniorum & exemplorum inductione exponitur, ut facile quis in eam trahatur ſententiam, coercitionem iſtam ſic comparatam eſſe, ut nequiſſimi & indomitæ cervicis homines ſucceſſive ſi non ad frugem perfecte bonam, ad reſipiſcentiam tamen aliquam & innoxiam animi quietem, cum præſentiſſimo reipublicæ commodo, reduci queant. Separatim hactenus pœnarum, quæ hic excutiuntur, origo, indoles & uſus in disquiſitionem venerunt: conjunctim dehinc & comparate magis pœnæ iſtæ committuntur, dum circa fines potiores, quos pœnæ reſpicere debent, quales ſunt, emendatio delinquentis, mali retributio, & exemplum quo cæteri deterreantur, certamen de prærogativa promerenda inter has pœnarum ſectas acerrime continuatur. Veruntamen & in hoc congreſſu ergaſterii cauſa ſuperior evadit, ut adeo negotium

prorſus confectum videatur. Licet autem improbis tantummodo ergaſteria ſint metuenda; per inopinatam tamen cataſtrophen & boni omnes ac pii ergaſterio mancipantur. Iſtud ipſum etenim epilogi argumentum eſt, quo devote pariter ac erudite diſſeritur, vitam noſtram ærumnis & miſeriis eſſe pleniſſimam, ut ab ergaſterii diſciplina parum abeſſe videamur, ſive vitæ ingreſſum, ſive ejus progresſum, & egreſſum denique ſpectare, imo potius, ut par eſt, attente perpendere velimus.

## APOLOGIE DE L' AMOUR &c.

i. e.

*APOLOGIA PRO AMORE QUO DEUM SOLUM VERE DEſideramus posſidere, ut felicitatem noſtram in cognitione & amore ejus conſequamur: cum Animadverſionibus graviſſimis in Principia Regulasque a Dn. Archiepiſcopo Cameracenſi ſtatuminatas &c.*

Amſtelodami, apud Steph. Roger, 1698. in 8. Alph. 1. pl. 2.

QUi Theologiam Myſticam & ex ea prognatum Quietismum ex ipſis Romano-Catholicis impugnare ſcriptis inſtituunt, hanc plerumque ingredi viam ſolent, ut quæ ex doctrina de *amore puro* conſequantur a ratione & Eccleſiæ doctrina aliena demonſtrent. Quo ipſo, judice libri, quem nunc ſiſtimus, Auctore, ambages atque anfractus varios evitare nequeunt, cum ad ſingulorum errorum examen illis ſit deſcendendum; ſimulque adverſariis ſuis ſubinde occaſionem conquerendi ſuppeditent, quod ejusmodi ſibi tribuantur placita, quæ nunquam docuerint. Hæc incommoda non tantum declinari facile, ſed & unico ictu proſterni Quietismum, ejusque fundamenta convelli poſſe exiſtimat, ſi clare & perſpicue demonſtretur, quæ illorum animis obverſatur de amore Dei perfecto ſive puro ideam, nihil aliud niſi monſtrum, merumque mentis ludibrium eſſe; contra vero ſincerum deſiderium Deum ſolum poſſidendi, ut per ejus cognitionem & amorem felices reddamur, pro perfecto veroque Dei amore eſſe reputandum. Atque iſtud quidem in hoc opere probare luculenter, ſimulque manifeſtum facere, quam lubricis fundamentis doctrina Archiepiſcopi Cameracenſis innitatur, ſecum conſtituit.

De

De natura itaque amoris generatim exponere, e re ſua eſſe exiſtimavit. In quo ita verſatur, ut primo de principio & origine amoris præcipiat. Nimirum inſitam a Deo animæ noſtræ inclinationem neceſſariam ad bonum, & invincibile deſiderium felicitatis; vel potius, Deum nunquam non impellere & concitare animam per invincibilem impreſſionem ad bonum generatim conſideratum, ut felicitatem, hoc eſt ſtatum naturæ ſuæ convenientem expetat, contendit. Etenim exploratum habere animam per intimam conſcientiam, ſe in ſe ipſa, quo felix reddatur, non reperire, nec inſtinctum quo feratur ad felicitatem extra ſe quærendam, a ſe dependere: conſequi inde, igitur ab invincibili quadam Dei impreſſione hoc provenire. A principio ad objectum progreditur, quod mox boni, mox felicitatis, mox finis nomine deſignari monet. Hiſce enim vocibus nihil aliud quam diverſas relationes unius ejusdemq; objecti, quod nobis convenit, indicari. Si enim conſideretur prout nobis convenit, vocari bonum; ſi ſpectetur ut terminus ad quem appetitus noſter tendit, vocari finem; & denique ſi nobis ſiſtatur, prout ejus poſſeſſio ſummam voluptatem jucunditatemque nobis affert, felicitatem appellari. De bono itaque ita diſſerit, ut tum rationibus tum teſtimoniis veterum philoſophorum demonſtret, illud in convenientia cum noſtra natura conſiſtere. Quod ut evincat, ita procedit. Amare nos inquit objectum ideo, quia eſt amabile: aſt amabile nobis nihil aliud dici poſſe, quam quod nobis bonum, hoc eſt, naturæ noſtræ conveniens eſt. Conveniens autem & bonum aliquod dici ob perfectiones tum abſolutas, tum relativas, quibus gaudet. Affert hinc uſitatam bonorum in honeſta, utilia & jucunda partitionem, eamque ad inſtitutum ſuum accommodat. Sic & de fine exponens, monet ſedulo, finem *cujus* diſcernendum a fine *cui* licet voce amoris uterque deſignetur. Contingere quidem, ut bonum aliquod in alterius gratiam concupiſcamus, cum amico, liberis &c. bene cupimus; ſed hic nihilo ſecius, ut & in omni amore, ſubjectum immediatum voluptatis ex boni poſſeſſione oriundæ eſſe ipſum amantem. De fine ultimo abſolute & ſecundum quid tali identidem agit, & unum ſolum finem ultimum eundemque verum eſſe poſſe, Deum ſcilicet, autumat, licet homines plerumque aliud quid pro fine ultimo ſibi proponant. Fieri etiam poſſe ait, ut plura objecta ſimul finem ultimum conſtituant, & quidem totalem, quorum u-

Lib. I. Cap. I.

Cap. II. Art. 1.

Art. 2.

numquodque partialem finem efficiat: ut adeo inde nonſequatur, unum eundemq; hominem ſimul duos fines ultimos ſibi propoſitos habere poſſe, cum hoc nullo modo fieri queat. Hinc concludit, finis nomẽ illud bonum tandem promereri, quod propter ſe ipſum amamus, ſimulque infert, fieri aliter non poſſe, quin unusquisque ſemper ex amore finis ultimi agat, quamdiu rationis ductum ſequitur. Non quidem neceſſe eſſe, ut de fine ſemper cogitemus, licet ſemper ob finem quendam ultimum agamus; atque huc pertinere in ſcholis receptam diſtinctionem, qua tum formaliter, tum virtualiter propter finem aliquem agere pronuncient. De felicitate autem agens, id cumprimis diſceptandum ſibi ſumſit: an deſiderium invincibile noſtræ felicitatis ejusmodi ſit, ut non poſſimus aliquid amare, niſi quia & in
Art. 3. quantum nobis eſt conveniens, h. e. quia utcunque ad noſtram felicitatem aliquid confert. Negare quidem hoc Præſulem Cameracenſem cum infinita Myſticorum & Scholaſticorum turba. Auctor autem iſtud affirmat, rationibusq; comprobare annititur. Cumprimis id urget, amari nihil a nobis poſſe, niſi ſit amabile. Fundamentum autem proximum, cur actu aliquid amabile videri poſſit, eſſe convenientiam unius objecti reſpectu alterius. Fieri itaque poſſe, ut ſummam perfectionem alterius perſpectam habeamus & admiremur, nec tamen eum ideo amemus. Namque & Dæmones non ignorare ſummam Numinis perfectionem, illamque admirari, non tamen ideo eos illud amare, quia hoc nihil ad ſuam felicitatem facere intelligunt: manifeſto, ut Auctor judicat, documento, ideo aliquid amari, quia nobis eſt conveniens. Atque hæc cum in amore unionis citra controverſiam ita ſe habere exiſtimet, ita in amore benevolentiæ non aliter eſſe
Cap. III. comparata, eundo per exempla demonſtrat. Progreditur hinc ad varias amoris ſpecies enumerandas, primoque ratione principii amorem diſpeſcit in naturalem & liberum: illum nihil aliud eſſe quam amorem ſui ipſius, quo neceſſario ad noſtram felicitatem quærendam impellamur; concupiſcentiamque ab eo ſolum in hoc differre, quod per hanc corpori cumprimis conſultum cupiamus: liberum amorem rurſus in naturalem & ſupernaturalem diſpeſcit. Ratione objecti eum in amorem Dei & creaturarum dividit, & hunc rurſus in amorem rerum, ad quem honorum, divitiarum, voluptatisque cupiditatem refert, & amorem perſonarum. Hunc iterum duplicem facit, amo-

rem

rem concupiſcentiæ, & puræ amicitiæ, quam in Ethnicam & Chriſtianam porro partitur. Denique ratione modi alium eſſe amorem unionis, alium amorem benevolentiæ ait. Capite ſequenti de amore Cap. IV.
amicitiæ, prout opponitur amori concupiſcentiæ, ex inſtituto præcipit. Myſticos ſcilicet Theologos itidem ab amore concupiſcentiæ diſtinguere amorem amicitiæ notat, ſed ita, ut per illum intelligant ejusmodi amorem, quo aliquem noſtri commodi noſtræque felicitatis cauſa amamus: per hunc autem talem amorem indigitent, quo alium non noſtri commodi cauſa, ſed tantum ob abſolutas ejus perfectiones amamus. Contra Auctor amorem concupiſcentiæ vocat, quo alterum commodi, ab ipſo objecto diſtincti, cauſa amamus: amorem amicitiæ autem, quo alium ita amamus, ut in ipſo objecto ejusque poſſeſſione felicitatem noſtram quæramus. Sane perfectiſſimæ puriſſimæque amicitiæ non repugnare, ut in ipſo amico amemus, quod nos juvet atque delectet, multis veterum, præſertim Ciceronis teſtimoniis comprobat. Objici poſſe ſibi fatetur, hac ratione nos nihil propter Cap. V.
ſeipſum, ſed cuncta propter nos amare: quod tamen ita diluit, ut concedat nos cuncta propter nos amare, ita ut omnia ad nos, tanquam ſubjectum referantur; hoc tamen non obſtante, amorem noſtrum in objectum a nobis diſtinctum ferri poſſe. Sic & quando opponunt, hoc modo omnia, quæ amamus, ſolum pro inſtrumentis noſtræ felicitatis a nobis haberi; hoc itidem abnuit, cum ad inſtrumentum requiratur, ut ab objecto noſtræ felicitatis ſit diſtinctum, & ad ejus poſſeſſionem nos ducat, quod de rebus ipſis, quas amamus, dici nullo modo queat.

Jam caput cauſæ aggreſſurus, primo quidem probat, fieri non Lib. II.
poſſe, ut Deus tantum ob perfectiones ſuas, ſine reſpectu convenien- Cap. I.
tiæ cum noſtra natura, ametur. Idque ex principiis libro primo poſitis confirmatisque, quod nihil niſi quod cum noſtra natura convenientiam quandam habet, amabile ſit, demonſtrat. Contendit hic Myſticorum ſententiam cum opinione Epicuræorum, Deum ſibi fingentium, quem nulla rerum humanarum tangat cura, eundem tamen ob ſummas perfectiones amore dignum pronuntiantium. Sed quod Cotta apud Ciceronem Epicuræis repoſuit, id quin Myſticis aliquando in mentem veniat, veretur: *ſi maxime talis eſt Deus, ut nulla gra-* Cap. II.
*tia, nulla hominum caritate teneatur, valeat.* Porro cum anima noſtra

ſtra ſummo deſiderio ad felicitatem expetendam rapiatur, hancque in Deo inveniat, concludit inde, hunc demum amorem Dei puriſſimum perfectiſſimumque eſſe, qui quidem in creaturam cadat, quo Deum propter ſeipſum amamus, ita ut noſtram felicitatem, noſtræque naturæ perfectionem tantum in ejus cognitione & amore quæramus.

Cap. III. Quod autem ad diverſas amoris ſpecies quibus Deum amamus attinet, quas afferre Myſtici ſolent, nonnullas indignas amoris nomine pronuntiat, aliis diverſum ſolum amoris gradum deſignari autumat. Quem autem vocant amorem ſpei, plane rejicit; non quod ſpes cum amore interdum non ſit conjuncta, aut ab actu amoris non differat actus ſpei, ſed quod per hanc ſpei acceſſionem neutiquam nova amoris ſpecies exſurgat, ſed maneat idem amor qualis antea fuerit. Quibus

Cap. IV. evictis progreditur ad alia, docetque, deſiderium poſſidendi Deum ſolum ceu finem noſtrum ultimum ſummumque bonum, ut per ejus cognitionem & amorem felices reddamur, neutiquam pro amore concupiſcentiæ oppoſito caritati, ſed pro actu amoris puri & perfecti habendum eſſe. Cumque cardo rei in eo verſetur, quinque ponit principia, quibus hoc rite demonſtret. Primum eſt: omnem amorem Dei, ordini a Deo præſcripto ratione objecti & cauſæ impulſivæ exacte conformem, eſſe amorem purum perfectumq;. Secundum: omnem amorem, qui noſtram perfectam juſtitiam abſolvit, omnino eſſe amorem purum, & ut loquitur, perfectæ caritatis. Tertium: omnem amorem, per quem gloriam Deo, modo perfectiſſimo, qui quidem in creaturam rationis non expertem cadat, reddimus, eſſe purum perfectumque. Quartum: amorem a Deo in Decalogo præceptum, & ab ipſo Chriſto Servatore comprobatum, citra controverſiam purum perfectumque eſſe. Quintum: perfecti amoris characterem evidentiſſimum eſſe, ſi Deum plus quam nos ipſos mundumque univerſum a-

Cap. V. memus. His prolixius deductis, & ad ſuum inſtitutum accommodatis, Auguſtinum idem pariter docuiſſe, deſiderium ſcilicet poſſidendi Deum ſolum ceu finem ultimum & præmium virtutis, pro amore

Cep. VI. gratuito, perfecto & puro eſſe reputandum, demonſtrat. Cum vero amor Dei quoque non unius ejuſdemque generis perhiberi ſoleat, Noſter quidem probare annititur, amorem amicitiæ benevolentiæque provenire a deſiderio Deum poſſidendi: indeque rurſus infert, perfectionem amoris puri ex perfectione deſiderii, quo ad Dei fruitionem

tionem feramur, eſſe metiendam. Benevolentiæ autem amorem, quo Deum amamus, non differre ab amore unionis, ex eo præcipue evincit, quod amori benevolentiæ maxime proprium ſit omni cultu atque honore Deum proſequi. Aſt coli non rectius Deum nec majori affici honere poſſe, quam ſi juxta ordinem ab eo præſcriptum ex toto corde deſideremus eum poſſidere, & in eo unice noſtram quæramus felicitatem. Ceterum cum hactenus dictis aſſertisque objici ſubinde ſoleat effatum Apoſtoli: *caritas non quærit, quæ ſua ſunt*, I. Cor. XIII, ad hoc ita reſpondet, ut commodorum quæ caritas quærere poſſit, alia ab objecto, quod amatur, ſeparata illicitaque, alia eſſentialiter cum ipſo objecto ex Dei inſtitutione conjuncta, ut amari non poſſit, niſi ſimul ad noſtram inde aliquid redundet felicitatem, adeoque licita eſſe contendat. Caritas itaque, inquit, non quærit quæ ſua ſunt, h. e. ea commoda quæ ſunt illicita: aſt inde non ſequitur, quod non quærat commoda licita & ex ipſo objecto amato neceſſario fluentia; quia ſi hæc non quæreret, non eſſet amor. Hæc itaque licet ex mente Auctoris ita ſe habeant, non diffitetur tamen fieri poſſe, ut homines Deum amore concupiſcentiæ pure mercenario ament, quin quotidie hoc proh dolor! fieri conqueritur. Hoſce nimirum neutiquam Deum, ſed tantum felicitatem, quam beatos manere acceperunt, amare; cujusmodi cœli amorem præpoſterum & inconſultum damnat omnino rejicitque. Et hinc ad Patrum dicta, quæ vulgo opponuntur, reſponderi facile poſſe exiſtimat. Ad duas ea revocari poſſe claſſes monet, quarum una ejusmodi illorum effata contineat, quibus ſalutem æternam cognitioni & amori Dei poſtponere videntur: altera autem ea complectatur, quibus ſedulo a ſervis & mercenariis veros Dei filios diſcernant. Quæ ad priorem pertinent, ea ex Clemente Alexandrino, Chryſoſtomo atque Theodoreto proferunt Myſticæ diſciplinæ propugnatores. Noſter autem de Clemente cumprimis ſolicitus eſt, & hunc in finem, quæ de Gnoſtico ſuo ſeu perfecto Chriſtiano in Stromatum libris præcepit, in compendium mittit, ſimulque oſtendit, Stoicos hic imitatum fuiſſe Clementem, & ut illi in Sapientem ſuum, quicquid perfectionis excogitare potuerunt, contulerint, ſic hunc perfectam numerisque omnibus abſolutam hominis Chriſtiani imaginem ſiſtere voluiſſe. Tandem cuncta eo redeunt, per ſalutem æternam Clementem non intelligere illam felicitatem,

Cap. VII.

Cap. VIII.

Cap. IX.

quæ ex cognitione & amore Dei non poteſt non in homines redundare, ſed complexum ceterorum bonorum beatis a Deo deſtinatorum, quæ Chriſtianus ita amet, ut tamen paratus ſit iis omnibus potius nuntium mittere, quam vel minimum ab amore Dei diſcedere. Unde nec Clementi nec ceteris unquam in mentem veniſſe, ac ſi homo amare Deum ſine ullo ad felicitatem ſuam reſpectu poſſit, concludit, & ita libro ſecundo finem imponit. In Additionibus libro huic ſubjectis demonſtrat, ex Philoſophis antiquis Ariſtotelem, ex recentioribus Malebranchium de natura & indole amoris ita præcepiſſe, ut ſecum plane conſentiant: varia etiam loca ex celeberrimo Myſticæ diſciplinæ magiſtro Franciſco Saleſio profert, eaque uberiori commentatione illuſtrat. De indifferentia quoque ſancta Additione IV agit, docetque hanc in eo conſiſtere, ut homo amore Dei concitatus divitiis, honoribus, ſanitate ceteriſque bonis a Deo ſejunctis ſeparatiſque libenter carere, graviſſima contra mala ſuſcipere, calamitateſque extremas prompte potius ſubire paratus ſit, quam ut ulla ratione a Numinis amore ſe dimoveri patiatur. Unde rurſus Myſticorum indifferentia illi non placet, qua homo ne quidem per amorem Numinis ejusque fruitionem felix fieri ullo modo cupit; qualem admitti non poſſe, variis rationibus evincit. In Additione V & ultima denique probare annititur, ſive convenientia boni ex parte objecti habeatur pro cauſa impulſiva proxima, quæ efficiat ut iſtud amemus, ſive conditio ſine qua non vocetur, nihilo ſecius amorem boni cujusdam, quod ideo amamus, quia immediate per ſe nobis eſt conveniens, amori gratuito & puro non repugnare.

Lib. III. Cap. I. Tertius qui nunc ſequitur liber diſcutiendis Archi-Epiſcopi Cameracenſis placitis ab Auctore deſtinatus eſt. Primo itaque ſententiam Archi-Epiſcopi de amore Dei puro refert, & in compendio ſiſtit; ſimulque obſervat, jam plurimos Scholaſticos & recentioris ævi Myſticos idem de amore Dei docuiſſe. Cap. II. Art. 1. Hinc de amore ſui ipſius nonnulla præmittit, eo ſpectantia: non omnem amorem ſui ipſius in vitio ponendum. Art. 2. Quibus præmiſſis, amoris ſpecies ab Archi-Epiſcopo ſtatim in principio operis allatas ordine ſub examen revocat. Et primum quidem cum Deum ob bona quædam ab ipſo diſtincta ſejunctaque amamus, ab ipſo Archi-Epiſcopo recte pro amore Dei non haberi docet, minus accurate tamen ab eo addi: *hoc non eſt amare Deum, ſed*

*amare ſe ipſum*; cum verus Dei amor cum quodam ſui-amore conſiſtere omnino poſſit. In ſecunda amoris ſpecie explicanda, pugnantia ſecum ſcripſiſſe Cameracenſem Præſulem putat. Primo quidem, dum ſupponat, unum eundemque amorem, quo Deum ſaltem ut medium & inſtrumentum noſtræ felicitatis amemus, cuncta autem ad nos ceu ſummum ultimumque finem referamus, ſimul tamen non aliud præmium quam Deum ipſum quærere. Deinde & hæc male ſecum conſentire, quod ſupponat amorem, qui non aliud præmium quam Deum ſolum quærat, eſſe nihilo ſecius amorem concupiſcentiæ pureque mercenarium. Concludit tandem, Archi-Epiſcopum ex duabus amoris ſpeciebus a ſe plane diſtinctis novum amoris genus infeliciter compoſuiſſe, docetque amoris mercenarii unam tantum ſpeciem eſſe posſe. De tertia amoris ſpecie ſive amore ſpei, ut Archi-Epiſcopus Cameracenſis eum vocat, tria Noſter obſervat. Primo quidem repetit, quod lib. 2. probare annìſus fuerat, plane non dari amorem ſpei, eumque pro figmento Scholaſticorum habendum declarat; quos Franciſcus Saleſius incaute fuerit ſecutus. Deinde amorem ſpei alio ſenſu a Franciſco Saleſio, alio rurſus ab Archi-Epiſcopo Cameracenſi ſtatui, quin prout ab hoc definitur, eum ſacrilegum atque in Deum injurium eſſe. Namque ſecundum Saleſium hoc nomine venire ejusmodi amorem, quo primario Deum propter ipſum, ſecundario autem propter commoda noſtra amamus: aſt Archi-Epiſcopum Cameracenſem hac voce talem deſignare amorem, quo Deum primario propter noſtra commoda amamus, ut adeo amor ſui ipſius primum, amor Dei ſecundum hic occupet locum. Tandem addit, amorem ſpei, prout a Scholaſticis Saleſioque accipitur, nihil aliud eſſe quam ipſum amorem gratuitum purumque, ſimul probans, quando Deum ut noſtrum ſummum bonum amamus, ut in eo noſtram inveniamus felicitatem, eum ſemper ſimul, ut abſolute bonus atque perfectus eſt, a nobis amari. Art. 3. Quartam porro amoris ſpeciem ſeu amorem mixtum ſub examen revocans, docet hunc amorem, quo primario Deum, ſecundario noſtram felicitatem amamus, omnino pro amore puriſſimo perfectiſſimoq; habendum. Art. 4. Aſt ultimam amoris ſpeciem ſive purum denuo procul faceſſere jubet. Art. 5. Idque primo, quia talis amor, qui ad noſtram felicitatem nullo modo pertineat, ſine manifeſta contradictione ſtatui nequeat. Deinde ſi vel maxime concedatur, dari ejusmodi amorem, e-

um tamen perfectiorem eo, quem Archi-Epiſcopus mixtum dicit, eſſe negat, quia hic ordini a Deo præſcripto plane ſit conformis, & ad gloriam Numinis non minus ac fictus ille Scholaſticorum comparatus. Monet hic etiam, ad lites inter Theologos Romanenſes de amore ortas finiendas, promptiorem viam non eſſe, quam ſi omnes agnoſcant, amorem quo Deum ita amamus, ut in eo felicitatem noſtram quæramus, etiamſi actu & explicite de gloria ejus non cogitemus, pro vero puroque & perfecto amore eſſe habendum. Hæc omnia paucis repetit, *ἀνακεφαλαίωσιν* Archi-Epiſcopi Cameracenſis perluſtrans.

Art. 6. Cap. III. Art. 1. Subjicit hiſce quaſdam ad articulum primum & ſecundum animadverſiones, quarum ſumma huc fere redit. Primo demonſtrare prolixe annititur, etiamſi per lumen revelationis aliquis exploratum habeat, Deum ſolum infinitum illud bonum eſſe, cujus poſſeſſio nos felices reddat, eum tamen gratia deſtitutum, ſolisque naturæ viribus inſtructum, Deum ita amare non poſſe, ut eum pro ſuo ſummo bono unice habeat, ſuamque in eo quærat felicitatem. Secus autem ſentientes Pelagianismi accuſare non dubitat.

Art. 2. Deinde & hoc aſſerit probatque, cum vere Deum amamus, hac ſolum cauſa adducti, quod unicum noſtrum ſummum bonum ſit, nosque felices reddere queat, non tamen eo ipſo nos Deum, ceu beatitudinem objectivam vel objectum beatitudinis, referre ad beatitudinem noſtram formalem, aut ad nos ipſos ceu ultimum finem, ſed contra tum nos & nos ipſos & omnem felicitatem noſtram per beatitudinem formalem referre ad Deum, tanquam unicum objectum & ſolam cauſam felicitatis, quam in ejus poſſeſſione nos adepturos confidimus. Repetit hinc denuo partem primam primi articuli, diſcutitque ex inſtituto, & in compendio ſiſtit hactenus demonſtrata: ultimoque tandem loco aſſertum Archi-Epiſcopi ex articulo II, tres eſſe diverſos ſtatus habituales juſtorum, primum illorum, qui Deum quidem ipſum magis quam ſua commoda ament, ſed ut metus ex commodo proprio ortus ei adhuc ſit admixtus; alterum illorum, qui magis quidem adhuc ſua commoda amori Dei poſtponunt, aliqua tamen eorundem ſpe ſe adhuc lactant; tertium denique illorum, qui metus & ſpei vacui pure Deum amant: hosque ſtatus Patres ſervorum, mercenariorum & liberorum nomine deſignare; ſub examen revocat. Neque vero tres ſtatus juſtorum hoc modo recte conſtitui, cum juſti ſpecie a ſe diſtingui nequeant; ratione

tione graduum autem plures eorum claſſes debeant conſtitui. Nec concedit, Patres hiſce ſervorum, mercenariorum & liberorum appellationibus hoc ſibi voluiſſe, cum infantum ſaltem nomen juſtis conveniat, neutiquam autem ſervi & mercenarii. Quibus rite, ut putat, evictis, finem operi imponit.

*HENR. ERN. KESTNERI, D. ET IN ACAD. RINTHEL. Profeſſ. Jur. Ordin. Prudentia Juris Naturalis.*

Rinthelii, typis H. A. Enax, 1698, 4. Alph. 1.

NAturalis Juris ſcientiam merito præſtabilem dixit Cicero. Nec temere dignior ulla reperiri poteſt, in qua vires periclitentur decora ingenia. Unde mirum non eſt, poſtquam depulſo ſqualore & pulvere, quo deformata penitus erat, eam ſibi ipſi reſtituit Hugo Grotius, viros doctrina præſtantes in ea ornanda poliendaque quodam velut induſtriæ certamen iniiſſe. Quemadmodum autem nulla unquam ars, nulla ſcientia ad iſtud perfectionis culmen perducta eſt, ut nihil addi omnino poſſit: ita poſt tot virorum doctorum labores, ſibi quoque adhuc ſpicilegium ſupereſſe, recte exiſtimavit Vir Conſultisſimus Henricus Erneſtus Keſtnerus. Teſtatur hoc, quæ nos nunc occupat, Prudentia juris Naturalis, publicæ luci ab eo expoſita. In ea, poſtquam de principio Juris Naturæ diſſeruit luculenter, de eo quod humano generi competit exponit, quæ de dominio ejusque origine & indole pasſim diſputantur, excutiens. Hinc de cultura corporis præcipit, & quid jus fasque ſit pro tuenda vita, membrorum integritate, pudicitiaque, & id genus aliis, juſto ordine exequitur. Progreditur ad jus connubiale & contractuum, de polygamia, divortiis, variisque ad matrimonium ſpectantibus quæſtionibus verba faciens, variasque contractuum formas definiens. De jurejurando etiam, quo confirmari pacta ſolent, interpretatione, & damnis, hac occaſione ſibi diſpiciendum cenſuit. De bello autem atque pace priusquam præcipiat, de ipſa ſumma poteſtate, quam penes ſtat bella gerere, Imperantiumque ſummorum contractibus, quæ hujus loci eſſe illi viſa ſunt, affert: & tum demum de bello ita agit, ut primo de jure belli, tum de proceſſu commentetur, nec quæ ad pacem modosque bellum finiendi, ut & inducias pertinent, prætermittat. Finem opuſculo im-

 ponit

ponit diſſertatione de pœnis, interituque facultatum,& ſucceſſionibus Regum. Ita autem in his omnibus verſatur,ut Grotii aliorumque fama atque auctoritate florentium virorum veſtigiis interdum inſiſtat, ſæpius tamen ab iis recedere religioni ſibi non ducat. Prohibitionem Creatoris fundamentum Juris Naturæ eſſe docet, cujus voluntas aut verbis declaretur, aut factis. Si illud fiat,vocari Jus Divinum revelatum: ſin hoc, naturale. Ad facta autem pertinere motus & inſtinctus a natura hominibus inſitos & implantatos: itemque actiones ipſius Creatoris, rerum videlicet creationem & conſervationem: actionum quoque finem,tum neceſſarium, tum probabilem: medii neceſſitatem: & denique naturam ipſius ſanctiſſimi Creatoris, qui perfectiſſimus ſit, & nihil fruſtra feciſſe intelligatur, huc ſpectare. Rejicit itaque, ſed modeſte, aliorum de principio Juris Naturæ placita, cumprimis ſocietatem non poſſe pro eo haberi, rationibus quibusdam evincere annititur. Sed cetera, cum,ut ſpecimen Lectori præbeatur, hæc ſufficiant, ex ipſo fonte facile hauriri poſſunt.

## *JOANNIS CLERICI OPERA PHILOSOPHICA IN IV volumina digeſta.*

Amſtelodami apud G. Gallet, 1698, in 8. Alph. 4. plag. 14.

QUæ recuſa ſunt Amſtelodami Opera Philoſophica Viri celeberrimi *Joannis Clerici*, in quatuor volumina digeſta, multo nunc auctiora, emendatioraque & elegantioribus typis quam antehac fuerant, prodierunt. *Primum Volumen* complectitur Logicam, cui ſubjecta eſt nova Diſſertatio, *de argumento Theologico ab invidia ducto*, in qua *Clericus* oſtendit,exemplis ex *Hieronymo* præſertim petitis, Theologos nonnullos, cum melioribus argumentis carent, invidiam facere adverſariis ſuis, ſeu inviſos eos malis artibus reddere. Sexdecim ſophiſmata ex eo fonte petita enumerat. Sequitur hoc opuſculum, Ontologia antehac, una cum Logica, Amſtelodami & Londini excuſa. Verum hæc editio notulis Auctoris auctior eſt, & præterea emendatior multo, ad ſtylum præſertim quod attinet, quem refinxiſſe ſe ait Auctor, innumeris in locis. *Secundum Volumen* habet Pneumatologiam, & Philoſophiam Orientalem *Thomæ Stanleii*, ex Anglica lingua verſam, & auctam a *Joanne Clerico* indice Philologico

gico, nunc auctiore & emendatiore. *Tertium & quartum Volumen* Phyſicam continent, quæ eſt etiam emendatior & quibusdam rebus auctior, ut tabula ventorum conſtantium, quæ non erat in priore editione, eadem vero eſt cum ea, quam & nos in hiſce Actis jam A. 1687 ad p. 509 ex Actis Philoſophicis Anglicanis exhibuiſſe meminimus. Idem nunc habet ſub prælo *Harmoniam Evangelicam* ſingulari ratione diſpoſitam, Græce & Latine, ita ut cum ordo totius Evangelicæ Hiſtoriæ, tum etiam quæ ſunt ſingularia quibusque Evangeliis, & quæ communia, pateant inſpicienti, absque ulla moleſtia. Subjecta eſt Hiſtoria Evangelica ex quatuor Evangeliis a Clerico confecta, Latino ſermone, quæ eſt veluti paraphraſis perpetua quatuor Evangeliorum. Ad calcem erunt tres Diſſertationes, quarum prima habebit *Chronologiam temporum Chriſti*; ſecunda *Canones Harmonicos*, quorum ope putat Auctor ſe poſſe conciliare omnes ἐναντιοφανείας, quæ in Evangeliis occurrunt; tertia aget *de tempore & ratione, quibus conſcripta ſunt Evangelia*. Tandem erunt notulæ, in quibus ratio ordinis redde tur, & multa loca Evangeliorum breviter illuſtrabuntur. Hoc opus, quod conficiet volumen in folio non magnæ molis, intra paucos menſes, ſeu initio anni M DC XCIX, Deo dante, proſtabit.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΜΑΚΑΡΙΟΥ ΤΟΥ Αἰγυπτίου ΟΜΙΛΙΑΙ.

Hoc eſt:

*SANCTI PATRIS MACARII, ÆGYPTII, HOMILIÆ, curante JO. GEORGIO PRITIO.*

Lipſiæ, apud viduam & hæredes Jo. Groſſii, 1698. 8. Alphab. 1. plag. 15.

TRes olim ex antiquorum Patrum numero Macarios inclaruiſſe, ſicut Eruditis perquam notum eſt: ſic quinquaginta, quæ hodienum ſuperſunt, Macarianæ Homiliæ, Ægyptio, ex Thebaide provincia oriundo, Presbytero & Monacho, poſt ſexaginta annos in ſolitudine Scetenſi tranſactos, A. C. 391 ſuæque ætatis nonageſimo defuncto, communiter attribui ſueverunt; id

quod

quod invito quidem Petro Poſſino fieri, alibi in Actis noſtris (menſe Novembr. 1685. p. 489.) jam tum indicavimus. Sed plura forſan hac de re dicturus eſt Collega hactenus noſter, nuper admodum ad Serveſtanos evocatus, Plurimum Reverendus Pritius, quando reliqua Macarii opuſcula præfatione ſua ſtipata prepediem, ut in ſe recepit, in lucem publicam emittet. Jam Homilias modo iſtas, quondam e Bibliotheca Regia Pariſienſi Græce primum, & poſtmodum interprete Jo. Pico Latine, iterumque Græce & Latine aliquoties Pariſiis, ac ſemel A. 1594 Francofurti, Zacharia accurante Palthenio, vulgatas (ut præter alias editiones translationem etiam Germanicam taceamus) denuo fecit imprimi. Quemadmodum autem cæteros in ornando hoc, ut diximus, Scriptore occupatos, ſi cum interprete Germanico Palthenium excipias, poſthabuiſſe Editor doctiſſimus videtur, ut propriæ magis diligentiæ præclara de hoc Patre merita vindicaret: ita Græcum ante omnia textum ad manus ſumſit, & ſphalmata, quæ in Francofurtanam editionem irrepſerant, hinc inde ſuſtulit, locaq; in vitio cubantia non raro ex ingenio reſtituit, Cotelerio tamen interdum adjutore uſus, cujus varias lectiones e manuſcriptis codicibus in Eccleſiæ Græcæ Monumentis annotatas, vel in textum ipſum recepit, vel ad latus ſaltem annotavit. Latinam verſionem miſerrime ſeſe habuiſſe queritur, adeo quidem, ut multis in locis fœda ſtribligine & barbarismis horreret, nec ſæpiſſime verum Macarii ſenſum exprimeret. Se igitur operam dediſſe innuit, tum ut paulo magis Latinus compareret Interpres, tum ut fidelius, quæ ſenſerit ipſe Auctor, ſermone Græco exhiberentur. Dicta Scripturæ Sacræ, ad quæ in Homiliis provocatur, evolvit atque diligenter appoſuit. Textum ubi in ſectiones diſpeſcuit, Germanici Interpretis veſtigia legit, utut ejus diſtinguendi rationem per omnia haud approbet. Nec mutavit præmiſſa Homiliis argumenta, etiamſi hæc alium a Macario auctorem condidiſſe haud ignoraverit; prout & multis eadem nominibus inepta ſatis vocanda eſſe, lubens profitetur.

---

*Tomi III Supplementorum Sectionem quartam nuper prodiiſſe, ignorare nolumus Lectorem benevolum.*

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

*Calendis Novembris, Anno M DC XCVIII.*


## LETRES DU CARDINAL D' OSSAT, AVEC DES NOTES Hiſtoriques & Politiques, par Mr. AMELOT DE LA HOUSSAIE.

i. e.

*EPISTOLÆ CARDINALIS OSSATI CUM NOTIS Hiſtoricis & Politicis AMELOTI HOUSSÆI.*

Lutetiæ Pariſiorum, apud Jo. Boudot, 1697, in 4. maj. Alph. 8. plag. 4.

MAjorem utique doctrinæ prudentiæque laudem conſecutus eſt Arnaldus Oſſatus Cardinalis, quam ut nomen ejus taceri poſteris, aut ingenii monumenta negligi debeant. Qui vero ea in lucem denuo produxit Vir illuſtris, Amelotus Houſſæus, nihil fecit reliqui, ut omnibus, quæ in libris requirimus, ornamentis cumulatiſſime aucta prodirent. Typorum nitor oculos delectat, mentem multo magis monumenta, quæ in prioribus editionibus non comparent: ſed & quæ data opera reſecta erant, ſuo loco bona fide reſtituta, vulneraque ſanata videas; ut taceamus Annotationes doctiſſimas, quibus obſcuris lux affunditur, & qui ſub cortice latent, civilis prudentiæ fructus deteguntur, omnibusque deguſtandi proponuntur. Nos, quo minus ex ipſis Epiſtolis, quod ſpeciminis inſtar ſit, afferamus, rerum pulcherrimarum copia prohibemur; ipſorum quoque de civilibus negotiis judiciorum hæc eſt ratio, ut leviter ſaltem delibata, nec proſint multum, nec delectent. Ne vero ſpe omni fruſtratum Lectorem hinc dimittamus, vi-

tam Cardinalis Oſſati ab Houſſæo operi huic præmiſſam, per ſumma rerum eundo capita, in compendium mittemus.

Editus in lucem eſt Arnaldus Oſſatus d. 23. Auguſti, anno 1536, apud Auſcos, parentibus adeo nulla aut generis nobilitate aut muneris dignitate conſpicuis, ut quodnam opificii genus pater tractaverit, nondum exploratum ſit. Is cum moreretur, vix quod juſtis perſolvendis ſufficeret, ſupererat. Arnaldus autem novem tum annos natus, rerumque omnium, non tamen ingenii, inops, vix, quod miſeris tamen ſemper licet, ſperare audebat ex hiſce miſeriis ſe unquam emerſurum. Succubuiſſet oneri ſuo extrema paupertate oppreſſa ingenua indoles, niſi Thomas de Marca, generis nobilitate apud Auſcos inſignis, proſtratum ſublevaſſet. Nepoti namque atque pupillo ſuo Johanni de Marca, ut ſocio & æmulo concitatus languorem excuteret, feliciusque in litterarum ſtudiis proficeret, eum adjunxit. Hic qui opibus multo inferior erat ſocio, diligentia incredibili, ſuffragante ingenio, mox eruditione ſuperior evaſit, ut dignus etiam judicaretur, qui illum in litteris erudiret. Uterque Pariſios venit A. 1559, Arnaldo munere ſuo ex omnium voto fungente, ut Thomas alios ex ſuis nepotibus illius diſciplinæ committere non dubitaret. Reverſus eſt A. 1562 in Vaſconiam, ob fidem dexteritatemque affatim hactenus comprobatam, gratus omnibus atque acceptus. Mox Biturigem conceſſit, Cujaciumque jura docentem audivit, facultatemque, quæ concedi ſolet, jura docendi conſecutus, ordini Advocatorum in Parlamento Pariſienſi cauſas agentium adſcriptus eſt. Litterarum tamen ſtudiis ſe non abdicavit. Anno quippe 1564 edidit expoſitionem, ut vocat, in diſputationem Jacobi Carpentarii de Methodo, qua Dialecticam Petri Rami, contra Carpentarium aſſerere conatus eſt. Hoſtem ideo expertus eſt Carpentarium, ſed talem, qui præter obtrectationes & contumelias, quas in Oſſatum effudit, nihil quod rem conficeret, proferendo, ſe ipſum, ut fieri ſolet, debellavit, ſeque turpiter traducendo, victoriam Oſſato conceſſit. Ita Houſſæus de iſta contentione judicat. Vocavit Carpentarius Oſſatum *Magiſtellum trium litterarum*, fortunæque tenuitatem & id genus alia illi exprobravit, quam impotenti fuerit animo, hoc ipſo prodens. Oſſato autem ad majora ſe campus aperuit, cum Paulo Foxio Henrici III Galliæ Regis ad Romanum Pontificem legato a literis

teris ſecretioribus eſſe juberetur. Romam itaque A. 1580 cum Foxio profectus eſt, illique ita ſe probavit, ut rebus graviſſimis adminiſtrandis adhiberetur. Sunt nonnulli in eam adducti ſententiam, Epiſtolas Foxii A. 1628 editas, qua formam ſtilumque, Oſſatum habere auctorem, earumque genium hoc ipſum indicare luculenter. Mortuo Foxio conceſſit Noſter in familiam Ludovici Ateſtini Cardinalis, Galliæque apud Rom. Pontif. Patroni, ejusque domo exceptus, ut eodem munere fungeretur, tunc demum ingenii proferre dotes, & in ampliſſimo Curiæ Romanæ theatro oſtentare cœpit. Tantam brevi tempore civilium rerum notitiam conſecutus eſt, ut qui poſtea Romam venerunt Galliæ Regis Legati, Oſſatum, ceu oraculum, conſulere neceſſe haberent. Ateſtini quoque Cardinalis animum ita ſibi devinxit, ut 4000 ſcutatos teſtamento illi legaret. Vivere is deſiit ultimo die anni 1586, ſucceſſoremque, quantum ad Gallicarum rerum curam attinet, Cardinalem Joyeuſium accepit, apud quem Oſſatus mandato Regis idem munus ſuſcepit, volente idem & maximopere adprobante Cardinali. Ejus in Oſſatum amor vel inde intelligitur, quod eo annitente & adjuvante Prior Bellismenſis factus eſt, primumque adeo ad eccleſiaſticas dignitates conſcendit gradum. A Rege Henrico III jam majoribus deſtinabatur. Voluit namque, ut ſibi ab epiſtolis ſecretioribusque conſiliis eſſet, quod tamen recuſavit Oſſatus. Scævola Sammarthanus auctor eſt, eum, quod ſacris initiatus eſſet, id munus tanquam a ſua profeſſione alienum, modeſte repudiaſſe. Addit idem, non defuiſſe qui hoc ejus factum ſic interpretarentur, quaſi Romano cœlo jam adſuetus, & arridentis fortunæ ſibi conſcius, ad ea ſe reſervarit, quæ Romæ poſtea conſecutus eſt, longe majoris ampliorisque dignitatis ornamenta. Quod minus veroſimile videtur Houſſæo, qui recuſaſſe hanc dignitatem Oſſatum autumat, partim quod res Galliæ proſtratæ penitus & afflictæ eum deterrerent, partim quod Villaregio munus illud abrogatum erat, quo tamen familiariſſime ſemper uſus fuerat. Quicquid hujus ſit, fortunam in conſilio habuiſſe videtur, cum ſi oblatum acceptaſſet munus, mors Henrici mox inſecuta non potuiſſet non eum, eadem ruina involutum, præcipitem ſecum trahere. Nunc caſu hoc felici ſidere evitato, Henrico IV ſummæ rerum admoto, Regem ſibi obſtringendi ſuamque illi probandi fidem & dexteritatem, pulcherrima ſe illi obtulit occaſio. Datum quippe ei

negotium eſt a Romano Pontifice hoc impetrandi, ut Henricum hæreſeos crimine purgatum, Romanæque Eccleſiæ participem declararet. Induſtria & prudentia hic opus erat non vulgari, refragantibus animumque Pontificis ad alia omnia trahentibus Hiſpanis, renitentibus Lotharingicis, ipſis Hugenottis non ſerio, ſed ſolum ad ſpeciem, Henricum ſacra Eccleſiæ Romanæ profiteri, diſſeminantibus. Perrupit tamen incredibile acerrimumque Oſſati ſtudium, Pontificemque, anxium quidem & hæſitabundum, ut Regem voti damnaret, impulit, remque adeo prius confecit, quam Perronius a Rege hanc ob cauſam ad Pontificem miſſus Romam perveniret. Mirifice Henrico Regi iſta Oſſati diligentia placuit, ideoque ad Rhedonenſem Epiſcopatum, tribus poſt confectum iſtud negotiū menſibus elapſis, eum evexit. Quo minus tamen gregis ſibi commisſi curam capeſſeret ipſe Oſſatus, officiorum, ad quæ Regi ſe obſtrictum ſentiebat, ratio obſtitit. Regis enim potius regnique, quam ſuis conſulere commodis maluit: Rege quoque inſultus illorum, qui neglecti muneris eum arguebant, reprimente. Menſe Septembri anni 1597, in numerum illorum, qui Regi a conſiliis ſtatus ſunt, adoptatus eſt, ipſo quidem ſic exiſtimante, non tam novam ad dignitates ſuas accesſionem factam, quam ad majorem diligentiam & vigilantiam, laborumque majorum difficiliorumque tolerantiam, velut ſigno quodam ſublato, ſe provocari. Nec adeo ſua eum fefellit opinio; ſaltem quæ curam ſollicitudinemq; injicerent, nunquam defuere. Luxenburgius Dux eo tempore Legati Gallicani munere apud Romanum Pontificem fungebatur: huic conſilio in rebus dubiis adeſſe jubebatur Oſſatus. Fide ſumma, nec minori prudentia hoc præſtitit; quod vel ſequenti documento comprobari poteſt. Nolebat Pontifex Legatum ad ſolennem obedientiæ profesſionem admittere, niſi addita ratione Navarræ formula, ſub Pio IV & Gregorio XIII jam uſurpata: *ſine cujusquam & præſertim Regis Catholici præjudicio.* Hærebat, quin abnuebat Legatus. Oſſatus contra ſic diſſerebat, formulam iſtam nihil derogare juri Gallorum: ſin perſiſteret in ſententia Legatus, fore ut litem Cardinalibus dirimendam proponeret Pontifex, qui ſi pro Hiſpanis pronunciarent, quod eos facturos nemini dubium eſſe poterat, interpretaturos id eo Hiſpanos, ac ſi cauſa penitus cecidiſſent Galli. Quod cum Regi ipſi ſignificaret, plane ut Oſſatus cenſuerat, rem geri voluit. Dignus profecto

fecto videri poterat, qui ipſe Legatus ad ſummos Principes rerumq; dominos iret. Miſſus itaque primum Florentiam, mox Venetias eſt. Magnus quippe Dux Etruriæ, Gallis eo bello implicatis, quod per Vervinienſem pacem finitum eſt, loca nonnulla eripuerat, quæ repetebat Henricus. Magnæ multæque utrinque ſe offerebant difficultates, Henrico ad extrema deſcendere parato, ni redderentur; ſimul tamen tum ob alias rationes, tum quod in rebus dubiis propenſum erga ſe Etruriæ Ducis animum expertus eſſet, ut amice res componerentur, præoptante: ipſo autem Etruriæ Duce magna & incredibili cupiditate arrepta retinendi flagrante. Non alium quam Oſſatum obſtaculis cunctis removendis parem ipſe Rex judicabat, qui, ut ex litteris ejus conſtat, diſerte profitebatur, ſolo Oſſato adminiſtro ex voto rem impeditam perduci ad finem poſſe. Et fecit ſane ſpei Regis affatim ſatis, ea lege pacem amicitiamque inter utrumque ſanciens, ut non impleret modo, ſed & ſuperaret vota Regis. Venetias autem profectus eſt, ut Rempublicam de pace Vervinienſi inter Galliæ Hiſpaniæque Reges certiorem faceret. Quo nuntio ut nihil lætius Venetis obtingere poterat, ita Oſſatus ipſe lætitiam augebat; quippe qui Venetæ virtutis & prudentiæ magnus ſemper admirator extiterat, adeoque unus omnium illis longe acceptiſſimus erat. Paucos dies Venetiis commoratus Florentiam revertitur, impetratque, ut in legibus, quibus inter ſe convenerant Principes, in gratiam Regis nonnulla mutarentur: iisque ex voto peractis Ferrariam ſe confert, Ducis Luxemburgii in Galliam profecti vices apud Romanum Pontificem ſuſcepturus. Vergebat tunc ad finem annus octogeſimus nonus ſupra milleſimum & quingenteſimum, fatigabantque Romanam Aulam Societatis Jeſu Sacerdotes, hactenus Gallia, juſſu Henrici IV Regis extorres, ut deprecatore Pontifice, irato Regi tandem conciliati, in priſtinas ſedes reciperentur. Oſſatum itaque appellat Pontifex, eumque ut Jeſuitarum cauſam apud Regem agat, rogitat. Patuit hic cumprimis Viri prudentia. Namque palam Regi perſuadet, ſe alieno ab iis eſſe animo, eoque efficit, ut dictis ſuis fides a Rege tribueretur: mox demonſtrat, e re tamen Regis eſſe, hoſce homines recipi, quod in litteris & ratione erudiendi juventutem regnent, Pontificemque non alia magis re propitium ſibi Rex reddere queat. Enata inde eſt quorundam ſuſpicio, iniquo in hujus ordinis viros animo fuiſſe Oſſatum, quos

-acriter redarguit Houſſæus. Sane Tarquinius Gallucius ipſe Societatis Jeſu Sacerdos, reſtitutæ Societatis hujus ſedibusque ſuis in Gallia redditæ gloriam Oſſato citra ambages vendicat. Nihil itaque tam arduum & inacceſſum Oſſato fuiſſe videtur, quod non tandem planum & expeditum ſolertia ejus redderet. Diſceptatio quidem Galliæ Regis cum Sabaudiæ Duce de Marchionatu Saluzziarum exitum, Galliæ Regi parum honorificum, ſapientum judicio, ſortita eſt: quo minus tamen aliter res iſta eveniret, penes Oſſatum utique non ſtetit. Si Houſſæo credimus, Romano Pontifici ejusque nepoti Cardinali Aldobrandino fides & integritas: Henrico conſtantia animique firmitudo defuit. Exſtat Oſſati epiſtola ad Villaregium, quæ in hac editione ducenteſima quadrageſima octava ad eundem eſt, & parte II legitur, qua id omni animi contentione agit, ut Regi perſuadeat, æternum eum famæ ſuæ & exiſtimationi inuſturum dedecus, ſi Saluzziarum Marchionatum Sabaudo concedat, nec ullam quantumvis ingentem argenti vim, nullas provincias aut urbes, utut ampliſſimas, ſufficere ad jacturam, quam Gallia inde factura ſit, reſarciendam. Quam parum autem apud Regem profecerit, res ipſa atque eventus docuit. Felicius Regis cauſam contra Lotharingiæ Ducem egit. Is in eo erat, ut Nanceji Epiſcopatum erigeret, bonis Epiſcopatuum Metenſis, Tullenſis & Virodunenſis locupletandum, Præſulibus qui hiſce ſedibus tum præerant, Duci, poſthabitis Epiſcopatuum ſuorum commodis, faventibus, aſt refragante Rege, qui ne conſentiret, Pontifex per Oſſatum effecit. Plura eodem ſucceſſu ab Oſſato perfecta referre poſſemus, niſi per illuſtriora ſolum documenta ire nobis eſſet conſtitutum. In Cardinalium denique ordinem receptus eſt a Clemente VIII R. P. d. 3. Martii A. 1599, ad quod dignitatis culmen ſola virtute eum perveniſſe, Pontificis teſtimonium neminem dubitare ſinit, qui nihil in Oſſato ſe deſiderare, præter obſcuros & ignobiles natales, palam profeſſus eſt. Quemadmodum autem Galliæ quoque Regi hujus dignitatis acceſſionem haud immerito imputabat: ita ne de fide in eum induſtriaque quicquam remiſiſſe videretur, diligentiſſime cavit. Probandæ induſtriæ occaſionem dedit Epiſcopus Senonenſis, quem Archi-Epiſcopatui Bituricenſi deſtinaverat Rex Henricus. Renuebat Pontifex: nec, ut videri poterat, ſine ratione. Senonenſis quippe Præſul Henricum Regem, venia a Romano Pontifice nondum impe-

impretrata, hæreſeos immunem in Abbatia S. Dionyſii pronuntiaverat, ad Clerum etiam Gallicanum de Patriarcha Galliæ creando retulerat. Hoc ſatis erat ad irritandam Curiam Romanam. Nec deerat, quod obtentui ſumi poterat. Septies enim indies capiebat cibum, intemperantiæque adeo ſuſpicionem evitare non poterat. Mirandum ergo non eſt, Oſſatum tuliſſe repulſam, Pontifice hominem mirum in modum averſante: ſed Oſſatum denuo cum Bethunio Comite cauſam iſtam aggreſſum, & ex voto obtinuiſſe, id ſi quis miretur, juſtam forte prægnantemque habuerit cauſam. Quotidianus iſte erat Oſſati labor, per impeditos & lubricos Curiæ Romanæ anfractus eniti; quod miſſis ceteris, quæ momentum non trahunt, unico adhuc documento comprobabimus. Duxerat Barrenſis Dux, Caroli III. Ducis Lotharingici filius, in matrimonium Catharinam, Henrici IV Galliæ Regis ſororem, quæ quod Reformatæ Eccleſiæ ſacris addicta eſſet, Romanus Pontifex ratum id matrimonium habere nolebat. Anxie id cupiebat Henricus, precibusque jam A. 1598, cum Pontifex Ferrariæ commoraretur, impetrare conatus fuerat, ſed fruſtra. Tandem denuo Oſſato negotium datum, ut ſi poſſet, animum Pontificis flecteret. Res maximis circumſepta erat difficultatibus. Pontifex ſerio & ſanctiſſime profeſſus erat, nunquam ſe conſenſurum. Nec hoc magnopere cupiebat Dux Barrenſis, conjugis non adeo formoſæ, nec ætate ſibi paris, pertæſus: quin ut diſſolveretur potius hoc matrimonium, in votis habebat; nec id latebat Pontificem. Henricus contra ſororis miſeratus, urgere Oſſatum non deſtitit. Omnes ergo ingenii & prudentiæ vires intendendæ erant, quibus tandem effecit, ut vel invitus Pontifex invito marito conſenſum ſuum obtruderet, connubiumque iſtud ratum eſſe juberet. Atque dum hæc gerebat, Joyeuſii Cardinalis rerum Gallicarum in Aula Romana protectoris, in Franciam reverſi, vicibus fungebatur. Bajocaſſinenſi autem Epiſcopatui A. 1600 admotus eſt, quo tamen mox, annuente Rege, iterum ſe abdicavit. Nec magnum adeo vitæ ſpatium illi tum emetiendum reſtabat: obiit namque d. 13. Martii A. 1604. De morbo morteque ejus Villaregium certiorem fecit Comes Bethunius, Galliæ Regis eo tempore ad Romanum Pontificem Legatus; cujus litteras Houſſæus ſubjecit.

Parti priori Epiſtolarum additi ſunt articuli conventionis, inter

ter Henricum IV Galliæ Regem & Ferdinandum Magnum Ducem Etruriæ, cujus ſupra injecta eſt mentio. In fine autem partis poſterioris conſpicitur Tarquinii Gallucii oratio in funere Oſſati habita, Elogia quoque, quibus a viris doctis paſſim ornatus eſt, ut & Regis ac Villaregii nonnullæ ad Oſſatum Epiſtolæ.

## A DISCOURSE IN VINDICATION OF THE DOCTRINE OF THE TRINITY &c.

i. e.

*VINDICIÆ PRO DOCTRINA DE SS. TRINITATE, UNA cum objectorum nuper a Sociniano ex Scriptura, antiquitate, & ſana ratione, ſolutione: nec non præfatione diverſos doctrinam de Trinitate proponendi modos, & finem ad quem Socinianiſmus collineat, concernente, Autore EDUARDO EPISCOPO WORCESTRIENSI.*

Londini, apud Henr. Mortlock, 1697. in 8. plag. 23.

MAxime Reverendus Eccleſiæ Worceſtrienſis Præſul Eduardus Stillingfleet, cujus honorifica, quam meretur, mentio paſſim in Actis noſtris extat, occaſionem ex inſtituto abſtruſiſſimum Trinitatis myſterium rimandi & explicandi inde nactus eſt, quod non ita pridem Sermonem ad populum de myſteriis fidei Chriſtianæ ab eo habitum arrodere, ex Socinianorum grege nonnemo auſus fuiſſet. (Præf. p. 2.) In illo autem ſtadio ita ſibi decurrendum eſſe putavit, ut poſthabitis novis artibus, hoc eſt, exquiſitis illis, ac peculiaribus quibusdam myſterium iſtud explicandi modis, antiquiori & receptiori methodo unice inſiſtat. (p. 3.) Nova enim illa viarum diverticula, graviſſimas non tantum inter fratres peperiſſe diſſenſiones, verum & adverſariis animos addidiſſe obſervat: qui calumniandi inde veritatem tanquam incertam, & de qua ipſi propugnatores ejus diſſentiant, occaſionem arripuerint, quintuplicem, quam ſarcaſtice irrideant, Trinitatē inter Chriſtianos defendi commenti. (p. 5.) Ciceronianam ſcilicet, cujus patroni per tres perſonas exemplo Ciceronis tres tantum diverſas relationes intelligant: Carteſianam, qua tres infinitæ mentes, ſive ſpiritus, unum Deum

Deum conſtituere dicantur: Platonicam, quam profitentes tres divinas & coæternas perſonas, dignitate, potentia & reliquis attributis ſuis ſibi invicem ſubordinatas admittant: Ariſtoteleam, in qua unum eſſe ſtatuant Deum, quoniam tres divinæ perſonæ unam eandemque numero ſubſtantiam conſtituant: & denique Trinitatem vulgi, h. e. pigrorum quorundam hominum, qui breviter dicant, myſterium eſſe Trinitatem, nec eos magis qui explicare, quam qui oppugnare illud ſuſtinent, culpa vacare arbitrentur.

Præcipue autem hactenus Socinianos copioſam triumphorum meſſem ex controverſia, inter Gulielmum Sherlockum & Robertum Southum, quorum ille Carteſianam quam vocant, hic Ariſtoteleam Trinitatem defendit, maxima cum acerbitate agitata, ſibi pollicitos eſſe monet. Southum enim & qui ejus ſequuntur opinionem, Trinitarios, ut vocant, nominales, revera Sabellianiſmum profiteri: Sherlockum contra, Trinitarium, uti loquuntur, realem, in Tritheiſmi barathrum præcipitem ſeſe dare; utrumque vero alterum ſolide confutaſſe, atque adeo in agone de Trinitate doctrinam eſſe, ſuperbe calumniantur. Hanc vero gloriationem ut eis ereptum eat Max. Reverendus Autor, prolixiſſime utriusque horum Theologorum orthodoxiam tuetur, eosque in re ipſa amice conſentire oſtendit. Nam quod Rev. Southum attinet, verum quidem eſt, diſertis verbis eum affirmare " quod Deus una divina intellectu- p. 8.
" alis ſubſtantia, ſive realiter ſubſiſtens perſona ſit, tribus relativis
" modis, ſive relativis ſubſiſtentiis diſtincta & modificata"; quæ Sabellianismum olere Socinianis videntur. At enim vero idem p. 10.
" etiam, quod Rev. Præſul obſervat, " unamquamvis Divinitatis per-
" ſonam abſolutam naturam diſtincte ad ſe pertinentem, non tamen
" diſtinctam & abſolutam naturam habere", item, " æternum Pa-
" trem, ut patrem ſubſiſtere, per generationem Filii, & communica-
" tionem eſſentiæ ſuæ cum alio " ſtatuit: imo & Trinitatis doctrinam
" in eo fundari ait, " quod unus tantum ſit Deus: quod in Deo ni-
" hil ſit quod non ipſe ſit Deus: quod in Deitate nulla dari compoſi-
" tio poſſit cum aliquo ente poſitivo reali, ab ipſa Deitate diſtincto;
"Eccleſiam vero in S. Litteris trium mentionem invenientem, quibus
"diſtincte Divinitas tribuatur, tres illos perſonarum nomine deſignaſ-
" ſe, & perſonalitatem eorum per tres diſtinctos ſubſiſtendi modos,

"uni eidemque Deitati proprios, eosque tribus diſtinctis relationi-
"bus a ſe invicem diviſos, definiviſſe. Quæ omnia Sabellianus ut largiatur, nunquam ſeſe induci patietur, cujus Trinitas Baſilio definiente ἓν πρᾶγμά ἐςι πολυώνυμον. Omnem itaque hic Socinianorum errorem in eo verſari Maxime Venerandus Eduardus noſter
p. 11. 12. putat, quod inter *Perſonas* & *Perſonalitates* non diſtinxerint. *Perſonas* pro modis & relationibus nuſpiam venditare Southum, qui communicationem *eſſentiæ* divinæ admittat, & unicuique perſonarum divinarum *naturam divinam* tribuat. De *Perſonalitate* vero aliam eſſe quæſtionem; eam enim eſſe formalem diſtinctionis *Perſonarum* in eadem & indiviſa natura rationem. Nimirum cum Scriptura affirmet, diſtinctionem in Deitate eſſe, & unam tamen eſſe eſſentiam; jam quæritur, quid iſtam diſtinctionem faciat? Non attributa ſane; illa enim in divina eſſentia, & in quavis ejus perſona eadem eſſe oportet, alias integram divinam naturam perſonæ divinæ non haberent: non accidentia, quæ homines quidem ab invicem diſtinguunt, ſed quorum divina natura capax non eſt: non ſeparatæ & diviſæ ſubſtantiæ, quæ cum perfecta unitate conſiſtere nequeunt. Quid ergo? Videndum quomodo Scriptura mentes noſtras hic dirigat. Ea de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, tanquam mutuis relationibus ſe invicem reſpicientibus loquitur; cumque in his nihil, quod divinæ naturæ repugnet, inveniatur, diſtinctionis perſonarum fundamentum in eis a Southo quæſitum fuit. Atq; iſtæ relationes diſtincti ſubſiſtendi modi ab eo appellatæ fuerunt, in quibus *perſonalitates* fundentur, quosq; relativos proinde eſſe neceſſario oportet. Quantum vero ad *perſonam*, ea illud eſt, quod a natura & ſubſiſtentia divina ſibi invicem junctis reſultat: & quamvis *perſona*, quatenus talis, relativum quid eſſe dici nequeat, cum modo tamen ſubſiſtendi conſiderata relationem involvit, ut adeo hoc ſenſu ens relativum non immerito dicatur. Ita igitur Cl. Southi ſen-
p. 14. tentiam Max. Rev. Epiſcopus explicat, & a Sabellianiſmi ſuſpicione vindicat. At vero inſtant Sociniani, *perſonas* inter homines a *perſonalitatibus* diſtingui, quoniam illi diſtinctas habent ſubſtantias; ubi vero una tantum eſt ſubſtantia (uti ex Southi mente in Deitate eſt,) ibi *perſonam* nihil aliud quam modum, atque adeo idem cum *perſonalitate* eſſe. Huic itaque exceptioni Noſter reſpondet: veram & primam *perſonalitatis* notionem nullam aliam eſſe, quam illam, quod

ſit

ſit diſtinctus quidam ſubſiſtentiæ modus in eadem communi natura. Unamquamvis enim naturam in ſe ſpectatam indiviſibilem eſſe, tantoque magis unam, quo perfecta eſt magis, ut adeo maxime unum ſit primum ens, omnis vero *diviſio* a diſtantia & imperfectione pendeat. Primum *diſtinctionis* fundamentum *diverſitatem* eſſe; ſine hac enim nihil aliud quam perfectam unitatem extiturum. *Diverſitatem* omnem a duabus rebus pendere, *diſſimilitudini* & *dependentia*. Ut adeo differentia quæ facit ut ſubſtantia a ſubſtantia differat, in rebus creatis, a duabus iſtis rebus pendeat, 1. a diſſimilitudine accidentium internorum atque externorum, & 2. a voluntate poteſtateque Dei, qui diſtinctam & ſeparatam exiſtentiam in eadem communi natura ipſis conceſſit. Sic igitur naturam v. g. & eſſentiam hominis in ſe ſpectatam unam eſſe & indiviſibilem, Deum vero ſeparatam unicuique individuo ſubſiſtentiam largiri, per quam communis natura in tot diſtinctis ſubſtantiis exiſtat, quot individua iſtius generis inveniuntur: atque unamquamvis harum ſubſtantiarum ab omnibus aliis eſſe diſtinctam, non tantum per principia vitæ interna & peculiares proprietates, ſed & per externa quædam accidentia. Subjectum autem omnium horum accidentium eſſe peculiarem illam ſubſtantiam, quam cuivis individuo Deus dedit, & quæ, ſi de entibus rationalibus ſermo ſit, perſona vocatur. At hiſce ita poſitis concedendum quidem eſſe, in omnibus rebus creatis *perſonalitatem* ſupponere diſtinctam quandam ſubſtantiam, non tamen ideo quod perſonalitatis natura eam ſupponi requirat, ſed quod conditio ſubjecti, in quo illa eſt, hoc exigat. Quando autem divina conſideratur eſſentia, quæ perfectiſſime una eſt, nec ullam ſeparatam exiſtentiam aut accidentia admittit, tum nullam aliam diſtinctionis concipi poſſe rationem, quam eam, quæ per diverſos ſubſiſtendi modos aut proprietates relativas in eadem divina eſſentia efficitur. Atq; hic eodem modo quo in aliis de divina natura conceptibus nos procedere, ut omnem ſcilicet a Deo imperfectionem removeamus, & ea tantum quæ cum perfectione ejus conſiſtere poſſunt, illi tribuamus, licet ratio eorum & menſura captum noſtrum longiſſime exſuperet.

Hæc ſunt præcipua, quæ ad Southi ſententiam, inter pleros que Theologos orthodoxos receptam, a Sabellianiſmi ſuſpicione liberandam magna cum ſubtilitate diſputat. Jam videamus, quomodo a Tritheiſmi crimine Sherlockum defendat. Eum itaq; fervore diſpu- p. 19.

 tationis

p. 21. tationis abreptum limites ab Eccleſia, quæ tres perſonas in una & individua eſſentia confeſſa ſemper fuit, antea obſervatos transgreſſum eſſe non diſſimulat, dum unamquamvis Trinitatis perſonam peculiarem & propriam ſibi ſubſtantiam habere, tresque adeo dari in Trinitate diſtinctas Mentes ſtatuit. Tritheiſmi tamen, cujus ipſum & Sociniani, & acerrimus ejus adverſarius Southus accuſavit, reum non eſſe, ita fere
p. 24. oſtendit. Primo loca ex ejus ſcriptis producit, in quibus unitatem
p. 25. divinam eſſentialem & inſeparabilem diſerte defendit, ita ut quamvis tres diſtinctas mentes in Deitate agnoſcat, diſtinctæque & ſubſtantiali perſonæ diſtinctam & propriam ſubſtantiam tribuendam eſſe ſtatuat; non tres tamen Deos, ſed unam Deitatem, quæ tota, indiviſibilis, & inſeparabilis in tribus diſtinctis mentibus ſive perſonis exiſtat, fateatur, eandemq; unicam divinam naturam totam ab æterno Patre cum æterno Filio, a Patre & Filio vero cum æterno Spiritu, ſine diviſione &
p. 27. ſeparatione communicatam dicat. Omnem itaque controverſiam inter Southum & Sherlockum, in explicatione tantum hujus articuli, non in ipſo articulo diſſentientes, in eo verſari Epiſcopus noſter ait,
p. 31. an eſſentia communicata diſtinctionem ſubſtantiæ involvat. Atque hic quidem fatetur parum commodam Sherlockii explicationem eſſe, cum impoſſibile ſit, tres individuas eſſentias cum una individua eſſentia conciliare; hæreſeos tamen eum accuſandum eſſe conſtantiſſime
p. 32. negat. Propterea q; prolixe pariter ac erudite contra Socinianos quosdam autores defendit, alias plane Philoponi, Ioachimi Abbatis, & Valentini Gentilis ſententias, ab Eccleſia tanquam hæreticas condemnatas, a Sherlockii opinione fuiſſe. Southo vero & Sherlocko graviſſimis argumentis ſuadet, ut cum de re ipſa illis conveniat, nolint deinceps, quod in ea captum noſtrum ſuperat, nimis contentioſe rima-
p. 48. ri, præcipue cum Socinianis pariter ac Naturaliſtis, ad quorum impietatem Socinianiſmum tendere fuſe & accurate oſtendit, nimium quantum litibus iſtis eos prodeſſe omnibus pateat. Et hæc quidem omnia in præfatione fuſius tractantur. Quantum ad ipſum librum, tribus quaſi ille abſolvitur capitibus. Primo enim doctrinam Eccleſiæ de Trinitate, prout in ſymbolo Athanaſiano traditur, contradictionibus & abſurdis non laborare; altero ab ea, quam Chriſtiana Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus tenuit, ſententia diverſam non eſſe; tertio vero ſanæ rationi non eſſe contrariam, oſtenditur.

Ut

Ut autem de primo capite pauca dicamus, adeo abſurdam doctrinam de Trinitate eſſe jactant novelli in Anglia Sociniani, ut inter fidei Chriſtianæ capita locum antea invenire non potuerit, quam Imperatorum & Pontificum vis eam omnibus obtruſiſſet. Prima enim Chriſtianæ religionis ætate hanc doctrinam fidelibus parum probatam fuiſſe, Nazaræis & Ebionitis in ſcenam productis probant; quos tamen hæreticos fuiſſe, quibus a recte ſentientibus contradictum ſemper fuit, multis ea occaſione eruditis obſervationibus allatis, doctiſſimus Autor oſtendit. Qui fruſtra quoque Theodotionis, Pauli Samoſateni, Luciani & Photini autoritatem, quæ nulla in veteri Eccleſia fuit, eos jactare erudite demonſtrat, præcipue cum quorundam ex iis ſententia longiſſime etiam a Socinianorum errore diſcrepet. At quantum ad ipſam abſurditatem, qua laborare doctrinam de Trinitate calumniantur, primo contradictionem in numeris eſſe ajunt, ſi idem ſimul unum & tria eſſe ſtatuatur; cui criminationi cum nihil aliud reponat Rever. Autor, quam quod jam olim ab Auguſtino Tr. 39. in Joannem & Boëthio Oper. p. 1121 repoſitum fuit, ad alteram accedimus, quam haud paulo prolixius tractavit. Contradictionem ſcilicet involvere ajunt, quod dicimus tres perſonas in una communi natura ſive eſſentia eſſe; illam itaque propoſitionem ut a contradictione liberemus, tria obſervanda eſſe docet. Primo diſtinguendum eſſe ait inter rerum eſſentiam ſive communem naturam, & exiſtentiam ſive naturam individuam. Deinde diſtinguendam eſſe unitatem quæ pertinet ad eſſentiam ſeu naturam communem, ab ea quæ individuis actu exiſtentibus propria eſt. Unitatem eſſentiæ duplicem eſſe: vel enim talem eſſe eſſentiam, ut eadem ſit cum exiſtentia, ubi nimirum eſſentia involvit neceſſariam exiſtentiam, quod ſolius Dei eſt: vel contingentem tantum exiſtentiam eſſe, atque adeo non eandem cum eſſentia; uti in creaturis. Exiſtentiæ unitatem rurſum duobus modis conſiderari poſſe: vel in relatione ad ſeipſam, & ſic vocari identitatem, ſive rem quæ in eodem eſſe permanet; cujus identitatis in homine fundamentum eſt principium vitæ, ex corporis & animæ unione reſultans: vel in relatione ad alios, h. e. quatenus unusquisque ab aliis individuis ejusdem ſpeciei diviſus eſt, quamvis in eadem communi eſſentia conveniant. Ab hujus poſtremi accurata cognitione rem omnem pendere, atque adeo duo eſſe expendenda. Primo, quid efficiat, ut individuorum

c. II. c. III. c. IV. c. V. c. VI. p. 69.

percipiamus differentiam; hancque perceptionem a differentia accidentium externorum, & internarum qualitatum & diſpoſitionum pendere ait: ſecundo, quid proprie & formaliter, ut Scholæ loquuntur, efficiat, ut duo ejusdem ſpeciei entia a ſe invicem individualiter differant; & hoc quidem a ſeparata exiſtentia, quam ſingula individua habent, ex mero arbitrio divino ipſis conceſſa, effici docet. Verum iſta nondum ſufficere ad penitius intelligendam hanc controverſiam cenſet, ideoque iſta adhuc in perſonis individuis obſervari jubet. 1. Actualem exiſtentiam in ſeipſa ſpectatam, quæ niſi ita dari poſſet abſtracta, duæ naturæ in Chriſto duas neceſſario conſtituiſſent perſonas. 2. Exiſtentiam ab omnibus aliis ſeparatam & diviſam, quæ ex actuali exiſtentia reſultat, abſtrahi tamen ab illa poteſt; ut adeo humana Chriſti natura, quamvis ſubſiſtentiam ſubſtantiæ propriam habuerit, ſeparata tamen poſt unionem hypoſtaticam non gaviſa fuerit exiſtentia. 3. Peculiarem ſubſiſtendi modum, qui conſiſtit in proprietatibus incommunicabilibus, in quibus formalis perſonalitatis ratio ſita eſt, quæ in ente intelligente nihil eſt aliud, quam peculiaris modus ſubſiſtendi in hoc ente, qui nequit eſſe in ullo alio ente. 4. Communem naturam, quæ huic ſubſiſtendi modo jungi debet, ut perſona inde exſurgat, & ſine qua ille merus modus eſſet, cum tamen perſona ſine juncta ei eſſentia nunquam a nobis concipiatur: atque hic Rev. Autor nullam omnino apparere contradictionem monet, ſi diverſæ perſonæ in eadem communi natura admittantur. 5. Individua ejusdem ſpeciei numero differre dici, ob diſtincta eorum accidentia & exiſtentiam ſeparatam, quæ faciunt ut numerari poſſint; ubi vero nec accidentibus nec diviſioni locus eſt, ibi perfectam eſſe unitatem. 6. Ubicunque diverſa ſunt ejusdem ſpeciei individua, ibi neceſſario ſeparationem in natura contingere: non quod actualis localisque fiat ſeparatio, ſed quod ſeparari tamen & dividi naturam oporteat, quæ in diverſis ſubſiſtit individuis, cum omnia individua dividant ſpeciem, communis vero natura eadem uniat. Jam ut hæc ad præſens negotium accommodentur, pateatque contradictione haud laborare propoſitionem, quæ tres perſonas & unum Deum eſſe dicit, eſſentiam divinam ita ait eſſe indiviſibilem, ut eam perſonarum differentiam, quæ inter homines eſt, non admittat, quoniam accidentia diverſa non habet, & ſeparatam exiſtentiam reſpuit, cum una in Deo cum eſſentia ſit exiſtentia. At

vero

vero nonne hoc modo diſcrimen perſonarum tollimus ad Sabellianiſmum prolabentes? Neutiquam vero, inquit Noſter: Sabellianos enim unam tantum in Deo eſſentiam, unam item tantum perſonam agnoviſſe, Sociniani largiuntur; hic vero tres perſonæ, h. e., ne verbis ludamus, tres diſtinctæ ſubſiſtentiæ manifeſte relinquuntur. Nec objici poſſe putat, quod perſona ſit ens intelligens, quamobrem tres perſonas tria entia intelligentia neceſſario eſſe oporteat. Id enim quidem concedendum eſſe, quod perſona eſſe nequeat, ubi non eſt natura intelligens, quæ conſtituat perſonam; perſonam vero notionem entis intelligentis, ſeparati ab aliis individuis ejusdem ſpeciei, involvere negat, cum divina eſſentia hujusmodi ſeparationem non admittat. Hanc autem doctrinam ſuam veterum quoque Patrum fuiſſe demonſtrat, quibus falſo affingi a Curcellæo aliisque hujus furfuris hominibus, ac ſi ſpecificam naturam divinam ſtatuiſſent, cujus individua Pater, Filius & Spiritus S. ſint, clariſſimis eorum locis allegatis evincit. Sed iſtis, quæ hactenus diſſipatæ ſunt, calumniis veritatem oneraſſe non contenti adverſarii, ipſum Symbolum Athanaſianum aggreſſi ſunt, & illud ſpeciatim neſcio quarum contradictionum accuſarunt; quarum diſcuſſio cum hactenus dictis penitus fere innitatur, illi quidem ulterius non immorabimur. c. VII.

Nec in altero capite, quod modernam Eccleſiæ Chriſtianæ de S. Trinitate doctrinam traditioni Apoſtolicæ plane conſonam eſſe demonſtrat, multum hærebimus. Sufficiat annotaſſe, prolixam textuum Apoſtolicorum contra Socinianorum contortas interpretationes inſtitui vindicationem, ac ne antiquitatis ſuffragia nobis deeſſe videantur, inſtitutionem baptiſmi potiſſimum urgeri, quam & Patres qui ante Concilium Nicænum vixere, ad confirmandam de S S. Trinitate doctrinam aſſidue urſiſſe, & firmiter eandem contra Socinianos defendere, fuſe oſtenditur. Qua occaſione ſimul de Symbolo Apoſtolico accurate diſputatur, cujus autores ipſos Apoſtolos non eſſe, & ſi vel maxime ſint, nihil tamen exinde detrimenti noſtram de SS. Trinitate doctrinam capere, cum neutiquam deitatem Filii & Spiritus S. illud excludat, ſed ex totius Eccleſiæ conſenſu antea demonſtrato ſupponat, evincitur. c. VIII. c. IX. p. 225.

De tertio capite, quo ea, quæ myſterio Trinitatis rationem humanam opponere Adverſarii fingunt, ſolvuntur, quædam adhuc dicere c. X.

cere

cere libet. Primo ajunt doctrinam de Trinitate, ipſis fatentibus orthodoxis, myſterium, adeoque ſupra rationem eſſe; obſtringi autem neminem poſſe, ut quod ſupra rationem eſt, ſibi perſuaderi patiatur. Iſta vero ut evertatur cavillatio, duo obſervanda eſſe Max. Rev. Autor exiſtimat, quid nimirum ratio ſit, & quæ cauſa rationi eſſe poſſit, ut rejiciat aliquam doctrinam ſupra ſe poſitam, quando illa tanquam res credenda proponitur. Quantum ad primum, neminem hactenus Socinianorum, qui in ore tamen nunquam non eam habere ſolent, rationis edidiſſe definitionem monet, præter Tolandum, qui Chriſtianiſmum nihil myſterii habentem publicavit. Ille vero rationem definiturus, ita fere loquitur: "Unusquisque in ſe ipſo ſentit potentiam aliquam & facultatem varias ideas rerumque perceptiones formandi, affirmandi vel negandi, prout id conveniens vel diſconveniens eſſe viderit, atque hoc quidem omnino ratio eſt. Non enim illa accurate loquendo in nuda idearum receptione, verum in perceptione convenientiæ & diſconvenientiæ, quæ eſt inter ideas noſtras, qualiscunque denique illa ſit, conſiſtit. Si perceptio ſit immediata, ita ut non intercedant aliæ ideæ, tum non rationis ſed evidentiæ id eſſe dicimus. Verum cum mens intercedentibus quibusdam ideis utitur, ut ad convenientiæ & diſconvenientiæ cognitionem perveniat, iſta methodus ſcientiæ proprie ratio & demonſtratio appellatur. Ut adeo ratio ſit facultas animæ, rei dubiæ vel obſcuræ certitudinem, inſtituta comparatione ejus cum re clare & diſtincte percepta detegens." Verum quam parum ſatisfacere nobis iſta rationis deſcriptio poſſit, Venerandus Eduardus noſter inde luculenter conſtare ait, quod ſupponat, claras & diſtinctas nos habere oportere rerum ideas, de quibus cum certitudine aliqua perſuaſi eſſe volumus, viamque unicam ad certitudinem perveniendi harum idearum eſſe comparationem, quo ipſo excludatur omnis fidei rationisq; certitudo in rebus, quæ talem evidentiam non admittunt. Atq; hæc quidem etiam adverſarii quem oppugnat opinio eſt, qui, ut rei de qua agimus inhæreamus, nullam eſſe noſtram *ſubſtantiæ* & *perſonæ* diſtinctionisq; inter utramq; cognitionem, a qua tamen cognitio myſterii Trinitatis pendet, defendit. Cum enim ingenioſiſſimi Lockii doctrinam, in doctiſſimo opere de mente humana propoſitam, ſecutus, nullum alium perceptionis modum quam ſenſationem & reflexionem, quarum illa

illa ideas rerum externarum, hæc animæ & rerum ſpiritualium in nobis gignit, admittat: ſubſtantia vero, quod ipſe Lockius docet, neutra illarum viarum nobis innoteſcere poſſit; ſequitur, nullam quoque ejus dari ideam, ſed eam, quam dicimus, ſubſtantiam nihil aliud eſſe, quam ſuppoſitionem rei, externa, quæ videmus, accidentia ſuſtinentis, cetera nobis prorſus incognitam; quam proinde cum illo Philoſophi Indi *aliquid neſcio quid* comparare Lockius amat, qui interrogatus, cui fulcro innitatur terra? elephanti reſpondit; porro vero inſtante illo qui interrogabat, quid elephantem autem ſuſtinet? magna inquiebat teſtudo; quid vero teſtudinem? *aliquid neſcio quid*, reſpondit. Hisce itaq; φιλοσοφήμασι, quæ eo tendere videntur, ut omnem certitudinem doctrinæ de Trinitate nobis eripiant homines iſti, ita obviam it Max. Rever. Autor, ut concedat, neque per ſenſationem, neq; per reflexionem, claram & diſtinctam ſubſtantiæ nos habere ideam, verum ex hoc ipſo etiam arguat, imperfectiſſimam eſſe idearum rationi neceſſariarum diſtributionem a Lockio inſtitutam, tertiumque adeo genus idearum quarundam generalium addendum eſſe, quas mens producat formando diſtinctas & generales rerum ideas ex particularium idearum contemplatione. Atque inter has aliquem ex primariis locis ſubſtantiam occupare, cujus idea inde exſurgat, quod ſentiamus, modos atque accidentia ſine *ſubſtrato* quodam nos concipere haud poſſe. Quamvis autem *ſubſtrati* hujus ſuppoſitionem conſuetudinem Lockius dicat, nil tamen hoc ipſo lucratur. Quærit enim Noſter, an ratione nitatur conſuetudo illa, an minus? Si non nititur ratione, tum accidentia & modos per ſe ſubſiſtere neceſſe erit: ſi nititur, ſubſtantiæ habebimus ideam, quæ neque per ſenſationem, neque per reflexionem gignitur. Nec ipſum nomen *ſubſtantiæ* ſenſu nimis Grammatico accipiendum docet, qui favere adverſario videtur, ſed eo quo Cicero, Quintilianus, aliique id accipiunt, quibus idem cum eſſentia notare ſolet. Atqui ex eo quoque, quod dicit Cl. Lockius, "æque, diſtinctam notionem ſpiritus ac corporis nos habere, cum hoc ſupponatur eſſe ſubſtratum ſimplicium idearum, quas ab objectis externis recipimus, alterum operationum, quas in nobismet ipſis invenimus: proindeque non minus abſurdum eſſe, ſi dicas ſpiritum non dari, quoniam diſtinctā ſpiritualis ſubſtantiæ ideam non habes, quam ſi dicas corpus non eſſe, propterea quod corporeæ ſubſtantiæ evi-

denti cognitione non gaudes." ex eo, inquam, quoque ſententiam ſuam Autor confirmat, atque evidens eſſe ait, corporeas pariter ac ſpirituales dari ſubſtantias, licet claras & diſtinctas earum ideas non habeamus. Hoc vero quomodo, inquit, fieri poteſt, ſi ratio noſtra a claris & diſtinctis ideis pendet? Ratio ex hypotheſi adverſa non niſi circa ideas clare perceptas verſatur, & nos tamen ſine eis certi eſſe de re aliqua poſſumus: quid igitur? num certi eſſe poſſumus ſine ratione? Neutiquam vero: ſed rationem noſtram veras rerum notiones ſine claris iſtis ideis gignere, atque adeo novam iſtam de ratione hypotheſin falſam eſſe, Reverendus Autor noſter inde colligit. Sed his non contentus, pergit urgere adverſarium, quomodo ad ſubſtantiarum ſpiritualium cognitionem perveniat, rogans. Reſpondere ait Lockium, ſe conſequi eam per cogitationem in potentias illas, quas in nobis ipſis invenimus, & quæ a ſubſtantia mere corporea eſſe non poſſunt, reflexam. Recte hæc dici Noſter concedit; verum id quæri ait, an argumentum hoc pro ſubſtantia incorporea ſit depromtum a clara & diſtincta idea? Deſumtum inde eſſe negat, cum in ſimplici idea iſtarum operationum neutiquam contineatur, quod a corporea ſubſtantia illæ procedere nequeant: ſiquidem ipſe Lockius fateatur, impoſſibile eſſe, ut per contemplationem idearum noſtrarum, ſine revelatione, certi reddamur, an non omnipotentia divina certis quibusdam materiæ ſyſtematibus apte diſpoſitis, cogitandi facultatem conceſſerit, quodque ideas quidem materiæ & cogitationis habeamus, nulla vero ratione diſcere valeamus, an ens aliquod materiale cogitet, an minus. Ut adeo nulla ei ex diſtincta idea demonſtrandi ſubſtantiam ſpiritualem via ſuperſit. Rurſum, cum Lockius ſubſtantiam ſpiritualem non minus ab intellectu percipi quam corpoream docet, dum inquit: "quemadmodum ſubſtantia corporea "conſiſtit ex cohæſione ſolidarum partium, & potentia communi- "candi motum per impulſum, ita ſpiritualis conſiſtit in potentia co- "gitandi, volendi & movendi corpus: cohæſio vero partium non mi- "nus ægre concipitur, quam cogitatio: nec in minoribus tenebris "verſamur circa potentiam communicandi motum per impulſum, "quam circa potentiam excitandi motum per cogitationem &c." ex eo iterum Noſter colligit, certos nos eſſe poſſe de ſubſtantiæ ſpiritualis exiſtentia, quamvis neq; claram & diſtinctam ejus ideam habeamus,

amus, neque modum operationum ejus comprehendamus: fruſtraque adeo omnis rationis & certitudinis fundamentum in clara & diſtincta idea collocari. Nec rejici proinde poſſe doctrinam ad ſpirituales ſubſtantias pertinentem propterea, quod de modo & ratione ejus non conſtet, utpote qui neque in rebus materialibus, neque in ſpiritualibus, uti ipſi fatentur adverſarii, ſit evidens.

Jam ulterius tendit Max. Rev. Autor, atque oſtendere nititur, ſalvo iſto, quod oppugnat, adverſariorum ſuorum principio, nullam Dei demonſtrationem dari poſſe, de quo tamen evidentia, quamvis mathematicam certitudinem exæquante, conſtare Lockius dicit. Inter omnia enim, quæ Lockius producit, ſolida ſane, ad demonſtrandum Deum argumenta, id quod a clara & diſtincta idea deſumitur, ab ipſo Lockio rejicitur. Imo licet clariſſima & diſtinctiſſima entis infiniti idea neceſſariam exiſtentiam involvat, nihilominus tamen dubiam admodum Dei demonſtrationem, ob diverſa hominum temperamenta, diverſasque cogitationum eorum applicationes Lockius inde exſurgere fatetur. Unde Noſter concludit, ipſo fatente, claras & diſtinctas ideas argumenti vim pro diverſa hominum conditione poſſe amittere, ut adeo præter ideas, ad verum ferendum judicium, rectum temperamentum, & juſta mentis applicatio etiam requiratur. Poſt generalem itaque hanc demonſtrationem, qua Maxime Ven. Epiſcopus defenſum ivit, unicum certitudinis fundamentum claras & diſtinctas ideas non eſſe, diſtinctionem inter *naturam* & *perſonam* explicare aggreditur, cujus claram ideam nec reflexionem nec ſenſationem gignere poſſe docet. Quantum enim ad *naturam*, eam eandem eſſe cum *ſubſtantia*; per ſenſationem autem & reflexionem ad potentiarum quidem & proprietatum, non vero ad ſubſtratorum iis, h. e. ad ſubſtantiarum ſeu naturarum cognitionem nos pervenire, ita ut naturæ rerum ad ratiocinationem proprie, non ad ideas ſint referendæ. Duplicem autem eſſe *naturam*: vel prout conſideratur *in diſtinctis individuis*, quæ nihil aliud eſt, quam natura communis, cum particulari ſubſiſtendi modo, unicuique individuorum proprio, qui ipſas in eſſe perſonarum conſtituit; atque hoc perſonarum diſcrimen partim per ſenſus, quatenus nimirum ex diverſis accidentibus externis cognoſcitur, partim per rationem, quatenus diverſam habent exiſtentiam, nobis innoteſcere: vel prout *abſtracte* conſideratur, ſine reſpectu

ad individua, atque ſic integram per ſe notionem conſtituere. His ita præmiſſis conſiderat, quid harum rerum debeatur ſimplicibus ideis noſtris per ſenſationem aut reflexionem excitatis, atque ab ipſo Lockio (L. II. c. 30. §. 31. c. 32. §. 18. L. III. c. 3. §. 6. 15. 19. 20) concedi oſtendit, dari eſſentiam realem, quæ ſit quaſi fundamentum, cui potentiæ & proprietates innituntur: quodque potentias atque proprietates haſce cognoſcere valeamus, quamvis ipſa realis eſſentia menti noſtræ non pateat. Hinc autem infert Noſter 1) a genuinis & adæquatis ideis modorum & proprietatum, ſufficientem realis eſſentiæ certitudinem habere nos poſſe; vel enim per eas, vel plane non judicare de rebus extra nos poſitis, nobis licitum eſſe. 2) Per potentias & proprietates rerum tantum nobis de interna earum eſſentia innoteſcere, quantum illæ quaſi revelant: h. e. id ſaltem nobis patefieri, dari entia potentiis & proprietatibus hujusmodi inſtructa. 3) Eſſentias rerum, prout a nobis cognoſcuntur, realitatem in ſe habere, nec nominales tantum eſſe, utpote quæ ſolæ faciant, ut individua ſint id quod ſunt. 4) Ideam generalem non gigni ab ideis ſimplicibus per ſolum actum mentis a circumſtantiis abſtrahentis, ſed a ratiocinatione & conſideratione genuinæ rerum naturæ. Et hæc quidem ſunt, quæ monet de idea *naturæ*. Jam quantum ad ideam *perſonæ*, conſiderandum, quodnam ſit fundamentum diſtinctionis perſonarum in una eademque natura ſpecifica. Illud igitur proprie non in diverſitate lineamentorum, locorum &c. poſitum eſſe ait, ſed in modo ſubſiſtendi, qui in unaquavis perſona individuus eſt & incommunicabilis, atque proinde perſonalitas appellatur. Jam quærit, an differentiam naturæ & perſonæ ſimplices ideæ nos doceant? atq; inter abſtractas ideas & particularia entia differentiam per objectorum externorum impreſſionẽ nobis manifeſtari quidem reſpondet, ut & ſubſtantiam intelligentem per internã perceptionem; an vero ea ſubſtantiam conſtituant, an non, aliunde eſſe cognoſcendum. Si enim ſola ſubſtantia intelligens perſonam conſtitueret, duarum naturarũ unionem, qualis in unoquovis homine datur, dari non poſſe, ſed naturas uniendas duas fore perſonas. Quando autem de finitis ſubſtantiis & perſonis loquimur, tum certum eſſe, diſtinctas perſonas diſtinctas ſubſtantias eſſe, quoniam diſtinctas & ſeparatas exiſtentias habent; aliter vero ſe rem habere cum infinita ſubſtantia, cujus idea neceſſariam exiſtentiam involvit, adeoque

nihil

nihil Deo tribui patitur, quod cum neceſſaria exiſtentia conciliari nequeat. Jam igitur ſi ſupponamus diſtinctionem perſonarum in eadem divina natura, quod facere Scriptura jubet, ita id explicandum eſſe, ut cum neceſſaria exiſtentia non pugnet: non pugnabit autem, ſi coexiſtere tres perſonas in eadem divina eſſentia dicamus; neceſſaria enim exiſtentia coexiſtentiam divinarum perſonarum involvit. Unitas vero divinæ eſſentiæ arguit, non poſſe hujusmodi individuarum ſubſtantiarum in divina natura ſtatui differentiam, qualis in humana natura deprehenditur.

Atqui hoc ipſum eſt, inquiunt Adverſarii, quod rationem humanam excedit, & ad quod credendum nemo propterea obſtringi poteſt. Falſam vero eſſe hanc ſequelam, ſecundo loco in poſtremo hoc capite oſtendere Max. Venerandus Autor ſuſcepit. Cujus omnis diſputatio eo redit, ut quod contra rationem eſt, fidei objectum eſſe non poſſe largitus, id quod ſupra rationem ex parte eſt, omnino fidem propterea non amittere oſtendat: cum omnes res, naturales etiam ex parte ſupra rationem eſſe, ipſe *Chriſtianismi myſterii nihil habentis* Autor largiatur. Cujus ineptas plane contradictiones ita luculenter ob oculos poſitas hic invenimus, ut plane perfricuiſſe frontem oporteat hominem, ſi ſine pudore hæc legat. Verum iſta fuſius perſequi nobis animus non eſt. Prolixitati vero noſtræ, in iis præcipue, quæ ad Lockium pertinent, recenſendis, eo magis paratam veniam apud Lectores nos inventuros confidimus, quod aliis libellis quibusdã ingenio & ſubtilitate maxime conſpicuis, occaſionem ea dederint, quorum argumentum deinceps indicabimus. Styli autem puritatis parum obſervantes nos fuiſſe, facile excuſabit Lector harum rerum gnarus; qui vix evitari inſuperabilem pene obſcuritatem poſſe meminerit, niſi in hujusmodi argumentis recepti loquendi modi adhibeantur.

## *HENRICI WIDEBURGII, S. THEOL. D. ET IN ACADEMIA Julia Profeſſoris Ordinarii, Syſtema Theologiæ Poſitivæ: Opus poſthumum.*

Helmſtadii, apud Georg. Wolfg. Hammium, 1698, 4. Alphab. 2. plag. 13.

QUamvis Locorum Communium, Compendiorum, Breviariorum,

Manualium, Inſtructionum & Syſtematum, quibus doctrinæ ſanctioris capita explicari & Studioſorum commoda promoveri poſſint, abundantiſſimam omnino copiam extare, haudquaquam neſciret unicus celeberrimi Helmſtadienſium Theologi, Henrici Wideburgii haud ita pridem fato immaturo defuncti Frater, ordini in Academia Julia Theologico itidem hodie adſcriptus, Maxime Reverendus D. Chriſtophorus Tobias Wideburgius: non denegare tamen tot efflagitantium votis novum hoc Theologiæ Poſitivæ Syſtema fraternum ob rationes in præfatione allegatas voluit, præſertim cum peculiari iſtud methodo conſcriptum deprehenderet. Nimirum ſicut ea diſcendi docendique ratione, quam Mathematici ſervare ſueverunt, beatus Autor imprimis delectatus fuit: ita juxta hanc Theologiam quoque Theticam Auditoribus ſuis inculcare ſtuduit. Cumque in iſtorum ſcholis ejuſmodi docendi conſuetudinem obſervari cerneret, juxta quam theoremate vel problemate quovis propoſito utriusque termini declaratio tam perſpicua ſubjicitur, ut absque omni verborum ambiguitate id, quod probandum vel faciendum proponitur, cuivis innoteſcat; quo peracto quælibet propoſitio vel ad axiomata manifeſtiſſima, prima & immediata principia, vel ad propoſitiones, quæ e primis & immediatis antea demonſtratæ fuerunt, reducitur: hinc & ipſe doctrinam Chriſtianæ fidei perſpicuis theſibus comprehenſam planiſſime primum explicuit, ſolidisque poſtmodum probationibus confirmavit, in his non tam de numero, quam pondere ſolicitum ſe gerens, & cuncta ad ejuſmodi propoſitiones reducens, quæ vel Sacrarum Literarum oraculis comprehenſæ axiomatum vicem ſuſtinere queant, vel alibi demonſtratæ hypotheſium loco cenſeri mereantur. Ut autem juniorum captui eo melius conſuleret, ſingulas fere argumentationes formulis incluſit ſyllogiſticis, iſtoque pacto a *natura Theologiæ* conſideranda exorſus, mox de *Religione* quædam diſſeruit, hinc de *Sacra Scriptura* commentatus eſt, qua delineata de *quatuor Noviſſimis* egit, utpote cum rectiſſime de fine hominis primo loco Theologiam diſpicere exiſtimarit. Hinc ad reliquos articulos perrexit, quæque de *Deo*, de *myſterio Trinitatis*, de *Creatione*, *Providentia*, *Angelis*, *Divinis Pactis*, *Imagine Dei*, *Peccato* qua *originali*, qua *actuali*, *Chriſto*, *Prædeſtinatione*, *Viribus poſt lapſum humanis*, *Juſtificatione*, *Renovatione* & *Bonis Operibus*, *Pœnitentia*, *Eccle-*

*Eccleſia, Sacramentisque* & generatim & ſpeciatim ſpectatis, in ſcholis Theologorum alias traduntur, pro ſuo inſtituto retulit, quandoque theſeos deductioni antitheſeos etiam refutationem ſubjiciens.

## NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS ECCLESIASTIQUES &c.

i. e.

## *BIBLIOTHECA NOVA AUCTORUM ECCLESIASTICORUM, auctore L. ELLIES DU PIN. Tomus IX.*

Pariſiis apud Andr. Pralard, 1697, in 4. Alph. 2.

Nonus, quem luci publicæ expoſuit Vir celeberrimus, Bibliothecæ Eccleſiaſticæ tomus, Seculi poſt C. N. duodecimi hiſtoriam exhibet. Commiſſum cum Sacerdotio funeſto certamine Imperium, laceratam per ſchiſmata Eccleſiam Romanam, Pontifices cum Imperatoribus, cum Epiſcopis Reges concertantes: Sacramenta impugnata, rejectum externi cultus & ceremoniarum apparatum, naſcentem denique Theologiam Scholaſticam cum Jure Canonico, & id genus alia narraturum ſe fuſiusque expoſiturum Auctor ipſe profitetur.

Initio ab Ivone Carnotenſi Epiſcopo facto, ejusque cum Gothofredo ab Urbano II R. P. Epiſcopatu Carnotenſi exuto contentionibus ſtrictim commemoratis, ſcriptis autem, præſertim epiſtolis fuſius enarratis, originem, progreſſum atque finem controverſiæ Pontifices inter atque Imperatores magna vehementiſſimaque animorum commotione agitatæ, de inveſtitura Epiſcoporum ediſſerit. Paſchalem II Pontificem anteceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtentem, anathematis fulmen itidem in Henricum IV Imperatorem vibraſſe refert, cujus vim ut Imperator declinaret, perſuaſiſſe eum ſuis, edita ſanctione, ſuſcepturum ſe in Palæſtinam iter, Imperiique habenas ſe Filio traditurum; quorum neutrum cum faceret, enatam inde Filio occaſionem fuiſſe, connitentibus & adhortantibus quibusdam Imperii Proceribus, arma contra Patrem capiendi. Hocce Henrici junioris facinus peſſimum & naturæ ipſi adverſum Noſtro audit: nec diſſimulat tamen, eum ſumſiſſe religionem obtentui, hæreſeos inſimulaſſe Patrem, obſequiumque Pontifici promiſſis-

miſiſſe. Quem iſtæ lites ſortitæ fuerint finem, neminem fugit, nec Auctor quicquam hic affert, quod non præſtantiſſimorum Hiſtoricorum communi conſenſu ſit comprobatum. Aſt inveſtituræ jus hoc ipſo nondum obtinuiſſe Pontifices; quin mortuo Henrico IV filium Henricum V adeo ſuo jure decedere noluiſſe, ut acriter potius iſtud ſibi vindicaret, demonſtrat. Meliora quidem initio ſperaſſe Pontificem, ſed intellecto Imperatoris conſilio, cum jam in eo eſſet, ut Moguntiam peteret, mutata ſententia in Galliam abiiſſe, ibique fruſtra denuo per Legatos Imperatoris Placentinumque Præſulem re iſta diſceptata, Trecis, quod eſt Campaniæ ad Sequanam oppidum, A. 1107 Concilium congregaſſe ad litem iſtam finiendam, irrito tamen iterum eventu, quod neutiquam Imperator vellet in Gallia hac de cauſa ſententiam pronuntiari. Sequenti anno Italiam petiiſſe Imperatorem; prius tamen, quam Romam perveniret, Legatos Imperatoris cum Pontifice, inſtituta iterum de jure inveſtituræ diſceptatione, ita tandem conveniſſe, ut penes Pontificem quidem iſtud jus permaneret, Imperatori autem fas eſſet, Ducatus, Comitatus, Marchionatus, & cuncta ſupremæ dignitatis jura, Epiſcopis adimere. Bene autem obſervat, nec Imperatori, nec cuiquam prudentum, dubium ullum fuiſſe, Præſules Germaniæ quidvis potius perpeſſuros, quam ut his legibus initam a Pontifice pacem ratam haberent: idque comprobaſſe eventum. Unde Imperatore Romam jam ingreſſo, nec latum unguem a ſententia ſua diſcedente, rem eo tandem rediiſſe, ut in cuſtodiam cum quibuſdam Cardinalibus Pontificem mitteret, coercendum ita & in ordinem redigendum. Fama hujus rei percrebreſcente, arma arripuiſſe Romanos, Pontificem liberaturos; remque ad certamen perveniſſe, in quo Imperatori pro vita & ſalute depugnandum fuerit, victoria tandem ad ejus partes tranſeunte. Abductum hinc ab Imperatore Pontificem neceſſitati ceſſiſſe, jura de quibus diſceptabatur transdidiſſe Imperatori, eique ſolenni ritu impoſuiſſe coronam, adminiſtratoque rite auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, partem hoſtiæ ſumpſiſſe Pontificem, data Imperatori parte altera, & ita pactionem factam confirmaſſe, addita exſecratione, locum in Regno Chriſti illi non fore, qui primus initi fœderis violaſſet leges. Tam ſancte confirmatum pactum a Pontifice migratum fuiſſe, quis crederet? niſi poſt infinitos

tos fideque digniſſimos teſtes prolixe quoque Vir doctiſſimus hoc doceret, qui accurate litis hujus ſeriem proſequitur, docetque ſub Calixto II Pontifice controverſiæ hujus rationem quodammodo immutatam eſſe. Gregorium namque VII ullam inveſtituram Epiſcoporum, quocunque modo fieret, rite a Laicis adminiſtrari poſſe, diſerte negaſſe, idemque ſenſiſſe Victorem III & Urbanum II. Aſt per prius pactum cum Paſchali II initum, quo ſacra Epiſcoporum dignitas a civili, qua itidem pollent, haud obſcure diſcernebatur, factum eſſe, ut ſub Calixto II eo tandem quæſtio rediret, an inveſtituram per annulum & baculum ab Imperatore Epiſcopis conferri fas eſſet? Pontifice ejusque aſſeclis hoc ideo præcipue negantibus, quod hæc eſſent ſymbola eccleſiaſticæ dignitatis, a ſolo Pontifice illis conferendæ, ut ut qua vaſalli Imperii inveſtituram ab Imperatore accipere & poſſent & deberent. Putat itaque Auctor, in pactione Henricum inter & Calixtum II Pontificem mox inita, litem iſtam ita finitam fuiſſe, ut Imperator ſuperior ex hoc certamine diſceſſiſſe dici queat. Etenim Imperatorem ceterosque Reges hoc ſolum voluiſſe: 1) ne electio Epiſcoporum & Abbatum ſine ſuo conſenſu fieret: 2) electum, priusquam conſecraretur, per baculum & annulum ab Imperatore aliisve Principibus inveſtiendum eſſe: 3) eundem jurejurando ſe illi obſtringere, homagiumque, ut loqui ſolent, ratione regalium & feudorum præſtare debere. Per pactionem autem memoratam conceſſum fuiſſe Imperatori Regibusque: 1) ut electio Epiſcoporum illis præſentibus adeoq; conſentientibus fieret: 2) in Germania ratione regalium Epiſcopum ab Imperatore per ſceptrum inveſtituram impetrare debere, priusquam conſecretur; in ceteris regnis, nondum elapſis ſex poſt conſecrationem menſibus: 3) officia & ſervitia feudalia, quæ hactenus præſtare conſueverint, impoſterum quoque illis eſſe præſtanda. In eo proinde ſolum aliquid immutatum fuiſſe, quod conſtitutum fuerit, inveſtituram non per baculum & annulum, ſed per ſceptrum peragendam, itemque quod hæc ad feuda & bona, quæ ut membra Imperii Epiſcopi poſſident, fuerit reſtricta. Vitam hinc litterasque Romanorum Pontificum, Honorii II, Innocentii II, Celeſtini II, Lucii II, & Eugenii III ſiſtit: capite autem ſequenti de Bernhardo ejusque ſcriptis diſſerit. Horum ſummam Auctor more ſuo diligenter exhibet, ſecutus ordi- Cap. III. Cap. IV.

 nem.

nem, quem in ultima editione, quæ A. 1690 prodiit, Vir doctiſſimus Johannes Mabillonius obſervat. Inter alia ex libro ejus de amore Dei hoc affert, quod non prætermittendum cenſuimus, Bernhardum quatuor gradus amoris divini conſtituiſſe, quorum ſummus ſit, cum Deum non propter aliam cauſam, quam propter ipſum Deum amamus; ſed addidiſſe, ad iſtum amoris gradum in hac vita pervenire neminem poſſe, nec perveniſſe quenquam, ne quidem ex ſanctiſſimis martyribus.

Cap. V. Bernhardum ſequitur Petrus cognomento Venerabilis dictus, Abbas Cluniacenſis: quem Hæretici ſeculi hujus,

Cap. VI. ſaltem qui Eccleſiæ Romanæ Auctorisque judicio pro hæreticis habentur, excipiunt. Hic de Petro de Bruis ejusque diſcipulo & ſectatore Henrico, de Tanchelino, Petrocorienſibus, Colonienſibus, Tullenſibus, Catharis, Paſſagianis, Arnaldiſtis, Albigenſibus, Publicanis, Eudone vel Eone prolixe verba facit, conciliaque in quibus iſti condemnati ſint, memorat. Parum autem abeſt, quin Petrum Bruſium pro parente & patriarcha horum hæreticorum, ſi non omnium, ſaltem plerorumque, venditet. Dogmata huic ſequentia tribuit: baptiſmum non prodeſſe infantibus; adultos itaque baptizandos: templa & altaria non ferenda, ſed ea deſtruenda: nec adorandam crucem: miſſam quoque uſu carere, nec celebrandam: eleemoſynas & preces mortuis nullum afferre commodum. Sane ceteros antea memoratos Hæreticos omnes in eo fere conſenſiſſe, ut ſacramenta, ritusque Eccleſiæ & ordinem hierarchicum impugnarent: nonnullos tamen Manichæiſmi inſuper aut Arrianismi fuiſſe reos.

Cap. VII. Principem autem inter hujus ævi hæreticos locum merito ſibi vendicaret Petrus Abælardus, ſi verum eſſet judicium Bernhardi, Auctori quoq; memoratum, eum de Trinitate locutum fuiſſe ut Arrium, de Gratia ut Pelagium, de incarnatione Verbi ut Neſtorium. Non tamen diſſimulat Auctor, pleraſque propoſitiones Abælardi, in quibus maximos errores ſe deprehendiſſe hoſtes ejus prædicabant, ita comparatas eſſe, ut æquus cenſor in commodiorem eas interpretari partem poſſit. Similitudines, quibus ad deſignandum Trinitatis myſterium uſus ſit, nec ipſum pro exactis venditaſſe. De Spiritu Sancto eum docuiſſe, quod non ſit potentia, nec de ſubſtantia Patris, etſi tres perſonæ Trinitatis unam ſubſtantiam conſtituant: aſt hoc ipſo neutiquam eum negaſſe, potentiam, ſapientiam, amorem, eſſe attributa communia tribus

per-

perſonis divinis; quin contrarium diſerte docuiſſe: ſed eum tribuiſſe potentiam Patri, ſapientiam Filio, amorem Spiritui S. per appropriationem, adeoque nihil quod a Patrum receptaque Theologorum ſententia abhorreat, aſſeruiſſe. Sic & docuiſſe eum, Deum non poſſe facere, niſi quod fecit: non inepte quidem, ſi recte capiatur. Nec enim de potentia Dei in ſe ſpectata hoc eum aſſeruiſſe, quod hiſce limitibus ſit circumſcribenda, ſed de potentia Dei cum ſapientia ejus & voluntate conjuncta hoc illum accepiſſe: quo pacto recte dicatur, Deum non poſſe velle nec facere quicquam, niſi id quod vult & quod actu facit. Porro Abælardum negaſſe, quod Chriſtus carnem humanam induerit, ut morte ſua homines a ſervitute peccati liberaret, Auctor ſibi non perſuadet, cum pluribus in locis ſecus doceat: ſed hoc eum ſibi voluiſſe cenſet, liberationem generis humani a peccato non fuiſſe ſolum & unicum finem incarnationis Chriſti, ſed eum etiam ſimul exemplum præire hominibus, ad quod ſuos compararent mores, voluiſſe. Pari ratione ceteras quoque Abælardi aſſertiones, paucis exceptis, emolliri poſſe, eundo per ſingulas demonſtrare nititur. Ceterum de Gilberto Porretano Pictavienſi Epiſcopo, qui itidem hujus ſeculi hæreticis annumerari ſolet, Auctor etiam ex inſtituto diſſerit, & ex erroribus, qui illi tribui ſoleant, præcipuos hos eſſe ait, quod aſſeruerit, eſſentiam Divinam non eſſe Deum; proprietates perſonarum Divinarum non eſſe ipſas perſonas; perſonas Divinas attributorum locum in nulla unquam propoſitione ſubire; naturamque Divinam non fuiſſe incarnatam. Cauſam itaque Gilberti in concilio Pariſienſi diſceptatam, non tamen definitam, ſed a Pontifice concilio Rhemenſi reſervatam fuiſſe porro refert, in quo etiam doctrina ejus fuerit damnata, nulla tamen ipſi Gilberto inflicta pœna, quod ſerio eum mentem ſuam mutaſſe Bernhardus crederet. Ex ſcriptis Gilberti hactenus nihil typis evulgatum eſſe obſervat, præter Epiſtolam de Euchariſtia, quam Lucas Dacherius produxerit, quam lectu digniſſimam judicat, quod Gilbertus in ea diſerte doceat, corpus Chriſti totum ſub unaquaque eſſe ſpecie, itemq; corpus & ſanguinem Chriſti eſſe ſub ſpecie panis, etiamſi vinum conſecratum non adſit. Cap. VIII.

Redit hinc cap. IX ad Pontifices, qui poſt Eugenium III ad finem usque hujus ſeculi ſedi Romanæ præfuerunt, eorumque vitam Cap. IX.

Cap. X. & ſcripta ordine enarrat. Sequenti autem capite de Thoma Archi-Epiſcopo Cantuarienſi celeberrimo, ejusque cum Henrico II Angliæ Rege litibus exponit. Patet vero ex iis, quæ Auctor narrat, ſumma Præſulis iſtius aut conſtantia aut pertinacia, dum quidvis perpeti maluit, quam vel latum unguem a jure quod ſibi vendicabat diſcedere, nec ut obſequium fidemque, niſi addita ſolenni formula, *ſalvo ordine ſuo*, Regi polliceretur, induci ulla ratione potuit. Inſtituti autem ſui Cap. XI. XII. memor porro de Scriptoribus qui ſeculo XII floruerunt agit, de præcipuis quidem & illuſtrioribus capite undecimo, ſequenti autem de ceteris: de illis qui aliquid ad hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinens com- Cap. XIII. mentati ſunt, capite XIII; quibus denique ſcriptores Eccleſiaſticos O- Cap. XIV. rientis ſubjungit cap. XIV. Nos & noſtri inſtituti leges obſervantes Cap. XV. ex his nihil decerpimus, ſed quæ de Theologiæ Scholaſticæ origine primisque Scholaſticis exponit, paucis delibabimus. Apoſtolos primosque Eccleſiæ Chriſtianæ doctores doctrinæ cœleſtis capita ſine omni aut eloquentiæ aut philoſophiæ apparatu mortalibus propoſuiſſe, Hæreticisque & Judæis nihil aliud, quam Scripturam S. traditionem, & fidem univerſæ Eccleſiæ oppoſuiſſe autumat, nec ut myſteriorum redderent rationes, eos fuiſſe ſollicitos, ſed tantum probaſſe, ſi quis ſalvus fieri vellet, eum hoc oportere credere. Hæreſes quidem dediſſe deinde illis occaſionem quædam dogmata accuratius determinandi, certisque vocibus, ceu ſacris terminis ea circumſcribendi; ſed qui in juſtum corpus atque ſyſtema cuncta coire juberet, fuiſſe neminem, cum non niſi occaſione ab hæreticis oblata ſcriberent, & quædã doctrinæ capita pertractarent. Origenem quidem in libro de Principiis tale quid ſuſcepiſſe, infelici tamen ſucceſſu, quod rationi habenas, ultra quam decebat, laxaret, nimioque Platonicæ philoſophiæ flagraret amore. Contra Arrianos, Neſtorianos & Eutychianos quidem more veteri ex Scripturis adhuc fuiſſe diſputatum, ſed poſtea ſenſim philoſophiam admitti cœpiſſe, primo Platonicam, mox & Ariſtotelicam. Hac uſum cumprimis fuiſſe Boethium ad Trinitatis myſterium & incarnationem Chriſti explicandam. Johannem Damaſcenum autem primum fuiſſe, qui juſta methodo quæſtiones Theologicas in unum corpus ſive ſyſtema colligeret. Seculo IX Johannem Scotum Erigenam methodum & principia Ariſtotelis in Theologiam invexiſſe, ſed eo eventu ut nimia ſubtilitate in varios errores datus fuerit

præ-

præceps. Circa medium demum ſeculi undecimi philoſophiam Ariſtotelicam ab Arabibus ad Europæos propagatam ſuſtuliſſe caput, aditumque ad Theologiam mox liberaliter illi fuiſſe conceſſum, ducibus cumprimis & anteſignanis Johanne Sophiſta, Roſcelino atque Anſelmo, annitentibus Abælardo, Gilberto Porretano aliisque. Othonem vero Friſingenſem Germanos ſuos Ariſtotelis diſciplina imbuiſſe. Cum vero erroris periculo nunquam non expoſiti ſint, qui novam viam ingrediuntur: ſic mirandum quoque non eſſe, Roſcelinum, Abælardum, Gilbertum aliosque non ſatis caute in hoc campo verſantes, a veritate cœleſti ſubinde feciſſe divortium. Enatam porro hinc eſſe perennem infinitarum litium & controverſiarum ſegetem, eamque tanta celeritate effloruiſſe, ut jam iſta ætate de remedio fuerit cogitandum. Hoc afferre voluiſſe Petrum Lombardum, compoſito ex Patribus Sententiarum libro, in quo procul faceſſere juſſis Ariſtotelis placitis, verbis ſententiisque Patrum doctrinæ cœleſtis capita explicare aggreſſus fuerit. Receptum magno applauſu fuiſſe librum, ſed eos, qui iſtum commentariis ſuis illuſtrare inſtituerint, ad easdem mox controverſias, revocata iterum Ariſtotelis auctoritate, fuiſſe relapſos, adeoque eandem mox Theologiæ rediiſſe faciem. Interim cum liber ille Sententiarum ſemper fundamenti loco poneretur, Lombardum hunc pro patre Scholaſticorum recte reputari. Non defuiſſe tamen, qui in hoc Sententiarum libro quædam reprehenderent: ipſi Pontifici Alexandro III nonnullas loquendi formulas diſplicuiſſe: Joachimum Abbatem integrum contra eum compoſuiſſe librum: & Facultatem Theologicam Pariſienſem edidiſſe articulos, in quibus a Magiſtro Sententiarum plerumque diſcedatur. Gauterium quoque quendam memorat edidiſſe ea ætate librum contra quatuor Labyrinthos Galliæ, Petrum Abælardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum & Petrum Pictavienſem, eosque haud unius arguiſſe erroris, quos evitare non potuerint, dum Scholaſtica methodo tractare Theologiam, eamque ad Ariſtotelis principia exigere auſi fuerint. Lombardo tamen perperam hoc exprobrari, cum ceteris hoc objiciatur jure meritoque, Auctor contendit: hunc enim nulla Ariſtotelis mentione facta, Patrum tantum retuliſſe verba ſententiasque. Theologiæ itaque Scholaſticæ originem cum a Lombardo repetat, ſcripta ejus, præſertim librum Sententiarum fuſius enarrat. Simili ratione

de Roberto Pullo Cardinali, Petroque Pictavienſi & Roberto Melodunenſi, diſſerit, quos ceu primos Theologiæ Scholaſticæ conditores Lombardo adjungit.

Cap. XVI. Novam quoque hoc ſeculo Scripturæ explicandæ rationem ortam, obſervat. Patres quidem aut litterales Scripturæ expoſitiones dediſſe, aut in allegorias more tum recepto eam convertiſſe: ſeculi octavi & noni Scriptores confeciſſe Catenas, h. e. loca Patrum compilaſſe, & ex iis ſuos commentarios exſtruxiſſe: duodecimo demum ſeculo morem quæſtiones & controverſias in commentariis tractandi invaluiſſe. Hanc commentandi rationem ſecutum cumprimis fuiſſe Rupertum Abbatem Tuitienſem, de quo, ut & Hugone atque Richardo a S. Victore, quorum itidem in Scripturam S. commentaria celebrentur, hac occaſione diſſerit. Cap. XVII. Collectionem Canonum a Gratiano itidem hoc ſeculo compilatorum, paucis deſcribit, & hinc Conciliorum generalium, quin & provincialium hiſtoriam in compendio ſiſtit. Cap. XVIII. Cap. XIX. Cap. XX. Finiunt hunc tomum Obſervationes Eccleſiaſticæ de auctoritate Pontificis, diſciplina Eccleſiaſtica, ritibus Sacramentorum, ſtatu Monaſtico, Canonicis regularibus, & ordinibus Equeſtribus. Auctoritatem Pontificis hoc ſeculo ad ſummum perveniſſe faſtigium non diffitetur, tantum abeſt ut per contentiones de jure inveſtituræ ea fuerit imminuta. Obtinuiſſe enim eos ſummum imperium in urbem Romam, jugum Imperatorum penitus excuſſiſſe, quin jus coronam illis imponendi ſibi vendicasſe, ſuæque poteſtatis limites longe lateque protuliſſe. Clericorum mores magis compoſitos fuiſſe hoc ſeculo, quam præcedentibus, undecimo & decimo: ſimul tamen & illorum auctoritatem magna ſumſiſſe incrementa, omnibus in id conſentientibus, ut Principum Regumque imperio ſe ſubducerent. Porro de Sacramentis verba faciens, communionem ſub utraque hoc ſeculo adhuc in uſu fuiſſe, non abnuit; ſub initium tamen ejus jam quosdam utramque ſpeciem, panem in vinum intingendo, conjunxiſſe, circa finem autem nonnullos una tantum ſpecie fuiſſe uſos. Vocem Transſubſtantiationis quoque hoc ſeculo uſurpari cœpisſe. Sed hæc ex præclaro hocce opere decerpſiſſe ſufficiat.

## *FERDINAND CHRISTOPHORI HARPRECHTI, JCTI ET ANteceſſoris Tubingenſis, Conſultationum Tubingenſium de inſignioribus quibusdam juris quæſtionibus Volumen Tertium.*

Tu-

Tubingæ apud Philibertum Brunnium, 1697, in fol.
Alph. 3. plag. 18.

Ejusdem Conſiliorum Tubingenſium Volumen Quartum.
Tubingæ apud Johann. Georg. Cottam, 1698, in fol.
Alph. 3. plag. 12.

DUos Tomos, Conſilia 33 complexos, ac a Conſultiſſimo Autore annis præcedentibus publicatos, in Actis noſtris anni 1696 pag. 183 & 432 recenſuimus. Hos jam excipiunt Volumen Tertium & Quartum, itidem Conſiliis ſeu Reſponſis 33 conſtantia, ita quidem ut illud a Conſilio 34 usque ad 50, hoc vero a 51 usque ad 66 decurrat. Nos ſpeciminis loco pauca ex iis delibabimus. In Volum. 3, Conſil. 34, vim tranſactionis & ceſſionis quoad heredes, in illuſtri Facti ſpecie, Sereniſſimam Domum Wurtembergicam & Dn. Ferdinandum Franciſcum de Rye, Comitem de Poictiers & conſortes, de Dynaſtiis quibusdam controvertentes, concernente, expendit Conſultiſſimus Autor. In Conſil. 38 oſtendit, quod jus retractus in emtione, ſub ea conditione, ut emtor venditoris valetudinem diligenter curet, facta, locum non habeat, ſi venditor ſingularem fiduciam erga emtorem habeat, & eandem curam ab aliis ſibi æque præſtari non poſſe arbitretur. In Conſil. 39 docet, quod jus retractus municipale vel vicanum (territoriale vocat Noſter) contra emtorem vim nullam habeat, ſi hic in aliquo municipio civis ſit, licet ibidem non habitet. Conſil. 47 deducit, quod merces per Gallos mercatoribus Anglis in mari ablatæ, poſteaque in Gallia a Germanis mercatoribus emtæ, ac in terras Romani Imperii illatæ, confiſcari nequeant, ſi ſcil. in Tariffa ſeu deſignatione mercium prohibitarum aut contrabandarum non reperiantur. In Conſil. 49 plures quæſtiones de concurrentia jurisdictionis criminalis diverſorum Imperii Statuum explicat. In Volum. 4, Conſil. 51 docet, quod, ſi fœmina ſub initium menſis undecimi, a tempore ſtupri commiſſi, pariat, partus quantum ad tempus, legitimus cenſeri debeat, adeo ut ne quidem, intuitu termini naſcendi tardioris, fœminæ juramentum queat deferri. In Conſil. 53 p. 997 contendit, Nobilitatem ſimilemve dignitatem non niſi immemoriali tempore præſcribi. In Conſil. 54 varias quæſtiones, ad teſtamenta judicialia pertinen-

nentes, tractat, ac in ſpecie negat p. 1021, quod teſtamentum per nuncium judici offerri poſſit, contenditque quod compilator Compendii Lauterbachiani, B. Lauterbachio, contra apertiſſimam ejus mentem, ex prælectionibus MSS colligendam, contrariam ſententiam tribuerit in *Comp. Jur. Qui teſtam. fac. poſſ. ſign.* ✠. In Conſil. 55 immotis, ut ipſe ait, rationibus evictum dare nititur, quod parœcianus, domicilium haut mutans, Confeſſionarium mutare, ac in alia Eccleſia abſolutionem & S. cœnam accipere non poſſit p. 1057; hinc porro infert p. 1069, quod contumax ſuſpenſione a ſacra cœna, pœna pecuniaria, imo ademtione juris civici cogi poſſit, ad abſolutionem a priſtino Confeſſionario petendam & accipiendam. In Conſil. 60 de concurſu creditorum late agit, ac in ſpecie p. 1133 proponit caſum, quo libro mercatorio plena fides habeatur, nempe ſi concurrat chirographum debitoris, de quo Actuarius ſua ſubſcriptione teſtetur, quod propria debitoris manu ſcriptum ſit. In Conſil. 63 docet, quod ſi alicubi, ut Francofurti ad Mœnum, ſocietas bonorum acquiſitorum inter conjuges ex ſtatuto obtineat, tamen ea, quæ maritus praxi medica acquiſivit, ejus propria cenſenda ſint. In Conſil. 66. de divortio & ſeparatione a thoro & menſa ſolicitus, ſpeciatim contendit, quod facta ſeparatione a thoro & menſa, mulier bona illata repetere queat.

## *MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI, MED. D. EJUSque ac Philoſ. Nat. P. P. Ordin. Giſſ. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Adjuncti & Recuperatorum in Italia Collegæ, MEDICINA NOV-ANTIQUA.*

Francofurti ad Mœnum, apud Joh. Dav. Zunnerum, 1698, in 4. Conſtat plag. 28.

DUm plerique Modernorum in novis magis detegendis, quam ſcriniis una Veterum rite excutiendis occupantur, Autor Clariſſimus ſolida Artis Medicæ fundamenta, juxta principia naturæ mechanica, e limpidis potius venerandi Hippocratis haurire fontibus quam ſedulo allaboravit. Poſtquam enim ille noviſſima dogmata in Senis laudati ſcriptis tam expreſſis ſæpe verbis comprehendi obſervaſſet, ut vel Noſtrates Hippocratis ævo docuiſſe, vel hic noſtro ſeculo revixiſſe videretur, tanto diligentiori manu omnes Hippocraticos loculos verſa-

re

re cœpit, donec integrum Medicinæ Curſum ad mentem plane Recentiorum inde erueret, erutumque ſub titulo Medicinæ Nov-antiquæ publico hic Eruditorum conſpectui ſiſteret. Nempe quemadmodum univerſa Ars Medica ſyſtematice alias in Inſtitutionibus octo abſolvi partibus conſuevit: ita in præſentis pariter Curſus Medici partibus totidem, (*Præliminaribus* præmiſſis, quæ Medicinæ naturam, originem, methodum, ſectas & principia oſtendunt,) pro exhaurienda omni arte, ſpeciatim in *Phyſiologia* natura corporis humani, elementa, temperamenta, partes, humores, ſpiritus, facultates, functiones ſive actiones œconomiæ animalis, tresque res ſecundum naturam, ac imprimis ſanitas; in *Pathologia* morbus in genere, differentiæ morborum eſſentiales & accidentales, cauſæ morborum tum propinquæ, tum procatarcticæ, atque ſymptomata; in *Semiologia* ſigna in genere, fontes & media ſignorum, ſigna diagnoſtica ſtatus n. & p. n. pulſus & urina, ſigna prognoſtica, generalia æque ac ſpecialia; in *Hygiene* methodus conſervandi ſanitatem; in *Therapeutica* methodus medendi, partim in genere ejusque fundamentum, partim in ſpecie, cum ordinaria, tum extraordinaria; in *Diætetica* res diæteticæ in genere itidem, non minus quam in ſpecie, aër, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, excernenda & retinenda, affectus animi; in *Pharmaceutica* medicamenta in genere, illorumque inventio, facultates medicamentorum, horumque præparatio & compoſitio, item doſis; in *Chirurgica* denique chirurgia in genere, inſtrumenta chirurgica, & operationes chirurgicæ, tam generales, exploratio & deligatio, quam particulares, ſyntheſis, diæreſis, aphæreſis & exæreſis, proſtheſis & diorthoſis; tali pertractata habentur ratione, ut in frontiſpicio cujuslibet capitis textus primum aliquis ex Hippocrate appropriatus, originalis pariter ſive Græcus atque Latine redditus, compareat, mox in exegeſi ſubjuncta idem uberius cum ex aliis Hippocratis locis, tum ex Recentiorum etiam quandoque ſcriptis, explanetur ac dilucidetur. Prolixitatis evitandæ gratia, duo ſolummodo in præſenti capita, locupletiora reliquis, breviter exhibere ſufficiat. In ultimo videlicet Pathologiæ capite, quod ſymptomata perpendit, *Hippocratis* effatum e *lib. I. de Morb. Vulg. Sect.* 3. *ab init.* præmittitur, dum, *Videndæ ſunt etiam*, inquit, *morborum viciſſitudines, & quæ ex quibus in quæ ſuccedant, ac ex his quæ per hæc contingunt.* Hinc,

quamvis vox Symptomatis apud Hippocratem non niſi *lib. de Flatib.* ſemel occurrat, ſenſu etiam Hippocratico, quo morbus omne audit, quicquid homini moleſtum eſt, diſtinctio nulla inter morbum & ſymptoma intercedat, in exegeſi tamen, in quantum ſymptomata a morbo ſecundario fluant, ſive ea, quæ (verbis Hippocratis ex his (ſc. morbis) per hæc (i. e. cauſas) contingunt, ſymptomata audiant, differentia aliqua cum pleriſque Inſtitutionum Medicinæ ſcriptoribus non ſolum admittitur, ſed & ſpecies ſymptomatum ſub actionibus læſis, excretis & retentis vitioſe ſe habentibus, ac qualitatibus externis p. n. immutatis, tanquam tribus ſummis generibus, cum Galeno indigitantur, & quoad formalitatem, ſæpe etiam quoad prognoſin & curationem, ex Hippocratis potisſimum libris declarantur. Dyſuria v. g. locum inter ſymptomata actionum vitalium obtinens, & alibi ab Hippocrate urina laborioſa, item in plurali οὖρα ἐπίπονα *lib. I. Prædict. n.* 59 appellata, mictio dolorifica innuitur cum ardore, ab urethræ & veſicæ exulceratione orta, mala & frequens quæ pronuncietur in ſenibus *aph. 31. sect.* 3, quoniam in his omnia renum & veſicæ vitia difficulter curantur, *aph. 6. ſ. 6.* deducatur autem ab auſtrina conſtitutione *aph.* 5. *ſ. 3.* ac per ſiccitates *aph. 16. ſ. 3.* & quandoque ſolvatur V. S. ſi ſcilicet a plethora, ut & vini potu, *aph.* 48 *ſ. 7.* Alterum autem Pharmaceutices caput, facultatibus medicamentorum dicatum, *Hippocratis* modo ito, quo *lib. de decent. Habit. ſ. 31.* virium medicamentoſarum exactam notitiam commendat, *Medicamenta autem*, inquiens, *tum eorum ſimplices facultates, tum ſi quæ deſcriptæ ſunt, probe tibi memoria teneantur*, ſuperſtruitur. Facultatum enim medicamentorum nomine uti vires, virtutes & qualitates illorum in expoſitione intelliguntur, juxta ipſum *Hippocratem lib. de priſc. medic. §. 52.* in particularum mixta conſtituentium textura atque figura radicatæ: ita diviſiones quoque earundem in ſimplices & deſcriptas ſive compoſitas, in temperatas & intemperatas, in evacuativas itidem & alterativas, partim enodantur, partim & præcipue materia medica ſelectior, evacuationis vel alterationis ſcopo inſerviens, ita enumeratur, ut quomodo ejusmodi medicamina operentur, & quænam ante, in, & poſt evacuationis actum mereantur attendi, ſatis una innoteſcat.

## A CONTINUATION OF THE ACCOUNT OF THE NATURE, Cauſes, Symptoms and Cure of the diſtempers, that are incident to ſeafaring people, &c.

h. e.

Hoc eſt:

*CONTINUATIO RECENSIONIS DE NATURA, CAUSIS, SYMptomatibus, & curatione morborum, qui navigantes ſolent corripere, &c. auctore W. COCKBURN, Collegii Medici Londinenſis Membro, Medico turmæ cærulea in claſſe regia, & Regiæ Societatis Socio.*

Londini, apud Hugh Newmans, 1697, 12. plag. $7\frac{1}{2}$.

PRæſtitit doctiſſimus Auctor, quod in ejusdem argumenti libro, a nobis in *Actis Eruditorum anno 1697, menſe Decembr. p. 549.* laudato, fuerat pollicitus, obſervationibus quadraginta quatuor tradens hiſtoriam ægritudinum, quæ in claſſe Britannica æſtate præteriti anni fuerant ab ipſo obſervatæ; de cujus inſtituti utilitate prolixius in Præfatione agitur. Quandoquidem autem in prima operis hujus parte conatus eſt evincere, evacuationem in febrium curatione abſolute eſſe neceſſariam, eamque commodiſſime fieri ſanguinis detractione; hujus libri principio ſtatim disquirit, quibus cognoſci poſſit indiciis, quantum ſanguinis dimittendum ſit, idque ſine virium ægri læſione, ut reſpondeat particulis ob interruptam perſpirationem in corpore detentis, aut certe efficiat, ut ſecretio fiat liberior, & ſponte ſua deinceps exhalet quod eſt ſuperfluum, oſtendens quam incerta frivolaque ſint, quæ vulgo ab auctoribus de hac re traduntur. Ipſe vero experientiſſimus Auctor, pleniorem rei tractationem in aliam occaſionem differens, duos hic proponit modos, quod quæritur inveſtigandi. Primum enim ad pulſum reſpicere jubet, ejusq; naturalem explorare conſtitutionem, quot ſcilicet in quolibet homine ſano micet vicibus arteria minutis ſingulis, cum hoc cognito & comparato cum numero pulſuum ægroti, facile judicari poſſit de celeritate ſanguinis aucta aut diminuta, quantumque mittendum ſit ejusdem, ut ad ſtatum naturalem reducatur. Deinde ſuadet thermometron in uſum vocare, ut hinc innoteſcat, quantum naturalis hominis calor elevet thermometri liquorem, idemque deinde doceat, quantum calor increverit aut diminutus fuerit in præternaturali ſtatu, quo deinde & numerus pulſuum cum calore minore majorique comparari, & tantum detrahi poſſit ſanguinis, quantum requiritur, ut ad naturalem redeat temperiem.

In Obſervationibus ipſis ( quarum priores haut paucæ ad febres pertinent) non ſolum tota curationis ſeries recenſetur, ſed animadverſiones quandoque non inutiles traduntur. Ita in *Obſervat. V* vertiginis cauſa deducitur ab arteriis, quæ proximæ ſunt nervis opticis, ſanguine nimium diſtentis, quæ preſſione ſua nervum opticum eique conjunctam retinam moventes efficiant, ut radii ab objecto fixo profecti in diverſas usque retinæ partes incidant, atque adeo objectum nobis moveri videatur. *Obſervat. XIX* febris intermittens perſonam podagræ induta repræſentatur. *Obſervat. XXII* venæſectio in brachio dyſenterici inſtituta commendatur. *Obſervat. XXVII* apoplexiæ, quæ medelam admittit, cauſa conſtituitur in ſtagnatione ſanguinis in arteriis cerebri & medullæ ſpinalis, quæ ideo principium nervorum comprimunt, ut ſpiritus animales per illos rite fluere nequeant; unde efficitur, nullum præſentius eſſe remedium, quam venæſectionem in pede aut brachio, vel etiam vena jugulari inſtitutam. In *Obſerv. XXIX* gonorrhœam quoque olim Judæos afflixiſſe, neque demum in obſidione Neapolitana ortam, ex Levit. XV. 2. probatur. *Obſervat. XXXVIII* tuſſis venæſectione curata & purgatione deſcribitur. *Obſervatione ultima* contra illos, qui ſecretiones ope ſpecificorum fermentorum fieri cenſent, diſputatur.

## AN ENQUIRY INTO THE RIGHT USE, &c.

h. e.

## *INQUISITIO IN USUM ET ABUSUM BALNEORUM Angliæ calidorum, frigidorum & temperatorum: auctore JOHANNE FLOYER, Armigero, Medic. Doctore.*

Londini, apud R. Clavel, 1697. 8. Plag. 15.

Romanam pariter atque alias gentes balneis olim frigidis, non tam delectationis aut munditiei, quam ſalubritatis cauſa, uſas fuiſſe, ſatis conſtat. Quod remedii genus a noſtris moribus, qui thermas potius ſectamur alienum fere eſt, ſed retentum tamen fuit in Anglia præcipue, quoad aquas Buxtonienſes, quarum illa temperies eſt, ut ad frigus magis quam ad calorem vergat. Horum balneorum uſum commendaturus experientiſſimus Auctor, præmiſſa prolixiori Præfatio-

ſatione, ex Sanctorio præcipua de perſpiratione inſenſibili dogmata repetit, reprehendens imperitos medicos, qui neſcii quibus in caſibus perſpiratio augenda, quibus minuenda, aut quomodo æquabilis conſervanda ſit, ægros ſine diſcrimine ad thermas ablegant, atque adeo in cauſa ſunt, ut pereant multi, qui per balnea frigida ſanitatem recuperare potuiſſent. Quod ut fiat manifeſtius, Cl. Auctor varia balneorum genera examinat, eorumque virtutes per qualitates ſenſibiles exponere conatur; deinceps vero confirmat, recte thermas adhiberi, ubi regnat intemperies frigida, ſed frigida balnea, ubi calida intemperies dominatur, temperata tandem pro re nata in utroque caſu, contexitque ſingulorum morborum catalogum, in quibus ſalubria ſingula balneorum genera fuerunt deprehenſa, non omiſſis illis, in quibus plus noxæ quam commodi attulerunt. Potiſſimum autem Anglis auctor eſt, magis ut frequentent balnea temperata, qualia Buxtonienſia, & deinceps frigida, qualia S. Mungi, S. Winefridi &c. atque his undis durent ſua corpora, ut aeris injuriis eo melius reſiſtere poſſint. Maxime autem Buxtonienſia commendat, quorum virtutem & uſum ſingulatim deſcribit, curationeſque ibi peractas recenſet.

## A TREATISE OF THE GOUT &c.

h. e.

*TRACTATUS DE PODAGRA, IN QUO TUM EJUS CAUſa, tum curatio, demonſtrative aperiuntur, a JOHANNE COLBATCH, Medico, Membroque Regii Medicorum Collegii quod Londini eſt.*

Londini apud Dan. Brovvn, 1697, 8. plag. 12.

PAuci abierunt anni, cum morborum omnium cauſa Acidum proclamatum fuit; jam, verſa rerum ſcena, Alcali in medium ab Auctore Cl. producitur, omnisque culpa in illud congeritur. Unde & Podagræ ſæviſſimi dolores illi accepti feruntur, ſicubi in ſanguine prædominetur. Quod ne gratis dictum videatur, ad experientiam provocat Auctor, confirmans, ſerum podagra laborantium, mixtum cum ſolutione ſyrupi violarum, ſemper colorem cœruleum in viridem, ut ſolent lixivioſa ſalia aut volatilia, non in rubrum, convertere. Dolorem ergo podagricum derivat Auctor ab extravaſato humore alcali-

co, qui irritet membranas juncturarum & partium adjacentium relaxatarum. Quam ſententiam hinc quoque probabilem reddit, quod tophi nodique ex materia omnium conſenſu alcalica conſtant. Idem ex analyſi ſanguinis podagricorum chymica, collata cum analyſi ſanguinis ſanorum probat, teſtatus alcali, quod in illorum ſanguine reperitur, ſæpius ſe inveniſſe ad alcali, quod ex horum ſanguine elicitur, ut 6 ad 4, aut quoque ut $5\frac{1}{2}$ ad 4. Remedia, quæ poſt venæſectionem in plethorici corpore celebratam, huic malo opponuntur, ex tartaro vitriolato cremoreque tartari conſtant, quibus additur infuſum radicis bardanæ, eringii & ligni ſaſſafras, ac tandem pulvis lapidis hæmatitis cum cremore tartari hauſtus in infuſione rad. ering. ſem. bardanæ & fraxini. Externe applicat Auctor balſamum ex olei oliv. unciis octo & olei vitrioli optime rectificati unciis duabus mixtum, ejusque vires ſummis effert laudibus; vel etiam partes affectas fovet urina vaccæ, in cujus bullientis libris quatuor ſalis marini libræ tres fuerunt diſſolutæ. Elixir ſulphuris, quod pro inſigni ſtomachico & antifebrili habet, podagricisque proprium componitur ex olei ſulph. per campan. unciis duabus, ſpiritus vini optime rectificati libra una, ſacchari cand. alb. unciis duabus, caryophyllorum & maceris ana drachmis ſex, in matracio optime clauſo per dies decem digeſtis. Accedunt huic libro nonnullæ obſervationes medicæ de febrium curatione per acida, quibus hypotheſis Auctoris confirmatur.

## THE DOCTRINE OF ACIDS IN THE CURE OF DISEAſes farther aſſerted &c.

h. e.

## *DOCTRINA DE ACIDORUM IN CURANDIS MORBIS USU ulterius aſſerta, ſeu Reſponſio ad Objectiones contra illam factas a Dr. F. Tuthill &c. Auctore JOH. COLBATCH.*

Londini apud Dan. Broun, 1698. 8. plag. 9.

JUngimus hunc librum præcedenti, cum totus in defendendo acidorum uſu verſetur, occaſione ſumta ex litteris Dn. Tuthill ad Auctorem ſcriptis, in quibus non contemnendæ Auctori circa ſuam hypotheſin

theſin moventur difficultates. Ac primo quidem objectionum Auctor facile largitur, eſſe aliquid in ſero alcalici aut huic analogi, quod ita commutet ſyrupum violarum, neque tamen hinc concludi poſſe putat, ſerum illud alcalizatum eſſe originem omnium morborum, præſertim cùm bene valentium hominum ſerum eodem modo ſyrupum violarum viridi colore inficiat. Porro neque hoc phænomenon ſatis ipſi conſiſtere videtur cum hypotheſi de ſero alcalizato, quod ſcilicet ſerum illud viridi colore a ſyrupo violarum imbutum non effervefcit cum ſpiritu vitrioli, more omnium alias alcalium. Deinde quamvis in ſero ſint nonnunquam particulæ quædam calidæ, quæ ab acidis optime domantur, in quæſtione tamen adhuc eſſe ait, utrum alcalicæ ſint nec ne? quoniam ſi eſſent fixioris naturæ, non appareat, cur ſumma petant & ſero innatent; ſin volatilioris, acredine ſe ſua proderent, cum tamen hoc experientiæ adverſetur, qua ſerum illud fere inſipidum deprehenditur. Jam cum in hydrope, catarrhis & quandoq; in podagra ſanguis valde tenuis, fluxilisque reperiatur, quærit, annon hæc tenuitas acidorum potius, quæ ſanguinem fundunt, quam alcalium abundantiam arguat? Provocat quoque ad rerum magiſtram, quæ docet ab acidis exhibitis plurimum doloris excitatum fuiſſe, miraturque Auctorem lignum ſaſſafras in uſum trahere, cum tamen hoc lignum acidum non ſit, nec alcali padagra laborantium ſubjugare poſſit. Tandem vel ſine alcali poſſe ſyrupi violarum colorem mutari; hinc non improbabile putat, quod infantibus, in quibus nulla alcalium abundantia, ſed quandoque pulveres teſtacei fermentationem excitant, exhibitus ab iisdem viridis excernitur.

His objectionibus ut ſatisfaciat libri Auctor, primum allegat experimenta ſua, quibus ex ſanguine morbidorum ſatis notabilem ſpiritus alcalici quantitatem elicuit, nihil moratus illos, qui ab ignis violentia novas ſubſtantias, quæ concreto non inerant, produci contendunt, ſatisque firmo ſtare talo arbitratur, quæ de alcalibus ex commixtione cum ſyrupo violarum cognoſcendis, omnium conſenſu tradantur. Porro non negat, etiam ſanorum hominum ſanguinem aliquid alcalici continere, præſertim cum rariſſimi ſint homines perfecta ſanitate gaudentes; ſed id ſibi concedi quoque vult plus alcalici in ægrorum reperiri ſero, atque id quidem conſiderandum eſſe, ut excrementum ex ſanguine eliminandum, ſit recrementum quaſi flam-

mæ

mæ vitalis, quæ ſulphureis paſcitur particulis, quibuscum acida ſemper conjunguntur. Serum morbidorum cum oleo vitrioli efferveſcere omnino confirmat. Calorificas autem in ſanguine particulas, de quibus objiciens loquitur, alcalicas eſſe ſtatuit, quæ dum ſanguinis globulos comminuunt, & ſulphureas particulas, quæ pabulum ſunt flammæ vitalis, dividunt, vel fermentationem excitant, vel flammam vitalem maxime augent. Cæterum quamvis Auctor ad probandum in ſero alcali, id miſceri juſſerit cum ſyrupo violarum, non tamen eam ſibi mentem fuiſſe teſtatur, ac ſi ſtatuerit, in ſolo ſero hærere alcalicas particulas, ſed potius easdem toti ſanguini eſſe admixtas. Neque vero concedit opponenti, ſerum febricitantium inſipidum fere eſſe, cum Auctor ſæpenumero ſatis acre illud, ut & linguam morſicarit, invenerit; aut acida omnia ſanguinem tenuiorem reddere, cum acida quæ plurimo ſulphuri ſunt unita, aperientia ſint, & ſanguinem ſuccosque in convenienti fluiditatis ſtatu retineant, ſed quæ parum ſulphuris habent, ſint ſtyptica, & ſanguinem ſuccosque nimis fluidos ad debitam conſiſtentiam reducant. Ad acidorum autem claſſem refert Auctor non tantum manifeſta acida, ſed quæcunque deſtillationi expoſita ſtagma fundunt acidum, uti v. g. ligna. Ad reliqua reſpondet, ab acidis dolores quandoque exaſperari mirum non eſſe, præſertim initio & non ſufficienti quantitate exhibitis: lignum ſaſſafras ad acidorum tribum pertinere; ſyrupum violarum in infantibus viridi colore tingi a bile, quæ manifeſtum eſt alcali; eſſe tandem quandoque acidum aliquod in ſtomacho, ibique turbas dare, ſed nulla alia in corporis parte. Appendicis inſtar adjectæ ſunt duæ obſervationes medicæ cum formulis remediorum adhibitorum.

## A PLAIN INTRODUCTION TO THE ART OF Phyſic &c.

h. e.

*FACILIS INTRODUCTIO IN ARTEM MEDICAM, CONTInens fundamenta & neceſſaria præliminaria ad praxin, Auctore J. PECHEY Membro Collegii Medici Londinenſis.*

Londini, apud Henr. Bonvvick, 1697, 8. plag. 26.

Eum

EUm in finē cum conſcriptus ſit hic liber, ut tyronibus facilior reddatur lectio auctorum practicorum, prima quidem ejus pars complectitur Inſtitutiones Medicas ex optimis auctoribus collectas, Phyſiologiam, Hygienen, Pathologiam, Semioticam & Therapeuticen breviter explicantes. Secunda continet Materiam Medicam contractam, ex Ettmullero & Marggravio maximam partem depromtam, cui deinde accedunt aliæ quoque compoſitiones Pharmaceuticæ & remedia Chemica. In Semiotica de Uromantiâ luculenter agit Auctor, fraudesque Medicaſtrorum graphice depingit, oſtendens quanto ſe periculo exponant, qui remedia poſt ſolum lotium inſpectum præſcripta ab impoſtoribus illis aſſumunt.

*ELUCIDATIO HISTORICA ACTORUM IN CONTROVERSIA ſuper origine, antiquitate & hiſtoriis Sacri Ordinis B M. de Monte Carmeli, inter quosdam illius & Societatis Jeſu Scriptores Acta Sanctorum illuſtrare profeſſos; quæ eſt Pars tertia & ultima Reſponſionum DANIELIS PAPEBROCHII, S. J. Th. ad Exhibitionem Errorum ipſi imputatorum ab Adm. R. P. Sebaſtiano a S. Paulo, Carmelita.*

Antverpiæ, apud viduam & hæredes Henrici Thieullier, 1698, 4.
Alph. 1. plag. 5.

NOn ſenſa ſolum ſui animi, ſed modum etiam, quo illa in Actis Sanctorum protulit ac ſuſtinuit, quoque ea proferri ac ſuſtineri Societas Jeſu paſſa fuit, maximopere impugnari per annos jam triginta intellexit celeberrimus Papebrochius, indeque iſta pariter ac hunc defendere uberius conſultum arbitratus eſt. Sicut autem priorum Apologiam partibus duabus adverſus P. Sebaſtianum a S. Paulo editis, juſtoque ſtudio a nobis in Actis hiſce A. 1696 pag. 500, & hujus anni menſe Febr. p. 81, nec non menſe Martio p. 129 recenſitis, textuit: ita & poſterioris patrocinium ſigillatim ſuſcipere non detrectavit; id quod in opere præſenti, cui titulum tertiæ ac ultimæ Reſponſionum partis indidit, ab eo præſtitum videmus. Ac in Præfatione quidem in anteceſſum nonnulla monet de libello ſupplici anno 1683 Innocentio XI Pontifici a P. Sebaſtiano a S. Paulo (prout affirmet

quidem hic, dubium tamen, an veritate integra,) exhibito, in quo adverſus Acta Henſchenii & Papebrochii iis in locis, ubi Carmelitarum impugnent autoritatem, cenſura expetitur, & cui una cum adjectis rationibus typis impreſſo reſponſum tunc eſt a Conrado Janningo in brevi Inſtructione, quæ & ante primum Tomum Junii, & heic recuſa deprehenditur. In iſto autem libello ſupplici cum falſa veris miſceri paſſim ſtatuat Papebrochius, hinc ad hiſtoriam coutroverſiæ Carmeliticæ plenius enarrandam accedit, multisq; ante omnia argumentis probat, Bollandum & Henſchenium, utut de origine Ordinis Carmelitici ſemper dubios, amicitiæ tamen cauſa ab ea diſcutienda ſic abſtinere voluiſſe, ut nec confirmarent eam, nec ſibi interdicerent obiter ſaltem monere, illam ſibi non eſſe exploratam, Sanctosque, quos idem Ordo tam liberaliter ſibi arroget ante ſeculum duodecimum, nequaquam ſibi tales videri; in reliquis autem Ordinis ejusdem, quorum Acta non undiquaque perſpectiſſima haberent, moderata, cum opus eſſet, cenſura abſtinere nollent. Arriſiſſe hoc conſilium Patribus Carmelitis oſtendit, nec quempiam ſcripto publico Actorum conditores impugnaſſe, usquedum P. Franciſcus Bonæ Spei, provinciæ Flandro-Belgicæ Ex-Provincialis, edita *prima Armamentarii* ſui *parte*, præter alios Societatis Jeſu Socios, Actorum quoque Scriptores ob illatam antiquitati Ordinis Carmelitici injuriam accuſarit, & ad reddendam ſui de iſta controverſia ſilentii affectati obſcuræque brevitatis rationem provocarit. Dare hanc prius voluiſſe Henſchenium, ſed poſt provinciam iſtam in ſe devolutam Papebrochius obſervat, quam etiam in prolixo ſatis de B. Alberto, Ordinis Carmelitici Legislatore, commentario, Aprilis Actorum Sanctorum menſi inſerto, functus fuerit, ſed ita tamen, ut omiſſa adhucdum definitione ultima, iſtud unice evictum dare laboraverit, quod parum ſolidis meritoque ſuſpectis fundamentis in aſſerenda origine ſua Carmelitæ niterentur. Quam promte autem plurimi Ordinum omnium Eruditi Diſſertationi huic ſubſcripſerint, tam acerbe modis non unis contra eam inſurrexiſſe Carmelitas quosdam, editamque anno 1677 *ſecundam Armamentarii partem*, imo & in Speculo Carmelitano *Propugnaculum iſtius Ordinis hiſtoriæ* a P. Daniele a Virgine Maria adverſus Actorum Collectores congeſtum innuit, ſed poſterius tamen aliquot demum ab Auctoris morte annis, cum plurimis iisque acerbiſſimis, & quæ ipſis paulo

paulo mitioris ingenii Carmelitis diſplicerent, acceſſionibus in lucem emiſſum queritur. Secundæ Armamentarii parti reſponſum ſe paraſſe in Tomis ad Majum menſem facientibus, & tentatam quidem cum Carmelitis concordiam, exciſa quoque inde vita S. Angeli ipſis moleſta; ſed iſtam multis mediis ab ipſiſmet impeditam fuiſſe poſtquam late enarravit, de libellis iſtis, quos ſpargi Carmelitæ fecerint, quales, *Nodus Papebrochio indiſſolubilis*, *Præco Marianus*, *Novus Iſmaël*, *Prodromus Carmelitanus*, *Heroica Carmeli Regula*, *Pomum diſcordiæ*, *&c.* ulterius differit, ſcriptamque de eorum nonnullis ad Sereniſſimum Haſſiæ Landgravium, Erneſtum, Roma a Conrado Janningo epiſtolam ſubnectit. Aliam deinde a Carolo du Freſne, Cangii Domino, ad Antonium Wion de Herouval Gallice perſcriptam, libelloſque Carmelitarum improbantem producit, & hanc una cum appendice quadam ex mente Scriptoris ab alio addita, juſſu & ſumtu Sereniſſimi, quem modo nominavimus, Landgravii in Latinum idioma tranſlatam, impreſſamque anno 1683 fuiſſe memorat; miſſas ea propter ad hunc per F. Stephanum a S. Johanne Evangeliſta, Francofurtenſem Carmelitarum Priorem, literas multum de iſto inſtituto querentes, ſed & a Cancelliſta Principis oppoſitas reſponſorias, &, quæ has exceperunt, novas Stephani illius apologeticas priorum in medium afferens. Ea vero occaſione audax, quod appellat, Carmelitarum Leodienſium figmentū perſtringit, qui ſub Herouvallii nomine epiſtolam ad Cangium conceperint, & iſtum ita ſcribentem introduxerint, ac ſi hunc ob latum de Carmelitis judicium admodum reprehenderet. Enimvero meras egiſſe homines illos impoſturas, e teſtimoniis ipſius Herouvallii pluribus, quibus hic ſe ignorare & rejicere epiſtolam illam confirmat, palam evincit. Veritos igitur adverſarios, ne, ſi fraus detegeretur, malam in Curia Romana gratiam incurrerent, querelas ſuas de vulgata paſſim Cangii ad Herouvallium epiſtola ad Romanum Pontificem, Innocentium XI detuliſſe, ſed præſentem tunc Romæ Janningum, oppoſita rei totius enarratione genuina, id obtinuiſſe, ut Pontifex ulteriorē Carmelitas ſcriptione interdiceret; quo tamen interdicto poſthabito, libellos pſeudonymos anonymoſque divulgare hi nequaquam omiſerint, ut puta: *Nihilum Jeſuiticum*, *Debita Papebrochiana*, *Papebrochium bombardizantem*, *Herculem Commodianum in Papebrochio redivivum*, quorum titulos æque ac contenta Noſter

ſtudioſe recenſet, ſeque interim ad ſingulos eorum conſulto tacentem in digerendis Actorum Tomis ſtrenue perrexiſſe teſtatur. Poſteaquam vero jam ad quatuordecim volumina opus, cui cum Henſchenio ipſe inſudarat, excreviſſet, anno 1693 cum ſua, quam nuncuparit, *errorum Exhibitione* in ſcenam prodiiſſe dicit R. P. Sebaſtianum a S. Paulo, qui factam annis antecedentibus ad Inquiſitionis Hiſpanicæ tribunal delationem, clandeſtinam eam quidem, ſed & penitus tunc rejectam, inſtaurari iſto pacto fecerit, dum Carmelitæ totam fere Exhibitionem in librum Hiſpanicum, ſub titulo *Expoſtulationis* Madriti anno 1694 impreſſum, transfuderint, & hunc ſecutum ait anno 1695 Decretum Hiſpanicum Acta Sanctorum Henſchenio-Papebrochiana proſcribens, quod Carmelitæ Latino, Hiſpano, Gallico Teutonicoque idiomate mox imprimi & undique diſpergi curarint. Miratos tunc prudentiores, qui fieri potuerit, ut tam brevi ſpatio volumina tot legerentur examinarenturve; pleroſque autem, quod fide non optima protractum fuerit Decretum iſtud, penitus ſibi perſuaſum habuiſſe. Quinimo Supremum in Hiſpania Inquiſitorem annuiſſe, ut apologia pro Actis exhiberetur, inſtitueretur que cauſæ reviſio, in cujus rei fidem decretum anno 1696 menſe Auguſto conceptum allegat. Prout autem cum Sebaſtiano a S. Paulo congredientem primum Conradum Janningum introducit, & libros ultro citroque evulgatos enumerat, ſic delationem Janninganorum quoque meletematum ad Hiſpanicum tribunal a Vice-Rectore Salmanticenſi anno 1696 factam ſiſtit, nec ſcripta alia, veluti *Theſes Hiſpalenſes* & *Vocem veritatis*, ad decretum Hiſpanicum palliandum ab adverſariis conſarcinata reticet, obiter, quid in ſui defenſionem alii ſuſceperint, ſubinnuens. Paulo vero prolixior eſt in commendando plurium per Germaniã Epiſcoporum, Archi-Epiſcoporum, Electorum ſtudio, quo exaratis quoque Romam ad Pontificem ipſum Prælatoſque complures literis, Sanctorum Acta protegere allaborarint. Epiſtolas quoque ab Auguſtiſſimo Imperatore *LEOPOLDO* ad Pontificem æque ac Hiſpaniarum Regem ſub initium anni 1696 miſſas apponit, & quomodo ad priorem illam Carmelitæ fictam Papæ reſponſionem conflarint, poſteriorem vero coram ipſa Inquiſitione tanquam hæreticam, ſchiſmaticam, ſuppoſititiamque accuſaverint, negotio tamen utrinque non ſatis feliciter cedente, fuſius oſtendit. Interim ſe coactum refert, ut apologiam ſuam adver-

adverſus Exhibitionem errorum Sebaſtiani a S. Paulo conderet, quam ſpatio quindecim menſium perfectam, in Italia, ubi dextre ſatis de eadem (quicquid contra machinentur Carmelitæ.) judicetur, Societatis Jeſu Generalis recudi juſſerit. Similem eventum ſe ab ea in Hiſpaniam miſſa expectaſſe, præſertim cum P. Antonius Xaramilius aliam Hiſpanica lingua defenſionem ſtruxerit; verum & hanc ſuppreſſam, & illam ſub prætextu Decreti alicujus obſtantis a tribunali rejectam, ſibique, ut apologia ſecreta Hiſpanico idiomate compoſita ſe purgaret, injunctum; aſt vero ad hanc, menſe Junio anno 1696 jamtum pro primo ac ſecundo Tomo Martii exhibitam, nullum reſponſum datum haberi dolet. Denique adverſarios ſuos Carmelitas eousque progreſſos addit, ut exhibito Regi Hiſpaniarum libello ſupplici, Regni quoque illius Epiſcopis, mutatis modo, quæ mutare fas erat, oblato petierint, vellet a Romano Pontifice poſtulare præceptum ſilentii iis omnibus imponendi, qui iſtorum ab Elia ſucceſſionem minus probarent. Aſt uti hocce deſiderium iniquum admodum pronunciat, ita P. Xaramilium alium concepiſſe libellum ſupplicem obſervat, quem P. Antonius Beltran Regi tradiderit, quemque, utut paulo prolixiorem, integrum heic legendum dat. Hunc cum totius curiæ applauſu vulgatum, preces quidem ad Pontificem pro indicendo ſilentio deferendas impediviſſe aſſerit, ſed libros tamen Sebaſtiani non minus ac alios, aut pro ſe aut contra ſe conſcriptos, mandato ſub prætextu pacis utrinque ſilentio, in Hiſpania colligi juſſos; at ſuæ innocentiæ, a ſola forſan Curia Romana aliquando vindicandæ, ſubſidium nullum allatum fuiſſe memorat.

## *EXAMEN DIVINITATIS, QUAM IN CARMELO VESPASIANUS conſuluit; ſive C. Suetonii Tranquilli locus de* Deo Carmelo *Hiſpanice explicatus per Excellentiſſimum Dominum D. GASPAREM de MENDOZA; Interprete Daniele Papebrochio.*

Antverpiæ, apud viduam & hæredes H. Thieullier, 1698. 4. plag. 5.

POſteaquam labore contenta reſponſionum, quas R. P. Sebaſtiano a S. Paulo Papebrochius oppoſuit, recenſendi in Actis hiſce no-

 ſtris

ſtris defuncti ſumus, pauca quædam adhuc monere par eſt de nonnullis operibus, quibus alii etiam Scriptores cauſam Papebrochianam ſive obiter ſive ex inſtituto magis adjuvere. Ac iſtud quidem, cujus titulum heic exhibuimus, Hiſpanice jam A. 1678 prodiit, periochamque adeo noſtram aliquot annis antevertit; quamobrem, ut in ejus prolixiori delineatione occupemur, neceſſarium haud eſt. Id modo obſervamus, quod Excellentiſſimus illius Auctor ſententiam Carmelitarum, & Patris maxime Laurentii Angeli Eſpin, ac ſi memoratus apud Suetonium & Tacitum *Deus Carmelus* verus eſſet Deus, & Veſpaſianus ſua ætate continuatam ſucceſſionem diſcipulorum Eliæ in monte Carmelo deprehendiſſet, multis argumentis refutarit, atque e contra Carmelum ipſum pro Deo a Gentilibus ſuperſtitioſe habitum cultumque fuiſſe docuerit. Sed cum hoc parum arrideret Carmelitis, arrepta aliunde occaſione Auctorem velut Papebrochio faventem ad Inquiſitionis Hiſpanicæ tribunal detulerunt, ejusque ſcriptis ignorantiæ notam impegerunt. Adverſa igitur hæc ſui cauſa Virum Illuſtriſſimum pati cum doleret Papebrochius, honori ejus conſulendum ratus eſt Latina verſione operis, quod Carmelitas imprimis offendit, quo, dum lingua eruditis communi iſtud legeretur, judicarent omnes, jurene an injuria ignorantibus accenſeatur is, a cujus ingenio monumenta iſtiuſmodi proficiſcantur. Cæterum in ipſa Hiſpania Papebrochium coram tribunali ſacro fuſius defendit P. Antonius Xaramilius, ſcripta Hiſpanice *pro veritate Apologia, contra varias impoſturas & accuſationes publicas adverſus perſonam & libros P. Danielis Papebrochii ipſumque Societatis Jeſu inſtitutum*, quam Latine redditam aliquis e Societatis Jeſu Theologis, P. Petrus Cant, Antverpiæ A. 1698 auſpiciis Papebrochianis fecit imprimi. Certa inſuper, quæ nuncupavit, *Præambula* cum Exhibitioni ſuæ præmiſerit R. P. Sebaſtianus a S. Paulo, & Papebrochius in reſpondendo occupatus his neglectis ad ipſum ſtatim opus perrexerit, hinc iſtorum *Examen Juridico-Theologicum*, tribus adeo reſponſionum partibus præponendum, additus nunc Papebrochio Socius, Nicolaus Rayæus, in ſe ſuſcepit, ipſoque hoc anno Antverpiæ vulgavit. Utrinque tamen nihil fere dicitur, quod cum reſponſionibus Papebrochii haud coincidat, ſuoque loco abs eo uberius deductum non ſit; quamobrem, ſi circa ſcripta hæc diutius hærere vellemus, metuendum eſſet, ne Benevolo Lectori ſupervacanea jam

tum

tum dictorum repetitione tædium crearetur. Iſti autem, quod ultimo loco nominavimus, Examini *Synopſin Quæſtionum curioſarum Hiſtorico-Theologicarum* Papebrochius ſubnexuit, & cuncta, quæ in tribus reſponſionum ſuarum partibus late perſecutus eſt, in compendium accuratiſſime redegit, quod proinde poſt dedicatoriam primæ partis Epiſtolam inſeri non incongrue poſſe exiſtimat.

*LUCII COELII SIVE CAECILII LACTANTII FIRMIANI Opera omnia, quæ exſtant. CHRISTOPHORUS CELLARIUS recenſuit, & Adnotationibus illuſtravit.*

Lipſiæ, apud Thomam Fritſch, 1698, in 8. Alphab. 2. plag. 4.

QUantum Lactantii nomen inde ab ætate ejus in Eccleſia fuerit, luculentis teſtimoniis antiquorum juxta & recentium ſcriptorum approbatum eſt. Plures equidem e Græcis Latiniſque Paganorum impietatem ſtylo oppugnaverunt; nemo autem fortius, ſi robur argumentorum ſpectemus: nemo elegantius, ſi ornatum dictionis: neque etiam, ſi vim & pondus eloquentiæ, quiſquam efficacius id præſtitit, quam Firmianus Lactantius. Ex quo illuſtriſſime apparet, quantum etiam ſacris ſtudiis humaniores litteræ momentum & ſubſidium, ſi ſcite adhibeantur, adferant. Cum vero optimus Auctor in noſtris oris raro admodum procuſus fuerit, ut ex Britannia arceſſere neceſſe eſſet, quem juventuti ad legendum imitandumque commendaremus: faciliori ejus uſui apparando clariſſimus Editor, ut una nævos editionum tolleret, ad MSStorum fidem correctum, novisque adnotationibus illuſtratum, in lucem & uſum publicum emiſit. Sex ad id uſus eſt MSS. codicibus, quorum tres ipſe evolvit, ex Paulina noſtra Bibliotheca acceptos: tres ab aliis integre collatos enotatoſq; in emendationis conſilium adhibuit. Binos enim Cantabrigienſis editio cIↃ IↃc LXXXV, Academiæ alterum, alterum Emmanuelenſis Collegii, ubi diſſentiant a vulgatis, cum cura excerptos exhibet: unum, in Sereniſſimi Ducis Saxonis Gothani Bibliotheca adſervatum, vir itidem clariſſimus Wilhelmus Erneſtus Tenzelius, id rogatus a Cellario, cum Cantabrigienſi editione compoſuit, & quæ illius propria ſunt & ſingularia, diligentiſſime adnotavit. Nec minus hac nova editione illorum ratio fuit habita, quæ doctiſſimi Editores, Ianus

Parrha-

Parrhaſius, Xyſtus Betuleius, Michael Thomaſius, Servatius Gallæus, & Thomas Sparkius, in ſuis quiſque codicibus manuſcriptis obſervarunt, & quæ ſummi viri Jo. Friderici Gronovii Monobiblos Obſervatorum in Scriptoribus Eccleſiaſticis, Lactantio emendando ſingulares eruditasque caſtigationes propoſuit. Quorum omnium induſtria collatione tandem hæc, quam commendamus, adornata & confecta eſt editio. Additus eſt ſingularis liber de Mortibus Perſecutorum, a celeberrimo viro Stephano Baluzio in lucem nuper protractus, in quo ex illorum obſervationibus, qui ad libellum illum commentati ſunt, quod a quovis præclare inventum monitumque fuit, carptim quoque noſter Editor appoſuit: & ne quidquam editione nova deſideretur, Carmina quoque tria, a nonnullis Lactantio adſcripta, ut de Phœnice, de Paſchate, de Paſſione Domini, adjecit, uſus in iis doctiſſimorum ingenio; Nicolai Heinſii in primo, in altero Chriſtophori Brovveri, in ultimo tandem Andreæ noſtri Rivini. Quod vero Lactantius quaſi promus omnis eruditæ antiquitatis, veterumque rituum ac ceremoniarum eſt, quibus vel ipſa vetuſtas obſcuritatem quandam obduxit; non hæc modo adnotationibus illuſtrata dedit, ſed Latinitatis etiam explicandæ, quæ fœcunda ſeges hujus Auctoris eſt, operam non pœnitendam inſumſit. De Vita Lactantii quantum haberi poteſt, in modum Excerptorum cum Præfatione conjunctum eſt: in fine adjecti tres Indices, primus Auctorum, quibus uſus eſt Lactantius: ſecundus Rerum notabiliorum: & tertius Verborum ac Formularum, ſive Latinitatis, hac quoque percommoda editione in majus & melius, quod laudati Editoris ſtudium eſt, feciliter provehendæ.

## LIBRI NOVI.

*THe Anatomy of Humane Bodies, by William Cowper, Surgeon. Oxford and London by Samuel Smidt and Benjamin Walford,* 1698. *in fol. maj.*

*Guilielmi Cave Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoria Literaria. Pars altera. Londini apud Rich. Chiſwel,* 1698. *fol.*

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipſiæ*

***Calendis Decembris, Anno M DC XCVIII.***

*VOLUMEN RERUM GERMANICARUM NOVUM, SIVE DE Pace Imperii Publica Libri V. Autore JOHANNE PHILIPPO DATT, Sereniſſim. Wurtemberg. Duc. in Super. Conſil. Conſiſtor. & Senatu Eccleſ. Conſiliario.*

Ulmæ, typis Eliæ Kühnen/ 1698, in fol. Alphab. 8. plag. 19.

UTi nulla eſt Reſpublica, quæ non juxta diverſas temporum periodos variis caſibus ſubjaceat: ita Germania noſtra multiplicem eamque ſæpe difficillimam experta eſt ſortem, adeo ut non tantum vinculum civile fuerit enormiter laxatum, imo ſublatum, ſed & communis ſocialitas tantum non interciderit; in cujus rei ſeriem & cauſas inquirere, noſtrum jam non eſt. Imprimis vero temporibus Henricorum, usque ad ſeculi decimi ſexti initia, oppido turbulentus fuit Germaniæ ſtatus, ſæpeque Proceribus Germanicis pacis publicæ utcunque reducendæ ac firmandæ impoſuit curam. Hanc rem memorabili ac laborioſiſſimo hoc opere Conſultiſſimus Autor, B. Knipſchildii, Icti poſt fata etiam celeberrimi, ex filia Nepos, executus eſt, ac Actorum publicorum documentis, ex archivis Reipublicæ præcipue Eslinganæ depromtis ita roboravit, ut inſtituti hujus diffuſam per præcipua Juris Publici capita utilitatem vero pretio eos, quibus Actorum publicorum irrefragabile pondus, & quam obſepta hodie ſint Archivorum limina, notum ſit, eſſe æſtimaturos, ipſe merito exiſtimaverit. Opus hoc hiſtoricum quidem eſt, ſed ſolidioris Juriſprudentiæ, qua divinæ qua humanæ, placita paſſim inſperſit, tantaque fa-

cundia doctas cogitationes ubique explicavit Nobiliſſimus Autor, ut eadem opera & in hiſtoria Germanica profunde doctum, ac doctrinæ civilis omniſque elegantioris literaturæ peritiſſimum ſe oſtenderit. Sed eamus in rem præſentem. Partitus eſt Noſter totum opus in quinque libros. In *primo*, poſtquam fœdam illam bellorum privatorum ſeu faidarum licentiam, feroci Germanorum genti olim ſolennem, geminamque impietatem, qua duella decidendis litibus ac eruendæ delictorum veritati adhibebantur, recenſuerat, ad media pacis explicanda ſe confert. Cum vero inoliti abuſus ſtatim in totum aboleri non poſſent, de induciis primum & pace temporaria cogitatum fuit, & pia quidem Epiſcoporum quorundam ſollicitudine effectum eſt, ut ſaltem ſtatis diebus hoſtilia, cruentæ cædes & rerum vaſtatio ceſſarent, quas inducias *Treugam Domini*, *Dei Treviam pacemq; Dei* nominabant. Ad harum imitationem etiam *pax publica* conſtitui cœpit, cui formandæ variæ conſtitutiones factæ ſunt, inque earum firmamentum plura fœdera expreſſo vel tacito Cæſarum conſenſu inita, quæ tamen fine ſuo exciderunt, ac inteſtino bello inter Principes Civitateſque cauſam præbuerunt. Imprimis memorabile eſt fœdus magnum inter Rhenanas & Suevicas civitates anno 1381 contractum, quod tamen paulo poſt diſſolutum eſt, conſtituta in conventu Egrano A. 1389 pace publica. Illius tamen reſtitutio aliquoties fuit tentata, plura etiam fœdera in diverſis Imperii provinciis, Alſatia puta, Franconia, Bavaria aliiſque in emolumentum publicæ pacis ſunt inita; quæ omnia Noſter diverſis capitibus perſequitur, inſertis ex inſtituto copioſe Actorum publicorum formulis. Poſtea etiam ex profeſſo docet, fœdera illa legitima non fuiſſe, niſi ex conſenſu Cæſarum; hinc illicitas conſpirationes & confœderationes quoque explicat. Cum tamen pax publica iſtis temporibus ſolum pacis temporariæ rationem haberet, nec diffidationes ac bella privata ceſſarent, inde diffidationum forma ac modus Conſtitutionibus vel fœderum tabulis præſcriptus, effectusque latius ab eodem explicatur, nec non quomodo pax publica publicata, Irenarchi ſeu judices eo nomine conſtituti, quodq; præcipuum eorum officium fuerit, aliaque ad jurisdictionis adminiſtrationem, executionem, paciſque defenſionem pertinentia recenſentur. Speciatim deinde exponitur, quomodo pax publica in Comitiis Norimbergenſibus A. 1431 ſit conſtituta; qua occaſione de expedi-

peditione Huſſitica legibuſque caſtrenſibus, prima Imperii Matricula, communi denario in uſum Huſſiticæ expeditionis tum indicto, diſſeritur; quam diſſertationem excipit ulterior pacis publicæ in Comitiis Egranis A. 1437 & Norimbergenſibus A. 1438 conſtitutæ ac firmatæ, nec non originis Circulorum Imperii, Judiciorumque Auſtregalium conſideratio. Quibus omnibus tandem, quid circa conſtitutionem & promulgationem pacis publicæ in diverſis comitiis, præſertim conventu Franckofurdiano A. 1486 actum ſit, ſubjicitur. Omnia autem Actorum publicorum documentis firmari & illuſtrari, amplius admonendum non eſt, ac in ſequentibus quoque ſemper intelligi debet, cum id inſtitutum doctiſſimi Autoris generaliter inſinuet. In *ſecundo* libro celeberrimum illud fœdus Suevicum, defendendæ paci Francofurdianæ A. 1488 initum, ex profeſſo expoſiturus Noſter, per modum præludii quædam de diverſis ſocietatibus San-Georgianis præmittit, ac in quantum ſocietatis Clypei S. Georgii elogium Suevico fœderi conveniat, oſtendit, præcavendo errori, ne quis fœdus hoc cum laudatis ſocietatibus indiſtincte coincidere exiſtimet. Poſtea ad ipſum fœdus converſus, de ejus origine, cauſis ſuaſoriis, deliberationibusque eo nomine inſtitutis ſatagit, tabulas fœderis A. 1488 concluſi producit, illius incrementa, allectis in id variis, etiam valde potentibus ſociis docet, diverſas prolongationes, ipſam etiam Pontificis Romani confirmationem adducit, ac ex quibus cauſis fœdus A. 1534 artibus vel Caroli V, vel Franciſci Galliarum Regis, fuerit diſſolutum, oſtendit. His explicatis interiorem fœderis illius habitum, & quomodo illud, quo pacis publicæ defenſioni ſufficeret, formatum ſit, expendit, hinc de Conſilio ſive Senatu fœderis, ſpeciatim de Ducibus, Conſiliariis, Judicibus, Aſſeſſoribus & Actuariis differit; inde ad fori competentiam, actiones ac cauſas in judicio Suevici fœderis ventilatas, formamque proceſſus judiciarii, ac appellationes quibus ſententiæ judicum ſubjectæ fuerunt, digreditur; denique modum expeditionum bellicarum, fœderis nomine ſuſceptarum, nec non officia ſociorum inter ſe prolixe ac erudite exponit.

Hactenus Germania pace ſolum temporaria fruebatur. Sed Maximilianus in comitiis Wormatienſibus A. 1495, æterna ac ſemper valitura lege eam ſancivit. Horum itaque comitiorum Noſter in libro *tertio* celebritatem in genere primo indicat, ac repetita ex prio-

ribus temporibus deliberationum comitialium hiſtoria, ſumma propoſitionis Cæſareæ, in laudatis comitiis diſcutiendæ, de bello nimirum Turcico, Geldrico, Italico, de ſtabilienda pace publica & reformandis judiciis, capita proponit. Inde auxilium pecuniarium, in Italicam expeditionem Cæſari indultum, fœderaque contra Gallos percuſſa perſequitur: poſtea vero hiſtoriam *communis denarii*, in ſubſidium præcipue pacis publicæ ſolvendi, prolixe texit, adjectis iis, quæ ad expeditiones Maximiliani Italicas pertinent, inſertoque per utiliſſimam jucundamq; digreſſionem libello temporibus Caroli IV ſcripto, Cæſaremque in Italiam ad componenda Italorum diſſidia invitante, necnon deſignatione civitatum ac caſtrorum Italicorum, quæ ea tempeſtate ad Imperium Germanico-Romanum pertinebant. Explicato ita primo pacis publicæ fulcro, deinceps ad alterum, ſcilicet *Regimentum Imperii* progreditur. De eo conſtituendo jam in laudatis comitiis Wormatienſibus A. 1495 deliberatum eſſe, ſecus ac vulgo ſentiant, dum ejus prima cunabula ad initia ſeculi XVI demum referant, idem cenſet, ac ordinationis Regimenti formulam novam & extenſiorem in his comitiis conceptam adducit, quidque vel ulteriori deliberationi reſervatum, vel Regimento demandatum ſit, per aliquot capita exponit, atque ita de Concordatis Nationis Germanicæ, reſtauratione politiæ, judiciorum eccleſiaſticorum exceſſu aliisque diſſerit. In libro *quarto* tertium pacis publicæ fulcrum, nempe *Camerale Judicium*, in comitiis Wormatienſibus conſtitutum, expendit Conſultiſſimus Autor, contexta prolixiori ejus hiſtoria, in qua inter alia cenſet, judicium Camerale olim etiam judicium Cæſaris Aulicum appellatum fuiſſe, ſed poſt conventum Wormatienſem, hoc ſub nomine Conſilii Aulici, des Kayſerlichen Reichs Hoff-Raths/ab illo fuiſſe diſtinctum. Poſtea de judiciis Weſtphalicis, ut præcipuo pacis publicæ turbamento, diſſerit, & licet Bœclerus exſtimaverit, ex archivis vix alia de his judiciis haberi poſſe, quam quæ de eorum abuſu teſtentur, Noſter tamen plura conſignavit, quæ legitimum eorum uſum oſtendant. Hinc de fori competentia, de cauſis ad hæc judicia devolutis, de literis citationum, mandatis procuratoriis, ſententiis interlocutoriis, definitivis, perſonis in judicio adſtantibus, abſolutionumque formulis, aliisque documentis, rem judiciariam illuſtrantibus, varia memorabilia afferuntur, quibus reformatio judicii vetiti Weſtphaliæ,

phaliæ; nec non declaratio variorum articulorum, ad judicium illud pertinentium, a Scabinis anno 1404 ad interrogationem Ruperti Imperatoris facta, ex MSStis membranaceis additur.

In libro *quinto* texit Noſter hiſtoriam conſtitutionis pacis publicæ, in qua tum occaſionem ejus, tum diverſas Cæſaris Statuumque deliberationes eo nomine in comitiis A. 1495 habitas, percenſet; cui hiſtoriam confirmationis laudatæ pacis ſubjungit, & quomodo in ejus tutelam diverſa fœdera inita, quæque ei contrariabantur, ſublata fuerint, ulterius commemorat. Cum autem in fine conſtitutionis pacis publicæ Nobilitatis Equeſtris fiat quoque mentio, atque hinc illi, qui hujus partes tuentur, colligant, Nobilitatem immediatam olim comitiis interfuiſſe, ac Status Imperii fuiſſe, Conſultiſſimus Autor noſter dubium hoc erudita conjectura removet, oſtendendo, non omnem, ſed Suevicam ſolum ad Hegoæ tractum & Danubium, ſub S. Georgii Clypeo, jam inde ab initiis ſeculi XV confœderatam Nobilitatem ad comitia, in Suevia præſertim habita, fuiſſe convocatam, occaſione ſolum fœderis Suevici, in quod laudata Nobilitas conceſſerat, & in quo claſſi Prælatorum Comitumque adſcribebatur: quamvis, quomodo cum Nobilitate, hac occaſione ad comitia vocata, actum ſit, haut expeditum eſſe idem fateatur. Atque ex iſta hypotheſi ſpeciatim Autori, qui ita pro Nobilitate immediata calamum ſtrinxerat, ut eam non ſolum olim comitiis interfuiſſe, ſed & hodie a collegio Comitum in iisdem repræſentari, atque eo ſenſu adhuc Statum Imperii eſſe contenderet, reſpondet; docetque quod collapſo fœdere Suevico omnis Comitum Suevicorum & Equeſtris Ordinis conjunctio conciderit, ut hunc ab illis repræſentari, nulla idonea ratione oſtendi queat. Cum porro idem Autor Civitatibus Imperialibus iniquior eſſet, earumque jus Status ab anno 1582 ſolum repeteret, hinc convellendæ huic ſententiæ, hiſtoriam controverſiæ, de voto Civitatum Imperialium deciſivo, a ſuis inde initiis usque ad pacem Weſtphalicam deducit, ac tandem operi coronidem impoſiturus, integra Acta comitialia conventus Wormatienſis A. 1495, nec non Receſſum comitiorum Lindavienſium A. 1597, Wormatienſium A. 1597, Friburgenſium A. 1598 habitorum, formulamque poſtulationis Cæſareæ ad comitia Friburgenſia directæ exhibet.

Atque hæc eſt ſummaria delineatio nobiliſſimi operis, ex qua

Lectori perito facile conſtabit, ea tempeſtate in Germania adeo non fuiſſe unam Rempublicam, ut ne quidem civitas in ea, generatim ſpectata, fuiſſe videatur, ſed potius ſtatus naturalis, plura corpora, in aliquem habitum civilem utcunque digeſta, complexus; in quam fere ſententiam jam tum graviter diſſeruit Ludolphus Hugo, Noſtro l. 1. c. 3. n. 17. ſeqq. laudatus. Specialiora heic referre, inſtituti noſtri anguſtia, imo operis hujus elegantia prohibet. Cum enim in illud nihil niſi quod eximium ac memorabile eſt, relatum ſit, ideo delectum aliquem facere vix licet. Unicum tamen ſeorſim memorabimus eo ſaltem fine, ut appareat, quantopere in placitis jus privatum præcipue reſpicientibus, ultra vulgares Juris peritorum regulas Noſter etiam nitatur, & quam omnis ſolidæ jurisprudentiæ, qua publicæ qua privatæ menſuram implere idem ſit idoneus. Moverat Illuſtris *Kulpiſius* (cujus vix XLV annos nati mortem, quam die 2 Septembris hujus anni obiit, merito nobiſcum Orbis Eruditus luget) aliquando ſub nomine *Conradi Sinceri* dubium, *an in Comitiis Wormatienſibus A. 1495 habitis, Maximilianus conſtituerit, ut in Camera ex legibus etiam Romanis jus diceretur*, quod hactenus plerisq; juris interpretibus perſuaſum fuit: dubitaverat etiam idem, *an nomine* juris communis *jus Romanum in variis Receſſibus Imperii intelligatur*? quod tamen Conringio aliisque indubium videbatur. Utrumque dubium Noſter l. 4. c. 1. n. 103. ſeqq. erudite diſcutit, & quoad primum quidem cenſet, licet Lehmannus, ex quo vulgo Cæſaris Statuumque Conſtitutionem aſſerunt, non de conſtitutione aliqua expreſſa, ſed conſenſu ac approbatione tacita, probabiliter explicari queat; ſibi tamen vero magis conſentaneum videri, quod ille, viſa fortaſſis in Spirenſi archivo formula, Judici & Aſſeſſoribus A. 1495 præſcripta, non abs re ſtatuerit, conventum tunc fuiſſe inter Cæſarem & Status, ut in Camera ſecundum leges Romanas tanquam jus Imperii commune judicaretur, ut mirum ſit, cur formulam illam omiſerint, qui codicem Receſſuum primi dederint. Alterum vero dubium decem obſervationibus explanat, quarum ſumma eſt, elogium *juris communis* non idem ſemper, ſed aliquando jus Romanum, aliquando Germanicum notare, de quo ex materia modoque conjunctionis, juxta regulas hermeneuticas ſit judicandum; & videntur utique obſervationes iſtæ citius applauſum eſſe merituræ, quam diſtinctio *Sinceri*, qua nimis abrupte contendit, titu-

titulum juris communis ad leges Germanicas pertinere, quoties in Receſſibus de jure agatur, ad cujus regulam ſententiæ pronunciandæ; quoties vero de jure, ad quod proceſſus ratio adornanda ſit, ſermo inſtituatur, tum illo elogio etiam jus Romanum, Canonicum, imo Interpretũ ſæpe communes opiniones indigitari. Interim dicendum forte videtur, quod in iſta diſquiſitione, cæteroquin eruditiſſima, cardo negotii non vertatur. Nam licet in Comitiis Wormatienſibus de jure Romano nihil ſtatutum ſit, de ejus tamen receptione, hodie imprimis, ambigi non poteſt. Porro licet detur, quod indiſtincte jus Romanum, nomine juris communis, in Receſſibus Imperii veniat, quando tamen probari non poteſt, quod ejus receptione jura Germanica ſint ſublata, (uti hoc nunquam probabitur) id nihil amplius erit, quam *commune ſubſidium*, ſeu jus quo deficientibus legibus domeſticis, per univerſam Germaniam in ſubſidium uti liceat. De cætero doctiſſimo Autori noſtro vitam integramque valetudinem, nec non otium apprecamur, quo Opera, quæ vel ipſe meditatur, vel ex ſchedis Knipſchildianis parat, (*vid. præfat. ad lector. l. 2. c. 1. n. 3. l. 3. c. 15. n. 40.*) in uſum Reipublicæ, ſuo tempore lucem adſpiciant.

*ACTUS PROMULGATIONIS PRIVILEGIORUM UNIVERSItatis Altorfinæ Nor. indulgentiſſime confirmatorum & amplificatorum, feſto ſolenni Petro-Paulino 3. Kal. Julii cIↄ Iↄc XCVIII celebratus. Acceſſit Renunciatio Doctorum Theologiæ Prima, cum Programmatum & Actionum Gratiarum auctario.*

Altorfii, apud Henricum Meyerum, 1698, in 4to. Alph. 1. plag. 5.

QUod Julius Cæſar Scaliger in metricis ſuis urbium elogiis de Nurenberga canit prædicatque:

Quis putet horrifico ſociatas Marte Camœnas?
Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
Martis habe & Phœbi felicia tempora laude:
Sanctaque ſit valido fœdere juncta fides.
Omnibus ex iſtis ne tu ne demſeris unum,
Addere quin potius omnia magna tuum eſt:

id Inclytus ejusdem Senatus, præter alia documenta vetuſtiora,

egre-

egregie præſtitit ante biennium; dum, durante adhuc triſti bellorum tempeſtate, Camœnas ſuas Altorfinas benigno reſpexit vultu, & quod celebri illi Academiæ deerat unum, addere elaboravit; ut nimirum privilegia ſuperiore & hoc ipſo ſeculo ab Imperatoribus Rudolpho II & Ferdinando II clementiſſime ipſi conceſſa, confirmarentur, & ſicut hactenus in ea Doctores ac Licentiati Juris & Medicinæ, Philoſophiæ item Magiſtri Baccalaurei ac Poëtæ, creati ſunt, ita & S. Theologiæ Doctores & Licentiati pariter ibidem renunciari poſſent. Impetrata igitur facile hac etiam poteſtate ab Auguſtiſſimo LEOPOLDO, Cæſare ac Domino noſtro omnium Clementiſſimo (fabula enim eſt e trivio petita, eaque paſſim in hoc libro refutata, quaſi olim ob imprudentem quandam interrogationem, Ordini Theologico Doctores creandi facultas denegata fuerit) decrevit Illuſtris Senatus, ut anno ſuperiore 1697 die feſto Petro-Paulino, ſolennis privilegiorum Cæſareorum amplificatorum promulgatio Altorfii ſingulari cum ſplendore inſtitueretur; & quo celebritas hæc feris etiam poſteris innoteſceret, demandavit celeberrimo Oratoriæ Profeſſori Omeiſio, ut quo ordine & apparatu Panegyris illa adornata & peracta fuiſſet, referret in litteras, habitosque tum ab aliis tum ab ipſo ſermones & orationes colligeret, ac rem omnem litterato cum orbe communicaret. Paruit ille promto lubentique animo, & actus hujus ſolennis (ad inſtar fere Publicationis Privilegiorum Doctoralium, in eadem Altorfina anno ſeculi hujus 23 celebratæ, & ſequente A. 24 divulgatæ) deſcriptionem eleganter concinnavit; cujus ſumma tantum capita nunc recenſebimus. In Præfatione ad Lectorem cauſa ſcripti indicatur; nimirum ut publico hoc monumento prædicetur immortale Cæſaris Auguſtiſſimi beneficium, quo inſigniter Academiam Noricam ornavit, & quod parcius dederant Anteceſſores Glorioſiſſimi, plene cumulateque nunc adſtruxit. Præfationem excipit ipſe Actus Promulgationis Privilegiorum Cæſareorum Academiæ amplificatorum, & ſermo fit de Feſtis Natalitiis Principum aliorumque hominum, urbium etiam, templorum & ſcholarum illuſtrium: ac duo mox inſeruntur Programmata, unum nomine totius Inclyti Senatus Norimbergenſis, alterum nomine Magnifici Rectoris & Senatus Ampliſſimi Univerſitatis, quibus publice denunciatur ſolennitas iſta & celebritas Natalis Academiæ tertii. Primus enim fuit dies S. Jacobo ſacer A. 1580, quo publicabantur

tur privilegia Rudolphi II, quibus nobili tunc Scholæ facultatem Philoſophiæ Baccalaureos & Magiſtros renunciandi conceſſit; alter, dies feſtus Petro-Paulinus A. 1623, quo Ferdinandi II Imperatoris magmenta privilegiorum, quibus Juridicæ ac Medicæ Facultati creandi Doctores & Licentiatos, ac Philoſophico Ordini Poëtas coronandi poteſtatem indulſit, ſolenniſſime promulgabantur. Invitantur quoque programmatibus iſtis ad inſtantem panegyrin urbis & territorii Norimb. cives, incolæ, accolæ & vicini; nobilisque Studioſorum Ordo monetur, ut dignum ſe præſtet tantis beneficiis, Academiæque Patronos & Hoſpites debita veneratione morumque civilitate excipiat. Sequitur hinc ſuccincta ipſius celebritatis deſcriptio, ac enarratur, quæ diei præcedentis veſpere contigerint, & quam magnifice Generoſi Univerſitatis Curatores, aliique Hoſpites venerandi, urbem Altorfinam hujusque arcem ingreſſi fuerint; qua dein pompa, ipſo feſto Petro-Paulino, mane Corpus Academicum ex collegio in arcem, atque inde, una cum Patronis Univerſitatis & Hoſpitibus, in templum proceſſerit; qui ibidem concentus muſici, quæ preces, orationes ſacræ & civiles, quæ poſt ipſius diplomatis Cæſarei ſolennem prælectionem ceremoniæ, congratulationes & gratiarum actiones, maxima ſpectatorum & auditorum frequentia, inſtitutæ ac peractæ fuerint; amplius, quo ordine proceſſionis ſeries e templo in collegium Velſerianum ſe contulerit; & quam lautum convivium finem illius mox in arce oppidana exceperit. Delineantur etiam numiſmata duo majora argentea, ſolennitatis hujus memoriæ dicata ac diſtributa, unumque minus poſt paulo Norimbergæ cuſum. Subjiciuntur dein ſpeciatim concio ſacra a Venerabili Antiſtite D. Sontagio habita; ac propoſitio ſive oratio Viri Excellentiſſimi Hieronymi Scheurelii a Deffersdorff, JCti & Illuſtris Reip. Norimb. Conſiliarii primarii; cui adnectitur ipſum diploma Cæſareum, hujusque tenoris perſpicua ad populum explicatio. Succedit novorum privilegiorum & inſignium, nomine Inclyti Senatus Norimb. ab eodem Generoſo Scheurelio facta traditio, horumque a Magnifico Academiæ Pro-Cancellario, Dn. Chriſtophoro Pellero JCto, acceptatio; atque hujus inſuper Magnifico Univerſitatis Rectori eorundem inſignium, nomine Ampliſſimorum Academiæ Curatorum, exhibitio & commendatio. Sequuntur Rectoris, Joh. Fabricii, S. Theol. D. & Prof.

celebratiſſimi, qua illa acceptavit, oratio; Magni Danielis Omeiſii, Moral. & Orat. Prof. famigeratiſſimi ſolennis gratiarum actio; & carmina duo Germanica ingeniis autorum ſuorum digniſſima. Exhibetur porro pleniſſime in altera libri hujus parte Actus Promotionis Doctoralis in Facult. Theol. primus, poſtridie celebratus; & adjiciuntur programmata, Juridicum, Medicum, Philoſophicum & poëticum: nam præter tres in Facultate Theologica, etiam novem in Juridica & ſex in Medica Doctores ſunt creati; tres etiam Philoſophiæ Magiſtri, & ex iis unus Poeta Laureatus, renunciati; quorum, ut & Brabeutarum, nomina cernere licet in programmatibus. Sequitur oratio die tertia in novi Rectoris & Decanorum electione habita a laudato D. Joh. Fabricio, faſces Academicos tertium deponente, & Univerſitati Altorfinæ, quod ad Juliam ſeu Helmſtadienſem vocatus eſſet, valedicente; nec non ſermo panegyricus Cl. Omeiſii, quo aliquot poſt menſes Auguſtiſſimo privilegiorum Academicorum Amplificatori Univerſitatis nomine devotiſſimas egit gratias, ac ſimul ob victoriam a Turcis in Pannonia ad Tibiſcum menſe Septembri ejusdem anni glorioſe reportatam, pacemque Germaniæ menſe Octobri divinitus redonatam, eſt congratulatus. Denique & poſt carmen euchariſticogratulatorium Joach. Negelini, Philos. M. & P. L. C. a typographo ſubnectitur diploma Cæſareum, vi cujus laudatæ Univerſitatis Pro-Cancellarii Comitiva S. Palatii Lateranenſis, ſingularibus cum prærogativis, ſunt mactati.

*M. FABII QUINCTILIANI DE INSTITUTIONE ORATORIA libri duodecim, ejusdemque Declamationes: innumeris locis emendavit & recenſuit ULRICUS OBRECHTUS.*

Argentorati, ſumptibus Jo. Reinholdi Dulſſekeri, 1698. in 4.
Conſtant alph. 10. plag. 14.

M. Fabius Quinctilianus, Romanæ, ut Martialis ait, *togæ gloria*, artis, quam per viginti annos Romæ ſumma cum laude docuit, præcepta & inſtitutiones reliquit, quæ plerisque omnibus in hoc genere ſcriptis palmam facile præripiunt. Oratorem enim inde usque a pueritia formandum ſuſcipiens, quæcunque ad illum inſtituendum pertinerent, undiquaque in hoc opus conduxit, & ex Philoſophiæ præ-

præſertim civilis fontibus aridiora dicendi præcepta irrigavit; ut qui ſentiret, *virum vere civilem & publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatum, qui regere conſiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis poſſet, non alium eſſe quam Oratorem.* Neque ergo nudam dicendi artem, id eſt, præceptionum quoddam inane corpus exhibuit, quibus ea ſola traderet, quæ Rhetoricæ ditionis vulgo cenſentur: ſed & illa ubertim eſt perſecutus, quæ virum bonum (qualem Cicero oratorem definit) rebusque gerendis idoneum inſtruerent: eumque dictionis cultum rebus adhibendum eſſe cenſuit, qui facundiam alere viresque eloquentiæ augere poſſet. Quibus de caufis doctiſſimus & prudentiſſimus quisque has Inſtitutiones in magno pretio habet, quibus non dicendi ſtudia modo inſigniter adjuvari, ſed & præclaræ virtutis ac prudentiæ documenta paſſim inculcari animadvertimus; ut hic vere locum inveniat quod ait Cicero: *Operam qui dat eloquentiæ, dat prudentiæ.* Tantum vero ſcriptorem quum etiam poſt Hackianam editionem anno 1665 a Jo. Fr. Gronovio, viro de bonis literis & priſcis ſcriptoribus eximie merito, ac recentiſſimam Oxonienſem a viro clariſſimo Edmundo Gibſono curatam, multis gravibusque vulneribus ſcatere deprehenderet Ulricus Obrechtus, vir non minoris eruditionis quam dignationis, non indignum cenſuit, in quo ſanando & emendando aliquid temporis ſubſecivi poneret. Adjecit ergo magnis in rem litterariam meritis non exiguum cumulum, dum ſummo Rhetori ſummus ipſe Orator ſalutarem operam tulit, eumque quot centenis locis emendatum nitori priſtino reſtitutit. Eandem medicinam fecit *Declamationibus*, quæ nomen Quinctiliani præferunt, & cum Inſtitutionibus oratoriis, ſeu de Inſtitutione oratoria libris, conjungi ab Editoribus conſueverunt. Hæc ergo, quæque alia Quinctiliano tribui ſolent opera, veluti *Dialogum de cauſis corruptæ eloquentiæ*, & quam Oxonienſes e MSto primum eruerunt, Declamationem, *Tribuni Mariani* titulo inſignitam, in duo volumina diſtribuit, & non ſolum ab innumeris mendis purgata, ſed & eleganti cultu habituque ornata, excellentiſſimus Obrechtus publici juris fecit. Neque indices deſiderari eſt paſſus, cum auctorum, quorum in Quinctiliani libris fit mentio, tum rerum verborumq; memorabilium: ei vero, qui Inſtitutionibus ſubjectus, ex apparatu rhetorico Boecleriano inſerta ſunt plura Græcorum Latinorumque ſcriptorum loca, quibus ars oratoria illuſtratur. His acceſſit breviarium

totius operis, quod nonmodo librorum ſed & capitum argumenta ſatis plene & diſtincte per ſingula membra perſequitur. Præterea extat in fronte utriusque voluminis elenchus locorum bene multorum, quæ partim ope manuſcriptorum codicum, præcipue Argentinenſis, tum etiam Colbertini & Victorini, partim ex ingenio feliciſſime emendata teſtantur, celeberrimum Editorem, gravioribus quamvis Reip. curis a Rege maximo dudum adhibitum, pro acerrimo judicio tamen & capitali, quo pollet, ingenio, ſic in hac palæſtra verſatum, ut vel ſummis Criticis, qui hoc unum tota vita egerunt, palmam reddat ambiguam. Liceat vero unam atque alteram emendationem ex illo agmine decerpere, ut, quid in hac editione ſit præſtitum, eo facilius intelligi poſſit. Sic quum Oxonienſis Inſtitutionum Orat. editio Lib. I. cap. 2. habeat *ſtudia multo plus ſecreti temporis deſiderant;* Obrechtiana vocem *temporis* multo elegantius omittit. Quod in illa nullo ſenſu cap. 4. ejusdem libri p. 23. legitur: *Atqui litera I ſibi inſidit;* emendatius in hac p. 25. reſcribitur: *A quidem literam I ſibi miſcet.* Elegans non minus quam certa eſt emendatio Libri III. cap. 7. p. 181. ubi *Therſitæ atque Iro* reſtituitur, pro eo, quod in Oxonienſi erat *Therſitæ at vero.* Lib. IV. cap. 2. p. 232. ſtrepitu excitari judex ad *cuſtodiendum patronum* multo verius legitur, quam quomodo Oxonienſis: *ſtrepitu ipſum judicem, deinde patronum excitari;* ut totum locum expendenti patebit. Lib. V. cap. 7. p. 266. *vilitatem* teſtibus humilibus aptè objici traditur, non *utilitatem*, ut Oxonienſis legit. Lib. VI. cap. 3. p. 363. venuſtas redditur dicto Cœlii literulæ mutatione & ope interpunctionis: *Hic ſubſecutus, quomodo tranſierit, utrum rate, an piſcatorio navigio, nemo ſciebat.* Antea *ſic ſubſecutus* legebatur, eaque verba a dicto Cœlii detracta, cum præcedentibus Auctoris verbis male cohærebant. Lib. IIX. cap. 5. p. 484. vox, qua caret Oxonienſis, omnino adjicienda erat huic de Germanis ſententiæ: *caput neſcio ubi* in nubè *poſitum.* Lib. IX. cap. 1. p. 504. pro *Zoilo* qui inter Rhetores ignoratur, *Cæcilius* merito reponitur. Ejusdem libri cap. 3. p. 536. *rebus agentibus* tanquam formula, quæ vulgo auctore evaluit, olim a Pollione damnata, obſervatur: at Oxonienſis p. 455. hic ita eſt depravata, ut nihil ex ea ſani exſculpas. Ejusdem libri cap. 4. p. 583. monſtroſa & nihili vox *Hypcroargus* feliciter mutatur in hæc verba: *Ego impero Argis.* Lib. X. cap. 7. p. 636. *Ars ſemel percepta, mora labitur*

*bitur*; veriſſime emendatur, quum falſum ſit quod Oxonienſis p. 539. habet; *non labitur*. Lib. XI. cap. 3. p. 681. *Nam more avium cuique ſunt jucunda, quæ cantat ipſe:* in Oxonienſi p. 576. ſic legitur: *Nam nec cuiquam ſunt injucunda, quæ cantat ipſe.* Libr. XII. cap. 10. p. 752. ubi in Oxonienſi p. 634. *priores Catonem Gracchosque*, melius hic legi, *priores Catone Gracchisque* conſequentia aperte demonſtrant. Has paucas e multis emendationes ſpeciminis loco ſelegimus: non, quod his reliquæ concedant, ſed ut his non disſimiles intelligantur. E Declamationibus, quæ nec paucioribus locis nec minus feliciter reſtitutæ ſunt, nihil afferimus, ne juſto ſimus prolixiores. Index locorum emendatorum, & cum Hackiana editione collatorum, etiam iis præmiſſus ſatis demonſtrat, quid in altera corruptum ſit, quid in altera correctum. Præter has vero emendationes, in contextum orationis receptas, plures in promtu ſe habere celeberrimus Auctor ſignificat, peculiari propediem volumine repræſentandas, quo & fontes emendationum recludet, & præcipuos eruditorum virorum commentarios complectetur. Quod ut primo quoque die lucem adſpiciat, omnium, qui eloquentiam amant, commune erit votum: utpote quo opere perfecto eruditus orbis de digne ornata, omnibusque numeris abſoluta, præſtantisſimi Rhetoris editione poterit gaudere.

## *HEPTATEUCHUS, LIBER JOB, ET EVANGELIUM NICODEMI Anglo-Saxonice. Hiſtoriæ Judith Fragmentum Dano-Saxonice. Edidit nunc primum ex MSS. Codd. EDWARDUS THWAITES.*

Oxonii e Theatro Sheldon. typis Junianis, 1698, 4. Alph. 1. plag. 4.

QUanto applauſu excepti fuerint Fr. Junii & Th. Mareſchalli labores, quos reſtaurandis literis Anglo-Saxonicis, maxime vero editis (poſt Londinenſem, A. 1571 ſtudio Matth. Parkeri Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, atque Jo. Foxi notisſimi illius Martyrologi Anglicani, primo publicatam editionem,) Novi Teſtamenti libris, ab Ælfrico monacho ante ſeptingentos annos, in uſum ſuorum popularium Anglo-Saxonice redditis, impenderant, tot Virorum eruditisſimorum elogia ſatis teſtari posſunt. Conferatur Vita Junii præfixa libro ejus de Pictura Veterum; de Mareſchallo autem videndus Colomeſius in

Obſ. Sacris p. 3. 20. & 81. Idem vero Ælfricus Veteris quoque Teſtamenti verſionem adornaverat, uti cuivis legenti Tractatus de V. & N. T. ab eodem Anglo-Saxonice conſcriptos innoteſcet; quæ tamen hactenus, præter Pſalmorum librum, quem Jo. Spelmannus A. 1640 in lucem emiſit, intra privatos parietes delituit. Hujus verſionis partem, nempe Pentateuchum, libros Joſuæ & Judicum, ac librum Job, nunc primum in publicum protraxit clariſſimus horum monumentorum Editor, quod intereſſe Eccleſiæ, una cum Viro celeberrimo Georgio Hickeſio, cui iſtud opus ſuum dedicavit (quem literaturæ Anglo-Saxonicæ inſtauratorem nuncupat, & cujus induſtria proxime Concilia Anglo-Saxonica excuſis multo auctiora in lucem proditura eſſe, ſpem facit,) exiſtimaret, ut inter reliquas Scripturæ S. verſiones, quæ omnium ferme gentium, omnium linguarum prodiere, majorum ſuorum vernacula iſta conſpiceret lucem. Adjecit vero & alia ejusdem idiomatis monumenta, nempe Evangelium Nicodemi ex Latino (quo ſermone tantum publice innotuit Lipſienſi editione A. 1516, ex qua Germanica Smalcaldienſis A. 1687 profluxit; Græca enim authentica exemplaria in Biblioth. Reg. Pariſ. & Monachienſi ſervantur) Anglo-Saxonicum factum, & Fragmentum Hiſtoriæ Judith Dano Saxonicæ, ſcriptum quo tempore Dani in Anglia regnarunt. Sub calcem notæ quædam tum in præfationem Ælfrici, tum in ipſos ſacros libros reperiuntur, in quibus paſſim diverſitas codicis Laudiani, ad cujus fidem hæc expreſſa ſunt, a reliquis codicibus, Cantabrigienſi & Cottoniano notatur; nec non variantes lectiones ab Exodi fragmento, quod olim Guil. Nicolſonus Edmundo Gibſono dono dederat, cujus characteres antiquitatem quatuor ſeculorum præ ſe ferunt, afferuntur: ut de variantibus lectionibus Evangelii Nicodemi, collectis ex margine apographi Juniani, quod ex codice MSto Bibliothecæ publicæ Cantabrigienſis deſcriptum, & cum alio codice Bibliothecæ Cottonianæ a magno illo linguæ Anglo Saxonicæ oraculo Fr. Junio F. F. collatum fuerat, nihil amplius adjiciamus.

*APPARATUS AD BIBLIOTHECAM MAXIMAM VETERUM Patrum & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum Lugduni editam; opera Dom. NICOLAI LE NOURRY, Presbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti e Congreg. S. Mauri. Tomus II de Scriptoribus Secundi Eccleſiæ Seculi.*

Pari-

Pariſiis, apud Joannem Aniſſon, 1697, in 8. Alphab. 2. plag. 5½.

QUo prolixius olim & de editis variorum cura Patrum, quæ vocari ſolent, Bibliothecis, & de ratione inſtituti, quod in ſuo ad maximam iſtarum Apparatu tenere celeberrimo Nourrio placuerit, præfati ſumus, cum primum hujus Tomum in Supplementorum noſtrorum Parte altera p. 527 recenſeremus: eo nobis in exordiendo hunc licet eſſe brevioribus, ubi ad Tomum ejusdem ſecundum ut progrediamur, ordo poſtulat.

Sicut autem circa Eccleſiaſticos ſecundi a nato Chriſto ſeculi Scriptores in hoc ille occupatur: ita res, quæ ad præcipuos eorum attinent, potiſſimas ſex Diſſertationibus eſt perſecutus, quarum *prima* generalis eſt, & ante omnia in illorum ingenium, ſtudia, occupationes, datasque ad ſcribendum occaſiones docte inquirit. Videlicet in cu- pag. 2.
ſtodiendis defendendisque ac ornandis ſacris literis præcipuum ipſos ſtudium poſuiſſe, Ethnicæ tamen ſimul cum theologiæ, tum moralis & philoſophicæ doctrinæ cognitionem indefeſſo ſtudio ſibi compa- 4.
raſſe innuit; prout & primarium eorum laborem operamque difficiliorem in eo conſumtam obſervat, quod ſcriptis adverſus Paganos & 6.
Judæos apologiis, veritatem religionis Chriſtianæ invicte demonſtraverint: ubi quænam utrinque ars & quænam arma ab iis fuerint adhibita, declarat. Nec minorem certe ipſorum de hæreticis triumphum 12.
laudat, victoriamque eo glorioſiorem, quo & major hæreticorum numerus, & gravius in ipſa Eccleſia inteſtinum ac civile ab iis bellum accenſum fuerit. Inde vero ad ipſas hæreſes paulo diſtinctius contemplandas pergit, & a *Millenariorum* ſententia exorſus ſatis ſe mirari non poſſe teſtatur, cur plerique Scriptores de iis ita disputent, quaſi una ea- 15.
demque fuerit omnium opinio; cum tamen certum ſit, plures e Patribus longe diverſa a Cerinthi erroribus de millenario Chriſti & Sanctorum in terris regno ſtatuiſſe. Quamobrem Cerinthi primum, Mar- 16. - - 22.
cionis, Nepotis & Apollinarii; tum vero Papiæ, Irenæi, Juſtini Marty- 23. - - 40.
ris, Tertulliani & Lactantii ſententias proponit, & poſteaquam ſingulos placita ſua ſuismet verbis explicantes introduxit, mox quid alii etiam Scriptores de omnium univerſim Millenariorum opinionibus pro- 41.
diderint, ſedulo inveſtigat, nullum autem ſeverioris cenſuræ notam hæreſi illi inuſſiſſe, quam Hieronymum, oſtendit. Primum de cætero

erro-

erroris iſtius autorem non Papiam facit, ſed Cerinthum iſto antiquiorem, licet Papiam a Cerintho ſua mutuatum haud fuiſſe facile concedat, cum Cerinthus, utpote cupiditatibus & voluptatibus corporeis addictiſſimus, multa huic opinioni addiderit honeſtati pudorique minus conſentanea, & Papias e contra ſumma commendatus pietate nihil de iſto mille annorum regno, niſi ſanctum atque honeſtiſſimum, docuerit & cogitaverit. Quinimo longe ante utriusque tempora plures a Judæis decantatas fuiſſe de millenaria poſt reſurrectionem ætate fabulas ſuperaddit, & memoratis variis Millenariorum impugnatoribus diſſerere de iis plura deſinit. Progreſſus hinc ad hæreſes,
45. quæ tunc propullulaverunt, alias, circa *Valentinianos* imprimis diu
77. ſq. detinetur, æonesq; Valentini triginta in ſchemate peculiari delineat ac uberius illuſtrat, iis admodum ſe opponens ex Scriptoribus recentioribus, qui cuncta de æonibus dogmata nihil niſi omnino ſanum & orthodoxum ac Chriſtianæ fidei plane conveniens in ſe habuiſſe, auda-
120. cter ſatis affirment. *Marcionem* duo tantum principia, non tria, aut
159. plura, ceu velint alii, conſtituiſſe aſſerit. *Montaniſtas* utique ab Irenæo etiam refutatos dicit, licet hic eorum nomen reticuerit, idque fortaſſis ideo, quia nec magnus eorum apud Gallos fuerit numerus, nec magno Lectorum ſuorum emolumento futuram nominis hujus de-
181. clarationem apertam crediderit. Poſt hæreſes ad *Scholas* pergit, & non modo celebratam primo jamtum Tomo Alexandrinam illam, ſed alias quoque alibi hac ætate erectas laudat, inque iis Propheticam & Apoſtolicam doctrinam, Tyrannis nequicquam prohibentibus, paſſim
183. traditam fuiſſe probat. Epiſcopos iis, in aliquibus ſaltem locis, præfuiſſe cenſet, provinciam tamen hanc non minus & aliis demandatam
184. exiſtimat, eosque Doctoris communiter nomen geſſiſſe obſervat. In iſtis autem Chriſtianorum ſeculi ſecundi ſcholis publice, ut deinceps, rudimenta Philoſophica & alias humanarum ſcientiarum artes atque diſciplinas tradi conſueviſſe, neutiquam concedit.

*Secunda* Diſſertatio conſecrata eſt *Juſtini*, *Philoſophi ac Martyris*, operibus, quæ vel hodienum extant, vel inter deperdita connumerari merentur. Circa illa cujusvis primum analyſin ſuppeditat, deinceps, num pro genuino Juſtini fœtu habendus quisque ſit, diſceptat, tandemque, quinam integri ac incorrupti, qui contra mutilati aut depravati ad nos pervenerint, conjectat. Hæc vero memora-

tis,

tis,qui ad ea provocent,Auctoribus plerumque ſaltem indicat. Nec
de manuſcriptis operum Juſtini codicibus agere omittit; prout & va-
riarum eorundem editionum non minus ac additarum a non paucis
notarum obſervationumque indicium ſubnectit. Partem tamen hu-
jus diſſertationis præcipuam fere conficiunt obſervationes, quibus
Auctor ipſe loca Juſtini plurima aut exponere, aut emendare, aut illu-
ſtrare, aut vindicare ſtudet, unde nonnulla in benevoli Lectoris gra-
tiam huc apponemus. Moſen a Juſtino ſcriptorum omnium anti- 254.
quiſſimum jure optimo vocari oſtendit,validumque ejus,quod a Græ-
carum literarum inventione Moſe multum poſteriore petierit, argu-
mentum pronunciat. Poetas & Philoſophos in Ægyptum ſeſe con- 258.
tuliſſe, & ex incolis per Iſraëlitarum commercium in aliquam veræ
religionis cognitionem olim deductis diſcere potuiſſe, quid Judæi de
uno Deo aliisque ad fidem pertinentibus ſentiant, vero abſimile haud
cenſet,Lactantiumque, qui hac in re adverſa fronte cum Juſtino aliis-
que e Patrum numero concurrere videatur, ab hallucinatione libera-
re nititur. Juſtinum tamen, libros Moſis & Prophetarum, atque Je- 260.
remiæ præ cæteris vaticinia,a Platone lecta fuiſſe affirmantem memo-
ria lapſum eſſe, & ad certas chronologiæ leges haud attendiſſe largi-
tur, cum Scriptura, quam ante Olympiadem 124 in Græcum ſermo-
nem minime translatam conſtet, ab antiquis Philoſophis Hebraice
neſcientibus nullo plane modo legi potuerit; niſi forſan Juſtinum de
Scriptura ab aliis Platoni explicata loqui dixeris. Loca, in quibus
Judæos textum verſionis LXXviralis adulteraſſe & corrupiſſe perhi- 278.
beat Juſtinus, ſigillatim enumerat. Per *pompas & hymnos*, in ſacrarum 303.
Synaxeon locis a Chriſtianis celebrari ſolitos,quidnam Juſtinus intel-
lexerit, anquirit, & πομπὴν primo & proprio ſignificatu Latine ſo-
nare miſſionem, impulſum & inſtinctum; hymnorum autem voca-
bulo pſalmos Davidicos deſignari reſpondet, indeque Chriſtianos in
Synaxibus ſuis magna cordis emiſſione ſeu effuſione, vel ardore ma-
gno pſalmos Davidicos decantaſſe colligit. Errorem de Angelis ma- 308.
lis mulierum amore captis,& cum iis concumbentibus,condonari Ju-
ſtino cupit, cum per tria ſecula priora tot tantoſque is adſtipulatores
habuerit. Graviorem interim errorem vocat illum, quando dæmo-
nes ſempiterno igne nondum cruciari docuerit, imo Satanæ ante 310.
Chriſti adventum non liquido cognitam fuiſſe damnationem ſuam

ſtatuerit. Iſtum tamen cenſura itidem mitiori notandum arbitratur, quod hæc opinio nullo damnata Concilio, & a Patribus nec paucis nec
314. indoctis aſſerta olim fuerit & propugnata. Animarum humanarum immortalitatem, æternoſque impiorum poſt mortem cruciatus Juſtinum negaſſe inficiatur, eundemque Gentiles Philoſophos ſola ratio-
321. ne duce ſalutem æternam poſſe conſequi nuſpiam dixiſſe, ac ne ſomniaſſe quidem, ſibi perſuadet. Hebraicæ autem linguæ imperitum fal-
343. ſas nominum plurimorum interpretationes dediſſe eum, minime diſſimulat, idque allatis in medium vocabulorum *Satanas* & *Iſraël* expoſitionibus ab ipſo confictis probatum dat.

Diſſertatio *tertia*, eademque multum antecedenti brevior, ad *Athenagoram*, Philoſophum Chriſtianum, nos deducit, in cujus operibus excutiendis methodo non alia, quam circa Juſtinum Martyrem,
441. uti clariſſimo Autori placuit. Alium eſſe Athenagoram ab Athenogene demonſtrat, & illum presbyterali dignitate auctum fuiſſe præter rationem a nonnullis affirmari judicat, in clericorum tamen inferiorum atque imprimis catechiſtarum collegium cooptatum non dubitat, quandoquidem publicam apud Chriſtianos de mortuorum reſurrectione concionem in librum poſtea peculiarem redactam habere, niſi eccleſiaſtico prius ordine initiatus, haud potuerit. Quemadmodum au-
428. tem *Legationis pro Chriſtianis*, & libri, quem modo nominavimus, de
437. *Reſurrectione* autorem eum dicere nullus ambigit: ſic lucubrationem
439. *de vero & perfecto amore* ipſius nomen falſo præ ſe ferre, Huetio adſtipulatus, concedit. In ſuis ad opera Athenagoræ genuina obſervationibus, inter alia doctrinam ejus de SS. Trinitate deque ſumma Chri-
451. ſti divinitate rectam atque orthodoxam appellat, ac prolixe vindicat;
460. ſed non item illam de gigantibus ex angelorum coitu prognatis, deq; iſtorum animabus pro dæmonibus, qui circa mundum oberrent, hominesque ad errorem, & maxima, præſertim idololatriæ ac libidinis peccata pelliciant, habendis ſtatuminat. Nuptias autem ſecundas quod
461. *decorum quoddam adulterium* vocaverit, emollire modis omnibus annititur.

De *Theophili, Patriarchæ Antiocheni*, operibus *quarta* agit Diſſertatio, in qua poſt *libros tres ad Autolycum* Scriptori huic aſſertos, alia, quæ ad eosdem attinent, commemorat, ac demum in obſervati-
493. onibus dogmata quædam Theophili examinat, Petavio ante omnia ſe oppo-

opponens, qui, quod de Trinitate parum ille recte ſenſerit, ac unam
tantum Trinitatis perſonam agnoverit, fundamento licet idoneo de-
ſtitutus, affirmarit. Cur Noah eunuchus ex quorundam mente apud 497.
Theophilum nominetur, conjectando ſe aſſequi non poſſe ait, ac po-
tius ad amanuenſis lapſum, qui in Græcum textum irrepſerit, confu-
giendum arbitratur. Libros quosdam Theophili intercidiſſe ex ipſi- 503.
uſmet verbis probat; quinam autem illi aut quales fuerint, divinare
difficillimum exiſtimat. In chronologia Regum Alexandrinorum non 505.
ſatis accuratum, ſed in Catalogo Regum Ægyptiorum ex Manethone,
& Tyriorum ex Menandro Epheſio, vel forte etiam Joſepho, adorna-
to magis eum felicem fuiſſe autumat. Utrumque ergo horum ap- 507.
ponit, addita Chronologia generali, quam idem hinc ab orbe condito
ad ſuam uſque ætatem non ſine ſtudio magnoque labore perfecerit.
*Commentaria* ſive *allegorias in quatuor Evangelia* Theophilo fruſtra 509.
adſcribi contendit, cum ad ſcriptorem potius Latinum Hieronymo
poſteriorem referri debeant.

*Quinta* conjungit *Tatianum Aſſyrium* & *Melitonem Sardenſem Epiſcopum*, ac de prioris quidem *Oratione ad Græcos* prolixe com- 517.
mentatur Auctor, eamque more ſuo variis obſervationibus illuſtrat, 536.
quibus ejus de Moſis & Scripturæ antiquitate ac hujus perſpicuitate, 540.
de Chriſti item divinitate doctrinam tuetur. Dæmones autem na- 545.
turæ cujusdam corporeæ & materialis ab eo minus recte ſtatui, & a- 550.
nimam hominis tanquam corpoream ac mortalem admodum incon-
grue ſiſti, nequaquam diffitetur. Sicut autem in oratione iſta Tatianus 560. ſ.
plurimos autores allegavit, ita ſuas circa eosdem annotationes uberi-
ores Noſter ſuperaddit. Illam commentationem, quæ ſub nomine 579.
*Diateſſaron* hodie circumferatur, Tatiano minime tribuendam, & lon-
ge aliam lucubrationem ex quatuor Evangeliis ab eo collectam & *διὰ τεσσάρων* inſcriptam fuiſſe reputat, cujus apud Euſebium & Theodo-
retum mentio injiciatur. De Melitone deinceps plura in medium 585.
haud affert, quam quod inſulſum utique & ſpurium eſſe librum *de tranſitu Mariæ Virginis*, eidem a nonnullis adjudicatum, demonſtrat.

Diutius autem in Diſſertatione *ſexta* commoratur circa *Irenæi* libros quinque adverſus Valentini ſimiliumque hæreſes, quos ab
auctore ſuo Græca lingua primum conceptos nullus dubitat, ſed Lati- 613.
nam tamen verſionem vel ab ipſomet, vel a quodam ejus amico cura-

613. tam arbitratur. Structa interim ſingulorum analyſi,& variis, quæ ad hiſtoriam eorum ſpectant, recenſitis,ad obſervationes ſuas pergit, inque his præter orthodoxas ſententias paſſim confirmatas, nævos apud Irenæum, uti ſatis conſtat, haud infrequentes modo taxat, modo excuſat, modo aliis tantum apparere tales pronunciat. E pluribus pau-
680. ciſſima hinc exempla dabimus. Chriſtum intra annum ætatis qua-
704. drageſimum & quinquageſimum munere in his terris Prophetico fuiſſe functum, Irenæo haud credit. Animam hominis velut mortalem
715. ab ipſo deſcribi,negat. Ne concedere opus habeat, quod Henochum ad angelos pravos miſſum fuiſſe Irenæus docuerit, verba ejus hæc: *cum eſſet homo*, (Henochus) *Dei legatione ad angelos fungebatur;* nihil aliud notare contendit,niſi iſtas prædicationes, quibus aut voce aut ſcripto futurum hominum impiorum in idololatriam, ad quam perverſis dæmonum & pravorum angelorum artibus impellendi eſſent,
635. prolapſum Henochus certo prænunciaverit. Matthæum Hebra-
653. ice ſcripſiſſe ſuum Evangelium, Eccleſiamque Romanam a Petro & Paulo fundatam eſſe,recte omnino in ſcriptis Irenæi perhiberi, extra controverſiam ponere totus allaborat.

Excipit has Diſſertationes peculiaris aliqua appendix, *Gregorii* cujusdam opuſculum Græco-Latinum *de anima adverſus Tatianum* ſiſtens. Ineditum iſtud hactenus refert doctiſſimus Nourrius, & in manuſcripto codice Bibliothecæ Regiæ, a Beſſarione monacho Veneto A. 1539 exarato,poſt Tatiani Legationem repertum, atque a Franciſco Faverolles ſuis precibus in Latinam linguam noviſſime converſum. Et iſtam quidem ob rationem opuſculum hoc typis excudi ſe curaſſe monet, quoniam hinc affatim diſpaleſcat, quod, dum negatam fuiſſe a Tatiano animæ & ſpiritualitatem & immortalitatem ſuperius tradiderit, ullam iſti injuriam feciſſe haud arguendus ſit. Utrum vero eadem hæc ſcriptio perfecta omnino & incorrupta reputari debeat, in dubium fortaſſis haud immerito vocari poſſe fatetur. Ex ſeptem namque capitibus, quæ Autor in procemio enucleanda tractandaque propoſuerit, ſecundum prætermiſſum videri. Occurri equidem difficultati huic poſſe tradit, ſi in deſcribendis titulis erraſſe librarium, & ſecundum illud caput in primo luculenter explicari aſſerueris. Aſt utrum hæc reſponſio ſatis omnibus factura ſit, dijudicandum aliis relinquit.

MA-

ΜΑΝΕΘΩΝΟΣ ΑΠΟΤΕΛΕΣΜΑΤΙΚΩΝ ΒΙΒΛΙΑ ΕΞ.

h. e.

*MANETHONIS APOTELESMATICORUM LIBRI SEX, NUNC primum ex Bibliotheca Medicea eruti, cura JAC. GRONOVII, qui etiam Latine vertit ac notas adjecit.*

Lugduni Batav. apud Fred. Haaring, 1698, in 4.
Conſtat 1 Alph. 17 plag.

QUoniam in his terris quædam cæleſtium ductu moveri animadverſum eſt, maria puta, herbas, & hujuſmodi alia; omnes res humanas, tanquam ſtellis atque ſideribus connexas atque revinctas, duci ab iſtis regique ſibi perſuaſerunt mortales; omnes etiam ſuas actiones quaſi habenis quibusdam de cælo gubernari exiſtimarunt. Cumprimis ex aſtrorum poſitura & ordine, & vi qua influunt adſpicientibus lucem infantibus, vitæ atque mortis rationem diſponi, nec alias eſſe Parcas quæ naſcentibus fata diſpenſent, indeque mortales vitam, cupiditates, læta & triſtia ſortiri, creditum eſt: certique huic ſtudio dediti philoſophi, Chaldæi & Babylonii ſive Ægyptii, in artem redegerunt hanc ſcientiam, futilem licet ac præſtigiatoriam. Ubi enim momentum, quo mater infantem peperit, reſciverunt, in tabula cæli imaginem finxerunt, & ſideribus certas conſtituerunt domos, ea in illis collocantes, quæ, cum lucem primum infans conſpiceret, obtinuerunt. Jupiter, Sol & Venus optimi planetarum ſunt habiti: deterrimus autem cum Marte Saturnus: Mercurius & Luna varii, ex ſorte locorum quos inſidunt. Cujus illorum regnum fuerit, cum naſceretur infans, quo gradu, quo adſpectu illum ceteri temperarint, vel viſerint, inquiſiverunt, indeque quicquid eventurum ſit per integram vitam collegerunt. Nata hinc diſciplina Genethliacorum, cui prorumpentes tanquam ex abdito formulæ, audientibus ignotæ, venerationem conciliarunt. Adverſus eam gravis extat diſſertatio Favorini philoſophi apud Gellium lib. XIV. Noct. Attic. cap. 1; vanitatem divinationis hujus etiam oſtendit, & ea ſe aliquando captum fuiſſe dolet Auguſtinus Lib. VII. Confeſſ. cap. VI. Tradidit hanc artem ex Petoſiridis & Necepſi (præſtantiſſimorum Ægyptiorum philoſophorum,

quos Plinius citavit Lib. II. cap. 23. & Lib. VII. cap. 49. ) placitis, in ſex Ἀποτελεσματικῶν libris, ad Ptolemæum regem ſcriptis, ipſe Ægyptius Manethon: quibus lucem, in qua poſthac verſentur, primus conciliavit omnis eruditæ antiquitatis antiſtes & promus condus Jac. Gronovius. Nam cum alta nocte & nomen Manethonis, & ſcriptum iſthoc ejus premerentur, ac ſepulta ferme eſſent hactenus, nemine notitiam auctoris hujus habente, ætate etiam ipſius parum cognita; unicus autem codex reſtaret in Florentina bibliotheca, qui minuto & difficili charactere ſcriptos hos ſex Apoteleſmaticorum libros contineret; beneficio illuſtris & ad promovendas bonas literas compoſiti viri Ant. Magliabechi (cujus clariſſimo nomini eosdem dicavit) copiam deſcribendorum eorum nactus Cl. Editor effecit, ut in plurium & notitiam & uſum iſti pervenirent. Abſolutum autem calamo, & d. 20. Aug. A. 1674 finitum, (ut in epiſtola nuncupatoria idem indicat) cum hoc demum anno prælo ſubmitteret Ægyptium hunc Poetam, verſibus venuſtis Chaldaicam hanc ſcientiam (quo nomine venit ea Firmico lib. IIX. cap. 25. & Sexto Empirico Lib. 1. contra Gramm.) tradentem Gronovius, id operam dedit, ut emendate & accurate Græcus textus excuderetur: quod linguam iſtam illuſtrari ex carminibus his, ejusque latifundia mirabiliter ampliari poſſe, dum opificia vel in Ægypto vel alibi uſitata recenſentur, & ad venuſtatem maximam gratiamque deſcribuntur, exiſtimat. Ad ea Notas p. 265 & ſeqq. adjecit, in quibus loca obſcuriora illuſtravit, dubia felici conjectura reſtituit, minus ſana ingenioſa emendatione aliorumque collatione emaculavit, voces rariores nec alibi obvias explicavit, obſcurumque & cum tenebris luctantem Ægyptium hunc, protractum ex iis clara in luce collocavit & perſpicuum reddidit. Ut vero eundem rectius cognoſcerent, & non modo ſiderum curſus conjunctioneſque, verum etiam ſententiam iſtius ævi hominum de efficacia aſtrorum in ſortes humanas, cunctaque ἀποτελέσματα intelligerent, qui Græca non ſatis capiunt, eorum imbecillitati Latina interpretatione ſubvenit. Ad quam tamen conficiendam invitum ſe adduci paſſum eſſe affirmat, quod ex ipſis Græcis auctorum ſcriptis, neutiquam horum interpretationibus, eruditio vera & cognitio cujusvis rei petenda ſit. Quam in rem præclara ſunt ejus verba: *Non eſt hoc genus doctrinæ, quod legi mereatur niſi ſermone ſuo, aut ullum operæ fructum afferre velit ſpondeatve aliis*

*lis, quam qui ipſum legunt; Græca qui legerit, ille enim vero percipiet ubertatem ſatis fertilem ac pinguem.* Quare ad ipſas apoteleſmatum expoſitiones potius, quæ canente Auctore ſub init. continent

*Ἄ-ρων οὐρανίωντε φάσεις ἀπλανῶντε πλανῶντε,*
*Ὅσσα βροτοῖς τελέουσιν ἐπιβλέψαντες ἐν ἀρχαῖς*
*Σπειρομένοις καὶ τικτομένοις δειλοῖσι βροτοῖσι,*
*Μοιρῶν ἀῤῥήκτοισι μίτοις θεσμοῖσι τ' ἀνάγκης*

Lectores ablegamus, quam prolixiori de iisdem ſermone ſtudia eorum moramur.

## *JOHANNIS CONRADI BARCHUSEN PYROSOPHIA.*

Lugduni Batavorum, impenſis Corn. Bouteſtein, 1698, 4. plag. 61.

DIviſum eſt hoc opus in *tres partes*, quarum prima in *Iatrochemia*, altera in *Metallurgia*, tertia in *Alchemia* explicanda verſatur. Ac primum quidem illa exponuntur, quæ ad naturam Chemiæ intelligendam requiruntur, pauloque deinde accuratius de *principiis Chemicis* agitur, quorum Autor quatuor ſtatuit, duo nempe activa, *ſal* & *oleum*, unum neutrum, *aquam* ſcilicet, quoniam hæc in corporibus quibusdam ſolvendis revera agit, paſſive autem ſe habet, cum cæterorum partes in ſe recipit, & tandem unum paſſivum, *terram*. Hinc *operationes Chemicæ*, v. g. amalgamatio, circulatio, cohobatio &c. percenſentur, referunturque ſigillatim *Chemiæ producta*, v. g. acetum, alcohol, clyſſus &c. & quid ſint, exponitur. Porro autem ipſa *remedia*, ſive ex regno minerali, ſive vegetabili, ſive animali depromenda, afferuntur in medium, ita ut primum ipſa tradatur remedii præparatio, deinde vires, uſus & doſis, & tandem ſubnectatur proceſſus ætiologia. Quibus omnibus paſſim quædam notatu non indigna adſperguntur. Ita v. g. ſal alcali, quod in vegetabilibus ignis tantum productum eſt, præexiſtere in quibusdam mineralibus, *p. 14.* 16 hinc probare vult Auctor, quia ſi v. g. metalla aut oſſa in ſ. q. ſpiritus nitri diſſolvantur, ſolutio inſpiſſata inſtar nitri ignem concipit. *Pag. 110.* Circulatum majus & minus Paracelſi deſcribit, neutrum cum Alcaheſt convenire aſſerens. *Pag. 118.* menſtruum non dari univerſale, contendit. *Pag. 130.* nihil dubitat, aurum in tenuiſſimas particulas redactum ſubigi poſſe a fermento ventriculi. *Pag. 157.* hiſtoriam mercurii ex plumbo renati, quæ in D. Helvetii laboratorio contigit, refert.

refert. *Pag.* 194 miratur Chemicos ſcribentes, Mercurium ſublimatum arſenico depravatum dignoſci poſſe, ſi ei olei tartari gutta una atque altera inſtilletur, atque illum eſſe bonæ indolis, ſi rubeſcat, peſſimæ, ſi nigreſcat; cum tamen omnis Mercurius corroſivus, etiam optimus, ab adſperſo illo oleo, primo flavam, poſt rubram, & ſi diutius aeri exponatur, quadantenus nigram contrahat maculam. *Pag.* 197 cinnabarim officinarum, licet raro interne adhibeatur, putat iisdem cum antimonii cinnabari viribus eſſe præditam, & tuto poſſe aſſumi. *Pag.* 214 probat, diaphoretica antimonialia non eſſe calces inutiles, ſed ſudorifera non contemnenda. *Pag.* 217 oſtendit, regulo antimonii martiali puriſſimam ferri ſubſtantiam admixtam eſſe, & in regulo ſtellato, non modo in ſuperficie & foris, verum etiam intus ſtellam conſpicuam eſſe, ſi ſerra diſſecetur. *Pag.* 256 ſuſpicatur, tincturas ſmaragdi & ſapphiri particulis æneis a mortario, dum contunduntur, abraſis plerumque originem ſuam debere. *Pag.* 265 notat Glaſerum, & Feburium, qui ſal ſuccini cum acido efferveſcere tradiderunt. *Pag.* 269 talco exiguam olei partem adeſſe hinc concludit, quia nitro aſperſum cum eodem accenditur. *Pag.* 290, item 358 contra illos, qui acidum omnium morborum originē eſſe putant, diſſerit. *Pag.* 298 methodum Tachenii præparandi tartarum vitriolatum, præfert vulgari. *Pag.* 361 parum tribuit medicamentis lithontripticis, putatque illos calculi accretionem promovere, qui crebro utuntur terreis, ſalinis & oleoſis remediis. *Pag.* 330 monet, iis, qui morbo chronico a viſciditate humorum orto laborant, vel nunquam, vel rariſſime minimaque in doſi, opiata eſſe propinanda. *Pag.* 339 communicat præparationem balſami apoplectici affinis balſamo Zellenſi.

Atque hæc prima pars maximam totius voluminis partem occupat. Breviori ſpatio concluditur *Metallurgia*, in qua primum exhibentur ejus inſtrumenta, deinde vero traditur, quomodo venæ metallicæ non ſolum viſu dignoſcendæ, ſed quoque examinandæ & excoquendæ ſint. Accedit ratio ſeparandi diverſa metalla, excoquendi mineralia nonnulla, & metalla incruſtandi. Quæ in parte tertia ſeu *Alchemia* habentur, huc redeunt: quamvis quæ pro tranſmutatione metallorum petuntur argumenta, ex mutatione ferri in cuprum, aut mercurii coagulatione nullius ſint momenti, eandem tamen tot fultam teſtimoniis temere negari non debere, ſed pro poſſibili habendam.

dam. Quoniam enim duo requiruntur ad transmutationem, ut ſcilicet viliora metalla tingantur, & malleo obedientia reddantur; tincturam poſſibilem eſſe, vel ex confectione auri muſivi Auctor probari poſſe putat, cumque pauca admodum grana reguli antimonii metalla friabilia reddant, vero admodum ſimile eſſe cenſet, dari quoque in rerum natura corpus aliquod aut arte effici poſſe, cujus exigua quantitas ductilitatem metallis conciliet. Accedunt in fine elenchi aliquot laborum chemicorum, ab anno ſcilicet 1695 in laboratorio Academico Ultrajectino huc usque exantlatorum.

---

# INDEX AUCTORUM quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

## I. *Theologica & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantia.*

A*Nonymi Veſpera Groningana, ſive Amica de rebus ſacris Colloquia.* 345
- - - *Apologia pro Amore &c. cum Animadverſionibus in Principia Dn. Archi-Epiſcopi Cameracenſis.* 476
Antonii (*Pauli*) *Concilii Tridentini adeoque & Pontificiorum Doctrina publica exhibita.* 178
Archelai *Diſputatio cum Manete Hæreſiarcha.* 394
D. Auguſtini (*Aurelii*) *Libri duo de adulterinis conjugiis ad Pollentium cum notis Jo. Schilteri.* 339
Bruſſoni (*Claudii*) *Animadverſiones in Verſionem Novi Teſtamenti Gallicam Dionyſii Ameloti.* 147
Calixti (*Georgii*) *de Tolerantia Reformatorum circa quæſtiones inter ipſos & Auguſtanam Confeſſionem profeſſos controverſas Conſultatio.* 244
S. Ephræmi *Syri Orationes Aſceticæ duæ hactenus ineditæ.* 396

Euthalii *Actuum Apoſtolorum, & quatuordecim S. Pauli, aliarumque ſeptem Catholicarum Epiſtolarum editio.* 400
Frickii (*Joannis*) *Vetus Teſtamentum Græcum ex verſione LXX interpretum.* 74. 77.
Graverolli (*Joannis*) *de Articulis fundamentalibus Religionis Chriſtianæ* 115
Gregorii *Nyſſeni Opera nonnulla hactenus inedita.* 396
Heideggeri (*Joannis Henrici*) *Hiſtoria vitæ & obitus Jo. Ludov. Fabricii.* 171
Jägeri (*Joh. Wolfg.*) *Jus Dei Fœderale delineatum.* 412
Kortholti (*Chriſtiani*) *Paganus Obtrectator, ſive de Calumniis Gentilium in veteres Chriſtianos.* 420
Lactantii (*Lucii Cœlii*) *Opera omnia cum adnotationibus Chriſtophori Cellarii.* 535
Locke (*Joannis*) *Repetitæ libri de Rationalitate Religionis Chriſtianæ Vindiciæ.* 341
Lydii (*Jacobi*) *Syntagma ſacrum de Re Militari.* 249
*S. P.* Macarii *Homiliæ, curante* Jo. Georgio Pritio. 486
Maji (*Johannis Henrici*) *Synopſis Theologiæ Judaicæ veteris & novæ.* 239
Meieri (*Gebhardi Theodori*) *Hiſtoria Religionum.* 242
*Le* Nourry (*Nicolai*) *Apparatus ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum. Tomus II.* 550
Papadopoli (*Nicolai Comneni*) *Prænotiones Myſtagogicæ.* 1
Papebrochii (*Danielis*) *Reſponſio ad Exhibitionem errorum per P. Sebaſtianum a S. Paulo evulgatam.* 81
*Reſponſionis Pars II.* 129
- - - *Pars III.* 529
Picteti (*Benedicti*) *de Conſenſu ac Diſſenſu inter Reformatos & Auguſtanæ Confeſſionis Fratres Diſſertatio.* 144
*Du* Pin (*Ludovici Ellies*) *Nova Bibliotheca Autorum Eccleſiaſticorum.*
*Tomus VIII.* 160. 232
*Tomus IX.* 511
Rittangelii (*Stephani*) *Libra veritatis & de Paſchate Tractatus.* 455
*De* Salignac *Fenelon* (*Franciſci*) *Archi-Epiſcopi Ducis Cameracenſis Præcepta Sanctorum de Vita interiori.* 268
- - - - *Inſtructio Paſtoralis.* 281

ASchel-

*A* Schelſtrate (*Emanuelis*) *Antiquitatis Eccleſiæ illuſtratæ Tomus II.* 321
Sculteti (*Danielis Severini*) *Iterata Eccleſiæ Reformatæ Invitatio ad pium in doctrina fidei conſenſum.* 141
Stillingfleet (*Eduardi*) *Epiſcopi Vigornienſis Vindiciæ pro doctrina de S. Trinitate.* 496
Teſtamentum *Vetus Græcum ex verſione LXX interpretum.* 74
Thomaſii (*Joſephi Mariæ*) *Pſalterium cum Canticis nova literali explanatione dilucidatum &c.* 62
Thwaites (*Eduardi*) *Heptateuchus, Liber Job, & Evangelium Nicodemi, Anglo-Saxonice.* 549
*Van der* Wayen *Diſſertatio de Λόγῳ adverſus Jo. Clericum.* 455
Wideburgii (*Henrici*) *Syſtema Theologiæ Poſitivæ.* 509
Zacagnii (*Laurentii Alexandri*) *Collectanea Monumentorum veterum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ.* 393

## *II. Juridica.*

Datt (*Jo. Philippi*) *Volumen rerum Germanicarum novum, ſive de Pace Imperii publica libri V.* 537
Engelbrechti (*Georgii*) *Compendium Jurisprudentiæ ſecundum ordinem Digeſtorum concinnatum.* 102
Harprechti (*Ferd. Chriſtoph.*) *Conſultationum Tubingenſium Volumen III. & IV.* 518
Itteri (*Jo. Chriſtiani*) *de Honoribus ſive Gradibus Academicis liber.* 403
Keſtneri (*Henr. Ern.*) *Prudentia Juris Naturalis.* 484
Krauſoldi (*Friderici*) *Tractatus Juridico-Politicus de miraculis & egregiis uſibus S. Raſpini, i. e. Ergaſteriorum publicorum.* 475
Menckenii (*Luderi*) *Tractatio Synoptica Inſtitutionum Juris Juſtinianearum.* 181
Papadopoli (*Nicolai Comneni*) *Prænotiones Myſtagogicæ ex Jure Canonico.* 1
Schilteri (*Joannis*) *Notæ ad D. Auguſtini libros II de Adulterinis Conjugiis ad Conſentium.* 359
Spelmanni (*Henrici*) *Opera poſthuma ad Leges & Antiquitates Angliæ pertinentia.* 441
Strykii (*Samuelis*) *Tractatus de Actionibus Forenſibus inveſtigandis, ut & de Actionum præſcriptione.* 180

Wæchtleri (*Chriſtfrid*) *Epiſtola ad Perilluſtrem & Exc. Dn. C. D. Boſium de Pace Ryſvicenſi.* 168

## III. Phyſica ac Medica.

Baglivi (*Georgii*) *de Praxi Medica ad priſcam obſervandi rationem revocanda Libri II.* 33
Barckhuſen (*Jo. Conradi*) *Pyroſophia.* 559
Bergeri (*Jo Gothofredi*) *Epiſtola de Arteriæ Aortæ diviſione in ramos Carotides & Subclavios.* 295
Bidloo (*Godefridi*) *Vindiciæ quarundam delineationum Anatomicarum.* 32
S. Clair (*Roberti*) *Habeſſiniana Philoſophia confutata, ſeu Telluris Theoria nec ſacra, nec cum ratione conveniens.* 219
Cockburn (*Wilhelmi*) *De natura & curatione morborum, qui navigantes ſolent corripere.* 523
Colbatch (*Johannis*) *Tractatus de Podagra.* 525
- - - - - - *Doctrina de Acidorum in curandis morbis uſu ulterius aſſerta.* 526
Commelini (*Joannis*) *Rariorum Plantarum Horti Medici Amſtelodamenſis Deſcriptio & Icones.* 128
Connor (*Bernhardi*) *Evangelium Medici, ſeu Medicina Myſtica de ſuſpenſis Naturæ legibus.* 355
Contoli (*Jo. Baptiſtæ*) *Inſtructio Medica de Glutine in corporibus humanis, ejusque effectibus Calculo & Arthritide.* 137
Floyer (*Johannis*) *Inquiſitio in uſum & abuſum balneorum Angliæ.* 524
Guglielmini (*Dominici*) *de Natura Fluminum Tractatus Phyſico-Mathematicus.* 297
Hoffmanni (*Friderici*) *Annotationes & Additamenta ad Opera Poterii.* 389
Leibnitii (*Gothofredi Guilielmi*) *De Ipſa Natura, ſive de vi inſita actionibusque creaturarum, pro Dynamicis ſuis confirmandis illuſtrandisque.* 427
Marſilii (*Ludovici Ferdinandi*) *Comitis Diſſertatio Epiſtolica de Phosphoro minerali ſeu Lapide Bononienſi illuminabili.* 148
Pechey (*Johannis*) *Facilis Introductio in Artem Medicam.* 528
Pierce (*Roberti*) *Obſervationes Thermales, ſeu Curationes morborum Thermarum uſu perfectæ.* 361

Pote-

Poterii (*Petri*) *Opera omnia Practica & Chymica.* 389

Ramazzini (*Bernardini*) *Liber de Fontibus Mutinenſibus, cum Præfatione & Notis Roberti S. Clair.* 220

Riedlini (*Viti*, *Linearum Medicarum Annus II. & III.* 192

Ruyſchii (*Frederici*) *Reſponſio ad Godefridi Bidloi Libellum, cui nomen Vindiciarum inſcripſit.* 136

Schelhammeri (*Guntheri Chriſtophori*) *Natura ſibi & Medicis vindicata.* 63

Tyſon (*Eduardi*) *Anatome Marſupialis Americani.* 406

Valentini (*Michaëlis Bernardi*) *Medicina Nov-antiqua.* 520

Vieuſſens (*Raymundi*) *Epiſtola de Sanguine humano, nec non de Bilis uſu.* 459

# IV. Mathematica.

Bernoullii (*Jacobi*) *Demonſtratio Synthetica Problematis de infinitis Cycloidibus absque adminiculo infinite parvorum &c.* 223

- - - - *Solutio ſex Problematum Fraternorum.* 226

- - - - *Solutio Problematis Fraterni de Curva infinitas Logarithmicas ad angulos rectos ſecante.* 230

Bernoullii (*Joannis*) *Solutio Problematum a Fratre Jacobo Bernoullio propoſitorum.* 52

- - - - *Inveſtigatio Algebraica arcuum parabolicorum aſſignatam inter ſe rationem habentium &c.* 261

- - - - *Theorema univerſale rectificationi Linearum curvarum inſerviens. Nova Parabolarum proprietas. Cubicalis primariæ arcuum menſura &c.* 462

- - - - *Annotata in ſolutiones Fraternas Problematum quorundam ſuorum.* 466

Gregorii (*Davidis*) *Catenaria.* 305

Guglielmini (*Dominici*) *de Natura Fluminum Tractatus Phyſico-Mathematicus.* 297

Honoldi (*Jacobi*) *Obſervatio Mercurii in Sole.* 90

Hoſpitalii *Marchionis Solutio Problematis a D. Jac. Bernoullio propoſiti.* 48

Hugenii (*Chriſtiani*) Κοσμοθέωρος *ſive de Terris Cœleſtibus earumque ornatu conjectura.* 448

Manethonis *Apoteleſmaticorum Libri VI, cum Notis Jacobi Gronovii.* 557
Ozanami *Curſus Mathematicæ.* 246
*De* Tſchirnhaus (*Ehrenfried Waltheri*) *De Methodo Arcus Curvæ Parabolicæ inter ſe comparandi.* 259
Wurzelbaur (*Joh. Philippi*) *Obſervatio Mercurii ſub Sole.* 86
- - - - *Situs Geographicus Civitatis Noribergæ.* 138

## V. Hiſtorica.

Agathemeri *Geographia Compendiaria.* 59. 61
Alberici *Monachi trium Fontium Chronicon.* 353
Alting (*Menſonis*) *Deſcriptio, ſecundum Antiquos, Agri Batavi & Friſii, una cum conterminis.* 20
Angelini (*Jo. Andreæ*) *Bontempii Peruſini Hiſtoria originis Saxonum.* 421
Anonymi *Chronicon Cœnobii Montis Francorum Goslariæ.* 122
- - - *Chronographus Saxo.* 150
- - - *Geſta Trevirorum.* 150
- - - *Chronicon vetus Holſatiæ.* 151
- - - *Chronicon Belgicum.* 188
Benthem (*Henr. Ludolphi*) *Status Eccleſiarum & Scholarum Belgicus.* 27
Blanchini (*Franciſci*) *Hiſtoria univerſalis antiquis monumentis confirmata, Veterumque Symbolis illuſtrata.* 91
Cellarii (*Chriſtophori*) *Inauguratio Academiæ Fridericianæ.* 369
Clerici (*Johannis*) *Compendium Hiſtoriæ Univerſalis.* 391
*Le* Comte (*Ludovici*) *Commentarii novi de præſenti ſtatu Chinæ.* 375
Crenii (*Thomæ*) *Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum Pars III.* 240
*De la* Croix *Geographia Univerſalis.* 196
Danielis (*Gabrielis*) *Hiſtoria Franciæ.* 153
Datt (*Jo. Philippi*) *Volumen rerum Germanicarum novum, ſive de Pace Imperii Publica Libri V.* 537
Dherbeloti (*Bartholomæi*) *Bibliotheca Orientalis Notitiam Orientalium populorum complexa.* 105
Dionyſii *Orbis Deſcriptio cum Veterum Scholiis & Euſtathii Commentariis.* 56
Durani (*Jo. Viti*) *Chronicon.* 150

Gerar-

Gerardi *Noviomagi Vita Philippi Burgundi.* 189
Gronovii (*Jacobi*) *Geographica antiqua.* 59
Heideggeri (*Jo. Henrici*) *Hiſtoria vitæ & obitus Jo. Ludovici Fabricii.* 172
Hennepin (*Ludovici*) *Detectio nova vaſtiſſimæ regionis in America.* 68
Hermanni *Goudani Hiſtoria Belli a. 1507 inter Hollandos Geldrosque geſti.* 191
Houſſæi (*Aneloti*) *Notæ Hiſtoricæ & Politicæ in Cardinalis Oſſati Epiſtolas.* 489
*De* Konigshofen (*Jacobi*) *Chronicon Germanicum Univerſale & Alſaticum.* 362
Leibnitii (*Godofr. Guil.*) *Acceſſiones Hiſtoricæ.* 149. 353
*De* Lemnege (*Joannis*) *Chronicon Groninganum.* 188
Matthæi (*Antonii*) *Veteris Ævi Analecta.* 186
Molleri (*Joh.*) *Homonymoſcopia Hiſtorico-Philologico-Critica.* 120
Olivarii *Marcani Rationarium aulæ & imperii Caroli Audacis Ducis Burgundiæ.* 190
Omeiſii (*Magni Danielis*) *Actus promulgationis privilegiorum Univerſitatis Altorfinæ amplificatorum.* 543
Oſſati (*Arnoldi*) *Cardinalis Epiſtolæ.* 489
Phædri *Fabulæ Æſopiæ, cum Commentariis Marquardi Gudii & aliorum, edente Petro Burmanno.* 343
Ponti (*Antonii*) *Hariadenus Barbaroſſa.* 186
*De* Rabutin (*Rogerii*) *Comitis de Buſſi Commentarii Hiſtorici.* 23
Rechenbergii (*Adami*) *Diſſertationes Hiſtorico-Politicæ.* 195
Schilteri (*Johannis*) *Obſervationes Hiſtoricæ in Chronicon Jacobi de Konigshofen.* 362
Schmidii (*Gregorii Andreæ*) *Sculptura hiſtoriarum & temporum memoratrix.* 9
Schonhovii (*Antonii*) *Commentatio de origine & ſedibus Francorum.* 187
Scylacis *Periplus Maris Mediterranei.* 59
Spelmanni (*Henrici*) *Opera poſthuma.* 441
Twaites (*Eduardi*) *Dionyſii Orbis Deſcriptio.* 56
Wæchtleri (*Chriſtfrid*) *Epiſtola ad Perilluſtrem & Exc. Dn. C. D. Boſium de Pace Ryſvicenſi.* 168

*Philo-*

# VI. Philologica & Philoſophica Miſcellanea.


De Aguirre (*Joſephi Saenz*) *Cardinalis Diſputationes Ethicæ de Virtutibus & Vitiis.* 119

Ancillonii (*Davidis*) *Miſcellanea critica.* 287

Bartoli (*Petri Sancti*) *Sepulcra antiqua ſeu Mauſolea Romana & Etruſca.* 201

Blanchini (*Franciſci*) *De Lapide Antiati Epiſtola.* 183

Bonanni (*Philippi*) *Numiſmata Summorum Pontificum Templi Vaticani fabricam indicantia.* 204

Cellarii (*Chriſtophori*) *Adnotationes in Epiſtolas Ciceronis ad Diverſos.* 372

- - - - - *Adnotationes in Opera Lactantii.* 535

Ciampini (*Joannis*) *Explicatio duorum Sarcophagorum ſacrum Baptiſmatis ritum indicantium.* 46

- - - - - *Abbreviatoris de Curia compendiaria Notitia.* 67

- - - - - *De Vice-Cancellario Romanæ Eccleſiæ.* 67

Ciceronis (*M. Tullii*) *Epiſtolæ ad Familiares.* 372

Clerici (*Joannis*) *Ars Critica.* 11

- - - - *Opera Philoſophica.* 486

Crameri (*Joh. Jacobi*) *Exercitationes Philologicæ de Ara exteriore Templi ſecundi.* 95

Crenii (*Thomæ*) *Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum Pars III.* 240

Daumii (*Chriſtiani*) *Epiſtolæ ad Jo. Fridericum Hekelium.* 373

Dherbeloti (*Bartholomæi*) *Bibliotheca Orientalis.* 105

Erici (*Jo. Petri*) *Geneſis Humanæ Linguæ.* 29

Evelin (*Johannis*) *Diſſertatio de Numiſmatibus antiquis æque ac modernis &c.* 331

Grævii (*Jo. Georgii*) *Theſaurus Antiquitatum Romanarum.* 302

- - - - - *Gloſſarium Iſidori emendatum & notis illuſtratum.* 351

Gronovii (*Jacobi*) *Notæ in Manethonis Apoteleſmaticorum libros.* 557

Iſidori *Gloſſarium cum notis Joh. Georgii Grævii.* 351


Itte-

Itteri (*Jo. Chriſtiani*) *de Honoribus ſive Gradibis Academicis Liber.* 403.
Keſtneri (*Henr. Ern.*) *Prudentia Juris Naturalis.* 485.
Krauſoldi (*Friderici*) *Tractatus Juridico-Politicus de uſibus Ergaſteriorum publicorum.* 479.
Lloyd (*Guil.*) *Olympionicarum cum annis mundi &c. collatio.* 119.
Lucchefini (*Jo. Laurentii*) *Scrutinium Stultitiæ Machiavelli.* 352.
Lycophronis *Chalcidenſis Alexandra ſeu Caſſandra.* 103.
Lydii (*Jacobi*) *Syntagma de Re Militari.* 249.
Martinii (*Matthiæ*) *Lexicon Philologicum, præcipue Etymologicum & Sacrum.* 350.
A Mellen (*Jacobi*) *Sylloge Nummorum ex argento uncialium, vulgo Thalerorum, ſeu Imperialium.* 422.
De Mendoza (*Caſparis*) *Examen Divinitatis, quam in Carmelo Veſpaſianus conſuluit.* 533.
Molleri (*Johannis*) *Homonymoſcopia, ſive Schediasma de Scriptoribus homonymis.* 120.
Morhofii (*Danielis Georgii*) *Orationes & Programmata* 329.
Muratorii (*Ludov. Antonii*) *Anecdota.* 57.
S. Paulini, *Epiſcopi Nolani Poemata quatuor hactenus anecdota.* 57.
Pindari *Olympia, Nemea, Pythia, Iſthmia.* 118.
Potteri (*Joannis*) *Lycophronis Alexandra.* 103.
Ptolemæi (*Jo. Baptiſtæ*) *Philoſophia Mentis & Senſuum ſecundum utramque Ariſtotelis methodum.* 367.
Quinctiliani (*M. Fabii*) *de Inſtitutione Oratoria Libri XII, ejusdemque Declamationes, ex recenſione Ulrici Obrechti.* 546.
Rechenbergii *Diſſertationes Hiſtorico-Politicæ.* 195.
Scriverii (*Petri*) *Epiſtolæ 15 ad Jo. Iſacium Pontanum.* 192.
Sudorii (*Nicolai*) *Verſio Latina Pindaricorum carmine Lyrico.* 119.
Theſauri (*Emanuelis*) *Idea argutæ & ingenioſæ dictionis.* 255.

# INDEX
## RERUM NOTABILIORUM
### in hoc Volumine obviarum.

ABælardi (*Petri*) *dogmata, quæ hæreſin ſapere videbantur, mitius explicata* 514. *ſq.*
Abbreviatoris *de Curia munus in*

bolas ſed alias curvas diſſimiles exempli loco propoſuiſſem: noſtra enim methodus ad omnes ſe extendit, quacunque lege datas. Aſt tantum diſcrimen comperiet *Frater* inter ſimiles & diſſimiles curvas, ut ſi problema denuo tentare lubeat, non dubitem, quin ſit agniturus, ſe poſtquam hoc problema pro ſpeciali iſto caſu ſolvit, ne unguem latum promoviſſe generaliter conceptum pro quibusvis ordinatim poſitione datis; quod quam abſtruſæ ſit indaginis patebit ipſi, ſi in probl. 4 & 5 loco parabolarum ſubſtituere velit easdem illas ellipſes, quæ in præcedentibus duobus exempli loco inſervierunt: dico exempli loco, ſolvitur enim pariter per noſtram methodum in omnibus aliis curvis.

Superſunt notanda quædam circa lineas quas vocabo Trajectorias, quæ alias ordinatim datas normaliter vel in angulo quovis dato ſeu etiam data lege variante trajiciunt. Diu adeo eſt, quod hanc materiam ſepoſuerim, quam niſi fallor primus in lucem protraxi, ut difficulter in mentem revocem. Cum vero aliquot exempla proferat *Frater* curvarum algebraicarum, quæ jam quatuor abhinc annis celeberrimo *Leibnitio* in privatis ad ipſum literis ſoluta dedi: placet hic „ excerpere quæ tum ſcripſeram in literis d. 2 Septemb. 1694. Aliud „ jam pridem etiam mihi conſideratum problema non minus elegans „ quam utile, ob affinitatem quam cum hiſce (*curvis alias poſitione da-* „ *tas tangentibus*) habet proponam: Datis nempe infinitis curvis po- „ ſitione, invenire curvam quæ omnes ad angulos rectos ſecat, vel ut „ Tuis verbis utar, *Lineis propoſitam normaliter ſecantibus poſitione or-* „ *dinatim datis, invenire propoſitam.* Si poſitione ordinatim datæ ſint „ parabolæ *cujusvis gradus*, eundem axem & eundem verticem ſed pa- „ rametros variabiles habentes, curva optata erit Ellipſis: ſi poſitione „ ordinatim datæ ſint parabolæ eædem eundem axem ſed variabiles „ vertices habentes, curva quæſita erit logarithmica vulgaris: ſic in „ quovis exemplo peculiari rem facile expedire poſſem, Tibi autem „ difficile non erit generales pro hoc excogitare regulas. Cæterum „ hoc problema inſignem uſum præſtat in determinanda curvatura „ radiorum lucis per medium inæqualiter denſum tranſeuntium juxta „ hypotheſin *Hugenii*, ſiquidem radius nihil aliud ſit quam linea un- „ dulationes ad angulos rectos ſecans. Poſſet præſens problema adhuc „ latius extendi, nempe ſic: *Lineis propoſitam ad angulum datum ſecan-* „ *tibus poſitione ordinatim datis, invenire propoſitam*, ſi lineæ da-

„ tæ ſint rectæ in puncto coeuntes, curva quæſita (ceu manifeſtum eſt) „ erit Loxodromica plana &c.

Hiſce vir ſagaciſſimus in hunc modum reſpondit, in literis ad me datis $\frac{6}{16}$ Decemb. 1694, quod lubens huc refero, ut appareat quantum & ille jam tum fecerit. Methodus, *inquit*, inveniendi curvam „ quæ ordinatim poſitione datis occurrat ad angulos rectos, meo ju- „ dicio conſiſtit in duabus æquationibus, una continente relationem „ inter $x$, $y$ & conſtantem quandam in curva poſitione data, ſed pro di- „ verſis talibus ordinatim datis variabilem $b$; altera continente valo- „ rem ipſius $dy : dx$ in curva quæſita, expreſſum ex proprietate per- „ pendicularium in curva poſitione data, cujus æquationis ope datur „ ipſius $b$ valor per $dy$, $dx$, $y$, $x$, pro re nata; quarum duarum æqua- „ tionum ope tollendo $b$, habetur æquatio differentialis primi gradus „ pro relatione inter $x$, & $y$. Sic ſi poſitione ordinatim datæ ſint para- „ bolæ verticis communis, quarum ſemiparametri $b$ fiet æqu. $2bx = yy$ „ jam ex conditione problematis, ſeu perpendicularitate ad para- „ bolam fit $b = - ydx : dy$, unde tollendo $b$ fit $-2xydx = yydy$; ſeu ſummando $aa - xx = \frac{1}{2} yy$, quæ utique eſt ad ellipſin, „ & ſatisfaciunt Ellipſes infinitæ. Et has ordinatim poſitione datas „ manifeſtum eſt viciſſim a parabola unaquaque normaliter ſecari. „ Cæterum præclare a te notatum eſt, hoc problema uſum habere in „ Dioptricis, pro curvatura radii in medio continue variante: nihil „ potuit dici aptius, &c.

Allata ſufficiant ad oſtendendum, methodum ad æquationem perveniendi non in uno alterove tantum exemplo algebraicarum ſed in omnibus, dudum nobis fuiſſe familiarem: ſed quoniam in trascendentibus non ſuccedit niſi in ſimilibus, ut in cycloidibus, vel etiam in illis, quæ ad unam conſtantem reduci poſſunt, ut in logarithmicis; illam velut inſufficientem neglexi, nec quam excolerem dignatus ſum: alia itaq: excogitanda erat, quæ generalis eſſet, & ad quascunque ordinatim poſitione datas tranſcendentes æque ac algebraicas porrigeretur. Hanc autem poſtquam acutiſſ. *Leibnitius*, occaſione eorum quæ ipſi ſuper hac affinique materia communicaveram, ipſe novam differentialis calculi applicationem perutilem ſane inveniſſet, mecumque viciſſim communicaſſet, de qua hactenus nihil in publicum conſtat, hanc inquam quam optaveram methodum generalem

*Marſupialis Americani.* 407. *ſq.*

Ancilloniana *paroramata.* 288.

B. Angela, *Diva fabuloſa.* 86.

*In* Anglia *quando Communes ad Parliamenta admiſſi?* 444.

Angli *coronarum, qualibus hodie Europæ Reges utuntur, auctores.* 332.

Anglici *regiminis forma ſub Saxonum imperio.* 444.

Anima *quid propriè ſit?* 360.

*brutis aſſerta.* 436.

Animalia, *etiam rationalia, Planetis vindicata.* 450. *ſq.*

Animæ & *corporis quodnam vinculum?* 66.

*pars inferior quo ſenſu dicatur ſeparari a ſuperiori in tentationibus.* 273. 280. 285.

Anonymi *Scriptores detecti.* 289.

Anſelmi *Cantuarienſis Archiepiſcopi ſcripta.* 237.

Antimonialia *diaphoretica non improbanda.* 5:0.

Antium *Campaniæ Romanæ oppidum magnificis olim ædificiis exornatum.* 184.

Aortæ *arteriæ diviſio in ramos Carotides & Subclavios.* 295.

Apollinaris *hæreſis a* Gregorio *Nyſſeno confutata.* 397.

Apoplexiæ *cauſæ.* 524.

Apoſtolorum *prærogativa in quibus conſtiterit?* 324.

Aquæ *pluviæ inſtar acidularum cum fructu pota.* 194.

*particularum figura.* 299.

*in Planetis quæ conditio?* 450.

Aquilinius (*Cæſar*) *auctor libri de tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini, quis?* 290.

*De* Ara *exteriore Templi ſecundi Hieroſ. Exercitationes.* 95. *ſq.*

Arbor *ſcientiæ boni & mali num Sacramenti rationem habuerit?* 216. 218.

Arboris *vitæ quæ ratio?* 216. 218.

Architecti *Baſilicæ Vaticanæ.* 205. *ſq.*

Archelai *cum Manete hæreſiarcha colloquium.* 394

Arcuum *parabolæ comparatio.* 259 261. 464

Aræ *ſub dio.* 96

Argentoratenſibus *vindicata typographiæ inventio.* 365

Argentorati *antiquitas, nomen, regimen.* 365. *ſq.*

Argutiarum *ars.* 255

Ariſtocratia *Sinenſibus ignorata.* 377

Ariſtotelis *Rhetorica commendata.* 253

*Philoſophia ut ſenſim in Theologiam fuerit invecta?* 516. *ſq.*

Arminianorum *religio.* 28

Arnaldus (*Antonius*) *notatus.* 161

Arteriæ *Aortæ diviſio in ramos Carotides & Subclavios.* 295

Arthritis *ex glutine.* 137

*remediis anti-ſcorbuticis curanda.* 194


Afra-

Afräel, *Angelus mortis.* 112
Aſylum *quatenus præbuerint altaria?* 101
Athanaſianum *Symbolum Athanaſio recentius.* 130
*S.* Athanaſius *num Treviris per annos ſeptem in ciſterna ſicca delituerit?* 85
Athenagoras *num Presbyter fuerit?* 554
Atomi *rejectæ.* 438
*S.* Attalæ *Abbatiſſæ Argentinenſis vita.* 365
*S.* Auguſtini *de conjugiis adulterinis ſententia paradoxa.* 339. *ſq.*
Avi *titulus apud Sinenſes honoratiſſimus.* 381
Aula *Caroli Audacis Burgundiæ Ducis.* 190
Aurium *dolor hydromeli auri inſtillato ſublatus.* 194
BAlnea *frigida non ſemper improbanda.* 525
Balneorum *Angliæ uſus & abuſus.* 524
Balſami *Peruviani eſſentia & ex ea ſpiritus fragrantiſſimus.* 390
Balſamicum *Elixir ſingulare.* 390
Baptiſmus *per immerſionem & ſuperfuſionem ſimul olim collatus.* 47. *ſeq.*
*num infantibus heterodoxorum conferendus?* 175
Baſilicæ *Vaticanæ Deſcriptio.* 204 *ſqq.*
Batavi *Friſiique Agri Deſcriptio ſecundum Antiquos.* 20
Begani *in conquirendis illuſtrium virorum imaginibus ſtudium.* 337
Belgicorum *Theologorum diſſidia.* 28
Belgii *Eccleſiarum Scholarumque ſtatus.* 27. *ſqq.*
Bellidis *egregius adverſus tuſſim uſus.* 194
*De S.* Benedicti *corpore controverſia inter Italos & Gallos.* 82
Benedictus *IX puer 12 annorum ad Pontificatum Romanum evectus.* 85
Berengarii *cauſa in articulo de Euchariſtia.* 233
Bernini *Equitis in exornando B. Petri altari dexteritas.* 210. 213
Bibliorum *Græcorum LXX Interpretum editiones variæ.* 75
Bibliotheca *Orientalis Dherbeloti.* 105. *ſeqq.*
Bilis *ut ſecernatur in hepate?* 361
*humanæ analyſis.* 461
*uſus.* 462
Bizotus *Hiſtoriæ Metallicæ Hollandiæ auctor emendatus.* 334
Blondellus (*David*) *ab ipſis Romano-Catholicis ad Primatum Pontificis impugnandum incitatus.* 291
Bodinus (*Joh.*) *ab Eliſabetha Angliæ Regina contemtim habitus.* 292
Bonarota (*Michael Angelus*) *Architectus illuſtris.* 207. 208

Bononienſis *lapis illuminabilis, ſeu Phoſphorus.* 148
Bonum, *in quod fertur appetitus humanus, quid proprie?* 477
Boylii (*Roberti*) *ſententia de ipſa Natura ſub examen vocata.* 428
Breviariorum *auctoritas quæ?* 133
Britannia *Major a Minori, an hæc ab illa nomen acceperit?* 150
Britanniæ *Minoris Reges antiqui fictitii.* 159
Brixienſis *Eccleſiæ Martyrologium exploſum.* 84
Bruno *Andegavenſis Epiſcopus Berengarii primum aſſecla, poſt adverſarius.* 233
Bruſius (*Petrus*) *hæreſiarcha.* 514
Brutis *male negata anima.* 436
Bullati *Doctores num cum aliis iisdem fruantur privilegiis?* 406
Burmannus *a ſuſpicione Spinoſiſmi liberatus.* 459
Burnetii (*Thomæ*) *Theoria Telluris confutata.* 220. *ſqq.*
*De* Buſſy *Comitis Vita.* 23. *ſqq.*
CAbaſiliani *impugnati.* 7
Calculi *in corporibus humanis generatio ex glutine.* 137
Calixti *II P. R. contentio cum Imperatoribus de inveſtitura Epiſcoporum.* 512. *ſqq.*
Cameracenſis *Archi-Epiſcopi Præcepta Sanctorum de Vita interiori.* 268. *ſqq.*
*Archi-Epiſcopus impugnatus.* 278. *ſq.* 476. *ſq.* 482. *ſq.*
Cameralis *in Germania Judicii conſtitutio.* 540
Camero (*Joh.*) *refutatus.* 216
*S.* Canionis *Acta ſuſpecta.* 86
Canonizationes *Sanctorum quando cœperint?* 168
Cantharidum *in re medica uſus.* 45
Canticorum *Eccleſiæ Romanæ nova editio.* 63
Cardinalibus *Epiſcopi quidam prælati.* 85
Cardoſi *Hagiologicum Luſitanicum improbatum.* 85
Carmelitarum *Ordinis antiquitas impugnata.* 132. 529. *ſqq.*
*Ordo num ab Elia Propheta inſtitutus?* 132. 529. 530
*Scripta pro antiquitate Ordinis ſui edita.* 530. *ſq.*
*In* Carmelo *Sacra, quænam apud Suetonium & Tacitum?* 496. 534
Caroli *V Imperatoris bellum cum Hariadeno Barbaroſſa.* 186
*nummi explicati.* 425
Caroli *Audacis Burgundiæ Ducis Aula.* 190
Carotidum *arteriarum ex Aorta exortus.* 295
Carteſianus *modus myſterium S. Trinitatis explicandi.* 496. *ſq.*
Carteſius *emendatus.* 455
*De* Caſaubono (*Iſaaco*) *memorabilia.* 292
Caſſandra *Lycophronis illuſtrata.* 103

Per

Per Catenariam *inventio Logarithmi numeri dati.* 316
Catenariæ *lineæ demonſtrationes.* 305
Catenariæ *rotatione genitarum Superficierum & Solidorum menſuratio.* 321
*S. S.* Catharinæ *& Barbaræ Acta in dubium vocata.* 85
Catharrus *etiam macilentis infeſtus.* 193
Cathedra *Petri lignea vindicata.* 209
Catti *unde olim dicti?* 31
Cauſæ *ſecundæ num ſint veræ cauſæ?* 356. 430. *ſq.*
Cereris *Sacerdotis effigies.* 202
Chemica *principia quatuor, ſal, oleum, aqua & terra.* 559
Childericus *Merovæi filius num a Francis regno fuerit dejectus?* 156
Chinenſis. *Vide Sinenſis.*
Chriſti *cruci affixi extrema tentatio qualis?* 273. 280. 286
Chriſtianæ *religionis articuli fundamentales.* 115
Chriſtiani *veteres Gentilium calumniis afflicti.* 420
Chriſtus *cur brumali tempore naſci, æquinoctiali reſurgere voluerit?* 399
Chronicum *Germanicum Jacobi de Konigshofen.* 362. *ſq.*
*vetus Holſatiæ.* 151
*Belgicum.* 188
*Groninganum.* 188
Chronologiæ *per imagines docendæ nova methodus.* 10
Ciceronis *Epiſtolarum ordo non turbandus.* 372
Cimeliarchiorum *inſtruendorum ratio.* 336. *ſqq.*
Cinnabaris *officinarum tuto aſſumenda.* 560
Circumciſi *num a ſacris Ordinibus arcendi?* 5
Circumciſionis *omiſſio num licita fuerit in deſerto?* 349
Clemens *Alexandrinus illuſtratus.* 481
Clemens *II P. R. gente Holſatus an Brandeburgicus fuerit?* 124
Clementis *VI P. R. Bulla, qua Angelis mandatur, ſuppoſititia.* 365
Clericorum *tonſura Græcis moribus recepta.* 5
Clericus *(Joannes) refutatus.* 456 *ſqq.*
*Harmoniam Evangelicam editurus.* 487
Clodovæus *primus Francorum in Gallia Rex.* 154
*Legis Salicæ conditor.* 156
Cœcorum *quorundam admiranda.* 293
Cœlum *inter Elementa a S. Paulino relatum.* 58
Cocceji *(Joh.) hypotheſes & fata.* 29. 351
Collegium *Medicorum inſtituendi conſilium.* 38. *ſeq.*

Colomeſius (*Paulus*) *a ſeipſo diſſentiens.* 81

Columbaria *urnarum receptacula* 203

Colyba *Græcorum vindicata.* 4

Comitiorum *Germaniæ, inprimis Wormatienſium A. 1495, hiſtoria.* 539. *ſqq.*

Comitum *in Anglia ſub* Saxonum *imperio conditio.* 442

Commodi *nummus explicatus.* 94

Comœdiæ *non illicitæ.* 174

Concilia *extra materiam fidei errori obnoxia.* 83. *ſq.*

Concilii *Tridentini dogmata.* 178

Conciliorum *Anglo-Saxonicorum nova editio promiſſa.* 550

Concionandi *arguta ratio.* 258

Conclavium *Pontificiorum hiſtoria non magnæ fidei.* 84

Confeſſio *peccatorum quatenus ad Laicos inſtitui queat?* 234

Conjugium *ſecundum num licitum ſit illi, qui ex cauſa adulterii divortium cum priori conjuge fecit.* 340

— *inceſtuoſum num a natura & intrinſece vitioſa?* 349

Contemplatio *& Meditatio quomodo apud Myſticos differant?* 275

— *Myſticorum num interrumpi poſſit?* 275 280. 286

— *num pure paſſive ſe habeat?* 276. 277. 279. 280. 285

— *num privet quandoque animam viſione Chriſti?* 280 285. *ſq.*

Conob *quid in nummis?* 158

Copernicea *Planetarum ordinatio.* 449

*De* Coquis *tractatio.* 242

Coreſſius (*Georgius*) *refutatus.* 1 *ſqq.*

Cornua *altarium.* 99

Coronarum *hodiernarum forma Anglis debetur.* 332

Corpus *idem quomodo reſurgat?* 358. *ſqq.*

Creatio *hominis ex gleba, fœminæ ex coſta viri, Deo non impoſſibilis.* 358

Creaturis *vis inſita agendi aſſerta.* 430. *ſq.*

Criſes *in morbis vindicata.* 41

Critica *Ars Joannis Clerici.* 11. *ſq.*

Curva *linea infinitas logarithmicas ad angulos rectos ſecans.* 230

Curvæ *lineæ celerrimi deſcenſus.* 52 *ſq.* 223. *ſq.* 466

Curvarum *linearum Problemata & Theoremata.* 49. 51. 52. 55. 223. *ſq.* 226. *ſq.* 230. 232. 259. 305 *ſq.* 462 *ſq.* 466. *ſq.*

— *rectificatio.* 462. *ſq.*

*In* Cycloide *iſochroniſmus deſcenſus.* 266. *ſq.*

Cycloidis *nova proprietas.* 53

Cyclois *celerrimi deſcenſus.* 49. 54 223. 466.


*Ex*

Ex Cyrilli *Cathecheſi fragmentum de colloquio Archelaï cum Manete hæreſiarcha.* 396

Dæmones *num quid poſſint in Naturam?* 66

Damiani (*Petro*) *liber de correctione Papæ & Epiſcopi vindicatus.* 236

Decretales *Epiſtolæ, quæ Siricium Papam præcedunt, ſuppoſitæ.* 82

Dei *fœdus cum Adamo ante lapſum.* 214 *ſqq.*

*amor purus commentum Myſticorum.* 476. ſqq. 483.

*Vide* Amor.

Deificatio *Myſticorum.* 276

Dentium *dolor capillis abſciſſis ſedatus.* 195

Deus *num ita concurrat ad creaturarum actiones, ut hæ non cauſæ earum ſint, ſed tantum occaſiones?* 430. 432. *ſqq.*

*num tantum ob perfectiones ſuas, ſine convenientia cum natura noſtra reſpectu amari poſſit?* 479. 482

*Vide* Amor.

Dherbeloti (*Bartholomæi*) *elogium & vita.* 105. 113. *ſq.*

Diaphoretica *inter antifebrilia præſtantiſſima.* 391

*antimonialia non improbanda.* 560

Dies *Juridici.* 444

Differentia *& identitas rerum unde?* 501. *ſqq.*

Digami *a Sacris Ordinibus excluſi.* 3.

Diluvium *quomodo contigerit?* 221

Dionyſio *Areopagitæ falſo adſcripti libri de Hierarchia.* 84. 130

Divortii *ex cauſa adulterii licentia.* 340

*apud Judæos licentia quanta?* 348

Doctoris, *Licentiati, Magiſtri gradus in Academiis.* 406. *ſq.*

Doctores *Bullati iisdem cum aliis gaudent privilegiis.* 406

*num vi Superioritatis Territorialis a Statibus Imperii creari poſſint?* 404

*ab Imperatoribus ipſis Regibusque creati.* 405

*quibus gaudeant privilegiis?* 406

*quatenus æquiparentur Nobilibus?* 406. *ſq.*

Dolſcius (*Paulus*) *quis fuerit?* 241

*Sub* Dorothei *Tyrenſis nomine edita ſcripta non magni momenti.* 323

Dyſenteria *myrtilli baccarum uſu curata.* 194

*venæſectione curanda.* 524

Ebionitæ, *hæretici.* 501

Ebraicæ *linguæ ſtudium quomodo tractandum?* 13

Ebræorum *ritus cum Gentium inſtitutis comparati.* 95. *ſq.*

Eccleſiæ *Græcæ orthodoxæ cum Latina conſenſus demonſtratus.* 1. *ſqq.*
*Schiſma.* 235
*unius num quandoque plures fuerint Epiſcopi?* 84
Eduardi *III Angliæ Regis aureus nummus explicatus.* 333
Eleuſinia *ſacra ex Panathenæis derivata.* 94
Elias *num altare in monte Carmelo rite extruxerit?* 95
*num fundator fuerit Ordinis Carmelitarum?* 132
*In* Eliſabethæ *Angliæ Reginæ honorem cuſa numiſmata.* 314
Elixir *balſamicum ſingulare.* 390
Ἐπερώτημα εἰς Θεὸν *quid 1 Petri III, 21?* 346
Epiphanii *de vitis Prophetarum liber fabuloſus.* 131
Epiſcopi *num quandoque plures fuerint ejusdem Eccleſiæ?* 84
*quidam Cardinalibus prælati.* 85
*quo ſenſu Apoſtolorum ſucceſſores?* 325
Epiſcopius (*Simon*) *notatus.* 216
*De* Epiſcoporum *inveſtitura agitata controverſia.* 511
Epiſtolæ *variorum hactenus inedita.* 240
*Chriſtiani Daumii ad Jo. Frid. Hekelium.* 373
*Gregorii Nyſſeni hactenus inedita.* 399
*Cardinalis Oſſati.* 489
Eraſmus *Geographiæ veteris ignoratæ poſtulatus.* 12
Erckenboldi *Catalogus Epiſcoporum Argentinenſium auctior.* 365
Ergaſteriorum *publicorum utilitas.* 474
Erichthonius *Ludorum apud Græcos auctor.* 93. *ſq.*
Eſſeni *num fuerint Hæretici?* 131
Etymologiæ *vocum.* 30
Evangelium *quibus locis a Chriſto & Apoſtolis prædicatum?* 322. *ſq.*
*In* Euchariſtia *num panis azymus recte adhibeatur?* 5
Eunuchi *num a ſacris Ordinibus arcendi?* 5
Evolutionum *uſus.* 211
Euthalii *in Epiſtolas Paulinas aliasque Catholicas ſtudium.* 400. *ſq.*
Eutychii *Alexandrini Patriarchæ Annales fabulis pleni.* 162
Exarchorum *in Eccleſia Chriſtiana origo.* 326
Fabricii (*Jo. Ludovici*) *vita, ſcripta & obitus.* 171. *ſq.*
Febricitantium *ſerum num inſipidum?* 527. *ſq.*
*In* Febribus *ardentibus miſſio ſanguinis inepte prohibita.* 34
*critica deſpumatio male impedita.* 41
*uſus veſicantium.* 46
Febris *alba puellæ octenni infeſta.* 195
Febrium *natura & therapia* 391.
*S.* Fe-

S. Felicis *Papæ martyrium conſi-ctum.* 85

Felicitas *propria naturaliter ab homine appetitur.* 477. *ſqq.*

*omnis amoris fundamentum.* 478

Ferdinandi *I Imperatoris nummi explicati.* 425

Feuda *quando cœperint fieri hæreditaria?* 442

Feudorum *militarium in Anglia origo & conditio.* 441

Fidei *Chriſtianæ articuli fundamentales.* 115

*in Chriſtum num in ſtatu integritatis futurus fuiſſet locus?* 216

Finalis *cauſæ in doctrina phyſica uſus.* 429

Finis *ultimus num tantum unus?* 477. *ſq.*

Fixæ *ſtellæ num corpora opaca?* 248

*cujus ſint naturæ?* 454

*quantum a nobis diſtent?* 454

Fluidorum *duo genera.* 298

*particulæ quam habeant figuram?* 298. *ſq.*

Flumina *num in Luna dentur?* 452

De Fluminum *natura Tractatus Phyſico-Mathematicus.* 299

Fluminum *origo.* 300

*motus.* 300

*conjunctio.* 301

*in alia flumina derivatio.* 301

*incrementa unde?* 301

Fœderum *in Germania paci publicæ conſtituendæ initorum hiſtoria.* 538. *ſq.*

Fœdus *Dei cum homine ante lapſum.* 412. *ſq.*

Fontana (*Carolus*) *correctus.* 205 *ſqq.*

Fontana (*Dominicus*) *Architectus quanto honore fuerit affectus?* 213

Fontium *origo.* 300

Fortunæ *adverſæ utilitas.* 26

Franciæ *Hiſtoria.* 13

Francorum *in Gallia regni quis primus conditor?* 153

*origo.* 187. 365.

Friburgenſis *civitatis Hiſtoria.* 367

Friderici *III Imperatoris Conſtitutio Ictus iniqua, non fuit recepta.* 406

Fridericianæ *Academiæ, quæ Halis eſt, Inauguratio.* 369

Friſii *agri deſcriptio ſecundum Antiquos.* 20

Fulberti *Carnotenſis ſcripta.* 233

Functionis *linea.* 225

Funditorum *in Gallia factio.* 25

Galilæa *Gentium unde dicta?* 323

*In* Gallia *quis primus regnum Francorum condiderit?* 154

*origo Majorum Domus.* 365

Generatio *hominis ſine virili ſemine Deo non impoſſibilis.* 357

Genethliacorum *diſciplina.* 557
Gentilium *ritus cum Ebræorum inſtitutis comparati.* 95. *ſq.*
*in veteres Chriſtianos calumniæ.* 420
Geographia *Orientis.* 107
*univerſalis.* 196
*ſacra.* 321. *ſqq.*
Geographicæ *tabulæ novæ.* 21. 22. 56
Geometricum *proprie quid ſit?* 467
Gerberti, *poſtea Sylveſtri Papæ, geſta.* 165
*In* Germania *conſtitutæ Pacis publicæ hiſtoria.* 537. *ſq.*
Germaniæ *Inferioris deſcriptio ſecundum Antiquos.* 20
Germanorum *veterum res monetaria.* 423
Glefe *quid Germanis?* 363
Gloſſarium *Saxonicum a Gerbardo Meiero promiſſum.* 151
*Teutonicum a Job. Schiltero promiſſum.* 192
*Græcum a Jo. Georgio Grævio promiſſum.* 352
Gluten *in corporibus humanis calculum & arthritidem producens.* 137
*De* Godelli (*Godeau*) *Hiſtoria Eccleſiaſtica judicium.* 293
Goldaſtus (*Melchior*) *correctus.* 363
Gonorrhœa *jam olim Judæis infeſta.* 524
Gradus *honorum in Academiis.* 404. *ſq.*
Græca *lingua cæterarum mater.* 29
*ut fuerit genita?* 30
Græcæ *Eccleſiæ orthodoxæ cum Latina conſenſus demonſtratus.* 1. *ſqq.*
*colyba vindicata.* 4
*ſtatus ſeculo X.* 161
*ſchisma.* 235
Græcarum *Scripturæ S. verſionum hiſtoria.* 27
Grævii (*Jo. Georgii*) *Scripta edenda.* 352
Gratiæ *quatenus cooperetur homo?* 273. 276
*In* Gravidis *etiam venæſectio quandoque utilis.* 193
Gravis *celerrimus deſcenſus.* *Vide* Curva, Cyclois.
Gravitas *principium motus fluentium aquarum.* 300
Gregorii *VII R. P. geſta & ambitio.* 235. 239
Gregorii *Nyſſeni Antirrheticus adverſus Apollinarem quando ſcriptus?* 397
*Teſtimonia ex Veteri Teſtamento adverſus Judæos.* 398
*doctrina a ſuſpicione Eutychianiſmi liberata.* 397. 399
Groninga *Corbulonis monumentum.* 22
Groninganum *Chronicon.* 188
Grotius (*Hugo*) *notatus.* 14
Guiſius *Dux cur tanto in Colinæum odio*

odio exarſerit? 294
Hadrianus Imperator Antiatc ſeceſſu gaviſus. 183. ſqq.
In Hallenſi urbe erectâ Academiæ Fridericianæ Hiſtoria. 369. ſqq.
Hegemonius quatenus pro editore Colloquii inter Archelaum & Manetem haberi poſſit? 394. ſq.
Helmontius notatus. 218.
Henrici IV Galliæ Regis cum Romana Eccleſia conciliatio. 492.
Henrici V Imperatoris lites cum Romanis Pontificibus. 512. ſqq.
Henrici VIII Angliæ Regis numiſma. 333.
Henricus Leo, Guelfus, ſucceſſor in Imperio aliquando a Friderico Barbaroſſa deſtinatus. 354.
In Hepate quomodo ſecernatur bilis? 361
De Hierarchia libri male S. Dionyſio Areopagitæ adſcripti. 84. 130
Hierocles auctor Notitiæ Provinciarum ante Conſtantinum Porphyrogenitum vixit. 328
Hieronymus notatus. 79
Hildebrandi ſeu Gregorii VII R. P. geſta & ambitio. 235
Hippocrates vindicatus. 520
De la Hire emendatus. 266
Hiſpanicæ Inquiſitionis Decretum adverſus Acta Sanctorum Henſchenio-Papebrochiana. 532. ſq.
Hiſtoria populorum Orientalium. 105. ſq.
Franciæ. 153
Religionum. 242
fundatæ Academiæ Fridericianæ. 369. ſqq.
amplificatorum Academiæ Noricæ privilegiorum. 543. ſq.
Sinenſis Imperii. 375. ſq.
originis Saxonum. 421
univerſalis. 391. 91
pacis Germaniæ publicæ. 537
Hiſtoriæ per imagines tradendæ nova methodus. 9. 91. ſq.
Holſatiæ Chronicon vetus. 151
Homicidæ num a ſacris Ordinibus arcendi? 5
Hominis partes tres, ſpiritus, corpus, anima. 355
De Homonymis Scriptoribus Schediaſma. 120. ſq.
Hortus Medicus Amſtelodamenſis. 129
Hydromel auri inſtillatum dolorem aurium tollit. 194
Hydrops in fœmina deyectæ ætatis curatus. 193
In Hypercatharſi ſalutare lac calidum vaccinum. 195
Hypotheſium in re medica ratio. 36. 38
Icenia, hodie Norfolcia. 445
Icterus omne ſerum in corpore humano flavo colore tingit. 194
a motu corporis nimio ortus. 195
In Idea clara & diſtincta fruſtra omnis

*omnis certitudinis fundamentum collocatur.* 507 *ſq.*
Idearum *in intellectu humano varia genera.* 505 *ſqq.*
Identitas *& differentia rerum unde?* 501 *ſqq.*
Jeſuitarum *in Gallia reſtitutio artibus Cardinalis Oſſati procurata.* 493
*cum Carmelitis lites.* 529 *ſqq.*
Ignis *perpetuus in Sacris.* 99
Imaginis *Divinæ ratio in primis parentibus.* 217
Imaginum *in Hiſtoria & Chronologia tradenda uſus.* 9. 91
Imperatores *inter & Pontifices Romanos controverſia de inveſtitura Epiſcoporum.* 511
Imperialium *ſeu Thalerorum Sylloge.* 422. *ſqq.*
Inceſtuoſa *conjugia num a natura & intrinſece vitioſa?* 349
Indicationes *curativæ unde a Medico depromendæ?* 41
Indifferentia *ſacra quid Myſticis?* 271 279
*ſano ſenſu explicata.* 482
Indulgentiarum *uſus in Eccleſia Græca.* 2. 3
*etiam ſuppoſititiarum valor.* 83
*ſeculo XV & XVI incrementa.* 131
Innocentii *X P. R. in Templum Vaticanum merita.* 211
Inquiſitionis *Hiſpanicæ Decretum adverſus Acta Sanctorum Henſchenio-Papebrochiana.* 532. *ſ.*
Intelligentiæ *creatæ num ſub nomine Naturæ innuantur?* 428
Interpretationis *regulæ generales.* 14
Intrita *plaſticorum veterum quid fuerit?* 212
*De* Inveſtitura *Epiſcoporum controverſia ut fuerit tandem compoſita?* 513
Johannis *XXII P. R. Bulla Sabbatina ſuppoſita.* 83
Joannis *Patriarchæ Hieroſolymitani liber de Inſtitutione Monachorum ſpurius.* 130.
Joſephi *Antiocheni de primitivæ Eccleſiæ perfecta militia liber ſpurius.* 130
Joſephus *B. Virginis Mariæ patruus.* 135
Irenæi *dogmata examinata.* 556
Iſochroniſmus *deſcenſus in Cycloide.* 266. *ſq.*
Jubilæa *vindicata.* 3
Judææ *Tetrarchiæ.* 322. *ſq.*
Judaicæ *Theologiæ veteris & novæ Synopſis.* 239
Judex, *teſtis, advocatus in cauſa ſanguinis quatenus ab Ordinibus ſacris excludantur?* 6
Judiciorum *Weſtphalicorum olim uſus & abuſus.* 540
*De* Juramento *tractatus.* 253

Ju-

Juris *Naturalis Prudentia.* 485
Juriſprudentiæ *Compendium juxta ordinem Digeſtorum.* 102
Jus *Commune quodnam jus deſignet in Imperii Receſſibus?* 542.
Jus *Romanum quatenus in Germania receptum ſit?* 542. *ſq.*
Juſtini *Martyris dogmata examinata.* 553
Juſtorum *tres ſtatus ex mente Myſticorum.* 269
*examinati.* 484

Lac *calidum vaccinum in hypercatharſi conducens.* 195
Lampadum *æquabiliter ſemper lucentium præparatio.* 222
Lanfrancus *illuſtratus.* 234
*A* Lapide (*Cornelius*) *notatus.* 123
*In* Laudi (*Gulielmi*) *Cant. Arch. memoriam numiſma cuſum.* 334
Launojus (*Joannes*) *librum de Regia in matrimonium poteſtate invitus compoſuit.* 293.
Lauterbachianum *Juris Compendium correctum.* 520
Leges *motus quomodo aboleri aut ſuſpendi a Deo poſſint?* 356 *ſqq.*
Legis *Salicæ antiquitas aſſerta.* 156
*Gen. II.* 16. 17. *quæ fuerit ratio?* 218
Lex *naturæ alia moralis, alia phyſica.* 64 *ſqq.*
Lexicon *Dherbeloti Turco-Perſicum ineditum.* 106
Libanii *Sophiſtæ ultra* 2000 *epiſtolæ ineditæ in Vaticana Bibliotheca.* 400
Liberi *quam ſevere apud Sinenſes ad obſequium parentibus præſtandum obſtringantur?* 386 *ſq.*
Libri *quam varie mendis depraventur?* 17. *ſq.*
Licentiati *iiſdem, quibus Doctores, gaudent privilegiis.* 406
Ligorius (*Pyrrhus*) *notatus.* 205
Linea. *Vide* Curva, Cyclois.
Linea *functionis.* 225.
Linearum *trajectoriarum tractatio.* 470. *ſqq.*
–*uſus in doctrina radiorum lucis.* 470.
Linguæ *humanæ geneſis.* 29 *ſq.*
Liquida *proprie quænam?* 298
Lockii (*Jo.*) *de Ideis doctrina ſub examen vocata.* 504. *ſqq.*
Logarithmi *numeri dati inventio per Catenariam.* 316
Λόγος *vox num ex Platonica philoſophia in religionem Chriſtianam illata?* 456. *ſqq.*
Lombardus (*Petrus*) *pater Scholaſticorum.* 517
Ludovicianæ *regionis in America nuper detectæ deſcriptio.* 69
Luna *num maria, flumina, aerem contineat?* 452. *ſq.*
Lutheranos *inter & Reformatos num diſſenſus fundamentalis?* 144
Lycophron, *poeta obſcuriſſimus.* 130

Machi.

Machiavelli *dogmata ipſis Principibus noxia.* 352
Magi *a Zabiis diverſi.* 108. 110
Magorum *nomen unde?* 111
Mahomet *num miracula patraverit?* 113
Majoragii *Philochryſus.* 330
Majorum *Domo in Gallia origo.* 356
Malebranchii *creaturis veram actionem negantis opinio refutata.* 430. *ſqq.* 438.
Mandarinorum *apud Sinenſes conditio.* 381. 383. 387
Manes *quam inepte ſe pro Paracleto venditarit?* 394
Manetis *Hæreſiarchæ cum Archelao colloquium.* 394
Margunius (*Maximus*) *refutatus.* 1. *ſqq.*
Maria & *flumina num in Luna dentur?* 452. *ſq.*
*B.* Mariæ *Virginis feſta.* 365
Marmor *Baptiſmatis ritum indicans illuſtratum.* 46 *ſq.*
Marſupialis *Americani Anatomia.* 407. *ſqq.*
*varia nomina.* 407
*burſa ſive marſupium.* 410
*dimenſio.* 408
Martialis *Lemovicenſis Epiſcopus num inter Apoſtolos locum habeat?* 238
Martinii (*Matthiæ*) *Vita.* 351
Martyrologiorum *autoritas quæ?* 133
Martyrologium *Brixienſe exploſum.* 84
Materiæ *inertia naturalis explicata.* 433 *ſq.*
*prima notio.* 434
Mathematicæ *Curſus Ozanami.* 246
*S.* Mauri *Vita, quæ S. Fauſto tribuitur, confictа.* 86
Mauritius (*Ericus*) *correctus.* 363
Mauſolea *antiqua, Romana & Etruſca.* 201
Maximiliani *I Imperatoris numiſmata quædam explicata.* 424
*De* Maximis & *Minimis methodi ſpecimen.* 49. ſq. 53. 211
Mazarini *Cardinalis geſta & character.* 24. *ſq.*
Mechaniſmus *corporum ſobrie capiendus.* 428
Medica *praxis ad priſcam obſervandi rationem revocanda.* 33. *ſq.*
Medicina *Nov-antiqua.* 520
Medicinæ *variæ ætates.* 35
*impedimenta & corruptelæ.* 34. *ſq.*
Medici *Collegii inſtituendi conſilium.* 39. *ſqq.*
*officium in curandis varii generis morbis.* 40. 66.
Medici *Theologi.* 242
Medicus *naturæ miniſter.* 66
Mediolanenſis *Metropolitæ jus antiquum*

tiquum in Epiſcopum Taurinenſem. 59
Meditatio & Contemplatio quomodo apud Myſticos diſtinguantur? 275
Meieri (Theodori Gebhardi) ſcripta. 243
De Memoria artificiali judicium 173.
Mercurii particularum figura. 299
— ex plumbo renati hiſtoria. 559
— color varius ex adſperſo oleo tartari. 560
Mercurii Planetæ & incolarum ejus conditio. 451. ſqq.
— diameter apparens. 90
Mercurius ſub Sole obſervatus. 86 ſqq.
Meſchaſippi fluvii Americani deſcriptio. 69. ſqq.
Metallorum tranſmutatio num plane neganda? 560
Metaphoræ varia genera. 257
Methodi de Maximis & Minimis ſpecimen. 49. ſqq. 53. 211
— Neutonianæ ſpecimen. 306. ſqq.
Metropolitanorum in Italia origo. 325
Militaria arma. 250
Militaris diſciplina. 251
Milites creandi jus penes quos olim fuerit? 446
— etiam ab inferioribus, imo a ſubditis creati Principes. 446.
Millenariorum in prima Eccleſia variæ ſectæ. 551
De Minimis & Maximis methodi ſpecimen. 49. ſq. 53. 211
Miracula per ſuſpenſas naturæ leges explicata. 356. ſq.
Miraculorum in Sacris Literis commemoratorum vindiciæ. 355. ſq.
In Miſſæ Sacrificio ritus ſingularis olim obſervatus. 239.
Miſſalium num quæ extra materiam fidei auctoritas? 83
Molinæus (Petrus) Anti-Cottoni auctor. 290
Monachus & Religioſus num idem? 131
Monades quæ Dn. Leibnitio? 434. 435
Moneta Germanorum antiquorum 423.
Monetariæ rei corruptela & emendatio. 335
— in Anglia ſtatus. 446
Montaniſtæ etiam ab Irenæo refutati. 552
Montis Francorum cœnobium. 126
Moralia Sinenſium præcepta. 386
Moralitas Juris Naturæ num ab arbitrio voluntatis Divinæ dependeat? 217
Morbi ex animi paſſionibus dependentes. 36
— navigantium, eorumque cauſa & curatio. 523
Morborum hiſtoria conſcribenda

*conſilium.* 37. *ſq.*
*periodi & effectus conſtantes.* 40
*cauſa quomodo exploranda?* 40
Morbus & *Symptoma quomodo differant?* 522
Mortis *ſententiam qui tulit Judex ad ſacros Ordines num admittendus?* 6
Mortui *Sancti num viſione Dei beatifica fruantur?* 9
*Pro* Mortuis *precum quis uſus ex mente Græcorum?* 2
Mortuis *baſia non ſemper impune infiguntur* 193
Mortuorum *reſurrectio paradoxa ratione expoſita.* 358. *ſq.*
Motus *omnis num immediate a Deo?* 65
Motus *per legem æternam Dei omni materiæ injunctus.* 65
*fluentium leges.* 300
Motus *unice & immediate a Deo procedit.* 356
*leges quænam?* 356
*leges quomodo aboleri aut ſuſpendi a Deo poſſint?* 356. *ſq.*
*eadem quantitas num conſervetur?* 429
*leges num arbitrariæ?* 429
*De* Motu *Varia.* 436. 438
Mulier *bona illata repetere poteſt, facta ſeparatione a thoro & menſa.* 520
Mülleri *nomen Eruditorum multis commune.* 122
Mundi *ſyſtema ex mente Hugenii.* 455
Murorum *fornicibus ſuppoſitorum firmitas unde determinanda?* 309
Muſicæ *uſus in curandis a tarantula morſis.* 44. *ſq.*
Myrtilli *baccæ antidyſentericum.* 194
Myſtica *Theologia ab Archiepiſcopo Cameracenſi explicata.* 268. *ſq.*
*ab Anonymo impugnata.* 476. *ſq.*
Myſticorum *Vita interior explicata.* 268
*Theologorum fata.* 268
*tres viæ, purgationis, illuminationis & contemplationis.* 270
*reſignatio & indifferentia ſacra.* 271
*de Tentationibus doctrina.* 272
*meditatio & contemplatio.* 275
*ſtatus paſſivus.* 276
*mors & reſurrectio ſpiritualis.* 276
*transformatio.* 276. *ſq.*
*de amore Dei puro ſententia collata cum ſententia Epicuræorum.* 479

Natu-

Natura *ſibi & Medicis vindicata.* 63
*quam rebus tribuere ſolemus, in quo conſiſtat?* 427 *ſq.*
*& Perſona quomodo diſtinguantur?* 507. *ſq.*
Naturæ *vocabulum & exiſtentia aſſerta.* 64
*quomodo in Scholas fuerit introductum?* 64
*definitio.* 65. 427
*quomodo miniſtret Medicus?* 66
*miracula peculiari tractatu diſcutienda.* 66
*Contra* Naturam *& præter naturam agere ut differant?* 65
Nautarum *morbi, eorumque curatio.* 523
Neutonianæ *methodi ſpecimen.* 306. *ſqq.*
Nobilitatis *jura num competant Doctoribus?* 407
*jus non niſi immemoriali tempore præſcribitur.* 519
Nomen *idem cur multis ſæpe hominibus commune?* 122
*mutare quando cœperint Romani Pontifices?* 234
Nominis *mutatio an licita?* 125
Norfolciæ *Deſcriptio topographica.* 445
Noribergæ *ſitus ſecundum longitudinem & latitudinem.* 138
Notionum *varia diſcrimina.* 16
*De* Notgero *Balbulo memorabilia.* 167
Notitia *Patriarchatuum, Metropoleon, & Epiſcopatuum Orbis Catholici.* 328
Nummariæ *rei notitia expoſita* 331. *ſqq.*
Nummi *antiquorum Franciæ Regum.* 157
*duo Theodeberti Auſtraſiæ Regis explicati.* 157
*Pontificum Romanorum templi Vaticani ſtructuram indicantia.* 204. *ſqq.*
*Othonis ærei magni pretii.* 335
*quo clades claſſi Hiſpanicæ A.* 1588 *illata celebratur, explicatio.* 334
*maximi moduli (Medaglioni) num monetæ uſum præbuerint?* 332
*adulterini ut a genuinis diſcernendi?* 332. 335
*unciales, ſeu thaleri, aut imperiales.* 422. *ſqq.*
*Maximiliani I. Caroli V. Ferdinandi I. Imperatorum.* 424. *ſq.*
*Eduardi III. Henrici VIII. Eliſabethæ Angliæ Regum & Reginæ.* 333. *ſqq.*
Nuptiæ *quartæ ſevere in Eccleſia Græca prohibitæ.* 161
Obeliſcus *a Sixto V R. P. in foro Vaticano erectus.* 213
Obſervationum *in re Medica neceſ-*

ceſſitas & uſus. 33. ſq.
negleɛtus unde? 34
Oceani aquæ preſſio cur nullum urinatoribus dolorem inferat? 223
Oleo ſanguinis humani deſtillato quantum ſalis volatilis inſit? 461
Oleum Sulphuris per campanam in majori copia adipiſcendi modus. 212
Olympionicarum cum annis mundi &c. collatio. 119
Opium in parva doſi nonnunquam plus quam in magna præſtat. 194
Oratio perpetua a Chriſto commendata quæ? 275
Ordinandorum requiſita. 3. ſq.
Ordinationibus ſacris quænam præmitti in Eccleſia Græca & Latina conſueverint? 11. ſq.
Ab Ordinibus ſacris quinam ex diſciplina Græcorum excludantur? 3. ſq.
Ordinum ſacrorum interſtitia cur minora apud Latinos, quam apud Græcos? 4
Orientalium populorum Hiſtoria. 105. ſq.
Geographia. 107.
Origenis circa ſacra Biblia ſtudium. 78
Oſcula non ſemper impune mortuis dantur. 193
Oſſati (Cardinalis) Vita. 489
Othonis nummi ærei magni pretii. 335
Palatina, quæ hodie agitatur, controverſia. 170
Panathenæa quando inſtituta? 93
Parabola per ſe aut cum alia conjuncta rectificabilis. 463
Parabolæ arcuum comparatio 259. 261. 464.
rectificatio. 463
cubicalis primariæ arcuum menſura. 465
Parentum in liberos ſumma apud Sinenſes auctoritas. 386. ſq.
Pariſienſe templum cathedrale a quo conditum? 160
Pariſienſis laniena genuina occaſio. 294
Ad Parliamenta Angliæ quando admiſſi Communes? 444
Parœcianus num Confeſſarium pro arbitrio eligere poſſit? 520
Parricidium quam ſevere apud Sinenſes puniatur? 387
Partus undecimeſtris legitimus. 519
Paſchalis II R. P. contentio cum Imperatoribus de inveſtitura Epiſcoporum. 511. ſq.
Paſchatis ritus. 456
Paſſionum animi quantum ſit in morbis momentum? 36
Patriarcha num in Occidente alius contra Romanum Pontificem creari poſſit? 327
Patriarchatuum in Eccleſia Chriſtiana origo. 326
Patriarchatus Romanus quam late patuerit? 326

Pauli

Pauli *V R. P. in exornanda Vaticana baſilica ſtudium.* 208
*In* Paulinas *aliasque Catholicas Epiſtolas ſtudium Euthalii.* 400. *ſq.*
*S.* Paulini *Epiſcopi Nolani Poemata?* 57
*A.* S. Paulo (*Sebaſtianus*) *refutatus:* 81. ſq. 129. ſq. 529 ſq.
*S.* Paulus *num Epiſcopus Romanus dici poſſit?* 84
Pax *publica quanta mole in Germania fuerit conſtituta?* 537. *ſq.*
*quibus fulcris fuerit ſuſtentanda?* 540
Peccata, *quæ a Deo phyſice non impediuntur, nihilominus illicita.* 274
*num & in eos cadant, qui amore puro Deum complectuntur?* 277
Perceptionis *in homine num duo ſolummodo, ſenſatio & reflexio?* 504
Perſona & *Perſonalitas in S. Trinitate ut differant?* 498
& *Natura quomodo diſtinguantur?* 507. *ſq.*
Perſonæ *qualis idea?* 508
Perſonarum *diſtinctarum alia in Deo alia in hominibus ratio.* 498. *ſq.* 504
*S.* Petri *cathedra lignea vindicata.* 209
*confeſſio, i. e. ſepulchrum.* 210
*Mauſoleum ab Urbano VIII R. P. magnificentisſime exornatum.* 210
*primatus aſſertus.* 324
Philippi *Burgundi, Epiſcopi Ultrajectini Vita.* 189
Philo *num ea, quæ de Sacris tradidit, ex Platone, an ex Scriptura S. hauſerit?* 457
Philoſophia *Peripatetica J. B. Ptolemæi.* 368
*ut ſenſim in Theologiam ſe inſinuarit?* 516. *ſq.*
Phlegma *ſanguinis humani deſtillatum quantum ſalis volatilis contineat?* 461
*Ex* Phœnicum *alphabeto reliquorum populorum literæ derivatæ.* 93.
Phoſphorus *ex ſale ammoniaco & calce viva paratus.* 222
Photiani, *Eccleſiæ Græcæ ſectarii, refutati.* 1. *ſq.*
*De* Phyſiognomia *Diſſertatio.* 338. *ſq.*
Pindari *editiones variæ.* 118
Planetarum *primariorum cum Tellure comparatio.* 448. *ſq.*
*incolæ quibus ſtudiis incumbant?* 451
Planetis *plantæ & animalia etiam rationalia vindicata.* 450. *ſqq.*
Platonis *de vita humana judicium.* 112
*Ex* Platonis *Philoſophia num vox* Λόγος *in religionem Chriſtianam*

*nam illata?* 456. *ſqq.*
Plautus *explicatus.* 253
Pluviæ *aquæ inſtar acidularum cum fructu pota.* 194
Podagræ *cauſa & curatio.* 525
Podagricorum *ſanguis multo plus alcali continet, quam ſanguis ſanorum.* 526
Polaris *ſtellæ altitudo minima & maxima Noribergæ.* 139
Politianus (*Angelus*) *notatus.* 241
Politica *Sinenſium prudentia.* 377. *ſq.*
Polygamia *Patriarcharum quomodo tolerata?* 348
Pontifices *Romani adverſus inculpationes Græcorum vindicati.* 8
— *in Epiſcopatu Romano Petri & Pauli, in Univerſali ſolius Petri ſucceſſores.* 84
— *quando cœperint mutare nomen?* 234
Pontificum *Romanorum infallibilitas qualis?* 82
— *ſeculo X prava facinora.* 162. 168
— *numis-numiſmata fabricam Templi Vaticani indicantia.* 204 *ſq.*
— *primatus.* 324
— *cum Imperatoribus controverſia de inveſtitura Epiſcoporum.* 511
Pontificiis *veri Chriſtianiſmi poſſeſſio vindicata.* 245. *ſq.*
Porretani (*Gilberti*) *hæreſis.* 515
Poſſevinus *notatus.* 236
Preces *pro defunctis quem uſum habeant ex mente Græcorum?* 2
Probationum *in examine candidatorum Ordinis ratio.* 7
Proteſtantium *Eccleſias conciliandi ratio.* 141. *ſq.*
Prudentia *Sinenſium Politica.* 377. *ſq.*
Pſalmorum *nova editio.* 62
Pſeudonymi *Scriptores detecti.* 289
Ptolemæus *illuſtratus.* 22
Pufendorfii *Samuelis Jus Dei Feciale ſub cenſuram vocatum.* 214 *ſq.*
Purgatorium *ab Eccleſia Græca admiſſum.* 2
Purus *Dei amor quis? Vide* Amor purus.
Pyramides *Ægyptiorum num altaria fuerint?* 100

Quadratrix *Tſchirnhauſiana vindicata.* 247
Quantitas *motus num eadem in natura ſervetur?* 429
Quercetanus *notatus.* 222
Quietiſmus *oppugnatus.* 476. *ſq.*
Quietiſtarum *principiis addictus Simeon Junior ſeculi XI ſcriptor.* 238
Quinctilianus (*M. Fabius*) *innumeris locis emendatus.* 548. *ſq.*

*De* Rabutin (*Rogerii*) *Comitis de Buſſi vita.* 23. *ſq.*
Radiorum *lucis per medium inæqualiter denſum tranſeuntium* curva-

*curvatura quomodo determinanda?* 470
Ratio *in hominibus quid proprie?* 504. *ſq.*
*Contra* Rationem *& ſupra rationem, diverſa.* 509
Ratherius *ſcriptor gravis ſeculi XII.* 164
Rectificatio *Parabolæ.* 463
Reformata *Eccleſia ad pium in doctrina fidei conſenſum invitata.* 141
Reformatos *inter & Lutheranos num diſſenſus fundamentalis?* 144. 244. *ſq.*
Regimenti *Imperii conſtitutio.* 540
Regulo *antimonii martiali pura ferri ſubſtantia admixta.* 560
Religiones *in Belgio vigentes.* 27 *ſq.*
Religionis *Chriſtianæ articuli fundamentales qui?* 115
Religionum *hiſtoria.* 242
Religioſus *non illico, qui Monachus.* 121
Reſignatio *ſacra quid Myſticis?* 271
Reſurrectio *mortuorum paradoxa ratione explicata.* 358. *ſq.*
Retractus *jus in emptione ſub conditione ut emptor venditoris valetudinem diligenter curet, facta, num locum habeat?* 519
Rhemenſis *Concilii geſta in cauſa Arnulphi.* 165
Rhetorica *Ariſtotelis commendata.* 255
Rhetorici *ſtudii ratio.* 16
Romani *Pontifices. Vide* Pontifices *Romani.*
Romæ *præter Pontificem duo alii Epiſcopi.* 84
Romanum *jus quatenus in Germania receptum ſit?* 542. *ſq.*
Roſcelini *de S. Trinitate ſententia.* 237. 238
Ryſvicenſis *Pacis inſtrumenta cum antegreſſis de Pace tractatibus collata.* 169. *ſq.*

*A* SAbellianiſmo *vindicata R. Southi de S. Trinitate ſententia.* 497. 503
Sacramenti *rationem num habuerit arbor ſcientiæ boni & mali?* 216. 218
Sacrificia *pro mortuis quem uſum habeant ex mente Græcorum?* 2
Sacrificiorum *origo & ſcopus.* 218
Sal *Volatile ſanguinis humani qua proportione phlegmati, ſpiritui & oleo e ſanguine deſtillatis inſit?* 461
*alcali in mineralibus quibusdam præexiſtit.* 559
*ſuccini num cum acido efferveſcat?* 560
*Ex* Sale *fixo ſanguinis ſpiritus omnino acidus deſtillatus.* 460
Salicæ *legis antiquitas aſſerta.* 156
Sallii (*Roberti*) *in detegendis novis in America regionibus induſtria & fata.* 73. *ſq.*

Sal-

Salmaſius *notatus.* 79
Salomonis *Proverbia Machiavello oppoſita.* 352
Saltatio *ex morbo.* 366
Sancti *demortui num viſione Dei beatifica fruantur?* 9
*Ex* Sanguinis *ſale fixo ſpiritus omnino acidus deſtillatus.* 460
Sanguinis *humani ſal volatile qua proportione phlegmati, ſpiritui & oleo e ſanguine deſtillatis inſit?* 461
*per venæſectionem mittendi quantitas.* 523
*particulæ calorificæ cujus naturæ?* 527. 228
Sanguis *podagricorum plus alcali continet quam ſanorum.* 526
Saſſafras *lignum num acidum?* 527. 528
Saturnalium *tempore cuſi nummi.* 332
Saturni *Lunulæ plures detegendæ.* 452
Saxonibus *antiquis ignorata Feuda.* 442
Saxonica *hiſtoria anonymi.* 150
Saxonicum *Gloſſarium a Gerh. Meiero promiſſum.* 151
Saxonum *origo.* 421
Scabies *non rite tractata epilepſiam parit.* 193
Scaliger (*Joſephus*) *notatus.* 104
Scholaſticæ *Theologiæ origo.* 516. *ſq.*

Scripturæ *S. dicta explicata.* 350
*Speciatim*
*Gen.* *II.* 16. 17. 218
27. 219
*Exod.* *IV.* 24. *ſq.* 349
*XX.* 24. 25. 96. *ſq.*
26. 99
*XXVII.* 1. 96
*Deuter.* *XXIV.* 1. *ſq.* 349
*I. Sam.* *XXIX.* 6. 15
*II. Sam.* *XII.* 31. 252
*II. Paral.* *IV.* 1. 96
*Job.* *XLI.* 20. 252
*Pſalm.* *XXIV.* 2. 220
*CIV.* 5. 220
*CXVIII.* 27. 99
*Ezech.* *XLIII.* 15. 98
*Amos.* *VI.* 13. 252
*Matth.* *V.* 32. 349
*Job.* *XXI.* 24. 456
*Act.* *II.* 37. 346
*XIII.* 2. 148
*I. Cor.* *VII.* 10. 11. 349
*XIII.* 5. 489
*II. Cor.* *V.* 1. 253
*Gal.* *IV.* 8. 14
*VI.* 17. 252
*Col.* *II.* 15. 253
*II. Tim.* *II.* 4. 253
*I. Petri* *III.* 21. 346
*II. Petri* *III.* 5. 220
*Hebr.* *I.* 4. 350
*Apoc.* *IV.* 10. 253
Scriptores *antiqui, Græci Latinique, quo ordine legendi?* 12

*varii-*

*varii emendati.* 17. *ſq.*
*homonymi.* 120. *ſq.*
Scripturæ *S. V. T. verſionum Græcarum hiſtoria.* 77
Scripturam *Sacram explicandi diverſæ rationes.* 518
Scylacis *Periplus antiquitati ſuæ reſtitutus.* 59. *ſq.*
Secretio *animalis novo modo explicata.* 361
*num fiat ope ſpecificorum fermentorum?* 524
Septuaginta-Viralis *V. T. verſionis editiones variæ.* 75
*hiſtoria.* 77. *ſq.*
Sepulchra *antiqua Romana & Etruſca.* 201
Sermonis *humani origo.* 30
Servi *num a ſacris Ordinibus excluſi?* 3
Serum, *inprimis ægrotorum, multum continet alcalici.* 527
*num cum oleo vitrioli efferveſcat?* 527. *ſq.*
*febricitantium num ſemper inſipidum?* 527. *ſq.*
*De* Sharburn *familiæ Hiſtoria.* 446
Sherlocki (*Guilielmi*) *ſententia de S. Trinitate a Tritheiſmo vindicata.* 499. *ſq.*
Similaritas *perfecta nuſpiam datur.* 437
Sinenſis *Regni præſens ſtatus.* 375 *ſq.*
*forma monarchica nunquam mutata.* 377
*tribunalia.* 383. 385
Sinenſium *Regum illimitata auctoritas, nec temere tamen uſurpanda.* 377. 380
*cultus ad adorationem usque procedens.* 378
*ſeveritas, jusque vitæ & necis in ſubditos.* 378
*reditus.* 379
*liberrima Succeſſoris electio.* 379
*in mortuos etiam poteſtas.* 380
*circa loquendi morem auctoritas.* 380
*actiones cenſuræ Mandarinorum obnoxiæ.* 381
*hiſtoriam infucatam condendi ratio.* 381. *ſq.*
*artes continendis in officio Magiſtratibus inferioribus.* 383. *ſq.*
Siphonis *exemplo illuſtrata cauſa diluvii.* 221
*A* Sixto *V. R. P. erectus in foro Vaticano Obeliſcus.* 213
Societatis *Medicæ inſtituendæ conſilium.* 38. *ſq.*
Solidorum *& Superficierum rotatione Catenariæ genitarum menſuratio.* 321
Solis *cultus apud gentes Americanas.* 72
*natura.* 43. *ſq.*
*faculæ.* 454
Souti (*Roberti*) *de S. Trinitate ſenten-*

*tentia a Sabellianiſmo vindicata.* 497. *ſq.*

Spanhemius (*Fridericus*) *Mercurii Helveti librorumque aliorum auctor.* 291

Spei, *virtutis Theologicæ, ratio* 278. 282

Spelmanni (*Henrici*) *Vita.* 447

Spenceri *in Anglia duo, alter Joannes, alter Guilielmus.* 289

Spes *num in puro amore locum habeat?* 270. 279

Spiritus *num movere poſſint corpora?* 66

Spiritus *ſanguinis humani deſtillatus quantum ſalis volatilis contineat?* 461

Statua *Veronicæ inepte formata currens.* 211

Statuum *S. R. Imperii jus pacem cum exteris ineundi quale?* 170

Stellarum *fixarum natura.* 454

*S.* Stephani *Protomartyris translatio Romana confiсta.* 86

Sternutatio *quandoque ebrietatis imminentis ſignum.* 193

Stoupa *auctor libri: Religio Hollandorum.* 291

Sturmii (*Jo. Chriſtophori*) *ſententia de Natura illuſtrata.* 427. *ſq.*

Subſtantia *omnis agit ſine intermiſſione.* 432.

Subſtantiæ *quæ idea?* 505. *ſq.*

Succini *ſal num cum acido efferveſcat?* 560

Suetonii *locus de Deo Carmelo explicatus.* 534

Sulphuris *oleum per campanam in majori copia adipiſcendi modus.* 222

*elixir, inſigne antifebrile & antipodagricum.* 526

Superficierum & *Solidorum rotatione Catenariæ genitarum menſuratio.* 321

Symbolica *Ars.* 258

Symbolicarum *figurarum in docenda Hiſtoria univerſali uſus.* 91. *ſq.*

Symbolum *Athanaſianum Athanaſio recentius.* 130

Symptomatum *a morbo differentia.* 522

Tacitus *illuſtratus.* 22. 534

Tamaii *Martyrologium Hiſpanicum improbatum.* 85

*A* Tarantula *morſorum ſymptomata.* 43

*curatio.* 44. *ſq.*

Tarantulæ *deſcriptio.* 42. *ſqq.*

Tarantulæ *quomodo capiantur?* 42

*propagentur?* 43

Tatianus *animam hominis corpoream ſtatuit.* 555. 556.

Telluri *motus, locuſque inter Planetas vindicatus.* 449

Telluris *Theoria Burnetiana jam olim inter Habesſinos recepta.* 220

*a Luna differentia.* 452. *ſqq.*

*a So-*

*a Sole diſtantia.* 453
Templa *in honorem B. Mariæ Virginis aut Sanctorum aliorum num ante Conſtantini M. tempora fuerint exſtructa?* 132
*De* Templi *Hieroſ. ſecundi ara exteriore Exercitationes.* 95. *ſq.*
Templi *Vaticani deſcriptio.* 204 *ſq.*
Templorum *apud veteres Chriſtianos ornatus.* 58
*De* Tentationibus *ſpiritualibus, doctrina Myſticorum.* 272
*In* Tentationibus *extremis conſtituta anima num fidei & virtutum expers?* 272
*num perſuadere ſibi poſſit, ſe a Deo damnatum iri, & Deum tamen conſtanter amare?* 272. 279. 280. 284
*quo ſenſu pars animæ inferior a ſuperiori dicatur ſeparata?* 273. 280. 285
Teſtamenti *Novi verſio Gallica Ameloti ſub cenſuram vocata.* 147
Teſtamentorum *origo.* 445
Teſtamentum *num per nuncium judici offerri poſſit?* 520
Tetrarchiæ *Judææ.* 322. *ſqq.*
Teutonicum *Gloſſarium a Joh. Schiltero promiſſum.* 192
Thalerorum *ſeu uncialium Sylloge.* 422. *ſqq.*
Thani *qui veteribus Saxonibus?* 443
Theæ *decoctum antihypochondriacum.* 194
Theodeberti, *Auſtraſiæ Regis, duo nummi explicati.* 157
Theodelindæ *Longobardorum Reginæ ejuſque mariti Agilulfi baptiſmus.* 47
Theologia *Myſtica Cameracenſis Archiepiſcopi.* 268. *ſq.*
*qualem Cameracenſis Præſul tradidit, impugnata.* 476. *ſqq.*
Theologiæ *Judaicæ veteris & novæ Synopſis.* 239.
*Syſtema methodo Mathematica compoſitum.* 509
*ſcholaſticæ origo.* 516. *ſq.*
Theologorum *in Belgio diſſidia.* 28
Theophili *Patriarchæ Antiocheni ſcripta.* 554
Theophraſtus *emendatus.* 17. 18
Thermarum *calor unde?* 361
Thermometri *uſus in re medica.* 523
Tinenſis *Epiſcopi ſtudium pro pace inter diſſentientes circa religionem concilianda.* 176
Tonſura *Clericorum Græcis moribus recepta.* 5
Traditionum *quæ auctoritas?* 133 *ſq.*
Trajanus *num Gregorii M. precibus ex inferno fuerit liberatus?* 2
Trajectoriarum *linearum tractatio.* 470. *ſq.*
Transformatio *quid apud Myſticos*

*coſ?* 276. 279
Trevirenſis *Hiſtoria anonymi.* 150
Tridentini *Concilii doctrina.* 178
*In S.* Trinitate *num Roſcelinus recte tres* res *ſtatuerit?* 237
*De S.* Trinitate *dogma veteribus Judæis minime ignoratum.* 457
*doctrinæ vindiciæ.* 469. *ſq.*
*controverſia inter Anglos Sherlockum & Southum.* 497
*non involvit contradictionem.* 501
*doctrinæ antiquitas.* 501. 503
*A* Tritheiſmo *vindicata Guilielmi Sherlocki de S. Trinitate doctrina* 499
Triumphi *pompa.* 251
Tſchirnhauſiana *Quadratrix vindicata.* 247
*In* Tuſſi *graviſſima veſicatorii uſus.* 46
*uſus bellidis.* 194
Typographiæ *inventio Argentoratenſibus vindicata.* 365
VAcuum *rejectum.* 438
Valentinianorum *hæreſis.* 552
Valeſius (*Henricus*) *emendatus.* 79
Vaticani *Templi deſcriptio.* 204. *ſq.*
Venæſectio *in febribus ardentibus inepte prohibita.* 34
*in gravidis etiam quandoque inſtituenda.* 193
*quomodo adminiſtranda?* 523
*dyſentericis, tuſſi laborantibus & apoplecticis commendata.* 524
Venus *Mercurii incolis Lunæ vicem præſtat.* 452
Verſionis *LXXviralis V. T. editiones variæ.* 75
*hiſtoria.* 77. *ſq.*
Vertiginis *cauſa.* 524
Veſicantium *in Medicina uſus & abuſus.* 45. *ſq.*
Veſtæ *cultus apud Gentiles unde?* 99
Vice-Cancellarii *munus in Curia Romana.* 67
Victimas *num ligare fas fuerit?* 101
*A S.* Victore (*Hugo*) *Comitum Blanckenburgenſium Familiæ vindicatus.* 354
Vita *interior Myſticorum quæ?* 268
Vieuſſens (*Raymundi*) *ſcripta edita & edenda.* 459
Vis *agendi inſita creaturis vindicata.* 430. *ſq.*
Unio *qualis inter Lutheranos, Reformatos & Pontificios locum habeat?* 245
Voſſius (*Jo. Gerhardus*) *emendatus.* 59. 166. 363
Urinatores *cur a preſſione aquæ Oceani nullum ſentiant dolorem?* 223
Urbani *VIII R. P. magnificentia in exornando B. Petri mauſoleo.*

*ſoleo.* 210. *ſq.*

WEſtphaliæ *judiciorum uſus olim & abuſus.* 540

ZAbii *a Magis diverſi.* 108. 110

Zabiorum *religio.* 109

*De* Zoroaſtre *memorabilia.* 110. *ſq.*

# ERRATA.

P. 19. l. 27. lege *Falſariorum.* P. 47. l. 24. pro *ſingulare ſpondere*, lege *ſingula reſpondere.* P. 132. l. 17. pro *inerit* lege *inſerit.* P. 280. l. 33. pro *artibus* lege *actibus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06709 6282

A 599433 DUPL

E[illegible]